

2 400 40



MADE IN SPAIN



R. 1125

A N N A L E S
O R D I N I S
S. B E N E D I C T I
O C C I D E N T A L I U M M O N A C H O R U M
P A T R I A R C H Æ.

In quibus non modo res monasticæ, sed etiam ecclesiasticæ historiæ
non minima pars continetur.


*Auctore Domno JOHANNES MABILLON, presbytero & monacho
ejusdem Ordinis à Congregatione S. Mauri.*

T O M U S S E X T U S.

Quem cum morte præventus D. Mabillonius imperfectum reliquisset, absolvit & variis
additamentis ad tomos præcedentes exornavit

*Domnus EDMUNDUS MARTENE, presbyter & monachus
ejusdem Congregationis.*

Complectitur autem res gestas ab anno Christi M. C. XVII. ad M. C. LVII. inclusive,
cum Appendice, & Indicibus necessariis.



LUTECIÆ-PARISIORUM,

Sumtibus JACOBI ROLLIN, ad Ripam PP. Augustinianorum,
sub signo S. Athanasii & Palmæ.

M. DCC. XXXIX.

CUM PRIVILEGIO REGIS, ET SUPERIORUM FACULTATE.



IN TOMUM SEXTUM
ANNALIUM BENEDICTINORUM
PRÆFATIO
FRATRIS EDMUNDI MARTENE.



Am splendidum in republica litteraria locum obtinuit piæ memoriæ Johannes Mabillonius, tantique fit ab eruditis quidquid ex ejus calamo prodiit in lucem, ut lugeant hactenus universi, quod summus vir moriens Annales Benedictinos ad umbilicum non perduxerit. Eximium illud opus indefesso labore aggressus profecutusque fuerat ad annum Christi MCLVII. jamque quatuor solidi tomi, scilicet usque ad MLXVII. e prælo exierant, cum ecce repente exuens hominem, terra relicta, tot laborum pro ecclesia susceptorum mercedem a Deo recepturus, cælum petivit. Supererant duo volumina annos nonaginta complectentia, & si quid addidisset typis parata, moxque ni properasset invida mors ab auctore in vulgus emittenda. Sed ut posthumis fœtibus evenire solet, dum parentis e manibus semel & iterum in alias manus transeunt, diutius quam par erat desiderata fuerunt. Causas tantæ moræ, laborisque nostri rationem paucis accipe.

Exstincto Mabillio, non edendi modo eam Annalium nostrorum partem, quam in scriniis prope confectam reliquerat, sed & ipsum opus penitus, & intra breve spatium perficiendi spes affulserat proxima in domno Theoderico Ruinartio ejus discipulo & studiorum socio. Sed vix susas de tanto amisso patre lacrymas exterserat, vix ejus vitæ compendiosam seriem a se conscriptam publicis typis mandaverat, cum agri Remensis iter, tabularia monasteriorum scrutaturus, suscepit, ut e chartis & instrumentis, quibus hanc provinciam noverat abunde instructam, varia ad Annales Benedictinos absolvendos eliceret monumenta. At vir clarus, cælo maturus, nobis quidem parum, sibi vero satis vixerat. Ad Altvillarense S. Petri monasterium Congregationis S. Vitoni perveniens, acutissima febre correptus, necdum biennio a sui magistri transitu, infra dies septem-decim, die XVII. Septembris anni MDCCLXIX. vitæ metam absolvit, omnibus qui

eum viderant, sive qui ex scriptis noverant, amarum sui desiderium relinquens.

Sensit altissimum vulnus Congregatio nostra. Amittebat nempe dilectissimum Mabillonii alumnum, qui si dari posset, alter ipse potuisset haberi Mabillonius, magistro suo, si non ingenii amplitudine, certe morum suavitate, laboris improbitate, mentis sagacitate comparandus. Tunc moderatores Congregationis nostræ superiores anxii, quærentes quem Ruinartio sufficerent, in domnum Renatum Massuetum, virum doctum & nova editione operum S. Irenæi, quam tum procurabat, commendandum, oculos injecerunt, plurimum de viro multiplici eruditione prædito expectantes.

Is ex parochia S. Audoëni de Mancellis prope Bernaium in diocesi Ebrouicensi piis & honestis parentibus natus, primis ætatis suæ annis humanioribus litteris de more operam dedit; tum docente presbytero sæculari ad philosophiam animum appulit. Quo in studio acri judicio, felicique favente memoria, sic profecit, ut quasvis quæstiones, etiam difficillimas, mira facilitate, mira rationum perspicuitate enodaret, publicasque theses propugnare jussus, astantium omnium plausum & admirationem concitaverit. Cum bonis polleret moribus, ut pietatem cum scientia conjungeret, sæculum exorsus, annos quindecim & tres menses natus, contra mundi pericula ad claustrum asylum confugit, atque in Lyrensi B. Mariæ abbatia habitum monasticum induit. Probationis tempore nihil in eo apparuit juvenile, provectorum monachorum virtutes comparibus virtutibus expressit. Sedulus ad omnes regulæ nutus, humilitatem in primis coluit, mansuetudinem, quam vultu præferbat, factis exhibuit; sic denique in omnibus se gessit, ut unus omnibus haberetur pro speculo & exemplo.

Completo tirocinii tempore, per vota solemnia Congregationi S. Mauri nomen dedit xx. Octobris MDCLXXXII. Biennio post ad S. Ebrulsi monasterium missus est, solitis in Congregatione studiis excolendus. Quamquam nihil nisi magnum ab ingenuissimo adolescente expectaretur, spem tamen de se conceptam in ipso studiorum aditu & exordio longe superavit. At nondum exacto biennio, paralyssi in brachio dextro correptus, ad aquas Borbonias salutem quærere compulsus est. Valetudine utcumque restituta, ad interrupta rediit studia, & in cœnobio Aurelianensi B. Mariæ de Bono-nuntio theologiæ auditor, fratribus & condiscipulis suis amori fuit & admirationi.

Expleto demum studiorum cursu, duplicem in Beccensi monasterio, scientiarum seminario, cursum philosophicum docuit. Deinde per tres annos Cadomi fratribus nostris theologiam legit: quo tempore ad baccalaureatus & licentiæ in jure canonico gradum promotus est, propugnatis prius eruditione plenis, quas ipse composuerat thesibus. Universitas tota non semel eum ad doctoratum suscipiendum urgendo invitavit, magnæ sibi gloriæ ducens, si vir tantus inter doctores suos numeraretur. Verum oblatum honorem refugit vir modestissimus, & ne refugientis humilitas obedientiæ merito fraudanda-

retur, & superiorum suorum jussu, & sponte sua a doctoratu abstinuit.

Emenso Cadomi cursu theologico, theologiam rursus fratribus nostris Gemmetici per unum, & per tres deinde annos in Fiscamenensi prælegit monasterio, ubi & officialis munus sapienter obivit. Anno MDCCII. in Rotomagensi S. Audoëni cœnobio discendæ græcæ linguæ totus incubuit. Anno sequenti ad Parisiensem S. Germani a Prædis academiam accersitus, iterum triennio theologiam docuit, dum interea græcæ linguæ operam daret, ac Patriarcharum historiam aggrederetur; quam dum componeret, novæ editioni Operum S. Irenæi operam dedit, quæ demum anno MDCCX. in lucem prodit.

Defuncto in Altiwillarenensi S. Petri abbatia Ruinartio, Massuetus a superioribus designatus ad perficiendos Annales Benedictinos a Mabillonio & Ruinartio inceptos, paratum ab eodem Mabillonio tomum V. statim prælo commisit, præmissa brevi præfatiuncula, cui Mabillonii & Ruinartii vitæ synopsis subjecit. Tum vero laboris injuncti magnitudinem & gravitatem perpendens, & quantum hoc genus ab iis, quibus hactenus se dederat, studiis abhorreret, secum reputans, totos sex annos in legendis cum manuscriptis tum libris editis infumisit, ut ex iis, quasi apis argumentosa, fugeret unde suo tempore mel suavissimum conficeret. Eo in studio mirum quantum diu noctuque desudaverit, metas etiam prudentiæ transiliens, & ultra naturæ vires in labore pervicax. Interim tertiam Operum S. Bernardi editionem quam paratam quoque reliquerat Mabillonius, instante bibliopola & quibusdam eruditis, prælo commisit. At vir aliunde robustissimus, assiduis exhaustus vigiliis, eo tempore defecit, quo intermissam Annalium curam repetens, manum vix calamo admoverat. Tunc die XIII. Januarii apoplexia correptus, quæ mox in paralyssim degeneravit, invitis omnibus medicinæ remediis, ingravescente morbo, sanctæ ecclesiæ sacramentis munitus, post duorum dierum agonem animam exhalavit die dominica XVI. Januarii anni MDCCXVI.

Massueto bonæ spei viro defuncto successus est domnus Franciscus Texerius, prius in Majori-monasterio philosophiæ prælector, & in Cenomannensi S. Vincentii abbatia per plures annos theologiæ professor, qui regendi pariter ac docendi peritus, commissos sibi juvenes ita divinis imbuit disciplinis, ut ex eis non paucos ex discipulis effecerit magistros. Nescio an nimis Francisci dotes nocuerint Annalibus: nam hunc licet doctissimum, superiores attendentes regendis monasteriis magis idoneum, Cenomannensis S. Petri de Cultura cœnobii priorem constituerunt, ac deinde S. Vincentii eadem in urbe abbatem elegerunt.

Vigebat ea tempestate vir apud litteratos satis notus domnus Vincentius Thuillierius, acer ingenio & laboris amans. Hic inter ceteros domno Dionysio Sanctamarthano Præposito generali nostræ Congregationis dignus visus est, cui omnia Mabillonii, Ruinartii & Lucæ Dacherii scrinia crederentur, ex quibus, Mabillonii & Ruinartii opera posthuma vulgavit. Verum ad profana conversus, Polybii auctoris Græci, & quidem difficillimi, interpretationem adorsus est;

qua perfecta & edita, historiam Constitutionis *Unigenitus* a sanctissimo patre Clemente XI. promulgatæ, approbantibus tribus Gallicanis cardinalibus, suscepit conscribendam; opus immensum, quod intra paucos annos, diu noctuque vigilans confecit. Jamque ei ultimam manum imposuerat, & patronis suis obtulerat, cum ecce Deus, qui vitæ hominum momenta omnia gubernat, Thuillerium pleuresi correptum ex humanis eripuit XII. Januarii MDCCXXXVI.

Præerat tunc nostræ Congregationi R. P. domnus Claudius DUPRE Vicarius generalis, non ita multo post in capitulo generali, omnium votis simul in id conspirantibus Superior generalis electus. Excidunt mihi etiamnum lacrymæ, recordanti quanto me senem venerabundus senex amore complecteretur, quantum de fratribus suis dum vixit bene meritis fuerit, quantum Congregationi decoris addidisset, nisi summus rerum omnium Parens dilectissimum parentem septimo regiminis aurei mense eripuisset. Quam libenter hic ego veteris amici tumulum floribus consternerem! Quam libenter eas ego palam vulgarem virtutes, quas vir supra fidem modestus, majori cura celabat, quam ceteri homines sua vitia! Sed sentio me rapi longius, ad Annales nostros redeo.

Sublato e vivis Thuillero, aliquot post ejus obitum dies, R. P. Vicarium generalem adii, atque suppliciter oravi, ut quod ex Annalibus Benedictinis a Mabillonio compositis supererat mihi percurrere liceret. Roganti annuit pius pater, & statim Mabillonii Annalium volumen imperfectum mihi resignavit. Exultans recessi, quasi invento thesauro, volumen devoravi, iterum atque iterum perlegi. Inter legendum vero multa a Mabillonio ommissa deprehendi, quæ percurrendo Gallicanas pene universas bibliothecas, atque ecclesiarum cathedralium & abbatiarum utriusque sexus archivaria perscrutando, olim collegeram. Longe plura ministravere eximie Wibaldi Stabulensis & Corbeiensis abbatis epistolæ, in quas, cum Germaniam perlustrarem, felici quodam fato incideram. Wibaldus ille sub quatuor imperatoribus præcipuas cum imperii, tum ecclesiæ res gestas pertractavit. Hinc fit, ut ipsius litteræ non levem hujusce temporis historiæ lucem præbeant. Ex ipsis certe loca infinita in hoc posthumo Mabillonii volumine quodam modo vacua, seu, ut ita loquar, lacunas, repleti posse nullus dubitavi. Id ipsum R. P. Vicario generali cum significassem, consilium meum lætatus approbavit, immo hortatus est, ut in perficiendo sexto Annalium Benedictinorum volumine operam collocarem meam. Nec distuli, ad opus me accinxi, & infra paucos menses ducenta & amplius maximi momenti facta operi Mabillonii inserui, præter ea quæ addenda ad priores tomos in Appendice adjeci; adeo ut jam justum volumen hæc omnia efficere possint. quod autem additum a me fuit uncinis [] includitur.

Complectitur hic tomus annos omnino quadraginta, ab anno M.C.XVII. ad M.CLVII. annos contentis aliis in tomis longe pauciores, sed non pauciora facta, sed neque minoris momenti. Initium ducit a funestissimo illo dissidio sacerdotum inter & imperium, quod

quod sub duobus imperatoribus per annos triginta-quinque divexavit ecclesiam. Eo in dissidio mirum quanta pertulerint summi pontifices, quales ab Henricianis infecutiones, & certe tales quæ martyribus eos exæquare videantur, ut de Gelasio II. qui ex monasterio Casinensi ad thronum apostolicum ascenderat, asserit Baronius. Vix Callisti II. curis & sollicitudine reddita pax ecclesiæ fuerat, cum defuncto Honorio II. difficillimum inter duos de papatu contententes schisma invexit ambitio. Dixi difficillimum; nam statim a paucioribus, sed probioribus electus est Gregorius cardinalis, qui fuerat cum æmulo legatus in Gallia. Alter Petrus Leonis, Romanus natione, & ex illustri inter Romanos familia oriundus, postea a majori cardinalium numero electus est, sed longe inferioris meriti, Anacletus II. dictus. Hinc utrimque ambages, uterque contententium suos habuit patronos. Sed tandem evicit Innocentius. Nam ad solitum paparum adversus persecutores asylum Francorum regem recurrens, vix Cluniacum appulit, cum Petrus Venerabilis abbas, spreto Anacleto, suo quondam monacho, Innocentium tamquam legitimum Petri successorem agnovit, & perquam honorifice excepit. At non multo post in celeberrimo apud Stampas præfulum conventu, uno arbitro Bernardo abbate Clarevallensi, verus ecclesiæ universæ pontifex declaratus est; cui adhæserunt præter Galliam cetera orbis regna. Quanta in gratiam Innocentii egerit Bernardus, quot itinera suscepit, quot cum adversariis decertationes, quot habuerit cum principibus colloquia, quot ediderit miracula, donec luctuosi schismatis incendium restingeret, hic tomus clare & dilucide narrat.


Schismata comitari solent aut sequi hæreses, dum pastores inter se dissentiant, dum plebs dubia & anceps ne male pareat parere recusat, dum fluctuant incerta omnia, nec jam virtuti præmium, nec sceleri supplicium, nec tumultuantibus pœna præsto sunt. Depravantur interim fidelium mores, convelluntur ecclesiasticæ disciplinæ, catholica fides ab apostolis quasi per manum tradita; cuniculis primum & clam labefactatur, deinde crescente audacia palam & aperte impugnatur. Nec defuere tunc teterrimi erroris satellites, qui hac tempestate virus pestiferum longe lateque sparserunt. Henricianorum & Petrobrusianorum sacrilegos impetus summa cum diligentia & pari eruditionis laude nostri præsertim propulsarunt. Sed ne privatis tantum quorundam telis confoderentur veritatis hostes, Christi sponsa adversus grassantem impiorum audaciam ad consueta confugit remedia. Præter alia plurima eo tempore convocata & de more celebrata concilia, tria Remis, sub Callisto II. Innocentio II. & Eugenio III. quorum acta neque satis nota, neque tamen ignoranda, hoc tomo dilucide exponuntur.

Taceo viros religione ac sanctitate præstantissimos, qui hoc sæculo floruerunt. Totus est hic tomus in prædicandis eorum virtutibus, factis, & inauditis ab apostolorum temporibus miraculis. Taceo summos pontifices, illustrissimos ecclesiæ præfules, viros in-

numeros dignitate & doctrina conspicuos, quos procellosis illis temporibus ad fidei catholicæ tutelam, ad pacem inter Christianos principes stabiliendam, fecunda S. Benedicti familia peperit. Nec defuere qui regnis & imperiis administrandis præfecti sunt. Talis existit in Gallia sub Ludovico Juniore Francorum rege ad bellum sacrum proficente Sugerius abbas S. Dionysii, cui plaudentibus omnibus regni principibus & proceribus, amplissimi regni administratio commissa est, totiusque regni habenæ creditæ fuerunt. Talis in Germania Wibaldu abbas Stabulensis & Corbeiensis, qui sub quatuor imperatoribus, Henrico V. Lothario II. Conrado II. & Friderico I. eandem fere in Germania, qualem in Gallia Sugerius personam exhibebat: cujus vel solæ epistolæ, præter alia multa, quidquid in bello sacro contigit summa fide repræsentant. His adde varios Ordines religiosos hoc etiam sæculo exortos, qui veluti nova ecclesiæ laboranti subsidia, dum nascuntur, dum crescunt, mirum quantum a nostris adjuvamenti acceperint.

Plures etiam monasteriorum foundationes & reformationes, cellarum infinitas erectiones exhibet hic tomus, ex quibus ecclesiæ & Ordini nostro summus honor accrevit. Nec est quod commemorem viros litteratos, doctores, verbi divini præcones, qui hic a nobis recensentur. Quibus omnibus attentis, penes ipsum lectorem fit quam dignum sit volumen istud, quod antecedentibus voluminibus addatur.

Statuerat Mabillonius, ut patet ex præfatione tomi iv. totum Annalium opus intra sex volumina includere, & deinde subsistere. Sed vir doctissimus non satis attenderat falcem se in immensam segetem injecisse, & Ordinis nostri historiam, quo temporibus nostris propinquior fit, eo abundantiore & locupletiore fieri. Quæ si prævidisset non tam angustis calamus suum cohibuisset terminis, neque septimum & octavum promittendo dubitasset. Ego vero absoluto & prodeunte in publicum hoc tomo, septimum, si per ætatem & valetudinem liceret, libens aggrederer. Sed Deus optimus maximus viros eruditos & ingenio conspicuos, qui opus tam præclarum tam utile suscipiant, & susceptum feliciter conficiant, uti sperare licet, suscitabit. Id spondet pietatis & laboris amor qui viget in Congregatione diuque vigeat, si modo Præposito generali nostro domno Renato LANEAU disciplinæ regularis assertori, ac litterarum patrono, summus rerum arbiter vitam produxerit.



BREVIARIUM

TOMI SEXTI

ANNALIUM BENEDICTINORUM.

LIBER SEPTUAGESIMUS-TERTIUS.

Ab anno Christi 1117. ad annum 1121.

- I.** PASCALIS secessus Beneventum, & quædam ejus acta, & imperatoris.
- II.** Radulphi archiepiscopi Cantuariensis legatio Romam.
- III.** Virdunensis episcopatus turbatus.
- IV.** Mettensis quoque ecclesiæ miserabilis status.
- V.** Theotgerus abbas eligitur episcopus.
- VI.** S. Michaelis monasterium Bambergæ instauratur.
- VII.** Wolframus ejus loci piissimus abbas.
- VIII.** Res quædam Saxonica & Belgica.
- IX.** Ruperti varia opera.
- X.** Bernardus abbas infirmus medico rustico traditur.
- XI.** A Willemo necdum abbate invistur.
- XII.** Robertus e Clara-valle Cluniacum redit.
- XIII.** Pontius abbas Cluniacensis apud S. Julianum. Bernardus Crassus prior.
- XIV.** Mathæus prior S. Martini a Campis.
- XV.** Quædam ejus facta & virtutes. Vade in pace interdictum.
- XVI.** Josaphat abbatia conditur.
- XVII.** Rotberti de Arbrissellis obitus.
- XVIII.** Raingardis Marciniacum secedit.
- XIX.** Reformatio monasterii de Galli-cantu.
- XX.** Rothonensium, & Kemperlegiensium lis de Bella-insula.
- XXI.** S. Amanii de Buxia alia rixa.
- XXII.** Crassæ & Psalmodii abbates. Richardi Narbonensis archiepiscopi donatio & obitus.
- XXIII.** Oto abbas S. Victoris fit episcopus Genuensis. Rodulfus in abbatia succedit.
- XXIV.** S. Justina Patavina abbates.
- XXV.** Segardus Tornacensis abbas dignitatem fugiens a Lamberto episcopo revocatur.
- XXVI.** Paschalis papa obit.
- XXVII.** Gelasus II. succedit.
- XXVIII.** Paschalis quædam epistola de communi intincta.
- XXIX.** Gelasii papæ litteræ.
- XXX.** Friderici Coloniensis archiepisc. epistola ad episcopos Mediolani congregatos.
- XXXI.** Cunoni cardinali reddita Gelasii litteræ.
- XXXII.** Gelasus ex Urbe in Galliam se recipit.
- XXXIII.** Cuno injungit Theotgero, ut Mettensem episcopatum subeat.
- XXXIV.** Ejus electio confirmata in concilio Coloniensi.
- XXXV.** Theotgerus Corbeia consecratur. A Mettensibus rejicitur.
- XXXVI.** Fritislaria concilium.
- XXXVII.** Vraugia monasterium conditur.
- XXXVIII.** S. Maximino restituit & confirmat Henricus imperator Anselmum militem cum beneficio suo Brichina & Seltris.
- XXXIX.** Rupertus in Franciam venit disputaturus.
- XL.** Ejus libri de Officiis carpuntur.
- XLI.** Alia in ejus opera objectiones.
- XLII.** S. Remigio ecclesia Regiustensis restituta.
- XLIII.** Azenario abbati S. Remigii suffectus Odo.
- XLIV.** Azenarii abbatis obitus.
- XLV.** Teulfus S. Crispini abbas. Auctor libri primi chronici Mauriniacensis.
- XLVI.** Gosuini Aquicinctensis missio ad S. Crispinum.
- XLVII.** Bellum in Gallia civile.
- XLVIII.** Concilium Rotomagensis.
- XLIX.** S. Luciani controversia finita.
- L.** Flaviaco confirmata ecclesia.
- LI.** Crispiaci priores. Imarus cardinalis Monasterii-novi abbas.
- LII.** Bernardus abbas Tironensis obit.
- LIII.** Ordo Tironensis, ejusque abbatia. Bernardi successores.
- LIV.** Guillelmo Salmurensi abbati succedit Stephanus. Ansgerus episcopus illic monachus.
- LV.** Nobiliacenses & Talamondenfes abbates.
- LVI.** Humbertus e Casa-Dei migrat ad Claram-vallem.
- LVII.** Tornodorensis chartæ notæ chronica singulares.
- LVIII.** Bernardus abbas Reomaensis.
- LIX.** Cisterciensium incrementa hujus anni.
- LX.** Mathildis regina obit. Florentius item Wigorniensis.
- LXI.** Petro abbati Cavensis succedit Constabilis.
- LXII.** Lidanus abbas obit.
- LXIII.** Insula Tristandi data Majori-monasterio.
- LXIV.** Philippi episcopi Trecentis & Hugonis

B R E V I A R I U M

comitis privilegium pro Majori-monasterio.
 LXV. Abbatia canonicorum regularium S. Georgii de Nemore data Willelmo abbati reformanda.
 LXVI. Gelasio papæ successus Callistus II.
 LXVII. Pontius abbas ad imperatorem missus. Condominii cella.
 LXVIII. Concilii Remensis acta.
 LXIX. Tustani Eboracensis consecratio improbata.
 LXX. S. Remigii bona a Callisto confirmata.
 LXXI. S. Petri Remensis abbatissæ. Sorbonæ altare Floriaco datum.
 LXXII. S. Arnulfi episcopi elevatio propostia.
 LXXIII. Charita-caritatis Cisterciensium conditur.
 LXXIV. Callisti II. iter per Galliam, & gesta.
 LXXV. Callistus divertit ad Majus-monasterium.
 LXXVI. Bernardi prædicatio, & prima ad Robertum epistola.
 LXXVII. Cluniacensium a Cisterciensibus discrimen in veste & cibis.
 LXXVIII. Cluniaci turbæ per episcopos & per abbatem.
 LXXIX. Stephanii abbatis Besuensis obitus, & Johannis chronographi.
 LXXX. B. Mariæ de Rupe-amatoris oratorium Tutelæ subjectum.
 LXXXI. Alani Britannicæ ducis obitus.
 LXXXII. Balduini nem Flandriæ comitis.
 LXXXIII. Theotgerus episcopus ut exceptus a Mettensibus.
 LXXXIV. Trevirensis archiepiscopus adit.
 LXXXV. Olberto episcopo Leodicensi mortuo quantæ turbæ. Rodulfus abbas S. Trudonis multa patitur.
 LXXXVI. Rupertus Siebergam migrat. Quædam ejus scripta.
 LXXXVII. Res Germanicæ.
 LXXXVIII. Breydenaugiensæ & Schivense monasteria.
 LXXXIX. Egino abbas S. Udalrici cum suis expellitur. Fratres revocantur.
 XC. Berardi abbatis Farfæ obitus & bene facta.
 XCI. Guido factiose ad tempus intrusus.
 XCII. Lanuno Squillaci priori succedit Lambertus. Lamberti statuta.
 XCIII. Ecclesiæ Karalitanæ sancti Saturnini dedicatio, & donatio facta sancto Victori Massiliensi.
 XCIV. Ecclesiæ S. Petri de Valeriis data Crasfensi abbati reformanda.
 XCV. Columbensis monasterio facta donatio.
 XCVI. Callisti papæ reditus Romam.
 XCVII. Egino abbas S. Udalrici cum eo Romam adit. Pisis moritur.
 XCVIII. Callistus Mauriniacenses tuetur. Eorum scrupulus de ecclesiis & decimis.
 XCIX. Belvacensium concilio decreta S. Arnulfi episcopi elevatio. Tempus habitii concilii expenditur.
 C. S. Dionysio corona regia, & Cergiacy ecclesiæ data.
 CI. Præmonstratensis abbatiæ initia.
 CII. Adalberoni S. Vincentii abbati succedit Sigefridus. Quod ille Præmonstrato contulerit. Quid S. Bernardus.

CIII. Guibertus Norberto dicat commemorarios in prophetas.
 CIV. Gaufridus fit abbas S. Medardi. Gofwinus sub eo prior.
 CV. Willelmus abbas S. Theoderici apud Claravallam sanatus.
 CVI. Bernardus suorum precibus sanatus.
 CVII. Clara-vallis fama multos trahit.
 CVIII. Cluniacum missæ reliquiæ à Gelduino abbate S. Sepulcri. Cluniaco data ecclesiæ in Hispania.
 CIX. Majori-monasterio satisfacit Gaufridus comes.
 CX. Contentio de Beriaco inter Rothomenses & Majoris-monasterii monachos sopita. Societas inter Majus-monasterium & ecclesiæ Turcensem. Plures viri illustres facti monachi in Majori-monasterio.
 CXI. Absiæ duplicis origo.
 CXII. Castellariis Giraldu de Salis obit.
 CXIII. Beatæ Mariæ de Allodiis abbates. Lerinenses quoque abbates. Manso abbas S. Petri Vulturienensis obtinet privilegium papale.
 CXIV. Theotgeri Mettensis episcopi obitus.
 CXV. S. Blasii litteræ componit Gregorius legatus.
 CXVI. Montis-Angelorum abbatia conditur.
 CXVII. Andecensæ item & Reichenbacensæ monasteria.
 CXVIII. Amelungbornense. Kalendarii fratres extincti.
 CXIX. Rupertus fit abbas Tutiensis.
 CXX. Marcianensæ & Hamaticensæ monasteria restructa.
 CXXI. S. Salvii item monasterium. Bornhemensis abbatia Affighemienensibus data.
 CXXII. Hermes Bergensis abbas secedit ad S. Nicasium.
 CXXIII. Eadmerus S. Andrea postulatus episcopus.
 CXXIV. Henricus rex in Angliam redit.
 CXXV. S. Eadmundi & S. Albini abbates.
 CXXVI. Willelmi Malmesburiensis scripta de gestis regum Anglorum. Viri illius temporis illustres.
 CXXVII. Lanzo prior S. Pancratii pie obit. Henricus eremita.
 CXXVIII. Callisti acta pro Casmatibus.
 CXXIX. Capuanorum clericorum facinus, & urbis incendium. Canonici regulares à Carentonis parthenone ejecti. Erkembertus abbas Corbeicæ privilegium obtinet à Friderico Coloniensi episcopo.
 CXXX. Burdinus Cavam retrusus.
 CXXXI. Willelmus episcopus Catalaunensis obit. S. Arnulfi episcopi elevatio.
 CXXXII. Suesionense concilium in Abaelardum.
 CXXXIII. Abaelardus ob novam de S. Dionysio sententiam fugere cogitur.
 CXXXIV. Guiberti opusculum de Pignoribus sanctorum. Scropharum curatio per reges Francorum.
 CXXXV. Robertus Senuci prior amotus.
 CXXXVI. S. Nicasii viri illustres. Drogo Porimiaci admissus repetitur.
 CXXXVII. Bernardi prima opuscula.
 CXXXVIII. Fusiniaci monasterium exstruitur. Abbatia de Boheris Fusiniaci filia.
 CXXXIX.

ANNALIUM BENEDICTINORUM.

CXXXIX. Archidiaconus Claromontensis fit monachus.
 CXL. Henricus rex alteram uxorem ducit.
 CXLI. Petrus-Leonis in Angliam legatus.
 CXLII. Eadmerus de sua electione regi Scotiæ scribit.
 CXLIII. Radingæ cœnobium ab Henrico rege conditur.
 CXLIV. Faricio Abendonæ abbati succedit Vincentius.
 CXLV. Rodulphi abbatis S. Trudonis varia fortuna.
 CXLVI. Algerus fit Cluniaci monachus.
 CXLVII. Leodicensis canonici apud Cluniacum monachi. Algeri scripta.
 CXLVIII. S. Gereonis elevatio à Rodulpho abbate scripta.
 CXLIX. Rodulfi alia opera.
 CL. S. Michaeli ad Mosam altaria data.
 CLI. Fuldensis abbas Romam pro pace legatus.
 CLII. Bambergensis monasterii basilica dedicatur. Ottonii monasticum habitum petenti obedientia injungitur.
 CLIII. Sophia Belæ regis filia fit monacha.
 CLIV. Erminoldus abbas Prufeningensis obit. Hirsaugiæ abbates.

XXVIII. Andrenses quoque abbates.
 XXIX. Meduanæ capella Majoris-monasterii monachis data.
 XXX. SS. Rufini & Valerii ecclesiæ Majori-monasterio concessa.
 XXXI. Fundatio cellæ S. Petri de Infendic.
 XXXII. Ecclesiæ Cuscerii & Nucharii data Majori-monasterio.
 XXXIII. Belfordiensis ecclesiæ fit lapidea.
 XXXIV. Duo etiam maneria in Anglia Majori-monasterio concessa.
 XXXV. S. Mariæ de Campis cella Mettensis & Rufiacensis.
 XXXVI. Maurimianæ-vallis monasterium antiquum.
 XXXVII. Sancti Annoberti episcopi corpus illuc translatum & acta.
 XXXVIII. Abbatissæ ejus loci.
 XXXIX. Berardus & Arduinus episcopi.
 XL. S. Matthei brachium Casmi.
 XLI. Libertas concessa Merkensterræ S. Bertini.
 XLII. Girardo abbati Casmati succedit Oderisius II.
 XLIII. Romana synodus generalis.
 XLIV. Casinenis cœnobii immunitas in eo asserita.
 XLV. Lambertus cardinalis Oderisio infensus.
 XLVI. Casino missa colonia Ragusam.
 XLVII. S. Macarii cella abbatia S. Crucis subiecta.
 XLVIII. Callisti hac de re rescriptum.
 XLIX. Remigianis asserita villa S. Remigii parochialia jura.
 L. Nogeni ecclesiæ Majori-monasterio data. Carnotense concilium.
 LI. Alia donatio.
 LII. Corbeicæ veteris abbates.
 LIII. S. Theoderico facta restitutio.
 LIV. Rogerio abbati Uticensi successus Guarimus.
 LV. S. Michaelis de Monte abbates.
 LVI. Girardi monachi S. Albini vita & mors.
 LVII. Marbodus episcopus Redonensis obit monachus. Ejus scripta.
 LVIII. Wigormiensis ecclesiæ electio.
 LIX. Franco abbas Affighemienensis, ejusque opera & discipuli.
 LX. S. Dionysio de Brocheroia ecclesiæ asserita.
 LXI. Concordia inter monachos S. Michaelis & moniales Laudunenses.
 LXII. Dietericus episcopus Bosowiensis monasterii auctor.
 LXIII. Odenheimense & Ballenstedense monasteria.
 LXIV. S. Galli & Einsidæ abbates.
 LXV. Pratalia abbatia conditur.
 LXVI. Ambrosiani abbates.
 LXVII. S. Bertini facta donatio.
 LXVIII. Donum insulæ Majoris-monasterii.
 LXIX. Radulfus Remorum archiepiscopus obit.
 LXX. Illustres sub eo viri.
 LXXI. Guiberti abbatis de Novigento obitus.
 LXXII. Laudunenses abbates, & Fusiniaci dedicatio.
 LXXIII. Radulfus abbas Latiniacensis.
 LXXIV. Bernardi epistolæ ad Flaviacenses.
 LXXV. Willelmi Becci abbas moritur. Discipuli ejus.
 LXXVI. Biso ejus successor.

LIBER LXXIV.

Ab anno Christi 1122. ad annum 1126.

I. Pax regni & sacerdotii.
 II. Sugerius fit S. Dionysii abbas.
 III. Pia ejus constitutio.
 IV. Pontio Cluniaci abbati successus Hugo II.
 V. Petrus Venerabilis Hugoni succedit.
 VI. Ejus electio à Callisto probatur. Ejusdem epistola ad Cluniacenses.
 VII. Mattheus sub eo prior claustralis.
 VIII. Bernardi apologia ad Guillelmum.
 IX. Petri Venerabilis responsio ad objecta Cisterciensium.
 X. Civitot monasterium sibi restitui petit.
 XI. S. Martini à Campis cellæ Gornaci & Creiaci.
 XII. Abaelardus secedit ad solitudinem Trecentem.
 XIII. Petri Venerabilis ad eum epistola.
 XIV. S. Trinitatis insolite figura.
 XV. Arremarensi monasterio donatio facta.
 XVI. Atto episcopus non monachus ante episcopatum.
 XVII. S. Benigno factæ donationes, ejusque abbates. Guido Remensis Longiæ-novæ prior.
 XVIII. Amedei in Bona-valle monastica professio.
 XIX. Amedeus ob neglectam filii eruditionem migrat Cluniacum. Amedeus ejus filius abbas & episcopus.
 XX. Bona-vallensium qualis disciplina.
 XXI. Petri Tarentasiensis vitæ primordia.
 XXII. Humbelânæ Bernardi sororis conversio.
 XXIII. Vitalis abbas Saviniaci obit. Gaufridus ei succedit.
 XXIV. Serlonis episcopi Sagiensis obitus.
 XXV. Radulfi quoque primatis Cantuariensis.
 XXVI. Quid in eligendo successore actum.
 XXVII. Abbates Selebienses.

Annal. Bened. Tom. VI.

B R E V I A R I U M

LXXVII. Hugoni Cantuariæ abbati succedit alter Hugo.
 LXXVIII. Glastonienſium lis de corpore ſancti Dunſtani.
 LXXIX. Henrici imperatoris bellum in Francos.
 LXXX. Calliſto papæ ſuccedit Honorius II.
 LXXXI. Honorio ſcribit Goffridus abbas Vindocinenſis.
 LXXXII. Fundatio cellæ S. Dionyſi de Pila.
 LXXXIII. Fundatio cellæ B. Mariæ de Troo.
 LXXXIV. Obitus Guillelmi abbatis Majoris-monasterii.
 LXXXV. Goſbertus monachus Majoris-monasterii vir ſanctus.
 LXXXVI. Willelmo abbati Majoris-monasterii Odo ſuffeſtus.
 LXXXVII. Res Vindocinenſes.
 LXXXVIII. Roncereii abbatiffæ.
 LXXXIX. Res Cluniacenſes.
 XC. Loci-Dei abbatia fundatio & abbates.
 XCI. Stephani de Mureto obitus, regula & doctrina.
 XCII. Grandimontenſis Ordinis commendatio.
 XCIII. Galdrici Bernardi avunculi obitus.
 XCIV. Bartholomæus Firmitatis abbas poſt Petrum factum episcopum.
 XCV. S. Aniani abbas Willelmus eligitur.
 XCVI. Reinero abbati Leſcienſi ſuccedit Wadricus.
 XCVII. S. Michaelis in Teoraſcia abbates.
 XCVIII. Simon abbas S. Nicolai religioſiſſimus.
 XCIX. Perſecutiones patitur.
 C. Aureæ-vallis baſilicæ dedicatio. S. Wifilaici eccleſia.
 CI. Egmondenſes abbates.
 CII. Spanheimenſe monaſterium.
 CIII. Bernhelmus primus abbas.
 CIV. Cluſinum monaſterium. Primi abbates. Abbatiffæ Gandershemenſes. Brunteshuſenſe monaſterium.
 CV. Diploma Friderici archiepiscopi Colonienſis pro Graſſichatenſi cœnobio.
 CVI. Eccleſia S. Germani de Laya Columbenſibus confirmata.
 CVII. Pomeraniæ converſo per S. Ottonem.
 CVIII. Wignandi abbatis ad eum revocandum litteræ & obitus.
 CIX. Sublacenſes abbates.
 CX. Conſtabilis abbatis Cavenſis obitus & ſucceſſores.
 CXI. Famis tempore qualis noſtrorum caritas.
 CXII. Radulfi Tornacenſis pia mors.
 CXIII. Henrico V. ſuccedit Lotharius.
 CXIV. S. Dionyſo reſtituta Cella-nova.
 CXV. Lamberto Sithienſi abbate languente, tum mortuo, lites de ſucceſſore.
 CXVI. Simon Bononiensis comes fit monachus.
 CXVII. Cluniacenſe monaſterium à Pontio direptum.
 CXVIII. Arnoldi abbatis Morimundi ſeſſio. Bernardi ad eum epistola. Alia ad Adamum.
 CXIX. Stephani Cistercii abbatis ſocietas cum S. Vedasto.
 CXX. Bernardi cum Cartuſianis inſita amicitia.
 CXXI. Petri quoque Venerabilis cum eiſdem neceſſitudo.
 CXXII. S. Roberti de Coruilionem prioratus.

CXXIII. Cisterciensis institutio ad Tartenses virgines propagata.
 CXXIV. Placitum notabile pro S. Theoderici monasterio.
 CXXV. Cluniaco altare Turris-super Matronam datum.
 CXXVI. S. Petri Catalaunensis abbates.
 CXXVII. S. Nicasio altaria data.
 CXXVIII. Sugerius S. Dionysii opidanus a manu-mortua absoluit.
 CXXIX. Jostenus fit Sueſſionum episcopus.
 CXXX. Hildebertus archiepiscopus Turonenſis.
 CXXXI. Rothonenſe monaſterium ſedis apoſtolicæ protectioni creditur.
 CXXXII. Silva-majoris abbatia celebris, etiam in Hispania.
 CXXXIII. Diploma Alphonſi regis pro Silva-majori.
 CXXXIV. S. Dionysii in Brocheroia monasterium incensum.
 CXXXV. Rodolphus in abbatia S. Trudonis reſtitutus quid egerit.
 CXXXVI. Præbenda fratrum qualis. Rodulfi abbatis ſcripta.
 CXXXVII. Fliderbecana cella fundatur.
 CXXXVIII. Comitatus de Broburg S. Bertini aſſertus.
 CXXXIX. S. Maximino plura prædia & plures eccleſiæ reſtituta.
 CXL. Laureshami abbates.
 CXLI. Ahuſum in Suevia conditur.
 CXLII. Alahæ-ſuperioris libertas.
 CXLIII. Bruno Signienſis obit.
 CXLIV. Alii Caſinates illuſtres.
 CXLV. Lerinenſes abbates.
 CXLVI. Res Anglicanæ.
 CXLVII. Odeſius Caſini abbas deponitur.
 CXLVIII. Pontius olim Cluniaci abbas, damnatur.
 CXLIX. Honorii diploma in gratiam Cluniacenſium.
 CL. Mathæus prior S. Martini, cardinalis ut ſe gerit.
 CLI. S. Martini priores.
 CLII. Bernardi ad Adamum alioſque epistolæ.
 CLIII. Ejuſdem abbatia epistola pro S. Benigno.
 CLIV. Ottonis principis converſio apud Morimundum.
 CLV. Faverniacenſis abbatia ſtatus.
 CLVI. Abaelardus fit abbas Ruyenſis.
 CLVII. Gaufridi abbatis Silva-majoris episcopi facti ſucceſſor.
 CLVIII. S. Audoeni abbates.
 CLIX. Cadomenſes abbatiffæ.
 CLX. S. Richarii communia reſpreſſa.
 CLXI. Henricus abbas Glastonienſis.
 CLXII. Cuno abbas eligitur Ratiſponæ episcopus. In episcopatu ut ſe gerit.
 CLXIII. Rupertus libros ſuos papæ offert.
 CLXIV. Norbertus fit Magdeburgi archiepiscopus.
 CLXV. Bernardi de eo epistola.
 CLXVI. Otto episcopus iterum ad Pomeraniam pergit.
 CLXVII. Udalrico Fuldenſi abbati depoſito ſuffeſtus Henricus, tum Bertholdus.
 CLXVIII. Altevani-ſontis terra data Altrivillarenſi monaſterio.

ANNALIUM BENEDICTINORUM.

CLXIX. Collegiata S. Magnebodi eccleſia apud Andegavos data Majori-monasterio.
 CLXX. Præclarum moderationis exemplum. Puer in cunabulis Deo oblatus.
 CLXXI. Bartholomæi episcopi Laudunenſis diploma pro cella S. Nicolai de Roceto.
 CLXXII. Rorodus Pericenſis comes erga Majori-monasterium beneficus. Placitum de eccleſia Belismenſi.

LIBER LXXV.

Ab anno Chriſti 1127. ad annum 1132.

I. NICOLAUS Caſini electus deponitur.
 II. Seniorectus abbas eligitur.
 III. Ab Honorio papa conſecratur.
 IV. Petrus diacomus exiit.
 V. Oldrius fit abbas Caſaurienſis.
 VI. Principum mortes in Gallia.
 VII. S. Benigni cella Novæ-Logiæ.
 VIII. Hugo dux Burgundiæ filiam ſuam Laviniam offert.
 IX. Walerannus fit monachus Clara-vallis.
 X. S. Remigio ſatisfacit Guiterus comes.
 XI. Igniacenſis monaſterii origo.
 XII. Episcopi à Bernardo protecti.
 XIII. Bernardi epistola ad Guidonem abbatem Trum-ſontium.
 XIV. Calenſis monaſterii ſtatus.
 XV. Vindocinenſium lis de altarium redemptione cum Ulgerio episcopo.
 XVI. Vicariorum perpetuorum leges.
 XVII. Goffridus dehortatur Odonem abbatem à peregrinatione Jeroſolymitana. Bernardi ad eundem epistola.
 XVIII. Amelino abbati S. Albini facta episcopo ſuccedit Robertus.
 XIX. Segardus abbas S. Martini Tornacenſis obit.
 XX. Herimannus ejus ſucceſſor.
 XXI. S. Huberti monaſterium incensum.
 XXII. Virmonis abbatis obitus & ſucceſſores.
 XXIII. Tolbæ monaſterium virginum.
 XXIV. Paverbornenſe S. Petri cœnobium.
 XXV. Eccleſia de Fontibus ſubterioribus data S. Victori.
 XXVI. Aremburgis comitiſſæ anniverſarium apud Fontem-Ebraldi.
 XXVII. Civiles motus in Lotharium.
 XXVIII. Mathæus legatus Treſcis concilium celebrat.
 XXIX. Raynaldus abbas fit archiepiscopus Lugdunenſis. Vizeliacenſes abbates.
 XXX. Rotomagenſe concilium.
 XXXI. Hugonis Radingiæ abbatis genus, patria & ſcripta.
 XXXII. Ejuſ promotio ad archiepiscopatum Rotomagenſem.
 XXXIII. Monachi apud S. Johannem Lauduni monialibus ſubſtituti.
 XXXIV. S. Theodorico datum altare.
 XXXV. S. Mariæ miracula Sueſſionis ſcripta ab Hugone Farſito.
 XXXVI. Alter Hugo Farſito cui Bernardus ſcribit.
 XXXVII. Willelmo abbati S. Petri in Valle ſuccedit Udo.

XXXVIII. Bernardus librum ſcribit de præcepto & diſpenſatione.
 XXXIX. Ejuſdem ad Antonem episcopum epistola.
 XL. Goffridi abbatis Vindocinenſis rixa cum Gerardo legato.
 XLI. Goffridi ejuſque prioris morbus.
 XLII. S. Martini eccleſia in Valle data Majori-monasterio.
 XLIII. Hugo de Ambaſia Majori-monasterio ſatisfacit.
 XLIV. Fundatio cellæ de Monte-relaxo.
 XLV. Donatio facta S. Mauritio Remenſi.
 XLVI. Savimaco facta donatio.
 XLVII. Lanzo abbas S. Michaelis litigat cum Juviniaci abbatiffa.
 XLVIII. Stabulenſes & Malmundarienſes reconciliantur. Stabulenſes abbates.
 XLIX. Trürienſe incendium.
 L. Ruperti libri de Trinitate.
 LI. S. Mariæ monaſterium in Saxonia.
 LII. Corbeix-novæ abbates.
 LIII. Bernardus Toletanus primas obit.
 LIV. Donatio facta Silve-majori.
 LV. Laurentii S. Vitoni abbatis epistola ad Albertum Moguntinenſem archiepiscopum.
 LVI. Stamedii & Caladiæ abbatia condita.
 LVII. Catalaunenſe concilium in Henricum Vindunenſem.
 LVIII. Philippi regis coronatio.
 LIX. Remenſes abbates.
 LX. Bernardus ſcribit librum de gratia.
 LXI. Epistola ad Henricum Senonenſem archiepiscopum. Objurgatus ab Haimericis ſe purgat Bernardus.
 LXII. Argentoulenſis monaſterii origo & variuſ ſtatus.
 LXIII. Heloſya cum ſuis ad Paracliteneſe oratorium ſe recipit.
 LXIV. Ordo & regula Paracliteneſis.
 LXV. Malæ-noæ monaſterii origo.
 LXVI. Vallis-lucenſis & Urſicampi monaſteria conduntur.
 LXVII. Bernardus Molismenſibus ſarvet.
 LXVIII. Molismenſes abbates.
 LXIX. S. Benigni monachorum cauſa contra Luxorvienſes finita.
 LXX. S. Sequani & canonicorum S. Stephani lis finita.
 LXXI. S. Theoderico aqua Vidula aſſerta.
 LXXII. Joannes Briocenſis episcopus erga Majori-monasterium munificum ſe exhibet.
 LXXIII. Piſcatio in Sequana conceſſa S. Maglorio.
 LXXIV. Turbæ in Maurimaceniſi monaſterio.
 LXXV. Goffridus Vindocini abbas à rege in conſilium adhibitus.
 LXXVI. Privilegium ab Honorio obtinet.
 LXXVII. Tirono factæ donationes.
 LXXVIII. Turpiniacum monaſterium conditur.
 LXXIX. Willelmo episcopo Wintonienſi ſuccedit Henricus.
 LXXX. Res Germanicæ.
 LXXXI. Monasteria ibidem condita.
 LXXXII. Honorio papa mortuo ſchiſma in eccleſia.
 LXXXIII. Anacletus antipapa quis & qualis

B R E V I A R I U M

LXXXIV. Electio ut peracta.
 LXXXV. Anaclei epistola ad Cluniacenses.
 LXXXVI. Stampense concilium.
 LXXXVII. Innocentius à rege excipitur.
 LXXXVIII. Agnus ab Ordinibus monachorum. Cluniacenses ob id improbat à quibusdam.
 LXXXIX. Claramontense concilium & Ancienense. Cluniacensis basilicæ dedicatio.
 XC. Sugerii abbatis conversio, ejusque monasterii reformatio.
 XCI. Capitulum generale monachorum apud Suesionas.
 XCII. Seyfrido abbati S. Vincentii succedit Anselmus.
 XCIII. Natalis abbas Resbacensis. Uicensibus dat S. Ebrulfi brachium.
 XCIV. Cluniacum secedere cupit.
 XCV. Resbaci abbates.
 XCVI. Goffridi abbatis Vindocinensis morbus & mores.
 XCVII. Baldrici Dolensis archiepiscopi obitus & scripta.
 XCVIII. Stephani Obazinensis primordia.
 XCIX. Guillelmo abbati S. Gervasi bulla data. C. Hujus monasterii origo & status.
 CI. Johanni Sichiensi abbati deposito suffectus, Simon.
 CII. Ghisnense parthenium.
 CIII. Alba-marla abbatia erecta & abbates.
 CIV. Adela quondam comitissa Blesensis epistola ad Gaufridum episcopum Carnotensem.
 CV. Hariulfi abbatis Aldemburgensis obitus.
 CVI. Affligemienses abbates.
 CVII. Boscoduni, Calestæ & Lura abbatia.
 CVIII. Schonauigiense monasterium duplex.
 CIX. Ringavia abbatia.
 CX. Monasteriense in Bajoaria.
 CXI. Liefbornense monasterium, ejusque abbatia.
 CXII. Varæ parthenium.
 CXIII. Innocentius Mauriniaci altare consecrat.
 CXIV. Leodii a Lothario excipitur.
 CXV. Lotharius confirmat privilegia Stabuleti.
 CXVI. Claram-vallem adit Innocentius.
 CXVII. Apud S. Dionysium pascha celebrat.
 CXVIII. Privilegia ejus confirmata.
 CXIX. Cluniaco asserta donatio.
 CXX. S. Medardi ecclesie dedicatio, & ordinario Gaufridi episcopi.
 CXXI. Remense concilium.
 CXXII. Ludovici Junioris coronatio.
 CXXIII. Cartusensium ad papam epistola.
 CXXIV. Odo abbas Majoris-monasterii interest concilio Remensi.
 CXXV. Laubiis Leonius abbas Waltero suffectus.
 CXXVI. Innocentium illic suscipit.
 CXXVII. Innocentii acta Lauduni.
 CXXVIII. Thomæ de Marla interitus.
 CXXIX. Innocentii reliqua acta in Gallia.
 CXXX. Arnulfus abbas Farsensis S. Bernardi amicus.
 CXXXI. Angeriacus dux Willelmus satisfaciit.
 CXXXII. Angeriaci abbates.
 CXXXIII. S. Silvani monasterium Santonensis abbatia restitutum.

CXXXIV. Cluniacensium concordia cum ecclesia Claromontensi.
 CXXXV. Vizeliaci abbates.
 CXXXVI. Stephanus Aduensis episcopus S. Lazari tumulum ornat.
 CXXXVII. Clara-vallis novæ soboles.
 CXXXVIII. Cistercii duæ filia.
 CXXXIX. Insignes quidam Bernardi discipuli.
 CXL. Alviso factio episcopo succedit in abbatia Gosuinus.
 CXLI. Aybertus Crispinii reclusus audit confessiones.
 CXLII. Centulense monasterium crematur.
 CXLIII. Richardus Pratellensis abbas obit.
 CXLIV. Guillelmus Britulii abbas.
 CXLV. Bernardus fit abbas S. Michaelis de Monte. Belli-montis-Rogerii cella.
 CXLVI. S. Vironi res confirmata.
 CXLVII. Godehardi episcopi & Gerardi abbatia canonizatio.
 CXLVIII. Adelhelmo abbati Montis Angelorum succedit Frowinus.
 CXLIX. Hungariæ pii reges.
 CL. Conradus monachus doctus seu Peregrinus.
 CLI. Pastense monasterium in sedem episcopalem erigitur.
 CLII. Innocentii acta Cluniaci & alibi.
 CLIII. Bernardi missio ad Genuenses.
 CLIV. Cisterciensium exemptio a decimis, eorumque rationes.
 CLV. Cluniacensium oppositiones.
 CLVI. Epistola Petri Venerabilis ad capitulum Cisterciense.
 CLVII. Cluniacense capitulum generale.
 CLVIII. Petri Venerabilis statuta.
 CLIX. Alfonso rex subjicit Cluniaco abbatiam Saguntensem.
 CLX. Hugo episcopus Gratianopolitanus obit.
 CLXI. Goffridus quoque abbas Vindocinensis. Ejus scripta.
 CLXII. Pontilevienses abbates.
 CLXIII. Roncerii abbatia & quædam acta.
 CLXIV. Casa-Dei subjecta Faverniacensis abbatia.
 CLXV. Bernardus ejus loci abbas.
 CLXVI. Condomenses abbates.
 CLXVII. Levinenses quoque & Andaonenses.
 CLXVIII. Athanacensis abbatia causa male judicata.
 CLXIX. Andrense monasterium combustum.
 CLXX. Eboracenses quidam monachi ad strictiorem vitam conversi. Fontanis sedem figunt.
 CLXXI. Quam rigida illic eorum vita.
 CLXXII. Blandini abbates.
 CLXXIII. Germanicæ res monasticæ.

L I B E R X X V I.

Ab anno Christi 1133. ad annum 1137.

I. INNOCENTIUS Romam redit cum Lothario.
 II. Ejus epistola ad Cluniacenses.
 III. Ex Urbe Pisas se recipit.
 IV. Bernardus in Germaniam missus.
 V. Thomæ prioris. S. Victoris cædes. Jorri synodus.

ANNALIUM BENEDICTINORUM.

VI. Bernardi hac de re epistola.
 VII. Cisterciensium profectus in Germania.
 VIII. Wibaldus abbas tollit investituram ecclesiarum a laicis.
 IX. Gerardus abbas S. Maximini de simonia accusatus.
 X. Ebehardus fit abbas Biburgensis.
 XI. Monasterium S. Godehardi Hildeshemensis fundatur. Primi abbates.
 XII. Adalbero abbas fit episcopus Basileensis.
 XIII. Reynsburgense parthenium conditur.
 XIV. Hugonis-Metelli epistola.
 XV. Gualteri de Mauritania epistola ad Petrum Abaelardum.
 XVI. S. Vincentio datur ecclesia S. Johannis de Lescheris. Eidem damna sarcuta.
 XVII. S. Nicolai de Nemore & S. Quintini de Monte abbates.
 XVIII. S. Adjutor monachus Tiromensis. Tiromensis monasterii cella Baschevilla.
 XIX. Fontanella & Gemetici abbates professionem facere nolunt.
 XX. Reomaenses & Nucarienses abbates.
 XXI. Mattheus Glouneus abbas.
 XXII. Drogo Glannasoli abbas Casinum adit.
 XXIII. Avo Pistoriensis episcopus.
 XXIV. Brumadensis abbatia in episcopatum erecta.
 XXV. Elienses monachi ab episcopo vexati.
 XXVI. Bigardia duplex, major & minor.
 XXVII. Cartusianos de morte fratrum consolatur Petrus Venerabilis.
 XXVIII. Pisanum concilium.
 XXIX. Bernardi in eo auctoritas.
 XXX. Gregorius Bergomas episcopus ei familiaris.
 XXXI. Prælati Gallicani in reditu male habui.
 XXXII. Abbates qui concilio interfuere.
 XXXIII. Bernardi missio Mediolanum, & acta ibidem.
 XXXIV. Caræ-vallis monasterium conditur.
 XXXV. Bernardi epistola ad Clara-vallenses.
 XXXVI. Raingarde matris Petri Venerabilis pietas & obitus.
 XXXVII. Petrus Venerabilis eam suis commendat.
 XXXVIII. Mattheus Albanensis episcopus obit.
 XXXIX. Stephanus quoque Cistercii abbas.
 XL. Wido ei suffectus, eoque remoto Rainaldus.
 XLI. Sigmaci & Vallis-claræ abbatia conduntur.
 XLII. Regniaci monasterium instituitur.
 XLIII. S. Michaeli Tornodorensi remissa consuetudines.
 XLIV. Pultariensium mala fama.
 XLV. Crisenonem translatæ Juliacenses monachæ.
 XLVI. Willelmus S. Theodoricus abbas Signiacum secedit.
 XLVII. Montis-Dei Cartusia fundatur.
 XLVIII. Guigo epistolam scribit ad fratres de Monte-Dei.
 XLIX. Drogo abbas S. Johannis fit cardinalis Offiensis.
 L. Hugo ex abbate Humolariensi episcopus Albanensis.
 LI. S. Petri Remensis abbatia.

LII. Montis-martyrum abbatia fundatur.
 LIII. S. Dionysii de Carcere ecclesia.
 LIV. Termiaci altare cellæ S. Pauli restitutum.
 LV. S. Faræ abbatia cum episcopo Meldensi concordia.
 LVI. Montis-Desiderii ecclesia Cluniaco subiecta.
 LVII. Bodini-curvis cella Majoris-monasterii.
 LVIII. Fontanis abbatia erigitur.
 LIX. Hildeberti archiepiscopi Tiromensis obitus.
 LX. Cenomannorum & Carnutum urbes incensæ.
 LXI. S. Sergii & S. Maxemii abbates.
 LXII. Ramirus ex monacho fit rex Aragonum.
 LXIII. S. Tiberio ecclesia Beciani asserta.
 LXIV. Fulcenses abbates.
 LXV. S. Jacobi cœnobium Herbipoli conditur.
 LXVI. Donatio facta Cluniaco.
 LXVII. Bernardi reditus Claram-vallem.
 LXVIII. In Aquitaniam pergit contra schismaticos.
 LXIX. Gerardi episcopi Engolismensis interitus.
 LXX. Buzei monasterii fundatio.
 LXXI. Stephanus Obazinæ prior factus ut se gerit.
 LXXII. Cartusie priorem consulit.
 LXXIII. Monasterium amplificat.
 LXXIV. Multi utriusque sexus ad eum confluunt.
 LXXV. Casalis-Benedicti abbates.
 LXXVI. Bernardus scribere incipit sermones in Cantica.
 LXXVII. Ludovicus rex filio suo regnum committit.
 LXXVIII. Henrici regis Anglorum obitus.
 LXXIX. Stephanus in regno succedit.
 LXXX. Petrus Venerabilis Adela hac de re scribit.
 LXXXI. Alredus fit Rievallis monachus.
 LXXXII. Simonis monachi mira conversio.
 LXXXIII. Ruperti abbatis obitus an ei prædictus.
 LXXXIV. Ab errore vindicatur.
 LXXXV. Hellinus S. Theoderici abbas Willelmo suffectus.
 LXXXVI. Advocati jura apud S. Michaelem ad Mosam.
 LXXXVII. S. Mauri abbatia & abbates Virdunenses.
 LXXXVIII. Res Germanicæ.
 LXXXIX. Monasterium S. Stephani Herbipolensis. Ejus fundatio.
 XC. Casini ingentes turbæ à Lotharii cancellario excitatæ.
 XCI. Lotharii cesaris res gesta.
 XCII. S. Hilarii monasterio privilegium ab eo datum.
 XCIII. Anselmi episcopi Havelbergensis legatio & collatio.
 XCIV. Ordines religiosos laudat.
 XCV. Albaripæ, Balerna & Alpense monasteria conduntur. Monasterium virginum.
 XCVI. Hugoni Autisodorensi episcopo succedit aliter Hugo.
 XCVII. Stephanus episcopus Aduensis secedit Cluniacum.
 XCVIII. Stephanus alter item episcopus.
 XCIX. Liber de sacramento altaris.

B R E V I A R I U M

C. Helias S. Sulpicii abbas fit episcopus Aurelianensis.
 CI. S. Sulpicii abbates.
 CII. Albericus archiepiscopus Bituricensis.
 CIII. Bullæ datæ pro Cluniaco.
 CIV. Luxoviensis monasterii infelix status.
 CV. Petri Venerabilis de eo epistola.
 CVI. S. Pauli monasterium Viridunense Præmonstratensibus datum.
 CVII. Petrus Venerabilis reclamatur.
 CVIII. Adalberonis studium in monachos.
 CIX. Petrus Juliaci prior obiit.
 CX. Antonius quoque abbas Senoniensis.
 CXI. Ejus successores.
 CXII. Jutta item reclusa obiit.
 CXIII. Privilegium Lotharii pro Stabulensi monasterio.
 CXIV. Privilegium pro Valciodorensi monasterio.
 CXV. Villam Bovianicum restaurat Wibaldus.
 CXVI. Azoni abbati S. Aegidii confert ecclesiam de Heran.
 CXVII. Beringerus abbas S. Laurentii Leodicensis.
 CXVIII. Fundat ecclesiam collegiatam de Ayoncurte.
 CXIX. Abbates S. Laurentii.
 CXX. Capitulum generale Ordinis sancti Benedicti.
 CXXI. Herimanno Tornacensi abbati successit Walterus.
 CXXII. Anselmi Gemblacensis obitus & successor.
 CXXIII. Simone S. Bertini abbate pulso, electus Leonius.
 CXXIV. Anscheri S. Richarii abbatis obitus, ejusque successor.
 CXXV. Boso abbas Beccensis obiit.
 CXXVI. Theobaldus ei succedit.
 CXXVII. Balduinus abbas S. Quintini in Insula.
 CXXVIII. Majori-monasterio data Basilicarum ecclesia.
 CXXIX. Cantogilum Casæ-Dei subijciunt.
 CXXX. Pontii de Larazio converso, & monasterium Salvaniense.
 CXXXI. Episcoporum mortes.
 CXXXII. Lotharii iinera per Italiam.
 CXXXIII. Bernardus in Italiam vocatus suis valedicit.
 CXXXIV. Quædam ejus facta in Italia.
 CXXXV. Casini Seniorecto abbate mortuo turbæ de electione.
 CXXXVI. Richardus papæ capellanus ad eas sedendas mittitur.
 CXXXVII. Rainaldo ob perfidiam dejecto substitutus Wibaldus.
 CXXXVIII. Bernardus ad Rogerium mittitur.
 CXXXIX. Petrus Pisanum Innocentio reconciliat.
 CXL. Lotharius imperator obiit.
 CXLI. Petrus diaconus imperatricem litteris consolatur.
 CXLII. Wibaldus Casini abbatiam abdicat.
 CXLIII. Rainaldus secundus ejus loco substituitur.
 CXLIV. Privilegium aureis characteribus pro Stabulensi monasterio obtinet Wibaldus.

CXLV. Willelmi Aquitaniæ ducis extrema facta & obitus.
 CXLVI. Ludovicus Grossus moritur.
 CXLVII. Sugerius testamentum condit.
 CXLVIII. Corbeix veteris basilica incendio consumta.
 CLXIX. Willelmi monachi sermones Innocentio dicati.
 CL. Obitus Odonis abbatis Majoris-monasterii.
 CLI. Guarino abbati Uricensi succedit Richardus.
 CLII. Floriacensibus data S. Iterii ecclesia Soliacensis.
 CLIII. Lucezii abbatia erigitur.
 CLIV. Sibyllæ abbatissæ Santonenfi succedit Agnes.
Cum in varias abirent sententias eligentium vota, Alberius Theotgerum, S. Gregorii in Hercinia silva religiosissimum abbatem, suggestit: cujus suffragio assensere omnes: sed rem secreto ac dextere gerendam censuere, ne aut violentia regis ac principum, ipsiusve invasoris, cassi fieret electio; aut electus ipse fugam arriperet. Itaque unanimis omnium sententia fuit, mittendos ad eum legatos cum litteris, abbatem scilicet sancti Clementis ac dominum Theotgerum, forte Theodevinum^d seu Theodinum, tunc Mauri-monasterii priorem, postea Gorziensem abbatem, postremo S. Rufinæ episcopum cardinalem, qui electum ad Cunonis cardinalis præsentiam adducerent. Tunc Theotgerus in monasterio virginum, quod in honorem S. Marci evangelistæ conditum ad ejus curam pertinebat, versabatur, ubi legatos omni humanitatis officio excepit; moxque eorum jussis obsequens, ad cellam, cui Hugonis-curia vocabulum, eos comitatus est. Illic, electione sua à quodam fratre patefacta, se numquam ei assensurum, nec ulterius profecturum constanter asseruit; unumque e suis fidissimum Erbonem nomine, qui se apud legatum excusaret, cum litteris direxit, quibus significabat, se non modo tantæ dignitati meritis imparem, sed etiam natalium infamia denotatum, utpote cujus parentes & longa ayorum serie majores omnes, vel sacerdotes,

d *Ital. sacro. 1. p. 148.*

ANN. CHR.
1117.

vel filii fuerint sacerdotum. Ubi Erbo venit ad Mettenses electores, & recusandi episcopatus causas eis exposuit, illi nihilo minus in sententia persistunt, inquietes, si quid vitii esset in Theotgeri origine, id ab eo jam purgatum esse, quippe qui tot annis in monasterio religiosissime conversatus esset. Proinde Erbonem rogant, ut ad Theotgerum revertatur. At ille abbas sui constrictus imperio abnuvit, seque ad legatum ire velle asseruit. Cum itaque a cœpto desistere nollet, datus ei à Mettensibus comes Alberius, totius negotii præcipuus actor; amboque perveniunt ad Compendium castellum nominatissimum, ubi tum legatus morabatur; cui Erbo abbas sui excusatorias litteras obtulit, & rationes exposuit, quas Alberius refellit. Cetera anno sequenti proferemus.

VI.
S. Michaëlis
monasterium
Bamberge in-
stauratur.
a V. lib. 71.
n. 91.

Longe melior per id tempus erat status Babenbergensis ecclesiæ sub Ottone episcopo sanctissimo, a nobis jam sæpius a laudato, qui ecclesiæ suæ & Ordini nostro innumera beneficia contulit. Præcipuum tamen ejus studium fuit in Babenbergense sancti Michaëlis monasterium, quod cum ejusdem ecclesiæ ædificiis & adhærentibus oratoriis à fundamentis ampliori fabrica instauravit. Adhæc venam aquæ vivæ e vicino monte in claustrum per plumbeos tubos multo sumtu deduci curavit, multaque ecclesiæ ornamenta contulit, & monasterio prædiâ octo, quingentis argenti libris comparata. Insuper sub monte sancti Michaëlis oratorium S. Ægidii cum hospitali domo in usus pauperum & peregrinorum extruxit, hanc beati Gregorii sententiam recolare solitus: *Qui compassionem non habet, vacuum episcopi nomen tenet.* Illic S. Ægidii pollicem reposuit, quem Withodo, ecclesiæ S. Jacobi canonicus, ex Nemaufeni S. Ægidii monasterio attulerat. Hospitalis porro illius curam primo commiserat Gumponi S. Jacobi decano: postea vero, sancto Michaëli, interveniente beatæ memoriæ Wolframmo, decimo ejus loci abbate, attribuit.

VII.
Wolframmo
ejus loci piissi-
mus abbas.

Erat Wolframmo ex provincia Bajoariorum, nobili & religiosa stirpe ortus, in Babenbergensi ecclesiâ sub ordine canonico in schola Christi educatus sub venerabili Ruperto, septimo Babenbergensi episcopo; postmodum autem, cum virilem attigisset ætatem, ab Ottone piissimo præfule primicerius factus, cui ille curam totius episcopatus commisit. Forte aliquando in letalem morbum incidit Wolframmo, qui mortis imminentis & futuri judicii metu perterritus, monasticum habitum in monasterio S. Michaëlis induere constituit. Id factum Gumboldo ejus loci nono abbate, cujus indiligentia monastica illic disciplina fere ad nihilum redacta erat. Verum ad perfectiora contendere sollicitus novus tiro, ad Hirsaugiense monasterium, tunc religionis fama celeberrimum secessit, probante Ottone episcopo, qui per eum nova eidem loco munuscula, (nam sæpe illic eleemosynas ante submiserat) liberaliter contulit. Postea quam regularibus disciplinis apprime informatus & exercitus erat Wolframmo, ab Ottone revocatus est, adjunctis ei quinque aliis Hirsaugie monachis, ut sancti Michaëlis monasterium ad severiores vitæ monasticæ leges reduceret. Ejus reditu maxime recreatus sanctus præful, a sancti Michaëlis monachis facile obtinuit, ut ille abbas eligeretur, locum haud ægre cedente Gumboldo, qui primus electioni acclamavit, & in remotiorem cellam, deputatis ipsi duobus ministris, rebusque necessariis secessit. Tum vero novus abbas ad reparandum interius, exteriusque monasterium strenue se accinxit; ibique, abolito communi fratrum consensu remisso Amerbacensium ordine, novam Hirsaugiensium vivendi normam instituit. Hinc Otto instaurando sancti Michaëlis monasterio, quod anno MCXVII. ineunte, scilicet III. nonas Januarii, terræ motu subversum fuerat, sedulam curam & sumptus impendit; illudque quinto post anno in honorem sancti Michaëlis, sanctique Benedicti abbatis dedicavit. Ex eo tempore sic floruit locus, ut brevi numerus monachorum religione præstantium ad septuaginta excreverit.

VIII.
Res quedam
Saxonice &
Belgicæ.

Hoc ipso anno, ut in chronico Saxonico legitur, Erchenbertus Corbeiz novæ abbas, compluresque alii e Saxonia Jerosolymam profecti sunt. Hic est Erchenbertus [cujus jussu Eckardus abbas S. Laurentii Vraugiensis quinque chronicorum libros, & libellum de bello sacro per Teutonicos composuit eique dicavit,] & cujus impulsu Rupertus commentarios in sex posteriores prophetas elucubravat. Ad hæc Bernardus vir nobilis, eodem anno monachus obiisse traditur. Erat is filius Folcmari de Domeneleve ex Gerburga filia Eginonis, ex qua duos natos,

ANN. CHR.
1117.

Alvericum & Bernardum mox laudatum suscepit. Alvericus interfectus fratrem Bernardum reliquit heredem: Bernardus autem totam hereditatem suam S. Mauricio & S. Nicolao reliquit, & ipse monachus factus est, forte in Hildensheimense monasterio quod S. Mauricio sacrum erat.

Anno præcedente Sigerus, Blandiniensis apud Gandavum abbas, ad sacra loca profectus, monasterii sui regimen Ansboldo commiserat. Ansboldus autem abbas labefactam illic dolens disciplinam, eamque reformare cupiens, Lambertum S. Bertini abbatem hac de re consuluit: tum ambo simul Balduinum comitem, ejusque matrem Clementiam adeunt, ut eorum patrocinio hoc negotium exsequi possent. quod facile impetrarunt. Dispositis itaque rebus omnibus ad id necessariis, condita die Balduinus comes, Johannes Morinorum episcopus, necnon Lambertus abbas cum duodecim Bertinianis monachis Gandavum conveniunt. Blandinienses vero monachi, quibus inconsultis & forte nescientibus id agebatur, timore potius quam religione permoti novis coloniis manum dederunt, eorumque institutis paruerunt. Tantam porro Deus gratiam & benedictionem novæ coloniz dedit, ut illud monasterium regulari disciplina circumpositis cœnobiis præcellerit, aliisque, in primis S. Bavonis monasterio ejusdem institutionis exemplum & formam præbuerit. Primus Blandinii ab instaurata religione abbas fuit Arnulfus ex Bertinianis, qui Rodulfum sancti Trudonis abbatem, sede sua pulsum, humanissime excepit, & usque ad obitum Frederici Leodicensis episcopi apud se retinuit.

Toto hoc tempore Rupertus libris scribendis sedulam navabat operam, adeo ut intra tres annos, ab anno videlicet MCXIV. ad hunc annum MCXVII. tria non exiguæ molis opera elucubraverit, vel absolverit. Hoc enim postremo anno prolixum opus de Trinitate, ejusque operibus, quadraginta duobus libris constans, quod vivente adhuc Berengero S. Laurentii abbate inchoaverat, variisque scriptis interrompere coactus fuerat, anno a Berengero obitu tertio perfecit, & Cunoni Sigebertensi abbati dicavit, postquam libros a apologeticos de voluntate & omnipotentia Dei scripserat. Libris de Trinitate absolutis, commentariorum in Johannem libros quatuordecim composuit, maxime ut corporis & sanguinis Domini veritatem adversus Berengarii affectas defenderet. Hos libros itidem Cunoni nuncupavit scripta ad eum epistola, quæ habetur in editione Colonienfi anni MDXXVI. deest in Parisienfi: qua in epistola meminit librorum suorum de voluntate & omnipotentia Dei. Hæc fuse probat noster Gerberonius in Apologia pro Ruperto, de qua nos alias. Hæc omnia juvenculus adhuc scripsit Rupertus, ut de se ipse testatur in libro primo super quadam capitula regulæ S. Benedicti, ubi ait, se juvenculum vixisse in Franciam, ut cum Willelmo episcopo Catalaunensi & Anselmo Laudunensi decano disputaret. quod non ante annum sequentem factum existimo.

Willelmus episcopus, mox laudatus, hoc tempore Bernardum Claravallensem abbatem, quem ab ejus ordinationis die singulari amore profectus erat, apud Claram-vallem invisit, eumque ita valetudine confectum invenit, ut jam non nisi mors, aut morte ipsa gravior vita expectaretur. In eum statum sese conjecerat vir Dei ob immoderatas austeritates, jejunia, vigiliis & laboribus, interdium noctuque stans orare solitus, dum tandem genua ejus infirmata a jejunio, & pedes à labore inflati corpus sustinere non possent. Ad hæc stomachus ejus ita debilitatus erat, ut vix quidquam retinere, vel digerere valeret. Cibus ejus lac cum pane, vel aqua decoctionis leguminum, vel pulvis, quales infantibus fieri solent. Vino si quando utebatur, raro & permodico, asserens aquam & infirmitati, & gustui suo magis competere. Sic autem affectus & confectus, à communi tamen fratrum labore, tam diurno quam nocturno, abesse non sustinebat. Hoc vitæ genus videbant homines medici, mirabanturque, quo pacto corpus sic extenuatum tantam violentiam pati posset. Sed tandem vi morbi cedere coactus fuit, & à cœtu fratrum maxime in choro, se sequestrare, ne ob stomachi egestionibus illis fastidium afferret. Hinc se ipse accusare coepit vir sanctus, quod indiscreto fervore corpus suum imbecille ac pane inutile, tam sibi, quam fratribus reddidisset. Cum eum in illo statu vidisset Willelmus episcopus, non solum de ejus vita, sed etiam de sanitate spem se habere dixit, si ipsius consilio acquiescens, aliquam corpori suo curam impendi pateretur, & a consueto rigore aliquantisper temperaret. Inde ad capitulum Cisterciense profectus, a pauculis abbatibus, qui illuc convenerant, petiit supplex,

IX.
Ruperti varia
opera.a V. supra lib.
72. n. 127. &
128.X.
Bernardus ab-
bas infirmus
medico rustico
traditur.

ANN. CHR.
1117.

obtinuitque, ut toto uno anno Bernardus in obedientiam sibi traderetur. Reversus itaque Claram-vallem, extra claustra monasterii domunculam ei fieri precepit, eidemque omnem Ordinis distractionem, domusque curam & sollicitudinem interdixit. Tum illum commisit cuidam homini rusticano, qui se illum fanaturum jactabat. Ea tamen rustici fatuitas erat, ut cibos ei sic infirmanti præberet, quos sanus quis, etiam urgente fame attingere vix posset. Ipse autem indifferenter cuncta sumens, pæne emortuo gustatu vix aliquid discernēbat. Vixit in illo statu sub tali, ut ita dicam, equi-medico Bernardus: sed statim atque ab annua illius obedientiæ vinculo solutus, & sui juris effectus est; velut arcus distentus, ad pristinum rigorem reversus est, quasi repetens pœnas à semetipso diuiculae illius quietis.

XI.
A Wilhelmo necdum abbate inuisitur.
a S. Bern. vita lib. 1. c. 7.

Cum in illo tugurio maneret Bernardus, eum inuisit Wilhelmus^a, necdum S. Theoderici abbas, qua in dignitate Gaufrido abbati non ante annum MCXX successit. De hac visitatione audiendus ipse Wilhelmus. *Eodem tempore & ego Claram-vallem, ipsumque frequentare cœpi: quem cum ibi cum quodam abbate altero visitarem, inveni eum in suo illo tugurio, quale leprosis in compitis publicis fieri solet. Inveni autem præcepto, ut dictum est, episcopi & abbatum feriatum ab omni sollicitudine domus, tam interiori quam exteriori, vacantem Deo & sibi, & quasi in deliciis paradisi exultantem. Ingressusque regium illud cubiculum, cum considerarem habitatiōnem & habitatorem, tantam mihi, Deum testor, domas ipsa incutiebat reverentiam sui, ac si ingrederer ad altare Dei. Tantaque affectus sum suavitatem circa hominem illum, tantoque desiderio in paupertate illa & simplicitate cohabitandi ei, ut, si optio illa die mihi data fuisset, nil iam optassem, quam ibi cum eo semper manere ad seruiendum ei. Cumque & ipse vicissim nos cum gaudio suscepisset, & quæreremus quid ageret, quomodo ibi viveret; modo illo suo generoso arridens nobis: Optime, inquit. Ego, cui hæctenus homines rationabiles obediebant, iusto Dei iudicio irrationali cuidam bestiae datus sum ad obediendum. Dicebat autem de quodam homine rusticano & vano, nihil prorsus sciente, ipsumque ab infirmitate, qua laborabat, curaturum se jactitante, cui ad obediendum ab episcopo & abbatibus, & fratribus suis traditus erat. . . . Mansi autem indignus ego cum eo paucis diebus, quocumque oculos vertebam mirans, quasi cælos me videre novos & terram novam, & antiquorum Aegyptiorum monachorum patrum nostrorum antiquas semitas, & in eis nostrorum hominum recentia vestigia. Hæctenus Wilhelmus, qui ex eo tempore Bernardo familiarissimus, & peculiari necessitudine conjunctus fuit.*

XII.
Robertus Clara-valle Cluniacum redit.
b lib. 7. c. 7.

Dum Bernardus à fratrum coetu separatus, in privata illa domuncula versaretur; Claram-vallem adiit Cluniacensis major prior, specie ut locum jam tunc fama celebrem ædificationis causa videret; re vera, ut Roberto monacho, qui quondam ipsius monasterio oblatum erat, quemque Cistercii monachum factum, & Claram-vallem translatum paullo ante diximus, Cluniacum revertendi consilium suggereret. quod tenero adolescenti, cui jam forte Cisterciensium jugum grave erat, haud difficulter persuasit. Factum oratorio stilo narrat Bernardus ipse in epistola ad ipsum Robertum. *Primo quidem, inquit, missus est magnus quidam prior ab ipso principe priorum; foris quidem apparens in vestimentis ovium, intrinsecus autem lupus rapax: deceptisque custodibus, æstimantibus quippe ovem esse, vae, vae, admissus est solus ad solam lupum oviculam. Nec refugit ovicula lupum, quem & ipsa putabat ovem. Quid plura? attrahit, allicit, blanditur, &c. Talibus tandem allegationibus male credulus puer circumventus seducitur, seductorem sequitur, Cluniacum ducitur; rōndetur, rōditur, lavatur, exiit rusticanis, vetustis, sordidis; induitur pretiosis, novis, ac nitidis; & ita in conventum suscipitur. Sed cum quali putas honore, cum quo triumpho, cum quanta reverentia? Desertur ei super omnes coetaneos suos, &c. Mittitur interea pro eo Romam: apostolica compellatur auctoritas; & ut papa non neget assensum, suggeritur ei, infantem olim a parentibus oblatum fuisse monasterio. Non fuit qui refelleret. . . . Firmatur privilegio crudeli nimium clemens sententia absolutio: quo reportato, confirmaretur male sua stabilitas, securitas dubitanti. . . . Fit professio super professionem: voratur quod non solveret.*

XIII.
Pontius abbas Cluniacensis apud S. Julianum.

Magnus ille prior, qui Claram-vallem ab ipso principe priorum, id est Pontio abbate, ad reducendum Robertum missus est, non alius fuisse videtur quam Bernardus Crassus qui hoc anno Cæsarodunum Turonum profectus est cum Pontio abbate, ut

ANN. CHR.
1117.

discimus ex litteris societatis Cluniacenses inter & S. Juliani monachos ipso anno MCXVII. mense Octobri inire in quibus *domnus Pontius abbas Cluniaci orationis gratia Turonis ad S. Martinam honorifice venisse dicitur, & ad S. Julianum pro amore beati Odonis, cujus corpus ibidem quiescebat, devotissime divertisse, & ad corpus ejus vigilia S. Dionysii missam de ipso beatissimo celebrasse, deinde assumpto secum Bernardo-Crasso priore suo, aliisque fratribus in capitulum venisse, ubi societatem illam cum S. Juliani monachis iniiit. Tunc S. Juliani monasterio præerat Johannes abbas, eo nomine secundus: cui non multo post successit Sulio abbas, qui in rebus asceticis magnæ pietatis anachoretam habuit, nomine & re Christianum, cujus cella Gastinetæ, sita in Cessilana parochia, S. Juliano subest. Bernardus prior mox laudatus avunculus erat Bernardi de Ufella^a itidem cognomento Grossi, Landrici filii, qui Bernardus omnes servos & ancillas, quos habebat in burgo, ut tum loquebantur, Cluniacensi, vicinifque obedientiis, in manus Pontii abbatis hoc anno tribuit in vigilia nativitatis beatae Mariæ, Actum Cluniaci. Testes Rainaldus Vezeliacensis abbas, Bernardus prior, quem Bernardus de Ufella avunculum suum vocat.*

Tunc temporis monasterii S. Martini a Campis apud Parisios prior erat venerabilis Matthæus post Theobaldum, ejus loci priorem secundum, cujus depositio cum sollempni anniversario vi. idus Januarii notatur. Matthæus non obscuro genere in Remensi provincia ortus, in Laudunensi ecclesia clericale officium adeptus est. Ab ineunte ætate multorum clericorum depravatos mores fugere sollicitus, Radulfo Viridi, probatoris vitæ viro, primum Remensis ecclesiæ thesaurario, dein archiepiscopo, religiosa familiaritate adhæsit & canonicus ab eo factus est. Verum, divino igne in ejus pectore in dies magis magisque ardente & urente, in monastico ordine Deo servire constituit. At, timens ne ipsius discessum ægre ferret archiepiscopus, consilium ei suum non retexit: sed redditus canonicales, qui a patre suo forte sibi pretio acquisiti fuissent, se abjicere velle dixit, eosque in manus archiepiscopi resignavit. Illo non acquiescente in incœpto nihilo minus proposito constanter perseveravit, & quod cœperat perfecit. Verum primo incertus ac dubius quo diverteret, occurrit ejus animo Cluniacense monasterium, cujus institutiones a Radulfo sapius prædicari, ceterisque præferri audierat: sed quia longius aberat locus, veritus ne tanto itineris intervallo conceptus ardor extingueretur, ad sanctum Martinum de Campis se contulit, quod monasterium in ordinis, religionis, ac fervoris proposito ad Cluniacense accedebat. Tunc loco præerat Theobaldus prior, a quo se statim suscipi flagitavit. Hortatur prior ut tantisper differat; horam quippe incompetentem esse, qua neminem pro monachatu venientem suscipi fas erat. At ille dilationem se pati non posse reposuit, ne propositum suum rescirent focii, & impedirent. *Victus prior ratione, victus juvenis devotione, fratres in capitulum convocat, cunctisque assentientibus Matthæum admittit. Mox exiit veteri homine, induitur novo: regulæ monasticæ subditur; corpori monasterii, quantum tunc fieri potuit vel debuit, associatur. Parvo temporis spatio emenso, Cluniacum venit: quod ei de professione scripta, vel de monachi usitata benedictione defuerat, a Cluniacensi abbate ibi benedictio suppletur.* In his Petri venerabilis verbis observandum est, Matthæum non anno integro novitium fuisse; sed, parvo temporis spatio emenso, corpori monasterii sociatum: deinde Cluniacum profectum professione scripta, monachi usitatum benedictionem a Cluniacensi abbate suscepisse. Certe per illud tempus Cluniacenses novitiorum probationem, quæ ex regulæ præscripto per annum integrum fieri debet, aliquando pro nutu abbatis breviant. Professione Cluniaci facta, Matthæus remissus præcepto abbatis sui ad monasterium S. Martini, cum per annos septem claustrum ordinem serventissime tenuisset, justione ejusdem abbatis successit in prioratum, priore suo jam defuncto, & sicut de bono viro spes certa suadet credere, ad beatæ vitæ statum translato. Ex quibus manifeste intelligitur, Matthæum ab eodem abbate & monachi benedictionem suscepisse, & priorem factum esse post annos septem, id est a Pontio abbate; adeoque ejus benedictionem contigisse anno MCX. & promotionem ad prioratum non ante hunc annum MCXVII. quo ineunte proinde Theobaldus ejus antecessor obiisse dicendus est, id est vi. idus Januarii, ut paullo ante notavimus. *Juvenis erat ex dictis Matthæus, cum in S. Martini monasterium admissus est, & quidem necdum præ-*

Bernardus-Crassus prior.

a V. lib. 74. n. 62.

XIV.
Matthæus prior S. Martini a Campis.
b Petr. Ven. lib. 2. de mirra c. 4. & seqq.

c Id. lib. 1. ep. 28.

ANN. CHR.
1117.
a Id. lib. 2.
de mirac. c. 8.

XV.
Quaedam ejus
facta & virtu-
tes.

byter, sed tantum post annos quatuor ordinatus, ut ex Petri Venerabilis verbis^a colligitur, ubi ait, eum usque ad ultimum vitæ exitum, qui anno MCXXXIV. contigit, oblationem Agni immaculati quotidie frequentasse.

Ejus mentio nobis occurrit in duobus hujus anni instrumentis. Unum est diploma Ludovici regis, cujus præsentiam adiisse dicuntur domnus Matthæus prior S. Martini, totusque ejusdem ecclesiæ conventus, obnixè rogantes, ut quemdam fervum ecclesiæ S. Martini concederet. Tanti erat eo tempore unius servi acquisitio! quod rex benigne annuit. *Actum Parisus anno incarnati Verbi MCXVII. regni nostri IX. Adelaidis reginæ III.* Alterum est placitum coram Clarembaldo episcopo Silvanectensi habitum eodem anno apud Crespeium, in curia S. Arnulfi, sub justitia Hugonis ejusdem loci prioris, quo in placito monachis quoddam burgum, in suburbio ejusdem castri situm, asseritur contra Ingelrannum militem. quod burgum Walterus comes Ambianensis & Crespeiensis cum uxore Adela eidem ecclesiæ jamdudum contulerat assensu Rotberti regis. Huic autem placito adfuerunt abbas de Nogento, scilicet Guibertus, Odo abbas Sueffionensis, nempe S. Crispini-majoris, Balduinus abbas canonicorum S. Vincentii Silvanectensis, *Matthæus prior S. Martini de Campis*, Hilo prior de Coinceio, Rotbertus prior de S. Margareta, Artaldus prior de Nantolio, aliique.

Ab ipso prioratus sui initio Matthæus, cum monasterii creditores inquireret, quosdam ex ipsis Judæos esse intellexit. quibus creditam pecuniã continuo reddi jussit, ratus nefas esse communicare cum eis in ratione dati & accepti, mutui vel depositi, seu cujuslibet commercii. Jam vero quam pie, quam religiose in administrando officio se gesserit, longum esset singillatim recensere. Morabatur assidue in claustris cum fratribus, quantum muneris sui ratio patiebatur. Cumque sub eo *ferè trecenti fratres*, tam intra quam extra monasterium essent, eisque corporalia subsidia vel per se, vel per alios providere ex officii debito cogere; Marthæ quidem importunas exactiones effugere non poterat; sed tamen Mariæ otio toto animi desiderio inhiabat, quantocius poterat, lectioni & meditationi se reddebat. Nullus eo magis sollicitus in fratres, magisque misericors exstitit. Quamdiu domi morabatur, ipse infirmorum, pauperum & hospitem curam gerebat: si quando foras progredi cogebatur, fratres in capitulo vel extra convocabat, eisque hanc curam præmissa exhortatione commendabat. Verum ejus commiseratio expers censure non erat, immo in peccantes quodam modo severior, alios *sanguinolentis verberibus*, ferro, compedibus & diversi generis vinculis coercerebat; alios tenebroso carceri mancipabat, & inedia conterebat. Quin etiam aliquando, *quod semel tantum, quia sic oportuit, fecisse dicitur*, quemdam fratrem graviter lapsum & obstinatum in caveam subterraneam perpetua sepultura reclusit. Qua sepulcri sui corporalis imagine pavescens ille frater, ac frequenti patris & fratrum admonitione compunctus, ad vitam spiritualem rediit, & in humilitate & contritione cordis perseverans, diem ultimum clausit. Et quidem id semel, quod certe satis est, fecisse dicitur Matthæus, quod ab aliis etiam eisdem temporibus actitatum, donec tandem rex Johannes, cognomento Bonus, regia auctoritate^b prohibuit ejusmodi carcerem tenebrosam, quem *Vade in pace* vocitant. Certe si cui aliquando profuit id genus supplicii, longe plures ad desperationem præcipitare poterat. Ceterum erga externos omnes tam humaniter se gerebat Matthæus, ut ejus monasterium commune universorum hospitium esse videretur. In his pietatis & humanitatis officii omnia expendebat, eique supernus Provvisor subsidia & suppetias subministrabat per reges ac principes, in primis per Ludovicum Francorum & Henricum Anglorum reges, qui singulari eum amore prosequerantur.

^b Capitul. ro.
2. p. 1089.
Vade in pace
interdictum.

XVI.
Josaphat ab-
batia conditur.

Exstat prope urbem Carnotenam nostri Ordinis monasterium, Josaphat appellatum, cujus primordia ad hunc annum referuntur. Primus ejus auctor exstitit venerabilis Gaufridus de Leugis, ejusdem urbis præsul & postmodum apostolicæ sedis legatus, eidemque Goslenus ejus frater ac successor, supremam manum imposuit. Occasionem condendi illius monasterii hanc fuisse tradunt, quod Gaufridus, antequam episcopus ordinaretur, Romam profectus, votum suum ad eundem Jerosolymam aperuerit Paschali papæ, a quo consecratus, votoque exsolutus consilium accepit construendi monasterii, in quo assidue preces pro sacra expeditionis felici successu funderentur. Unde Carnutas reversus, locum patrimonii sui, Leugas antea dictum,

dictum, huic operi destinaverit, Josaphat ab ipso nuncupatum, ut Carnutena urbi, cujus situs quamdam Jerosolymæ speciem præfert, sua etiam vallis Josaphat non deesset. Sita est hæc vallis ad Audoram* fluvium, quingentis circiter ab urbe passibus, ubi positum monasterium, in quo excepti monachi tres profugi, qui Fermetotum, in Nortmannia prope Pontem-Audomari positum, incolebant, videlicet Girardus, Gilbertus seu Wilbertus, & Fulfchenius. Primus loci abbas fuit Girardus religione insignis, cujus tempore quædam cellæ Josaphatenfibus attributæ sunt. Exiguus principio reditus monasterii fuit, ut patet tum ex diplomate Ludovici regis, anni MCXVIII. tum ex litteris Callisti papæ^a anno sequenti datis, *Girardo abbati monasterii sanctæ Mariæ Josaphat juxta Leugas* inscriptis: quibus monasterii possessiones confirmantur, ecclesiæ scilicet S. Martini de Operatorio, & S. Arnulfi cum decimis & terra, quam dedit Goslenus de Leugis. Hic Goslenus loci dominus erat, Gaufridi & Gosleni episcoporum frater, cujus obitus in necrologio notatur his verbis: *II. kal. Octobris depositio domini Gosleni de Leugis, viri nobilis genere & magni nominis, fratris domini Gaufridi Carnotensis episcopi, fundatoris nostri, qui quidem Goslenus ecclesiam in proprio fundo fundari permittens, terris quoque & redditibus quamplurimis in locis liberaliter dotavit.* In eundem locum bene etiam affectus fuit Nivardus de Piffaio seu Piffaio, qui multis precibus cellam apud Averonem* erigi impetravit, ut ejus vici incolæ *bonorum operum & vite melioris incrementum acciperent.* Gerardus abbas *de Josaphat* litteris^b Gosfridi seu Gaufridi episcopi Carnutensis cum Willelmo abbate Tironiensi anno MCXXII. inter testes subscriptus invenitur. Successorem habuit Gilbertum, primum Averonis cellæ præpositum.

Hic annus extremus fuit Rotberti de Arbriffellis, viri apostolici & Fontebaldensis Ordinis institutoris. Hic post reconciliatos anno superiore Theobaldum comitem & Carnutenfes canonicos, sub initia hujus anni Guillelmum Nivernensem comitem apud Blesas, ubi captivus tenebatur a Theobaldo comite, quod Ludovici regis partes contra ipsum tueretur, cum Bernardo Tironii abbate invisit; indeque ad pagum Bituricensem, Urfanum instituti sui monasterium lustraturus, iter instituit. Urfanus* locus est paludosus in illo pago, duodecim circiter leucis ab urbe Biturica distans, ubi Rotbertus, favente Leodegario archiepiscopo, monasterium instituerat, assentientibus Johanne abbate & monachis Dolensibus, ad quos pars memoris ejus loci & quædam alia pertinebant. Cum Urfani Petronillam Fontis-Ebraldi abbatissam præstolaretur vir Dei, Dolenses monachos invisit, eorumque rogatu capitulum ingressus, hortatorium ad eos sermonem fecit. Tum quamdam querimoniam, quam adversus Urfani sanctimoniales habebant, composuit, eosque cum Alardo illius regionis principe reconciliavit. Dein Urfanum reversus, ubi Agnes Alardi conjux præposita erat, illic in gravem morbum incidit & sacrum viaticum sibi præberi petiit. Sequenti die, scilicet feria tertia sacro inunctus oleo, singulis nihilo minus diebus, quibus supervixit, corpore Christi Domini refectus est. Post hæc quarta feria, quæ tertia dies ante ejus obitum fuisse dicitur, Urfanenses sorores archiepiscopo commendavit, suumque ipsius corpus post obitum ad Fontem-Ebraldi deferri ægre ab eo impetravit. Tum preces ad Deum fecit primo pro ecclesia, Romano pontifice, & ecclesiæ doctoribus, ut eos in proposito sanctæ religionis ad finem usque servare dignaretur; dein pro benefactoribus suis, & inimicis, & pro cunctis fidelibus vivis atque defunctis; signanter pro Willelmo Pictavorum comite, qui ob culpas excommunicatus erat, ut Deus eum ad viam veritatis revocaret. Intempesta nocte, quæ feriam quintam præcedebat, ab Andrea sanctam crucem sibi afferri præcepit, eamque devotissime adorans, fidei suæ professionem fecit, & confessionem peccatorum, quorum remissionem humili supplicatione a Deo petiit. Tandem *non longe post* vinculis carnis absolutus, ex hujus mundi exilio abstractus est. Ita rem fufius narrat Andreas. Ejus obitus contigit v. kal. Martii, quo die notatur in chronico S. Albini anno MCXVI secundum veterem calculum, sequenti seorsum novum. quo anno dies dominica in quintum kal. Martii incidebat. Corpus ejus usque ad Fontem-Ebraldi magno apparatu delatum profectus est Leodegarius archiepiscopus, cui Fulco Andecavorum comes, Radulfus Turonum archiepiscopus, Reginaldus episcopus Andecavensis, multique abbates & sacerdotes obviam ivisse dicuntur. Cor Urfani retentum. Libellum de ejus vita

ANN. CHR.
1117.
* l'Eure.

a Baluz. mis-
cell. to. 2. p.
194.

* Averon.
b Martene mis-
cell. to. 1. part.
864.

XVII.
Rotberti de
Arbriffellis obi-
tus.

* Urfan.

ANN. CHR.
1117.

scripsit Baldricus Dolensis archiepiscopus ad preces Petronillæ Fontis-Ebraldi abbatissæ, & post eum quidam ipsius Rotberti discipulus, scilicet Andreas, ut creditur, ejus collega. Ejus sanctimonialium probant pia facta, prædicant illius temporis historici, cujus existimationi nequaquam derogare debent Marbodi & Goffridi de eo epistolæ, quæ rumusculos de eo sparsos, sed falsos continent, quorum falsitatem postmodum agnovit Goffridus ipse, factus demum Rotberti & Fontebraaldensium usque ad mortem amicus. Denique Marbodus episcopus Fontebraaldensibus favit in concilio Pictaveni anni MCXVIII. cum Hildeberto, multisque aliis episcopis.

XVIII.
Raingardis
Marciniacum
secedit.a Petr. Ven. lib.
2. ep. 17.

Rotberto mortuo, Raingardis nobilis matrona, Petri Venerabilis mater, quæ, eo vivente, ad ejus hortamenta Fontis-Ebraldi monasterio se devoverat, jam viro soluta Marciniacum prætulit, eoque secessit, ubi sanctimonialium perpetua reclusio erat, nefas ducens post primum^a claustrum ingressum, more illarum Fontis-Ebraldi sanctimonialium, foras pedem protendere. Quippe horrebat saltem cernere, quod eam jam cæno deformius sordebat, & non superbo, sed superno animi fastu terrena omnia, ut abjectissima, contemnere incipiebat. Ideo præ ceteris locis Marciniacum elegit: ubi, velut columna cælesti apta ædificio, immobilis perpetuo permaneret; & proprium præ oculis semper habens sepulcrum, ut mortuam se continua lamentatione desereret. Ita de piissima matre piissimus filius, in epitaphio, quod de illa composuit. Cum hæc Marciniacum secessit, tenues admodum erant domus illius facultates, utpote quæ fere centenarium sororum numerum continebat. Tunc sub Gaufrido Sinemurense ejus patrono loci procurator erat venerabilis Gerardus, qui Raingardis conversionem, vel potius reclusionem viso cælitus præscivit. Hæc itaque claustrum ingreditur, & crine amputato, veste mutata, à domno Hugone priore secundum visionis tenorem in caveam includitur, & sanctis mulieribus beata jam mulier associatur. Mira sunt quæ de ejus fervore, humilitate, orationis sedulitate prædicat Petrus Venerabilis in prædicto epitaphio, ex quo potiora inferius dicturi sumus, ubi de ejus obitu agetur.

XIX.
Reformatio
monasterii S.
Petri de Gallis-
cantu.

[In Gerundeni S. Petri de Galli-cantu abbatia adeo collapsa tunc erat regularis observantiæ disciplina, vix ut ullum in eo restaret vitæ monasticæ vestigium. Tanto malo ut mederetur Raymundus Beringerii Barchinonensis comes, ejectionis secularibus monachis, Beringerio abbati Crassensi, fratri suo, illud reformandum tradidit, tali tenore, ut ipse abbas B. Mariæ Crassæ & successores ejus abbatem ibi & monachos mittat, qui ordinem ibi secundum regulam S. Benedicti tenere faciat. Donationis hujus instrumentum datum XIII. kalendas Februarii anno ab incarnatione Domini MCXVII. regnante Ludovico rege habes in Appendice.]

XX.
Rothonensium
& Kemperle-
giensium lis de
Bella-insula.
b lib. 59. n. 69.
c lib. 56. n. 62.

Grandis hoc tempore controversia Rothonenses inter & Kemperlegienses monachos exorta est super Bella-insula, quam Leo IX. & Gregorius VII. Rothonensibus olim asseruerant contra donationem ab Alano Cornugallæ comite Kemperlegiensi monasterio^c ab ipsa ejus origine factam. Non obstante horum pontificum auctoritate, Kemperlegienses hanc insulam pacifice possederant usque ad hoc tempus, quo Herveus Rothonensis abbas, Conani comitis fultus præsidio, illam insulam occupavit. Querelas hac de re detulit Gurhandus abbas Kemperlegiensis ad Girardum Engolismensem episcopum & apostolicæ sedis legatum. Is primum Conano comiti hac de causa scripsit, eumque hortatus est, ut abbatem Kemperlegensem ac monasterium illud, quod ejus antecessores in honorem sanctæ Crucis fundaverant, tueretur; seque mirari dicit, quod personis terræ suæ interdicit, ne ad justitiam sanctæ Romanæ ecclesiæ veniant, quod nec reges, nec ceteri principes facere audent. multo minus id facere debeat comes, qui a vicario S. Petri, idest a summo pontifice, principatum suum teneat. Ceterum si id facere pergat, gladium beati Petri ipsi ejusque principatui imminere. Sub hæc idem Girardus episcopus, vocatis partibus, induciisque semel & iterum Rothonensi abbati datis, cum Herveus abbas Rothonensis, ecclesiastica censura posthabita, per violentiam Conani comitis Bellam-insulam armata manu invalisset, in eum sententiam tulit una cum Petro Santonensi electo, Hugone S. Eparchii abbate, Iterio magistro scholarum Santonensi, aliisque; eandemque insulam Kemperlegiensibus restitui fancivit. Actum Engolismæ anno incarnationis dominicæ MCXVII. indictione x. quod judicium Briccio Namnetensi, Marbodo Redonensi, Morvano Venetensi, Rivallono Aletensi, ceterisque Britannicæ episcopis litteris significavit. Ad

ANN. CHR.
1117.

hæc Morvano Venetensi, in cujus parochia Rothonense monasterium situm est, alias litteras scripsit, quibus eum monebat, se in secunda hebdomada imminens quadragesimæ concilium celebrare statuisse, cui præcipit Morvanum episcopum cum Rothonensi abbate adeste. alias si abbas non comparuerit, canonicæ districtio- nis sententiam in eum proferendam. Cum vero nec sic a coeptis desisteret abbas, Girardus Ermengardi comitissæ, Conani comitis matri, scripsit, ut inter illos monachos pacem & concordiam reformaret. Respondit Ermengardis, se id libenter facturam, si modo Rothonensibus interdicti & excommunicationis sententia relaxaretur, qua in re Conanus filius suus injuriam sibi factam querebatur, quippe qui nihil injussu papæ ipsiusque legati fecisset. Ceterum eum paratum esse emendare si quid erravisset. In fine legato suadet, ut inducias usque ad ipsius concilium comiti & monachis concedat. De eodem quoque negotio Gislebertus Turonum archiepiscopus Conano litteras misit, ad quas respondit comes, se, si erraverit, iussu papæ erravisse, & ad emendandum, si quid peccavisset, paratum esse. Tandem cum Rothonensis abbas concilio defuisset, interdicti & excommunicationis sententia in eum, ejusque monasterium asserta est, quam Jocerannus Lugdunensis episcopus probavit, & Paschalis papa confirmavit. Hujus negotii acta omnia in Appendice referemus cum ejus historia, quam Gurhedenus monachus Kemperlegiensis composuit.

Hæc etiam anno idem Girardus episcopus Willelmo abbati S. Amantii de Buxia, ejusque monachis ac successoribus ecclesiam S. Stephani de Ambairiaco Engolismensium canonicorum assensu sub annuo censu contulit, immo potius confirmavit; idemque eandem ecclesiam cellæ beatæ Mariæ de Allavilla dedisse dicitur. Mortuo Girardo, cum Allavillæ monachi hanc ecclesiam usurparent, lis hac de re mota est coram Lamberto Engolismensi episcopo, apud quem Petrus S. Amantii abbas, Willelmi successor, conquestus est, quod de ecclesia illa, quam dono Ademari episcopi accepissent, & per multos possedissent annos, ab Allavillæ monachis expulsi fuissent. Contra Willelmum Allavillæ prior assererat, illam ecclesiam à Girardo episcopo, ejus capituli communi assensu, sibi datam fuisse. Verum hujus causæ judicium utraque pars in manu Petri episcopi compromisit, qui ecclesiam illam Allavillæ cellæ adjudicavit eo pacto, ut Ambairiaci ecclesia quotannis decem solidos Engolismensis monetæ monasterio S. Amantii persolveret. Hæc concordia facta est anno MCXLVI. regnante Ludovico rege Francorum & duce Aquitanorum, cui interfuerunt Willelmus abbas Borneyensis, & abbas S. Mariæ Cellæ, aliique. Willelmus iste primus abbas fuit beatæ Mariæ de Borneyto, institutus à Gerardo de Salis illius monasterii conditore, de quo alias diximus, Allavilla seu Aulavilla cella erat abbatæ S. Eparchii Engolismensis, sita in opido Corvillæ, vulgo Godorvillæ*, quem locum Ademarus comes, Emenonis filius, & Sancia ipsius conjux S. Eparchio contulerunt.

XXI.
S. Amantii de
Buxia aliarum.

In Septimania Leoni Crassensis monasterii abbati successerat Berengarius abbas, superius^a jam laudatus, cujus frater Raimundus Barcinonensis comes monasterium S. Petri de Galli-cantu prope Gerundam, Berengario episcopo probante, Crassensi abbatæ donavit, facta charta XIII. kal. Februarii anno MCXVII. Berengario abbate multum auctæ sunt monasterii possessiones, quas Gelasius papa in diplomate pridie kal. Decembris anni MCXIX. apud Magalonam dato, recenset. Ipso anno eidem abbati Callistus papa confert ecclesiam S. Petri^b de Valeriis, quæ Romanæ ecclesiæ juris erat. Demum Berengarius abbas ad sedem Narbonensem anno MCLVI. translatus est post Petrum archiepiscopum, ut suo loco dicturi sumus.

XXII.
Crassæ & Pfal-
modii abbates.
a lib. 72. n. 84.

Narbonensem ecclesiam hoc tempore administrabat Richardus, Berengarii vicecomitis Carladensis* & Bernardi sancti Victoris Massiliensis abbatis frater, & post eum illius cœnobii rector, sæpius jam à nobis laudatus: qui ecclesiam de Aviano S. Petro & Bertrando Pfalmodiensi abbati cum suis adjunctis sub certis conditionibus donavit, facta charta donationis anno ab incarnatione Domini MCXVII. feria quinta, VIII. kal. Martii. Post hunc annum superstes fuit ad triennium Richardus archiepiscopus, cui successit Arnaldus, antecessor Petri mox laudati, quem Berengarius noister excepit.

b Baluz. mis-
cell. to. 2. p.
193.Richardi Nar-
bonensis ar-
chiepiscopi do-
natio & obitus.
* de Carlad.

Prædictum sancti Victoris monasterium ad hunc usque annum rexit Otto abbas, qui hoc ipso anno Genuesi episcopatu donatus est post Aicardum. Anno proxime

XXIII.
Otto abbas
S. Victoris sit

ANN. CHR. 1117.
episcopus Genuensis.
a Ital. sac. to. 4. p. 1173.
Rodulfus in abbacia succedit.

sequenti Gelafius papa^a principem S. Laurentii ecclesiam ejus rogatu consecravit vi. idus Octobris. Non diuturnus fuit, nec pacificus Ottonis pontificatus. nam ob natam cum Genuensi Senatu disensionem exulare coactus est; & postmodum in sede sua restitutus, anno MCXXXII. paulo post e vivis excessit.

Rodulfus in ejus locum apud sanctum Victorem substitutus, conservandis monasterii possessionibus diligenter insudavit. Ad ejus supplicationem Callistus II. Arelatenfis & Ebredunensis archiepiscopis scripsit, ut sancto Victori restitui curarent bona omnia, quæ per annos triginta pacifice possederat. Controversiam habuit Rodulfus cum canonicis majoris ecclesie de jurisdictione cujusdam partis territorii Massiliensis, quam Otto archiepiscopus Arelatenfis una cum Richardo Narbonensi archipræsule, Raimundo episcopo Massiliensi & Pontio vice-comite composuit. Rodulfo successit Gaucelmus, eodem anno mortuus, quo electus est. Gaucelmo successit Petrus-Salomonis sub annum MCXXX. Longe ab hoc calculo aberrat vulgatum sancti Victoris chronicon^b breve apud Labbeum. sed manifestus error est in Richardo abbate & aliis, qui error ex instrumentis a me relatis facile refellitur.

b Labb. to. 1. p. 340.

XXIV.
S. Justinae Patavinæ abbates.

c Canonius p. 60. & seqq.

Dodechinus, alique ejus temporis scriptores tradunt, terræ motum adeo terribilem per totum orbem terrarum, maxime in Italia hoc anno factum esse, ut plurima ædificia corruerint, & per diversa loca Italiæ civitates, castella, villæ cum hominibus perierint. Hac tempestate prostratum^c dicitur templum S. Justinae monasterii Patavienfis, cui tunc Johannes abbas, eo nomine secundus, præsidebat. Tunc temporis etiam exspoliatum ab Heinricianis cœnobium, & monachi ad maximam inopiam adacti. Johanni abbati successerat Benzo anno MCXXXIII. quo anno Callistus papa monasterii possessiones confirmavit, necnon eligendi secundum regulam abbatis facultatem, quam forte imperatores violaverant. Benzoni in restituendo templo laboravisse credibile est, quem etiam multis litibus exagitatam affirmant veteres tabulæ sancti Zachariæ Venetiarum. Benzoni ex humanis sublato electus Albertus, qui longo rerum usu & morum integritate ad id muneris idoneus creditus est. Nec ille spem fessellit. nam Bellini episcopi Patavini sanctitate insignis benevolentiam & munificentiam meruit, & monasterii possessiones non mediocriter auxit. Insignis in primis fuit acquisitio plurimorum prædiorum, qua pretio, qua munificentia Judithæ nobilissimæ matronæ, quæ quidquid ipsæ res ultra pretium valebant, pro animabus comitissæ Imillæ & Manfredi viri sui atque Bonifacii filii sui in cœmeterio prædicti monasterii quiescentium, aliorumque antecessorum suorum, Deo ipsique monasterio S. Justinae remittit & offert. Res illæ sitæ erant inter Athesim & Rotonem fluvios a fossa Barba ad Vighenzonem. Alberto abbati successit Johannes ejus nominis tertius.

XXV.
Segardus Tornac. abbas dignitatem fugiens, a Lamberto episc. revocatur.
d Thef. Anecd. to. 1. p. 344.

[Assumpto ad episcopatum Cameracensem Odoni Tornacensis monasterii S. Martini abbati & restauratori successit Segardus prior ejusdem monasterii, vir eximius, cujus tempore cathedralis ecclesie Tornacensis canonici inauditas & pene incredibiles vexationes ei suoque monasterio intulerunt. Cum autem pacis & quietis amans esset Segardus, atque aliunde grave pastoralis officii pondus perferiret, quietioris vitæ desiderio clam se subduxit monasterio. Id ubi rescivit^d Lambertus Noviomensis & Tornacensis episcopus paternam ad eum scripsit epistolam, in qua inter alia; *Multi*, inquit, *minus adtendentes fervorem vestre religionis, in vobis scandalizantur, quod filios vestros & ecclesiam vestram ita desolatos reliquistis, ut neque vos habeant, neque alium juste ac regulariter possint eligere.* Quamobrem in summo dolore positus pro ecclesia quæ novella est, & bonis viris & filiis obedientiæ per Dei misericordiam adcrevit, rogat eum ut ad illam cum caritate redeat, aut, si nolit, a cura pastoralis se canonicè absolvere non differat. Paruit monenti episcopo Segardus, reduxque ad monasterium, illud summa cum laude ad annum MCXXVII. religiose administravit.]

ANN. CHR. 1118.
XXVI.
Paschalis papa obit.

Sub finem hujus anni Paschalis papa^e Campania Præneste venit, ibique natale Domini cum epiphania insequentis anni MCXVIII. celebravit. Inde improviso Romam reversus, adversarios suos inopinato adventu ita perculit, ut ad pacem petendam & basilicam S. Petri reddendam adegerit. Biduo post reditum gravi morbo pulsatus, convocatis patribus, ut in fidei sinceritate constanter perseverarent, & a cæsarianorum schismate abhorrent, serio inculcavit. Post hæc unctus

ANN. CHR. 1118.

XXVII.
Gelafius II. succedit.

oleo sacro, facta confessione, ceterisque ecclesie subsidiis munitus, magnitudine morbi oppressus interiit xv. kal. Februarii. Corpus ejus balsamo conditum, sacrique indutum vestibus, in basilica Salvatoris ix. kal. Februarii humatum est.

Quatriduo post de successore eligendo agere cœperunt cardinales, quorum suffragia in Johannem Caietanum, diaconum cardinalem & cancellarium, qui tum Casini versabatur, propendebant. Eo Romam revocato, ob Frangipanum metum clam convenere patres in quoddam monasterium, quod Palladium vocabatur, ubi Johannem Caietanum, Casinatem monachum, qui sub tribus pontificibus, Victore III. Urbano II. & Paschali II. cancellarii officio functus fuerat, papam eligunt, & Gelafium II. appellant. Ubi hunc designatum Cencius Frangipanes inaudit, in ædem, ubi comitia habebantur, manu armata, irrumpit, & Gelafium correptum in terram dejicit, pedibus conculcat, tandemque in vincula conjicit. Ea re percepta præfectus Urbis, & Petrus-Leonis, alique Romanæ nobilitatis principes, magna clientum stipati multitudine, ad ædes Frangipanum accurrunt, ac, ni Gelafium liberent, extrema omnia minantur. Quibus illi territi, eum petita suppliciter venia, dimiserunt. Hinc Gelafius equo albo impositus, insigni pompa in Lateranum deducitur. Interim Paschalis papæ obitus perlato ad se nuntio Henricus imperator e transpadanis partibus Romam advolat. quod ubi sensit novus pontifex, veritus ne idem sibi quod Paschali fieret, prima luce secundo Tiberi ad mare delatus, cum ob adversam tempestatem navigio se committere non liceret, pedestri itinere, uno Hugone cardinali comitante, ætate viribusque confectus Ardeam progressus est. Inde per mare tertio die Tarracinam, quartoque Caietam pervenit: ubi demum, confluentibus episcopis & principibus earum regionum, primum presbyter, dein pontifex magno popularium suorum plausu, kalendis Martii consecratus est. Inter ea Henricus Romam ingressus, cum absque auctoritate sua consecratum rescivisset, id vitio factum causatus, Mauricium Burdinum^a Bracarensem archiepiscopum, jam anno præterito Beneventi a Paschali damnatum, a quo cæsar paulo ante coronam acceperat, pontificem designavit, eumque Gregorium VIII. dictum consecrari iussit. Quapropter Gelafius Capuam profectus, conventu post pascha omnium episcoporum, quos undequaque contrahere potuit, habito, sollempni decreto Henricum & pseudopontificem damnavit. Illic Bernardo^b Beneventani S. Sophiae monasterii abbati litteras dedit xiv. kal. Maii. Tum Guillelmi Apuliæ ducis, Rotberti Capuæ principis, aliorumque procerum postulatis auxiliis, Romam redire constituit. Verum, ubi Henricum ex Urbe discessisse intellexit, dimissis copiis inermis Roman, sed occulte ob Frangipanes, ingressus, ad amicos divertit. Romæ adhuc versabatur Henricus imperator pridie kal. Junii, quo Farsensium possessiones & privilegia confirmavit.

a V. lib. 69. n. 13.

b Ital. sac. to. 8. p. 683.

XXVIII.
Paschalis quædam epistola de communione intincta.

Multas sine dubio epistolas & bullas scripsit Paschalis papa per satis diuturnum, viginti scilicet annorum, pontificatum: sed ex illis tantummodo quinque supra centum, quibusdam aliorum interpositis litteris, in libris conciliorum habentur, quarum nonnullas, quæ ad institutum nostrum pertinere visæ sunt, in superioribus notavimus. Tricesima secunda Pontio abbati Cluniacensi inscripta, qui pontificem de communione intincta consuluerat, non probat ejusmodi usum, qui a Græcis ad quosdam Latinos introduci tum cœperat. Igitur in sumendo corpore & sanguine Domini præcipit pontifex, ut, secundum beatum Cyprianum, dominica traditio servetur, nec ab eo, quod Christus magister præcepit & gessit, humana & novella institutione discedatur. *Novimus enim*, ait pontifex, *per se panem, per se vinum, ab ipso Domino traditum. Quem morem sic semper in sancta ecclesia conservandum docemus atque præcipimus, præter in parvulis ac omnino infirmis, qui panem absorbere non possunt.*

Idem jam statutum fuerat canone XXVIII. concilii Claromontani sub Urbano II. in hæc verba: *Ne quis de altari communicet, nisi corpus separatim, & sanguinem similiter sumat; nisi per necessitatem & per cautelam.* Hujus canonis genuinum sensum recte exposuit Petrus de Marca tum in notis ad hoc concilium, tum in historia Bearnensi^c contra Baronium & Binium, opinantes hunc canonem editum fuisse contra Berengarios in eo capite, quo dicerent, satis esse per unam speciem eucharistiæ impleri figuram. quod Berengarius numquam dixit. Sensus ergo canonis is est, ut deinceps eucharistia intincta communicaturis non præbeatur, sed

c Hist. de Bearn liv. 5. c. 101.

corpus & sanguis separatim: excepto necessitatis casu, nempe si communio præbenda esset agris vel pueris. qua ratione ad adjuvandum esum panis intinctionem permittit canon, & ex eo Paschalis excepta etiam cautela ratione, ob periculum scilicet effusionis. Huc spectat Rodulfus abbas sancti Trudonis his versibus a Groppero relatis.

*Hic & ibi cautela fiat, ne presbyter agris,
Aut sanis tribuat laicis, de sanguine Christi.
Nam fundi posset leviter, simplexque putaret,
Quod non sub specie sit totus Jesus utraque.*

Ex his patet ad id tempus pueris, porrectam fuisse communionem. quod de infantibus quoque intelligendum docet Willelmi de Campellis insigne fragmentum a me alias^a relatum, cujus hæc verba: *Quod utraque species per se accipitur, eo fit, ut memoria corporis, quod in cruce visibiliter pependit, & memoria sanguinis, qui cum aqua de latere fluxit, artius teneatur, & quasi presentetur. Tamen sciendum, quod qui alteram speciem accipit, totum Christum accipit. Non enim accipitur Christus membratim, vel paullatim; sed totus vel in utraque specie, vel in altera. Unde & INFANTULIS MOX BAPTIZATIS solus calix datur, quia pane uti non possunt, & in calice totum Christum accipiant.* Et infra: *Quod ergo dicitur oportere utramque speciem accipi, hæresis plane est.* Subdit idem auctor, licet in alterutra specie totus Christus sumatur; tamen pro causa prædicta sacramentum utriusque speciei ab ecclesia immutabiliter retineri. quod argumento est, communionem sub utraque specie adhuc immutabiliter viguisse, cum hæc scriberet Willelmus, qui e vivis excessit anno MCXXI. episcopus Catalaunensis. At mirum est hunc auctorem, ut illo tempore doctissimum, improbare eos, qui intinctam communionem dari prohibebant. Sane eam admittebant Cluniacenses; teste Udalrico, qui de communionem^b fratrum agens: *Quotquot autem, inquit, ipsum corpus sacrum dederit, singulis sanguine prius intinguit.* Ubi nota marginalis habet, quamquam sit contra usum aliarum ecclesiarum, id ita fieri maxime propter novitios, qui adeo sint rudes, ut vix fieri posset, ut non magnam aliquando negligentiam incurrerent. quod de periculo effusionis intelligendum puto. Hæc causa haud dubie Pontium abbatem impulit ad consulendum hac de re Paschalem. Ceterum communio sub utraque specie jam desierat medio sæculo duodecimo, quod ex Roberto-Pullo aliisque ostendi capite x. commentarii in Ordinem Romanum: cui mutationi occasionem dederunt multæ causæ, scilicet periculum effusionis, prohibitio intinctionis, exempla communionis infirmorum & infantium, exemplum in primis ecclesiæ Jerosolymitanæ, quæ unicam speciem, testante Humberto, ad communionem peregrinorum reservabat; hæresis denique eorum, qui unam sine altera speciem non valere sentiebant. Sed hæc extra lineas.

Dum Gelasius Caietæ moraretur, clero & populo Romano litteris gratulatus est, quod pseudopontifici communicare noluerint. Alias ibidem litteras episcopis, abbatibus, clericis, principibus, ceterisque per Galliam fidelibus scripsit, quibus eos de sua ipsius electione certiores facit deque intrusione Burdini, quam die post electionem suam quadragesimo-quarto factam dicit; eosque ad matris ecclesiæ ultionem hortatur. *Datum Caietæ XVII. kal. Februarii.* Eadem die Bernardo Tolitano archiepiscopo & Hispaniarum primati scripsit, ut in Bracarensi ecclesia alium archiepiscopum eligi curaret, & Burdinum excommunicatum denunciaret. Hæc acta Caietæ. Jam vero Capuæ versabatur pridie idus Aprilis, quo die Pontio Cluniacensi abbati litteras direxit, in quibus tum de Cluniacensis monasterii religione, tum de ipso honorifice loquitur, ejusque rogatu confirmat, quidquid possessionis reverendissimæ memoriæ Hugonis ejus antecessoris tempore Cluniacense monasterium per authenticam Romanorum pontificum concessionem quiete possidebat. quas possessiones in alio diplomate, apud Avenionem postea dato, singillatim recensuit. Capuæ itidem idibus Aprilis secundas litteras misit Cunoni Prænestino episcopo & apostolicæ sedis legato, qui tum in Gallia erat, ut mox videbimus, quarum litterarum idem est ac superiorum argumentum, nempe de sua electione & Burdini intrusionem per Heinricum. Harum litterarum, quarum exemplum ex codice Weingartenensi habemus, hoc exordium est: *Gelasius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Chononi Prænestino episcopo, apostolicæ sedis legato, salutem*

^a Prefat. 1.
P. Sac. 3. Bened.
lib. n. 75.

^b Udalric. lib.
2. c. 30.

XXX.
Gelasio papa
litteræ.

& apostolicam benedictionem. Jam diu nostras tibi litteras misimus, sed utrum ad te pervenerint ignoramus. quæ ita se habent. *Post electionem nostram dominus imperator furtive & inopinata velocitate Romam veniens, nos egredi compulit, &c.* ut in epistola ad Gallos. Jam Romam per Casinum reversus erat pontifex kalendis Septembris, quo die scripsit ad Gualterum Ravennatem archiepiscopum, cujus electionem post ejuratam schisma confirmat, eique pallium concedit. *Datum Romæ per manum Chryzogni S. R. E. diaconi cardinalis kalendis Septembris, indictione XII. anno incarnationis dominicæ MCXIX. pontificatus autem domini Gelasii II. papæ a no I. quibus in litteris, uti & in aliis subsequentiis hujus anni, indictio duodecima una cum mense Septembris inchoatur, uti & annus post millesimum decimus-nonus, ut Baronijs ad hanc epistolam observavit.*

Hoc turbulento tempore habitum est Mediolani concilium archiepiscoporum & episcoporum illarum regionum, ut quid de novi pontificis electione sentiendum esset, communi consilio statueretur. Nulla quidem hujus concilii acta, immo nulla hæcenus mentio: sed ejus notitiam accepimus ex epistola Friderici Colonienensis archiepiscopi post mortem Paschalis, quem valde laudat, scripta ad illos episcopos Mediolani congregatos, quos Fridericus hortatur, ut in causa ecclesiæ strenue se gerant Ambrosii exemplo; rogatque, ut quid ipsi de futuro pontifice (necdum enim eum electum reciebat) sentiendum sit, aperiant. Hanc epistolam eruiimus ex chronico nostro Saxonico nondum edito, ad cujus marginem adscripta est hæc epistola, quæ sic habet:

Venerabilibus dominis archiepiscopis & episcopis, omnibusque catholicis in hoc cætu ad Dei honorem & ecclesiæ salutem congregatis, Fridericus Dei gratia sanctæ Colonienfis ecclesiæ humilis minister, devotas orationes, pium in Christo obsequium & intimam dilectionis affectum. Patri misericordiam & Deo totius consolationis immensas gratiarum actiones referimus, qui in omni nostra tribulatione multiplici consolatione nos crebrius visitans, aperit etiam nobis in vestrae sanctitatis conventu sinum fraternæ compassionis, promittens nobis in spe auxilii & consilii vestri ubera piæ consolationis. Longis enim & gravibus afflictis persecutionum tempestatibus, a perversis & infidelibus scilicet matris ecclesiæ impugnatoribus, nihil tristius in hac calamitate pertulimus, quam quod desolati sumus a sanctissimi patris nostri apostolici catholica consolatione: quia ipse erat qui vestiebat nos cocino in deliciis, qui præbebat ornamenta cului nostræ patientiæ & caritatis, seipsum proponens nobis exemplum, & sanæ doctrinæ catholicum inculcans argumentum. Sed quoniam cursu consummato, fide servata vocatus est ad justitiæ coronam apud Deum repositam; vos, serenissimi patres, sanctam ne deseratis ecclesiam: sed ejus imitantes vestigia, omnes qui libertatem vestram imminuere [tentant.] ex ipsius condemnate sententia: quatenus Mediolanensis ecclesia contra principes superbe agentes eandem obtineat constantiam, quam exercuit contra Theodosium felicis memoriæ imperatorem, adducendo eum ad penitentiam. Nos autem, sicut unum corpus sumus in Christo, ita catholici conatus vestri fautores & adiutores inveniemur in ipso, non desistentes a vestra, omniumque bonorum unitate, & sanctæ matris nostræ recuperanda libertate. Postremo, quia viciniore estis sedi Romanæ, quid de ea nobis sentiendum sit, fideliter insinuare curate: ut, si patri nostro successor legitimus Dei ordinatione est substitutus, qui ejus per omnia & sanctorum patrum sectetur vestigia, omnium nostrum perfruatur obedientia: si autem, non Dei, sed hominis terreni & excommunicatorum, quod absit, se fore factis probetur antistitem, nullam seductionis suæ vel damnationis nostræ in nobis inveniat subjectionem. Valete. Ad hunc annum referendum est Colonienfem concilium, de quo inferius agemus.

Sub idem tempus novi pontificis litteræ perlatae sunt ad Cunonem cardinalem & apostolicæ sedis legatum, quem anno superiore in castello Gallie Compendio^a versatum fuisse vidimus, ubi relatio de Theotgeri abbatis ad Mettensem episcopatum electione ei facta est. De legatione pontificis ad Cunonem directa audiendus ejus temporis auctor anonymus in libro secundo de vita Theotgeri episcopi, ita scribens: *Sub eodem tempore de Italia partibus legatus cum litteris supervenit, in quibus venerabilis papa Gelasius, qui beatæ memoriæ Paschali defuncto cathedram apostolatus acceperat, eundem Prænestinum episcopum, tamquam fratrem carissimum, officiosissime salutavit, eique legationis, quo præcessoris sui tempore fungebatur, denuo commisit officium; atque ut fluctuanti ecclesiæ pro viribus subveniret hortatus, persecutionem quam a rege iniquo patiebatur, innotuit. Etenim apostolicus imperatorem, cui sancto annis favere ante*

XXX.
Friderici Colo-
nienfis archi-
episcopi episto-
la ad episcopos
Mediolani con-
gregatos.

* i. effe.

XXXI.
Cunoni cardin-
nali reddita
Gelasio litteræ.
a supra n. 5.

ANN. CHR.
1118.
* al. quadragesimo.

videbatur, cum idem acerrime, etiam omnes sequaces ejus gladio spiritus persequi & impugnare cœpisset; ille eum maxime ordinationis suæ die tricesimo*, pro insuperabili quam habebat defensione & constantia, a sede simul & ab Urbe propellens, Burdinum quemdam scilicet in idolum fabricavit, & quasi statuam, in campo adorandum instituit. Cumque venerabilis Prænestinus episcopus a latore præsentium super Gelasii Romani pontificis introitu requisisset, & utrumnam clerus & populus, seu universi catholici cardinales in ejus fuerint electione concordēs; illum cum unanimi consensu totis viribus renitentem in Romanum pontificem electum respondit. His auditis, Cuno Gelasii electioni assensit, & ab eo novæ legationis officium suscepit. Tum subdit prædictus auctor, Juvaviensem seu Saltzburgensem illius temporis venerabilem archiepiscopum (is Conradus erat) audito quod Johannes cardinalis electus esset papa, in hunc modum exclamasse: *Hem! nullus eorum nequior Johanne! forte in Gelasio poterit aliquid boni esse! Talis eo tempore, ait auctor, de Johanne fama fuerat, quo in ministerio domini papæ Paschalis Romæ degebat. at, postquam invitus, ut diximus, pontificali- bus est insulis decoratus, ita repente cum nomine & animo mutavit, ut tempore perpetuo, quo supervixit, postea piis operibus studens, ecclesiam mirifice illustraret. adeo ut etiam paratus fuerit, contemta regis tyrannide, pro libertate Ecclesiæ cum Petro & animam ponere.* Hactenus anonymus. Quid causæ fuerit, quod Conradus archiepiscopus, vir certe eximie pietatis & constantiæ, tam sinistram de Johanne cardinale opinionem habuerit, nobis incompertum. Certe longe aliter de eo sensit Conradus Urspergensis, qui agens de ejus substitutione in locum Paschalis: *Pro quo, inquit, Johannes Caietanus, vir prudens & venerandus, in Romana semper ecclesia irreprehensibiliter eidem apostolico collaborans, eligitur.* Alia aliorum de Johanne adhuc cardinale testimonia prætereo.

XXXII.
Gelasius ex Urbe in Galliam se recipit.

Dum Gelasius Romæ in amicorum ædibus privatim moraretur, Desiderius titulo S. Prædixis, cujus festum imminebat, eum induxit, ut ipso die, scilicet XII. kal. Augusti, missam in ejus ecclesia celebraret. Id Frangipanes ut rescierunt, cum non parva militum manu in ecclesiam irruunt, lapides & spicula in papæ comites jaciunt, ipsumque papam alii apprehendunt, alii ex aliorum manibus eripiunt. Postera die pontifex in campis ecclesiæ S. Pauli adjacentibus inventus, & inde in Urbem reductus, auditis suorum de funesto rerum statu sententiis, locutus est in hunc modum.

Malum præfens longum sermonem non patitur, sed præfens ac promptum postulat remedium. Sequamur patres nostros, sequamur evangelium. Fugiamus Ægyptum, fugiamus novam Babylonem. Forte redibunt tempora meliora, quæ nos huc redire sinent. Satius esset unum, quam tot habere imperatores. Ad hæc recte Baronius: Ita quidem, inquit, bene provocat Gelasius, ut audisti, ad antiquitatem. siquidem illud usitatum, tutum certumque refugium fuit semper Romanis pontificibus, persecutione vexatis, regnum Francorum, ipsos Francorum reges adire, a quibus & digne consuevissent suscipi, dignius retineri, atque dignissime, cum facultas adesset, compressis hostibus ad Romanam ecclesiam revocari. adeo ut, si quis dicat, portum Romanæ ecclesiæ, fluctuantis naviculæ Petri Galliam esse, non mentiat. Hactenus Baronius. Dispositis itaque Romanæ ecclesiæ rebus, navibus ad illud iter præparatis, die secunda Septembris mare ingressus, post aliquot dies Pisis applicuit. Illic aliquamdiu commoratus, inde navem conscendit, ac demum ad portum S. Ægidii sanus & incolumis cum suis pervenit: tibi ab Hugone illius loci abbate, ejusque fratribus perquam honorifice acceptus est. Mox illuc conveniunt episcopi, abbates, & primæ nobilitatis illarum regionum viri: quos inter adfuit Pontius Cluniacensis abbas, qui papæ triginta equos paratos cum munusculis obtulit; decem vero abbas S. Concordii* cum aliis donariis; amboque papam per illam provinciam comitari sunt. Hoc S. Concordii monasterium est S. Petri Bisulduni in diocesi Gerundensi, ubi S. Concordii presbyteri & martyris reliquiæ^b affervari dicuntur. Apud S. Ægidium erat pontifex VII. idus Novembris; Alesti IV. idus Decembris; Avenione XVII. kal. Januarii, ut patet ex litteris a Baronio relatis ad hunc annum, qui decimus-nonus a Septembri in Gelasianis illis litteris numeratur, ut superius cœmonuimus; sicut & in bulla pro monasterio sancti Andreæ Avenionensis, data Arausicæ XIII. kal. Januarii indictione XII. anno MCXIX. pontificatus I. Idem calculus observatur in alio Gelasii diplomate, quo pontifex Rodulfo abbati monasterii S. Janiani Nobiliacensis apud Pictones confirmat universas ejus loci possessiones & ecclesias.

a V. lib. 71.
n. 26.

* al. mend.
Gordii.

b Bolland. to.
1. Jan. p. 9.

c supra n. 25.

ecclesias. Datum Massiliæ per manum Grifogoni S. R. E. diaconi cardinalis X. kal. Novembris, indictione XII. anno Dominicæ incarnationis MCXIX. pontificatus autem domni Gelasii papæ II. anno I. Ex hoc diplomate patet, Gelasium Massiliam prius appulisse, quam ad S. Ægidium pervenerit. quod diserte tradit chronographus a Mauriniacensis. Denique idem calculus confirmatur ex aliis litteris, quibus, Arausicæ^b seu Arausicæ cum esset Gelasius XIII. kal. Januarii, Arnaldo abbati Caunensis monasterii privilegia renovavit. Venienti pontifici obviam missus est a rege Sugerius S. Dionysii abbas, ut ipse in vita Ludovici regis testatur, eique extrema inopia laboranti suppetias attulit.

Compendii adhuc versabatur Cuno cardinalis, cum prædictas Gelasii litteras accepit. Illic responsum ab eo expectabat Alardus monachus, per quem Theotgerus abbas recusati a se Mettensis episcopatus causas Cunoni exposuerat. At his minime flexus cardinalis, ut delatum sibi episcopatus onus subiret, severe præcepit, litteris ad eum scriptis sub hac forma.

ANN. CHR.
1118.

a Cbesnii to. 4.
p. 366.

b Capitul. to.
2. p. 1557.

XXXIII.
Cuno injungit Theotgero, ut Mettensem episcopatum subeat.

Cuno Dei gratia Prænestinus episcopus sedis apostolicæ legatus, dilecto fratri Theotgero salutem & dilectionem. Litteras tuæ fraternæ dilectionis, fratre Alardo referente. audivimus; quibus Mettensem ecclesiam, ut constanter & fiducialiter ageret, hortabaris. Nunc vero, Deo annuente, tam tuis, quam aliorum monitis omnes ejusdem ecclesiæ filii obtemperantes, omnesque in canonica electione convenientes, pari voto, parique consensu te in pastorem sibi a Deo provisum elegerunt. Unde nos unanimiter supplicantes rogamus, quatenus electioni eorum assensum præbeamus, & qualiter te in pastorem habeant, quem intra terminos nostræ legationis morari cognoverunt, studeamus. Nos vero testimonium vitæ & conversationis tuæ investigantes, gratia Dei nil invenimus, quod sacris obesse possit canonibus. Quapropter, frater dilectissime, presentibus litteris te commonemus, & monendo apostolica auctoritate præcipimus, quatenus injunctum tibi onus & curam sanctæ Mettensis ecclesiæ, proprii pastoris solatio destituta, subire non subterfugas, sed potius murum pro domo Israel te opponas, & ecclesiam Christi interstantes & immanissima rabie fluctuantes procellas nutantem, illis resistendo, sustentare & juvare nullatenus dissimules exemplo illorum sanctorum, qui in primitiva ecclesia curam pastoralem suscipientes, pro defensione ecclesiæ seipsos, cum opportunitas exigebat, periculis mortis tradere non dubitabant. Si autem, quod absit, monitis ecclesiæ & nostris obedire contemseris, scias te procul dubio ordinis tui periculo subiacere, & ecclesiarum introitum, nisi obediendo acquiescas, tibi nullo modo patere. Quam ob rem dilectionem tuam iterum iterumque monentes præcipimus, ut injunctam tibi obedientiam, omni occasione remota, suscipias: deinde, suscepta obedientia, domino Viennensi archiepiscopo & S. R. E. legato te præsentare non negligas, ut, pontificalis consecrationis accepta benedictione, digne in ecclesia Christi militare valeas.

Cum vero nec sic cardinalis legati monitis & jussis obsequeretur Theotgerus, alias ad eum litteras misit per venerabilem Antonium Senonienis monasterii abbatem, quibus eum ad suscipiendum episcopatum sub pœnarum ecclesiasticarum interminatione compellebat; ejusque fratribus sub iisdem pœnis præcipiebat, ut assensum præberent, eidem Theotgero interim cœnobii S. Georgii regimine commisso, donec dignus eidem loco pastor electus fuisset. Verum alia denovo recusandi episcopatus occasio nata est ex ægritudine corporis, quæ illum detinebat. Sed tamen impedire non potuit, quominus cardinalis litteræ in conventu fratrum legerentur. quibus lectis, omnes ejus electioni consenserunt. At ille novas declinandi causas prætexit, quas per domnum Erbonem cardinali suggeri exigit. Ægre jubenti paruit Erbo, dato ei comite fratre illiterato, uti ille postulaverat, ut natas de se fratrum in animis suspiciones, quasi Theotgerum e medio tollere vellet, a se amoveret.

Tunc temporis Cuno cardinalis Coloniae morabatur, ubi coactis in unum multis episcopis concilium celebrare decreverat. Id factum diebus rogationum. Illuc se contulit Alberius seu Albero primicerius, electi sui, quem eo venturum audierat, adventum præstolaturus. Ubi illic adfuit Erbo, qui abbatem suum excusatum venerat; in concilio invenit Conradum Juvaviensem archiepiscopum, ab imperatore nuper actum in exilium; ab eoque obtinuit, ut abbatis sui causam apud patres in se susciperet. Verum, cum Mettensise ecclesiæ electio in concilio ventilari cœpit, tanta vi orationis eam asseruit primicerius, ut nec Alardus, nec archiepiscopus Cu-

XXXIV.
Ejus electio confirmata in concilio Coloniensi.

ANN. CHR.
1118.

nonis cardinalis animum flectere valuerint; adeoque primicerii clamor invaluit, ut Theotgeri electio unanimi patrum sententia firmata fuerit. Tum demum cardinalis signatas Erboni litteras dedit, quas ille fratri illiterato consignavit, ad Theotgerum perferendas, quibus nomine concilii ei præcipiebatur, ut ne diutius delatam sibi electionem frustraret. Acceptis litteris, Theotgerus tantæ demum auctoritati cedere coactus fuit, moxque ad legati præsentiam, ut ei injunctum erat, se sistere maturavit, qui finito concilio, tunc apud Confluentiam cum Friderico Coloniensi archipræsidente, aliisque episcopis diversabatur. Illic magno cum honore acceptus est vir Dei, in primis a legato, qui eum amplexus, sciscitatus est, quot annis abbatis gessisset officium. Triginta, inquit ille, annos. Ad quod legatus subridens conversus ad circumstantes: tanto, ait maturior erit ad episcopatum, qui tot annis abbas fuerit. Cum deinde singuli ad sua se reciperent, legatus Coloniæ rediit secum ducens electum Domini sacerdotem: qui inde ad proximum Tuiensense monasterium, tum ad Gladbacense divertit, ubi aliquamdiu gravi morbo detentus est. Dein, ubi convaluisset, Coloniæ reversus, una cum legato ad Castrum *Wolkenburg* profectus est; tum ad S. Viti seu Corbeie novæ monasterium, ubi episcopus consecratus est.

XXXV.
Theotgerus
Corbeie con-
secratur.

Erat tum dies octava festi apostolorum Petri & Pauli quæ pridie nonas Julii celebratur. Theotgeri consecrationi deputata est dominica dies, quæ hoc anno in diem sequentem incidebat. Ipsa die cardinalis legatus Theotgerum Mettensem electum, ætate gravem, moribus maturum, apprime litteris eruditum, sustentantibus hinc inde duobus archiepiscopis, Conrado Juvaviensi, totius Bavarie metropolitano, & Adelgato Magdeburgico, metropolitano Saxonie, sollempniter ordinavit, adstantibus duobus aliis episcopis, quorum alter anulum ei & *copiam*, id est, si bene capio, biretum; alter sandalia & chirothecas, omniaque sacerdotalia indumenta contulit. Processionis hora Juvaviensis antistes, qui eum, ut mox dicebam, ex uno latere sustentabat: Hem, inquit, episcope, nequaquam diebus nostris id contigit, quod tibi, ut quem electum duo archiepiscopi dextra lævaque sustentando producerent; nec tanti honoris privilegium ulli a centum circiter annis concessum. Sic ordinatus vir Dei, primo in eodem monasterio quamdam in honorem S. Georgii basilicam consecravit: ut, quem in abbacia peculiarem patronum habuerat, eidem quoque episcopatus sui primitias dicaret. Ibidem etiam cryptam & altare beati Andreae apostoli consecravit. Illinc non multo post discessit novus præful, ad suam ecclesiam profectus: & ad locum diocesis Tullensis cui *Dietward** vocabulum est, prædicto primicerio deducente, pervenit. Ibi eum honoris causa convenerunt abbates, clerici, alique, qui sanioris sententiæ erant; at qui a pseudepiscopi & cæsaris partibus stabant contestati sunt, se neutiquam passuros, ut in urbem ingrederetur; eo insolentiæ progressi, ut communi decreto statuerint, quod, si quis eum agnosceret episcopum, rebus proscripitis extra civitatem fieret. Unde consilium fuit, ut, omnibus qui in ejus obsequio erant dimissis, ad cellulam suam reverteretur, dum seditio illa deserveret. In itinere ad Marbacense canonicorum regularium in Alsatia cœnobium divertit: ubi a regularibus canonicis honorificentissime receptus est. In hoc conventu forte aderat venerabilis senex Gerungus, qui eum adolescentem ad venerabilem Willelmum Hirsaugiensem abbatem pœnitentiæ specie direxerat. Inde, actis hospitibus suis gratiarum actionibus, ad S. Georgii monasterium effusus in ejus occursum cum sollempni pompa fratribus, revertit: ubi dum moraretur, quasdam ecclesias, in fundo monasterii sitas, permittente Constantiensi episcopo, dedicavit. Porro hæc omnia hoc ipso anno contigisse illud argumento est, quod post ejus ordinationem Gelasius papa, qui sub finem mensis Januarii anno sequente decessit, litteris scriptis Mettenses hortatus est, ut eum honorifice, ut par erat, exciperent.

XXXVI.
Fritularie
concilium
a Spicil. tom.
7. p. 477.

Soluto Corbeie conventu, Cuno cardinalis ac legatus in Turingiam profectus, Fritularie magnum concilium habuit, teste Rodulfo S. Trudonis abbate, qui ei interfuit. Hoc concilium congregatum dicitur tam de episcopis & abbatibus, quam de multitudine clericorum & monachorum: cui Rodulfus ad illud vocatus propter obedientiam deesse non ausus fuit, ne ab officio & communione ecclesie suspenderetur. Hac in synodo, quæ non sine magna ob cæsarianos sollicitudine celebrata est, anathematis sententia in Henricum imperatorem, ejusque idolum, scilicet Burdinum, ut in Coloniensi, dicta est; decretaque totius Germanie comitia Herbipolim

ANN. CHR.
1118.

convocanda, in quibus cæsar præfens causam diceret; sin minus, regno exueretur. Post concilium Rodulfus abbas non sine cæsarianorum timore domum reversus est. Non multo post Olbertus seu Obertus Leodicensis episcopus defunctus dicitur, nimirum pridie kalendas Februarii anno MCXVIII. ut habet Ægidius, at secundum veterem calculum, sequenti secundum novum. An Herbipoli concilium habitum sit, nulla ejus acta nos docent.

Ad hunc annum Trithemius refert originem monasterii, quod Otto Babenbergensis piissimus præful in loco Vraugia dicto, diocesis Herbipolensis in honorem S. Laurentii suis impensis extruxit, ac dotavit. Positus est hic locus ad Salam fluvium, distatque ab urbe Herbipoli seu Wirzeburgo sex fere milliaribus versus Aquilonem. Ducta illuc colonia e monasterio Hirsaugiensi duce Eccharo, qui abbatis officio functus est. Hic primum canonicus & scholasticus Wormatiensis ecclesie fuisse dicitur, & monachus fieri voluisse sub Gebeharo Hirsaugie abbate: at re dilata, profectus in terram sanctam, reversus tandem votum exsecutus est sub venerabili Brunone abbate, qui ipsum Vraugie præficiendum curavit. Multis eum elogiis onerat Trithemius, maxime quod ei nihil jucundius fuerit, quam divinis noctu & interdiu vacare officiis; quod inerti numquam vacaret otio, sed quoties a curis temporalibus ei respirare liceret, aut aliquid boni ac sancti legeret, aut quidpiam utile scriberet. Quædam ejus opuscula recenset idem auctor, variasque epistolas ad sanctam Hildegardem, ad Ottonem Babenbergensem episcopum, ad Volmarum abbatem Hirsaugiensem, & alios. [Scriptit & libellum *de expeditione sacra Jerusalem* per Teutonicos, editum in amplissima Collectione nostra tom. v. sed & Chronicon quinque libris digestum, quod Conradus abbas Urspergensis ingenti furto, sibimet ipsi attribuere non erubuit, paucis inde detractis & quibusdam additis quæ suum ordinem spectant.]

XXXVII.
Vraugie mo-
nasterium con-
ditur.

[In Trevirensi S. Maximini præerat tunc Berengofus abbas, qui Henricum imperatorem hoc anno adiens, de Adelberto ejus cancellario tunc archiepiscopo Moguntino conquestus est, quod Anselmum hominem suum cum beneficio suo, scilicet *Brichina & Seltris*, aliquot jam annis injuste sibi abstulisset, rogans ut respectu mercedis æternæ eundem militem suum cum dicto beneficio sibi restitueret, restitutumque imperiali auctoritate confirmaret: cujus petitioni ob reverentiam S. Maximini, per interventum fidelium suorum Friderici Coloniensis, Brunonis Trevirensis archiepiscoporum, Ottonis Bambergensis, Herimanni Augustensis, Rodolphi Basileensis, & Brunonis Spirensis episcoporum, necnon Friderici ducis, & Thiebaldi marchionis, Godefridi etiam & Beringerii, sed & Ludewici & Micberti comitum assensum præbens, Anselmum cum beneficio suo Brichina & Seltris, quod Anselmus avus illius a Popone abbate per precariam sibi suisque hæredibus adquisierat, S. Maximino & prædicto abbati suisque successoribus ea ratione reddidit & confirmavit, ut idem Anselmus & filius ejus Henricus ab ejusdem loci abbatibus idem beneficium pacifice & quiete possideant, & beneficiario eis jure deserviant. Quibus defunctis eadem sancto Maximino bona *libere & integerrime* redeant, & ad utilitatem monasterii & ad usum monachorum deinceps rata & inconvulsa permaneant. Quam restitutionem proprio signo firmavit Henricus imperator, & Bruno cancellarius ad vicem domni Adalberti recognovit. Data IV. nonas Januarii anno Domini incarnationis MCXVIII. indictione XI. anno regni domni Henrici XVIII. imperii vero VII. Actum Spiræ in Dei nomine feliciter amen.]

XXXVIII.
S. Maximino
restituit & con-
firmat Henri-
cus imperator
Anselmum
cum beneficia
suo Brichina
& Seltris.
Mart. ampl.
collect. 10. 1.
p. 642.

Non ante hunc annum MCXVIII. Rupertus, S. Laurentii apud Leodium monachus eruditione celebris, ab Anselmo Laudunensis ecclesie decano & magistro litteris provocatus, vili vectus a sello in Franciam venit, Anselmi & Willelmi de Campellis sententiam de voluntate & omnipotentia Dei, quod jam scriptis fecerat, viva voce impugnaturus. De his audiendus Rupertus ipse libro 1. commentarii in regulam S. Benedicti. *Ivi in Franciam, ut potissimum contra magistros illos prælium disputationis committerem. . . . Alter eorum magister simul & episcopus, alter quovis episcopo famosior, quamvis ipse non esset episcopus. Mirum mihi met nunc est illud recordationis meæ spectaculum, quomodo solus ego, vili a sello residens, juvenulus, uno tantum puero comitatus, ad exteras tam longe civitates, ad conflictum contra tales profectus sum: quibus adesse & os, & ingenium, & magnam tam officii quam magisterii dignitatem noram; nec defuturum, quod & factum est, ut magistrorum pariter & discipulorum cætus*

XXXIX.
Rupertus in
Franciam venit
disputaturus.
a V. lib. 72. n.
129. & 130.

ANN. CHR.
1118.

quasi non parvus conveniret exercitus ad me audiendum, ad me vincendum. Illud autem magis mirum videtur, quod, me ingrediente civitatem, jam distorum alter & precipuus magistrorum ultimum trahens spiritum, statim post ingressum meum vitam finivit: alter, cum quo acerbum habui conflictum, nescio an integrum annum supervixerit. Haec Rupertus, ex quo intelligitur, eum primo venisse Laudunum cum Anselmo in extremis agens, statim post ingressum in urbem mortuus est: alterum vero scilicet Willelmum quicum acerbum conflictum disputationis habuit, post non integrum forte annum vitam finivisse. Atqui Willelmus Catalauni episcopus obiit, non anno MCXIX. ut vulgo creditum est, sed biennio post, ut inferius videbimus. Itaque Rupertus accessus in Franciam non ante hunc annum contigit, sed non serius, ut ex his patebit, quae de Frederico Leodicensi episcopo inferius dicturi sumus. Mortuus est Anselmus idibus Julii, ex ejus epitaphio relato in notis ad Abaelardum, cui in scholarum magisterio Radulfus ejus frater successit. Cum autem Anselmum defunctum vidisset Rupertus, Catalaunum adiit, ubi acerbum illum conflictum cum Willelmo episcopo habuit: quo in conflictu urgebant Willelmi discipuli hunc locum ex Enchiridio beati Augustini: *Non ergo fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit: sed nolebant audire quod sequitur, vel sciendo ut fiat, vel ipse faciendo*, quo Rupertus sententiam suam tuebatur. Sed tandem factum est, ut ex eo tempore extincta sit illa disputatio, sive quod victi, sive quod mortui fuerint Rupertus nobiles illi adversarii, quorum sententiam multi religiosi pariter & docti, sed sacri illis viventibus improbaverant. Verum non statim extinctum est Willelmi & Anselmi discipulorum odium in Rupertum, quorum objectiones inferius referemus.

X L.
Ejus libri de
Officiis car-
puntur.a Rupert. lib.
1. in regul. S.
Bened.
b Rupert. lib.
3. de Offic. c.
11.

Præter hos adversarios unus fuit *vir bonae conversationis, sed novae conversationis; magni nominis, sed dubiae opinionis; jam praelatus & predicator, sed fere numquam subditus sive auditor* qui commodatos sibi Rupertus libros de divinis Officiis cum legisset, ipsum infamavit, quasi scripsisset, Spiritum sanctum de Maria virgine fuisse incarnatum. Exhorruit ad hanc criminationem a Rupertus; tandemque ejus auctoritatem esse comperit illum ipsum, cui libros suos commodaverat; qui ex eorum lectione occasionem ipsius criminandi aucupatus fuerat ex officio b quarto dominicae adventus Domini in hæc verba: *Investigare enim quis potest, quomodo corporatur Verbum, quomodo summus & vivificator Spiritus intra uterum Matris animatur, quomodo is, qui initium non habet, & existit, & concipitur.* Ad hæc verba vir ille librum proclamavit hæreticum & flammis exurendum; & hoc in medio imperitorum, qui sequebantur & audiebant illum, & prædictum librum poscebant ad comburendum. Verum hujus criminationis auctor ignoravit quod Rupertus indicare debuisset, hunc locum de verbo acceptum esse ex homilia beati papæ Gregorii in Johanne pro dominica tertia adventus, in hæc verba, *Miserunt Judæi ab Jerusalem sacerdotibus & levitis ad Johannem, &c.* ubi disertè hæc verba habet, quæ non de Spiritu sancto, seu de tertia sanctissimæ Trinitatis persona; sed de Verbo, qui utique Spiritus est, intelligenda esse nemo non videat. Hanc porro criminationem ex occulto quodam odio profectam esse putat Rupertus, quod se prætermisso, nec admonito, eam in vulgus sparsisset. *quod reor, inquit, non fecisset, nisi aliquid occultum odii subesset.* Nescire tamen se addit ille, qua in re ipsum offendisset: *nisi quod, inquit, non mihi per omnia placebat, vel satis cautum videbatur, quod, cum esset juvenis, & de vita seculari noviter conversus, repente expetito sacerdotio publicum arripisset prædicationis officium, asserendo, ut ferebatur, quod cum auctoritate apostolica undecim suscepisset prædicationis remedio curandos episcopatus.* tum addit Rupertus: *Fateor illud mihi adhuc & sapientioribus plerisque videtur, quod ætati, & præstima ejus conversationi ordo iste, qui omnibus bene convenit, maxime convenisset, ut non ante praelatus quam subditus, sed ante subditus quam praelatus esse studisset.* Hæc non de alio intelligenda videntur quam de S. Norberto, quem, ut in ejus vita legitur, archiepiscopi, episcopi & abbates, alique in concilio Fritislariensi modo laudato redarguerunt, quod prædicationis officium usurpasset; quod ceteros clericos in concionando verbis & conviciis insequeretur, cum a nullo missus esset; denique quod insolito habitu, agnini scilicet seu caprini vestibus, indueretur. Ad hæc respondit vir sanctus, qui prædicandi potestatem, quam ratione sacerdotii sibi competere dixit, a Gelasio pontifice postea accepit, dum pontifex apud S. Ægidium versaretur, ubi erat VII. idus Novembris. Non dubitem, inquam, hunc esse beatum Norber-

ANN. CHR.
1118.XLI.
Alia in ejus
opera objectio-
nes.
a Rupert. lib.
1. in reg. S. Be-
ned.

tum, quem hoc loco notare voluit Rupertus; eumque non ex ullo occulto odio, sed zelo, quo plenus erat, rumore illum de Ruperto disseminasse.

Alii Rupertus adversarii, Willelmi in primis & Anselmi discipuli, ut ei rationem redderent, qui ipsorum magistros arguere ausus esset; scripta ejus ardentius excusserunt, eo animo, ut in eis invenirent aliquid, quo *cujuslibet hæreticæ maculæ* a opprobrium in eum regerent. Tandem scrutando se aliquid ejusmodi invenisse sibi visi sunt, in eo scilicet quod diceret, *de tenebris creatos esse angelos.* quod manifeste hæresim sapere aiebant. Ad quos respondit Rupertus, hæresim esse contradicere sacre scripturæ, hoc est, *affirmare aliquid quod ab illa negatum est, aut negare aliquid, quod ab ea affirmatum est.* Et quæ, inquit, scriptura huic sententiæ contradicit? Tum illis deficientibus reposuit, esse bonas & malas tenebras: bonas quidem, quales sunt illæ, quas Deus fecit. & Apostolus ait, de tenebris lucem splendescere: Augustinus vero censet, lucis nomine, quam Deus initio fecisse dicitur, angelos significari.

Alterum ejusdem Rupertus locum vexare cœperunt quidam alii ejus adversarii, nimirum quod dixisset, Christum Dominum in ultima cœna Judæ corpus suum non dedisse. qua de re *cum aliquo magni nominis, magnæque existimationis scholastico, licet monacho, certamen permolestum de sacramento corporis & sanguinis Domini habuit, qui sacramentum illud Judæ quoque traditori a Domino datum fuisse contendebat, allata auctoritate beati Augustini. Ejus rei necessitas, inquit Rupertus, me compulit, ut dicerem, non esse in canone scripta beati Augustini, non esse illi per omnia confidendum, sicut libris canonicis.* Eam ob rem illum, ut hæreticum, infamare cœperunt, quippe qui dixisset, *non esse in canone beatum Augustinum.* Sed tandem sententiæ suæ patrocinantem invenit beatum Hilarium, qui Judæ corpus Domini datum fuisse negat.

Quis sit ille magni nominis, magnæque existimationis scholasticus & monachus, qui cum Ruperto hac de re certamen habuit, non facile est definire. Sed tamen mihi perquam veri simile est non alium esse a Sigefrido seu Seifrido, primum priore S. Nicolai de Nemore in pago Laudunensi, dein S. Vincentii in illa urbe abbate, cui Guibertus abbas Novigenti epistolam *de buccella Judæ data, & de veritate dominici corporis* inscripsit, ab eo interpellatus, ut sententiam hac de re suam scripto aperiret. Hujus conjecturæ illud favet, quod prædictus Rupertus adversarius ad deprimendam, uti Rupertus putabat tanti sacramenti majestatem, objiciebat, quod sacramentum illud Judæ, sicut & ceteris apostolis, dedisset: *hoc nimirum intendens, inquit, quod nequaquam illi dedisset, si vera esset substantia corporis & sanguinis sui.* Eodem spectat epistola, quam Sigefridus nomine quorundam miserat ad Guibertum, cujus hæc verba sunt: *Illud quoque ad nostri adumbrationem sacrificii a quibusdam, objectari solere, quod sacramentum hoc signum magis quam veritas fuerit; & ideo Judæ, quem ante diabolum vocaverat, id ipsum Dominus irretractabiliter dederit.* quod in consequentibus confutat Guibertus, asserens, & corpus Domini; secundum S. Augustini & S. Leonis sententiam, Judæ datum fuisse, & nequaquam id officere veritati corporis & sanguinis Domini in sacramento. Porro hæc epistola, quam Sigefridus ad Guibertum misit, si ipse est, potius objectiones haud dubie proponebat ad obtinendam earum solutionem, quam ad impugnandam tanti sacramenti veritatem. Plura de Sigefrido inferius, qui post biennium S. Vincentii factus est abbas, forte magistri Anselmi discipulus.

Ad hunc usque annum Azenarius abbas Remense S. Remigii monasterium rexit. Hoc enim anno Hugo Regiteftenis comes beatæ Mariæ ecclesiam, extra muros illius castelli b sitam, quam jam dudum, velut sui comitatus appendicem, usurpaverat, ab Azenario sapius conventus, tandem in manus Rodulfi archiepiscopi, ut eam S. Remigio concederet, abdicavit. Idem voluit insuper, ut tres illius ecclesiæ præbendæ, decedentibus clericis qui eas tum possidebant, vel monachis, vel canonicis ad arbitrium abbatis conferantur. quod archiepiscopus ratum habuit. Actum Remis hoc anno Rodulfi archiepiscopi XII. Ejus hac de re litteris appositæ sunt post archiepiscopum signa Azenarii abbatis S. Remigii, Odonis tunc S. Crispini, & paulo post S. Remigii abbatis, Hugonis Altivillarensis, Joffridi seu Gaufridi S. Theodorici, Haiderici Mosomensis, Hugonis S. Bafoli, & Joranni S. Nicasii abbatum. In prædicta ecclesia collocati sunt monachi, ubi ad nostrum usque tempus perseverarunt. In mausoleo Rodulfi archiepiscopi apud S. Remigium sepulti representatur illius ecclesiæ restitutio ab Hugone comite facta in manus archiepiscopi in gratiam S. Remigii, ad

XLII.
S. Remigio ec-
clesia B. Mariæ
Regiteftenis
restituta:
a Marlot. 10.
b Marlot. 10.
c 1. p. 161.

ANN. CHR.
1118.XLIII.
Azenario ab-
bati S. Remigii
fuffectus Odo.

quem olim ante id tempus forte pertinuerat. quod in causa fuerit, ut Azenarius abbas Hugonem comitem sapius de hac restitutione interpellaverit.

Non multo post, & quidem eodem anno, Azenarius abbas S. Remigii praefecturam sponte abdicavit, cessitque locum Odoni S. Crispini abbati, qui monasterium istud in spiritualibus & temporalibus reparasse dicitur. Haec Odonis translatio facta est per Cononem seu Cunonem Romanae ecclesiae legatum, ut legitur in chronico Mauriniacensis monasterii, ex quo hic Odo ad regimen S. Crispini assumtus fuerat. De hac translatione agens Iperius, eam auctore Lamberto S. Bertini abbate factam dicit. Sic enim de ea loquitur. *In Remensi quoque civitate abbatia S. Remigii, quae potius regni fuisset appellanda nomine, sic religione & bonis exterioribus erat destituta, ut vix paucis ibi degentibus adessent subsidia vitae. Abbas igitur illius loci ex assensu proprio & honesta causa resignavit. Cum sic illius loci immineret electio facienda, domnus abbas noster Lambertus, conventionem facta cum electis Sithiensium fratribus, affuit, ad cuius nutum quasi omnium dependebat intentio. qui Odonem abbatem sanctorum Crispini & Crispiniani, quem de Sueffione secum adduxerat, virum utique ad omnia sagacem, eis eligendum proposuit. Electus igitur, velit nolit, onus suscipiens, adiutorio nostrorum Sithiensium, quos ibi Lambertus abbas noster secum adduxerat, ecclesiam illam sic in regularis propositi fervore, & in exteriorum abundantia rerum, aedificiis quoque, elemosynis & hospitalitate reparavit, ut eam cunctis illius terrae cenobiis propemodum redderet insigniorem.* Haec tenus Iperius. Certe Odonem coactum ad regendum S. Remigii monasterium e Sueffionensi migrasse testis est Nicolaus in libro II. de vita S. Godefridi episcopi Ambianensis. Porro Odonem hoc ipso anno istuc translatum fuisse ex eo colligitur, quod in recensione S. Remigii abbatum & monachorum hanc praefecturam tenuisse dicitur annis XXXIII. & novem hebdomadibus, & anno MCLI. obiisse. Ad haec Guillelmus episcopus Catalaunensis rogatu ejusdem Odonis, *ecclesiae beati Remigii abbatis, omni, inquit, veneratione dignissimi, S. Remigio confert altare S. Martini Curtis-auforum**, salvo jure episcopali & sacerdotis beneficio, quod *cantuarium* dicimus. Datum Catalauni ab incarnatione MCXVIII. indictione XII. incerto mense; ac proinde incertum an indictio XII. a Septembri numerata sit. alias haec concessio referenda est, secundum novum calculum, ad initium anni sequentis, cui indictio XII. competebat. At rem evincit concordia inter S. Luciani & S. Quintini abbates hoc anno sancita, cui Odo jam abbas S. Remigii subscripsit, ut inferius videbimus. Ceterum multa praclare gessit Odo in praefectura Remigiana, ut in consequentibus videbimus: ex quibus illud praecipuum, quod Montis-Dei Cartusiae exstruendae fundum & subsidia contulerit.

* Cantuarior.

Ad Azenarium quod attinet, quamdiu post abdicationem superstes fuerit, incompertum. Ejus obitus in epitaphio notatur IV. kal. Augusti: at in necrologio III. eadem kalendas his verbis: *Obiit domnus Azenarius abbas XI. istius loci, qui praesuit annis XVII.* Sepultus est in clauastro appposito hoc epitaphio:

*Quae non effari valet os, nec cor meditari,
His, Azenari venerande pater, satiari
Te faciat Christi dignatio, quem coluisti:
Quem magis optabas, quam vivere domnus & abbas.
Ipsi commendas animam, quartoque kalendas
Augusti linquis corpus, lacrymasque propinquas.*

Ex his versibus intelligitur, quod jam monuimus, Azenarium sponte abbatia cessisse & Christi amore, quem dignitati praetulit.

XLV.
Teulfus S. Crispini abbas.

Odone ad S. Remigii praefecturam translato fuffectus in ejus locum apud S. Crispinum Teulfus ejus loci prior, alius Theodulfus & Theoldus appellatus. Hic, ut & Odo, monachum professus erat in monasterio Mauriniacensi prope Stampas, cujus loci chronici librum primum scripsit, in veteri codice, ut in editis, mutilatum. Ejus fragmentum tantum superest, in cujus fine de se ipse auctor haec apposuit. *Mihi quoque Teulfo, qui haec dictavi, id est scripsi, qui nescio, utrum aliquid umquam huic loco profecerim, excepto quod totam bibliothecam hanc a Genesio usque ad ultimam Pauli epistolam, Augustinum de Trinitate Dei, de verbis Domini super Johannem, Moraliam Gregorii, & quosdam alios, prout melius potui, emendavi, & accentus distinxit. Qui*

ANN. CHR.
1118.a V. lib. 71. n.
89.Auctor libri
primi chronici
Mauriniacensis.XLVI.
Gosuinus Aquicinctensis missio ad S. Crispinum.
b V. lib. 72. n.
66.XLVII.
Bellum in Gallia civile.c Cheson. t. 4.
p. 365.

* Parisi.

* de Montlery.

d ibid. p. 363.

diu praceptor fui, postea vero prioratum regere tentavi: sed ita regere, ut dignum foret, partim ignorantia, partim incuria, partim infirmitate non corporis, sed morum praepediente, non potui. Tum lectorem obtestatur, ut pro se Dei misericordiam imploret. Idem Teulfus post mortem Rainaldi Mauriniacensis abbas^a electus, etsi hominem bonae famae & non mediocriter literatum esse constaret, tamen a nonnullis contumeliosis affectus & a promotione dejectus est, antequam consecraretur. quibus cedere & acquiescere maluit, quam de praefectura altercari. Hinc ab Odone abbate ad S. Crispini monasterium, utpote ipsi probe notus, accersitur; ibidemque prior instituitur; electus demum ejus loci abbas post Odonis ad S. Remigium translationem. quo in munere recte se gessit, resque monasterii non parum auxit. Primus liber chronici Mauriniacensis tribus libris accuratissime digesti, ab eo scriptus est, ut libri secundi auctor in prologo & initio libri secundi asserit. sed quis sit ille continuator, qui duos libros adjecit, mihi incompertum. Desinit liber tertius in Thevino abbate, qui pontificatu Eugenii III. praesuit. quo abbate superstite auctor ille chronicon absolvit.

His duobus abbatibus, Odone & Teulfo, apud S. Crispinum maxime viguit regularis disciplina, cui stabiliendae & fovendae non parum contulit Gosuinus^b monachus Aquicinctensis, qui ad preces Odonis abbas ab Alvise Aquicincti rectore illuc missus fuerat. Hic enim, etsi recens conversus, conversationis probitate novitatem conversionis redimebat, & juventutem morum gravitate venerabilem reddebat. Denique sicut mores ad exemplum, ita scientia ad doctrinam suffragabatur. In illa porro missione pro comite & enchiridio habuit Gregorium super Ezechielem, cujus scilicet lectione quasi a porta inferi, id est a torpore & acedia, revocatus & excitatus fuerat. Ejus missionis fructus pro voto eorum, qui ipsum petierant & miserant, respondit. Agebat id ad quod venerat, nulli inibi morantium gravis, sed amabilis universis; exemplo docens quod faciendum erat, non praecipientis auctoritate. Sic illic brevi restoruit ordo & religio. Verum cum Alvise abbas ejus opera indigeret, Aquicinctum revocatus est; ejusque loco ad S. Crispinum missus Bernardus ipsius frater, & in conversione socius, qui morum probitate, & scientia paullo inferior erat. Sed non diu Gosuinus Aquicincti remoratus est, paullo post missus ad S. Medardi monasterium, ut postea dicturi sumus.

Per id tempus grave bellum exardebat inter Ludovicum regem & Theobaldum comitem Carnutensium, Blesensium, Meldensium, aliarumque provinciarum, qui & comes palatinus erat & secundus a rege, ob idque divitiis & nobilitate tumens, inquit chronographus^c Mauriniacensis, ab adolescentia regem Ludovicum infestare coeperat. Hinc Francorum proceres, ut fit, in diversas partes scissi sunt. Regis partibus adversabatur Hugo de Creciaco, vir audax & malorum fomes, & ad quaelibet facinora promptus, qui hac occasione usus, omnia circumquaque vastabat. Hinc sunt hominum utrinque caedes, quos inter Anselmus regis dapifer apud Pureolum^{*} in Belsia interfectus est. Interim Hugo de Creciaco insigne proditionis exemplum edidit. Hic enim Milonem de Monte-Leherico^{*}, strenuum & optimae indolis virum, dominum & cognatum suum, proditione cepit, captumque & compedibus ligatum in carcerem conjecit. Verum cum diutius eum in vinculis retinere non posset, nec dimittere auderet, ne dimissus injuriam sibi factam ulcisceretur; incertus quid ageret, eum per diversa loca tractum, tandem hominem innocentem nocte suffocavit, ejusque cadaver per fenestram turris, in qua vincetus tenebatur, quasi Milo diffugere volens seipse dedisset praecipitem, clanculo projecit. Ejus tamen corpus permisit asportari, & apud Longum-pontem agri Parisiensis monasterium Cluniacensem, quod Milonis antecessorum munificentia constructum erat, sepeliri. cujus exsequiis rex ipse cum multis proceribus interfuit, & mortui funus lacrymis prosecutus est. Post haec horrendi illius facinoris accusatus Hugo, cum se duello purgare cogeretur in curia Amaraici de Monte-forti, cujus ipse Hugo filiam parvulam desponsaverat, derelictus ab eo, in quo spem singularem habebat, belli discrimen ingredi non ausus est. Sed tandem convictus, culpam confessus, ad pedes regis se prostravit, veniaque postulata terram suam in ejus manum dimisit, statimque monasticum habitum induit, haud scio an apud Longum-pontem, ubi tunc prioris^d officium gerebat venerabilis Henricus, quo agente monachi de S. Yonio, quae cella est agri Parisiensis, censum debitum Mauriniacensibus solvere compulsi sunt. Redaeto itaque ad meliorem frugem Hugone de Creciaco, Theobaldus comes & rex Angliae Henricus, cu-

ANN. CHR.
1118.

jus ex sorore nepos erat, velut amisso stimulo, pacem inierant, sicque post horridam bellorum tempestatem regno serenitas restituta. De hac dissensione Ludovici regis & Theobaldi comitis agens Petrus Blesensis, ejus originem & causam, non in Theobaldum rejicit, sed in Ludovicum, cui comes *pro sua sanctitate contemptui habitus*, & derisoriis saepe dicitur a regis tironibus lacessitus fuisse dicitur. quod cum rex Anglorum Henricus, ejus avunculus, rescivisset, nuntios ad eum cum muneribus direxerit, Gilbertum Westmonasterii, & Joffridum Crulandæ abbates, ambos in Francia genitos & educatos, qui Theobaldum ad regis Henrici colloquium in Nortmanniam invitarent. Hæc fustus Petrus Blesensis in continuatione historiae Crulandensis. Ob hanc causam aliasque gravis inter ambos reges orta est dissensio, quæ quatuor annis duravit. quo tempore Ludovicus cellam S. Audoëni, in Vilcastino sitam, quam Vadum-Nigassii * vocant, *fraudulenter*, inquit Ordericus ^a, adiit, *ac veluti monachus cum sociis militibus, qui nigris cappis amicti erant, ex insperato intravit*, & in illa cella castrum munivit: cui rex Henricus duo castella opposuit.

* Gany.
a Orderic. in-
tio lib. 12.XLVIII.
Concilium
Rotomagensis.
b Orderic. lib.
12. p. 846.

Hoc ipso anno, & quidem nonis Octobris Rotomagi congregatum est ^b concilium, in quo rex Henricus de pace regni cum episcopis & proceribus tractavit. Illic cum Radulfo Cantuariensi archiepiscopo & Goffrido Rotomagensi, ejusque quatuor suffraganeis adfuerunt Rogerius Fiscamensis, Ursus Gemeticensis, Guillelmus Beccensis, Eudo seu Odo Cadomensis, Richardus Pratellensis, Andreas Troarnensis, Guillelmus de Cruce S. Audoëni, & Osbernus Ultrispontensis abbates. Adfuit etiam Conradus clericus Romanus, Gelasii papæ legatus, qui querelas de Karolo imperatore, & de Burdino pseudopapa exposuit, iterque Gelasii cis alpes, pro quo suppetias postulavit. Ubi Ordericus *Karolum* vocat Henricum imperatorem, quem alibi ^c *Karolum-Henricum* nominat.

c Orderic. ibid.
p. 863. & lib.
10. p. 862.XLIX.
S. Luciani
controversia fi-
nita.

Per id tempus inter Giroldum S. Luciani monachorum & Rudulfum S. Quintini canonicorum regularium abbates Belvacenses mota est de quodam prato controversia, quæ jam tempore Petri S. Luciani abbatis excitata fuerat, Ivone tunc episcopo Carnutenfi. Quintinianus abbas obtendebat triennem possessionem, quam S. Luciani abbas Giroldus interruptam causabatur. Comparuere ambæ partes coram Petro Belvacensi episcopo, qui, auditis utrimque rationibus, causæ judicium ad conventum episcoporum, qui Remis eodem anno convenire debebant, referendum censuit. Episcoporum sententia dicta secundum canonicos regulares, cui S. Luciani abbas non contradixit, eamque Radulfus archiepiscopus litteris suis comprobavit. *Actum Remis anno incarnati Verbi MCXVIII. indictione XI. regnante Ludovico rege Francorum anno XI. archiepiscopatus autem domni Radulfi archiepiscopi anno XII.* His litteris apposita signa Lisiardi Sueffionensis, Guillelmi Catalaunensis, Ingelranni Ambianensis, & Clarembaldi Silvanectensis episcoporum; tum Odonis abbatis S. Remigii, Joranni S. Nicassii, Joffridi seu Gaufridi S. Theodorici, Balduini Silvanectensis, Clari de S. Justo, & Guillelmi Britoliensis abbatum, præter canonicos variorum locorum. Vix dubitem quin iste conventus episcoporum habitus sit ante mensem Novembrem hujus anni; ac proinde male ad hunc annum differtur obitus Godefridi Ambianorum episcopi ipso mense defuncti, cujus successor Ingelrannus prædicto conventui interfuit.

L.
Flaviaco con-
firmata eccle-
sias.

Idem attestantur ejusdem Ingelranni episcopi litteræ pro Flaviacensi seu S. Geremari monasterio, cui *ad preces domni Hilderii abbatis, Rogerii prioris*, ceterorumque ejusdem loci fratrum, ecclesiam Domni-Medardi, aliasque suæ diocesis ecclesias, quas ejus antecessores Gerwinus & Godefridus permisso totius capituli Ambianensis contulerant, sua quoque auctoritate confirmat. *Actum est hoc anno ab incarnatione Domini MCXVIII. in ecclesia perpetuæ virginis Dei genitricis Mariæ Ambianis sita, mense Martio VIII. kal. Aprilis.* In illa Domni-Medardi ecclesia cella erecta est a Waltero & Bernardo ejus filio, ejusdem loci castellanis, & dotata, cujus priori Hugoni Alexander III. omnes ejus possessiones confirmavit.

LI.
Crispiaci prio-
res.
d. supra n. 25.

Actum est superius ^d de Hugone Crispiacensi seu Crispeiensi priore, cujus tempore, & quidem hoc ipso anno, Adela Viromandorum comitissa, cum filiis suis Radulfo & Henrico, S. Arnulfo confert quædam prædia, ut comes Hugo Magnus, qui in via Jerosolymitana obierat, & ipsa cum suis esset particeps ejus loci suffragiorum. Imarus Crispiaci prior erat anno MCXXX. quo Innocentius II. cum Rohannæ nonis Novembris versaretur, bona omnia, quæ eidem monasterio a fundatoribus, Gualterio

ANN. CHR.
1118.

Gualterio & Adela, collata fuerant, auctoritate apostolica confirmat. Richardus Crispiaci prior erat anno MCXXXVI.

Alius videtur esse Imarus seu, ut scribi solet, Ymarus, qui apud S. Martinum de Campis monasticum habitum induit sub venerabili Matthæo priore, dein episcopo Albanensi; factus postea custos Ordinis, tum Caritatis prior, ac demum anno MCXLII. ab Innocentio II. creatus cardinalis episcopus Tusculanus, qui Lucio II. pontifice in Angliam legatus, tam incorrupte se gessit contra morem aliorum, ut ad subvertendum judicium nullo pecuniarum pretio potuerit expugnari, ut in chronico Cluniacensi ^a legitur. Idem ibidem Monasterii-novi apud Pictavos abbas fuisse dicitur, idque probatur ex litteris concordie ^b inter regem Francorum Ludovicum Juniores, & Algrinum archidiaconum Aurelianensem opera *religiosissimi viri Bernardi abbatis Claravallensis, Hugonis Autisiodorensis episcopi, Sugerii abbatis beati Dionysii, & Imari abbatis Monasterii-novi & aliorum, apud Crispiacum castrum Radulfi Viromandorum comitis factæ*, non ante annum MCXXXVII. quo Ludovicus Junior patri successit, quinto anno, antequam Imarus cardinalis ab Innocentio II. crearetur. Exstant ad eum tres S. Bernardi epistolæ.

Imarus cardina-
lis Monaste-
rii-novi abbas.a Bibl. Clun.
p. 1645.
b Chesnii to. 4.
p. 764.

Pervenit ad hunc annum Bernardus Tironiensis abbas, cujus obitum plerique cum chronographo Malliacensi biennio prævertunt. Verum huic sententiæ omnino adversatur fundatio abbatiæ beatæ Mariæ de Jugo-Dei * in pago Belioacensi * diocesis Lugdunensis, quæ hoc anno vivente adhuc Bernardo facta est. Tunc enim Guichardus Belioacensis, viso admonitus, quo in fomnis viri religiosi terram excolentes & segetes metentes ipsi ostensi fuerant; his Tironienses monachos significari ratus, Bernardum Tironii hoc anno convenit, & monachos ab eo petiit, quorum in gratiam monasterium beatæ Mariæ in villa Themaïo ad Rhodanum extruxit, ubi viros illos religiosos conspexisse sibi visus est. cujus rei instrumentum, vivente Bernardo datum, hunc annum præfert, non diem. Non diu post hæc superstes fuit Bernardus. *Imminente termino*, inquit Gaufridus ejus vitæ scriptor, *quo humani generis Creator & Redemptor tot tantisque laboribus ejusdem finem vellet imponere; ad inestimabilia stipendia undecimo ejus resurrectionis die, corporis invitatur molestia.* Dominico die in matutinis vigiliis gravi morbo correptus, e choro egressus lecto decumbere cœpit, nec tamen umquam divina officia intermisit. Morbo ingravescente in capitulum delatus, fratres hortatus est, ut institutiones ipsi datas studiose observarent, & ab eis petiit veniam, si quid in eos deliquisset. Deficientibus viribus, suadentibus amicis, ut aliquid delicatioris obsonii sumeret, minime acquievit, effatus, non minus quam alios infirmari sæculares, qui cibis lautioribus quotidie saginantur. Quinto ægroratoris die iterum ad capitulum in ipso quo decumbebat lectulo portatus, fratres ad dilectionem hortatus est, quam ceteris virtutibus & institutis præferendam dixit. Dein sacra unctione de more perunctus, atque dominici corporis & sanguinis perceptione munitus, ad cellulam revexitur. Sub vitæ exitum, visis ejus loci monachis, qui jam mortui erant, omnes cælesti gloria donatos esse intellexit præter unum. Hic multis in sæculo implicitus criminibus, insuper, cum nullius sacri ordinis gradu initiatus esset, multis annis (quod horrendum dictu est) sacerdotali usurpato officio, ad virum Dei venerat, & ab eo monasticum habitum susceperat, nulli prodens occultum illud crimen, quod commiserat. Post sex menses ad extrema redactus, quod celaverat confessus est, & *benedictionem corona, quam necdum acceperat*, quippe qui necdum professus erat, *cum viatico accepit, & obiit.* Mox turbata aëris serenitas, horrendum mugire cælum, fulgura coruscare. visi etiam dæmones, qui de ejus anima altercarentur: sed quis altercationis finis fuerit, vir sanctus ignoravit. Souchetus ad hunc locum notat quemdam suo tempore Cenomanensem, ejusdem criminis reum, petita præ valvis matricis basilicæ recte in collo, tæda in manu, solo interiori lineo tectum læso Numini venia, demum cruce luiffe. Hæc obiter. Tandem Bernardus instante obitu, convocatis fratribus suprema dedit monita; sacerdotes, ceterosque ministros admonens, ut sic altari deservirent, quo ipsi met hostia viva fierent; adolescentulos, ut illibatam corporis integritatem, veluti thesaurum irrecuperabilem, cautissime servarent; illiteratos denique, ut divinum, quod persolvere nequibant, officium, in exterioribus subserviando, sibi proprium redderent. Hinc, dato singulis osculo, pastorem eis idoneum apprecatus, spiritum Deo reddidit VII. kal. Maii, quo die in kalendario Tironiensi notatur his verbis:

LII.
Bernardus ab-
bas Tironiensis
obit.
* Jong-Diut.
* Beaujolois.

ANN. CHR.
1118.

Obitus venerabilis patris nostri Bernardi, primi abbatis Tironensis. Eundem diem signat chronographus Malliacensis seu Maxentianus, tamen in eo fallitur, quod annum ejus sæculi sextum-decimum Bernardi supremum esse dicit. Corrigendum itaque Martyrologium Benedictinum, in quo Bernardi obitus XVII. kal. Maii ponitur.

Ad annum quod attinet, certum videtur statuendum esse ejus sæculi decimum octavum, quo Bernardus paulo ante obitum monachos ad Jugum-Dei misit, ex diētis. Sed ob stare videri possit, quod cum Christus ejus laboribus finem imponere vellet, *ad inestimabilia stipendia undecimo ejus resurrectionis die, corporis invitatur molestia*, ut scribit ejus vitæ scriptor. Ex quibus colligunt focii Bollandiani, eum morbo correptum fuisse undecimo die post pascha, quod anno ejus sæculi octavo-decimo in quartum-decimum Aprilis incidebat. quod nequaquam diei ejus obitus convenire potest, unde Bernardum anno præcedente obiisse censent. Verum scriptor ille ita explicari potest, ut undecimo post resurrectionem die *ad inestimabilia stipendia* pervenerit Bernardus, adeoque VII. kal. Maii, qui hoc anno undecimus dies post pascha erat. Funus ejus post triduum magna omnium ordinum populique frequentia curatum, quem omnes, ut patriæ consolatore luxere. Quo in loco sepultus sit vir Dei, modo ignoratur, tamen in capitulo humatus creditur. Gaufridus Grossus ejus discipulus æqualis, qui res ab eo gestas litteris mandavit, & Gaufrido Carnutensi episcopo & apostolicæ sedis legato inscripsit, varia ejus miracula refert: sed tamen neque ejus corpus e tumulo levatum est, nec ullus ei publicus ecclesiæ cultus hæctenus impensus est. Celebre ejus miraculum in se patratum refert Ludovicus VI. qui se *precibus sanctissimi viri Bernardi Tironensium monachorum patris* persilentia & incurabili infirmitate liberatum fuisse testatur regio diplomate, quod in Appendice referemus. Aliud de se miraculum commemorat Theobaldus comes Blesensis & Carnutensis, cognomento Magnus, suo loco referendum. Bernardi obitum quidam ejus discipuli, qui apud Jugum-Dei residebant, ex insolito odore, qui ex pyxide ejus pilos apud se continente prodiit, intellexerunt.

Celebre est etiam nunc Tironiense monasterium, cui cellæ centum jam tum subjectæ erant cum Gaufridus Bernardi vitam scriberet: ex quibus undecim abbatie erant, scilicet beatæ Mariæ de Arcifis * diocesis Carnutensis, beatæ Mariæ de Pelicia * Cenomannensis, S. Laurentii de Vado-Alneti * ejusdem diocesis, beatæ Mariæ de Afneris * Andegavensis, S. Michaëlis de Bosco-Alberici * Tironensis, S. Leonardi de Ferrariis * Pictavensis, beatæ Mariæ de Jugo-Dei * Lugdunensis, beatæ Mariæ de Troncheto * Dolensis. Hæ abbatie in Gallia, tres aliæ sunt beatæ Mariæ de Cameis in Wallia, de Rocaburgo & de Tirono in Scotia. quæ omnes cum principe monasterio Tironiensem Ordinem constituiebant. Omnes illorum locorum abbates ad capitulum generale conveniebant. Alias cellas præterea, quarum indicem, earum scilicet, quæ vivente Bernardo conditæ erant, Innocentius II. in litteris suis exhibet, in Appendice relatis.

Inter Scotiæ monasteria Tironensis, ut appellabant, ordinis, celebre fuit Kelchovenise * prope Rocaburgum castrum, de cujus origine & incrementis libet nonnulla observare. Tironenses monachos primum anno MCXIII. in Scotiam advenisse scribunt Simeon Dunelmensis monachus & auctor chronici Mailrosensis. quod quidem decennio contigisse Simeon monet, antequam Saviniacenses monachi in ea regione viderentur. Tironenses a Davide tum duce Lothoniensium, postea Scottorum rege ab ipso Bernardo loci fundatore ac abbate expetitos & impetratos fuisse narrat Goffridus ejusdem Bernardi vitæ auctor; qui postea subjungit, Davidem postmodum Bernardi sanctitatis fama permotum in Gallias venisse ut eum inviseret. Verum desiderio suo fraudatus est pius princeps, jam enim cum venit Tironum vir sanctus e vivis excefferat. Quare satis ei fuit discipulos loco patris revereri; a quibus etiam duodecim monachos cum abbate, præter eos quos jam antea susceperat, impetravit. Hos itaque secum in patriam adductos David prioribus adjunxit, & ne monasterium, quod in primo eorum adventu condiderat, penuria laboraret, illud amplioribus & ditioribus fundis dotare curavit. Nomen loci indicat Simeon, nempe *Selechirche*, ubi monachi Tironenses annos XV. eodem testante, exegerunt; sub Radulfo abbate, nempe eo ipso qui ex Gallia advenerat, & Willemo ejus successore. At anno MCXXVIII. ut idem auctor observat, *mutata est abbatia de Selechirche ad Kelchou juxta Rochesburg, & fundata est ecclesia sanctæ Mariæ prædictis mona-*

LIII.
Ordo Tironensis, eique abbatie.

a V. lib. 71. n.

III.

* des Arciffes.

* la Pelice.

* le Gué d'Aunoy.

* Asnieres.

* Bois-Aubry.

* Joug-Dieu.

* Tronchet.

* Calco, seu Kelchou.

*chis Tironensibus**, ubi eam pius rex David magnis muneribus ditavit, multis ornamentis ornavit, prædiis & possessionibus amplius nobiliter dotavit. Herbertus jam tunc loco præfuisse dicitur cum hæc translatio facta est. qui postea Glasguensis episcopus renuntiatus est anno MCXLVII. uti legitur in chronico Mailrosensi, consecratus Autisiodori ab ipso Eugenio papa, die sancti Bartholomæi. Huic successit Ernaldus seu Arnaldus, qui & ipso anno MLX. in episcopatu sancti Andree assumtus, a Willemo Moravienfi episcopo & apostolicæ sedis legato consecratus fuit præfente rege Malcolm IV. cum regni primatibus. Ernaldo substitutus est Johannes, e cantore, qui ab Herberto episcopo Glasguensi benedictus post aliquot annos Romam petiit, indeque, ut idem chronicon habet, anno MCLXV. *mitratus rediit*. qua, si bene judico, occasione Tironensis abbatis jugum excutere conatus est. Nam in sæpe laudato chronico Mailrosensi hæc verba ad annum MCLXXVI. leguntur: *Facta est contentio inter Walterum abbatem Tironensem & Johannem Kelchoensem de subjectione, quis eorum videretur esse major*. Certe abbatia de Loudors, quam sub ejus sæculi finem David comes Huntentondix in honorem sanctæ Mariæ & sancti Andree condidit, in charta foundationis^a dicitur *de ordine Kelchoensi*. Præter hæc alia item Scotiæ monasteria ordinis Tironensis fuere. In his recensetur cœnobium de *Kylwinning*, sub titulo sancti Winnini abbatis, conditum ab Hugone de Morvilla constabulario Scotiæ, qui anno MLXII. defunctus est. nonnulli adjungunt, quamvis id non habeat charta foundationis^b in Monastico Anglicano relata, abbatiam Aberbrothensensem, quam Willemus Scotiæ rex in honorem sancti Thomæ Cantuariensis archiepiscopi, paulo post ejus martyrium condidit. Ejus loci scilicet *sancti Thomæ abbas*, & quidem primus, *Reinaldus* obiisse dicitur anno MCLXXIX. in chronico Mailrosensi. Sed de his satis, quæ visum est sic simul in unum colligere occasione Bernardi Tironensis, cujus institutum, seu *ordinem* in Scotia celeberrimum fuisse auctores domestici testantur.

Bernardo in abbatia Tironensi successit Hugo, an potius Willemus, cui Calistus II. diploma inscribit, datum Remis kal. Novembris anno MCXIX. ubi dicitur monasterium *sancti Salvatoris de Tironio, in alodio Carnotensis ecclesiæ constitutum*. Eodem anno Gaufridus de Castro-duno monachis Tironensibus decimas de sale, teloneis & pedagogis donat, idque confirmant ejus uxor Havis & filius Hugo cum filiabus suis Aupuzia & Helvisa, necnon nepote Gaufrido, filio Goffridi comitis Vindocinensis. Actum apud Tironum præsentibus Gaufrido Carnutensi episcopo, Guillemo abbate prædicti monasterii sancti Salvatoris (sic nonnumquam vocabatur, passim sanctæ Trinitatis) & Bernardo capicerio. Idem Willemus abbas anno sequenti MCXX. præclarum statutum edidit de abbatia Camensi, in Appendice referendum, quod quamdam habet convenientiam cum Charta Caritatis, quæ Cisterciensis Ordinis fundamentum est. In chronico Malliacensi Bernardo successisse dicitur Hugo abbas. quod si probatur, non uno anno abbatiam tenuit. Huic Adela comitissa Blesensis, præfente Gaufrido Carnutensi episcopo, apud Pruvinum existens, nonnulla confert apud Silvenonem. quod Theobaldus comes ejus filius confirmat. Nulla his litteris apponitur chronica nota: sed id factum sine dubio antequam Adela Marciacum secessisset, ubi monacha obiit anno MCXXXVII.

Postquam Guillemus^c S. Florentii apud Salmurum abbas annis octo & quadraginta monasterium optime rexisset, boni pastoris premium recepturus hoc anno ex hac vita migravit III. kal. Junii. Humatus est pone altare Crucifixi, ubi, aperto sepulcro venerabilis Sigonis ejus antecessoris, inventum corpus omninò integrum cum vestibus incorruptis, haud dubium certi alias Sigonis meriti argumentum. Guillemo abbate floruit in eodem monasterio Anserius^d monachus, qui ad loca sacra profectus, in reditu ad Catanensem episcopatum provectus est; idemque jam episcopus, pristini domicilii haud immemor, pretiosa ornamenta non pauca ei dono dedit. Quam ob rem institutum est ibidem ejus anniversarium, notatum in necrologio his verbis: XVII. kal. Novembris *anniversarium domni Anserii Cathanensis episcopi. Iste multa bona ecclesiæ nostræ contulit*.

Guillemo piæ recordationis abbati successit XII. kal. Julii Stephanus, eo nomine primus, haud imparis meriti, domo Burgundio, clarus genere, sed clarior honestate, ut in chronico S. Florentii legitur, & litteris apprime eruditus, qui tam virtutis quam rei domesticæ curam & sollicitudinem gessit. Ejus tempore sæpius agi-

Annal. Bened. Tom. VI.

D ij

ANN. CHR.
1118.
* Edit. male
Turonensibus.a Monast. Angl.
no. 2. p. 1052.

b ibid.

Bernardi successores.

LI V.
Guillelmo Salmurensi abbati succedit Stephanus:
c V. lib. 63. n. 62.Anserius episcopus illic monachus.
d V. lib. 68. n. 26.

ANN. CHR.
1118.
* Lodun.

tata fuit controversia super ecclesia S. Nicolai de Lausduno * diœcesis Pictavenſis contra Franconem & monachos Trenorchienſes, primum quidem coram Petro Pictavorum episcopo, cujus sententiam secundum Salmurenſes confirmarunt legati apostolicæ sedis Bruno, Seguinus, & Richardus Albanenſis; deinde in concilio Engolismenſi, præſidente Girardo episcopo & apostolicæ sedis legato, approbantibus Gisleberto Turonum, & Bernardo Aufciorum archiepiscopis, necnon Guillelmo Pictavenſi, Gregorio Hegorenſi & Guillelmo Petragicenſi episcopis; ac demum jussu Callisti II. denuo retractata. Anno sequenti MCXIX. Guillelmus Pictavorum antistes ecclesiam Samarchaliæ * contulit eidem monasterio, quod tua, inquit, sanctiras Deo auctore gubernat, Stephane frater carissime. Eo abbate cella S. Petri de Mor-tone diœcesis Pictavenſis erecta fuit.

LV.
Nobiliacen-
ſes & Tala-
mondenses
abbates.

Prædictus Willelmus Pictavorum præſul hoc anno comprobavit concordiam inter Radulfum Nobiliacenſem & Willelmum Talamondenſem abbates factam super ecclesia de Auriliaco, quam Nobiliacenſes Talamondenſibus sub annuo censu ceſſerunt. Radulfus Nobiliaco præſe cœperat a biennio, quo Gaufrido seu Goffredo abbati ſucceſſerat. Guillelmus ejus ſucceſſor jam locum regebat anno MCXXX. ſuperſtes ſaltem ad annum MCXLVII. Ejus ſucceſſores Rotbertus, Joſcelinus de Mortuo-mari, & Guillelmus de Molendinis reliquum hujus ſæculi tempus occuparunt, nulla re memorabili inſignes. Alexandro Talamondenſi abbati paulo ante ſucceſſerat prædictus Guillelmus, qui non multo poſt cum Terbaudo Malliacenſi abbate ſubſcripſit litteris ejuſdem Guillelmi episcopi, cognomento Gisleberti, quibus concordiam quamdam, inter abbatem Majoris-monasterii & Lacionenſem, initam confirmavit.

LVI.
Humbertus c
Cafa-Dei mi-
gratad Claram-
vallem.
a V. lib. 72. n.
15.
b Exord. mag.
Cisterc.

Tunc temporis in Caſa-Dei monasterio sub Stephano a de Mercorio abbate flo-rebat Humbertus monachus, qui illic a puerilibus annis per viginti annos in religione Domini b militaverat. Cum autem fragrantiffimus nascentis Cisterciensis Ordinis odor ac beati Bernardi fama circumquaque diffundi cœpiſſet; hic perfectioris vitæ studio Claram-vallem se recepit in ipſo fervoris principio domus illius: ubi ad eum caritatis, manſuetudinis, humilitatis, ceterarumque virtutum gradum pervenit, ut Bernardus ipſe, vir tantus, eum ſibi imitandum propoſuerit. Qualem porro de ejus ſanctimonia opinionem habuerit, luculenter probat ſermo in Humberti obitu ab ipſo Bernardo habitus, in quo ſuos Clara-vallenſes alloquens: Nobiscum, inquit, triginta annis ab ipſo pene principio monasterii converſatus eſt, nimirum tam apud Claram-vallem, quam apud Igniacum, cujus primus abbas exſtitit. Cum itaque anno MCXLVIII. mortuus ſit Humbertus, ejus ſecellus Claram-vallem non ante hunc annum ſtatu potest.

LVII.
Tornodoren-
ſis chartæ notæ
chronicæ ſin-
gularæ.

Mihi ſubinde non levis ſuborta eſt ſuſpicio, num ſedem Lingonenſem duo episcopi, Joſceranni nomine, unus poſt alterum tenuerint, quorum prior ſedem illam anno MCXII. inierit, obieritque ante Bernardi Clara-vallenſis abbatis ordinationem, quæ vacante illa ſede facta dicitur a Willelmo: poſterior poſt illam ordinationem creatus ſit. Verum hanc ſuſpicionem penitus ſuſtulit instrumentum commutationis, a Widone S. Michaëlis Tornodorenſis monasterii & quodam milite caſtri Montis-regalis, Hugone nomine, factæ: quorum ille quoddam prædium ad S. Columbam, in Avalenſi territorio ſitum, utpote a monasterio nimis remotum, commutavit pro quadam terra, quam prædictus Hugo in ſuburbio Tornodorenſis caſtri poſſidebat. Acta ſunt hæc in eadem ecclesia ſancti Michaëlis in monte Voluto, & in capitulo confirmata anno ab incarnatione Domini MCXVIII. menſe Septembri, die ejuſdem menſis XXVIII. quod eſt III. kal. Octobris, in quo die per univerſum orbem ejuſdem beati archangeli Michaëlis celebratur memoria, indiſtione XI. in cathedra Romana ſedis apoſtolicæ reſidente papa Gelasio, Johanne ſcilicet Gaëtano, anno ordinationis ſuæ i. monarchiam regni Francorum gubernante potentiffimo rege Ludovico cum Adalaidæ uxore ſua anno regni ſui XI. reginæ vero IV. LINGONICÆ SEDIS EPISCOPO GOSCERANNO ANNO ORDINATIONIS SUÆ VI. duce Burgundiæ Hugone, Nivernenſum comite Willelmo, ejuſdem monasterii exiſtente abbate præſato Widone, & anno ordinationis ſuæ XXII. Compoſita a Willelmo Pontifarenſe ejuſdem monasterii monacho, ſcripta vero per manum pueri Jong. Ex quo manifeſtum eſt, Joſcerannum seu Goſcerannum, qui anno MCXII. ad Lingonenſem episcopatum promotus eſt, eundem eſſe, qui poſt Bernardi ordinationem ecclesiam illam rexit ad annum MCXVIII. qui & ad annum MCXXIV. ſedem illam tenuit. ac proinde Lingonenſem non vacaſſe, cum Bernardus

ANN. CHR.
1118.

anno MCXV. ordinatus eſt abbas. His litteris appoſita ſunt ſigna Widonis abbatis Tornodorenſis, Bernardi S. Johannis Reomenſis cœnobii, Warnerii prioris, & aliorum. Idem Wido Tornodorenſis abbas ſuperſtes fuit ſaltem uſque ad annum MCXXXIV. quo Guillelmus comes Nivernenſis, qui fuit natus de filia Lancelini de Baugenciaco, quaſdam conſuetudines monasterio S. Michaëlis remittit, laudante Adalaidæ comitiſſa ejus uxore, cum filiis ſuis Rainaldo & Roberto.

Ad Bernardum Reomaenſem abbatem quod attinet, is ſui monasterii ecclesiam a fundamentis renovavit, eidemque loco præſuit ab anno MCIX. uſque ad annum MCXXXIX. Hic multam habuit litem cum Arnaudo abbate S. Petri-Vivi. Guilencus seu Wilencus Lingonum præſul omnes antecellorum donationes a Reomaenſibus factas, poſtulate Bernardo abbate, confirmavit, quaſque ſanctimonialium abbatias, Orbiaci * videlicet ac Rubei-montis *, in fundo monasterii conſtructas, quæ ſe ab ejus ditione ſubtrahere volebant, eidem ſubditas permanere voluit.

Interim nova in dies incrementa proferebat novella Cisterciensis propago, maxime linea Clara-vallenſis. Quinque a Manrico memorantur ad hunc annum nova monasteria, Pruliacum ſcilicet, Curia-Dei, Bona-vallis, Tres-fontes & Fontanetum. Pruliacum in diœceſi Senonenſi conditum a Theobaldo Campaniæ comite & Adela ejus matre, qui fundum ab Holdewino de Gligniac b & Richelde ejus uxore pretio compararunt. Primus illius monasterii abbas Artaldus, Bernardi socius apud Cistercium & amicus præcipuus, ut ipſius ad eum epiſtola LXXV. fidem facit. Alia eſt ejuſdem nominis abbatia nigrorum monachorum in diœceſi Turonenſi.

De Curia-Dei conſtructione hæc leguntur in domeſticis instrumentis: Anno ab incarnatione Domini MCXVIII. II. * kal. Maii, indiſtione XI. facta eſt abbatia Curia-Dei, videlicet in diœceſi Aurelianenſi. Quinam fuerint ejus fundatores, nobis incompertum. Primus loco præſuit Almairicus abbas, cujus obitus notatur kalendis Maii: ſecundus abbas Robertus kalendis Februarii memoratur. Ceteros abbates omitto, qui ex necrologio repeti poſſunt. Anno MCLXIX. nova baſilica inchoata fuiſſe dicitur, & anno MCCXVI. abſoluta & conſecrata.

Bona-vallis * Viennenſis, alia a Carnutenſi nigrorum, hoc quoque anno condita dicitur, ejuſque origo Guidoni Viennenſi archiepiscopo, qui poſtmodum Calliſtus II. dictus eſt, a Cisterciensibus tribuitur. Tradunt ſiquidem Guidonem Viennenſem archiepiscopum & apoſtolicæ ſedis legatum, in reditu e Divionenſi concilio Cistercium divertiffe, & a Stephano abbate obtinuiſſe, ut inſtituti ſui monasterium in Viennenſi diœceſi conſtrueret, ejuſque rei cauſa Stephanum cum eo Viennam adiiſſe, & in proxima valle Bonæ-vallis monasterium, archiepiscopo adjuvante conſtruxiſſe. Verum quid ad ejus conſtructionem contulerint S. Petri extra portam Viennenſem monachi, non dicunt. quod tamen diſcimus ex quodam instrumento in Appendice relato, in quo ſic factum narratur. Egreſſi e Cistercio quidam eremita, Johannes, Gervafius, & alii, in parochia S. Symphoriani in Maleo, quæ erat juris S. Petri, habitare voluerunt. quo audito, Deſiderius abbas & monachi S. Petri Guidonem archiepiscopum & S. Mauricii canonicos, quorum antecellores pro fundatoribus habebant, interpellarunt, ut ne id fieri ſinerent in ſui detrimentum. Sed a Sicbodo de Bello-vedere, qui hos eremitas ad abbatem & monachos adduxerat, multis precibus flexi, tandem ad illum locum venerunt, & ſixis præſente archiepiscopo terminis, eum conceſſerunt, ut, ſicut amici, ſalvo Cisterciensium inſtituto, juxta eos habitarent; & ſi aliquando prædictus locus ab eis deſereretur, ad monasterium S. Petri reverteretur. Huic conſeſſioni ſubſcribere Guido archiepiscopus, Deſiderius abbas, multique alii: qua de re notitia poſt biennium facta eſt, cum Guido archiepiscopus jam ad ſummum pontificatum provectus eſſet. Sane Calliſtus ipſe in bulla pro Viennenſi ecclesia a Baronio c relata teſtatur, abbatiam S. Mariæ de Bona-valle ſuis ipſius ſumtibus & laboribus fundatam fuiſſe. Hanc autem abbatiam illuſtravit in primis Johannes primus ejus abbas, dein Valentinus episcopus; tum beatus Petrus, poſtmodum Tarentaſienſis archiepiscopus; atque Amèdeus, Alta-cumbæ olim dominus: in cujus actis Bonæ-vallenſium conſerſatio deſcribitur. Hi poſt diurnum laborem in ſilvis & agris, circiter horam nonam prandendi cauſa domum repedabant, ubi quidquid eis apponebatur, pro magnis deliciis habebant, fame condimentum præbente. Panis lolio & vicia miſtus: potus plus aquæ habens quam meri: ſcutella plenæ rapis & oleribus offerebantur pro piſcibus. Hæ Bonæ-vallenſium deli-

LVIII.
Bernardus ab-
bas Reomaen-
ſis.

a Hiſt. Reom.
p. 187.

* le Puis d'Orbe
* Rougemont.

LIX.
Cisterciensium incre-
menta hujus
anni.

b V. Append.

* i. pridie.

* Bonnevaux.

c Baron. ad
an. 1120.

ANN. CHR.
1118.

ciæ erant. Tria hæc monasteria protulit hoc anno familia Cisterciensis : duo alia Clara-vallenfis.

Abbatiam Trium-fontium in dioecesi Catalaunensi, petente & agente Willelmo de Campellis episcopo, Bernardus construendam curavit, eique Rogerium, genere nobilem, sed nobiliorem sanctitate, abbatem præfecit. Fundum construendo cœnobio contulere Compendienses canonici ad petitionem regis Ludovici & Adelaidis reginæ, atque comitis Theobaldi, necnon Gosleni Sueffionensis, Gaufridi Carnutensis & Guarini Ambianensis episcoporum, ipsiusque Bernardi abbatis, ut patet ex Compendiensium litteris, a me relatis in notis ad Bernardi epistolam ad Guidonem Trium-fontium abbatem, qui Rogerio successerat, cum hæ litteræ datæ sunt, anno scilicet duodecimo a monasterii primordiis, quæ prima Clara-vallis filia est.

Fontanetum, secunda ejus proles, sita in dioecesi Eduensi una leuca a castro Montis-Barri, incertos habet auctores. Primus ejus abbas Godefridus, Bernardi secundum carnem propinquus, & socius in conversione, provectus demum ad episcopatum Lingonensem. Illius loci ecclesiam Eugenius III. consecrasset dicitur. Hi fructus hujus anni Cisterciensium, qui plurimos alios deinceps protulere.

In Anglia obiit hoc anno kalendis Maii Mathildis regina, Henrici Anglorum regis conjux, a teneris in Wiltoniensi educata monasterio, & tantum non monacha, quæ, cum duos partus edidisset, Henricum, ac filiam cognominem, rege alias intento, ad Westmonasterium secessit: ubi multis annis morata est, teste Willelmo Malmesburienfi; nec tamen ei quidquam regiæ magnificentiæ defuit. Illic cilicio sub regio cultu indura, nudipes diebus quadragesimæ ecclesiarum limina terere consueverat. Nec horrebat lavare pedes morbidorum, quantumvis ulcere & sanie horridorum, quibus etiam mensam instruebat. Id vitio ei datum, quod in externos profusus, in populares parcius esse videretur. Funus ejus magnifice curatum apud Westmonasterium, eamque cælum incolere non frivolis signis ostensum tradit Willelmus. Successit post tres annos in regium thalamum Adela, filia Godefridi ducis Lovaniensis.

Hoc item anno decessisse creditur Florentius Wigorniensis monachus, cujus chronicon in anno præcedente desinit, quod alii Wigorniensis monachi profecuti sunt. Hujus historiæ Wigorniensis exemplar nactus monachus quidam Abendonienfis anno MCXXXI. eam in cœnobii sui usum eleganter descripsit, additis quibusdam lacinis, quæ vulgatæ sunt in tomo I. Angliæ sacræ: quo nullum meliorem illius historiæ codicem existare Angliæ sacræ editor arbitratur; censetque manco ac vitioso codice usum fuisse Guillelmum Howardum, qui Florentii chronicon primus vulgavit. Ibidem editor ille non dissimulat, historiam ecclesiasticam Anglicanam, præsertim antiquiorem, monachorum Abendoniensium diligentiam plurimum debere.

Obiit etiam Petrus abbas Cavenfis & primus Policastrensis episcopus, de quo in superioribus actum est. Paulo ante ejus obitum Johanni de Diano, ejus capellano, tres sancti Cluniacenses abbates, Odo, Mayolus & Odilo, apparuisse dicuntur, & instantem Petri obitum prænuuntiasse. Vitam sanctissime clausit vir sanctus, maturus annis, sed probitate maturior, IV. nonas Martias hujus anni; sepultusque est in spelunca, ubi beati Alferii cella fuerat, quæ in oratorium beati Michaelis archangeli mutata est. Sergius monachus & monasterii armarius, qui in viri sancti sepulcrum spuere ausus fuerat, mortui sanctitatem revereri demum coactus est, cum ob illud facinus faciei tumore & oris tortitudine percussus, non alio remedio, quam beati Petri invocatione sanari potuit. Simile quiddam Urfino monacho accidit, qui Petri sanctitati detraxerat. Hæc idoneis testibus probat Anonymus abbas Venusinus, qui quatuor primorum Cavenfis abbatum gesta in litteras retulit. Exstat apud Ughellum^b prolixum carmen de S. Petro abbate & Policastrensi episcopo. Cum senio jam defectus esset, monasterii curam, probantibus fratribus, Constabili monacho commisit, qui Cavæ quartus abbas fuit. Hic ex Lucania provincia ortus, ab ipsa pueritia beato Leoni secundo abbati Cavenfi in divino cultu erudiendus a parentibus traditus fuit, a Petro abbate deinde in monastica disciplina plenius instructus. Tum factus abbas tanta in fratres benignitate præditus erat, ut fere nullus esset, qui conscientia suæ vel minima errata ei non aperiret. Ille vero delinquentes sic tegere solebat, ut *Operimentum fratrum* appellaretur: ut scilicet quos poenitentia remedio purgaverat, sine alicujus infamiae nota semper venerabiles alius demonstrare possent.

L X.
Mathildis regina obiit.Florentius
item Wigornienfis.L X I.
Petro abbati Cavenfi succedit Constabilis.
a lib. 65. n. 77.
et 78.b Ital. fac. 70.
7. p. 775. et 779.

Eodem etiam anno decessisse dicitur Lidanus seu Ligdanus abbas die secunda Julii, postquam annos LXXII. in suo monasterio explevisset. Natus est in opido Antenæ in Sicilia, patre nomine Gentili matre Cæcilia, familia perillustri. Adhuc puer in cœtum Casinatium adscriptus, mortuis parentibus in patriam regreditur; indeque in Campaniam Romanam regressus, ex bonis paternis locum solitarium, cui nomen Ad-tres-Areus, stadiis ferme XXXII. ad Antoniani montem ab urbe Setia seu Setino* distitum, comparavit, ibique cum facultate Palladii Setini episcopi (nam hæc urbs olim proprios habuit episcopos) monasterium in honorem beatæ Cæciliæ ædificavit. Illic factus abbas magnum brevi discipulorum numerum congregavit, qui ad panem & aquam, numquam carnes, vix unquam aliquid obsonii apponebant. Vitam produxit usque ad Gelasii pontificatum, quo tempore inter mortales vivere desit. Ejus corpus jussu Drusini episcopi Setinum delatum, in æde sacra S. Mariæ sub ara principe reconditum est, caput peculiari argentea theca inclusum ad Setinorum opidanorum solarium, qui S. Lidanum ut præcipuum patronum colunt. Vita ejus a Dionysio monacho Casinate scripta fuisse dicitur, ejusdemque miracula non pauca referuntur. Eruditum Commentarium de civitate & ecclesia nuperrime scripsit illustrissimus Petrus-Marcellinus Corradinus Setinus, recens factus auditor sanctissimi pontificis Clementis XI. aitque sedem illam Tarracineni unitam fuisse.

[In minori Britannia florebat tunc Robertus episcopus Corisopitenfis, vir præclaris facinoribus in primis commendandus, qui peccata sua elemosynis redimere & Deum de sua substantia honorare cupiens, assensu & consilio totius capituli sui quamdam curtem suam, insulam scilicet sancti Tutuarni episcopi, vulgo insulam Tristandi dictam, necnon & propriam domum suam quæ Britannica lingua Hamoth vocatur, cum omnibus redditibus & appenditiis suis, monachis Majoris-monasterii in perpetuum libere & quiete possidendam dare decrevit. Anno igitur ab incarnatione Domini MCXVIII. indictione XI. ut quod mente conceperat opere completeret, Majus expetit monasterium, & donum de his omnibus in manu domni Willelmi abbatis, omni vidente ejus capitulo, posuit. *Hæc sunt autem*, inquit; *quæ ipsis monachis, concedente nostro unanimiter clero, necnon Conano Britannorum duce, cunctisque baronibus Cornuallie ob animæ, antecessorum sive successorum meorum salutem, dedi & in perpetuum habere concessi, ecclesiam videlicet S. Tutuarni cum omnibus redditibus & appenditiis*, &c. quæ fusius enumerat. His post tres annos & alia superaddidit, concedentibus & subscribentibus suis canonicis.]

Eodem tempore Philippus Trecurum episcopus insigne Majoris monasterii monachis privilegium concessit, quo ea omnia quæ in sua dioecesi possidebant confirmat. *Hoc autem privilegium firmatum est anno MCXVIII. ab incarnatione, Ludovico rege regnante & Hugone comite Campania dominante.* Idem Hugo de mammona iniquitatis amicos sibi facere desiderans, ad imitationem prædecessorum suorum comitum, Majoris-monasterii monachos, quos religiosiores & affiniore, immo ab antecessoribus suis plus aliis honoratos esse cognoverat, ab omni infestatione & inquietudine defendere statuit, eaque omnia quæ cum a se tum ab hominibus suis eis data fuerant vel donanda, *pro mea*, inquit, *meorumque salute, tum pro reverentia B. Confessoris Christi Martini, tum pro amicitia & familiaritate quam in me habent, ego in eis cartula hujus notulis confirmo & sigilli mei impressione consigno.* Actum anno ab incarnatione MCXVIII. Ludovico sceptrum tenente Francorum, Philippo autem Trecentum episcopo. Subscribunt Andreas comes, Gosbertus dapifer, Guido de Domno-Petro, Arnoldus de Domno-Petro, Theobaldus præpositus. Sub ejus principatu fundata est a Theobaldo de Domno-Petro cella S. Petri de Domno-Petro, laudante & approbante *venerando episcopo Philippo in concilio*, astante *venerando collegio abbatum & monachorum clericorum sicut in plenaria synodo*: testes fuerunt Josmerus seu Gosmarus Cellæ S. Petri, Lambertus Pultariensis, Otho Arremarensis, Aimericus Oienfis, Hugo S. Sepulcri abbates. Hanc postea fundationem confirmavere Elizabeth uxor Theobaldi & Wido filius ejus, ac primæ donationi addiderunt furnum unum, unde factum est ut monachi *sex fortissimos boves, quos dominus Theobaldus moriens eis tradiderat, domina Elizabeth reddiderunt.*

Circa hoc tempus Hildebertus Cenomanorum episcopus videns quorundam clericorum studio singularem vitam professorum ecclesiam S. Georgii in Silva quæ a Monte-aureo duobus distat millibus, a primo decidisse instituto, & in pristinam eam sperans,

ANN. CHR.
1118.
L X I I.
Lidanus abbas obiit.

* Setina.

L X I I I.
Insula Tristandi data Majori monasterio.L X I V.
Philippi episcopi Trecentis & Hugonis comitis privilegium pro Majori monasterio.L X V.
Abbatia canonicorum regularium S. Georgii.

ANN. CHR.
1118.
de Nemore
data Willelmo
abbati reformanda.

reformare dignitatem; cum eo in opere oleum & operam perdidisset, & rigor propositi eo usque defecisset, ut eorum praelatus Mattheus nomine, nomen abbatis gerens, sacram contereret professionem, & egressus in regionem dissimilitudinis & locum relinqueret & votum, de restauratione ejusdem loci sub ordine regulari desperans, praedictam ecclesiam Willelmo Majoris-monasterii abbati tradidit, ut monasticum ordinem qui in ea dudum celebris fuerat reformare satageret. Verum haec donatio locum non habuit, nam ecclesiam S. Georgii de Nemore haecenus possident canonici regulares.]

ANN. CHR.
1119.
LXVI.
Gelasio papa
suffectus Callistus II.

NOvo ineunte anno, ejus saeculi decimo-nono, Gelasius papa Viennae in Gallia concilium habuit, ad ordinandum ecclesiae statum, sed nulla ejus acta habentur. Inde ad Cluniacense profectus monasterium, illic eo quo decuit honore exceptus, ac magnifice tractatus est simul cum episcopis & cardinalibus, qui in ejus comitatu erant. Verum post non multos dies tam saevo lateris dolore correptus est, ut mortem sibi immineret non dubitaverit. Quare de successore qui in tanto rerum turbine fluctuantem ecclesiam posset regere, sollicitus, Cunonem Praenestinum episcopum, qui praefens aderat, cardinalibus suggestit: at ille se tanto impari oneri agnoscens, auctor fuit, ut Widonem Viennensem archiepiscopum praerferrent, qui & rerum gerendarum experientia, & generis nobilitate atque auctoritate afflictam reipublicam succurrere valeret. Huic Gelasius Vienna discessurus praecerat, ut se Cluniacum subsequeretur. at ille in ipso itinere eum morte sublatum accepit. Morti proximus pontifex, facta confessione, corpus & sanguinem Domini percepit, & juxta normam monasticam strato terrae corpusculo, sancta illa anima carne soluta est, & quidem iv. kal. Februarii, cum annum unum & quatuor dies sedisset. quo quidem pontifice post martyres vix ullum invenias, Baronii judicio, qui breviori tempore majora sit passus, ob idque praecleariori corona donandus, atque majoribus praconiis celebrandus. Ejus corpus in Cluniacensi basilica honorifice, ut par erat, humatum est ad australem chori parietem, ea tranversa parte, qua monachi in chorum conveniunt. Huic convenienter aptatur, quod ipse pro pontificio dicto litteris suis propria manu adscribere solebat, *Dominus in loco sancto suo.*

[Triduo post Gelasii mortem, convenientes, qui cum eo erant, cardinales, in ipso Cluniacensi monasterio Guidonem Viennensem archiepiscopum, imperatoris consanguineum in summum pontificem elegerunt, sperantes afflictam tandem ecclesiam pacem per eum reddendam. Hi factam a se electionem fratribus suis cardinalibus qui Romae existerant statim perlitteras & nuntios significarunt, qui ratam eam habuerunt, ut patet ex litteris quas episcopi, presbyteri & diaconi cardinales secundum ordinem suum separatim dederunt. Verum non solum cardinales, clerus populisque Romanus Guidonis electionem approbarunt, sed ipsi etiam haeretici seu schismatici, scilicet R. S. Eusebii cardinalis, G. SS. Apostolorum, & M. S. Pancratii abbas, quorum in amplissima Collectione^a retulimus litteras ad Callistum papam, quae sic incipiunt: *Etsi litterae electionis vestrae ad nos non venerint, ea tamen nobis manifestata, gavisi sumus, orantes Deum, ut si quid in ea minus est, gratia ipsius benigna vobis & nobis impleat. Nos quod jam per septennium plurimum fatigati, pro catholicae veritatis confessione vix jam valentes sufficere, postulamus per Dei misericordiam respirare. Verum quia id in vobis obtinere posse Deum credimus, electionem vestram, quam neque lepra Simonis, neque tumor ambitionis infecit, tamquam a Deo datam amplexi sumus, &c.* Subscribunt similiter presbyter Bonus-homo, presbyter Berardus, presbyter Angelus S. Andreae, presbyter Angelus, Johannes archipresbyter S. Mariae Rotundae, Dodo presbyter S. Mariae in Aquiro, Desiderius archipresbyter SS. apostolorum cum omnibus clericis ejusdem ecclesiae, presbyter Stephanus, presbyter Johannes S. Nicolai, Angelus S. Mariae in Via, Berardus S. Basilii, Astaldus & Johannes S. Apollinaris, presbyter, Marinus S. Petri ad Vincula, presbyter. Leo, Nicolaus S. Laurentii in Lucina, cum pluribus aliis.]

Callisti II. nomine donatus, Cunonis cardinalis judicio & omnium expectationi optime respondit, sinemque operatum diutinae illi & turbulenta de investituris controversiae ante obitum tandem feliciter imposuit. Interim ejus legati apud Triburias conveniunt imperatorem, qui indictae Remos synodo, ut ecclesiae reconciliaretur, se sisteret, interpellarunt.

Id

Id ipsum ab eo flagitarunt Willelmus Catalaunensis praesul & Pontius abbas Cluniacensis, qui eum apud Argentinam convenerunt. Postulatis annuere visus est imperator, sed promissis non stetit. Cum ad eum pergeret una cum Willelmo Pontius, contigit eum Gevennam divertere: cujus urbis episcopus Guido eidem Pontio, quem amicum suum vocat, Condominii ecclesiam sive cellam confirmat. Insignis est ejus rei charta, in Appendice relata, in qua Guido progenitores & propinquos suos nominat, data in civitate Gebenna in claustrum beati Petri, praesente inter alios domino Catalaunensi episcopo, qui cum praedicto abbate pro pace regni & sacerdotii ad dominum imperatorem Heinricum proficiscatur. Actum anno Dominicae incarnationis MCXIX. secundo nonas Septembris. Hic prioratus de Contamina vocatur in bibliotheca^a Cluniacensi, ubi debebant esse duodecim monachi priore computato, & celebrari duae missae alta voce, & una submissa. Eidem cellae suberant tres alii prioratus, nimirum prioratus de Silingiaco, de Tiés, & de Rosaco.

Res in concilio Remensi gestas accurate scripsit e Germanis Hesso scholasticus a Tegnagello editus, qui negotii pontificis & imperatoris gestionem, a Willelmo Catalaunensi episcopo & Pontio abbate Cluniacensi factam, fuse explicavit. E nostris autem Ordericus-Vitalis unus omnium accuratissime illius synodi acta litteris mandavit. Callistus itaque medio mense Octobri cum Romano senatu ad urbem Remorum accessit, ibique quindecim demoratus diebus, de rebus ecclesiae tractavit. Illic convenere quindecim archiepiscopi, & episcopi amplius ducenti cum multis abbatibus, aliisque dignitatibus ecclesiasticis, ex omnibus regionibus a papa evocati. In his Moguntinus archiepiscopus (is Adelbertus erat) cum septem praesulibus, quingentorum hominum cohorte vallatis, adfuit. Convenere omnes xv. kal. Novembris ad metropolitanam ecclesiam, ipsoque die pontifex missam celebravit, & Turstinum seu Turstanum Eboracensem electum consecravit; sequenti dominico Fridericum, qui Olberto Leodicensi episcopo mortuo subrogatus erat. Biduo post, scilicet xii. kal. Novembris ante crucifixum ordine dispositae patrum sedes. In sublimi consistorio, ante januas ecclesiae, pontificis sedes posita erat: cui primo ordine assidebant Cuno Praenestinus praesul, Boso Portuensis, Lambertus Ostiensis, Johannes Cremenensis, & Hatto Vivariensis, qui pra omnibus propositas quaestiones discutebant: Chryzogonus vero diaconus, dalmatica indutus, papae adstant, canonum volumen manu gestans. Post litanias pontifex evangelium Matthaei de discipulis a Domino jussis praecedere trans frerum, & tempestate jactatis, sed a Christo sedata, latine exposuit, & tempori aptavit. Tum Cuno, assumto ex libro Geneseos Jacobi exemplo, pastores ad curam gregis adhortatus est. Dein rex Ludovicus cum principibus Francorum ingressus, querelas in Heinricum regem Anglorum protulit, qui Nortmanniam Rorberto fratri, homini suo, quem in vinculis detinebat, vi eripisset, & Tetbaldum Campaniae comitem in se rebellare fecisset. Rege audito, multisque aliorum querelis, omnes pontifex ad pacem hortatus est, petitisque induciis, Mosomum ad imperatoris colloquium adiit, dato mandato, ne quis ex urbe recederet, ne quidem Gaufridus S. Theoderici abbas, cujus monasterium urbi proximum erat. Itaque feria quinta Mosomum profectus, Remos sequenti dominico die regressus est, ne quidem viso imperatore, qui non sine maligno consilio cum triginta millibus armatorum illuc venerat. Tanta vero festinatione reversus est, teste Hessone, pontifex, ut Mosomo die dominico egressus ante lucem, eadem die Remis, viginti leucarum facto itinere, missam ipso die celebraverit. Feria secunda Hucbaldus Lugdunensis archiepiscopus, qui Josceranno e nostris recens successerat, conquestus est, quod Pontius Cluniacensis abbas ecclesiae suae debitam subjectionem, suorumque ordinationes clericorum ac decimas denegaret. Ad quae Pontius modesta voce respondisse dicitur, Cluniacensem ecclesiam, nulli praeterquam Romanae, obnoxiam esse; se ejus privilegia & jura, sicut venerabilis Hugo, alique ejus antecessores habuerant, constanter servaturum. Ceterum pontificis esse, ut ecclesiam ipsi peculiari titulo commissam defendat. Re in crastinum dilata, Johannes Cremenensis proluxa oratione Cluniacensium jura asseruit: de quibus nonnulli altercati sunt. In hoc conventu Gerardus Engolismensis, Hatto Vivariensis, Gaufridus Carnutenensis, & Guillelmus Catalaunensis duces verbi praeter ceteris fuisse perhibentur. Eodem die nuntius de morte Tusculani cardinalis-episcopi, quem Divitium vocabant, nuper in itinere defuncti, & epistola Clementiae papae

Annal. Bened. Tom. VI.

E

ANN. CHR.
1119.
LXVII.
Pontius abbas
ad imperatorem
missus.

Condominii
cella.

a Bibl. Clun.
p. 1708.

LXVIII.
Concilii Remensis
acta.

^a Ampliff. Collect. to. 1. p. 649.

ANN. CHR.
1119.

fororis de obitu Balduini Flandrensiū comitis filii sui allata est, pro quibus a pontifice & ab universo cœtu fuscæ ad Deum preces. Extremo concilii die papa Karolum-Heinricum imperatorem, & Burdinum pseudopontificem, eorumque fautores excommunicavit. Denique concilii decreta, quæ contra simoniacos, investituras, & ecclesiarum prædones edita sunt, Johannes Cremenſis *ex consultu Romani* senatus dictavit, Johannes Rotomagensis S. Audoeni *monachus in charta notavit, Chryſogonus S. R. E. diaconus distincte & aperte recitavit.* Hac strictim ex Orderico.

LXIX.
Turſani Eboracensis consecratio impro-
bata.
a Eadmer. lib.
5. hif. novor.

In eodem concilio ventilata est quæſtio de consecratione Turſtani electi Eboracensis, qui hæctenus a Radulfo Cantuariensi primæ, ne subjectionem ei profiteretur, ordinari detrectaverat. Hic ab Heinrico rege facultatem veniendi ad concilium eo tantum pacto obrinuerat, teste Eadmero^a, ut episcopalem benedictionem a Callisto non susciperet. Remos itaque, subsequenter aliis Angliæ episcopis & abbatibus, accessit: sed, posthabita fidei sponſione, Romanis *largitatis officio* sibi divinctis, per eos ut a papa consecraretur, impetravit, non obstante regis nuntio, qui ut ne id fieret, interceſſerat. Erat is Sieffredus monachus, Pelochinus nomine, primatis frater, regi ac papæ familiaris, qui Callisto regis nomine denunciavit, se Turſtanum, si a quovis alio quam a Cantuariensi pontifice consecrationem susciperet, in nullo dominationis suæ loco recepturum; & si papa ipse, quasi pro sui apostolatus auctoritate, id attentaret, se nec pro amissione suæ coronæ a proposito recessurum. Ad hæc papa nuntio subdole respondit, se nulla omnino ratione secus acturum, quam rex ipse vellet; nec consilii sui esse, ut Cantuariensis ecclesiæ dignitati, cui tot præclari patres præfederant, in quoquam derogaretur. Hic male credulus nuntius, de suæ legationis successu securus, ad S. Remigii monasterium die dominico concilium præcedente se recepit. Verum postera die papam de consecrando Turſtano agere intellexit. quo audito, Johannes Cantuariensis ecclesiæ archidiaconus, qui ejusdem negotii causa istuc venerat, papæ restitit, ecclesiæ suæ privilegia obtendit. at pontifex, se salva ejus dignitate & justitia id facturum dixit. Turſtanus itaque a pontifice consecratus est contra fidem regi datam, cum episcopi ex Anglia missi a rege necdum advenissent: cui consecrationi cum papæ mandato alii episcopi interfuisse, solus Hucbaldus archiepiscopus Lugdunensis interesse noluit. Id ubi rescivit rex Heinricus, vetuit ne Turſtanus in Angliam rediret, neu in ullum dominationis suæ locum admitteretur. Tum Callistus, ut regem placaret, Gifortii ipsū convenit mense Novembri, Orderico^b testante, eoque petente, consuetudines a tempore patris ejus in Anglia receptas confirmavit, annuitque, ut ne quis legatus, præter Cantuariensem primatem, nisi ad regis nutum, recipere-
tur: sed vicissim postulavit, ut rex Turſtanum in suam gratiam redintegraret. At ille se hoc, dum viveret, non facturum sua fide affirmasse respondit. Verum, cum pontifex ab hac fidei sponſione se eum absolvi dixisset, rex per internuntios reposuit, id regiæ honestati non convenire. Ecquis enim fidem suam cuivis pollicenti crederet, si eam suo exemplo absolutione tam facile irritam fieri videret? Verumtamen ut papæ gratificaretur, ea conditione se recepturum ait Turſtanum, si debitam Cantuariensi primati obedientiam & subjectionem antecessorum suorum more promitteret. At cum Turſtanus in contumacia perstitisset, rex quoque sententiam non mutavit. Anselmus porro abbas, cui legationem in Angliam commissam fuisse alias diximus, hæctenus in Nortmannia detentus a rege, Angliam adire permissus non est, secundum indultam regi a Callisto facultatem. Hæc omnia fuscus apud Eadmerum in libro v. historiæ Novorum.

LXX.
S. Remigii bona a Callisto confirmata.
c Marlor. 101.
2. p. 271.

Remis adhuc morabatur pontifex iv. idus Novembris, uti nos docent ejus litteræ, *Odoni venerabilis monasterii S. Remigii* inscriptæ, quibus omnes sacri istius loci possessiones^c confirmat, in primis ecclesiam beatæ Mariæ, quæ sita est extra muros castelli, cui Regiteſtis vocabulum est, cum omnibus ad eam pertinentibus, sicut eam Rodulfus archiepiscopus, a comite Hugone dimissam, eidem monasterio recens contulerat; ecclesiam S. Timothei, Mansiones Ponti-Vidulari in alodio S. Remigii sitas, quas Fridericus ejus loci institutor prædicto monasterio contulerat. Cetera prætereo. Datum Remis per manum Chryſogoni S. R. E. diaconi cardinalis ac bibliothecarii iv. idus Novembris, indictione XIII. anno ab incarnatione Domini MXXIX. pontificatus domni Callisti papæ secundi anno primo.*

* in ed. male 2.

Ad hunc annum pervenisse creditur Fredeſindis abbatissa S. Petri apud Remos, cujus epitaphium supra^a retulimus. Ei successit Elisabeth ejus nominis secunda, quæ regularis disciplinæ studiosissima fuisse dicitur. Tunc temporis lis vertebatur inter Gilbertum abbatem S. Quintini de Insula apud Augustam-Viromandorum, & abbatissam S. Petri, super terra & decimis Martini-montis prope Blanziacum, quam item Rodulfus archiepiscopus hoc anno composuit. His litteris subscripti notantur Odo abbas S. Remigii, Hugo Altivillarenſis, Jofridus seu Gaufridus S. Theoderici, Hugo S. Basoli, Haidericus Mosomenſis, Odo Orbacensis, Jorannus S. Nicassii & Durannus Mauri-montis abbates. Idem abbates subscribunt aliis ejusdem archiepiscopi litteris, quibus altare Sorbonæ confert Bosoni Floriacensi abbati, datis hoc itidem anno, archiepiscopatus sui anno XIII. Hic locus situs est haud procul ab Axonæ dextra ripa, inter Regiteſte & Castrum-Porciani, Roberti de Sorbona ortu insignitus, sed modo fere in solitudinem redactus: cujus loci ecclesiæ solæ parietinæ restant. Post annos quinque idem Rodulfus aliis litteris testatur, quod quidam sui fideles monasterio S. Petri & abbatissæ Elisabeth contulissent *fossatum*, qui portæ Basilicari adjacebat. Innocentius II. privilegium indulſit eidem abbatissæ, cui non multo post defunctæ kalendis Januarii successit Hermengardis eo nomine secunda, de qua inferius.

ANN. CHR.
1119.
LXXI.
S. Petri Remensis abbatissa.
a lib. 69. n. 7.

Sorbonæ altare Floriaco datum.

In prædicto concilio Remensi de elevando corpore S. Arnulfi episcopi quondam Sueſſionensis, in Aldenburgenſi Flandriæ monasterio humati, actum est, procurante in primis Liſtardo ejusdem sedis episcopo, ut ipse testatur in præfatione ad librum de miraculis ejusdem sancti Arnulfi, inscripta Rodulfo Remorum archiepiscopo, quem sic alloquitur. *Residente vestra paternitate in illo magno atque inaudita episcoporum multitudinis concilio, quod auctoritate domni papæ Calixti Remis celebratum est; cum & ego humilis vestro lateri inhaererem, conquestus est in commune nobis frater & coepiscopus vester Lambertus Noviomenſium ac Tornacenſium antistes, injustum & ingratum sibi videri, nec soli sibi, sed multis, quod sanctus præsul Arnulfus, prædecessor meus, qui sanctam vitam & Deo placitam duxit, cujusque sanctitas multis valde miraculis comprobata est, in sinu humidæ terræ adhuc cubaret.* Tum subdit Liſtardus, ibidem etiam adfuisse Ludovicum regem, qui se beati Arnulfi meritis & lacrymis cælitus donatum fuisse testabatur; adfuisse quoque Petrum archidiaconum Sueſſionicum, qui sibi, cum cæcus a nativitate fuisset, apposita viri Dei saliva oculorum lumen datum fuisse asserbat. Quæ cum Rodulfo archiepiscopo exponeretur; respondit archiepiscopus, frustra hæc omnia ipsi exponi, quippe qui mulierem ab ortu cæcam, cum Calvi-montis^{*} ecclesiam dedicaret Arnulfus, lumine ab eo donatam fuisse ipse vidisset. Ideoque rem hanc ad summi pontificis, qui præſens adſit, judicium referendam. quo facta, una omnium sententia fuit, de sancti Arnulfi vita & miraculis inquisitionem esse faciendam, ut, comperta rei veritate, sacrum ejus corpus e tumulo efferretur. Hæc autem inquisitione anno sequenti in Belvacensi concilio facta est.

LXXII.
S. Arnulfi episcopi elevatio proposita.

* Chastment.

Gifortio reverſus pontifex, iter in Italiam direxit. Sedeloci in Æduis versabatur x. kalendas Januarias hujus anni, quo die & anno *Chartæ-caritatis*, ut vocant, primum Cisterciensis Ordinis fundamentum, litteris apostolicis confirmavit, quam Stephanus Novi-monasterii abbas, primique nascentis Ordinis patres in duobus prioribus comitiis animo conceperant, & hoc demum anno perfecerant. Cum enim animadverterent prudentissimi illi patres, instituti sui monasteria multiplicari in dies, *mutuæ pacis & concordia*, ut ipsi loquuntur, *præcauentes naufragium*, ac rituum morumque diversitatem; *statuerunt quo pacto, quove modo, immo qua CARITATE monachi eorum per abbatias, in diversis partibus mundi constitutas, corporibus divisi, animis indissolubiliter conglutinentur.* Hinc a caritate, qui eorum scopus erat, *Charta-caritatis* dicta est.

LXXIII.
Charta-caritatis Cisterciensium conditur.

Hæc quinque dumtaxat capitulis constat, ejusque decreta ad duo potissimum capita referuntur; nempe ad morum institutionem, & ad totius ordinis regimen & administrationem. Quod attinet ad primum caput, moribus instituendis unam præſcribit S. Benedicti regulam, accurate observandam, utpote omnino sufficientem, si distincte & ad litteram observetur: ad alterum caput cetera decreta pertinent.

Principio patres, ut se ab omni cupiditatis specie alienos probent, præmittunt, *Annal. Bened. Tom. VI.* Eij

ANN. CHR.
1119.

se abbatibus & confratribus suis monachis, quos per diversa loca per suum ministerium Dei pietas sub regulari disciplina ordinaverit, nullam exactionem velle imponere; prodesse scilicet omnibus cupientes, nihil vero quod eos gravet agere volentes: ne, dum abundantes de eorum paupertate esse cuperent, avaritiæ crimen incurrerent. Solam itaque illorum curam animarum *gratia caritatis* retinent: ut, si quando a proposito & observatione sanctæ Regulæ declinare nonnulli tentaverint, per suam sollicitudinem ad rectæ viæ tramitem revocentur. Deinde patres omnibus præcipiunt, ut regula S. Benedicti per omnia sicut in Novo-monasterio observetur; nec alius inducatur sensus in lectionem sanctæ regulæ, quam ille quem Novi-monasterii patres tenuerunt. Denique, ut mores, cantus & libri omnes ad officium divinum & missas necessarii omnino iidem habeantur: ut in *actibus nostris*, inquit patres, *nulla sit discordia, sed una caritate, una regula, similibusque vivamus moribus*. Hæc summa capitis primi. In quatuor aliis agitur de visitationibus patrum abbatum, & mutuo eorum ad invicem honore, de capitulo generali, ejusque auctoritate & forma; tum de electionibus abbatum, deque eorum cessione & depositione, quæ omnia in ipsa Charta-caritatis, cuius obvia, facile legi possunt. Hæc autem capitula, quæ *consensu & deliberatione communi abbatum & fratrum monasteriorum, & episcoporum, in quorum parochiis eadem monasteria continebantur*, auctoritate sedis apostolicæ confirmavit Callistus II. ad preces Stephani Cisterciensis monasterii abbatis ejusque fratrum, quibus pontificium diploma inscriptum est. *Datum Sedeloci per manum Chryfogoni S. R. E. diaconi cardinalis ac bibliothecarii, x. kal. Januarii, indictione XIII. incarnationis dominice anno MCMXIX. pontificatus autem domini Calixti secundi papæ anno primo*. Ab eo tempore sancita est novi Ordinis Cisterciensis institutio, ejusdemque exemptio a jurisdictione ordinariorum, quorum proinde consensus ad obtinendam illam Callisti confirmationem requisitus est. Hinc commode explicandum Exordium Cisterciense, in quo legitur, missum fuisse Romam, ut hæc confirmatio impetraretur: siquidem non Romæ, data est, sed Sedeloci*, quod opidum est in Æduis, ab Augustoduno distans millia passuum circiter viginti-septem.

* Saulien.

LXXIV.
Callisti II. iter per Galliam & gesta.
a Chron. Maurin. lib. 2.

Antequam hinc discedamus, quoddam operæ præteritum videtur, Callisti seriem itineris hujus anni per Galliam, & potiora gesta, quæ in rem nostram faciunt, explicare. Hic post suam ipsius electionem Cluniaci factam Viennam^a reversus est, res illius ecclesiæ ordinaturus: quibus dispositis, Arvernorum regionem peragravit. Illuc rex Ludovicus, qui Adelaidem ejus proneptem conjugem duxerat, oratores, qui ei de sua electione gratularentur, misit, Cunonem scilicet Prænestinum episcopum & apostolicæ sedis legatum, Petrum Belvacensem episcopum & Thomam abbatem Mauriniacensem, qui Cunonis patrocinio adjutus, privilegium contra canonicos Stampenses ab eo impetravit. Inde Tolosam profectus pontifex, VIII. idus Junii concilium ibidem habuit, cujus canones decem extant. In eo concilio cella de Gordanicis Anianensi monasterio adjudicata post diutinam litem adversus Arelatensem archiepiscopum & monachos Casæ-Dei, qua de re synodalis epistola concilii actis^b subjuncta est, cum subscriptione cardinalium & prælatorum qui concilio interfuere: quos subsequuntur Amicus abbas S. Laurentii foris muros, & Arduinus abbas S. Savini. Tolosa digressus papa, ad villam, quæ vocatur^c *Fronton*; inde ad villam S. Audardi in pago Caturcensi perrexit. Apud Pictavos versabatur v. kal. Septembris, quo die Elisabethæ abbatissæ monasterii sanctissimæ Trinitatis ejusdem urbis litteras apostolicæ tutelæ indulsit, omnesque ejus possessiones confirmavit, in his S. Petri puellare monasterium in ipsa urbe: ita ut ejusdem ecclesiæ cellerarius officium, & canonici præbendas de manu abbatissæ in capitulo accipiant, eique servitium debitum & obedientiam de more exhibeant. Ex urbe Pictavorum pontifex venit Cæsarodunum Turonum: ubi nocte a furibus *nudatus* est, cui Goffridus Vindocinensis abbas, non dimidiam vestem, ut *beatus Martinus*; sed *griseum pelliciam atque varias pelles obtulit*, testante eodem Goffrido^d in epistola ad ipsum Callistum.

b Conc. 10. 10. p. 858.

c ibid. p. 861.

d Goffrid. lib. 1. ep. 12.

LXXV.
Callistus divertit ad Majus-monasterium.

[Cum Turonis esset, exemplo Urbani papæ II. ad Majus divertit monasterium, in quo altare matutinale consecravit. Ex eodem monasterio XVII. kalendas Octobris insigne dedit privilegium pro Fontis-Ebraldi parthenone, in quo laudata sanctimonialium observantia, asserit se earum ecclesiam dedicasse. *Datum Turonis in*

ANN. CHR.
1119.

Majori-monasterio. Nec multo post, VIII. scilicet kalendas Octobris, duo fratribus Majoris-monasterii privilegia indulgit. Quorum in primo ecclesiæ Gallicanæ episcopos monet ne monachos præcipue Majoris-monasterii, qui *specialiter ad Romanam ecclesiam pertinere noscantur* cogant, altaria & decimas pecunia redimere, juxta decreta concilii Arvernensis. In altero vero præsentibus Lamberto Hostiensi episcopo, Bosone, Deus-dedit & Johanne presbyteris cardinalibus, & diaconis Petro, Gregorio, Chryfogono S. R. E. bibliothecario, & Petro, & Galone Leonensi episcopo ratam habet & renovat absolutionem & benedictionem quam Urbanus II. anno MLCXXXV. post concilium Claromontense ad Majus-monasterium accedens, facta in capitulo brevi exhortatione, monachis ejusdem loci tribuit, occasione ecclesiarum & decimarum quas antea bona fide pretio acquirerant, præsentibus & collaudantibus Hugone Lugdunensi, Amato Burdigalensi archiepiscopis & apostolicæ sedis legatis, Brunone Signiensi, Rangerio Regiensi, Johanne Cajetano S. R. E. bibliothecario.]

Turonis secundum Ligerim progressus ad Glannafoliense S. Mauri monasterium, rogatu Girardi^a abbatis ejus loci, & Casinensium monachorum, qui cum ipso venerant, ejusdem monasterii ecclesiam dedicavit, in qua corpora sanctorum Antonii & Constantiniani, qui illuc cum beato Mauro e Casino acceperant, reposuit. His, actis, in urbem Andecavorum profectus, *altare dominicum*^b parthenonis beatæ Mariæ de Caritate seu de Roncereio, longius a januis summotum ipse consecravit in vigilia nativitatis beatæ Mariæ, ejusdemque loci ecclesiam ab episcopis dedicari præcepit, præsentibus inter alios Reginaldo seu Rainaldo Andecavensi, Galone Leonensi, & Briccio Namnetensi episcopis; Petro ipsius papæ nepote, & Goffrido Vindocinensi abbate, necnon Tiburge seu Tiburga abbatissa. Hoc ipso anno, ut id obiter dicam Archembaldo S. Albini abbati substitutus est Guillelmus, eique paullo post successit Hamelinus, factus demum post annos novem episcopus Redonensis.

a Chron. Casin. lib. 4. c. 44.

b Gall. chr. 12. 4. p. 794.

Ex urbe Andegavorum egressurus pontifex, Cunonem Prænestinum episcopum m Remos præmisit^c ad præparanda futuro concilio necessaria; qui Cuno in Mauriniacensi monasterio propter Thomam abbatem, cui familiarissimus erat, hospitatus est. Interim papa digressus Andecavis, iter versus Carnutas direxit: at cum rescisset urbis partem a rege Ludovico, odio scilicet comitis Theobaldi, concrematam fuisse; mutato consilio, Aurelianos inopinato advenit. Inde Stampas progressus, susceptusque in palatio est: quem nuntius regis, Thoma abbate comitante, cum litteris regiis interpellavit, obtinuitque, ut Mauriniacensem ecclesiam dedicaret. Id factum magna cum pompa v. nonas Octobris: cui solemnitati præter cardinales & episcopos interfuere Bernerius abbas S. Florentini de Bona-valle, Stephanus abbas S. Johannis de Valeia apud Carnutas; necnon rex Francorum Ludovicus cum Adelaide regina. Interfuit & Cuno cardinalis, qui jam Remis reversus erat. Hæc dedicatio in editis male consignatur anno sequenti, quo Callistus amplius in Gallia non erat. Peracta hac dedicatione pontifex Luteciam Parisiorum, deinde Remos adiit, ubi prædictum concilium celebravit. Inde Gisortium ad regis Anglorum colloquium venit; mox ad S. Dionysii monasterium, ubi Mathæo^d priori S. Martini a Campis omnes ejus possessiones v. kal. Decembris confirmavit. Dein Parisios prætergressus, cum omni comitatu suo^e Burgundiam ingressurus, primo Corbolum, tum Milidunum progressus est, ubi Thomas Mauriniacensis ei occurrit, & Stampensium canonicorum in se querelas refellit. Canonici rex favebat, qui una cum Adelaide regina papam usque Ferrarias, *quæ regalis abbatia est*, comitatus fuit. Apud Senonas erat nonis Decembris, teste Clario^f monacho, qui pontificis litteras refert ipso die illic scriptas Josceranno Lingonum episcopo pro Arnaldo abbate & fratribus S. Perri-vivi contra Molismenses & Reomaenses. Inde Autisiodori natale Domini celebravit, ut ex actis Theotgeri episcopi apud Trithemium discimus. Inde progressus est Sedelocum, ubi sub finem hujus anni Chartam-caritatis Cisterciensium confirmavit, Sedeloco Cluniacum denuo profectus, ut anno sequenti videbimus.

c Chron. Maurin. lib. 2.

d Bullar. Clun. p. 40.
e Chron. Maurin. p. 369.

f Spicil. tom. 2. p. 770.

Tunc temporis Bernardus Clara-vallensis abbas, cum ex infirmitate utcumque convaluisset, jam rebus domi recte dispositis, ipse Dei & proximi amore totus ardens, aliis quoque prædicare coepit ac scribere. Nec prima ejus prædicatio sine

LXXVI.
Bernardi prædicatio & prima ad Robertum epistola.

ANN. CHR.
1119.

fructu. In primis enim lucratus est patrem suum Tescelinum, qui filii discipulus factus, appositus est ad filios suos, factus eorum in Clara-valle socius & in provectione atate ferventissimus amulator. Patrem brevi subsecuta est Humbelinae filiae conversio, ut inferius videbimus. Ad Bernardi scripta quod attinet, una ex primis ejus epistolis ea est, quam scripsit ad Robertum propinquum suum, quem a Clara-valle Cluniacum migrasse superius vidimus. Mirum est quanta arte scripta sit haec epistola, quae cum prima tempore aut certe inter primas sit, omnes tamen eloquentiam superare videtur. In ea quippe in omnes se formas versat vir sanctus, ut fugitivum revocet. Principio se quodam modo accusat, quod in adolescentulum austerior & durior extiterit: at erratum confitenti & deprecanti parcendum: se jam alium esse quam fuerat; si redierit Robertus, fore ut mutatus mutatum inveniat, & quem ante metuebat magistrum, jam comitem amplectatur securus. Si post haec redire nolit, eum inexcusabilem futurum. Dein varias tergiversandi rationes exponit, ac refellit. Frustra ipsum praeferre papae dispensationem, ipsius oblationem Cluniaci a parentibus factam. Jam ipsi non licere delicatius vivere & vestiri, ex quo arduum Cisterciensium institutum sponte amplexus sit, & stabilitatem apud eos firmaverit. Hanc epistolam dictavit Bernardus *in medio imbre sine imbre*, eo scilicet in loco, ubi nunc in silva prope Claram-vallem (hunc quippe secessum ad scribendum quaesierat) oratoriolum in facti memoriam erectum est. Hanc, inquam, epistolam dictavit Guillelmo tunc monacho, qui postea primus Rievallis in Anglia monasterii abbas factus est. Cum hanc epistolam sub dio scribenti diceret Bernardus, subito inopinatus imber erupit; & is qui scribebat, chartam seu membranam reponere voluit. Ad quem vir Dei: Opus, inquit, Dei est. scribe, ne timeas. Sic *chartam expositam*, ait Willelmus ^b in ejus vita, *virtus operuit caritatis; & quae dictabat epistolam, schedulam quoque conservabat.*

^b Vita lib. 1. c. 11.LXXVII.
Cluniacensium
a Cisterciensibus
discrimen
in veste & cibis

In illa epistola Bernardus carpit in Cluniacensibus cultum vestium, & ciborum opulentiam. *Si pelliciae lenes, inquit, & calidae, si panni subtiles & pretiosi, si longae manicae & amplum caputium, si opertorium silvestre*, id est ex pellibus silvestrium animalium confectum, *& molle stamineum sanctum faciant: quid moror & ego quod te non sequor? Sed haec infirmantium sunt fomenta, non arma pugnantium. Ecce enim qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Vinum & similia, mulsam & pingua corpori militant, non spiritui. Frixuris non anima saginatur, sed caro.* His opponit sanctus pater Cisterciensium abjectas vestes & ciborum parsimoniam: quibus pro cibo erant *olus, faba, pultes, panisque cibarius cum aqua*: pro veste tunica cuti adhaerens absque stamineo indusio; & cuculla ex rudi panno cum caputio & manicis angustis: in lecto matta pro culcitra. Totum hoc argumentum latius profertur Bernardus in apologia ad Willemum S. Theoderici abbatem, de qua inferius. Cluniacenses tamen fabas passim ad mensam, sed sagimine conditas, adhibebant, non tantum in quotidianis refectioibus, sed etiam in extraordinariis, puta in solemnioribus anniversariis, quale fuit anniversarium, quod Pontius abbas instituit pro Bernardo sancti Martialis abbate, in quo largiorem fratribus refectioem exhiberi statuit, nempe vinum, panem, fabas, generale pitanciam & interdum pigmentum apponi mos erat. *Generale* ^c id appellabant, quod singulis in singulis scutellis, pitanciam, quod in una scutella duobus apponebatur. Pro generali pisces vel ova erant: pro pitancia crudi casei frustum. nam caseus coctus pro generali erat.

^c Udalric. lib. 2. c. 35.LXXVIII.
Cluniaci turbae
per episcopos
& per abbatem

Tunc in Cluniacensi monasterio duplex tempestas exorta, exterior una, altera, quae multo nocentior, interior fuit. Post concilium quippe Remense in quo Pontius monasterii sui privilegia propugnauerat, Lugdunensis primas, Matisconensis episcopus, aliique plures, multas Cluniacensibus molestias & injurias intulerunt, eis auferendo res antea concessas. Episcopis sese adjungere clerici, eisdemque multas per dioeceses contumelias irrogarunt. *Unde fratres*, inquit Ordericus ^d, *damna & injurias ferre impotes contristati sunt, & quasi oves de faucibus luporum ad caulas monasterii confugerunt.*

^d Orderic. lib. 12. p. 871.Ex cartario
Cluniaci.

[Bernardi episcopi Matisconensis vexationes discimus ex epistola quam Callistus ad eundem praesulem scripsit in haec verba: *Quae B. Petri Cluniacensi monasterio a te illata sunt, & nos & fratres nostros vehementer gravant. Post nostras commonitiones, post scripta frequenter missa, manum tuam, quod haecenus inauditum est, super ipsam parochiam extendisti, clericos & laicos excommunicasti, & in B. Odonis ecclesia*

ANN. CHR.
1119.

divina penitus celebrare officia prohibuisti, monachis etiam graves, prout asserunt, injurias intulisti, & nonnulla eis pertinentia abstulisti. In his tamen omnibus paterna tibi benignitate pepercimus, correctionem tuam, sicut venerabilis frater noster Hugo Lugdunensis archiepiscopus ad nos veniens promiserat, expectantes. Tu autem ut prius sic & postea pertinaciter resististi. Hanc ergo praesumptionem & tantum apostolicae sedis contemptum ferre diutius non valentes, licet invitii propter praeterita dilectionis & familiaritatis gratiam, ex rationabili fratrum nostrorum sententia, episcopale tibi officium auctoritate sedis apostolicae interdicimus, donec a Cluniacensis monasterii, & clericorum, seu laicorum, & ipsius capellae infestatione desistas, & nobis de contemptu tuo satisfacias. Datum Lateranis v. idus Januarii.]

Huic tempestati alia longe funestior accessit, domestica nempe dissensio, in penetralibus claustris exorta. Ejus originem & progressum fustus Orderico exponit Petrus ^a Venerabilis, testis oculatus, quem compendio referam. Pontius post S. Hugonem nullo interjecto abbate creatus successor, sed juvenis, primis praefecturae suae annis satis modeste ac sobrie se gessit: at processu temporis mores mutavit, & fratrum animos exasperando, & nullis bonorum consiliis acquiescendo in se concitavit. Hinc pauci, mox plures, tandem paene universi principio mustare, tum palam de eo conquiri, quod res monasterii pessum daret. Mansit res aliquandiu tecta inter eos, sed demum post decennium longius foras erupit, ita ut ad summi pontificis & Romanae curiae aures pertingeret. His rumoribus pulsatus Pontius indignationis impetum, non in alios, sed in seipsum retorfit, & Romam ocus pergens, se curae pastoralis onere absolvi a Callisto papa magnopere flagitavit. Aegre annuente pontifice, ille absolutus Apuliam petiit, indeque Jerosolymam, ibidem, uti proposuerat, semper mansurus. His actis, papa Cluniacensibus eligendi successoris facultatem dedit. De hac electione inferius.

^a Petr. Vener. lib. 2. de mirac. c. 12.

Haud scio an Stephanus Besuensis abbas praetergressus sit hunc annum, quo Jocerannus episcopus Lingonensis *deserta* ^b *cujusdam solitudinis, in pago Attoarensum juxta flumen Ararim posita*, fratribus Besuensis monasterii donavit. Erat Stephanus abbas, ut in superioribus ^c vidimus, vir multae religionis, cujus opera Besuense monasterium cum spiritualibus, tum temporalibus rebus non mediocriter crevit. Ejus obitus in necrologio S. Benigni notatur x. kal. Martii. Eo abbate Johannes monachus Besuense chronicon scripsit, in quo multa ejus loci instrumenta retulit. ^d Exstat commune utriusque metricum elogium in eodem chronico, & simul conferuntur. Stephanus siquidem ecclesiam & regularia aedificia instauravit: Johannes vero ejus laboribus respondere cupiens, scribendis libris assidue operam dedit: & sicut ille monasterii fundos & praedia auxit: sic iste libris bibliothecam, & rerum ecclesiae custos eam pro modulo decoravit. Mirum est quot libros scripserit Johannes, quorum index superiori elogio subjicitur. Stephano abbati successit Girardus, cujus aliquot instrumenta, necnon Guidrici & Joffredi abbatum referuntur in eodem chronico, quod a quodam alio ad eorum tempora perductum videtur.

LXXIX.
Stephani ab-
batis Besuensis
obitus, & Jo-
hannis chrono-
graphi.
^b Spicil. to. 1.
p. 662.
^c lib. 69. n. 70.
^d ibi supra p.
658.

Exstat in dioecesi Cadurcensi celebre oratorium beatae Mariae de Rupe-Amatoris*, peregrinorum frequentia & Deiparae miraculis illustratum, quod a saeculo decimo Tutelensi monasterio subiectum fuit. Illic excelsa rupe, in cujus vertice conditum validissimum castellum; & in medio beatae Mariae oratorium, ad quod per cxxxvi. gradus ascenditur. Ad radicem montis opidum populo frequens. Froterius Cadurcensis episcopus Deo & S. Martino, necnon monachis Tutelensibus & Bernardo abbati contulit *ecclesiam de Rocamadour indictione xi. regnante Lothario rege anno xv.* quae chronica notae anno dcccclxviii. conveniunt. quod post multum tempus, scilicet anno mcxiii. Willelmo Cadurcensis praesul anno sui episcopatus primo confirmavit, facta donatione seu ratihabitione v. kal. Octobris apud Tutelam in manu Ebali abbatis. Post sex annos, id est hoc anno mcxix. Ado seu Odo Marchiae comes, consentiente Aldeberto fratre suo, beatae Mariae Rupis-Amatoris & S. Martino Tutelensi patrono atque monachis Deo ibidem fervientibus donat silvam, *Monfalni* dictam, ex integro, praeter id, quod juris erat prioratus d'Autoyre, qui etiam a Tutelensibus pendet, positus haud longe a Rupe-Amatoris. Haec donatio facta est apud Peyracum iv. nonas Januarii ante portam monasterii ejusdem loci, scilicet Peyraci, ubi cella beatae Mariae monasterio sancti Martialis subiecta.

LXXX.
B. Mariae de
Rupe-Amato-
ris oratorium
Tutela sub-
jectum.
^{*} Rocamadour
seu Roquemau-
dour.

ANN. CHR.
1119.

Actum anno ab incarnatione MCMXIX. Eustorgio Lemovicensi episcopo, Eballo abbate Tutelensi. Hic Ebalus seu Ebolus frater fuit Bosonis vicecomitis de Torona, & Willelmo abbati recens successerat. Alfonso rex Castellæ & Toleti multa contulit beatæ Mariæ de Rupe-Amatoris, ut suo loco dicturi sumus. Habentur in codice nostro Germanensi plurima miracula, in tres partes distincta, ad invocationem beatæ Mariæ de Rupe-Amatoris patrata quæ ab auctore anonymo, sub finem sæculi XII. scripta sunt. De hoc oratorio magna quondam lis fuit Tutelenses inter & Marciliacenses monachos, qui illius donationem a Cadurcensibus episcopis sibi factam contendeant: sed tandem hæc cella cessit Tutelensi ecclesiæ, estque modo de portione episcopi Tutelensis.

LXXXI.
Alani Britannicæ ducis obitus.

Mortui sunt hoc anno sub monastica veste illustres duo principes, Alanus scilicet Britannicæ dux, cognomento Fergentius, & Balduinus Flandriæ comes, ejus nominis septimus. Rotonensi monasterio tunc præerat Herveus abbas, qui Alanum ducem, ob illatas loco injurias diris addictum, sed demum respicientem anathemate liberavit, & in fratrum cœtum admissum monastica toga induit. Illic toto septennio religiose vixit usque ad hunc annum quo spreti honoris præmium, ut credere par est, recepturus, ex hac vita migravit. Funerem ejus pompam curavit Baldricus Dolensis antistes cum Marbodo Redonensi, Briccio Namnetensi, Jacobo Leonensi, aliisque Britannicæ præsulibus, necnon Conano duce atque proceribus, præsentem quoque Ermengarde Alani conjugem viduam, quæ prope Rotonensem basilicam cum honestis quibusdam feminis in humilibus casis reliquos vitæ dies in luctu & piis operibus exegit.

LXXXII.
Balduini item Flandriæ comitis.

Alani filiam Agnetem in matrimonium duxerat Balduinus Flandriæ comes, sed ex ea nullos liberos suscepit. Tunc temporis rex Anglorum Henricus Rotomagi versabatur, qui, ut infensio erat in Balduinum animo, minatus est, se Brugas usque contra eum profecturum. at Balduinus ad has minas respondit, ne tantum laboris assumeret: se quamprimum Rotomagi adfuturum. Nec mora cum quingentis militibus ad urbis portam adfuit, quam clausam inveniens, hasta in eam vibrata, regem ad congressum provocavit. At ille juvenem furibundum timens, an spernens, progredi noluit. Quam ob rem comes in reditu in despectum regis obviam quæque vastavit, diripuit. Verum non multo post a quodam milite dum torneamenta frequentaret, sagitta, aliis clypeo in fronte vulneratus, per annum sensim languescens, cum se mortem effugere non posse videret, Carolo consobrino suo, Canuti regis filio designato successore, ad S. Bertini monasterium secessit, sumtoque monastico habitu post decem circiter menses pie decessit hoc anno, testante Johanne Iperio, qui addit, tumbam ex ære fabricatam & deauratam cum cruce affixa ei erectam fuisse, ejusque anniversarium quotannis sub duplici ritu celebrari consuevisse.

[Ejusdem diploma, quo suam in Sithiensi monasterio sepulturam eligit, edidimus tom. I. Anecd. in quo notanda maxime hæc verba: *Deliberans in animo me propter peccata mea a Deo juste flagellari, & paterne castigari, maxime quia ecclesiarum sanctorum, quarum defensor a Domino sum constitutus, debitum honorem non impendi, & eas, sicut debui, non defendi, religiosorum virorum, quos ad me visitandum Dei bonitas invitavit, usus consilio, ad confessionis & pœnitentiæ asylum confugi, statuens in presentia tam clericorum, quam laicorum, ut ecclesiæ Dei in terra mea bona sua libere & pacifice possideant, ut per hoc pro me affectuosius orare debeant, &c.*]

Albericus biennio ejus obitum prævertit, atque eum in villa Rosillaria, ubi monachi habitum sumissem dicitur, xv. kal. Junii obiisse. Et tamen ejus obitus non ante medium mensis Octobris insequentis Callisto papæ in concilio Remensi^a nuntiatus est, teste Orderico, per Constantiam Balduini matrem, quæ papæ soror erat. Carolus, cognomento Bonus, Canuti regis & Adelæ filius atque Rotberti Frisii ex matre nepos, Flandriam regere occœpit, obluçtante Constantia Balduini matre, quæ Guillelmo Iprensi, Philippi Flandrensis filio notho, cui nupta erat quædam ejus neptis, principatum deferre conabatur. quod ut conficeret, Godefrido Lovaniensium comiti nupsit, aliosque vicinos principes in belli societatem contra Carolum adduxit: sed ille demum victor exstitit, & rebus in Flandria pie & præclare gestis, Boni cognomentum apud posteros meruit.

LXXXIII.
Theotgerus episcopus ut

Interim Mettensis ecclesiæ, legitimo destituta pastore, in magno discrimine versabatur, cum seditiosi cives, etsi Gelasii papæ litteris commoiti, Theotgerum episcopum,

ANN. CHR.
1119.
exceptus a Mettensibus.

scopum, canonicè electum & ordinatum, ad id tempus recipere detrectassent. Sed tandem Brunonis Trevirensis archiepiscopi, qui hætenus ejus electioni, utpote se inconsulto factæ, resisterat, litteris utcumque flexi clerus & populus, electum ut ad urbem veniat, iteratis nuntiis invitavit. Ille vix tandem acquiescens, e suo monasterio, quo eum se recepisse superius^a diximus, quadragesimæ tempore ad iter se accingit, & Rheno transiisse, assumpto secum Mauri-monasterii abbate ad urbem Mediomatricum tendit. Accedenti occurrunt abbates, primicerius, & quotquot erant sanioris consilii clerici & cives, & de ejus adventu gratulantur. Neque tamen in urbem venire, necdum conciliatis multorum animis, tutum esse ratus primicerius, ad locum, cui Cappentia vocabulum est, divertendum censuit, ubi episcopus cum quibusdam abbatibus dominicæ palmarum celebravit. Instante feria quinta, quam Cœnam Domini & diem indulgentiæ appellamus, quo die chrisma confici episcopalis ordo poscebat, ubi id fieri liceret, episcopus hærebat, cum in urbe id fieri tumultuantis populi seditio prohiberet. Tandem consilium fuit, ut in Gorziensi cœnobio chrisma consecraretur. De ejus adventu certior factus abbas ad diei celebritatem omnia providit. Pridie advenienti episcopo ejus loci homines cum gladiis & fustibus obviam concurrunt, tamquam ad latronem. Quin etiam nonnulli monachorum, qui vel ejus censuram reformidabant, vel a partibus pseudepiscopi stabant, ad persequendum episcopum vulgus concitarunt. Vix itaque portam monasterii attigerat vir Dei, cum plebs e latebris furibunda erumpit, & sublati ejus equis, illius etiam comites invadit. adeo ut primicerius ipse e manibus persequentium vix fuga elabi potuerit. Inter ea ingressus basilicam pius præsul, & quid foris ageretur ignorans, orationi instabat, cunctisque mortem minitantibus, vitæ auctorem invocabat. Tum vero a quodam monacho subdole admonitus, vitæ suæ ut consuleret, quippe non esse in sua potestate plebis furentis prohibere insaniam; pontificalibus indutus ornamentis e templo egredi maturavit, turbæ furenti se ipsum objiciens, dominica voce, ecquem quærent, sciscitatus. Cerneret universos, qui eum insectabantur, ita primo ejus conspectu perterritos, ut extremæ dementiæ se ipsi arguerent, qui in Christum Domini manus extendere ausi fuissent.

Turbis itaque utcumque mitigatis, statuit præsul ad urbem proficisci. Hoc comperto, abbas sancti Clementis (Acelinus is erat) eum ut ad se declinaret invitavit, & perhumaniter excepit. Id ubi civibus innotuit, multi furibundi & pleni insania in virum Dei evomunt mille convicia, nec eum tantum urbe propellere, sed etiam extinguere minantur. Hic nihilo minus, assumpto secum sancti Clementis abbate, sacerdotibus, ut apud Gorziam, indutus vestibus, procedit obviam inimicis, qui vix manibus temperarunt. Interim urbis præfectus advenit, & cujus rei gratia accedat sciscitatur. Ille ad hoc se venisse respondit, ut creditum sibi populum pastorali sollicitudine visitaret. ceterum non recte facturos Mettenses, si ab jure suo episcopum prohiberent. His verbis præfecto aliisque paullulum mansuefactis, nudatis pedibus civitatem ingredi parat. at præfectus obtestatur, ne se furenti multitudini committat, sed potius in quamdam episcopatus possessionem divertat, dum imperator & archiepiscopus hac de re statuisent. cujus ille consilio acquiescens, ad S. Clementis monasterium rediit, ibique cœnæ dominicæ diem celebravit. In necrologio S. Clementis laudatur III. kal. Februarii, *domnus Acelinus piæ memoriæ abbas hujus loci*, cui non multo post successit Adelo. sic enim in necrologio vocatur.

Illinc digressus ipso die parasceves Theotgerus, ad Augustam Trevirorum contendit, allocuturus Brunonem archiepiscopum, qui tum Colonia versabatur, ad sacram sollempnitatem a Friderico archipræsule invitatus. Illuc mox properat vir Dei, cujus adventus Trevirensi gravis, Colonienfi gratus admodum fuit, cujus interventu vix post biduum, id est feria quinta (nam feria tertia Coloniam advenerat) ad Trevirensis colloquium admissus est. Ille porro intimavit, se ejus causam cum episcopis Tullensi & Viridunensi, simulque cum Mettensibus ad festum S. Jacobi tractaturum. Has vero inducias cum ipso composuerant Theotgeri æmuli Arnulfus custos Mettensis ecclesiæ & coadjutor ejus primicerius, qui præterita hebdomada ab archiepiscopo chrisma acceperant. Has inducias, etsi ipsi admodum graves, servavit Theotgerus, quousque Colonienfis archiepiscopus, Brunone jam Treviros reverso, missis ad eum litteris, Theotgero etiam ignorantem missarum sollempnia celebrandi facultatem impetravit. Ille autem in Colonienfis archiepiscopi contu-

LXXXIV.
Trevirensium archiepiscopum adit.

ANN. CHR.
1119.

bernio multis diebus commoratus, rogatu ejus plurimum populum in civitate sacro chrismate linivit, & quasdam ecclesias dedicavit. Verum beati Johannis-Baptistae natalitio instante Coloniensis antistes *ad curiam in insula Rheni constitutam*, scilicet apud Triburias, *juxta edictum imperatoris* profectus, venerabilem episcopum secum duxit, ubi Trevirensis cum eo in gratiam rediit. Hic desinit, magno sane tanti viri famae & rei historicae detrimento, mutilus Theotgeri vitae codex, sine quo nihil fere certi de beato illo praesule haberemus. Ejus compendium refert Trithemius in chronico Hirsaugiensi. Theotgeri obitus anno sequenti a Dodechino & in chronico Saxonico notatur.

LXXV.
Olberto episcopo Leodicensi mortuo quantae turbae.

Mortuus est hoc anno Olbertus seu Obertus episcopus Leodicensis, teste Dodechino, & quidem pridie kalendas Februarii, quod Aegidius pro veteri calculo refert ad annum praecedentem. Eo mortuo, grandis orta de episcopatu altercatio. Indicto ad electionem die, Alexander illius ecclesiae archidiaconus, arrepto baculo & anulo, interrim pergit ad imperatorem, & ab eo episcopatus investituram accipit. Hinc diu dilata electio, donec tandem Coloniensem eligentium conventus, jussu Friderici Coloniensis metropolitani traheretur, cui Rodulfus sancti Trudonis abbas, qui totam hanc historiam ^a accurate refert, adesse compulsus est. Illic electus Fridericus, Leodicensis ecclesiae major praepositus & archidiaconus, atque a Callisto papa in concilio Remensi consecratus, ubi Alexander cum suis affectis excommunicatus est. Haec causa fuit diuturni in illa ecclesia schismatis, quod principes viros illarum partium in diversas partes distraxit, ut videre licet tum apud Aegidium, tum apud Rodulfum mox laudatum, qui quod Friderico legitimo praesuli constanter adhereret, ab Alexandrinis multas injurias passus est. Hic gravem ad ipsum Alexandrum, & aliam ad quemdam de suis epistolam scripsit, redarguens illos cum magna libertate & animi constantia de illicita illius invasione, & de tyrannide, quam in ecclesiam exercebant. Sed tandem, cum saltem osculo Alexandrinis communicare suaderetur, ut pacem cum eis haberet, e monasterio discedere maluit, *parvi pendens praesentia melioris vitae contemplatione*.

LXXXVI.
Rupertus Sigebertum migrat * Sibourg.
b Rupert. lib. 1. in regul. S. Bened. sub fin.

Interim Rupertus in suo Leodicensi S. Laurentii monasterio residebat: sed cum *haec tribulatio patriae immineret*, differretque ad Sigebertense * monasterium redire, ad quod a Cunone abbate invitabatur, *per obedientiae januam*, ut ipse ^b loquitur, eductus est, *dum sanctae memoriae Fridericus in episcopum electus, cujus causam conscius & testis Deus tantis, tamque crebris miraculis defendit atque illustravit, secum huc ad Agrippinensem metropolim cum electionis suae testibus eum adduxit*: ubi *obedienter se detineri passus* est. quod non de urbe Colonia, sed de Sigebertensi monasterio interpretandum esse non dubito. Ab eo maxime tempore Friderico archiepiscopo Coloniensi Rupertus notior esse coepit, agente Cunone Sigebertensi abbate, cujus flagitatu commentarios in Apocalypsin aggredi compulsus est duodecim libris, quos Friderico archiepiscopo dicavit. Hos tanti fecit Johannes Cocleus, ut omnes omnium in eundem librum commentarios superare censeat in epistola ad Henricum abbatem Tuitiensem. His commentariis absolutis, iidem Fridericus & Cuno stimulis Rupertum urgent, ut duodecim Prophetas minores interpretetur. at ubi per biennium sex priores perfecit, imperfectum opus dimisit, studio refrigescente, propterea quod in sequentibus vix aliquid de Christo inveniret. Interim Cuno hoc opus perfectum esse existimans, ei auctor fuit, ut opusculum de victoria Verbi-Dei susciperet. quod ipse tredecim libris aggressus est, cum adhuc in ejus monasterio hospitaretur. Huic operi vix finem imposuerat, cum Ekkembertus seu Erchinbertus, Corbeiae-novae abbas, eum impulit, ut reliquos sex Prophetas commentaretur, adhortante quoque Eginardo priore Busiensis monasterii, missa per duos fratres epistola, in qua eum id debere dicit honori & obsequio Christi & suo ipsius desiderio. Haec autem omnia, praeter alia jam laudata, saltem inchoavit Rupertus, antequam esset abbas, quod anno sequenti accidit, ut mirum sit, unum hominem tot libris tam brevi tempore cudendis parem fuisse. Quodnam sit illud Busiense monasterium, fateor me nescire, nisi sit Burense seu Benedicto-Buranum Bajoariae monasterium.

LXXXVII.
Res Germanicae.
c V. lib. 69. n. 33.

In chronico Saxonico Adalgotus Magdeburgensis archiepiscopus & Hugo item abbas Magdeburgensis hoc anno obiisse perhibentur: eisque Rockerus in episcopatu, Arnoldus in abbacia successisse. Tunc etiam Neresheimensis ecclesia ^c dedicata

ANN. CHR.
1119.

fuit ab Azzone Callisti papae legato in honorem sanctae Crucis & beatae Mariae, omniumque sanctorum, Henrico tum abbate, qui Theoderico anno superiore successerat. Henricum post sex annos excepit Pilgrinus, quo abbate coenobium igne conflagravit. quod infortunium saepe passum est. Plura de hoc monasterio apud Stengelium, cujus loci monachus fuit nostro tempore Thomas Weis, qui Yepesii duas centurias chronici Benedictini latine vertit.

Hoc ipso anno, referente Trithemio Wernherus comes monasterium nostri Ordinis Breydenauggii in Hassia, quod ante sex annos ad confluentes Fuldæ & Werræ in diocesi Moguntina aedificare coeperat, feliciter consummavit, & in honorem beatae Mariae dedicari curavit. Primus ejus loci abbas Drutwinus cum duodecim monachis eo missus est a Brunone abbate Hirsaugiensi, vir moribus & scientia scripturarum illustris, & disciplinae regularis studiosissimus.

LXXXVIII.
Breydenauggiense & Schirrense monasteria.

Eodem quoque tempore sub Brunone Ihenhoveni ^a abbate facta est monasterii ^{a V. lib. 70. n. 74} translatio in Schiram, qui Bajoariae locus est in diocesi Frisingensi, ubi nunc insignis sit monasterium, quod olim Iustravimus. Superstes fuit ad novem annos Bruno, successores sortitus Ulricos duos, Marquardum & Gozoldum, sub quorum brevi praefectura nihil memoratu dignum occurrit. Ulrico tertio abbate Crux insignis Schiram allata est, (unde loco Schiræ nomen) magnae thecae argenteae & inauratae inclusa, ad quam venerandam non tantum ex tota Bajoaria, sed etiam ex remotis regionibus fideles concurrunt. De sequentibus illius saeculi abbatibus nihil fere occurrit observatione dignum, nisi quod anno MCLXXI. cum Baldemarum abbas, vir religiosus & austerus, loco praesert, monasterium penitus igne consumtum est, & ab eodem abbate instauratum. Cum illuc venimus, ibi degebat venerabilis fenex domnus Aegidius Cranbechius, qui Kalendarium Benedictinum quatuor tomis composuit, typisque vulgavit, variis sanctorum æneis figuris illustratum. Gregorius, Schiræ tum abbas meritisissimus, in theologis & mathematicis apprime versatus, novis aedificiis locum exornavit, idemque monasterii sui chronicon editum nobis concessit. Conradus monachus illud ab anno MXXVI. inchoavit, idque ad suum tempus, id est ad saeculum XIII. produxit, quod Stephanus ad nostrum saeculum profectus est. Idem Conradus varios codices, ab Aventino laudatos, manu sua exaravit, de quibus in Itinere nostro Germanico egimus.

Jam decimus instabat annus, ex quo Eginus ^b S. Udalrici apud Augustam Vindelicorum monasterio praerat, cum propter justitiam pater cum filiis ab Herimanno pseudiepiscopo domo exfulare cogitur. Immissa quippe in monasterium hostili manu, nullos fratres qui patrem sequi nollet invento, omnibus egressus conceditur. Nec desuit ultionis divinae praesagium, quo scelesti homines pertererentur, & relevarentur innocentium animi. Totum enim monasterium terræ motu validissimo quassatur, ecclesia campanis hinc inde percussis ruinam minatur, & sepulcrum beatae Afræ, dissoluto metallo, aperiri videtur, quasi fugatis ejus famulis ipsa illinc migrare vellet. Trajecto Lico, abbas cum fratribus ad proximum S. Petri monasterium se recipit, ibique festive excipitur. Vix illic per dies septem confiterant, cum eos revocari postulant Augustenses, immo importune exigunt. Dum id negatur, tamquam die parasceves altaria nudantur, signa non pulsantur, divina officia sub silentio quasi lamentando recitantur. Hinc tandem fratres cum abbate redire permitti: quibus urbi accedentibus clerus & populus obviam ruit, qui eos cum laudibus excepit. Sed ecce nova iterum tentatio. Blandis quippe sermonibus deliniuntur fratres, ut alium eligant abbatem, cum Eginonem, utpote praesulis inimicum, habere non possint. Hinc proturbatur abbas, ut locus perpetrando sceleri detur. Cum nec si res succederet, de ejus interitu clam agitur. Abbas revocatur per speciem defendendi juris sui. Verum, dum ille reditum accelerat, per nuntium a fratribus missum de insidiis sibi structis admonetur.

LXXXIX.
Egino abbas S. Udalrici cum suis expellitur.
b lib. 71. n. 93.

Inter ea Heinricus imperator, jam secundo excommunicatus, ex Italia revertens, Augustam cum duobus iridem damnatis episcopis ingreditur, & a fratribus excipitur. Ea re accepta, bonus pater dolens gregem sibi commissum hac communione contagione temeratum, gravem fratribus scripsit epistolam, ab Udalcalco ^c cum tota hac historia relatam, in qua eos severe arguit, quod Guntherum intrusum, suae professionis inimicum, ad quaelibet secuti, regem festive excepissent, & Ratporonem, quem ipse satanae tradiderat in interitum carnis, in communionem recepissent.

c Canis. 10. 2. p. 222. seqq.

ANN. CHR. 1119. Se quidem olim eis dixisse, eos non debere locum mutare, quamdiu ab episcopi communi-
 „ communionem abstinerent. quod quia pravaricati sint, vel nunc saltem se non
 „ longe positum sequantur. His litteris acceptis, quidam quidem e fratribus derisere,
 „ quidam ad patrem redire volentes submissis a Ratpone satellitibus in itinere spoliati,
 „ & tantum non necati: alii mutatis vestibus migrant: denique obedientiam patri do-
 „ mi remanentes subdole insinuant. Verum ille dolum intelligens, eos, qui se ab
 „ ipsius consortio abalienaverint, ab unitate corporis ecclesie præscindit. quod cum
 „ in sequiorem partem raperent Augustenses, purgatoriam ad eos epistolam scripsit,
 „ postquam hiatus est in Udalscalci narratione, qui ipsi Eginoni post Wolcmarum in
 „ abbatiæ regimine successit. Ad res Italicas venio.

XC. In Farfensi monasterio Berlandus^a seu Berardus abbas ejus nominis tertius hoc
 Berardi abbas Farfæ obitus & bene facta. a V. lib. 69. n. 111.
 anno mortem opperit xviii. kal. Januarii, rebus strenue gestis insignis. Hic multa
 monasterio & ecclesie beneficia & ornamenta contulit ac reliquit. In primis altare
 itinerarium, quod Agnes regina monasterio donaverat; tabulam argenteam & de-
 auratam ante altare principale, & alteram minorem; textum evangeliorum cum ta-
 bulis eburneis ex dono ejusdem reginæ, & alios libros; quasdam quoque vestes sa-
 cras ex munificentia Heinrici IV. imperatoris & prædictæ reginæ; mitram unam &
 duas virgas pastorales, præter plurima vasa sacra ad ministerium altaris; ad hæc
 bullam auream unam, appensam præcepto, quod idem imperator monasterio dedit.
 quæ non tam ipsius Beraldi, quam aliorum beneficia.

XC I. Sepulto abbate, a toto conventu selecti sunt duodecim fratres, videlicet presby-
 teri quatuor, totidem diaconi, subdiaconi tres, & duo acolythi, qui de futuro suc-
 cessore; remotis partium studiis, religiose tractarent, & eum, qui dignior ipsis vi-
 deretur, eligerent, dato promisso, quicumque ab eis eligendus esset, a conventu
 confirmatum iri. Præmissis itaque triduo jejunio cum precibus, tandem Guido,
 qui sacrifæ officio rite functus erat, etiam nec nobilis, nec valde litteratus, ceteris
 præponendus visus est, sed tamen publica denuntiatio dilata ad pleniorum delibe-
 rationem. Verum, cum id rescissent vicini rustici, quorundam equitum ope
 Guidonem abbatem proclamarunt, & in ecclesiam vi protraxerunt. quod graviter
 ferentes fratres, Guidonem ex eorum manibus vi abstrahunt, eisdemque rustica-
 nos e claustro extrudunt, sub anathematis poena caventes, ne hæc violenta intrusio
 pro legitima electione haberetur. quod Guido ipse confirmavit. Interim quidam
 fratrum eligendum suggererunt Rainaldum, a puero Farfæ educatum ex abbacia
 S. Andrea revocatum. Verum obstiterunt rustici, clam conspirantibus nonnullis
 fratrum, veritis Rainaldi mores duriores, quem rustici illi sibi non admodum fa-
 ventem fore ex prioris officio, quod olim gesserat, prævidebant: cum Guido, ut-
 pote ignobilis & minime litteratus, ipsis obistere non valeret. Cum sic obstinati
 essent eorum animi, cessere tandem fratres, Rainaldo fuga elapso, & Guidonis
 electionem ab imperatore confirmari petierunt. Contra Guido ipse ad imperatorem
 scripsisse dicitur, ut ne se, hominem humilis generis & litterarum expertem, abba-
 tem fieri sineret. quod simulate ab eo dictum ex eventu patuit. idque imperator
 bene interpretatus, Beraldum-Ascarellum, defuncti nepotem, abbatem nominavit,
 qui tunc in regia aula pro quibusdam negotiis versabatur. Ea res fratribus magnopere
 displicuit, querentibus id factum contra S. Benedicti regulam & monasterii sui li-
 bertatem. Tum Guido se ab imperatore spretum videns, abbatiam nihilo minus re-
 tinere nisus est: cui fratres manus tandem dederunt, reputantes eum, dum æditui
 officium gereret, in rebus divinis gravum & sollicitum fuisse. Exstat in archivo
 Farfensi ejus decretum, quo promittit, se Cluniacensium institutiones, ab Hugone
 abbate introductas, religiose servaturum; multa quoque alia statuit, in his, ut fratres bis
 „ quolibet anno vestimenta regularia habeant, id est scapulare, cucullam, pelliculas
 „ agninas, vestitum, interulas laneas, femoralia, caligas & calceamenta. Ad hæc ut
 „ sacrificianus de musto ejus loci unam vegetem, id est unum modium, recondat pro-
 „ pter sacrificium. Sed tandem Guido mores mutavit, factumque est post biennium,
 „ ut, eo abjecto, prædictus Beraldus-Ascarellus a fratribus reciperetur.

XC II. In Calabria cum in domo Squillacensi per annos fere septemdecim^b prioris seu
 Lanuino Squil-
 laci prioris suc-
 cedit Lambertus.
 „ b V. lib. 70.
 „ a-30. 55. & 56.
 magistri (sic enim tum vocabantur præpositi) munus recte gessisset Lanuinus, hoc
 anno decessisse memoratur. Beatus appellatur Lanuinus, cujus reliquie cum reli-
 quis S. Brunonis permixta asservari dicuntur. Ejus successor a nonnullis ponitur

magister Secherus, ab aliis Lambertus, qui primus statuta edidit, tam pro anacho-
 retis, quam pro cœnobitis, qui Mentauro haud longe a Squillaco in S. Stephani
 monasterio degebant. In statutis illis id discriminis est anachoretas inter & cœnobi-
 tas, quod anachoretæ a pascha usque ad octavas bis reficiant in refectorio, sicut in
 diebus festis natalis Domini: ab octavis autem paschæ usque ad pentecosten vino
 & pulmento cum aliqua pitantia, si qua fuerit, semel reficiant quatuor hebdoma-
 da diebus: tertia vero & quinta feria bis reficiant, excepta litanis majore & roga-
 tionibus. Cœnobiæ vero a pascha usque ad adventum Domini reficiant, sicut præ-
 cipit S. Benedictus, exceptis rogationibus & litanis majori, in quibus semel refi-
 cient. Ad hæc de anachoretis statuitur, ut illi de cellis jejunium continuum & con-
 tinuum servant silentium: in inferiori autem cœnobia silentium teneatur, sicut in
 regularibus tenetur monasteriis in quadragesima, secunda scilicet, quarta & sexta
 feria, iidemque in adventu Domini & quadragesima, sexta feria in pane & aqua je-
 junabant. Cetera videsis in Appendice.

[Hoc anno Willelmus Karalitanus archiepiscopus, agente Petro cardinali &
 apostolicæ sedis legato, precibus Berengarii prioris, cujus fides & devotio omnibus
 nota erat, rogatu etiam Mariani judicis, id est principis, omniumque fratrum ipsius
 tertia die post pascha, videlicet kalendis Aprilis S. Saturnini ecclesiam dedicavit,
 cujus altare majus in honore beatorum apostolorum Petri & Pauli sanctique Victoris
 martyris monasterii Massiliensis, propria manu consecravit, ipsoque consecrationis
 die, pro amore omnipotentis Dei, & pro salute animæ suæ, domino cardinali affante,
 omnique conventu Majoralium totius terræ laudante & firmante, eandem ecclesiam,
 Deo omnipotenti, B. Mariæ Virgini, sanctoque Victori martyri, & abbati Rodolfo
 sanctoque conventui monasterii Massiliensis donavit, firmavit & corroboravit sicut
 decreta sanctorum Patrum sanxerunt, privilegiaque olim monasteriis indulta eidem
 ecclesie concessit, statuens ut amodo & semper firmiter permaneat liberum absque omni
 inquietudine & exactione. Eas vero ecclesias quæ ab antecessoribus suis S. Saturnino
 collatæ fuerant, sua concessione & Petri cardinalis auctoritate, testantibus episcopis de
 Guisarchio, & de S. Justa, consensu clericorum suorum eis confirmavit & tradidit
 numero viginti-duas. Actum est hoc anno Dominicæ incarnationis MCXIX. indictione
 XII. Subscribunt Guillelmus Karalitanus archiepiscopus, Petrus cardinalis & le-
 gatus, Augustinus episcopus S. Justæ, Petrus episcopus de Guisarco, Baro sacri pa-
 latii subdiaconus, & Sergius de Furcillas: anno vero MCXXI. Callistus papa II. con-
 firmavit omnes possessiones monasterii S. Saturnini Karalitani Philippo priori. Da-
 tum Pisis per manum Chryfogoni S. R. E. cardinalis & bibliothecarii IV. idus Maii
 indictione XIII. incarnationis anno MCXXI.]

Hoc ipso anno MCXIX. Callistus papa Jussolmæ illustri femina filiique ejus Petro
 Sicardi, & Rainardo de Perignano, significavit se ecclesiam S. Petri de Valeriis,
 quæ Romanæ ecclesie juris est, quamque hæcenus ut boni patroni juverant & fo-
 verant, loci destitutioni condolentem Berengario Craffensi abbati & successoribus
 ejus regendam, disponendamque commisisse cum omnibus honoribus, possessionibus, & cum
 omni libertate & immunitate, sicut in privilegio Paschalis papæ continetur: confi-
 dimus enim, inquit, in omnipotentis Dei misericordia, quia per ejus industriam lo-
 cus idem tam in spiritualibus quam in temporalibus poterit restaurari. Datum apud S.
 Teudardum XIII. calendas Augusti, indict. XII.

Eodem tempore Ludovicus Francorum rex terram S. Liphardi Magdunensis in
 territorio Carnutensi super fluvium Auguram sitam cum possessionibus & ecclesiis
 Rogerio Colombensi B. Mariæ abbati pro salute animæ patris sui & suæ excolen-
 dam reedificandamque concessit, orante & hortante Johanne Aurelianensi episcopo
 & Johanne S. Liphardi decano, & canonicis ejusdem ecclesie. Data Aurelianis
 publice, anno incarnati Verbi MCXIX. regni autem nostri XI. & laudantibus Gisleberto
 Turonensi archiepiscopo, Gaufrido Carnotensi episcopo, Johanne Aurelianensi episco-
 po, Gilberto Parisiensi & Lisardo Suesionensi, de curia nostra Stephano cancella-
 rio, Willelmo dapifero, & Gisleberto buticulario.]

Sub finem anni undevicesimi post millesimum centesimum Callistus II. apud Se-
 delocum in Æduis, ut superius^a vidimus, versabatur, ibique Chartam-caritatis
 Cisterciensium approbavit. Illinc Cluniacense monasterium iterum adiit, ubi Brunoni

ANN. CHR.
 1119.
 Lamberti sta-
 tuta.

XC III.
 Ecclesie Kara-
 litanæ S. Satur-
 nini dedicatio
 & donatio fa-
 cta S. Victori
 Massiliensi.
 Marr. ampl.
 collect. to. I. p.
 657.

XC IV.
 Ecclesia S. Pe-
 tri de Valeriis
 data Craffensi
 abbati reforman-
 da.
 Thef. Anecdor.
 to. I. p. 347.

XC V.
 Colombensi
 monasterio fa-
 cta donatio.
 Ampl. Coll. to.
 I. p. 652.

ANN. CHR.
 1120.
 XCVI.
 Callisti papæ
 reditus Romam
 a supra n. 73.

ANN. CHR.
1120.

Trevirensi archiepiscopo ejus ecclesie privilegia renovavit diplomate dato Cluniaci III. nonas Januarii hoc anno; ibidemque ipso die & anno eidem Brunoni rescriptum concessit contra Adalbertum Moguntinum, ut apud Browerum ad hunc annum videre licet. Ibidem id est Cluniaci, Adefonsus Salmanticensis praeul in reditu e Remensi concilio mortuus, sepultusque est, apposito ad ejus sepulcrum epitaphio, quod Baronius retulit ex bibliotheca Cluniacensi. Exstat in archivo ejusdem monasterii bulla praedicti papae, hoc anno Trenorchii data pridie idus Januarii, qua Vizeliacensis abbatiae immunitas & possessiones Rainaldo abbati afferuntur. Viennae deinde concilium habuit pontifex, ab ipso indictum ^a ad festum beatae Mariae, quod vocatur Hyppante. Valentiae ad Rhodanum erat VIII. kal. Martii, quo die Pontio Cluniacensi abbati novum privilegium indulgit. Ibidem adhuc morabatur v. kal. Martii, cum Viennensi ecclesiae privilegium amplissimum indulgit, a Johanne de Bosco & Baronio ^b relatum. Post haec ad Montem-Pessulanum processit, teste Pandulfo, indeque ad S. Aegidium: tum peragrata Provincia, transiensisque alpibus, ad S. Ambrosium, id est, si bene capio, Mediolanum perrexit; ac demum Longobardiae ac Tusciae urbibus obiter lustratis, Romam pervenit III. nonas Junii, ut mox ex Eginonis abbatis epistola ostendemus. Ex his intelligitur erratum irrepsisse in privilegium a Callisto ^c indultum Rotlando abbati monasterii sancti Cucuphatis in regione Vallensi, quod hoc anno datum Romae dicitur XVII. kal. Martii, indictione XIII. quo tempore pontifex adhuc in Gallia erat.

^a Com. 10. 10.
p. 862.^b Bibl. Clun.
p. 575.^c Marca Hisp.
p. 1233. § 99.

XCVII.
Egino abbas
S. Udalrici
cum eo Ro-
mam adit.
^d supra n. 89.
^e Canis. 10. 2.
p. 240.

Quanto populorum concursu, quantoque apparatu in Urbem acceptus sit, docet Egino S. Udalrici abbas in epistola, quam utriusque sexus fidelibus de suo ad pontificem itinere scripsit. Hic monasterio suo fugatus ^d ab Herimanno pseudepiscopo, amicum sibi per fugium ad sedem apostolicam, cui semper addictissimus fuerat superesse intellexit. Hinc, post innumeras ^e contumelias & injurias, amicorum suorum consilio, cum pro suavis necessitate, tum pro utilitate ecclesiae, adire statuit Callistum papam, qui tunc primum e Gallia in Italiam, adeoque Romam pergebat. In illo itinere, comitante Udalscalco, Egino per devia, ob inimicorum insidias, Placentiam demum attigit: ubi a quodam famulo, quem ab infantia nutrierat, rebus suis, *exceptis equitaturis*, spoliatus est. Inde per abrupta montium, per vastas solitudines, per terram famis & sitis, ubi hominis vestigia non apparebant, tandem ad domnum apostolicum, qui tunc in maritimis locis apud Rossellam Tusciae urbem morabatur, pervenit, a quo benignissime acceptus, eumque Romam usque comitatus est. Tum ille describit, qua pompa, quo triumpho pontifex in Urbem acceptus sit, ad cujus occursum pueri cum ramis arborum processere, quos cum abigerent ministri, eos Christi exemplo ad se venire jubebat. Deinde cum corona in capite per medium civitatis, plateis auro, gemmis pretiosissimis, & palliis undique adornatis; inter Graecorum & Latinorum concentus, III. nonas Junii, hora diei decima, ad Lateranensem ecclesiam deducitur, ubi *sede exceptus*, inde *in palatium, ut moris est judicum, legali perducitur carmine*. Romae perstitit Egino usque ad kalendas Julii, assidue dignatus alloquio & praesentia pontificis, cujus jejunia & vigiliis laudat, & probitatem virtutibus & miraculorum signis comprobata. Postmodum ejus manibus *dominici sacramenti communionem*, & *inter crebra oscula, largissima benedictione* donatus, reditum in patriam maturavit.

Pifis moritur.

Hinc apud Ostia navim ingressus, tempestate per dies quatuordecim jactatus, divisusque a socio Udalscalco, (qui alteram navim conscendere coactus fuerat propterea quod alia praehominum multitudine eum capere non potuerat) vix tandem Pifas deportatus est: ubi infirmari coepit, de amisso, ut putabat, fratre supra modum mcerens & afflicus. Verum adfuit tandem post quatuordecim dies Udalscalcus, & patrem in extremis agentem dolens invenit. Ille per eum fratribus & amicis suis vale dicto, quos in ecclesiae obedientia usque ad mortem perseverare horrabatur; praesentia fastidians, nil nisi caelestia cogitans, usque ad ultimum spiritum psalmis recitandis vacavit. *Itaque adstante religiosissima Camaldulensis ordinis congregatione, scilicet S. Michaelis prope Pifas, ubi forte hospitabatur, post intimam peccatorum suorum confessionem, post olei sacrosancti unctionem, dominicis munitis sacramentis, idibus Julii, vita aeterna mortem saeculi commutavit praesentis. Depositus est autem in beati Michaelis monasterio juxta incomparabiles Pisanorum divitias, optimo archiepiscoporum mausoleo, ubi nesciuntur tenebrae, exclusae jugiter sole vel oleo*. Sic paucis

ANN. CHR.
1120.

additis narrationem de vita Eginonis abbatis concludit Udalscalcus seu Udalscalcus, qui eam S. Udalrici & S. Afrae coenobitis dedicavit. Hic successor ejus in abbatiae regimine post Wolcmarum, de quo nihil singulare dicendum occurrit. Plura de Udalscalco viro docto & religioso dicenda essent, si talem ipse, qualem se Eginoni praebuit, scriptorem habuisset: sed in actis abbatum pauca de eo notatu digna referuntur, nisi quod musicae peritus fuisse dicitur: nec plura de successoribus usque ad loci reformationem, quae medio saeculo quinto-decimo facta est. Eginone abbate monachi doctrina insignes apud S. Udalricum extitisse dicuntur, quorum per plures ad alias regendas abbatias assumti sunt. Actum est in superiori volumine ^a de origine praedicti S. Michaelis monasterii prope Pifas, quod a monachis nigris ad Camaldulenses sub finem undecimi saeculi migravit.

^a lib. 58. n. 40.

Cum Callistus Romam proficiscendo Tortonae seu Dertonae in Liguria diverfaretur, eum adiit nuntius Thomae abbatis Mauriniacensis, sciscitaturus, an privilegium canonicis S. Martini de Veteribus-Stampis, ut ipsi jactabant, suo contrarium dedisset, quo scilicet donationem eorum ecclesiae Mauriniacensibus a rege Philippo factam, & a Ludovico ejus filio confirmatam revocasset. Litteras ^b hac de re scripsit Thomas ad Grifogonum seu Chryfogonum diaconum cardinalem & bibliothecarium, in qua illorum canonicorum mores depingit. Ad haec respondit pontifex, se *privilegium contra privilegium* numquam fecisse; & si quid quaestiones inter monachos & canonicos deinceps oriretur, ut ad domnum Cunonem, qui in Galliae partibus *vicarius*, seu legatus remanebat, id referretur. Canonicorum fraude sic detecta, tentatur ab eis rex Ludovicus, ut donum ecclesiarum Veterum-Stamparum rescinderet: at apud eum nihil preces vel praemia valere.

XCVIII.
Callistus Mauriniacensis
tetur.

^b Chesi. 10. 4.
p. 370.

Inter haec Thomae abbatis & quorundam fratrum conscientias ^c remordebat, quod eorum antecessores ecclesias & decimas quasdam non solum donis, verum etiam pecuniarum pretio acquisivissent, cum scilicet quaestio de ejusmodi simonia necdum eliquata & definita esset. Cum hoc scrupulo teneretur, forte accidit, ut Cuno Praenestinus episcopus & apostolicae sedis legatus denuo apud eos hospitandi gratia diverteret cum Willelmo Catalaunensi episcopo, *qui sublimes scholas rexe- rat, & tunc zelum Dei habens, super omnes episcopos totius Galliae divinarum scripturarum scientia fulgebat*. Abbas igitur animi sui hac de re scrupulum aperuit, paratus facere quidquid illi statuisset. Postera die *viri sapientes & ecclesiastici dispensatores* vocato abbate, *ut ea de manu beati Petri acciperet, & secrete in abbatia Deo serviret, per obedientiam injunxerunt*. Post aliquot annos Mauriniacenses monachi deficientibus canonicis, inducti sunt in S. Martini ecclesiam de Veteribus-Stampis, quae res non sine turbis facta est.

^c ibid. p. 372.

Eorum scrupulus de ecclesiis & decimis.
^c ibid. p. 372.

Hoc anno MCXX. Belvacensi celebratum est concilium a Cuno Praenestino episcopo mox laudato, qui tunc legatus dicebatur trium provinciarum, Remensis, Rotomagensis & Senonensis, teste Clario ^d monacho, qui ad idem concilium missus est ab Arnaldo abbate S. Petri-Vivi, ut eum excusaret, quod concilio propter morbum adesse non posset. Harum provinciarum archiepiscopi cum suffraganeis suis episcopis & abbatibus interfuere, excepto Daimberto Senonensi, *qui molestia corporis detentus*, ait Clarius, *venire non potuit*. Et tamen Lisiardus Sueffionum praeful, qui & ipse eidem synodo interfuit, Daimbertum inter ejus episcopos numerat. In eo etiam a Clario differt, quod Lisiardus concilium habitum dicat xv. kal. Novembris, Clarius iv. eisdem kalendas. ubi mendum in numeros irrepsisse videtur ex his, quae paullo post de ipsius Clarii reditu dicturi sumus. Inter illos episcopos primus a Lisiardo ponitur *Willemus Catalaunensis, columna doctorum*: quo ex loco, praeter alios jam a me in superioribus laudatos, refellitur eorum sententia, qui eum anno praecedente obiisse dicunt. In illo concilio actum est de elevando corpore S. Arnulfi episcopi Sueffionensis, in Aldenborgensi Flandriae monasterio humati, qua de re in superiori concilio Remensi ^e jam actum fuerat. Inter ceteros abbates tunc Belvaci adfuit Hariulfus Aldenborgensis, attulitque librum ab se scriptum de vita & miraculis ejusdem S. Arnulfi, quem librum Lisiardus Sueffionum episcopus patribus examinandum exposuit, suoque ipsius consilio compositum, & fide dignum esse asseruit. Tum Willelmus Catalaunensis accepto libro, eum revolvit, probavitque, & conversus ad Lambertum Tornacensium episcopum, in cujus dioecesi positum erat Aldenborgense monasterium: Quid amplius quaeris? inquit. absque hoc

XCIX.
Belvacensi in
concilio decre-
ta S. Arnulfi
episcopi eleva-
tio.
^d Spicil. 10. 2.
p. 770.

^e supra n. 68.

ANN. CHR.
1120.

libello tibi sufficeret testimonium domni episcopi Sueffionensis, ejusque clericorum; multumque dictis fidem addit iste talis abbas, cujus ætas suspicienda est atque prudentia. Ceterum librum istum hic expendere non vacat nobis aliis negotiis occupatis. Ad hæc Joffredus seu Gaufridus Carnutenfis præsul dixit, si talia Deus per aliquem e suis antecessoribus fecisset, se nec papam, nec legatum, vel archiepiscopum consulturum, ut eum tamquam sanctum exaltaret. Consulti quoque celebres scholarum magistri eidem sententiæ accesserunt. Post hæc rogatus a Tornacensi episcopo Willelmus Catalaunensis, causam coram legato & archiepiscopis peroravit: quo audito legatus Cunon & Remensis archiepiscopus una voce responderunt: *judicium vestrae auctoritatis plene suscipimus, & decretum vestri consensus roboramus.* Itaque Lambertus Tornacensis, accersito Aldenborgensi abbate, diem futuræ elevationi ad kalendas Maias anni sequentis indixit. Hæc omnia fute refert Lisiardus episcopus in libro de miraculis S. Arnulfi, quem duobus libris ab Hariulfo scriptis, tametsi unum tantum dicit Lisiardus, adjecit.

Tempus habiti
concilii expenditur.

De prædicto Belvacensi concilio agens Clarius, ait, Arnaldum S. Petri abbatem, cum ad illud tenderet, primo itineris sui die in villa Naudo, cujus ecclesia S. Lupo sacra est, festum itinere, atque infirmitate & senectute prægravatum illic substituisse, excusatumque misisse Clarium monachum ad concilium. Clarius autem inde rediens, abbatem suum ibidem necdum sanatum reperit, expectatisque paucis diebus, dum convaluisset, simul Senonas reversi sunt cum quibusdam reliquiis, quas Alexander, prædictæ S. Lupi ecclesiæ capellanus Jerosolymis ex capella Balduini regis acceptas retulerat. Has porro reliquias Arnaldus abbas ad suum monasterium festivo ritu attulit *secundo kal. Novembris.* Unde intelligitur, Belvacense concilium, ex quo tunc redierat Clarius, non IV. kal. ejusdem mensis habitum fuisse, sed XV. ejusdem kalendas, ut scribit Lisiardus.

C.
S. Dionysio corona regia & Cergiaci ecclesia data.a Du Chesne
Dreux p. 220.

Tunc temporis mos erat, ut decedentium Francorum regum insignia S. Dionysio, utpote regni sui apostolo & protectori, resignarentur. quo cum in funere Philippi regis Ludovicus ejus filius facere superdidisset; tandem poenitentia ductus, ad basilicam S. Dionysii cum sua conjuge hoc anno accessit: ubi, *præsente venerabili episcopo domno a Canone sanctæ sedis apostolicæ legato, quoniam jure ac consuetudine regum Francorum demigrantium insignia regni ipsi sancto martyri, tamquam duci & protectori suo referuntur: coronam patris nostri, inquit, ei reddidimus, pro dilatione redditionis satisfacimus; & tam pro salute animæ nostræ, quam pro regni administratione, conjugis & proliis conservatione, ecclesiam de Cergiaci, sicut libere possidebamus, cum decimis & omnibus ad ecclesiam pertinentibus, ecclesiæ restituendo, ipsi sanctis martyribus contulimus, &c.* Cergiacum * locus est ad Sequanam infra Pontisaram, hactenus de jure monasterii Dionysiani.

* Cergy.

CI.
Præmonstratensis abbatia initia.

Non omittenda hoc loco Præmonstratensis abbatia & Ordinis origo, quæ hoc anno contigit. Ejus auctor S. Norbertus, cum Remensi concilio anno præcedente adfuisset, Bartholomæum Laudunensem episcopum, ex eo redeuntem comitatus est. Huic optionem dat piissimus præsul, ut quem vellet locum in sua dioecesi ad habitandum eligeret. Et primo quidem ei oblata est suburbana S. Martini ecclesia. at ille: *Non idcirco, inquit, majores divitias Coloniae reliqui, ut minores modo quarum Lauduni. Non in urbibus volo remanere, sed potius in locis desertis & incultis.* Variis itaque solitariis locis cum episcopo perlustratis, venerunt tandem ad locum Præmonstratum antiquitus dictum, situm in silva Vedogiensi, quam Hermannus monachus *silvam Vosagum* * vocat: ubi sancti Johannis-Baptistæ ecclesia, quæ erat de jure S. Vincentii Laudunensis, ad quam pro agendo divino officio unus ex ejus loci monachis idemtidem dirigebatur. Locus pro sua solitudine, quippe qui omnino desertus erat, Norberto placuit: qui episcopum rogavit, sibi ut liceret ea nocte illic vigilare. Annuit episcopus, indeque ad imminem noctem in proximum opidulum Anisiacum *, ubi Laudunensis episcopi suburbanum palatium est, & comitatus sui caput, se recepit. Postridie ad virum Dei reversus, quid agere vellet sciscitatur. respondit Norbertus, hunc locum sibi suisque a Deo destinatum. *Nec tamen hæc ecclesiola, inquit, eis principalis sedes erit, sed ex alia parte hujus montis edificabunt sibi mansionem, in qua requiescent.* Hoc responso lætus pontifex, nec tamen injuriam volens facere cœnobio S. Vincentii, cujus juris idem locus erat, accersito abbate S. Vincentii, utiliorem tunc commutationem dedit ei; sicque locum illum cum ecclesia liberum

* la forest de
Vas.

* Anisy-le-Comte.

ANN. CHR.
1120.

liberum domno Norberto privilegii sui auctoritate confirmavit. Illic fundamenta jacta Ordinis Præmonstratensis, cujus tanta celebritas non multo post fuit, teste Hermano monacho, qui hæc omnia refert, ut, cum necdum triginta anni transiissent, ex quo hæc domus fundata erat, *fere centum abbates* ad capitulum generale, quod Norbertus quotannis in festo S. Dionysii fieri statuerat, illuc convenerint, *non solum ex Francia vel Burgundia, sed ex ipsa quoque Alamannia, Saxonia, seu Wasconia.* Neque vero tantummodo virorum, sed etiam magnam sequioris sexus curam gessit Norbertus, ita ut *in diversis ejusdem ecclesiæ locis plusquam mille jam tum existerint conversæ, tanto rigore & silentio Deo servientes, ut in discretissimis cœnobiis monachorum vix similem religionem possit aliquis invenire.* Addit qui hæc refert Hermannus, districtiorem in Norberti monasteriis fuisse tunc conversationem seminarum, quam virorum, tametsi multo rigidiorum, multoque severiorum fuisse fateatur etiam in viris Norberti, quam Augustini institutionem.

Dum Præmonstratensis domus fundamenta jaciuntur, moritur Adalbero S. Vincentii apud Laudunum abbas, qui regularia ædificia instauravit, murisque monasterium cinxit. Humatus fuit in sacello beatæ Mariæ ab se constructo in hortis monasterii super eminentem terræ aggestum, sed nuper disiecto, cujus tumulo ex nigro lapide solum ejus nomen inscriptum erat, ADALBERO ABBAS. [Is fuit nobilis prosapia Suevus, & multiplicis scientiæ, Constantiensis clericus, qui duci Bulionensi Godefrido juniore ab Italia revertenti primum adhæsit: at divino respectu compunctus, destinavit apud se vanitatem mundi respicere, atque ad monasterium Andaginense, cui tum præerat S. Theodericus, convolvit, prostratusque in capitulo moræ agenda conversionis, videns neminem a lacrymis se temperare posse, quod tantarum juvenis divitiarum ad contentum mundi se accingeret, pretiosissimas vestes abiciens, anulum aureum digitis abstractum ad terram projiciens, Christo se totum devovit & consecravit. Nec multo post apud Lugdunum-Clavatum petente Bartholomæo episcopo ordinatus abbas ecclesiæ S. Vincentii, quantum Deo juvante loco profecerit, testatur fratrum nobilissima religio ab eo instituta, informata interius, rerum quoque & cellarum multiplex augmentatio exterius. Abbatiam cum laudabiliter administraret, Lambertum juniorem Andaginensem monachum virum eximium a Theoderico abbate secum in monasterio S. Vincentii remansurum obtinuit: sed non multo post ab abbate S. Remigii Henrico ille expetitus est, ut archimonasterii scholas regeret. Qui factus scholasticus, nec multo post electus est & constitutus unus ex septem cardinalibus majoris altaris. Septem vero cardinales ad hunc honorem assumti publica electione, præminent in tota congregatione, & liberi a certis officiis, quibus vicissim deputantur alii, solummodo deserviunt prædicto altari in festis diebus, baltheis utentes, & trium diaconorum totidemque subdiaconorum & acolythorum processionem habentes. Hæc de Adalberone & Lamberto juniore ex historia Andaginenis monasterii a excerpta visum est.] Adalberoni successit Sigefridus seu Seifridus, ante S. Nicolai in silva Vadogiensi prior, cui hoc nomine Guibertus Novigenti abbas epistolam de veritate dominici corporis, ut alias diximus, inscripsit. Forte ex ipso S. Vincentii monasterio assumtus fuerat ad S. Nicolai prioratum. nam Adalberonis & Sigefridi abbatum tempore decem abbates indidem ad varia monasteria assumptos fuisse Johannes a Guisla ejus loci abbas testatur.

CII.
Adalberoni S. Vincentii abbati succedit Sigefridus.a Mart. Ampl.
Collect. tom. 5. p.
955. & seqq.

Præmonstrati locum interventu Bartholomæi episcopi primus per commutationem concessit Adalbero abbas: at illum Norbertus non prius recipere voluit, quam Seifridus abbas & monachi ejus donum illud in capitulo communi assensu firmassent, ut legitur in ipsius Bartholomæi litteris b, quas impressione suæ imaginis & sigillo S. Mariæ Laudunensis ecclesiæ, sigillorumque S. Vincentii confirmari curavit. Idem Sigefridus mediam partem loci, in quo S. Martini abbatia Laudunensis, prima Præmonstrati filia, sita est, quæ de S. Vincentii feodo erat, sponte obtulisse perhibetur, ubi intra duodecim annos quingentorum minimum fratrum conventum fuisse testis est Hermannus.

Quid ille Præmonstrato contulerit.

b Guibert. p.
651.

Nonnihil etiam ad Præmonstratensis domus fundum contulit S. Bernardus, ut ipse testatur in epistola CCLIII. ad Hugonem primum Præmonstrati abbatem his verbis. *Primo quidem locus ipse Præmonstrati, in quo degitis, noster fuit. nam nobis frater Wido (hoc nomen primi incolæ loci) per manum episcopi ante donaverat.* Tanti viri qui testimonium refelleret, minime audiendus esset. Neque vero id derogat S. Vin-

Quid S. Bernardus.

ANN. CHR.
1120.

centii monachorum concessioni. Cum enim Præmonstratensis locus satis amplus sit, hi quidem S. Johannis ecclesiam Norberto cessere, ubi primum condita domus est: sed aliam ejus loci partem cedere potuit Bernardus, forte eam ipsam, quæ in altera montis parte sita erat, *in qua major ecclesia foret ædificanda*, ut legitur in Vita S. Norberti, qui id futurum præviderat, testante Hermanno. [Porro frater ille Wido primus Præmonstrati loci incola, ^a Britonum quidem gente progenitus fuit, *Francorum tamen loquelis & moribus luculenter satis imbutus, sacerdos officio*, qui solitudinis desiderio in desertum diocesis Laudunensis locum se recepit, quo viro sanctissimo Norberto relicto, in vastam Hannoniæ silvam secessit, in qua congregatis quibusdam discipulis, Viconiense celeberrimum monasterium construxit, cui adscitis ex Laudunensi S. Martini ecclesia religiosis præfecit Warinum primum abbatem. deinde post varias peregrinationes in Burgundia decessit.]

a Chron. Vicon.
to. 6. Ampl.
Coll. p. 283.CIII.
Guibertus
Norberto dicat
commentarios
in prophetas.

Norberto Præmonstratum principio inhabitanti, ut vicinia, ita familiaritate conjunctus fuit Guibertus abbas Novigenti, qui locus a Præmonstrato duarum tantum leucarum intervallo distat. Ejus familiaritatem probat commentarius tropologicus in Oseam, aliosque prophetas majores, quem Norberto dicavit sub hac præcipue inscriptione: *Amantissimo patri & venerabili domino, universa caritatis affectione colendo, totius sanctæ interioritatis vero cultori, ac veræ discretionis magistro Norberto, frater Guibertus, monachus nomine, peccator operibus, prosperis sui suorumque gaudere successibus.* Principio excusat quod arduum hoc opus, beato Hieronymo difficillimum visum, aggressus sit. Id in sui excusationem affert, quod longe facilius sit allegorica & tropologica expositio, quam litteralis. *Longe enim securus, inquit, de nostrarum passionum, quas experimur intra nos, natura tractamus, quam de mysteriorum Christi & ecclesiæ, in quibus, nisi sumus circumspecti, facile exorbitare valeamus.* Excusat deinde, si quid minus accuratum & elimatum in his inveniat commentariis. quippe qui *non tam perpetuitate legendi, quam nimia continuatione scribendi oculorum aciem obtusam habeat.* adeo ut *sola voce, sine manu, sine oculis*, præfens opusculum explanare, & aliena manu scribere coactus sit, qui antea sibi ipsi *laboris indefessi notarius* fuerat. Idem in fine horum commentariorum Norbertum plurimum laudat, ejusque censuræ illos committit, *præsertim cum indubitanter, inquit, agnoverim, neminem super interioris hominis statu in cunctis nobis contiguis regionibus majorem discretionis obtinuisse vim. Nec id injuria. Quid enim spirituale nescias, cum in hujus examinatione te indefinenter exerceas? In his tractatibus noctem diei continuas, in hujus contemplationis radio totius interni habitus delectatione conspiras.* Et infra. *Ad te igitur, qui spiritualiter cuncta examinas, & a nemine judicaris, securus intendendo: quia ad liquidum universa, & his majora, non penetrare non poteris, cum nihil sit aliud quam divinum quod vivis.* Hæc fusius retuli ad S. Norberti ampliorem commendationem, quod profecta sint ab illo auctore, qui mordere potius quam laudare consuevit.

CIV.
Gaufridus sit
abbas S. Medardi.
b V. lib. 72. n.
32.
c Spicil. tom.
2. p. 787.

Eidem Guiberto etiam familiaris fuit Gaufridus^b seu Joffridus, S. Theoderici prope Remos primum abbas, qui hoc anno ad præfecturam S. Medardi monasterii Sueffionensis post Radulfum translatus fuit. Id anno sequenti factum dicitur in brevi chronico^c S. Medardi, in quo Gaufrido cognomen Collum-cervi tribuitur. Eidem Gaufrido jam Sancti-Medardensi abbati & Alardo Florinensi Guibertus nuncupat commentarium in Abdiam prophetam, amboque ob litteraturæ celebritatem & conversationis integritatem laudat in prologo, quem in Appendice referre visum est ex codice Pontiniacensi, in quo etiam ejusdem auctoris commentarii in alios minores Prophetas repertiuntur. Alardus abbas desideratur in syllabo abbatum Florinensium apud Fisenum. Haud scio an ejusdem Gaufridi tempore, quo scilicet ad S. Medardum translatus est, idem Guibertus scripserit libros quatuor de pignoribus sanctorum, in primis contra Sancti-Medardenses, qui dentem Salvatoris se habere gloriabantur.

Gosuinus sub
no prior.

Ubi primum Gaufridus ad S. Medardi præfecturam migravit, ejus loci ordinem, tunc magnopere prolapsum, restituere in primis sollicitus fuit, reputans scilicet, eo majorem ejus esse infamiam, majusque scandalum, quo nobilior esset ac celebrior. Hinc tam pii operis adjuutores alibi perquirere curavit: & quia Gosuini Aquicinctensis monachi, qui recens in proximo S. Crispini monasterio^d moratus fuerat, sanctitas & industria ipsi innoverat, eum ab Alviso Aquicincti abbate multis precibus

d supra n. 46.

ANN. CHR.
1120.

impetravit, ac S. Medardi priorem constituit. Hoc in munere Gosuinus sic animos fratrum tam verbis quam exemplis ad corrigendos mores solutiores inflexit, ut brevi S. Medardi monasterii murata sit facies, & in pristinum splendorem refluere. quod etiam postmodum in S. Remigii monasterio præstitit.

Gaufrido abbati in S. Theoderici magistratu ex monasterio S. Nicasii suffectus Willelmus, jam sæpius in superioribus laudatus, qui deinceps a S. Theoderico quoddam veluti cognomen tulit. Ab illo die Bernardo Clara-vallensi abbati amplius familiaris esse cœpit. cujus rei indicium est, quod cum aliquando ægrotaret Willelmus jam abbas, misit ad eum Bernardus fratrem Gerardum, mandavitque ut ad se veniret Clara-vallem, pollicitus fore ut brevi aut convalesceret, aut moreretur. Conditionem lætus accepit Willelmus, eique reddita sanitas est. Sed jucundior illi fuit hæc occasio colloquendi de rebus divinis & spiritualibus cum viro Dei, qui tunc etiam infirmabatur. Instante septuagesima, cum utcumque jam melius haberet, ad suos redire parabat: sed prohibenti Bernardo, & flagitanti ut ad quinquagesimam remaneret, haud illibenter acquievit: at deinceps a carnibus, quibus ad diem illam ob infirmitatem usus fuerat, abstinere voluit, nec contra roganti ac præcipienti, parere sustinuit. At cum vespera illa sabbati in lecto se composuisset, tanto per totam illam noctem dolore conflictatus est, quantum se numquam passum fuisse testabatur. Prima luce vocatus ad ipsum venit Bernardus, non solito illo vultu compatientis, sed quasi inobedientem arguentis. tum subridens: Quid, inquit, hodie comedes? ille vero, quidquid, ait, præceperis. Ad quod vir Dei: Quiesce, non morieris modo, & abiit, statimque abiit omnis dolor, sed tamen fatigatus nocturno illo dolore abbas, vix e lecto surgere potuit. Crastina sanus factus, vires brevi recepit: tumque cum benedictione & gratia bona boni hospitis sui ad propria reversus est.

CV.
Willelmus abbas
S. Theoderici apud
Claram-vallem
fatus.

Sub idem tempus Bernardus quoque valde infirmatus est, & fere ad extrema redactus. Convenerunt itaque filii ejus & amici velut ad exsequias tanti patris: quos inter adfuit & Willelmus abbas. Cumque extremum jam spiritum ille trahere videretur, in excessu mentis ante tribunal Dei visus est præsentari, & a demone de multis accusari. at nihil territus vir Dei: Fateor, inquit, indignus sum qui regnum cælorum obtineam. at duplici jure illud obtinet Dominus meus, Patris scilicet hereditate, & merito passionis. Uno contentus, alterum mihi donat, ex cuius dono illud mihi vindicare non pudebit. His dictis, tota illa inimici tentatio dissipata. Sub vesperam, ceteris ad lectionem Collationum egressis, solus Bernardus cum duobus fratribus sibi assistentibus in diversorio, ubi jacebat, remansit. Cumque vehementius affligeretur, uni eorum præcepit, ut pro se oratum quam citius iret. Excusantem vero & dicentem, se non eum esse oratorem, qui exaudiri mereretur, obedientiæ auctoritate compellit. Itum est, & oratum ad altaria, quæ in basilica erant tria: primum beatæ Dei genitricis, duo alia beati Laurentii martyris & S. Benedicti abbatis. Eadem hora beata Virgo cum duobus illis sanctis adfuit, qui manibus impositis super loca doloris omnem ægri tudinem depulerunt.

CVI.
Bernardus suorum
precibus
sanatus.

Ab eo tempore Bernardi ejusque discipulorum fama in dies magis magisque augetur, & late diffundi visa est, ita ut maximum eorum quæ fecit miraculum habeatur, quod per unum hominem languidum & femineæm obscura usque ad illud tempus illa vallis, re & nomine Clara-vallis efficeretur; & quæ sterilis & totius boni expertis antea fuerat, uberrimose fructus divinitus produceret, & tot spirituales filios parturiret. Tanta sanctitatis odore attracti non modo laici, sed etiam aliorum locorum religiosi eo confluebant. Ex his primi fuere quidam canonici regulares de Aildicurve, qui in primis Willelmi Catalaunensis episcopi hortatu & consilio, cum strictiorem vitæ normam aggredi vellent, Clara-vallem se receperunt, ibique post multas preces admitti fuerunt. Eorum discessu turbati eorum focii, litteris Bernardum interpellarunt, in quibus præmissis ejus elogio, fratrum suorum discessum se ægre ferre significabant, eosque sibi restitui postulabant. Ad has litteras respondit vir sanctus epistola tertia, quæ in nova nostra editione hanc præfert inscriptionem: *Clericorum, qui sunt in loco, qui dicitur Aildicurve, Deo servientium sancto conventui, magistro S. & discipulis, pusillus grex Clara-vallensium fratrum, & eorum qualicumque minister, frater Bernardus, in spiritu ambulare, & spiritualiter omnia examinare.* In hac epistola sanctus abbas laudibus suis se terreri dicit: tum ad

CVII.
Clara-vallis
fama multos
trahit.

ANN. CHR. 1120. illorum clericorum postulata respondet, fratres illos multorum illustrium virorum; & maxime clarissimi viri Willelmi Catalaunensis episcopi, hortatu & consilio ad Claram-vallem declinasse, ibique multis precibus se suscipi postulasse, & tandem impetrasse, eo videlicet animo, ut ob tenorem artioris vitæ ab institutionibus beati Augustini ad observantias S. Benedicti sic transirent, ut tamen a summo Magistro non discederent, illamque primam fidem, apud eos, immo quam primum in baptismo promiserant, non irritam facerent, sed salvam integramque custodirent. His itaque lic admittis, non offendi debere prædictos clericos quod fratres eorum suscepti sint: qui si forte ante regularis probationis annum cœpta deserere, & ad suos redire voluerint, non retinebuntur inviti. Ceterum non decere, ut *anathemate insulto* spiritum libertatis impedire nitantur boni illi patres, ne forte, quod absit, quæ sua sunt, non quæ Jesu-Christi, quærere videantur. Hæc epistola scripta est ante annum sequentem, quo ineunte Willelmus episcopus decessit; eaque prima est ex multis aliis, quas Bernardus de simili argumento scripsit. Ceterum ubinam sita sit Aildicurtis, necdum discere mihi licuit.

CVIII. Inter illustres viros, qui tunc temporis Cluniacum sub Pontio abbate se receperunt, unus fuit Gelduinus, ex nobili genere *Puteacensium procerum* ortus, qui pro sua religione Luperciacensis* in diocesi Nivernensi cellæ prior factus, postmodum Jerosolymam perendi facultatem a Pontio abbate obtinuit. Illuc itaque profectus cum duobus fratribus, ibidem abbas sancti sepulcri beatæ Mariæ in valle Josaphat^b constitutus est. Dein cum rege Jerosolymitano Balduino, consobrino suo, Antiochiam perrexit, indeque Edesiam adiit, comitante Walaranno fratre suo, illarum partium principe. Hos illius urbis archiepiscopus honorifice excepit, multa percontatus de statu Cluniacensis monasterii, cujus *confrater* a sancto Hugone factus fuerat, cum e Flandriæ partibus per Cluniacum Jerosolymam proficisceretur. Ut vero aliquam suæ in Cluniacenses benevolentia tesseram daret, quoddam scriniolum, in quo beati Stephani reliquiæ continebantur, Gelduino commisit, cum adjurans, ut per certum ac fidum nuntium illud Cluniacum perferri, eidemque ecclesiæ consignari curaret, quam in honorem sanctorum apostolorum Petri & Pauli, ac beati Stephani protomartyris consecratam noverat. Itaque sacrum illud depositum Gelduinus per fratrem Frotmundum transmisit Cluniacum, ubi sacra illa reliquiæ hoc anno depositæ fuerunt, quas postmodum Petrus Venerabilis una cum dentæ S. Johannis-Baptistæ crystallinis phylacteriis, auro gemmisque ornatis, includi curavit.

Hoc item anno Urraca regina Hispaniæ, filia Adelfonsi regis & Constantiæ reginæ, ecclesiam S. Nicolai in Villa-franca Pontio Cluniacensi abbati, ejusque successoribus contulit litteris datis æra MCLVIII. quibus subscribunt Willelmus dux Aquitanorum, Petrus, Confalvus comes, & alii. Willelmus dux Aquitanorum, ejus nominis nonus, sapius trans Pyrenæos montes profectus est. Et cetera id hoc anno contigit, quo anno in prociectu ad hoc iter Sordueni monasterio eas dotes, quas Carolus Magnus ei concesserat, restitui curavit.

CIX. Majori-monasterio multa gravamina cum intulisset Gaufridus Grifagonella Vindocinensis comes, tandem poenitentia ductus ad Majus-monasterium accessit in vigilia apostolorum Simonis & Judæ, & de injuriis cœnobio illatis satisfactorum, in capitulum ingressus de commissis veniam humiliter petiit, & emendationem pollicitus, absolutionem a Willelmo abbate suscepit, & insuper loci benefactorum societatem obtinuit. Hujus rei instrumentum hoc anno factum dicitur *in locutoria extra claustrum*. Inter testes nominatur Willelmus prior Majoris-monasterii, quondam Redonensis archidiaconus, & inter milites Rainaldus de Turre, cujus cognominis alii in aliis chartis occurrunt inter optimates Vindocinenses. Eodem anno Turgisus Abrincatenus episcopus quasdam suæ diocesis ecclesias Majori-monasterio confirmavit.

CX. [Jam diu Rothoneses monachi cum Majori-monasterio de Beriaco insigni apud Castrum-Brientii cella contendebant, & quidem sub Alberto Majoris-monasterii abbate causa juridice exciderant. Renovata sub Bartholomæo abbate ejus successore in concilio Burdigalensi, querela, totis nervis disceptantes turpiter in eo condemnati fuerant. Quis post hæc toties victores Majoris-monasterii monachos in iudicium iterum vocandos existimaret? Et tamen Gerardo Engolismensi episcopo & apostolicæ sedis legato concilium apud Nannetas celebrante, Herveus Rotho-

Cluniaco data ecclesia in Hispania.

Majori-monasterio satisfaciit Gaufridus comes.

Contentio de Beriaco inter Rothoneses & Majoris-monasterii monachos sepita.

Cluniacum misse reliquiæ a Gelduino abbate S. Sepulcri. a *Bibl. Clun.* p. 565. & seq. * *Leurey-le-bourg.* b *V. lib. 69. n. 149.*

ANN. CHR. 1120. nensis abbas causam renovavit. Vocatus adfuit Guillelmus abbas Majoris-monasterii, vir pacificus, qui ut contentionem in æternum sopiret, & causæ tandem finem faceret, de suo aliquid maluit cedere, quam perpetuo disceptare. Igitur *terram quamdam obedientiæ Durigiacensi pertinentem, quæ Insula Arææ dicitur*, cum capella sacerdotali viginti libris comparata, monachis Rothonenfibus habendam concessit: Herveus vero Rothonenfis abbas & sui calumniam illam guerpiverunt, & sæpe dictam Beriaco *ecclesiam monachis Majoris-monasterii, in perpetuum habendam concesserunt*. Huic concordia interfuerunt *legatus Gerardus episcopus Engolismensis, Judicialis Aletensis episcopus, Morvannus Venetensis episcopus, abbas Majoris-monasterii Willelmus, cum monachis suis Willelmo priore, Guarino de Lancigan, Petro bajulo, Rivallonio secretario, Hamelino de Beriaco priore, &c. De Rothonenfibus abbas Herveus cum monachis suis Ervodio priore, Roberto olim abbate & Tangico abbate de Calma, &c. De clericis Franciscus archidiaconus Venetensis, Rivallonius archidiaconus Aletensis, &c.*

Estincto anno MCXIX. Radulfo archiepiscopo Turonensi, qui Majoris-monasterii monachos implacabili odio profectus fuerat, successit Gislebertus ejus nepos, præpositus de Sodobrio in ecclesia S. Martini, & decanus S. Mauriti, qui longe alio animo erga viros sanctos se habuit, eorumque amicitiam exquirere visus est. Quapropter habito circa hoc tempus cum eis sinceræ caritatis colloquio, postea ad capitulum hinc inde relato, sic inter eos convenit: Defuncto Majoris-monasterii abbate, ejus in locum electus archiepiscopo benedicendus offeretur, qui *eum sincere benedicet, absque scrutinio, absque scripto, absque professione. Antequam vero benedictio fiat vel postquam facta fuerit, verbo tantum promittet obedientiam ei & ecclesiæ suæ sicut matri, salva ex integro obedientia & auctoritate Romanæ sedis. In propriis causis mutuum sibi jurant auxilium & juvamen, & alia multa quæ fufius videre est in diplomate in Appendice relato.*

Gaufridus de Daumeriaco Dei iudicium de commissis peccatis expavescens, ut ea pro posse expiare posset, divinam imploravit misericordiam, factusque monachus apud Majus-monasterium se suaque omnia Deo consecravit, Orieldem conjugem suam obtestans, ut natis suis honeste collocatis, bona sua omnia monasterio solemnem donatione largiretur. Ejus exemplo Rainaldus & Jacquelinus de Daumeriaco viri illustres, abdicatis sæculi vanitatibus apud Majus-monasterium facti monachi liberalitatis suæ dederunt testimonia. Sed & Petrus dominus de Chemiliaco, qui monachos Majoris-monasterii diu vexaverat, cum anno MCXX. in morbum incidisset, ad extrema redactus Reginaldo Chemiliacensi cellæ priori, aliisque simul presbyteris sua confessus est peccata, tunc enim pluribus simul presbyteris peccata confiteri haud erat insolitum, & facta eidem cellæ donatione, sequenti in eam die se transferri, ac veste monachali indui curavit, paucisque post diebus pie obdormivit in Domino. Post ejus mortem Gauvenus ejus filius factas a patre donationes ratas habuit aliasque superaddidit.]

In pago Pictavenfi duæ sunt abbatia Absiæ nomine; una Gastinæ* dicta, quod sita sit in territorio Gastinæ, Malliacensis olim, nunc Rupellensis diocesis: altera Brignonii diocesis Pictavenfis, sita inter Toarcium & Monasteriolum-Berlaii, quæ alterius quodam modo filia est. Priorem locum primus occupavit eremita quidam, Petrus-Bunt nomine, concedente Petro Pictavenfi episcopo, ejus nominis secundo, qui ei parietinas veteris ecclesiæ, illic quondam extructæ, instaurandas commisit. Id strenue executus est Petrus eremita, eoque rem perduxit, ut hoc anno sexdecim clerici una eademque die, scilicet VIII. idus Aprilis, feria tertia ante Palmas *in habitu monastico consecrati* sint. Locus beatæ Mariæ sacer, a Willelmo Pictavenfi episcopo, Petri successore, in abbatiam erectus est secundum regulam S. Benedicti, eique primus abbas Petrus eremita præfectus a venerabili magistro Girardo de Salis, cujus discipulus erat.

Non multo post Petro Absiæ-Gastinensis abbati Giraudus Berlaii *totum planum, vel, ut dicitur gueffum** nemoris sui, quod vocatur Brignonium, donavit, ubi primum cella monachorum facta, quæ paulo post in abbatiam erecta est, tempore Willelmi Absiæ abbatis secundi, Absiæ-Brignonii* dicta. Primus ejus abbas Johannes assensu Absiæ-Gastinensis monachorum institutus fuit. Giraudi donationem Berlaius ejus filius, dominus Monsterioli, litteris suis confirmavit.

Societas inter Majus-monasterium & ecclesiam Turonensem.

Plures viri illustres facti monachi in Majori-monasterio.

CXL. Absiæ duplicis origo. * *P. Absiæ-Gastinæ.*

a *V. Gall. Christ. 10. 4. p. 1.*

* *i. locum incultum.*

* *P. Absiæ-Brignonii.*

ANN. CHR.

1120.

CXII.

Castellariis Girardus de Salis

obit.

* les Chasteliers.

Cum Girardus de Salis ad Absiam-Gastinensem pergeret, ut eam converteret in abbatiam, contigit eum per locum, qui Castellaria * dicitur, S. Maxentii opido vicinum, transire, ubi quidam eremita ejus discipuli manebant. Rogatus ab eis, ut apud se subsisteret, promisit se negotio peracto ad eos reverfurum. Absia in abbatiam erecta, illic coepit infirmari vir sanctus; memorque promissi Castellariensibus facti, Tirolicum Castellarium dominum, qui ibi aderat, rogavit, ut se ad Castellaria deferri curaret. Eo pervenit dominica passionis: ubi in extasim raptus est, & ad se venisse Dominum Jesum Christum, & cum eo Petrum Pictaventem episcopum ac dominum Robertum eruditorem suum dixit. Tum discipulos hortatus est, ut regulam almifici patris Benedicti susciperent, eisque per sanctam obedientiam injunxit, ut eam religiose observarent. Tandem XII. kal. Maii, feria tertia post pascha, qua nota huic anno conveniunt, plenus dierum, e saeculo migravit, praesente Willelmo Pictavorum episcopo, qui mortuum magnopere luxit. Giraldus, ejus loci prior, anno sequenti decessit XII. kal. Novembris, ejusque successor Aymericus primus abbas fuit monachorum, qui prius eremita fuerant. Girardi corpus primo sepultum est in oratorio beatae Mariae facto ex ligno; dein translatum in lapideam ecclesiam, post novem annos inchoatam: in qua jacuit usque ad tempus Thomae abbatis, qui anno MCCXLVIII. praefecturam iniit. Hic sacrum corpus e tumulo extulit, & caput quidem in vaseculo deaurato reposuit, cetera autem membra in loculo marmoreo super sex columnas marmoreas erecto. Haec abbatia modo est Ordinis Cisterciensis.

CXIII.

B. Mar. de

Allodiis abba-

tes.

a V. lib. 73. n.

21.

* les Allous.

Girardo de Salis frater germanus erat Grimoardus, monasticen professus a apud Tucionem, qui monasterii beatae Mariae de Allodiis * tertius abbas existit. Posita est haec abbatia in territorio Pictavensi, ejusque auctor praedictus Girardus de Salis censetur. Primus loci abbas existit Petrus, ex Malliacensi chronico, beati Girardi discipulus; secundus Girardus, cui Grimoardus mox laudatus successit; postmodum proventus ad breve tempus ad Pictaventem episcopatum, cui Gislebertus Porretanus, famosus magister in episcopatu successit. Hoc monasterium perstat haecenus sub Ordine Benedictino.

Lerinenfes

quoque abba-

tes.

b V. lib. 71. n.

113.

c Chronol. Le-

rin. p. 158.

In Lerinenfi monasterio mortuo Fulconi^b abbati successit Petrus ejus nominis secundus, cui Callistus papa donationem ecclesiae S. Mariae de Silva, a Petro Portuensi episcopo factam, hoc anno confirmavit. Idem abbas non multo post Romam adiit, & de variis monasterii sui vexationibus, eorumque auctoribus coram summo pontifice conquestus est. Quapropter Callistus papa binas litteras scripsit: unam, Petro Nicienfi episcopo, ut ecclesiam sancti Torpetis, monasterio a clericis ablata, restitui curaret: alteras Berengario Foro-Julienfi episcopo, ut Troandi militis parochiani sui & quorundam aliorum infestationes reprimeret. His litteris Baralis alias addit Honorii papae, quas Honorio secundo, non tertio tribuendas esse contendit. Sed perperam, cum his litteris pontifex Lerinenfium benefactoribus & defensoribus eas concedat indulgentias, quae ab ejus antecessore sanctae memoriae Eugenio papa Jerusaleme pergentibus concessae fuerant. Petrus abbas ad quinque tantum annos Lerinenfibus praesuit.

Manfo abbas

S. Petri Vultur-

rienfis obtinet

privilegium pa-

pale.

CXIV.

Theotgeri

Mettenfis epi-

scopi obitus.

d V. lib. 73. n.

84.

[Hoc anno monasterium S. Petri, quod in monte Vulturae apud cryptam S. Michaelis archangeli situm est, regebat Manfo abbas, qui insigne protectionis privilegium obtinuit a Callisto papa, datum Beneventi per manum Cryfogni S. R. E. diaconi cardinalis & bibliothecarii VI. idus octobris, indictione XIV. anno MCCXX. pontificatus autem domini Callisti papae secundi anno II. quod habes in Appendice.]

Post varios itus ac reditus, variasque procellas tandem in pace quievit Theotgerus^d Mettenfis episcopus, cui ecclesiam suam adire numquam concessum est. Ejus obitum hoc anno consignat Dodechinus & chronographus Saxonicus ineditus, a quibus Dieggerus appellatur. Chronographi Saxonici haec verba sunt: *Bonae memoriae Dieggerus, primum abbas S. Georgii, indeque per legatum apostolicum Metensium ecclesiam ordinatus [episcopus,] post multas ab imperatoris fidelibus inlatas sibi injurias, requievit in Domino, in eadem ecclesia, cui praerant, sepultus; vir adprime litteratus; & in sancta conversatione usque ad ultimam aetatem constantissimus.* Dubitare tamen licet, an sepultus sit in Mettensi Ecclesia, quam adire ipsi venturi non licuit per seditiosos cives; qui Imperatori & pseudopiscopo ab eo intruso absentabantur. Trithemius, qui acta ejus integra legisse videtur, in chronico Hirsau-

gientis^a scribit, Theotgerum concilio Remensi anni superioris interfuisse, in quo ejus electio & ordinatio a summo Pontifice, aliisque patribus confirmata sit; & soluto concilio, Callistum papam eum secum duxisse Autisiodorum, ubi pascha cum suis cardinalibus pontifex celebraverit, deindeque Cluniacum usque perduxisse; & post discessum pontificis Theotgerum ibidem per quatuor menses remansisse, tempus omne in contemplatione divinorum & oratione consumendo; & quarto demum mense febre correptum, dominicis sacramentis acceptis III. kalendas Maias ad Christum migrasse, & in ecclesia S. Petri sepultum fuisse ad plagam septentrionalem juxta parietem templi, ad cujus sepulcrum multa deinceps miracula facta sint. Nihil tamen de eo legitur in Bibliotheca Cluniacensi. Verum haec aliaque videtur accepisse Trithemius ab auctore anonymo, qui ejus vitam duobus libris scripsit jussu Erbonis abbatis ejus discipuli, quam initio & sine mutilam a R. P. Papebrochio ex codice Villingensi accepimus. Fallitur Trithemius cum Theotgeri obitum refert ad annum praecedentem. Mirum est de eo nullam fieri mentionem in veteri chronico^b Mettensi, quod in ejus tempore definit; nec in ejus appendice priori, qua incipit a Stephano episcopo, qui hoc anno canonice electus & a Callisto papa consecratus, amplius biennio a caesarianis urbis aditu exclusus est. Ceterum beatus Theotgerus vir fuit mirae patientiae ac mansuetudinis, & profus ambitionis expertus, ut patet ex iis, quae fecit ad refutandam Mettensium electionem.

Tunc temporis inter Basileensem ecclesiam & S. Blasii in Hercinia silva monachos controversia vertebatur super quibusdam juribus, quae illius urbis episcopus ratione advocatae suae, ab illo monasterio exigere volebat. Hanc vero litem audita utriusque partis causa, Gregorius presbyter cardinalis, qui tunc Callisti papae vices in illis partibus agebat, sub conditione composuit^c in hunc modum: „Si alii archiepiscopi vel episcopi, qui sunt advocati aliorum episcopatum jure ecclesiae suae, ex concessione vel ex tolerantia sedis apostolicae, electis abbatibus concessione per virgam fecerint; episcopus quoque Basileensis electis S. Blasii abbatibus hoc ipsum faciat: si vero Romana ecclesia contradixerit, sic ille se habeat, sicut ceteri archiepiscopi vel episcopi dispositione Romanae ecclesiae se habuerint. De cetero episcopus S. Blasii monachos ita tueatur, ut eorum numerus non minuatur, immo potius augeatur. Ad haec, si advocatus laicus, quem episcopus eis dederit, tyrannidem in eos exercuerit, ab eo amoveatur, & alius, qui bonus sit, subrogetur. Actum publice Basileae apud S. Albanum anno ab incarnatione MCCXX. adstantibus & collaudantibus Radulfo Basileensi episcopo, & Rostanno S. Blasii abbate, quem Bucelinus corrupte Rustenum vocat. Testes Girardus Laufanensis episcopus & imperatoris cancellarius, Willelmus prior S. Albani, alique monachi Cluniacenses; ex laicis Adelbero comes; ex praepositis vero Basileensis ecclesiae Sigemandus praepositus S. Germani Grandis-vallis, & Buceo praepositus S. Ursini. *Scriptum per manus domni Adelberti prioris de cella S. Petri Cluniacensis in Silva nigra sub die kal. Aprilis.* Haec conditionata compositio summi pontificis diffinitivo judicio reservata est.

Exstat in dioecesi Constantiensi celebre monasterium, Mons-Angelorum, vulgo Engelbergense * dictum, quod vir nobilis Conradus a Sellenburen hoc anno condidisse perhibetur. Positum est monasterium in valle amoenissima apud Helvetos in pago Turegiensi, * Uraniam inter Silvianamque, horridis & perpetua nive tectis montibus obsitum, a Conrado episcopo consecratum Deo in honorem beatae Mariae, S. Petri apostoli, S. Nicolai episcopi, & sanctorum Leonardi & Benedicti confessorum. Primus loco praefectus est Adelhelmus, initio prioris nomine tantum insignitus. Monasterium sedi apostolicae subiectum esse voluit Conradus fundator, qui hac de re litteras primum ab Heinrico imperatore, tum a Callisto papa per Egelolfum, virum nobilem, sub annuo censu unius aurei Turicensis monetae impetravit. Callisti litterae inscriptae sunt, *Dilectis filiis Adelhelmo priori & fratribus sanctae Mariae, quod nos Mons-Angelorum appellari volumus.* His litteris monasterio omnimodam libertatem, eligendi abbatis & advocati facultatem impertit, datis Laterani anno dominicae incarnationis MCCXXIV. nonis Aprilis, indictione II. sabbato sancto pascha, luna XVII. Illic Conradus ipse, saeculi honoribus abdicatis, monasticam vitam professus est, a sicario percussus, dum a praeposito tuenda rei

ANN. CHR.

1120.

a Trithem. ad

an. 1087.

b Spicil. to. 6.

p. 660.

CXV.

S. Blasii litem

componit Gre-

gorius legatus.

c Spicil. to. 8.

p. 172.

CXVI.

Montis-Angelorum abba-

tia conditur.

* Engelberg.

* de Zurich.

ANN. CHR.
1110.

domestica causa, quam nonnulli prædones invaserant, missus esset. Non diu post eum superstes fuit Adelhelmus, vir eximie virtutis, qui anno MCCCXI. die XXV. Martii, octogenario major decessit, a posteris pro Sancto habitus. Tres ejus successores, ob rem in spiritualibus & temporalem male gestam, e numero Engelbergensium antistitum merito expungendi sunt. Eorum damna refarcivit venerabilis abbas Frowinus, pietate & doctrina insignis, de quo inferius.

CXVII.
Andecense
item & Reichenbacense
monasteria.
* Andec.
* Annich.

Alterum montem sanctum nobis exhibet Andecensem*, qui locus sex horarum intervallo ab urbe Monachio* distat. Illic Berchtoldus comes Andecensis monasterium condidit sub patrocinio beatissime Virginis, quod ob plurimas, quibus ornatur sanctorum reliquias Mons-sanctus appellatur, & frequenti fidelium concursu honoratur. Monachorum colonia eo deducta ex Seonensi monasterio, de quo in superioribus actum est. Sub initia sæculi sequentis, cum Philippus imperator ab Ottone palatino in regio cubili nefarie confossus occubisset, & duo ultimi comites Andecenses hujus facinoris conscii haberentur; anno sequenti cum parricida proscripsi sunt, & arce Andecensi eversa, bona direpta, monachi exurbati, quibus suffecti multo post sex clerici: sed tandem sæculi quinti-decimi anno quinquagesimo-quinto restituti ibidem monachi, a duce Bavarie Alberto, e Tegernensi monasterio evocati, quibus Eberhardus abbas præfectus est. Sacrum hunc locum aliquando lustravimus, cui tunc præerat Maurus religiosissimus abbas, qui Andecenses ædes, cum antea igne caelesti consumptæ fuissent ex integro elegantissime refecit, & insignem bibliothecam ingeniosis emblematis ac picturis exornavit.

Sub idem tempus Diepoldus marchio Vohenburgensis, exemplo & imitatione matris suæ Leukardis, & uxoris suæ Adelheidis rogatu, Reichenbacense monasterium, diocesis Ratisponensis, amplissimis possessionibus dotavit. Idem consilio Erchengeri abbatis, quem libera fratrum electione, virum secundum cor suum, habebat, eundem locum in manus cujusdam nobilis viri Gotfridi de Were delegavit, quem cum ipso abbate ad Callistum papam direxit, ut S. Petro monasterium illud assignaret. Quod pontifex litteris suis ratum habuit, ejusdemque loci advocatiam abbatis arbitrio reliquit. Hæc omnia litteris suis anno MCCCXV. datis testatum fecit Diepoldus, eandemque donationem in dedicatione monasterii, in præsentia Henrici episcopi Ratisponensis, renovavit ipso die dedicationis, quæ XVII. kal. Julii prædicto anno in honorem sanctæ Dei-genitricis Mariæ facta est.

CXVIII.
Amelungbornense.a Paullini
Chron. Ober-
genise p. 174. &
seqq.Kalendarii
fratres extincti

In chronico Corbeie-novæ, quod Christianus Paullinus typis vulgavit, monasterium Amelungbornense in Patherbrunneni diocesi hoc anno a Sigifrido Homburgico fundatum dicitur sub Ordine Cisterciensi, quod postremum non facile crediderim. Neque enim tam cito Cisterciensis familia in illas partes propagata est. Occasionem condendi illius monasterii, referente Paullino, præbuit extinctio fratrum Kalendariorum, qui templum prope opidum Huxori construxerant. Hæc societas erat quorundam hominum multis propagata in locis, qui singulis mensium kalendis, unde Kalendarii dicti, in unum conveniebant, ut de rebus unoquoque mense agendis tractarent, quæ festa celebranda forent, quæ anniversaria recolenda, quæ jejunia servanda, quæ eleemosynæ distribuendæ, & cetera id genus, quæ pietatis speciem præferbant. Verum quod initio nonnisi pium & honestum videbatur, sensim in comestiones, perpotationes & ludos conversum est, nec ab hac licentia a Corbeiensibus abbatibus & monachis quorum ditione continebantur, revocari potuerunt. Cum igitur in otium & luxum prolapsi pia eorum monita temnerent, Hermannus abbas, eo nomine primus, a pedum vitio Claudus cognominatus, inertes hosce fucos abigere, eorumque loco religiosos viros substituere statuit. Hinc cœnobium ad amœnum Amelungi fontem, qui novo monasterio nomen dedit, extruxit, ibidemque ex vicino Amel-bornæ asceterio, quod Cisterciensium erat, monachos collocasse videtur.

CXIX.
Rupertus fit
abbas Tuitien-
sis.

b Fisen p. 145.

Non ante hunc annum Rupertus noster ad Tuitiensis monasterii præfecturam promotus fuisse videtur. siquidem ut apud Fisenum^b legitur, post abbatialis regiminis annos quindecim decessit IV. nonas Martias anno post millesimum & centesimum trigesimo-quinto. Successit Marcwardo abbati, cujus instinctu vitam S. Heriberti Colonienfis archiepiscopi novo stilo composuit nondum abbas, cum scilicet versaretur in Sigebergensi monasterio, ex quo Marcwardus ad præfecturam Tuitiensem

ANN. CHR.
1120.
* S. Elope.
* Grand.

Tuitiensem assumtus fuerat. Idem Rupertus vitam S. Eliphii martyris scripsit, flagitante Albano abbate monasterii S. Martini Colonienfis, quo S. Eliphii reliquie translatae fuerant ex urbe Grandi* Tullensis diocesis, ubi is martyrio affectus fuerat, in monte scilicet, qui inter Frumentosam & Grandem medius, ab utraque millibus distat senis, ab aquilone Tullensem urbem, ab austro vero Grandem habens. Hæc est urbs Grandis, ubi primitus episcopalem Leucorum sedem positam fuisse quidam nuper commentus est.

In Belgio ad Scarpum sancta Rictrudis sæculo septimo Marcianense seu Marchianense puellarum monasterium extruxit; Gertrudis vero nobilis femina, Adalbaldi ejusdem Rictrudis conjugis avia, quatuor ab eo loco stadiis aliud parthenium Hamatici ædificavit. Utrumque medio sæculo nono a Nortmannis eversum est. Marcianense tamen sæculo decimo jam utcumque refectum erat, ibique sanctimoniales^a habitabant: sed tandem illæ sæculo undecimo per Balduinum Flandriæ comitem, cognomento Barbatum, & Lierwinum S. Vedasti abbatem ejectæ, ut alias^b diximus, locum monachis cesserunt, qui ibidem hætenus perseverant. Interim Hamaticense monasterium in despectum ita venerat, ut tempore Fulchardi abbatis, qui sub initia sæculi duodecimi Marcianensibus præfuit, in rusticanum prædium mutatum esset. Verum Amandus Fulchardi successor, dum instaurandis Marcianensis cœnobia rebus & ædificiis operam daret, Hamaticensis defolationem ægre ferens, cuidam e fratribus suis ejus reficiendi curam demandavit. quod ille non sine caelesti supplemento exsecutus est: quo ex tempore quatuor vel quinque fratres illic ad divinum cultum deputati sunt; estque etiam nunc cella monasterii Marcianensis. Sub finem sæculi duodecimi floruit Andreas prior Marcianensis, qui ad honorem bonæ memoriæ domini Petri Atrebatensis episcopi de origine & gestis Francorum duos libros composuit, & tertium inchoavit, quos omnes præ manibus habuit Willelmus Andreas abbas Andrensis, iisque ad scribendum monasterii sui chronicon^c usus est. Inter alia initio ex eodem Andrea agit de translatione reliquiarum sanctæ Rictrudis seu Rotrudis in Andrense monasterium, quæ translatio tempore sanctimonialium à quodam ædituo Anglico in Gifnensem pagum furtim facta dicitur. De hac translatione viderint quid sentiant nostri Marcianenses.

CXX.
Marcianense &
Hamaticense
monasteria re-
structa.a V. lib. 48. n.
39.b lib. 56. n.
41.c Spicil. to. 9.
p. 338. & seqq.

Eandem cum ceteris Belgii monasteriis sortem subiit S. Salvii martyris prope Valencianam ecclesia, quæ post Nortmannorum procellas paucis demum clericis cecidit. Verum, cum Bruno Colonienfis archiepiscopus ab Ottone II. imperatore ad illas partes reformandi ecclesiastici ordinis causa missus fuisset; statuit, ut decedentibus sensim clericis sufficerentur monachi, qui suburbanam S. Gaugerici ecclesiam incolebant. Hæc autem mutatio multis clericos inter ac monachos rixis subinde materiam & occasionem præbuit: quibus componendis sancto Hugoni Cluniacensi abbati locus informandus concessus pontificatu Paschalis II. Manasse episcopo Cameracensi: sed non sic tamen litium causa restincta. His finiendis quasdam concordia leges præscripsit Burchardus episcopus Manassæ successor: sed non statim repressa clericorum inveterata discordia, quæ eo usque processit, ut omnia loci instrumenta igne concremaverint. Sub hæc Pontius Cluniacensis abbas Hubertum monachum pietate insignem illic priorem constituit: at is paulo post morte interceptus locum fecit Roberto, viro æque docto ac pio, cujus aliquot ibidem codices & instrumenta restant. Hic controversiam, quæ cum Hafnoniensi abbate ejusque monachis super decimis ecclesiæ beatæ Mariæ majoris ab eis pendentis orta erat, composuit: cui pacto subscribere Radulfus Remorum archiepiscopus, Willelmus Catalaunensis, Lisardus Sueffionensis, Bartholomæus Laudunensis, Lambertus Noviomensis episcopi, & Pontius abbas Cluniacensis tempore Burchardi episcopi Cameracensis. Richardus Roberti successor à Pontio abbate itidem institutus ad breve tempus, successorem habuit Hubertum secundum, qui apostolicæ tutelæ diploma obtinuit ab Honorio II. Hæc ex schedis Theodorici Ghisberti ejusdem loci subprioris, qui S. Salvii priorum catalogum ac res gestas ineunte sæculo septimo-decimo litteris mandavit.

CXXI.
S. Salvii item
monasterium.

Existabat tunc temporis in diocesi Cameracensi Bornhemensis* abbatia quam Winemarum castellanus Gandensis extruxerat, multisque prædiis & donariis ditaverat, probante Manasse episcopo, fratribus sub regula S. Augustini inibi constitutis. Non multo post eadem abbatia fere ad nihilum redacta est: cujus miseriæ^d

Bornhemensis
abbatia Affli-
gemicensibus
data.* de Bornhem.
d Mir. not. p.
306.

ANN. CHR.
1120.

condolens Burchardus episcopus Cameracensis, venerabilem Fulgentium Affligemiensem convenit, & ut abbatiam illam, sub regula S. Augustini annihilatam, re-gendam & sub regula beati Benedicti emendandam suscipere rogavit. Assentiente Fulgentio, prædictam ecclesiam cum suis appendicibus supplicante Sigefrido Bornhemensi abbate, fratribus quoque petentibus, Affligemienfi ecclesie sub regula S. Benedicti permansuram concessit. Actum anno MCXX. pontificatus Burchardi quinto. quod Callistus II. eorundem fratrum & fororis suæ Clementiæ Flandrensium comitissæ rogatu anno sequenti confirmavit.

CXXII.
Hermes Ber-gensis abbas fecedit ad S. Nicasium.

Eodem tempore Bergenses seu S. Winnoci monachi Hermetem abbatem suum quem Lambertus Sithienfis abbas ad reformandos illorum mores eis præferat, ejus disciplinam non sustinentes, indigne tractaverunt. Hunc enim dolo circum-ventum ad abjurandam loci præfecturam induxerunt. Fraude & iniquitate detecta cum ad eum recipiendum suaderentur; præfracte negarunt, se umquam homini per-juro parituros. Hermes itaque potius cedendum ratus, quam de præfectura digla-ditari, ad Remense S. Nicasii asceterium, quod tunc religione florentissimum erat, se recepit. At brevi illi fraudis architecti meritas poenas luerunt. Post Hermetis quippe discessum, cum Johannes Morinorum episcopus alium abbatem, Thomam nomine, ex præposito clericorum regularium Sithiensem monachum, loco præfecisset eodem anno ipsoque die festo depositionis S. Winnoci, totum monasterium flammis consumtum fuit. & justo quidem Dei judicio, ut recte monet Iperius: ut qui abbatem suum tam proditorie expulerant, in sui patroni festo suis privarentur officinis, quas idem abbas eis adornaverat. Monasterii ædificia instauravit Astgerus seu Algerus Thomæ successor, novamque basilicam a Milone Morinensi, Alviso Atrebatensi, ac Simone Tornacensi, episcopis, præfente Theoderico Flandriæ comite cum aliis prælatis, dedicari curavit, & sancti Winnoci reliquias in novam thecam auro argentoque ornatam includi. Sequentium ejusdem loci abbatum indicem in tomo primo sæculi nostri Benedictini in Appendice ad vitam S. Winnoci exhibuimus.

CXXIII.
Eadmerus S. Andree postu-latus episcopus

Hoc ipso anno, cum Radulfus Cantuariorum archiepiscopus e Nortmannia in Angliam reversus esset, ab Alexandro Scotiæ rege litteras accepit, quibus Eadme-rum Cantuariensem monachum, olim beati Anselmi discipulum & ministrum, ad vacantem a biennio sancti Andree episcopatum postulabat. Regii legati fuere qua-tuor, unus quidem monachus & prior ecclesie Dunisfermelinæ Petrus nomine, clerici duo, & unus miles: Etsi vero Eadmeri absentiam ægre ferret archiepiscopus, quippe qui ejus opera assidue utebatur; regis tamen petitioni assensum non præ-bere nefas duxit, ne Dei ordinationi resistere videretur. Habebant quoque regii legati litteras ejusdem argumenti ad Heinricum regem, necdum e Nortmannia in Angliam reversum, cui litteras quoque suas Radulfus archiepiscopus cum toto Cantuariensi conventu ea de re direxit, testatus, se Alexandro concedere, si mo-do rex ipse annueret, *domnum Eadmerum, quem à pueritia disciplinis ecclesiasticis sublimiter institutum, & sanctis moribus decenter ornatum, ad officium sacerdotale om-nino idoneum probe sciret.* Rescripsit rex se annuere, litteris datis *apud Rotomagum.* Itaque Radulfus Eadmerum misit ad Alexandrum regem, litteris professus, se vo-lentem, & tamen quodam modo invitum regie voluntati assentiri: volentem quidem ne Dei voluntati resisteret, & regem offenderet: invitum vero, quod viri tam sa-pientis consilio & auxilio sic destitueretur. In fine fratres suos, qui in Scotia erant, regi commendat. Ubi Scotiam attigit Eadmerus, tertio ejus adventus die, quæ festivitas erat sanctorum apostolorum Petri & Pauli, eligente ipsum clero & rege concedente, *suscepit pontificatum sancti Andree apostoli Chenrimuntensis,* quæ res cum omnium gratulatione ita peracta est, ut nec virga pastoralis vel anulo à rege investitus fuerit; nec hominum, ut vocant, regi fecerit. Verum postera die hæc serenitas in nubilum subito conversa. nam rex cum electo de ejus consecratione secretius agens, & modis omnibus eum a pontifice Eboracensi consecrari exhor-rens, cum eum Cantuariæ episcopalem benedictionem requirere velle intellexisset, conturbatus animo ab eo discessit. Vocato itaque Willelmo S. Eadmundi mona-cho, qui post Turgoti ultimi episcopi decessum sancti Andree Ecclesiam rexerat, præcepit, ut more solito res illius ecclesie procuraret. Tandem cum regis animus a proposito reflecti non posset, nec Eadmerus Cantuariensi ecclesie injuriam facere su-sineret; reddito regi anulo, & baculo, quem ex altari acceperat, super altare re-

ANN. CHR.
1120.

posito, hic Cantuariam revertit; ubi ab archiepiscopo & conventu cum magno gaudio receptus est. Hæc fufe narrat Eadmerus ipse sub finem libri quinti historia novorum, ubi epistolas ultro citroque missas refert.

Dum hæc circa Eadmerum geruntur, maximum Heinrico regi infortunium ac-cidit. Regi quippe in Angliam reversuro quidam a nauclerus, Thomas nomine, cujus pater Willelmum Conquæstorem, Heinrici patrem, in Angliam transpor-taverat, navem optime instructam, Candidam vocabulo, ad transfretandum obtu-lit: at rex, qui jam conductam navim habebat, filios suos, Guillelmum & Ri-chardum, cum multis nobilibus subsecuturos, eidem nauclero commendavit, da-tis ei tribus vini modiis ad bibendum. His acceptis, nauclerus, ejusque focii tan-tum vini potaverunt, ut præ ebrietate mentis impotes facti sint. Navim nihilo mi-nus regis filii cum trecentis fere proceribus conscendunt. Aderant illic duo Ti-ronienses monachi, necnon Stephanus comes, & quidam alii transfretare cupientes: sed nautarum petulantiam & nimiam multitudinem lascivientium juvenum conspi-cati, se eis adjungere noluerunt. quod illis bene vertit. Navis enim, quæ regis fi-lios ac thesauros, tantamque multitudinem ferebat, nautarum imprudentia ad ru-pem allisa, contractis duabus tabulis subversa est; omnesque præter unum rusti-cum, undis absorpti periere, adeoque duo regis filii, quorum alter natu major, septemdecim annorum magnæ spei adolescentis, jam regno destinatus erat. Hæc jactura incredibile est quantum regi totique regno luctum ac moerorem attulerit. In-faustum hoc infortunium accidit VII. kal. Decembris, teste Orderico, qui præcipuo-rum procerum cum filiis regis submerforum nomina refert. Idem compendio mem-orat Eadmerus in fine libri v. historiae novorum, ex quo manifeste patet, id acci-disse post electionem Eadmeri hoc anno factam, non anno præcedente, ut quidam ex Orderico inferunt.

CXXIV.
Henricus rex in Angliam re-dit. a Orderico. lib. 12. p. 867. & seqq.

Alboldus S. Eadmundi abbas, cum quinque annis monasterium rexisset, obiit hoc anno kal. Martii, quod pro veteri calculo ad annum superiorem refertur in Monastico Anglico. Hunc exceptit anno sequenti Anselmus, S. Anselmi ex so-rore nepos, jam abbas sancti Sabæ in Urbe, post annos septemdecim electus epi-scopus Londoniensis, ibidemque sollempniter receptus: sed quia hoc sine consensu decani Londoniensis factum erat, Londonia exclusus, vixque in S. Eadmundi de-nuo admissus est ecclesiam, quam viginti-octo annis rexit.

CXXV.
S. Eadmundi & S. Albani ab-bates. b7. lib. 72. m. 69. & 70.

Post Richardum de Albineio S. Albani quintum-decimum abbatem, qui XVII. kal. Junii anno præcedente obiit, locum rexit Gaufridus, cognomento *de Gorram*, teste Radulfo de Diceto, ex illustri Cenomannensium & Nortmannorum progenie exortus: qui electione fratrum & regis Heinrici assensu, abbatiam administrandam invirus suscepisse traditur. Hic non tantum morum honestate, sed etiam divinarum litterarum scientia præditus, ex Cenomania, cum adhuc sæcularis esset, a Richar-do abbate ad regendas S. Albani scholas accersitus est: sed quia tempestive non advenit, alteri magistro schola tradita fuit. Interim litteras docuit apud Dunesta-pliam, ubi cum *quemdam ludum*, de S. Catharina quem miraculorum vocabant, re-præsentare vellet, ab ædituo S. Albani cappas chorales commodato accepit. Ve-rum nocte sequenti fortuito incendio combusta est domus magistri Gaufridi cum li-bris & prædictis ornamentis. quod damnum ut S. Albano restauraret, seipsum ibi-dem holocaustum obtulit Deo, monastico habitu assumpto; factusque abbas amissa ornamenta supplevit. Ejus gesta litteris mandavit Matthæus Parisius: in his domum infirmorum exstruxisse perhibetur, & statuisse, ut in illa sub silentio infirmi fratres reficerentur.

Hoc anno Willelmus Malmesburienfis monachus libros quinque de gestis regum Anglorum absolvit, quos Rotberto comiti Glocestrensi, Heinrici regis filio natu-rali, dicavit, uti & historiam novellam subsequenter, quæ ab incarnationis domi-nicæ anno millesimo centesimo vicesimo sexto, Heinrici regis vicesimo-sexto exor-dium ducit. In epistola libris de gestis regum præmissa ad Rotbertum comitem, se tantum Malmesburie monachum vocat: in altera ad eundem super historia-novella, se ejusdem loci bibliothecarium dicit. Primum opus voluit esse multarum histo-riarum breviarium, quamvis a majori parte Gesta regum Anglorum vocet. In priori epistola Rotbertum alloquens: *Vestrum est, o duces*, inquit, *si quid facimus boni; vestrum profecto, si quid dignum memoria scribimus. Vestra industria est nobis incita.*

CXXVI.
Willelmi Malmesbu-riensis scripta de gestis regum Anglorum.

ANN. CHR.
1120.Viri illius tem-
poris illustres.

mento : ut quia pericula vestra paci nostræ impenditis, vos vicissim per labores nostros omni ævo inclarescat.

Hos porro quinque libros perducit usque ad annum Heinrici regis vicesimum, qui huic anno incarnationis responderet. Sub finem libri quinti, ut sæculum suum virorum illustrium expers non esse ostendat, quosdam sui temporis homines pietate & doctrina insignes, tum ex Gallia, tum ex Anglia laudat. Ex Gallia quidem Petrum Pictavorum episcopum, eo nomine secundum, qui obscænos mores Willelmi IX. Pictavorum comitis constanter redarguit, eumque excommunicavit, a quo in exilium pulsus est: ubi beato sine, inquit, conclusus, frequentibus & magnis miraculis innuit mundo, quam gloriose vivat in cælo. Deinde laudat Rotbertum de Arbrissello, & Bernardum abbatem Tironiensem, sapius jam a me laudatos: illum quidem, quod magnæ feminarum multitudini perpetuum, rem muliebri sexui in primis difficilem, silentium imposuerit. hunc vero, quod famosus paupertatis amator, in saluosum & desertum locum, relicto amplissimarum divitiarum cænobio, cum paucis concessit: ibique undatim multis confluentibus monasterium fecit, magis insigne religione monachorum & numero, quam fulgore pecuniarum & cumulo. Ex Anglia laudat Serlonem abbatem Glocestrensem, de quo superius actum est: tum Lanzonem S. Pancratii priorem, monachum Cluniacensem, cujus obitum fuse describit.

a lib. 70. n. 91.

CXXVII.
Lanzo prior S.
Pancratii pie
obit.
b Bibl. Clun.
p. 532.

Ecclesiam S. Pancratii Lewensem, diocesis Cicestrensis, beato Hugoni Cluniacensi abbati contulerant, Willelmo Conquæstore probante, Willelmus^b de Warrenna & Gondreda ejus conjux, ibique cellam Ordinis Cluniacensis construxerant. Lanzo ejus loci prior, ita locum illum reverentiæ monachis, ait Willelmus, gratia nobilitavit, ut unicum bonitatis pro vero asseratur esse domicilium. Prætermisiss Lanzonis præclaris factis, Willelmus solum ejus obitum commemorat. Quinta feria ante passionem Domini, dicto ex quotidiana quadragesimæ consuetudine psalterio, cum incolumis hora tertia missam celebraturus usque ad casulam induisset, subito languore tam gravi & molesto correptus fuit, ut, depositis vestibus sacris, continuo ex oratorio egredi coactus sit. Hinc sine intermissione per biduum, id est usque ad sabbatum, ita conteritur, ut in quocumque corporis statu nullam requiem haberet. Numquam tamen noctibus est locutus; rogantibus fratribus ut silentium solveret, non acquievit, rogans ne monachus sui pudicitiam libarent, quod numquam, postquam monachicum habitum accepisset, a completorio exiens usque ad sequentis diei primam locutus fuisset. Sabbato, cum mortem sibi instare putaret, fratres ad matutinam synaxim expergefactos, ut se inungerent, præcepit; tum inunctus, cum omnes osculari vellet, non jacendo nec sedendo, sed stando, fratribus sustentantibus, singulis osculum præbuit, omnibusque paterna benedictione & absolutione impertita, idem sibi ab illis impertiri rogavit. Post dominicam, quam solito quietius transegit, imminentiis mortis indicis apparentibus, pexo capite, missam auditorus oratorium ingreditur, sumtoque corpore & sanguine Domini ad lectum regressus est. Post modicum obmutuit, fratres tamen ad se venientes benedixit. Rogatus ab eis, ut apud Dominum, ad quem ibat, ipsorum memor esset; capite annuit. Post hæc innuit sibi porrigi crucem, quam non modo capite, sed toto corpore inclinato adorabat, & osculabatur. Tandem adhuc vivus in presbyterium ante altare S. Pancratii delatus, migravit ad Christum quinto die, quam infirmari cœperat, octavo die ab annuntiatione Dominica. Sic Deus domno Lanzoni, qui præ ceteris, ait Willelmus, hujus ævi hominibus regulam S. Benedicti observabat, & beatam Dei-genitricem, ejusque sollempnia singulari venerabatur affectu, contulit, ut solita sibi consuetudine, & in transitu S. Benedicti, & in festivitate S. Mariæ, quæ Annuntiatio Dominica dicitur, majorem missam in conventu celebraret; & octavo a prædicto S. Benedicti transitu die præventus infirmitate, octavo nihilo minus die ab annuntiatione Dominica migraret ad Christum. Hactenus Willelmus. Lanzoni successit Hugo, factus paulo post Radingiæ abbas, ac demum archiepiscopus Rotomagensis, de quo plura in consequentibus. Mortuus est etiam in istis partibus, sed initio hujus anni, Henricus eremita, cujus vitam ex Capgravo retulit Bollandus die xvi. Januarii. Is ex illustri inter Danos familia ortus, relicto omnibus Tinomutham adiit, impetratoque a priore monasterii assensu, parvam ædiculam quam in insula construxit solitarii inhabitavit; ubi ex labore manuum suarum victitabat. Veritus ne aliquando deferendæ cellæ desiderio consentiret, a Deo impetravit ut ne id faceret gravi ulcere impediretur. Cum

Henricus ere-
mita.ANN. CHR.
1120.

vero foli expositus erumpentes e suo genu vermes in terram deciderent, eos recolligens dicebat: Redite, redite, & immundam naturæ vestræ originem, quæ vos hereditabit, consumite. Eo defuncto, corpus renitentibus frustra circumpositis accolis, qui circa illud in ecclesia vicana excubias agebant, monachi Tinomuthenses in suam detulerunt, ubi prope sancti Oswini regis & martyris tumulum depositum est.

Inter ea Callistus papa Romam reversus, non diu illic substitit, sed Beneventum profectus est. In illo itinere adiit Casinense^a monasterium, ibique missam sollempniter celebravit. Inde Beneventum profectus, inter alia Casinatium controversias quasdam definivit, imperata restitutione multarum rerum, quas principes quidam & episcopi eis abstulerant. Tunc etiam agitata controversia de monasterio sanctæ Mariæ^b de Cingla, quod a jure Casinatium Rainulfus comes vi abstulerat, & parthenoni beatæ Mariæ de Capua subjecerat. Interpellata sæpius Alferada abbatissa ut illud restitueret, post varias admonitiones, inducias & comminationes, ne quidem interdicto & excommunicatione ad eam restitutionem adduci potuit. Tum a pontifice compulsus Rainulfus comes, invasionis auctor, ut abbatissam ad parendum induceret; muneribus ab ea corruptus, illam contra pontificis sententiam tueri pergit, ideoque anathemate multatur. Scriptæ hac de re literæ ad Ottonem Capuanum archiepiscopum, ut parthenonis & abbatissæ interdictum servari curaret. Tandem comes, visis ac lectis Casinatium, de illa cella instrumentis, relecto quoque Paschalis papæ hac de re judicio, coram Johanne cardinali tituli S. Eusebii & Bermanno Romanæ ecclesiæ subdiacono, prædictum S. Mariæ monasterium S. Benedicto restituit, chartamque refutationis a se subscriptam super altare beati Benedicti posuit, mille librarum auri pœna violatoribus intentata. Hac in re Callistus, ut Baronius^c notavit, pertinacior expertus est feminam, contumaciorque imperatore schismatico, quem reddidit tandem, ut ex consequentibus patebit, Romanæ ecclesiæ obsequentem. Beneventum in Apuliam progressus pontifex, antecessorum more fidei clientelaris sacramentum a Willelmo duce exegit, eique ducatus omnem ditionem & honorem per vexillum tradidit, ut Romualdus in chronico tradit. Tunc pontificem apud Bituntum convenit Sugerius, necdum S. Dionysii abbas, a Ludovico regè quorundam negotiorum causa missus ad Callistum, qui eum perquam honorifice accepit, ac diutius retinere voluit: sed ecclesiæ suæ amore & sociorum abbatis S. Germani, socii & connutriti, aliorumque persuasione revocatus est. In itinere quoddam fomnium habuit de morte Adæ abbatissæ, quæ anno sequenti accidit. Hæc ille pluribus in vita Ludovici Grossi.

CXXVIII.
Callistada pro
Casinatibus.
a Chron. Casin.
lib. 4. c. 68. &
seqq.

b ibid. c. 70.

c

c

c

c

CXXIX.
Capuanorum
clericorum fa-
cinus, & urbis
incendium.
c ibid. c. 72.

Tunc temporis in urbe Capua res contigit minime prætermittenda. Cum fratres monasterii S. Benedicti in illa urbe cuidam ægroto^c morti proximo monasticum habitum imposuissent; Capuanæ ecclesiæ clerici, prædam sibi substractam non ferentes, armata manu illum irrumpunt, defunctum monasticis indumentis spoliant, eaque in plateam pedibus prætereuntium conculcanda projiciunt. quod ubi Callistus rescivit, Capuano archiepiscopo districtè præcepit, ut novum & inauditum facinus severe vindicaret. Eodem anno hæc civitas fere tota incendio conflagravit; jamque ignis S. Benedicti monasterio imminerebat, cum fratres fide in Deum armati, sumto calicis corporali, illud extra monasterium opponunt; moxque reflexus ignis a monasterio est, corporali ipso profus intacto, nisi quod in rei testimonium parvum foramen in medio relictum est. Simile quiddam de chrisimali jam alias ex Glabro retulimus. Quamquam in concilio Salegunstadeni jam vetitum^d fuerat, ne corporale ad extinguendum incendium in ignem projiceretur.

d lib. 55. n. 20.

[Exstat in diocesi Bituricensi antiquissimum Carentonii monasterium, quod a S. Columbano fundatum tradunt. In eo Leodegarius archiepiscopus, ejectis sanctimonialibus propter minus honestam earum conversationem, & in aliis religiosis monasteriis collocatis, regulares canonicos instituerat. Sed eo defuncto, cathedralis ecclesiæ S. Stephani canonici cum laicorum favore canonicos regulares expulissent, & sanctimoniales ad eandem ecclesiam restituisent, Callistus papa II. Leodegarii archiepiscopi constitutionem & Paschalis papæ confirmationem annullari nolens, Wulgrino Bituricensi archiepiscopo mandat & præcipit, ut sanctimonialibus illis educatis canonicos regulares ad ecclesiam illam reducat. Quod si forte illæ egredi noluerint, aut ipse canonicos regulares restituere noluerit, illis illarumque fautoribus ecclesiarum introitum interdicit, atque locum ipsum divinis carere officiis mandat. Datum apud S. Germanum III. nonas Decembris.]

Canonici regu-
lares e Caren-
tonis partheno-
ne ejecti.Ex chartario
archiepiscopi Bi-
turicensis.

ANN. CHR.

1120.
Erkembertus
abbas Corbeie
privilegium
obtinuit a Fri-
derico Colo-
niensi episc.
Marr. ampl.
collekt. to. 1. p.
661.

[Hoc ipso anno M C X X. Erkembertus abbas Corbeie novæ Fridericum adiens archiepiscopum Coloniensem enixe rogavit, ut privilegium sibi pro confirmandis decimis, quæ ab antiquis temporibus de dominicatis mansis ipsius monasterio in episcopatu Colonienfi solvebantur, juxta subscriptionem Williberti archiepiscopi & decem & novem episcoporum qui in synodo tempore Arnolphi imperatoris convenerant, & juxta concessionem omnium successorum ipsius, concedere dignaretur. annuit Fridericus ac sigilli sui impressione privilegio auctoritatem dedit. Actum est hoc & in celebri curia & conventu Goslarie confirmatum anno singularis nativitatæ milliesimo centesimo vigesimo, indictione VII. imperante Henrico V. Romanorum imperatore augusto, præsidente sedi apostolicæ domno Callisto, anno nostri episcopatus nono decimo, Corbeiensis ecclesiæ curram aurigantem Erkemberto reverendissimo abbate feliciter. Quo anno Callistus papa Rodolfo abbati Massiliensis S. Victoris monasterii facultatem concessit domum apud Tarasconem ædificandi, in loco videlicet donationis comitissæ Stephaniæ. id quod antea Richardo Narbonensi archiepiscopo & Massiliensi abbati permiserat Urbanus II. Datum Biterris kal. Julii.]

ANN. CHR.

1121.
C X X X.
Burdinus Ca-
vam retrusus.
* Sutrinus.

a Orderic. lib.
12. p. 870.

b lib. 55. n. 81.
&c.

c supra n. 61.

d Spicil. to. 3.
p. 147.

C X X X I.
Willelmus epi-
scopus Cata-
launensis obiit.

S. Arnulfi epi-
scopi elevatio.

Post Callisti in Italiam adventum, Burdinus seu Gregorius pseudopontifex Sutrii * urbe Etruriæ se continebat, præsidio fultus quorundam satellitum, qui peregrinos Roman tendentes spoliabant, multaque convicia in pontificem vomebant. Ob id Callistus ex Apulia reversus, collecto exercitu Johannem Cremensem S. Chrysoconi cardinalem ad Sutrium expugnandum præmittit. Post aliquot velitationes Burdinus a Sutrinis deditur: qui pilosa & sanguinolenta pelle caprina pro chlamyde rubea indutus, camelo, verso in caudam ore, impositus, Romamque ad ludibrium sic adductus, demum in Cavense agri Salernitani monasterium retrusus vitam finivit. De illo monasterio hac occasione agens Ordericus ^a: *Ibi*, inquit, *religiosorum habitatio est monachorum, quibus est secundum regularem ritum abundantia ciborum, & omnium quibus indiget humana necessitas, affluentia rerum. Ille vero locus extrinsecus inaccessibilis est, & nemo illuc nisi per unum aditum ingredi potest, ideoque monasterium istud Cavea præfagialiter appellatum est.* De hujus monasterii origine ^b primisque abbatibus in superioribus actum est. Tunc loco præerat Constabilis abbas, qui ante biennium ^c beato Petro successerat. De prædicta Burdini captione, quæ anno ejus sæculi vicesimo-primo facta est, Callistus papa scripsit inter alios Ludovico regi Francorum, ut ex regis ad eum epistola ^d discimus, cujus initio *de captione illius apostatæ Burdini & de ipsius papæ incolumitate ei gratulatur.*

Non ante hunc annum, id est præsentis sæculi vicesimum-primum, e vivis excessit Willelmus episcopus Catalaunensis, quem anno præcedente adhuc superstitem fuisse res a nobis relatæ demonstrant. quo etiam anno litem quamdam super decimis composuit inter canonicos S. Martini & monachos ecclesiæ sancti Salvatoris, qui in municipio, quod Virtutum dicitur, regulariter vivebant. Hujus concordie instrumentum retulit Rapineus in historia episcoporum Catalaunensium, in qua ex veteri codice illius ecclesiæ probat, Willelmum prædicto anno ejus sæculi vicesimo-primo decessisse xv. kal. Februarii. Eundem annum diserte assignat Albericus. In veteri pontificali ecclesiæ Catalaunensis *Guillelmus venerabilis episcopus VIII. annis & quinque mensibus sedisse dicitur; eique Ebalus episcopus & comes de Rameruco successisse, de quo alias. Sepultus est apud Claram-vallem in capella, quam suis ipse impensis extruxerat. Vulgaris opinio est, eum in extremis monasticum habitum suscepisse, quod Manricus incertum putat.*

Idem præsul in concilio Belvacensi, quod anno præcedente celebratum diximus, præcipuus auctor fuerat elevandi corporis S. Arnulfi, episcopi Sueffionensis, quod in Aldenborgensi Flandriæ monasterio quiescebat. Ad id exsequendum Lambertus Tornacensis episcopus, in cujus diocesi locus positus erat, diem indixit, scilicet kalendas Maias hujus anni, & ad futuram sollempnitatem omnes illarum patrium populos scriptis litteris convocavit. Die condito ad locum accessit episcopus cum Rodberto archidiacono, & tumulum aperiri jussit. Detecto sacro corpore, inventus est calix super pectus ejus cum tabula scripta, quæ nomen, patriam, genus, conversionem, abbatialem & episcopalem ordinationem & diem depositionis beati viri explicabat. Inventum quoque *pastorale petalium*, quod de baculo episcopali interpretandum, ac demum sandalia auro intexta. Jam vero ad extrahenda

e tumulo sacra ossa electi sunt tres presbyteri, Hariulfus videlicet ejus loci abbas, Goduinus & Hagamingus monachi. Calvariam capitis extraxit abbas, & in capsulam reposuit: cetera ossa in præparatum scrinium illata. Ipso anno magnam frugum ubertatem, sanitatem corporum, aërisque salubritatem contigisse animadversum est, cum antea per annos septem ex aquarum illuvie agrorum sterilitas, hominum & animalium mortes invaluissent.

Eodem anno habitum fuisse constat Sueffionense concilium, in quo Petri Abaëardi liber de Trinitate damnatus est. Id constat, inquam, duobus argumentis ab ipso Abaëardo petitis. Hic enim in sua ipsius historia de hoc concilio data opera differens, ait, illud habitum fuisse instinctu duorum ipsius antiquorum insidiatorum, qui jam defunctis magistris eorum, *Guillelmo scilicet atque Anselmo, post eos quasi regnare se solos appetebant.* tum in consequentibus subdit, non multo post concilium defunctum fuisse Adamum S. Dionysii abbatem, qui anno sequenti xi. kal. Martii e vita migravit. Itaque hoc concilium celebratum est medio intervallo, quod mense Januario præsentis anni, quo decessit Willelmus episcopus, ad mensem Februarium anni subsequenti effluxit. Hæc de tempore concilii; nunc ejus actuum seriem, qualem Abaëardus ipse retulit, videamus.

Cum Abaëardus in cella Pruviniensi Trecentium monachorum, quæ S. Aigulfi * ^{S. Ayni.} dicitur, frequentes discipulos haberet; illis flagitantibus tractatum edidit de Unitate & Trinitate divina, quem humanis & philosophicis potius rationibus, quam veterum auctoritatibus instruxit. Hunc tractatum cum plurimi avide requirerent ac legerent, duo Abaëardi æmuli, Albericus & Lotulfus, Willelmi & Anselmi nuper defunctorum discipuli, qui Remis scholas regebant, Rodulfum archiepiscopum perpulerunt, ut Conanum seu Cunonem Prænestinum episcopum & legatum ad convocandum apud Sueffionas concilium induceret. Citatus ad illud concilium Abaëardus, jussusque est secum afferre prædictum tractatum, ob quem ita eum jam infamaverant ejus æmuli, ut parum abfuerit, quin populus & quidem ejus discipuli, ex quo illuc advenit, eum lapidibus obruerint. Principio legatum adiit Abaëardus, eique librum suum dispiciendum & dijudicandum obtulit, professus se paratum esse ad correctionem vel ad satisfactionem, si quid in eo præter veritatem ipsi excidisset. Legatus vero librum ipsum archiepiscopo, prædictisque æmulis deferri jussit. Tum illi librum inspicere, revolvere, singula rimari: qui cum nihil, quod in audientia contra auctorem proferrent, in eo deprehendissent, ejus damnationem usque ad finem concilii distulerunt. Auditus sæpe in concilio de fide catholica differens Abaëardus, & ab omnibus *cum admiratione* auscultatus. Forte eum arguit Albericus, quod negaret Deum seipsum genuisse. Quod cum Augustini testimonio probasset Abaëardus, cum pudore ille recedens, ad minas conversus est. Extremo tandem concilii die, priusquam residerent episcopi, cœperunt deliberare legatus & archiepiscopus cum prædictis æmulis & quibusdam aliis, quid de Abaëardo statuerent. Illis hærentibus, & minus aperte detrahentibus; Gaufridus Carnotensis episcopus cavendum esse dixit, ne quid violenter contra hominem ageretur, qui multos haberet sequaces; non defuturos ex eis, qui eum defenderent. Si canonice in eum agere velint, dogma ejus vel scriptum proferendum, eique respondendi locum concedendum, ut convictus tandem, vel confessus obmutesceret. Verum ejus ænuli hoc consilium respuerunt, ea scilicet ratione, quod ejus fophismatibus universis resistere mundus non posset. Itaque aliam proposuit viam Gaufridus, nimirum ut Abaëardus ad abbatiam suam, id est S. Dionysii monasterium, abbati suo Adamo, qui præsens aderat, reducendus committeretur; ibique pluribus ac doctissimis quibusque viris congregatis (nam paucos ad tantæ rei discussionem non sufficere) ejus causa dijudicaretur. Assensit huic consilio legatus, ceterique omnes. At Abaëardi æmuli operam se perdidisse rati, si extra suam diocesim hoc negotium gereretur, archiepiscopo agente legatum ad hoc invitum pertraxerunt, ut librum absque ulla inquisitione damnaret, & in conspectu omnium comburi juberet, auctoremque in alieno monasterio perpetua clausura cohiberet. Dicebant quippe ad libri damnationem sufficere, quod nec Romani pontificis, nec ecclesiæ auctoritate probatum publice legere ausus esset, atque ad transcribendum jam pluribus eum commodasset. Id fidei christianæ perutile futurum, si Abaëardi exemplo multorum similis temeritas reprimeretur. Assentientibus le-

CXXXII.
Sueffionense
concilium in
Abaëardum.

ANN. CHR.
1121.

ANN. CHR.
1121.

gato & archiepiscopo, Gaufridus episcopus Abaelardo auctor fuit ut invidia cederet, plus ejus auctoribus quam ipsi obfuturæ; nec de reclusionem in monasterium perturbaretur, certus legatum, qui coactus id faceret, ipsum quanto citius liberaturum. Gaufrido assensit Abaelardus: qui in concilium ingressus, librum suum propria manu in ignem projicere compulsus est. Inde, quasi reus & convictus, Gaufrido abbati S. Medardi, qui presens aderat, traditus, ad claustrum ejus tanquam ad carcerem trahitur; moxque concilium solvitur. De hac reclusionem agit anonymus auctor in libro primo de vita beati Gofuini, tunc S. Medardi prioris, cui Abaelardus ad emendationem commissus fuisse dicitur: sed in eo parum accuratus est ille anonymus, cum id factum ait auctoritate Innocentii II. quod tempore Callisti II. factum constat. Abaelardus ipse fatetur, se humaniter & benigne a S. Medardi monachis acceptum & recreatum fuisse: sed non diu cum illis mansit.

CXXXIII.
Abaelardus ob
novam de S.
Dionysio sen-
tentiam fugere
cogitur.

Nam legatus poenitentia ductus si Abaelardo fides est, *post aliquot dies*, eum illinc educit ad proprium monasterium remisit, ubi omnes sibi infestos habebat, propterea quod eorum mores argueret. Sed non multo post alia incidit occasio, quæ eum Dionysianis magis odiosum reddidit. Ut enim inquieti erat ingenii, cum forte apud Bedam legisset, Dionysium areopagitam Corinthiorum potius, quam Atheniensem fuisse episcopum; seque Bedæ auctoritatem Hilduini sententia præferre palam jactitasset; illi vehementer indignati vociferari cœperunt, nunc manifeste patere, quod Abaelardus semper monasterium suum infestaret, totique regno derogaret, subtracto ei honore, quo se Dionysium areopagitam apostolum & patronum habere gloriabatur. *Ego autem respondi*, inquit ille, *nec me hoc denegasse, nec multum curandum esse, utrum ipse areopagita, an aliunde fuerit, dummodo tantam apud Deum adeptus sit coronam.* quæ sane verba præstant ceteris omnibus, quæ sive Abaelardus, sive Dionysiani illi tunc de hac controversia protulerunt, quam neutri eorum capiebant, Dionysium areopagitam cum Dionysio Corinthiorum episcopo confundentes. His ad abbatem relatis, hic in Abaelardum vehementer excanduit, comminatus se eum ad regem missurum, ut puniretur; jussitque interim eum bene observari. Verum sortem suam deplorans Abaelardus, seque ad regularem disciplinam, si quid deliquisset, offerens; cum nihilominus omnes in se conjuratos cerneret, quorundam suorum discipulorum auxilio nocte latenter aufugit, & in cellam Pruviniensem denuo se recepit, cujus prior ipsi amicus jam dudum & familiaris erat. Forte tunc accidit, ut Adam S. Dionysii abbas Pruvinum adiret, cum Theobaldo comite de quibusdam negotiis collocurus. Ubi id rescivit Abaelardus, comitem rogavit, ut pro se intercederet ad abbatem, ut ipsum absolveret, & facultatem daret vivendi monastice, ubicumque locus ipsi opportunus occurreret. Verum assentiri noluit abbas, id in sui monasterii dedecus vertere existimans; immo priori severe interdixit, ne eum diutius apud se remorari sineret. Sic in sententia sua obfirmatus abbas, ad sua revertit, & *post paucos dies defunctus est*, nimirum mense Februario anni sequentis.

CXXXIV.
Guiberti opu-
sculum de Pi-
gnoribus san-
ctorum.

Non ultra hoc tempus differre licet Guiberti abbatis opusculum, quod *de Pignoribus*, ut ipse loquitur, *Sanctorum* tribus libris composuit, idque *domno & patri S. Symphoriani* apud Bellovacos abbati Odoni inscripsit. Ejus scopus est, ut refellat S. Medardi monachos, qui dentem Christi infantis se habere aiebant. In primo libro fuse agit de cultu Sanctorum, & de cautela adhibenda ad discernendas eorum veras reliquias. Secundus liber totus est de Christi Domini corpore in eucharistia, ad præstruendum id, quod præcipue intendebat, nihil scilicet præter illud de ejus corpore in terris superesse. Tertius Sancti-Medardensium sententiam de Christi infantili dente convellit.

Scropharum
curatio per re-
ges Francorum

In primo probat, antequam quis ut sanctus invocetur, de ejus sanctitate constare debere, nec signa exteriora ad id sufficere. Hujus rei occasione varia refert signa, quæ non esse sanctitatis certa indicia demonstrat. In his luculentum profert sui ipsius testimonium de curatione scropharum quam a Ludovico Grosso consueve fieri testatur. *Hos plane*, inquit capite 1. *qui scrophas circa jugulum, aut uspiam in corpore patiuntur, ad tactum ejus, superaddito crucis signo, vidi catervatim, me ei coherente & etiam prohibente, concurrere. quos tamen ille ingenita liberalitate, serena ad se manu obuncans, humillime consignabat. Cujus gloriam miraculi cum Philippus pater ejus alacriter exerceret, nescio quibus incidentibus culpis amisit.* tum subdit.

Super

ANN. CHR.
1121.

Super aliis regibus qualiter se gerant hac in re, supersedeo: regem tamen Anglicum neuiquam in talibus audere scio. Equidem Willelmus Malmesburienfis in libro secundo de regibus Anglorum, Edwardo regi similes tribuit curationes, in his cujusdam adolescentulæ mulieris, quæ *luxuriantibus circa collum humoribus tarpem valetudinem contraxerat.* Jussa in somnis, ut aqua collum lavaret, qua rex sanctus manus ablisset, curiam ingreditur. *Rex ipse per se opus pietatis adimplens, digitis aqua intinctis collum pertractat mulieris: medicam dextram sanitas festiva prosequitur.* Verum id miraculum regis personæ & sanctitati concessum, non prærogativa regis Anglorum, ut apud Francos, dignitatis, uti monet Guiberrus. cui subscribit Willelmus, cum de eodem rege subdit: *Multiotiens eum in Normannia hanc pestem sedasse ferunt, qui interius ejus vitam noverunt. Unde nostro tempore quidam falsam insumunt operam, qui asseverant, istius morbi curationem non ex sanctitate, sed ex regalis prosapia hereditate fluxisse.* quod quidam comminiscabantur, ut privilegium regum Francorum Anglicis regibus tribuerent. De hac regum Francorum prærogativa luculentum quoque testimonium præbet Stephanus de Conty, Corbeiensis monachus sub initia sæculi quinti-decimi, in historia necdum edita regum Francorum, cujus locum videre licet in notis Acherianis^a ad Guibertum, ubi ritus & præces a regibus tunc fieri solitæ referuntur. *Et est rei veritas*, inquit idem auctor, *quod innumerabiles sic de dicta infirmitate fuerunt sanati per plures reges Francorum.* In libro secundo Guibertus rem memorat singularem de quadam femina in puteum præcipitata, quæ quadraginta illis diebus non alio victu, quam aqua vitam sustentavit. Idem contigit nostro tempore cuidam puellæ Laudunensi, quæ in puteo abbatiæ S. Martini ab octava Corporis Christi usque ad festum S. Laurentii absque cibo perseveravit; extracta vivens e puteo, paucis diebus superfuit. Hoc opusculum scribebat Guibertus post mortem Erlebaldis decani Cameracensis, viri eximie sanctitatis, cujus successor Oildardus anno sequenti notatur.

a Guib. p. 563.

Actum est superius de Rotberto S. Remigii apud Remos abbate, qui ob malam gestionem ab Urbano II. remotus a præfectura, relegatus est in cellam Senucensem ad Axonam prope Grande-pratum, ubi Jerosolymitanæ expeditionis historiam composuit. Ibidem prior institutus, cum rem domesticam male administraret, dilapidationis accusatur apud Callistum papam, qui eum ab officio removeri jussit, rescripto Laterani dato XVII. kal. Junii in hæc verba: *Mandamus ut Robertum priorem S. Oriculi, qui olim S. Remigii abbas existit, ab illo prorsus amoveant.* Non diu post hæc superstes fuit Robertus, cujus obitus in necrologio notatur x. kal. Septembris his verbis: *Obiit Robertus abbas istius loci decimus. Præfuit annis duobus.* additur recentiori manu, *postea exauctoratus. Monachus obiit circa annum MCXXII.* In præmissis diplomate Callistus papa merito improbat Remigianorum abbatum pravam consuetudinem, qui moriente quopiam S. Timothei canonico, ejus præbendam pretio dare consueverant; statuitque, ut deinceps, deficientibus ejus loci canonicis, eorum loco monachi substituantur. idem novo diplomate Adrianus IV. fieri imperavit. Canonici tamen hodieque ibi perseverant numero duodecim sub abbatibus Remigiani patrocinio. Totidem jam erant Lucii III. tempore, ut ex ejus epistola patet ad Simonem abbatem, cui potestatem tradit eorum beneficia aliis conferendi, si servitia debita neglexerint. Urbanus itidem III. ejus successor confirmat, ut loco refectionis quam in festivitatis habere solebant in refectorio, aliquid eis in compensationem impartiat.

CXXXV.
Rotbertus Se-
nuci prior a-
motus.

Tunc temporis in Remensi S. Nicasii monasterio florebat disciplina regularis sub Joranno abbate, multique pietate & doctrina illustres viri ex illo seminario prodire, & ad alias regendas ecclesias assumti sunt. In his præcipui fuere Gaufridus, primum S. Theoderici, dein S. Medardi abbas, ac demum episcopus Catalaunensis; Willelmus seu Guillelmus ejus popularis & forsitan frater, & in S. Theoderici præfectura successor, S. Bernardi amicus, ejusque tandem apud Signiacum discipulus; Simon S. Nicolai de Nemore abbas, alique. His adjungendus Drogo, S. Johannis apud Laudunum post ejectas sanctimoniales primus abbas, tandem S. R. E. cardinalis & episcopus Ostiensis creatus ab Innocentio II. Hic mihi videtur esse Drogo monachus, qui Pontianicum ad tempus cecessit, & a suo abbate repetitus, Bernardo quosdam scribendi epistolæ occasionem præbuit. Unæ^b est ad S. Nicasii abbatem, scilicet Jorannum, quem de Drogonis discessu moerentem

CXXXVI.
S. Nicasii viri
illustres.Drogo Pontia-
niaci admiffus
repetitur.

b Bern. ep. 32.

ANN. CHR.
1121.

consolatur, & querentem mitigare conatur. In hac epistola, quæ alteram præcedentem supponit, respondet ad litteras, quas Jorannus Bernardo scripserat; in hac inquam epistola Joranno inter alia ita loquitur: *Si frater Drogo de sua discessione me consulisset, absit ut consentirem: si post discessionem ad nos divertisset, absit ut susciperem. Denique, quod solum potui, ad abbatem, qui eum suscepit, nostras mox, sicut scis, litteras misi. Et nunc super hoc quid tibi ultra possum facere, pater?* De cetero eum hortatur, ut ne supernæ dispositioni resistat, ita quippe se agere erga Cluniacenses, apud quos unus ex suis, non solum religione professus, sed & carne propinquus, se invito detinebatur. Interim dolebat quidem vir Dei, sed silebat; orans pro illis, scilicet Cluniacensibus, ut ablatum reddere vellent; & pro illo, ut vellet sponte redire: sin vero fervans ei vindictam, qui facturus est iudicium injuriam patientibus. Hæc intelligenda sunt de Roberto Bernardi propinquo superius a laudato, quem Petrus Venerabilis anno sequenti factus Cluniacensis abbas Bernardo restituit.

a *supran.* 12.
§ 76.b *id.* ep. 33.

Alter de Drogonem epistola scripta est ad ipsum Hugonem Pontiniacensem abbatem, qui Drogonem admiserat, ex qua intelligitur, non solum Jorannum abbatem, sed etiam Radulfum archiepiscopum Bernardo graves scripsisse litteras, ut Drogonem S. Nicasio restitui curaret. Unde Bernardus hac de re Hugoni abbati ita scripserat, ut & ipsis satisficeret, & Hugonem adversus eorum querimonias præmuniret. Sed tamen ejus litteras in sequiorem partem interpretatus erat Hugo, quem hac epistola placare conatur. Tertia denique epistola subsequens scripta est ad ipsum Drogonem monachum cui gratulatur, quod ad strictiorem observantiam transierit, eumque ad perseverantiam hortatur. Sic autem ei gratulatur. *Quid fecisti? quis hoc crederet? Sanctum te ac religiosum tota civitas personabat, ita ut nihil tibi addi posse crederetur ex omnibus bonis, & tu, velut e secularibus unus, monasterium tamquam saculum deserens, jam attritum Christi sarcina collum novæ rursus observantiis disciplina submittere non erubescis.* Ex quibus intelligitur, Drogonem jam maturæ & provectæ fuisse ætatis, & multæ in urbe Remorum ob sanctitatem opinionis: quo fit, ut dubitem, eum Pontiniaco reversum fuisse ad suum monasterium, ipsumque esse ut modo dicebam, qui primum S. Johannis abbas factus est post ejectas sanctimoniales.

CXXXVII.
Bernardi prima opuscula.

Hoc primum tempore Bernardus opuscula componere cœpit, edito libro de gradibus humilitatis rogatu Godefridi consanguinei sui, Clara-vallis tunc prioris, postmodum episcopi Lingonensis. Secundum ejusdem opusculum est de laudibus Virginis-matris, in quatuor distinctum homilias super evangelium, *Missus est.* Hæc duo fuere veluti fundamenta subsequentium ejus Operum, humilitas scilicet ac devotio in beatissimam Virginem, utrumque ejus animo alte semper infixum. Sane humilitatem ac modestiam suam aperte prodit vir Dei tum in toto libro de gradibus humilitatis, tum in retractatione, quam operi præmisit. In ipso quippe libro non tam de gradibus humilitatis, quam de gradibus superbæ agere videtur: cujus rei hanc in fine rationem Godefrido reddit. *Non potui docere, inquit, nisi quod didici. Non putavi congruum me describere ascensiones, qui plus descendere, quam ascendere novi. Proponat tibi beatus Benedictus gradus humilitatis, quos ipse prius in corde suo disposuit: ego quid proponam non habeo, nisi ordinem meæ descensionis. In quo tamen, si diligenter inspicitur, via forsitan ascensionis reperitur. Si enim tibi Romam tendenti homo inde veniens obviamerit; quæstus viam, quid melius quam illam, qua venit ostenderet? Eundem humilitatis sensum exhibet sanctus pater in retractatione duorum locorum, quæ in illo libro ipsi exciderant. Unum in illa evangelii verba, ubi Christus de extremi iudicii die interrogatus respondit, *Neque filius scit, quod Bernardus litteræ immemor ita reddiderat, neque filius hominis scit; deceptus magis, inquit, quam fallere volens.* Alterum ubi de alis Seraphin loquens; ait Seraphin aliis quidem alis suæ contemplationis de throno Dei ad scabellum, de scabello ad thronum volare; aliis caput Domini pedesque velare, ut curiositati nostræ modus imponatur. quod quia numquam audierat, nusquam legerat, retractare voluit, suspectum scilicet habens, quod à patribus non accepisset. quod utinam nostri temporis eruditi homines, qui de rebus sacris tractant, imitentur! Tertium Bernardi opusculum est Apologia ad Guillelmum abbatem, de qua anno sequenti.*

CXXXVIII.
Fusniaci monasterium exstruitur.* *Foigny.*

Inter monasteria lineæ Clara-vallensis insigne est in primis Fusniacum, * quod hoc anno construi cœpit. Positus est hic locus in diœcesi Laudunensi, duobus cir-

ANN. CHR.
1121.

citer miliaribus ab opido Verbino seu Vervino, in quo post diuturna bella pacis tandem federa inter Henricum Magnum & Philippum secundum Hispaniæ regem sancita sunt. Fusniaci locus pendeat à monasterio S. Michaëlis in Teoracia, cujus loci abbas Albertus seu Elbertus & monachi hoc allodium, petente venerabili Bartholomæo episcopo, ad construendum, quod ille meditabatur, Clara-vallensium cœnobium concesserunt. Testes sunt ejus rei litteræ quæ sic habent.

In nomine sanctæ & individue Trinitatis Bartholomæus Dei gratia Laudunensis episcopus. Notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod Fusniacus erat allodium sancti Michaelis: & cum locus ille non multum esset utilis eidem ecclesiæ, impetravimus ab Elberto abbate & monachis loci illius, ut illum locum nobis liberum & absolutum redderent ad faciendum quidquid facere vellemus. Nos eundem locum, assensu prædicti abbatis & capituli ejus, monachis de Clara-valle liberum & absolutum reddidimus, ut ibi abbatiam constituerent, & libere & quiete Deo deservirent. Actum anno Domini millesimo centesimo vigesimo-primo.

Hæc omnia rex Ludovicus eodem anno diplomate suo confirmavit. Locum irrigat Alba fluviolus, qui alteri fluviolo conjunctus, Iaram * fluviolum efficit. Illic exstructæ extemporaneæ casæ pro duodecim monachis, qui illas per tres annos & quatuor menses incoluerunt: donec monasterium amplum constructum est Bartholomæi episcopi munificentia, & augustissimum templum, quod quadringentos pedes longum, octoginta duos latum, quadraginta quatuor magnis columnis solum est. Tanta fabrica, quod mirere, post tres annos consummata III. idus Novembris anno MCXXIV. ab eodem præfule dedicata fuit, cui dedicationi inter alios interfuit S. Bernardus, qui muscas innumeras, festivitati importunas, excommunicasse, & verbo oris sui interfecisse traditur à Guillelmo abbate in ejus vita. Primus ejus loci abbas fuit Rainaldus, ut contra Manricum recte probat Johannes de Lancy Fusniaci prior in historia Fusniacensi, qua usi sumus. Rainaldus, abdicata præfectura, Bernardo adhæsit, & locum fecit Gosuino cui Innocentius II. anno MCXXXI. monasterii possessiones confirmavit. In eundem locum non modo S. Michaëlis monachi, sed etiam Fidemienses & Tornacenses nostri se munificos exhibuerunt. nam Bartholomæi episcopi interventu Robertus abbas Fidemiensis cum suo capitulo allodium suum Aubentonis Fusniacensibus cessit; & Ivo abbas & monachi S. Martini Tornacensis prædium Sparciaci eidem contulerunt. Floret etiam nunc Fusniacense monasterium, in quo religiosi olim amplius ducenti exstitisse perhibentur.

Ex eodem asceterio prodiit abbatia de Boheriis, non longe ab urbe Guisla sita, ad quam Gosuinus abbas duodecim monachorum coloniam misit, quibus Odonem abbatem præfecit. Hæc abbatia principio posita fuit in loco, qui Spinetum vocabatur. unde *Odo Spineti abbas* dicitur in charta Drogonis decani & capituli S. Quintini, qui terram Boheriarum construendo ad unam fere leucam novo monasterio concesserunt anno MCXLIII. ut in historia Fusniacensi legitur.

Abbatia de Boheriis Fusniaci filia.

Sub idem tempus vir venerabilis præpositus a simul & archidiaconus Claromontensis, cujus nomen reticetur, in Majori-monasterio monachum induit. quod factum refertur in hunc modum. Hic quotannis ad festum S. Martini Turonos adire consueverat, pariterque Majus-monasterium visitare: ubi cum multam religionem fervere animadvertisset, pio ejusdem conversationis studio accensus est. Cum igitur aliquando in S. Martini basilica divinis illius festi officiis interfuisset, suis comitibus & famulis ut in diversorio quiescerent præcepit, se postera die ad prandium reversurum pollicitus. Ille vero prima luce assumpto cujusdam famuli vili habitu, ad Majus-monasterium pergit, abbatem Guillelmum convenit, atque ad ejus pedes provolutus, pro amore Christi & beati Martini, *monachatum sibi concedi* precatur. Annuit benigne abbas humiliter petenti. Hinc ille ad suos regreditur, totumque diem cum suis festive in hospitio duxit. Altera die proprio habitu resumto ad iter se accingit; quasi ad patriam reversurus; cumque ad bivium quoddam pervenisset, paucis secum retentis clericis, famulos ceterosque comites iter persequi jubet: hic autem ad Majus-monasterium divertit. Admissus in hospitium, abbatem promissi admonet. Abbas se non recordari responder. Ad quod archidiaconus se illum esse dixit, qui hesternæ die sub alieno habitu ad monachatum admissus fuerat; seque suscipi postulat. Susceptus cum duobus suis clericis, factusque monachus, quanto sublimior in sæculo fuerat, tanto humiliorem in monasterio se exhibuit. Non multo post rei

CXXXIX.
Archidiaconus Claromontensis fit monachus. a *Lab. Bibl.* 10. 2. p. 741. § 192.

ANN. CHR.
1121.

facræ cura ei commissa : quo in munere beati Martini visione recreatus dicitur ; & ab eo imminentem Guillelmi abbatis mortem didicisse ; visionis etiam participem fecisse Garnerium monachum , qui postmodum Majoris-monasterii abbas creatus est.

CXL.
Heinricus rex
alteram uxorem ducit.

In Anglia Heinricus rex cum se jam a tribus annis uxore , & recens Willelmo filio legitimo ad regnum destinato orbatum doleret ; reparandæ prolis desiderio alteram uxorem duxit Adelaidem , filiam ducis Lovaniensis , ex qua tamen liberos non suscepit. Novi illius conjugii celebritas Windlesoræ facta est , qui locus est diocesis Serberiensis. Hinc ejus loci episcopus nuptialis conjunctionis officium ad se pertinere contendebat : at id sibi vindicavit ob suæ sedis prærogativam Radulfus archiepiscopus & primas Cantuariensis , qui quoniam ob infirmitatem corporis hoc munus exsequi non valuit , Wintoniensi episcopo illud injunxit. Sequenti die , cum nova sponsa in reginam benedicenda esset , jamque dicto introitu missæ ipsum officium celebraturus lacris altaribus assisteret Radulfus , advertit regem in folio suo sedere coronatum ; quod gravate tulit , probe sciens , eum non ab se fuisse coronatum ; nec cuiquam , se præsentem , regi coronam imponere licuisse. Divertit igitur , ut erat sacris infulis & vestibus redimitus ab altari , & ad regem accessit , sciscitatus , quisnam ejus capiti coronam imposuisset. Accedenti rex assurrexit , ac modeste respondit , a quo id factum sit se non advertisse. Tum reponenti præfuit id non jure factum , nec se inchoato officio perfundurum , quamdiu regis capiti corona hoc modo infidisset : Si non jure , inquit rex , ut asseris , imposita est , per me licet , ut facias quod juste faciendum nosti. Itaque pontifex de capite regis coronam sustulit , dissoluta prius ansula , qua sub mento innodata erat , ne capiti insidens vacillaret. quo facto omnibus elata voce clamantibus , ut regio capiti coronam reponeret , acquievit ille , moxque juxta regem coronatum stans , *Gloria in excelsis Deo* ad incceptæ officium missæ præcinuit ; choroque prosequente rediit ad altare , & reginæ benedictionem explevit. Hæc fusc Eadmerus initio libri sexti historiæ novorum.

CXLI.
Petrus-Leonis
in Angliam legatus.

Idem auctor in consequentibus agit de Petro cardinale , qui hoc etiam anno in Angliam a Callisto papa legatus est. Erat *is Romanus genere , monachus Cluniacensis professione ; filius Petri præclarissimi ac potentissimi principis Romanorum , cujus fides & actio magni consilii & fortitudinis esse solebat iis , qui in sede apostolica canonicè constituti , patres orbis habebantur* , inquit Eadmerus. Attonita in ejus expectatione Anglia , quippe quæ legatos tunc non recipiebat , rex obviam legato in Galliam misit Bernardum episcopum sancti David de Walis & Johannem clericum , ut eum honorifice in Angliam deducerent , & regio sumtu ad regis præsentiam perducerent. Ubi advenit legatus , honorifice susceptus est a rege : qui , audita ejus legationis causa , dixit se in procinctu expeditionis contra Valenses positum , tanto negotio dare operam non posse : cum nonnisi consilio episcoporum , abbatum ac procerum totius regni legatio admitti non posset. Ceterum se patrias consuetudines ab apostolica sede concessas violari non passurum , quarum una ex maximis erat , ut regnum Angliæ a quavis legati potestate esset immune. His assensum præbere opportunum judicavit legatus , qui regis munificentia magnifice honoratus , eadem qua venerat via cum ingenti pompa reductus est , Cantuariæ hortatu regis & archiepiscopi magnifice a fratribus susceptus , & inter eos triduo jucunde conversatus. Hac occasione usi nostri Cantuarienses , de injuria ecclesiæ suæ facta in consecratione Turstani^a Eboracensis conquesti sunt. His ille benigne auditis , eorum privilegia sibi ostendi petiit , pollicitus se daturum operam , ut pontifex factam injuriam emendaret. At illi *bullatas antiquitas chartas* cum ecclesiâ nupero incendio concrematas fuisse dixerunt , paucis illarum transumptis reliquis , quarum veritatem & stilus ipse & antiqua possessio testabatur. quibus inspectis , legatus grave Cantuariensi ecclesiæ præjudicium factum fuisse confessus est , promisitque se daturum operam , ut id quantocius corrigeretur. Post hæc ex Anglia in Galliam trajecit , ubi legati officio aliquamdiu functus est. Hic est Petrus-Leonis , qui postea de summo pontificatu cum Innocentio II. decertavit.

CXLI.
Eadmerus de
sua electione
regi Scotiæ scribit.
^a supra n. 123.

Interim Eadmerus , sancti Andreae electus episcopus , ob causam superius^b memoratam e Scotia reversus Cantuariam , conventum monachorum non facile deferbat , sed more aliorum in omnibus se habebat. quo in statu per annum unum & dimidium tacitus permansit. Sed tandem a compluribus episcopis & abbatibus nobilibusque viris , qui eum ex consuetudine & familiaritate , quam olim cum beato

ANN. CHR.
1121.

Anselmo habuerat , probe noverant , sæpe interpellatus , ne rem infectam desereret ; ipsum quippe ecclesiâ quam canonicè electus regendam susceperat , nulla ratione juxta scita canonum deserere posse concordî sententiâ asserentibus ; eorum consilio acquievit , Anselmi insuper provocatus exemplo ; eaque de re Alexandro Scotiæ regi epistolam scripsit , cujus hæc summa. Regiæ benignitatis fuisse , non sui meriti , quod electus fuerit episcopus. quod autem res alium , quam videbatur , eventum sortita sit , divinæ dispositioni adscribendum. Se in ejus regno episcopum esse non ambire ; sed multorum sapientum sententiam esse , sibi non licere episcopatum deserere , ad quem electus sit ; nec pati , ut alter se vivente eligatur. Se quidem illum dimisisse , sed illata vi , cui resistere non potuit , ob perpetes scilicet & interminabiles lites & discordias , quæ per regis familiares ipsi intentabantur. Ideo hæc regi se suggerere , ut , si cum ejus pace & ope in Scotiam redire sibi liceat , se ad reditum paratum esse. quod si rex nolit , se causam ecclesiæ suæ Deo committere. Ceterum in iis , quæ ad suam ipsius consecrationem pertinent , quibus acquiescere ante noluerat , se melius postea edoctum , regi non contradicendum. Eiusdem argumenti epistolam scripsit Radulfus archiepiscopus & conventus Cantuariensis. Utramque refert Eadmerus ipse in fine historiæ novorum. Quod se melius edoctum ait Eadmerus , id factum consilio in primis & opera cujusdam Nicolai , ad quem ea de re scripserat. Nicolai epistola edita est in tomo secundo^a Angliæ sacre , qua in epistola Eadmerum monet , regi morem gerendum , & Scotiam ecclesiâ nequaquam subiectam esse Eboracensi , ex qua minime originem habuit , sed ab ipsis Scottis. His litteris acceptis , Alexander Eadmero suavis dicitur , ut Romam profectus consecrationem a papa obtineret. Verum , etsi Nicolai consilio sententiam mutaverit Eadmerus , tamen nescio quo pacto dignitate excidit , nec unquam consecrationem adeptus est. Cautius rem gessit Robertus ipsius successor , qui ab archiepiscopo Eboracensi Turstano consecrationis munus absque ulla subjectionis professione obtinuit , ut fidem facit ipsius Turstani^b hac de re instrumentum , testibus Ranulfo Dunelmensi , Johanne Glacouensi & Radulfo Orcadensi episcopis ; Galfrido Eboracensis monasterii abbate , Herberto Rocoberiensis , & aliis.

^a Angl. sac. to.
2. p. 274. &
seqq.^b Ibid. p. 237.

Heinrici Anglorum regis pietatem in eo laudat Willelmus Malmesburiensis , quod monasteria in Anglia & Normannia construxerit , quibus nondum supremam imposuerat manum , cum ille auctor historiæ suæ librum quintum de regibus Anglorum scriberet. Ex his unum est Radingense monasterium , quod in Berkingensi pago inter duo flumina , Kenetam & Tamesim , constituit , eo scilicet in loco , ubi pene omnium ad populosiores Angliæ urbes iter facientium diversorium esse posset. Heinrici hac de re diploma^c datum est anno ab incarnatione Domini MCCCXXV. Illic olim exstitit^d sanctimonialium cœnobium , sed jam dudum abolitum. quod Heinricus *pro indicta sibi pœnitentiâ* instaurare aggressus , duo quondam diruta monasteria , *Lestminster & Celsi* , adjunxit , & in honorem beatissimæ Dei-genitricis & sancti Johannis Evangelistæ consecrari curavit. Radingas seu Radingam veteres locum appellabant. In illo monasterio rex collocavit Cluniacenses monachos , *qui sunt hodie* , inquit Willelmus , *præclarum sanctitatis exemplum , hospitalitatis indefessæ & dulcis indicium* : ubi videre licet *quod non alibi , ut plus hospites , totis horis venientes , quam inhabitantes insumant*. Præclara sane , nec satis laudanda hospitalitatis virtus , a sanctis patribus , maxime a beato patre Benedicto merito commendata , dummodo religiosa frugalitas & modestia in ea fervetur , nec fratrum solitudinem & silentium interpellat. *Præproperum me* , addit Willelmus , *& adulatorem fortasse quis dixerit , quod nunc primum nascentem religionem tanto esseram præconio , nesciens quid ventura pariat dies : sed ipsi , ut spero , cum Dei gratia enitentur , ut in bono durent. Ego non erubescō , si sanctis viris blandiar ; & bonum , quod in me non habeo , in aliis admirem*. Digna certe homine liberali sententia ! Primus Radingæ abbas fuit Hugo , antea S. Pancratii in Anglia prior , vir multæ religionis & doctrinæ , qui postmodum promotus fuit ad sedem Rotomagensis. Hic extra portam Radingensis monasterii xenodochium^e cum capella S. Laurentii erexit ad pauperes excipiendos. Augerius vero abbas domum leproforum haud longe constituit. Sub finem sæculi duodecimi Radingæ abbas erat Heinricus , cujus mentio in chronicis Gervasii ; & post eum Hugo , qui postmodum factus est abbas Cluniacensis , eo nomine quintus. Exstat præclara Petri Venerabilis epistola ad Robertum ejus loci monachum in sæculo

CXLI.
Radingæ cœnobium ab
Heinrico rege
conditur.^c Monast. Angl.
to. 1. p. 419.
^d Willelmus
Malmesb. lib.
2. de pontific.
Angl.^e Monast. Angl.
to. 1. p.
419.

ANN. CHR.
1121.

quondam sublimem, qui a *Radingia Cluniacum* venire cupiebat, & fororem suam Marciniacensibus Dei ancillis sociare. Apud Radingas sepultus est rex Henricus monasterii conditor, ut suo loco videbimus.

CXLIV.
Faricio Abendonie abbati succedit Vincentius.
a *Monastic. Angl. to. 1. p. 105. & seqq.*
b *Angl. fac. to. 1. p. 168.*
c *lib. 69. n. 70.*

d *Spicil. to. 3. p. 137.*

e *Spicil. to. 6. p. 495. & seqq.*

f *Angl. fac. to. 1. p. 168.*

Idem rex se quoque munificum exhibuit in monasterium Abendonienſe, teſtante ejus diplomate, in quo recenſentur a donationes eidem loco factæ Faricio abbate, qui hoc anno b deceſſiſſe perhibetur. Hunc magnopere laudat Willelmus Malmesburienſis in libro ſecundo de pontificibus Anglorum, ut ſuo loco c notavimus. In verſibus a Willelmo relatis, quos Petrus Malmesburia monachus de eo compoſuit, vir probus & conſiliorum fuiſſe dicitur, qui medicina arte regum & principum benevolentiam ſibi conciliaverit; Giſſardum, virum inter ingenuos ac nobiles præcipuum, ad vitam monaſticam adduxerit; qui denique totum illum ſæculi ſplendorem ad interiorem profectum converterit, multaſque prædia & ornamenta monaſterio ſuo contulerit. Exſtat Theobaldi Stampenſis ad Faricium abbatem d epiſtola, in qua de eo queritur, quod ipſum accuſaverit, quaſi non recte ſenſerit de *ſalvatione puerorum* ſeu infantium non baptizatorum, eoſque ſalvos eſſe poſſe docuerit. quod Theobaldus negat. Epiſtolæ inſcriptio ſic habet, *Pharitio venerando Habendonienſis eccleſiæ prelato, domino ſuo & indubitanter amico, Theobaldus magiſter Oxenfordiæ.* In aliis epiſtolis idem Theobaldus ſe doctorem ſeu magiſtrum Cadumenſem dicit. tamenſi necdum erat univerſitas e Cadumenſis. In ſuperiori illa ad Faricium epiſtola interrogatus Theobaldus de *novitate ſententiarum* (ſic legendum, non de *nativitate*) recte reſpondet ſe male priorum doctorum non errabunda ſequi veſtigia, quam modernorum falſas opiniones & ſomnia. In historia f cœnobii Abendonienſis Faricius abbas ex hac luce ſubtractus beato ſine quieviſſe dicitur vii. kal. Martii, regiminis ſui anno xvii. qui anno milleſimo centeſimo abbas creatus fuerat.

Triennio itaque amplius vacavit abbatia, ſiquidem ejus ſucceſſor Vincentius nonniſi hoc anno ejus loci abbas inſtitutus dicitur. De eo ſic legitur in prædicta historia Abendonienſi. *Rex optimatum ſuorum conſilio Abendonienſi eccleſiæ præfecit in paſtorem quemdam bonæ famæ virum, nomine Vincentium, ex Gemmeticenſi eccleſiâ monachum, cunctis qui aderant id laudantibus. Erat enim vir benignus ac pietatis gratia plenus. Omnibus compatiēbatur, omnes pio affectu diligebat.* Obiit Vincentius anno decimo ſui regiminis iv. kal. Aprilis. Ei ſucceſſit Ingulfus prior Wintonienſis in annos viginti-novem, qui privilegium obtinuit ab Eugenio III. De ejus ſucceſſoribus nihil memoratu dignum occurrit in additamentis ad hiftoriam Abendonienſem.

CXLV.
Rodulfi abbatis S. Trudonis varia fortuna.

g *Spicil. to. 7. p. 479. & seqq.*

h *ſupra n. 85.*

In eccleſiâ Leodicenſi perfeverabat ſchiſma, ortum ex electione Friderici, cui Alexander imperiali ſultus auctoritate oppoſitus erat, dum tandem Hoiſi opido obſeſſus, Friderico manus dedit, atque ab eo abſolutus eſt. Perſtabant tamen in ſchiſmate qui ejus partes ſectati fuerant: ſicque illa eccleſiâ duas in partes ſciſſa erat. Alexandrini s Fridericianos dicebant reos eſſe regiæ majestatis, ob idque eos perfequebantur: Fridericiani Alexandrinos cum imperatore & Alexandro excommunicatos eſſe regerebant, ideoque eorum communionem vitabant. Eo in numero erant Godefridus dux Lovanienſis, omneſque Brabantia & Haſbania principes & nobiles viri, præter Arnulfum comitem Loënfem, qui Friderico adhærebat, uti & Rodulfus abbas S. Trudonis. Hac occasione uſus dux Godefridus, ejus abbatia villas diripiebat, uti & Giſlebertus loci advocatus, rati, Rodulfum aut abbatia ceſſurum, aut cum ipſis communicaturum. Inter hæc fluctuabat Rodulfi animus, hinc movente fratrum affectu, quos abſentia ſua deſolatos deſerere metuebat; illinc retrahente conſervandæ catholicæ communionis ſtudio & conſtantia. Hæc tandem ratio prævaluit, ceſſitque ille non ſine magno ſuorum mœrore & ejulatu, *parvi pendens præſentia*, ut jam alias h dixi, *melioris vite contemplatione*. Diſceſſit igitur e monaſterio hoc anno, quarta feria paſchæ, quæ fuit illo anno idibus Aprilis, atque ab Arnulfo Loënfis comite honorifice conductus & ſuſceptus, in Flandriam contendit. Et primo quidem Afflingia ſeu Affigemii exceptus, cui tum præerat primus ejus loci abbas Fulgentius, vir doctus & pius, hospitalitati cum ſuis maxime deditus: tum Gandavi apud S. Bavonem, cujus abbas erat Gualricus, in providentia rerum temporalium ſtrenuus; denique apud S. Petrum, quem locum regebat Arnulfus, aliis Arnoldus qui conſuetudines Cluniacenſes illuc induxerat, poſtmodum a ſuis turbatus, adeoque abbatiam abdicare compulſus. Dum apud eum humaniſſime tractaretur Rodulfus, Fridericum Leodicenſem epiſcopum vi. kal. Junii mori conti-

ANN. CHR.
1121.

git. Hinc litteris eccleſiæ Leodicenſis revocatur Rodulfus, ut novæ electioni intereſſet. Illic ſape tentatus, ut pacem cum Alexandrinis iniret, non renuebat, modo id fieret ſecundum Deum & animæ ſuæ ſalutem: at Alexander nullam conditionem interponi volebat. Interim Rodulfus manebat apud Berengarium S. Laurentii abbatem, poenitens quod rediiſſet. In his anguſtiis Coloniæ pergit ad Fridericum archiepiſcopum, qui eum Roberto ſeu Ruperto Tuitienſi abbati commendat, viro doctrina & pietate inſigni, S. Laurentii olim monacho, ubi eum Rodulfus noverat. Interim apud Indam prope Aquigranum colloquium Alexandrinis indictum eſt a Friderico archiepiſcopo, qui Rodulfum abbatem cum Tuitienſi ſecum illuc duxit: ubi poſt longam altercationem Alexander promiſit, de negotio epiſcopatus deinceps ſeſe non immiſturum. Finito conventu, Rodulfus cum archiepiſcopo Coloniæ, ac deinde Tuitium cum Ruperto abbate revertit. Forte accidit, ut conventus alter Coloniæ fieret, cui adfuit Rupertus abbas cum Rodulfo; adfuit etiam Cono abbas Sigebergenſis. Cum eo collocutus Rodulfus, ad illius monaſterium divertere ſtatuit: quoniam locus ob religionem famoſus erat, & propter excelſum montem a ſæcularium turbis remotior. Verum aliter divinæ providentiæ viſum eſt. nam fratres ſancti Pantaleonis, qui jam novem menſibus a morte Herimanni abbatis ſui paſtore deſtituti erant, religionem deperire, & eccleſiæ ſuæ bona imminui ægre ferentes, Rodulfum ſibi abbatem dari ab archiepiſcopo poſtulant, & obtinent. quam præfecturam ille, reluſtans licet, paullo ante beatæ Mariæ nativitatem iniiit, ubi brevi non ſine grandi labore dilapſum ordinem & violatam fratrum concordiam reformavit. Hujus loci privilegium erat, ut abbas ſandalis & dalmatica uteretur, (quod Anno archiepiſcopus prohibuerat) viceſque archiepiſcopi in ſtationibus per civitatem ageret. Id autem Rodulfus, ut erat formæ & ſtaturæ elegantis, rite præſtitit. Interim Adalbero primicerius Mettenſis, Godefridi ducis Lovanienſis frater, Leodicenſis epiſcopus eligitur, & Coloniæ conſecrandus perducitur. Tunc ſancti Trudonis fratres abbatem ſuum repetunt: reclamant ſancti Pantaleonis monachi. Ille ſacrato Adalberone epiſcopo, cum eo Leodium rediit; & poſt paullum in S. Trudonis abbatiam per Henricum archidiaconum reducitur, poſtquam duobus annis & menſibus quinque abſuiſſet.

Hæc omnia contigere poſt mortem Friderici Leodicenſis epiſcopi, cujus corpus in baſilica S. Lamberti humatum eſt: ubi ad ejus ſepulcrum miracula patrata referuntur. Librum de ejus vita & virtutibus ſcripſit Reinerus monachus S. Laurentii, qui multa alia opuscula compoſuiſſe perhibetur. Poſt mortem Friderici epiſcopi Algerus Leodicenſis eccleſiæ canonicus & magiſter, abdicatis ſæculi facultatibus & honoribus, Cluniacum ſeceſſit, ibique jam ætate provectus, ad novitii ſtatum ſe demittere non erubuit. Ejus elogium, ipſo adhuc vivente, conſcripſit Nicolaus canonicus Leodicenſis, in tomo primo Analectorum a me editum, quod hic compendio referre juvat. Algerus Leodicenſis ab ineunte ætate litterarum ſtudiis totus addiſtus, ſub clariffimis magiſtris, quorum ſcientia & honoribus tunc Leodicenſis florebat eccleſiâ, magnum in eccleſiaſtica potiffimum doctrina progreſſum fecit. Hinc ob inſigne meritum primo in eccleſiâ S. Bartholomæi, in ſuburbio Leodii clericus, diaconus & ſcholasticus; dein ab Oberto epiſcopo ad majorem tranſlatus eccleſiam, illic uſque ad obitum Friderici epiſcopi annis fere viginti pro eccleſiaſticis negotiis ad varias perſonas & eccleſias complures epiſtolas ſcripſit, quas a plerique ſummo ſtudio conſervatas lectas ſuo tempore fuiſſe Nicolaus teſtatur. Ad hæc antiqua Leodicenſis eccleſiæ jura & privilegia in ſcripta redegit; denique inter cetera ingenii ſui monumenta librum de miſericordia & juſticia in tres partes diſtinctum; & tractatum de ſacramento corporis & ſanguinis Domini tribus libris compoſuit. Vulgata itaque ejus fama, cum a nonnullis Saxoniæ ſeu Germaniæ epiſcopis expeteretur, eique magni poſſeſſionum cenſus & honores offerrentur, aurea mediocritate contentus Leodii perſtitit, ab omni ambitione alienus. Sed tandem poſt obitum Friderici epiſcopi, cum rebus abundaret, & firmo adhuc corpore, integriſque ſenſibus vigeret; nudum Chriſtum nudus & ipſe ſequi cupiens, ordinatis rebus ſuis, Cluniacum ſe contulit, ibique artiori vitæ ſub S. Benedicti regula ſe mancipavit.

Ejus cum inſigni laude meminit Petrus Venerabilis tum in libro tertio epiſtolarum, tum in libro ſecundo de miraculis. Sed maxime in priori loco, ſcilicet in

CXLVI.
Algerus fit Cluniaci monachus.

CXLVII.
Leodicenſes canonici apud Cluniacum monachi.

ANN. CHR.
1121.

illius libri epistola secunda, quæ inscripta est *Alberoni magnæ Leodiensis ecclesiæ magno pontifici*, ejus nominis, ut puto, secundo, qui Alexandro Alberonis primi successori successus est. In illa epistola Petrus tres laudat canonicos Leodicenses, magnos sui temporis magistros, qui Cluniaci monachi facti fuerant, Hezelonem scilicet, Tezelinum & Algerum: *quorum primus*, inquit, *multo tempore pro ecclesiâ, ad quam venerat, scilicet Cluniacensi, laborans, singulari scientiâ & prædicabili lingua, non solum audientium mores instruxit; sed corporalem novæ ecclesiæ fabricam plus cunctis mortalibus, post reges Hispanos & Anglos, construxit. Sequens, nempe Tezelinus, spiritualibus tantum studiis totum suum hominem occupans, in sancto proposito longævus consenuit, & prius Cluniaci sub sancto patre Hugone, dehinc Vizebiaci cum domno Rainaldo abbate ejus nepote, ac demum Lugdunensi archiepiscopo, degens, laudabilem vitam sancto sine conclusit. Tertius, is est Algerus, cujus vix memoriam sine lacrymis facio, humilitate, puritate, vitæ totius sinceritate, secundum meum judicium, longe præcedentes exsuperans, ita meo tempore apud nos vixit; in tantum benigne & sancte conversatus est, ut, licet a nobis carne recesserit, spiritu tamen & memoria singulari nobiscum semper, dum vivimus, non esse non possit. qui & librum de sacramento altaris, auctoritatibus sanctorum patrum invincibiliter communitum, nobis & fidei suæ insigne testimonium, & contra quorundam modernorum vel imperitiam, vel errorem, singulare præsidium dereliquit.* Algerum cum Guitmundo comparans Erasmus qui utriusque opusculum de sacramento altaris edidit: *Guitmundus*, inquit, *acrior est & ardentior, ac plus habet spiritus rhetorici: hic sedatior est & religiosior; uterque tum dialecticæ, tum reliquæ philosophiæ belle peritus, licet citra obstinationem.* In archivo Cluniacensi existat Algeri donatio Cluniaco facta in hæc verba. *Ego Algerus peccator, cum adhuc essem ecclesiæ Leodiensis S. Mariæ & S. Lamberti canonicus, Cluniacensi ecclesiæ marcam argenti annui census ex prædio, juxta prioratum de Vilar sito, contuli, præsentem domno Pontio tunc temporis abbate, & Ivone priore Cluniacensi: ego autem Algerus ipsius ecclesiæ Cluniacensis postea factus qualiscumque monachus, præsentem domno Petro ipsius ecclesiæ venerabili abbate, & prioribus ejusdem ecclesiæ confratribus, rem confirmavi. Quamdiu superstes fuerit Algerus, mihi incompetum.*

Algeri scripta.

CXLVIII.
S. Gereonis
elevatio a Rodulfo abbate
scripta.
a Sur. 24. Novemb.

Ubi primum S. Pantaleonis regimini admotus est Rudolfus seu Rodulfus abbas, interfuit detectioni & translationi corporis sancti Gereonis martyris e legione Thebæorum, quæ hoc anno Colonia in insigni ejus ecclesia facta est, eamque litteris mandavit. Existat apud Surium^a ejus hæc de re libellus, qui non pauca observatione digna continet. In prologo meminit auctor persecutionis, quam ab Alexandro pseudepiscopo, ejusque affectis passus est, quod Friderico episcopo præ ipso faveret; ob idque expulsus e cœnobio sancti Trudonis idibus Octobris, quarta feria dominicæ resurrectionis, quæ hoc anno in iv. idus Aprilis incidebat, cum illi cœnobio duodecim annos & duos menses præfuisset. Eodem anno ab archiepiscopo Coloniensi Friderico benigne acceptus, monasterio sancti Pantaleonis extramurano fratrum electione præpositus est viii. idus Septembris, cum jam a iv. kal. Januarii abbatia vacasset. Non multo post Nortberto magno tunc prædicatore unum de corporibus martyrum Thebæorum, qui in monasterio seu basilica sancti Gereonis jacent, postulante, apertum est unum eorum sepulcrum, præsentibus religiosiis clericis, monachis & abbatibus post octingentos circiter ab eorum martyrio annos; & in eo inventum est corpus magnum, indutum chlamyde militari coloris purpurei, tribus fere digitis dependente subter genua; & superindutum alia veste breviori sericea purpurei itidem coloris nobilioris: subter vero ad carnem veste serica albi maxime coloris, sed tamen subrubea. Corpus totum adhuc intactum videbatur a mento, quod tantum de capite supererat usque ad pedes, indiffoluta etiam superficie vestium, caligarum atque calceorum. Supra pectus signum dominicæ crucis inventum est auriphygio factum, longo fere uno pede, lato uno digito. Caligæ ex palla confectæ erant, rotundis floribus ad modum caudæ pavonis circumquaque distinctæ. Sub vestibus ipsa caro jam prorsus in cinerem resoluta fuerat cum ossibus, exceptis paucis de majoribus: sed ipsius cineris incommota integritas corporis formam quodam modo exhibebat. Ad caput ejus cæspites erant graminei a capite usque ad cingulum, qui sanguinei toti erant, utpote perfusi sanguine martyris, cum percussus in terram cecidit. Idem observatum in tribus aliis corporibus

corporibus tunc pariter detectis, in quibus pili herbarum adhuc rigeabant sanguine concreti. Hæc omnia propriis oculis conspexit Rudolfus abbas, qui hæc refert. Acta sunt hæc iii. idus Octobris hujus anni, absente archiepiscopo: quo reverso, corpora sancta, ita ut erant, e tumulis extracta sunt, Rudolfo cum alio abbate sacras exuvias sustollente. Inter sacros cineres inventus est balteus martyris militaris ex corio, unius fere ulnæ longitudinis cum capulo gladii, qui rubigine consumtus erat. Ex his quædam reliquiæ concessæ Rodolfo istius libelli scriptori, qui eas per fratrem Ebertum transmisit ad cœnobium sancti Trudonis e monasterio beati Pantaleonis, in ecclesia seu cella beatae Mariæ de Dune reponendas: eo pacto, ut fratres ejus loci, festum diem martyrii sancti Gereonis cum duodecim lectionibus deinceps celebrarent, & diem adventus ad eos illarum reliquiarum.

ANN. CHR.
1121.

Dum S. Pantaleonis monasterio præfesset idem Rodulfus, illic priorem instituit Sibertum, quem ex S. Trudonis monasterio accersivit. Hic est Sibertus, qui eundem Rodulfum, jam ad sancti Trudonis abbatiam reversum, consuluit de quadam rixa, quæ in ipsum excitata erat super donationibus monasterio suo factis occasione puerorum Deo oblatorum. Occasio hæc fuit. Oblatus est aliquando puerulus a parentibus, qui pro sua devotione cum puero de facultate sua quod libuit obtulerunt. Vidit hoc quidam ditior, sed avarus, & invidit, filiumque suum absque dote obtulit. Conventus a fratribus ut aliquid conferret ecclesiæ, furere cepit, dicens se nolle simoniam incurrere. Tum ille, ut erat in urbe præcipuus, cives in monachos commovit. Mox clerici & laici insurgunt in monachos, inquentes, ad hoc instituta esse cœnobio, ut in ea gratuito admittantur, quicumque sæculo renuntiare voluerint. Reponebant monachi, canonico rigori contrarium non esse, ut qui se, vel quempiam suorum ecclesiæ sociare vellet, in usus ejusdem ecclesiæ aliquid conferret. Consultus itaque hac de re a Siberto Rodulfus, prolixam scripsit epistolam, cujus duæ sunt partes. In priori graviter invehitur in illum avarum hominem, qui filium suum Deo oblatum debita hereditatis portione fraudare volebat. Avaritiæ & sacrilegii crimen esse, si partem filii, quem Deo obtulisset, sibi retineret. Ad hoc non esse instituta & dotata cœnobio, ut divitum familiæ exonerentur, sed ut pauperes, qui Deo servire voluerint, alantur. In posteriori epistolæ parte Rodulfus Sibertum, ejusque monachos monet, ut ne quid ab illo divite, vel quovis alio pro puerorum oblatione exigant. Commoneri posse parentes, ut de portione hereditatis, quæ filio contingere deberet, aliquid ecclesiæ offerant; sed ad hoc non esse compellendos. In summa non posse quidquam exigi pro susceptione puerorum, live monachorum citra simoniæ crimen, quia *omnis, qui de ecclesiasticis donis mala cupiditate aliquid exigit & concupiscit; plus dicam, inquit, vel in spe agit retributionis, simoniacus est, etsi non hic coram populo, certe coram divino oculo.* Hoc attendant velim monasteriorum præpositi, quibus novitios admittere incumbit. Hactenus quidem in nostra Congregatione vitata est hæc labe, sed vereor ne quorundam cupiditas hanc nostram coram Deo gloriam evacuet prætextu paupertatis monasterii sui, quæ rebus cupiditate patris non relevatur, sed deterius habet.

CXLIX.
Rodulfi alia
opera.

Præter hanc epistolam, quæ cum Siberti litteris in tomo secundo nostrorum Analectorum edita est, scripsit Rodulfus S. Trudonis monasterii chronicon tredecim libris, in Spicilegii tomo vii. vulgatum, in quo multa scitu digna continentur. Ad hæc tractatum contra simoniacos tredecim libris composuit, necdum editum, quem olim in Gemblacensi bibliotheca, quæ nuper combusta est, inveni: cujus summam retuli in notis ad prædictam epistolam. Denique scripsit libellum de vita Lieberti episcopi Cameracensis, absque auctoris nomine editum in Spicilegii tomo ix.

Hoc anno Henricus episcopus Virdunensis amore Lanzonis^a abbatis monasterio sancti Michaëlis ad Mosam tradidit altare S. Petri apud Vetus-monasterium cum duabus capellis ei subiectis, & altare S. Laurentii de Fraxino, ea conditione, ut secundum abbatis voluntatem & consilio fratrum, sacerdoti electo cura pastoralis per manus episcopi committatur, qui sacerdos, exceptis legitimis xeniis, nihil exigat. Actum Virduni hoc anno, indictione xiv. His litteris apposita sunt signa *Laurentii abbatis*, scilicet S. Vitoni, & *Manasse abbatis*, haud dubie S. Pauli in eadem urbe, cujus depositio notatur in necrologio S. Agerici his verbis: *xiv. kal. Junii Manasse monachus & sacerdos S. Pauli, quondam abbas ejusdem loci.* In eodem necrologio notantur duo Lanzones abbates S. Michaëlis, unus xvii. kal. Julii, alter vi.

CL.
S. Michaeliad
Mosam altaria
data.
a V. lib. 71.
n. 20.

ANN. CHR.
1121.

idus ejusdem mensis. Idem Henricus episcopus post annos quinque, *ob amorem itidem carissimi sui Lanconis* abbatis, subjectionem capellæ Alieri ecclesiæ S. Cyrici quæ S. Michaëlis opidi parœcialis est, confirmat. His litteris subscripta sunt signa Fastradi abbatis S. Pauli, qui haud dubie Manassæ prædicto successerat, & Richardi abbatis S. Agerici.

CLII.
Fuldensis abbas Romam pro pace legatus.
a V. lib. 71. n. 92.

In Germania optimates Heinrico imperatori auctores fuere, ut legatos Romam ad Callistum papam conciliandæ pacis causa mitteret. Delecti ad illud magni momenti munus Bruno Spirensis episcopus & Erlolfus^a Fuldensis abbas, quem Anselmus Arnulfum vocat. Ea legatio feliciter cessit legatorum prudentia. Missi anno sequente in Germaniam Lambertus Ostiensis duoque alii cardinales, qui juxta Vangiones regnum inter & sacerdotium conditiones pacis constituerunt, quæ anno tandem MCXXII. sancita fuit. Huic legationi non diu superstes fuit Erlolfus abbas, qui ob gravia monasterii sui damna Wormatiam secessisse dicitur, ibique e vita migrasse anno sequenti. Certe in chronico nostro Saxonico turris australis basilicæ Fuldensis hoc anno corruisse, ac sanctuarium orientale, & eam quæ subtus erat cryptam, altariaque septem proxime compressisse memoratur. Fuldensem præfecturam post Erlolfum adeptus est Udalricus, e gremio electus, Romæ consecratus a Callisto papa, vir probus ac modestus, sed non multo post depositus, quod Conrado contra Loharium imperatorem faveret.

CLIII.
Bambergensis monasterii basilica dedicatur
b supra n. 6. & 7.

Aboluta S. Michaëlis in monte Babenbergensi basilica, de qua superius^b, venerabilis Otto episcopus ejus auctor, a Wigando priore conventus interpellatur, ut eam kalendis Septembris dedicaret. Assensit tandem bonus pastor, & Wolframmo abbati, ceterisque fratribus se die condito ad dedicationis celebritatem adfuturum significavit. Verum paullo ante gravi morbo correptus, fratrum precibus brevi sospitatem recepit, ipsoque die sollempni ritu novam basilicam in honorem sancti Michaëlis archangeli, sanctique Benedicti abbatis hoc anno consecravit. Wigandus mox laudatus, S. Michaëlis prior, postmodum Tarisensis abbas factus est, ut inferius videbimus.

Otoni monasticum habitum petenti obedientia injungitur.

Non multo post, cum venerabilis præsul e quodam vico reliquias sanctorum, in altari reconditas, præmissis jejunio efferre, & in alium locum nobiliorem transferre tentasset, in gravem morbum incurrit. Tunc Wolframum abbatem accersivit, & ab eo monasticæ religionis habitum, quem jam dudum se peroptasse aiebat, sibi imponi flagitavit. Præsulis votum & petitionem laudavit prudentissimus abbas, sed rem ingeniose distulit. Post paucos dies cum melius haberet Otto, voti memor, rebus suis dispositis, portari se in monasterium fecit, & religionis habitum postulavit. Abbas vero lætus quidem de ejus voto, sed quam necessarius esset ecclesiæ & pauperibus vir Dei perpendens, eum reverenter interrogat, velletne promissam sibi obedientiam implere. Ille vero: In ejus, inquit, nomine, qui pro nobis Deo Patri usque ad mortem obediens fuit, ego tibi obedire paratus sum. Tum abbas: Et ego, ait, in nomine ipsius tibi jubeo, pater sanctissime, sub onere accepti regiminis usque ad mortem perseverare ad utilitatem ecclesiæ & solamen egenorum. Post hæc humillimus præsul sacerdotibus rem sacram facientibus in monasterio ministrare visus est, & ad mensam fratribus cibos propriis manibus inferre. Ad hæc ex obedientia totus ad eleemosynas, hospitalitatem piæque opera conversus est. Neque tantum in episcopatu suo hæc opera exercuit, sed etiam in Pomeraniam pecunias, annonam & vestes deferri curavit. Quin etiam Rudolfum œconomum suum misit ad Belam regem Hungarorum, qui a patruo suo Colomanno rege luminibus olim privatus, rempublicam nihilo minus sapienter administrabat, litterisque ac donariis eum adduxit ad eorumdem misericordiæ operum societatem. qua legatione honorifice accepta, rex sancto præsuli vasa aurea & argentea, vestes pretiosas, insuper viginti libras excocti auri, quas in egenorum ulus expenderet, liberaliter misit. quibus acceptis, episcopus pretiosam crucem auro fabrefactam monasterio sancti Michaëlis contulit.

CLIII.
Sophia Bela regis filia fit monacha.

Eidem Belæ regi unica filia erat, Sophia nomine, quæ ante nobiles annos Heinrico puero, Conradi Teutonicorum regis filio primogenito, desponsa est. Hæc legatis a Conrado missis tradita, in Admontensi Stiriac monasterio, dum adulesceret, collocatur. Interim is, cui desponsata erat, præmatura morte rapitur; & Bela Sophia pater itidem exstinguitur. Tum Giso seu Geisa ejus filius, & in regno

ANN. CHR.
1121.

successor, missis nuntiis forem femel, iterum terque repetit: at illa redire constanter negat. Giso id Teutonicorum arte fieri credens, Germaniæ excidium vastationemque minatur. Verum meliori usus consilio, sublimioris ordinis legatum, suum ipsius cognatum, cum honesto comitatu eo mittit, ut honeste forem repertant. Turbatus ad legati adventum abbas cum monachis, (nam monasterium duplex erat) auditaque ejus legationis causa, sciscitatur, velletne invitam ac repugnantem e monasterio abstrahere? Minime gentium, ait ille; at saltem e limine domus pedem efferre sinatur, ut ejus voluntatem exploremus. quod si remanere se velle testata fuerit, absit ut ei vim inferamus. Placuit conditio abbati & fratribus, moxque cum virginibus sacris ad fores claustrum prodiit regia puella, duobus hinc inde tum legati ejusque comitum, tum abbatis & fratrum positus globis. Negat illa, nisi morte obita, se limen egressuram. Rogata, ut saltem pedem e limine, uti conditum erat, efferat. Mox illa pede super limen posito, sancta Maria cum beato Blasio loci patrono in auxilium invocata, modesto & lento gradu in medium legatorum & fratrum procedit. Legati pretiosas vestes, monilia, & universonum mundum muliebrem offerunt. Stabant ad januam sanctimonialia hærentes quid ageret. At illa ubi se legatis spectandam fati dedisset, inclinatione ad eos facta, ad fores confestim redit, hoc versu inchoato, *Regnum mundi & omnem ornatum sæculi contempsi.* quem sorores gaudio tripudiantes profecutæ sunt. Sicque de cetero in monasterio permansit. Hoc viso nuntii vestes & ornamenta, quæ attulerant, monasterio conferunt, & Sophia salutata revertuntur ad regem. qui audita legatorum relatione omnino mitigatus est. Hæc de Sophia scribebat Thimon, unus e quatuor scriptoribus vitæ sancti Ottonis, cum illa adhuc *sub sacro velamine inter sanctas virgines Admontensis monasterii degeret.* Hæc quidem paullo serius contigere. siquidem Bela, Sophia pater, non ante annum MCXXXI. Stephano regi successit. Sed ea propter argumenti affinitatem hic consequenter referre visum est.

CLIV.
Erminoldus abbas Prufeningensis obit.

Unum e monasteriis, quæ sanctus Otto ædificavit, fuit Prufeningense prope Ratisonam, cujus primus abbas exstitit Erminoldus, assumtus e monasterio Hirfaugiensi. Hic, cum super custodiam gregis sui attente vigilaret, nihil incorrectum relinquebat, quod esset contrarium monasticæ religionis institutis. Id etsi faceret in spiritu lenitatis, filii tamen Belial crudelibus eum odiis insectari cœperunt, & de ejus nece tractare. at illo obviam facto, ut Christi Domini comprehensoribus accidit, conterriti abierunt retrorsum, & in terram corruerunt. Sic ille e manibus insectantium evasit. Verum non multo post a quodam carnifice ligneo vehte in capite percussus, die sancto epiphaniæ ad Dei viventis visionem translatus est hoc anno, septimo anno, postquam ab Hirfaugia illuc venerat, quarto vero ab ipsius abbatiali ordinatione facta per Hartvicum episcopum Ratisonensem. Morte imminente vetuit, ne audito transitus sui signo fratres a divino avocarentur officio, sed paucis egredientibus ceteri remanerent. Duos libros de ejus vita & miraculis monachus loci anonymus jussu Ulrici sexti-decimi abbatis, sub finem sæculi tertii-decimi composuit. Ejus lapis sepulcralis in navi ecclesiæ paullulum e terræ planitie erectus cernitur cum hoc epitaphio: *Anno Domini MCXXI. in festo epiphaniæ Domini obiit beatus Erminoldus hic sepultus, vir sacris in vita & morte præclarus, justorum memoria dignus. Oret pro grege ovium.* Illius monasterii historia Ingolstadtii vulgata est anno MDCXXVI.

Hirfaugiæ abbas obit.

In monasterio Hirfaugiensi Bruno abbas paullo post Erminoldum, id est XI. kal. Aprilis, decessit non sine opinione sanctitatis. Post annos ab ejus obitu amplius trecentos, aperto ejus sepulcro, cæcus lumen recepisse dicitur. Electus in ejus locum Volmarus gente Suevus, & in monasterio S. Albani pridie nonas Aprilis ordinatus ab Adalberto archiepiscopo Moguntino, per annos fere viginti-septem Hirfaugiæ laudabiliter & fructuose præfuit. Is ex canonico Constantiensi anno ætatis vicelimo-quarto factus monachus tam religiose se gessit, ut unanimi omnium fratrum consensu abbas post Brunonem electus sit. Magnifica de eo elogia Trithemius more suo affert.





ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER SEPTUAGESIMUS - QUARTUS.

Ab anno Christi 1122. ad annum 1126.

ANN. CHR.
1122.
I.
Pax regni &
sacerdotii.



ANNUM sequentem centesimum vicesimum-secundum supra millesimum placabilem Domino appellare possumus, quo scilicet post diuturnum schisma & bellum regnum inter & sacerdotium pax tandem optata feliciter sancita fuit. Ea res patrata per Lambertum episcopum Ostiensem, qui postea summus pontifex existit sub nomine Honorii II. duosque alios cardinales, qui in Germaniam imperatoris invitatu missi, primo conventum Wirziburgi nullo fructu, dein Wormatiæ habuerunt: ubi receptus in communionem cum suis affectis imperator, ecclesiæ liberam electionem & investituram ecclesiasticarum dignitatum: Callistus vero, sive legati nomine pontificis, imperatori concesserunt electiones episcoporum & abbatum in ejus præsentia fieri absque simonia, ad impediendas vel sedandas discordias; & ut electus regalia per sceptrum ab ipso imperatore accipiat. Nihil hac pactione facilius videtur: sed tamen post annos a schismate amplius quadraginta vix tandem hæc conciliandæ pacis ratio inventa est.

Apud Callistum papam ad hujus anni initium persisterat Sugerius S. Dionysii monachus regni negotiorum causa: quibus peractis, cum in reditu in quadam villa hospitatus pernoctaret, & finitis matutinis auroram expectando vestitum se lecto redidisset, dubio in somno sibi visus est, se in alto mari in exiguo lembo absque remige jactari, & per horridam tempestatem periculose fluctuare; sed tandem invocato supremo Numine ex imminente naufragio ad portum appulisse. Prima luce excitato, & coeptum iter aggresso, cum de somni interpretatione anxius esset, occurrit subito e Francia nuntius ei familiaris, qui seorsim abducto, Adæ Dionysiani abbatis decessum renuntiavit, ipsiusque Sugerii in ejus locum electionem, communi fratrum suffragio factam. Sed, quia inconsulto rege id actum fuerat, religiosiores & potiores fratrum, milites etiam nobiliores, qui ad petendum regis assensum missi fuerant, multis affectis conviciis, Aurelianis castello inclusos fuisse. Duplici nuntio consternatus Sugerius, morte scilicet amantissimi patris, & sua ipsius electione sic facta, magnopere angebatur, an contra regis voluntatem auctoritate Callisti papæ, qui ipsum diligebat, suam electionem tueretur. Verum ab hoc consilio eum revocabat tum amor S. Dionysii ecclesiæ, quæ a mamilla ipsum tenere foverat, quam, si id faceret, multis injuriis & damnis obnoxiam fore prævidebat: tum respectus fratrum & amicorum suorum, qui custodia conclusi a rege detinebantur.

II.
Sugerius sit S.
Dionysii abbas.
a lib. 73. n.
129. V. lib. 70.
n. 21.

ANN. CHR.
1122.

In his angustiis ipsi occurrit nobilis clericus Romanus ei familiaris, in Franciam pergens, qui ejus causam apud regem oraret. Interim ipse lento gradu subsequeretur, de rei eventu incertus: cum ecce inopinato adfuerit, qui regem placatum, captivos solutos, & electum confirmatum nuntiarent. Tam lato nuntio præter spem recreatus, iter accelerat, tandemque ad matrem ecclesiam pervenit: ubi a rege primum severo, mox sereno vultu acceptus, ibidem etiam archiepiscopum Bituricensis, Silvanectensem episcopum, multosque utriusque ordinis viros ipsum præstolantes invenit, qui eum magna cum reverentia cum latibundo fratrum conventu susceperunt. Id contigit feria sexta hebdomadæ medianæ, id est hebdomadæ quartæ quadragesimæ hujus anni. Postera die, sabbato scilicet medianæ, Sugerius ordinatus est presbyter, & sequenti die ante sacratissimum corpus beati Dionysii abbas consecratus. In necrologio Dionysiano Adæ abbatis depositio xi. kal. Martii notatur his verbis: *Obiit dominus Adam piæ memoriæ abbas beati Dionysii*, & eodem die, *Item Ricardus episcopus, monachus beati Dionysii*: sed cujus sedis episcopus, non exprimitur. Quot & quanta beneficia monasterio Dionysiano præstiterit Sugerius, partim ipse tradit in libello de rebus in administratione sua gestis, ex quibus nonnulla in consequentibus referemus. Illud in primis memoratu dignum, quod ordinem sanctum ibidem plene reformavit, ut ipse loquitur in libro de vita Ludovici Grossi, ex quo ea, quæ de ipsius electione diximus, desumpta sunt.

Ab inita statim præfectura Sugerius sanctissimam Dei-genitricem, sanctosque martyres ecclesiæ suæ patronos sibi demereri & propitios reddere satagit. Præclara est hanc in rem ejus constitutio, in qua sic loquitur: *ecclesiæ beatorum martyrum Dionysii, Rustici & Eleutherii humilis minister. Quia larga Dei omnipotentis propitiacione, contra spem meriti, morum & generis, parvitatem nostram, etiam absentem & in curia Romana negotiantem, ad sanctæ hujus ecclesiæ administrationem accessisse, divinamque potentiam me de manibus inimicorum quærentium animam meam, in hac eadem sancta ecclesia laudabiliter ac mirabiliter liberatam eripuisse veraciter constat, decet & omnino expedit pusillitati nostræ toto mentis affectu eam commendare & exaltare, fratresque nostros Domino Deo famulantes honorare & fovere, & ut divini & humani cultus exhibitione in præsentiarum divino conspectui placere valeamus, & in futuro aliquam divinæ retributionis portiunculam in æternæ felicitatis gremio obtineamus. Unde ad honorem Dei omnipotentis & beatæ Dei-genitricis semperque virginis Mariæ, in capitulo nostro generaliter residentes, ipsius sanctæ Dei-genitricis memoriam continuare, attollere, decorare constituimus, eo videlicet tenore, ut deinceps æternaliter secundum quod in catalogo hujus institutionis insinuatum est, omni die sabbati solemniter celebretur, quemadmodum in octavis pentecosten tribus extremis diebus, præter quod septem psalmos cum letania & vigiliis mortuorum dimitti prohibemus. . . . Gloriosissimi præter ea & dulcissimi patroni nostri sanctissimi Dionysii sociorumque ejus, quorum mirabili & ineffabili beneficio educati, docti, & adjuti sumus, hujus sanctissimæ Dei-genitricis memoriam eodem ordine & eadem paritate in quinta feria secundamus. Atque ut fratres ad hæc, aliaque exsequenda alacriores fiant, censum sex solidorum ad quotidianam eorum refectorem quatuor solidis auget. Ut autem hæc constitutio firmior & sanctior esset, in capitulo nostro, inquit, generaliter residentes, clavo & corona Domini & sancti senis Symeonis brachio, Dei omnipotentis omniumque sanctorum auctoritate, perpetuum anathema & gehennæ ignes violatoribus imponimus & imprecamur; conservatoribus vero & privilegii hujus defensoribus vitam æternam. Hanc autem constitutionem Petrus sedis apostolicæ presbyter cardinalis & legatus, & Gregorius S. Angeli diaconus cardinalis atque legatus, laudant & confirmant. Nullæ huic scripto apponuntur chronica notæ, at tempus colligitur ex subscriptione horumce duorum cardinalium, qui tum in Gallia legati erant, ut inferius videbimus. Hi sunt duo illi cardinales, qui post mortem Honorii II. de summo pontificatu concertarunt. Hæc itaque sunt prima instituta, quibus Sugerius præfecturæ suæ primitias dedicavit.*

Nova quoque electio in monasterio Cluniacensi hoc anno facta est post abdicatam à Pontio abbate præfecturam. Hic quippe fratrum animos in se ob malam gestionem exasperatos non ferens, Romam præcipiti cursu adit ad Callistum papam, petiitque obnixè, ut pastoralis curæ vinculo abolveretur. Postulanti restitit pontifex, sed urgenti demum assensum præbuit. Absolutus ille ejusdem papæ per-

III.
Piaejus con-
stitutio.
a Felibien n.
128.

IV.
Pontio Clunia-
ci abbati suffe-
ctus Hugo II.
b V. lib. 73. n.
78.

ANN. CHR.
1122.a Orderic. lib.
12. p. 871.

missu Apuliam petiit, indeque mari transmissio Jerosolymam, eo animo, ut semper illic maneret, pervenit. Tum pontifex Cluniacensibus, quod factum erat, significavit, eisque novi abbatis eligendi facultatem dedit. Factum ita refert Petrus Venerabilis, sed paulo aliter Ordericus, a cui praeferenda Petri auctoritas, sed tamen non praetermittendus. Hic scribit, Pontium supra modum iratum, quod fratres cum apud Callistum nimii sumtus & prodigalitatis accusassent, abbatis officio inconsulte coram papa relicto peregre profectum fuisse, atque Jerosolymis & in monte Thabor, aliisque sacris locis non sine magna religionis fama aliquamdiu habitasse; papam vero indignatum, quod suo injussu & absque sua benedictione imprudenter abiisset, Cluniacensibus praecipisse, ut idoneum sibi rectorem eligerent, eosque Hugonem probatae vitae senem, elegisse, qui post tres menses defunctus sit. Totidem menses habet chronicon Cluniacense; at quinque fere menses numerat Petrus Venerabilis, qui de Hugonis electione ita scribit. *Illi, scilicet Cluniacenses, post praecipuum papae, accepto consilio, totius religionis ac religiose opinionis virum, Marciniacensium sororum priorem venerabilem Hugonem, sibi pari assensu in abbatem eligunt. Suscepit sanctus ille, licet valde renitens, quod imponebatur: sed vix quinque elapsis mensibus ex hac luce migravit; & sicut longa ejus in sancta conversatione vita meruerat, ut merito creditur, ad meliora transiit.* Addit Ordericus, eum, in aquilonali climate periboli seu claustrum sepultum fuisse, & in arcu lapideo super eum constructo epitaphium hujusmodi adscriptum.

*Hic Cluniacensis jacet abbas Hugo secundus,
Patre Besontinus, Lugdunensis genitrice;
Religione nitens, grandævus amore, pioque
Semper ovans cultu tibi, summe Creator, inhæsit.
In requie tecum modo felix vivat in ævum.*

Quo die obierit Hugo iste, non omnino exploratum. Veri simile est eum esse, cujus commemoratio fit in necrologio Silviniacensi VII. idus Julii his verbis: *Depositio domni Hugonis abbatis.* quod satis convenit tempori electionis Petri Venerabilis, de qua mox agendum est. Petrus Diaconus b auctor est, Pontium abbatem devotionis causa erga S. Benedictum cum duodecim Cluniaci fratribus Casinum tunc profectum fuisse, locisque perlustratis professum, se malle esse decanum Casinensem, quam Cluniacensem abbatem: demumque, cum Casinatum precibus se commendasset, Jerosolymam petiisse facto voto, se post suum e sacris locis reditum pastorem curam abdicaturum, & Deo attentius in sacro Casinensi monasterio servitutum. Tunc Casini praesens esse poterat Petrus diaconus: sed factum non satis accurate referre videtur, & suo more illud amplificare. Idem Pontius in certamine christianorum ad Acalonem habito, in quo infideles maximo numero a paucis christianis fusi, & ad septem millia caesi, insuper ad quinque millia aquis submersi sunt; idem, inquam, Pontius lanceam, Christi patientis lateri olim infixam, praetulisse traditur.

b Chron. Casin.
lib. 4. c. 75.V.
Petrus Venerabilis Hugoni succedit.
c V. lib. 70. n. 19. & 20.d Petri Ven. lib.
2. de mirac. c. 11. & 12.e Bibl. Clun.
p. 607. & seqq.

Mortuo Hugone abbate, fratres novae electioni diem statuunt, & proximos remotosque suae familiae monachos, ut ad conditum diem conveniant, litteris admovent. His acceptis, cum multis episcopis & abbatibus convenit magna monachorum turba, & in octavis assumptionis beatae Virginis in Petrum Mauricium c de Monte-Buxerio, qui a posteris Venerabilis dictus est, univerforum suffragia concurrunt. Mox electio summo pontifici significatur, qui rescripto suo eam confirmavit. De sua ipsius electione agens d idem Petrus, se indignissimum ad tot tantarumque Christi ovium curam & regimen assumptum fuisse, non dupliciter, sed simpliciter profert. Annorum erat circiter triginta cum electus est sacri Cluniacensis coenobii abbas nonus. Ejus electioni carmine gratulatus est Petrus Pictavensis, & Cluniacenses ad plaudendum invitat e his versibus.

*Plaudite felices, hilarescite Cluniacenses:
Redditus est vobis moribus alter Hugo.*

Tum ejus nobile genus praedicat, de quo alias diximus, ejusque virtutes & omnigenam eruditionem commendat, maxime quod in juvenilibus annis cum ingenio facili gravitatem morum conjungat. Cetera praetereo, quae apud eundem poetam videre licet.

ANN. CHR.
1122.VI.
Ejus electio a
Callisto probatur.

Ubi ejus electionem rescivit Callistus papa, eam suis litteris probavit, quae sic habent.

Calixtus episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Petro Cluniacensi abbati, salutem & apostolicam benedictionem. Filiorum nostrorum Cluniacensium fratrum relatione didicimus, te communi voto, assensu & desiderio in abbatis regimine per Dei gratiam esse constitutum. Unde nos omnipotenti Deo gratias agimus, & quod de te ab eisdem fratribus factum est, auctoritate sedis apostolicae confirmamus. Moneamus igitur dilectionem tuam & hortamur in Domino, ut & domum & commissam tibi congregationem sic studiose regere, sicque satagas per divinum auxilium gubernare, quatenus per tuae sollicitudinis industriam Cluniacense monasterium & in spiritualibus, & in temporalibus augeatur, atque ad animarum salutem in loco ipso religionis integritas nullis umquam occasionibus violetur. Nos enim & tuam personam, & locum ipsum ea volumus affectione diligere, illo cupimus honore atque juvamine conservare, quo a nostris praedecessoribus tuos novimus praedecessores dilectos pariter & adjutos. Data Laterani XII. kal. Novembris.

Supplenda ex sequenti epistola indictio prima, quae huic anno respondet, si a mensē Septembri, ut fit, ineatur.

Haecenus ad Petrum electum Callistus, qui & alias addidit ad Cluniacenses, quibus ob praeterita incommoda compatitur, eosque ad exhibendam Petro electo obedientiam hortatur & ad rejiciendum Pontium, quem sibi virgam pastorem resignavisse testatur. Haec epistola ob tanti viri meritum, quippe quae necdum, quod sciam, edita est, hoc loco referenda mihi videtur.

Ejusdem epistola ad Cluniacenses.

Calixtus episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis Cluniacensis monasterii monachis, salutem & apostolicam benedictionem. Quia nos in pastorem nostrorum defectione omnipotens Dominus hoc tempore visitavit, monasterium vestrum in multis magnum incurrisse incommodum & fraternitatem vestram detrimenta nonnulla perpeti audivimus & labores. Unde tanto nos contristari & dolere gravius cognoscatis, quanto amplius locus idem ad Romanam videtur ecclesiam pertinere. Verumtamen vos filii in Domino dilectissimi, super hujusmodi perturbationibus non miremini, scientes, quia omnes qui pie volunt vivere in Christo persecutionem patientur. Ad coronam quippe nisi per tribulationes & certamina non pervenitur, dicente apostolo ac testante: Nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit. In his itaque certaminibus non formidatis, neque terreamini, quia confortator & auxiliator vobis Dominus aderit, qui sperantes in se minime derelinquit, sed de caelo victoriam tribuit, & coronam immarcescibilem gloriae suis fidelibus usque in finem viriliter persistentibus administrat. Nos quoque vos tamquam filios nostros carissimos semper diligere, semper, in quantum poterimus, adjuvare, ac semper, Domino auxiliante, protegere procurabimus. Abbatem sane vestrum Petrum, quem nuper ad honorem Dei & beati Petri, necnon & vestri utilitatem monasterii communi voto & conniventia elegistis, nos in ejusdem administratione regimini sancto cooperante Spiritu stabilimus: quem sic specialem beati Petri filium specialiter diligere volumus, atque ipsi, & per eum vestro monasterio possessiones, bona omnia & dignitates, quas nostri vobis confirmavere praedecessores, & quas haecenus locus vester quiete habuisse dinoscitur, confirmamus. Praecipimus etiam, & statuentes penitus interdiximus, ne quis fratrum vestrorum, aut ulla omnino persona occasione Pontii olim abbatis in vestra audeat congregatione scandalum suscitare. Nam sicut ei nos monasterium ipsum ex parte beati Petri & Romanae commiseramus ecclesiae; ita ipse illud in manu nostra per quamdam virgam beato Petro & Romanae ecclesiae absque ulla recuperationis spe in perpetuum refutavit. Si quis ergo contra nostrum interdictum hoc in vestra, quod absit, congregatione scandalum commovere praesumpserit, Dei & beati Petri atque apostolicae sedis indignationem incurret: qui autem conservator exstiterit, & praedicto abbati Petro reverentiam debitam & obedientiam exhibuerit, omnipotentis Dei & apostolorum Petri & Pauli & nostram gratiam, necnon & peccatorum suorum, largiente Domino indulgentiam obtinebit. Datum Laterani XII. kal. Novembris, indictione.

Quod ait pontifex de incommodis & gravaminibus, quae Cluniacenses pertulerant; id intelligendum de rei familiaris dilapidatione & injuriis, quae Cluniacensi monasterio per Pontium abbatem inflata fuerant, subsequenti etiam tempore de novo per eum renovatae, ut inferius videbimus.

ANN. CHR.
1122.
VII.
Matthæus sub
eo prior clau-
stralis.
a V. lib. 73. n.
5.

Iraque Petrus in abbatali dignitate auctoritate apostolica confirmatus, nihil antiquius habuit, quam ut quam-primam rerum temporalium, sed maxime monastica disciplina & morum damna refarciret. Quam ob rem venerabilem Matthæum; S. Martini-de-Campis a apud Parisios priorem, cujus merita ante probe noverat, ad ordinis adjutorium & ad impositæ curæ supportandam sarcinam ipso statim primo suæ vocationis seu electionis anno Cluniacum evocavit, eique ordinis & claustris cujus ferventissimus erat amator, curam imposuit. Nec exiguæ operæ ea res erat. Quippe succreverant paullo ante in magno illo & nobili monastici ordinis agro refecanda, vel potius evellenda utilibus satis contraria, & quorundam, quos nominare nolo, inquit Petrus, culpa vel desidia (nam ex majori parte jam vita excefferunt) plurima exstirpanda exorta fuerant. Ad hujus rei adjutorium, magnum hunc & vineæ Christi non segnem operarium, ut jam dixi, accersens, insignem vere eum adiutorem expertus sum. Nam noxia vel superflua quæque in cibis, in potibus, in moribus quam maxime persequens, licet ea de causa multa nunc reticenda passus fuerit, ea tamen ad congruum finem, etsi non statim, Deo præcipue, meque cum quibusdam aliis pro viribus juvante, perduxit. Non tamen monasterii sui curam deposuit Matthæus, sed a Petro abbate jussus est, & Cluniaci ordinem tenere, & domui suæ providere. Sed tandem, post aliquantum temporis, dato ei apud Cluniacum ordinis successore, ad S. Martini monasterium, ut prius, regendum remissus est. Tunc Cluniaci major prior erat Bernardus Grossus, alias jam a nobis laudatus, de quo in consequentibus iterum sermo recurret. Ex præmissis Petri verbis manifestum est, non pauca tunc superflua in ordine Cluniacensi succrevisse omnino refecanda, in cibis, in potibus, in moribus, quæ Petrus adjutore Matthæo emendare conatus est, eaque non modo Pontii abbatis, sed etiam aliorum, qui tum decefferant, culpa vel desidia succrevisse. Processu temporis Petrus Venerabilis, convocato totius Ordinis numerosissimo conventu, multa in cibo & potu, in vestibus, aliisque rebus correxit, ut ex ejus statutis inferius probabimus.

VII.
Bernardi apo-
logia ad Guil-
lelmum.

Ex his manifestum est, commentitia non esse, nec quasi humanæ infirmitatis necessarium aut tolerabile temperamentum reputanda, sed vera vitia censenda, quæ sanctus Bernardus in Cluniacensibus tunc reprehendit; cum Petrus Venerabilis statim ab initio præfecturæ suæ ea refecare & avellere aggressus sit. Eadem cum rejecissent ac longe abhorrerent Cistercienses, orta est inter eos & Cluniacenses quædam haud probabilis æmulatio. Sic enim comparata est mortalium insoles ac natura, ut qui quavis in re, maxime in moribus, ceteris præcellunt, alios contemtu habere videantur, immo & non raro despiciant; qui vero in imo jacent, illorum mores, etiam si taceant, in sui despectum verti arbitrentur. Hinc nata illa Cluniacenses inter ac Cistercienses invidiosa æmulatio: quam ægre ferens Guillelmus, ab anno præcedente S. Theoderici abbas, Bernardum, amicum in primis suum, litteris interpellavit, ut inter utrosque pacem & concordiam reformaret, sic tamen, ut ea, quæ in suo, id est Cluniacensi Ordine, emendanda ipsi viderentur, non taceret. Hæc Bernardo scribendæ Apologiæ occasio fuit, cujus duæ sunt partes. In priori suos Cistercienses graviter corripit, quod sub specie quorundam corporalius usum austeriorum Cluniacensibus obtrectarent: in posteriori notat Cluniacensium superfluitates. Hoc tertium est Bernardi opusculum, quod ægre ab se susceptum fuisse testatur vir sanctus in præfatiuncula operi præfixa, tum ob argumenti difficultatem, tum ob detrimentum, quod ex his scriptationibus sibi obvenire credebatur; quia multum, inquit, hinc mihi devotionis subtrahitur, dum studium orationis intermittitur, præsertim cum nec usus suppetat dictandi, nec otium. Priusquam vero ad duas illas partes progrediatur, initio profiteretur, se suosque ab obtrectatione tam religiosi ordinis prorsus alienos esse. Nihil intolerabilius, quam miserrimos hominum in pannis & femicinctiis de cavernis judicare mundum, gloriosissimo Ordini, & sanctis, qui in eo vivunt, detrahere, & de umbra suæ ignobilitatis mundi luminaribus insultare. Quid prodesset tanta in victu & vestitu asperitas, si ad hoc solum valeret, ut inde sumerent occasionem aliis se melioribus insultandi & detrahendi? Immo ex hoc sibi majus accersiri coram Deo judicium. Ad se quod attinet, se numquam auditum fuisse adversus Cluniacensem Ordinem vel coram disputantem, vel clam susurrantem: immo se dicere solitum, modum quidem illum esse sanctum, honestum, discretione præcipuum, a sanctis patribus ad multorum salutem

BENEDICTINI. LIB. LXXIV. 81

ANN. CHR.
1122.

salutem temperatum. Se neminem vel clam, vel palam ab illo Ordine assumendo dehortatum fuisse, aut ad se ut potius veniret persuasisse. Denique multos ex eo ad se venire cupientes repulisse, multos reddidisse. Ceterum Ordinum diversitatem caritatis vinculo obesse non debere: se unum Ordinem professione tenere, ceteros caritate.

His præmissis, priorem partem aggreditur, in qua suos Cistercienses graviter redarguit, quod Cluniacensibus detrahant, quasi regulam non teneant, quippe qui pellicii induantur, sani carni pinguedine vescantur, tria vel quatuor pulmentaria una die admittant, opus manuum omittant; multa denique pro suo libito mutant, augeant, ac minuunt. Hæc non posse negari ait Bernardus: at suos Cistercienses attendere jubet in regulam Dei, cui non dissonat institutio S. Benedicti. In hac divina regula, non in hujusmodi corporalibus observantiis constitui perfectionem, sed in spiritualibus institutis, virtute interiori, humilitate, caritate, quibus nihil magis contrarium quam jactantia de exteriori cultu, superbia & detractio. Tu ergo, inquit, cum de horum observatione elatus, aliis eadem non observantibus derogas, nonne te magis transgressorem regulæ indicas, cujus, licet minima quadam tenens, meliora devitas? de quibus Paulus: Emulamini, ait, charissimata meliora. Detrahendo quippe fratribus, in quo te ipsum extollis, perdis humilitatem; in quo alios deprimis, caritatem: quæ sunt procul dubio charissimata meliora. Et infra. Quod si regulam ab omnibus, qui eam professi sunt, sic ad litteram tenendam censes, ut nullam omnino dispensationem admitti patiaris; audeat dico, nec tu eam, nec ille tenetis. Neque tamen hæc exteriora negligenda esse vult Bernardus, aut qui se in illis non exercuerit, continuo spirituales censendum; immo illa ad interiora plurimum conducere pro certo habet: sed exteriora illa ita vult exerceri, ut interiorum potior ratio habeatur, & non pretextu illorum hæc detrimentum patiantur. Hactenus de priore parte.

In posteriori ad Cluniacenses transit, quorum vitam sanctos patres instituisse fatetur, atque ita temperasse, ut in ea plures salvarentur: Absit autem, inquit, ut credam, tantas eos, quantas video in plerisque monasteriis, vanitates ac superfluitates præcepisse, vel concessisse. Miror etenim, unde inter monachos tanta intemperantia in comestationibus & potationibus, in vestimentis & lectisterniis, & equitaturis, & construendis ædificiis inolescere potuit. quæ omnia per partes fuse explicat Bernardus, rejicitque excusationem afferri solitam, ea scilicet concedi propter caritatem. Verum ista caritas, ait, destruit caritatem; hæc discretio discretionem confundit. In primis arguit, nec certe immerito, immodicos sumtus ad excipiendos hospites, longe alio modo ab his, qui temporibus Antonii exstiterunt monachi, quibus prior erat de salute animæ, quam de corpore cura. Nunc vero panem cælestem nemo est qui requirat, nemo qui tribuat. Nihil de scripturis, nihil de salute agitur animarum: sed nugæ, & risus, & verba proferuntur in ventum. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus: quibus totus intentus, modum nefcias in edendo. Nihil sum, si cetera persequar, quæ vir sanctus reprehendit in ciborum delectu & apparatu, in lectisterniis in vestibus, in basilicarum ornatu & magnitudine. Excusat tamen Bernardus plerosque, qui his relaxationibus utuntur. Nonnulli quippe, inquit, his omnibus tamquam non utentes utuntur; & ideo aut cum nulla offensa, aut cum minima. Aliquanti quippe hæc agunt ex simplicitate, aliquanti ex caritate, aliquanti ex necessitate. Quidam namque simpliciter ista tenent, quoniam sic eis præcipitur; parati aliter agere, si aliter præciperetur. Quidam autem, ne discorditer vivant ab eis, cum quibus habitant, sectantes in his non suam libidinem, sed aliorum pacem. Alii vero quia resistere non valent multitudini contradicentium, qui hæc utique, tamquam pro Ordine, libera voce defendunt; & quoties isti aliqua, prout ratio dicitur, restringere vel mutare incipiunt, illi mox tota eis auctoritate resistunt. At longe aliam sententiam profert Bernardus de abbatibus, qui talia fieri patiuntur, quorum numerosas equitaturas, exquisitam suppellectilem, & famulorum, quos garfiones vocat, multitudinem sugillat. Sub finem, Utinam, inquit, hæc pauca scripserim sine scandalo. Enimvero vitia carpens, scio me offendere vitiosos. Potest tamen fieri, volente Deo, aliquibus quos me timeo exasperasse, potius placitum esse, sed si desinant esse vitiosos: si videlicet & districtiores desinant esse detractores, & remissiores amputent superfluitates. quod duplex erat hujus Apologiæ argumentum, quam per

ANN. CHR. Ogerium ^a canonicum regularem misit ad Guillelmum abbatem, cujus censuram eam subjicit.

^{1122.}
^{a Bern. ep. 87.}
^{§ segg.}
IX.
Petri Venerabilis responsio ad objecta Cisterciensium.
^{b Petr. Ven. lib. 1. ep. 28.}

Præter capitula in illa Apologia contra Cluniacenses a Bernardo notata, alia quoque addebant Cistercienses, quæ Petrus Venerabilis refert ac refellit in prolixa, & quidem prima ad Bernardum epistola ^b, quem ex fama tantum, necdum facie noverat, ut initio epistolæ asserit. Et forte hæc epistola scripta est a Petro antequam Bernardi Apologia in ejus manus pervenisset. Hæc capitula ad novemdecim referuntur, quorum præcipua sunt, quod Cluniacenses in admittendis ad professionem

„ novitiis annuam probationem non servarent; pellicias & femoralia gestarent; fugitivos & apostatas plusquam tertio reciperent; jejunia regularia facilius violarent;

„ laborem manuum negligerent; proprium episcopum non agnoscerent; a quo christiana & ordines susciperent; ecclesias parochiales, decimas & oblationes possiderent; denique quod more sæcularium castra, villas, servos & ancillas, & telonearia lucra haberent. Ad hæc omnia aliæque singula respondet Venerabilis Petrus, ejusque responsiones pleræque ad unam caritatem reducuntur: *Super hæc omnia, inquit, matris caritatis regulam in his, & in reliquis nos sequi profitemur; quæ hoc sibi proprie vindicat, ut, quidquid secundum eam fit, rectum, non distortum; æquum, non iniustum; justum, non injustum esse manifestissimum sit.*

Secundum hanc regulam probat, annuam novitiorum probationem recte aliquando breviari, ne dilati ad sæculum revertantur, & pereant.

Usus pelliciarum, (quem mirum est tantopere a Cisterciensibus improbatum fuisse) hac ratione defendit, quod nihil eis contrarium in regula legatur, immo earum usus quodam modo in ea probetur, cum S. Benedictus ait, vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem, & aëris temperiem dari oportere. Denique ipsos Cistercienses a regula discedere, qui simplici cuculla non contenti, multiplices quoque tunicas induebant. Ceterum quod femoralia Cluniacenses gestarent, id fieri ait propter honestatem.

Jam vero quod fugitivos & apostatas plusquam tertio, quod regula prohibere videtur, reciperent: id sibi licere putat Petrus exemplo Christi Domini, qui Petro apostolo post trinam negationem pascendas nihilo minus oves suas usque tertium commisit; & peccanti in se fratri usque septuagies septies indulgendum præcepit.

De jejunii regularibus id statutum a S. Benedicto, ut a pentecoste usque ad idus Septembris quarta & sexta feria jejunetur, sed tamen in abbatis providentia relinquit, ut his etiam diebus, sicut in aliis, prandium sexta hora sumatur, quod apud se fieri fateatur Petrus: ait ab idibus Septembris usque ad pascha, secundum regulam se ad horam nonam semper reficere, exceptis dominicis diebus & quibusdam solemnitatibus duodecim lectionum.

Quod attinet ad laborem, qui corpore exercetur, eum a S. Benedicto præscribi ad vitandam otiositatem. Atqui *quocumque bono exercitio, inquit, otiositate fugata, regula custoditur.* Certe spiritualia exercitia corporalibus a Christo Domino in Maria præferuntur. Ergo si orando, legendo, psallendo, injuncta religiose implendo, vel alia quælibet hujusmodi bona agendo animus occupatur, regula, ut diximus, perfecte servatur.

Ad id quod objiciebatur Cluniacensibus, eos proprium episcopum non habere; immo, respondet Petrus, proprium episcopum habemus. *Quis enim rectior, quis verior, quis dignior Romano episcopo episcopus potest inveniri?* Hoc privilegium Cluniacensi ecclesiæ a primordio concesserunt summi pontifices, non ut hanc Cluniacensem ecclesiam alteri episcopo prius eam possidenti auferrent; sed a fundatoribus, qui eam in proprio alodio construxerunt, rogati in propriam retinuerunt, atque soli Romano pontifici eam in æternum subiacere decernentes, pluribus hoc privilegiis confirmaverunt. quorum unum est, ut a quolibet catholico episcopo christiana, oleum, sacros ordines, ecclesiarum & cæmeteriorum consecrationes, & cetera his similia suscipiant. Tum addit Petrus, hoc privilegium non solis Cluniacensibus concessum, sed & quamplurimis datum monasteriis, & quidem multis ante conditum Cluniacum.

^{c V. lib. 73. n. 98.}

Alia non minus gravis objectio erat de ecclesiis parochialibus, decimis ^c & oblationibus, quas Cluniacenses possidebant. Has vero illis vindicat Petrus, uti & clericis auctoritate sacræ scripturæ & canonum: tum quia in sortem levitarum transie-

ANN. CHR. rant, qui, quod partem hereditatis inter fratres non habebant, decimas ab eis recipiebant: tum quia saluti fidelium, uti & clerici, orando, psallendo, pœnitentiam pro eis agendo invigilabant.

Denique quod castra, villas, servos & ancillas haberent Cluniacenses, id regulæ non esse contrarium dicit, quæ, ubi de novitiis suscipiendis agitur, sic præscribit: *ut res, si quas habet, aut erogat prius pauperibus, aut facta sollemniter donatione conferat monasterio.* qui locus tam de immobilibus, quam de mobilibus intelligendus, idque Gregorii Magni testimonio, & sanctorum exemplis confirmat. De his plura qui volet, ipsam epistolam legat.

Idem Petrus abbas statim ab inita præfectura Johanni Comneno imperatori Constantinopolitano scripsit ^a ad recuperandum monasterium *Civito* vocabulo, juxta urbem regiam situm, quod pater ejus Alexius magno & religioso loco, qui *Caritas* dicitur, dederat, & in perpetuum abbatis Cluniacensis & prioris de Caritate obedientiæ subjecerat. quod nostris, inquit, aut moriis, aut recedentibus, aut expulsis, alieni monachi invaserunt, & jam, ut audivimus, per triennium abstulerunt. Tum subdit: *Oro igitur, & mecum universa Cluniacensis congregatio majestatem & pietatem regiam deprecatur, ut nobis, & loco de Caritate per harum litterarum latores monasterium ablatum restitui faciat, & pro æterna anime sue salute servos Dei ibidem habituros ab injuriis defendat, & in pace custodiat.* quo facto, imperatorem, uti Francorum, Anglorum, Hispanorum & Germanorum reges, omnium Cluniacensis congregationis beneficiorum participes facit. Ejusdem est argumenti epistola sequens ad patriarcham Constantinopolitanum. Ex præcedente ad imperatorem epistola intelligitur, eo missos a Petro fuisse Cluniacenses monachos, quibus locum illum *Civito* restitui postulat. Caritatis monasterio tunc præerat Ymarus seu Igmarius, factus postea Novi-monasterii apud Pictavos abbas ac demum cardinalis. Huic successisse videtur Theotardus, ad quem duæ ^b extant Petri Venerabilis epistolæ: tametsi quidam Olicum interponunt.

X.
Civito monasterium sibi restitui petit.
^{a Petr. Ven. lib. 2. ep. 39.}

^{b id. lib. 2. ep. 6. & 7.}

Interim absente, ut superius diximus, & Cluniaci residente venerabili Mattheo priore, nihilominus S. Martini à Campis res crescebant, ut ex ejus cellis hoc anno erectis intelligimus. Una est beata Mariæ ^c de Gornaco seu Gornayo, ad Matronam fluvium in agro Parisiensi prope Calam posita, ubi Guido Rubeus, ejusque conjux Adelaida prope Gornacum castrum ecclesiam beatae Dei-genitricis Mariæ, sanctique Johannis-Evangelistæ a fundamento construxerunt, dotaruntque, & S. Martini monachis perpetuo habendam concesserunt. Eidem ecclesiæ Ansellus de Garlanda regis dapifer, aliique viri nobiles multa quoque beneficia contulerunt. quæ omnia enumerantur, & confirmantur, tum in diplomate Ludovici regis, dato hoc anno, regni ejus XIV. Adelaidis reginæ VII. tum in litteris Girberti Parisiensis episcopi, eodem anno datis. Olim in illa cella viginti-quinque monachi erant: at modo vix duo restant ob priores commendatarios.

XI.
S. Martini a Campis celle, Gornaci & Creciaci.
^{c Hist. S. Martini a Campis p. 279.}

Eodem anno Burchardus episcopus Meldensis ecclesiam S. Martini de Veteri Creceio ^d seu Creciaco eidem monasterio S. Martini de Campis, donavit, Stephano Rorici filio ea omnia concedente, quæ jure hereditario ibidem possidebat, Theobaldo comite præsentem, domno Andrea de Baudimento laudante. Hanc chartam scripsit Stephanus conversus hoc anno, anno pontificatus Burchardi tertio. Qui hic memoratur Andreas de Baudimento passim occurrit in illius avi monumentis, iis maxime, quæ Cistercienses spectant: sed quis qualisve fuerit, alibi non inveniam in chronico Mauriniacensi, ubi *Andreas-de-Baldamento* ^e Theobaldi Trecentium & Carnutenfium comitis terræ procurator appellatur. Redeo ad Creciacum; ubi præter S. Martini ecclesiam alia erat beata Mariæ de Capella, cui canonici ministrabant. Hos inter & monachos orta est post quindecim annos controversia de quibusdam juribus, quam Manasses episcopus, Burchardi successor, composuit, litteris Theobaldo priori S. Martini a Campis inscriptis. *Actum est hoc Meldis in domo episcopali, assensu capituli, anno ab incarnatione Domini MCCCXXVII. regnante Ludovico rege Francorum, Ludovico patre suo eodem anno defuncto, Henrico etiam metropolitana Senonensi ecclesiæ presidente, Theobaldo Blesensi consularum administrante.* His litteris adscripta sunt signa Natalis abbatis Resbacensis, Serlonis abbatis S. Luciani, scilicet Bellovacensis, Helix Cagiensis abbatis apud Meldas, Odonis subprioris S. Martini, Gamonis Gornacensis prioris, Rogerii prioris

^{d ibid. p. 376.}

^{e Chesnii 10. p. 301.}

ANN. CHR.
1122.XII.
Abaelardus se-
cedit ad solitu-
dinem Trecenti-
sem.
a V. lib. 73. n.
85. & 86.

b supra n. 2.

XIII.
Petri Venera-
bilis ad eum
epistolae.
c Petr. Vener.
lib. 1. ep. 9. &
10.d id. lib. 4.
ep. 21.
e id. lib. 1.
ep. 26.

de Choseio, Hugonis prioris de Crispeio, & aliorum. In illa Creciacensi cella debebant esse tres monachi, priore computato.

Post Sueffionense concilium, de quo paullo ante egimus, Abaelardus ad S. Dionysii remissus coenobium, cum ibi nec quiesceret, nec fratres quiescere sineret, inconsulto & insalutato abbate ad Pruvinsensem S. Aigulfi cellam^a clam se recepit, ubi a priore sibi familiari benigne acceptus est. Forte accidit, ut Adam S. Dionysii abbas Pruvinum adiret, de quibusdam negotiis cum Theobaldo comite colloquium habiturus. Hac occasione usus Abaelardus, comitem cum praedicto priore adiit, rogavitque, ut per eum a suo abbate dimissionem & absolutionem impetraret. Inito consilio, id negavit abbas, ratus in sui monasterii dedecus versum iri, si ille ad aliam abbatiam, uti velle videbatur, migraret; eique sub poena excommunicationis praecipit, ut quantocius ad S. Dionysium rediret. Interim post paucos dies defunctus^b est abbas, & in ejus locum Sugerius substitutus. Mox eum cum episcopo Meldensi, Burchardo scilicet mox laudato, convenit Abaelardus, ut sibi, quod ab ejus antecessore petierat, concederet. Primo non acquievit Sugerius; verum Ludovici regis, ejusque optimatum interventu, tandem quod volebat impetravit, nimirum ut ad quam vellet solitudinem transfret, dummodo nulli se abbatiae subjiceret. Tum ille ad solitarium quemdam locum Trecentis pagi, sibi ante cognitum, se contulit: ubi assensu episcopi in praediolo ipsi a quibusdam concessio, oratorium in nomine sanctae Trinitatis ex calamis & culmo primum construxit, ibidemque cum quodam clerico suo non diu latavit. Id enim cum rescivissent scholares, relictis urbibus & frequentibus locis undique ad eum concurrere coeperunt, casulas sibi ad Arduzonem fluviolum aedificantes, pro delicatis cibis herbis agrestitibus & cibario pane victitantes, ita ut eremitae potius quam scholares viderentur. Cum autem oratorium angustius esset, quam ut omnes posset capere; iidem scholares aliud magis amplum ex lapidibus & lignis construxerunt: quod cum in nomine sanctae Trinitatis primitus conditum esset ac dedicatum; quia divinae gratiae consolatione illic recreatus fuit Abaelardus, *Paraclitum* placuit appellari. Ea res ipsi alias rixas concivit, sed maxime antiqui ejus aemuli Albericus & Lotulfus *quosdam adversus eum novos apostolos*, ut ejus verbis utar, *quibus mundus plurimum credebat, excitaverunt: quorum alter regularium canonicorum vitam, alter monachorum se suscitasse gloriabatur*. Hi sine dubio erant Norbertus Praemonstratensium auctor, (nam Willelmus de Campellis jam obierat) & Bernardus Clara-vallensis abbas, qui de Abaelardi *tam fide, quam vita adeo sinistra disseminaverunt*, ut ipsos quoque ejus amicorum praecipuos averterint, & qui adhuc pristini amoris erga eum aliquid retinerent, hoc ipsi metu illorum dissimulaverint. Cum itaque sic exagritus, loco cedere cogitaret Abaelardus, mortuo abbate S. Gildasii Ruyensis in Britannia, ipse ejus successor a monachis electus est: ubi quam varia ejus fortuna fuerit, inferius videbimus.

Dum Abaelardus in illa Trecenti cella demoraretur, scholasticae haberet, binas ad eum epistolas Petrus^c Venerabilis scripsit, quarum prior *dilecto filio suo magistro Petro*; posterior, *Praecordiali filio magistro Petro* inscripta est, cui *amorem verae sapientiae* optat *frater Petrus humilis Cluniacensium abbas*, uti in omnibus suis epistolis se dicit vir modestissimus. Andreas Chesnius in notis has epistolas Petro Pictaviensi monacho, ipsius Petri Venerabilis notario directas fuisse existimavit. at nullus dubitem, eas Petro Abaelardo tribuendas, quem simpliciter magistrum Petrum alias^d vocat: contra vero cum Petro Pictaviensi monacho scribit, nusquam eum magistrum, sed carissimum fratrem^e & filium vocat. Certe poeta erat, non philosophiae magister, qualis fuit Petrus ille magister, ad quem binae illae epistolae scriptae sunt. In priori Petro magistro, *laboranti in seculari litteraturae scientia & gravi humanorum studiorum fasce onustato* compatitur venerabilis abbas, eumque *tempus inaniter consumere* ingemiscit, vera philosophia insuper habita, in qua vera beatitudo consistit, quae sine Platonice meditationibus, sine Academicorum disputationibus & Aristotelicis laqueis invenitur. *Deserat*, inquit, *docentis cathedram homo, quoniam ad docendum residet Deus homo*. Beati, ait, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. *Quid igitur, carissime, scholas oberras? quid & doceris, & docere conaris?* Et infra. *Curre ergo, fili mi, ad propositam tibi a caelesti magistro totius philosophiae unicum fructum, regni caelorum beatitudinem: quam adipisci non poteris, nisi per veram spiritus paupertatem*. In posteriori eundem hortatur, ut qua-

libet ei ad salutem obstantia forti annisu exsuperet, & non per latam & spatiosam viam, quae ducit ad mortem, sed per angustam, quae ducit ad vitam, sibi gradientum esse agnoscat. Ex quibus intelligitur, id vitae genus Abaelardi Petro Venerabili, uti nec Bernardo, aliisque praestantioribus viris, minime probatum fuisse.

Antequam Abaelardi *Paraclitum* dimittamus, (sic loco illi nomen inditum mox diximus) haud ab re videtur hic observare trium sanctissimae Trinitatis, cui dedicatum ejus loci oratorium est, personarum exstantes figuras, ad humanam staturam ex uno lapide fabrefactas, quas Abaelardus ipse fabricari curavit, insolito, ut in omnibus insolitus erat, modo. Pater in medio positus est cum toga talari, stola e collo pendente & ad pectus decussata, atque ad cingulum adstricta; cum corona clausa in capite & globo in sinistra manu; pallio superindutus, quod ad duas hinc inde personas extenditur, cujus e fibula pendet lembus deauratus his verbis adscriptis, *Filius meus es tu*. Ad Patris dexteram stat Filius cum simili toga, sed absque cingulo, habens in manibus crucem pectori appositam, & ad sinistram partem lembum cum his verbis, *Pater meus es tu*. Ad sinistram exstat Spiritus-sanctus consimili toga indutus, decussatas super pectus habens manus cum hoc dicto, *Ego utriusque spiraculum*. Filius coronam spineam, Spiritus-sanctus olearem gerit. uterque respicit Patrem, qui calceatus est, non duae aliae personae. Eadem in tribus vultus species & forma.

Exstat in eodem Trecenti pago Arremarense monasterium, cui annexa erat ecclesia S. Johannis-Baptistae de Castello intra muros Trecentis. Utrique se beneficium exhibuit Hugo Treccassinus comes, qui secunda^a vice Jerosolymam profecturus, apud Aedam civitatem, die festo sanctorum apostolorum Simonis & Judae, Arremarense monasterio & ecclesiae S. Johannis-Baptistae de Castello, & monachis in eis Deo famulantibus; Gualterio scilicet abbati, ejusque successoribus, donavit *sextarium frumenti, panem, vinum & spatulam porci: quae omnia singulis annis monachi S. Johannis de Castello soliti erant donare ad portam civitatis, quae versus abbatiam Arremarensem posita est*. Cum vero idem comes e locis sacris rediisset, rogatu Gualterii abbatis eandem donationem confirmavit. *Actum est hoc publice apud Treccassinam urbem in claustro S. Johannis-Baptistae de Castello VII. idus Octobris, anno ab incarnatione Domini MCXXII. primo anno pontificatus domni Attonis Treccassinae urbis episcopi*. Camuzatus observat, hunc S. Johannis prioratum modo S. Blasii nomine insignitum esse.

Ad Attonem seu Hattonem episcopum quod attinet, eum ante pontificatum monachum fuisse censuit Camuzatus, & post eum plerique alii: at contrarium evincitur tum ex Petro Venerabili, tum ex epistola Petri prioris ecclesiae S. Johannis-Evangelistae apud Senonas. Petrus quippe Venerabilis in duobus^b ad eum epistolis eum redarguit, quod tam diu monachi votum & promissionem implere differat; urgetque, ut, *quod non dedit amicitiae juvenus, conferat saltem senectus*. at Petrus prior in epistola, apud Severtium edita, ubi de Joceranno episcopo Marisconenensi, omnem Attonis vitae seriem paucis ita comprehendit: *Ceterum ad te, carissime pater, filium verto, tuaeque felicitati totus congaudeo, quem Senonensis ecclesiae decanum & archidiaconum habuit, Treccassina sedes pontificem gloriosum obtinuit, Cluniacum civem sanctorum & domesticum Dei facit*. Non ergo ante, sed post episcopatum monachus fuit Atto, cui haec epistola sic inscripta est: *Dulcissimo domino & patri suo venerando pontifici Hattoni, caputio beati Benedicti feliciter laureato*. Ex quibus manifeste patet, eum non modo Cluniacum secessisse, sed monastico illic habitu indutum fuisse. Plura de eo in consequentibus, ubi eum Ripartorii auctorem esse videbimus.

In chronico Benigniano valde perturbatus est ordo S. Benigni monasterii abbatum, ut superius^c jam monuimus. Henricus abbas huic loco jam praerat anno MCXIX. quo anno Hugo de Blasiaco miles, infirmitate praeventus quatuor jugera terra dat cellae Sarmatiensi^d tempore domni abbatis *Heinrici, existente priore Umberto Divionensi hujus Sarmatiensis cellae*. Post tres annos, id est anno MCXXII. in quo sistimus, Riquinus Tullensis ecclesiae praesul, tanta se *Divionensis* coenobii caritate ac fraternitate connexum, necnon domni *Heinrici ejusdem loci abbatis amicitia ac familiaritate devinctum* testatur, ut non solum praecedentium in sua dioecesi beneficia eis confirmare, sed etiam in omnibus eorum utilitati providere statuerit.

XIV.
S. Trinitatis
insolite figurat.XV.
Arremarense
monasterio do-
natio facta.
a Camuzat p.
286.XVI.
Atto episcopus
non monachus
ante episcopatum.
b Petr. Ven.
lib. 2. ep. 50. &
lib. 4. ep. 27.XVII.
S. Benigno fa-
ctae donationes
ejusque abba-
tes.
c lib. 72. n. 20.
d Perard p.
214. V. p. 220.
e id. p. 222.

ANN CHR 1122. Quapropter Bertiniacæ-curtis cellæ ecclesias antea datas confirmat, renovatque anathemata, quæ Jacob episcopus Bertiniacæ-curtis fundator protulit, necnon venerabilis Bruno, Romanæ sedis postmodum pontifex, qui ipsam ecclesiam propria manu sacraverat. Eodem Heinrico abbate Hugo dux^a Burgundiæ, fratris sui *Heinrici mortis turbatus, laude Mathildis uxoris suæ*, S. Benigno donat, quidquid in Longo-vico possidebat, & quædam aliis in locis consuetudines & exactiones relaxat. quæ omnia Jocerannus episcopus Lingonensis confirmavit. Non multo post Heinrico abbati successit Hugo, qui amplissimum a Callisto II. privilegium^b obtinuit anno MCXXIV. Prædictus porro dux Hugo, ad S. Jacobum^c peregre profecturus, abbatem tunc temporis S. Benigni nomine Petrum, *sciens virum justum & sanctum, nec dubitans quod sanctitas illius ac justitia multum ipsi in illo itinere conferre possent*; ægre ab eodem obtinuit, ut ejus socius itineris esse dignaretur. Insuper capitulum cum suis militibus ingressus, fratrum precibus se commendavit; veniam de suis in eos malefactis postulavit, emendationem pollicitus, si ex illo itinere spes reverteretur. Hæc charta chronicis notis destituta est; at ex duobus aliis monumentis^d constat id factum tempore Willenci Lingonum episcopi, qui Joceranno successit anno MCXXV. Eidem Petro abbati teloneum quoddam Divionense confirmat Innocentius II. litteris anno MCXXXII. datis. Idem Petrus anno MCXXVII. concilio Trecenti interfuit. Duos ejusdem nominis abbates consequenter ponit chronographus, sed præpostere. nam primus ex his Petrus successit Ademaro^e Jarentonis successori: Petrum subsecuti sunt Henricus, Hugo, & Petrus secundus, cui Philippus successit, de quo alias.

Celebris fuit per id tempus Guido Remensis prior Longiæ-novæ prope Dolum, quem Rainaldus Burgundiæ comes sibi *specialiter & dilectum* esse dicit. Inter alias donationes ei factas, *Rainaldus & Burgundiæ comes, nobilissimi consulis Stephani filius, Guidonis Remensis precibus acquiescens*, contulit S. Benigno, *monachisque apud Longiam-novam manentibus terram, quæ est inter duas vias juxta Montiniacum, ut ibi vineam plantarent*. Actum apud Arboisium* ante ecclesiam beati Justi. Testis primus Wido, cognomento Abbas seu Guido, laudatus^h in placito Rainaldi Burgundiæ comitis, quo Guido princeps Junci-villæ* compulsus est ad restitutionem rerum ablatarum ecclesiæ Favenniæ & ecclesiæ S. Marcelli tempore duelli, quod *inter Ludovicum & Oliverium apud Junci-villam peractum est*.

XVIII. In Bonæ-vallensiⁱ Cisterciensium prope Viennam monasterio tunc temporis sub Johanne abbate duo magna fulgebant lumina, Amedeus & Petrus, quorum prima facta hic exhibere operæ pretium fuerit. Amedeus ex quodam suo castro Viennensis provinciæ, quod Altaripa dicitur, ex illustri Conradi imperatoris prosapia originem traxit. Guido Delphinus comes Albionensis, ejus *avunculus* dicitur. Monastica vitæ propositum, quod animo conceperat, Bernardi exemplo sexdecim militibus persuasit, quos secum ad prædictum Bonæ-vallis monasterium traxit. Ex his quidam conjugati erant, quorum uxores sexus sui monasteriis inclusæ fuerunt. Horum præcipui erant Amedeus pater, qui secum ejusdem nominis filium puerum duxit, Armannus Riparum*, & Berlio Morinei* domini. Ingressis Bonam-vallem exposuit Johannes abbas, quam difficilis sit disciplina Cisterciensis ordinis præ aliis. Deformes, inquit, tunicæ in ætate sunt graves & calidæ, & in tempore hiemali nimium frigidæ. Voluntas propria penitus abjicienda. Jejunia fere quotidiana usque ad nonam, & cibi insipidi. Ad hæc duri labores, vigiliæ & frequentes pro parvis etiam excessibus correptiones. Et quomodo hæc omnia, vos delicatuli, tolerare poteritis? Ad hæc Amedeus: Pater venerande, servos vestros nolite terrere. Multum peccavimus, & poenitentia omnes egemus: quam ut agamus, societatem vestram flexis genibus incunctanter postulamus. Tunc abbas: Non est nostri moris, inquit, quidquam relaxare nobilibus viris. Vobis satius & conducibilis fuerit ad alium ordinem mitiorem transire, cujus disciplinam sustinere possitis. His dictis, abbas eos in crastinum dimisit. Interim Amedeus commilitones verbis efficacibus confirmat. Postera die, missa celebrata, redit abbas ad tirones: qui ad ejus pedes prostrati, se suscipi obtestantur. Assensit abbas; tumque illi suscepti ducuntur ad cellam novitiorum, ubi solido anno probati fuerunt. quo expleto, omnes pariter consecrati monasticum habitum induerunt. Præ omnibus ad humiliora quæque officia se demittebat Amedeus, petiitque a suo abbate, ut omnium prebyterorum cal-

Guido Remensis Longiæ-novæ prior.

f Perard p. 229.

g p. 227. V. 230.

* Arbois.

h ibid. p. 229.

* de Joinville.

XVIII.

Amedei in Bonæ-vallensi monastica professio.

i lib. 73. n. 59.

* de Rives.

* de Morigny.

ceamenta sibi perungere liceret, indignum reputans, ut iis manibus, quibus sacrosanctum dominicum corpus contrectabant; tam foetenti unguine id est axungia, proprios calceos perungerent.

Erat, ut jam dixi, Amedeo patri junior filius ejusdem nominis, quem secum Bonam-vallem duxit. Is, monasticæ professioni necdum habilis & idoneus, apud Bonam-vallem nihilo minus retentus est, dum adoleceret, litterisque esset eruditus. At, cum id minus studiose fieret quam optasset pater; hic filium quasi neglectum reputans, abbati supplicavit, ut peritus filio didascalus provideretur. quod ubi rejecit abbas, tam impatienter hanc repulsam pater tulit, ut, relicta Bona-vallē, cum filio Cluniacum clam migraverit. Illic mox honorifice susceptus, album nigro mutavit, proxima post abbatem sede collocatus. Susceptus quoque cum gaudio Amedeus filius, quem pater non multo post in Germaniam, ad consanguineum suum Conradum imperatorem misit, a quo nominatissimis doctoribus erudiendus traditur. Henricum imperatorem Conradi loco reponit Manricus, & Amedeum Cluniaci admissum putavit, non a Petro Venerabili, sed a Pontio ejus antecessore, longe ante Conradi imperatoris principatum. At forte retinendum Conradi nomen, a cujus prosapia ortum fuisse Amedeum ipsius Amedei vitæ scriptor initio testatur; adeoque Conradus anticipato imperator ab anonymo Amedei vitæ scriptore dictus sit. Post paucos dies quam Amedeus Cluniacum migraverat, recurrit animo facta in Bona-vallē professio; tum scandalum fociis datum, quibus ipse dux in sancta professione fuerat; ad hæc longe dispares Cluniacensium ritus ac mores. quæ omnia tantum ei dolorem attulerunt, ut Bonam-vallem quamprimum reverti constituerit. Petita itaque a Cluniacensibus discedendi facultate & obtenta, Bonam-vallem redit; abbatem fratresque cum multis lacrymis obsecrat suppliciter, ut tanta prævaricatio sibi ignoscatur. Ad triduum dilatus ad portam a Johanne abbate: Absit, inquit, ut ego transgressor sceleratissimus, tam cito sacro vestro conventui restituar. Hic mihi mea expianda culpa, dum poenitentia mea omnibus circumquaque positis, quos culpa offendit, innotescat. Tantum ut ad januam vestram inter mendicos vestris eleemosynis pascar. Fecit quod dixerat, & post multos sibi concessos extra conventum poenitentia dies, nec sic tamen in coetum fratrum se recipi sustinebat: sed tandem abbatis imperio adductus, longioris poenitentia spatium humilibus officiis deinceps redimere non cessavit: sicque post multos in ordine & pro ordine labores, apud Bonam-vallem sanctissime devixit. Ejus vitam scripsit anonymus ejusdem loci monachus & æqualis jussu Burnonis de Voyronē prioris Bonæ-vallensis.

Quod attinet ad filium Amedeum, qui patri petra scandali fuerat; postquam litteris apprime imbutus fuit in aula Conradi propinqui sui; patris, ut creditur, precibus ac lacrymis ad sequendum ejus exemplum animatus, non ad Bonam-vallem, ne patri forte denuo esset offendiculo, sed ad Claram-vallem se recepit: ubi a Bernardo susceptus, tam religiose se gessit, ut Bibiano Altæcumbæ in Genevensi pago primo abbati succedere, & vivente adhuc patre Lausanensis episcopus fieri meruerit: quo munere strenue perfunctus, ad patris consortium in cælum tandem migravit.

Bonæ-vallensium qualis tunc disciplina & vivendi ratio fuerit, ex Amedei senioris vitæ scriptore anonymo discimus, quod totidem ejus verbis referendum videtur. *Monachi per semetipsos excolebant novalia, succidebant silvas, dumeta exstirpabant: quæ iterum arefacta ipsi iterum nihilo minus succendebant, contos, quos vulgo furcones vocant, tenentes in manibus, quibus, ut mos est novalium, titiones submovebant. Cumque tota die in ejusmodi servitio laborassent, tam solis calore, quam ignis ardore vehementer fatigati, instar fabrorum denigrati, circa horam nonam prandendi gratia domum repedabant; & statim signo lavandi pulsato, corporis ardore adhuc æstuantes, intrabant refectorium, ubi, quicquid apponebatur, pro deliciis habebatur fame cogente. Pulmentum quippe nullum fame præstantius. Panis erat spurcus lotio & vicia mixtus. Parva libra vini, laticis plus habens quam meri. Scutellæ plenæ rapis atque oleribus afferebantur illis pro piscibus. His dapibus pasti, gratias referebant omnium largitori; diei reliquum lectionibus vacantes usque ad vespertinum, & completorii officio devotissime celebrato; summo cum silentio dormitorium intrabant; singulisque stratis singulariter accubabant. Pro fulcro lecti filtrum, & pro vulpini copertorii erat vile sagum. Sacculus avenæ folliculis plenus nonnullis erat pro pulviniari. Circa noctis medium surgebant digesti ad vigiliam: cum hiemalis temporis dæ-*

ANN. CHR. 1122.

XIX. Amedeus ob neglectam filii eruditionem migrat Cluniacum.

Amedeus ejus filius abbas & episcopus.

XX. Bonæ-vallensium qualis disciplina.

ANN. CHR. 1122.

noctes continuæ vix sufficerent illis ad somni requiem capeffendam. Ad hunc fere modum Cartusienfes, teste Guigone ad lectum habebant framen, filtrum, cooperitorium de grossis ovium pellibus rustico panno coopertum. Sic Galterio Pontifarenfi abbati lectus filtrum erat, & vilis matta cilicio tecta. Ubi filtrum seu feltrum panus est lanæ incontextus. unde Gallis *feutre*. Hæc erat piiffimorum illorum monachorum disciplina, a quorum exemplo heu! nos, remiffi & dejecti animi homines, quam longe absumus. At faltem fuppleat aliquo modo pudor & humilitas quod minus agimus, & noftra parva & inferiora accurate & religiofe obfervemus.

XXI. Petri Tarentasienfis vitæ primordia.

Is, inquam, erat vivendi modus Bonæ-vallensîs cœnobii monachorum, cum Petrus, futurus ille magnus Tarentasienfis ecclesiæ archipræful, illic secessit. Natus est in pago Viennenfi parentibus fecundum sæculum fortunæ mediocris, at fecundum Deum in bonis operibus præstantibus. Huic germanus erat frater Lambertus, quem parentes litteris addiscendis adhibuere: Petrus alteri deputatus officio, unctiõne magis quam eruditione magistra, litteras potius rapuit, quam didicit. Sic præventus in benedictionibus dulcedinis, a pueritia maturam sibi induit gravitatem, lectiõnis amans, ludorum fugitans, quibus illa potiffimum ætas delectari solet. Ex eo tempore parentes legirima liberorum procreatione contenti, eremiticam in sæculo vitam aggressi, continentia & abstinentiæ operam dare, & amplius solito bonis operibus & eleemofynis se exercere cœperunt, ita ut domus eorum xenodochium pauperum esse videretur. His potiffimum studium erat religiosos fuscipere viros, in primis Cartusienfes & Bonæ-vallenses, quorum salutaria consilia sibi sectanda proponebant. Interim Petrus junior (nam pater eodem nomine vocabatur) adolefcentiæ tempus attigerat; tumque suadente Johanne Bonæ-vallis abbate, cui pater eum commendaverat, ad idem cœnobium se contulit, ibique divino obsequio sub regula & abbate se consecrare decrevit. Nec mora votum vovit, & votum religiosissime solvit. Lambertum quoque fratrem eodem secum traxit: qui & ipse laudabiliter ibidem conversatus, postmodum in cœnobio, quod *Charistacum dicitur*, abbatis officio strenue functus est, ibidemque defunctus. Vix Petrus tirocinii tempus expleverat, cum Johannes abbas eum vas electionis esse probe intelligens, per diversos illum gradus ad diversa promovit officia, in quibus eum quanto perfectiorem, tanto modestiorem & humiliorem expertus est. Interim post sex abhinc annos conditum est in dioecesi Tarentasienfi novum monasterium, *Stramedium* * vocabulo, in confinio duarum provinciarum, eoque missa e Bona-valle colonia monachorum, quibus Petrus communibus omnium votis abbas propositus est. Missus itaque ad locum horridum & aridum, in arduis rupibus, & quod magis incommodum videbatur, positum juxta publicam stratum, commeantium multitudine jugiter frequentatum, hæc occasione usus est ad peregrinos & pauperes excipiendos, quibus non modo cibos, sed etiam vestes & quæque necessaria suppeditabat. Eamdem erga pauperes humanitatem, velut hereditariam gratiam eidem cœnobio reliquit: adeo ut, teste Gaufrido Altracumbæ abbate ejus vitæ scriptore, *celebris hodieque fama pronuntiet, Stramedienfes, supra multos abundantiores, magis humanos & amplius liberales*. Tandem, postquam Stramedienfi monasterio decem annis præfuisset, ad Tarentasiensem archiepiscopatum promotus est. His quæ de Petri, fratrisque Lamberti conversione ex Gaufrido abbate retulimus, addit Manricus, tamquam ex eodem auctore, Petrum, antequam abbatis officio fungeretur, utrumque parentem e sæculo eripuisse, ac fratrem Andream, se natu minorem secum traxisse. Et patrem quidem in Bona-valle constituisse; matrem vero in collegio sanctimonialium, loco qui dicitur S. Pauli, ubi Cisterciensium instituta servabantur: cui adhuc novellæ plantationi Petrus ad præceptum abbatis sui multis annis profuerit magis quam præfuerit. quæ in nullis Gaufridi exemplaribus legere memini.

XXII. Humbelinæ Bernardi sororis conversio.

Sub idem tempus contigit Humbelinæ Bernardi sororis conversio. Hæc conjugio alligata & sæculo dedita, cum in divitiis & deliciis sæculi periclitaretur, divino instinctu aliquando Claram-vallem ad invisendos fratres adiit cum superbo comiratu & apparatu. Rogatus ad eam visendam Bernardus, nequaquam assensit, immo eam, uti rete diaboli ad capiendas animas comparatum, se exhorrire testatus est. Nec mitius cum ea egit. Andreas ipsius frater, quem forte ad portam illa offenderat. Cum itaque nullus ex ipsius fratribus ei occurrere dignaretur; hæc multo pudore affecta & compuncta vehementer, *Esti peccatrix sum, inquit, tamen pro talibus Christus mortuus*

tuus est, nec improbanda, quod bonorum colloquium & consilium requiro. Si despiciat frater meus carnem meam, saltem animam meam servus Dei ne despiciat. Veniat, præcipiat: quidquid præceperit facere parata sum. Sub hæc promissione exiit ad eam cum fratribus Bernardus: & quia eam a marito separare non poterat, primo omnem ei vestium luxum & pompam interdixit, præscripta eidem forma vitæ, in qua mater sua multo tempore cum viro vixerat. Illa vero ad propria reversa & omnino mutata, in cunctis præcepto fratris paruit, in medio sæculi vitam solitariam deinceps ducens, vigiliis, jejuniis & precibus insistens, ab omnibus prorsus sæculi actibus se faciens alienam. Sic integro biennio cum viro suo vixit: qui tandem ejus constantia victus, eam liberam a se dimisit, facultate ei concessa serviendi Deo ubicumque vellet. Illa vero optata libertate potita, se recepit ad Juliacense seu Julleium monasterium instituti Molismensis, ut superius vidimus, ubi cum sanctimonialibus inibi Deo servientibus reliquum vitæ suæ Deo vovit, inquit Willhelmus; & tantam ei Dominus gratiam contulit sanctitatis, ut non minus animo, quam carne illorum probaretur virorum Dei esse germana. In libello de vita beati Petri prioris Juliacensis *sancta Humbelina* seu Humbelina soror beati Bernardi vocatur: ubi longa infirmitate fessa cum finem vitæ præstolaretur, venisse ad eam dicuntur fratres sui, & alii quamplures religiosi viri, cupientes sanctissimo ejus transitui interesse: inter quos aderat etiam beatus Petrus, qui tertia die post completorium, dum cubitum reverteretur cum Vincentio capellano suo, instantem ejus obitum angeli admonitu didicisse fertur, ejusque fratres ad sanctæ illius animæ egressum convenisse. Ex quo intelligitur, Humbelinam obiisse ante annum MCXXXVI. qui Petri Juliacensis supremus fuisse videtur.

Cisterciensium severiora instituta prætulit quoque Vitalis^d, Saviniacensis in Neustria monasterii auctor & primus abbas, qui postquam illud decem annis rexisset, laborum suorum præmium recepturus, hoc anno ad Christum migravit, ut in chronico Saviniacensi legitur. Ordericus^e Vitalis, qui septem tantum regiminis annos ei tribuit, eum ab eruditione, verbi Dei prædicandi facultate & efficacia magnopere laudat, tamen rigidiora ejus instituta non omnino probat. Tum ejus obitum describit in hunc modum: *In oratorio post aliquantam ægritudinem, in qua fideliter confessus fuerat, & sacra communionis viaticum devote perceperat, ad matutinos de sancta Virgine Maria lectori poscenti benedictionem dedit, & a cunctis qui aderant dicto Amen, mox spiritum exhalavit*. Diem non exprimit Ordericus nec Saviniacensis chronographus, qui eum beatum vocat, uti & ejus successorem de quo ita scribit: *Huic successit beatus Gaufridus Bajocensis monachus, vir admodum literatus, & in religione fervens, generis nobilitate pollens, sed vitæ sanctitate excellens. Hic multa monasteria edificavit, & consuetudines prioribus altiores Savignienses imposuit*. Similia de eo tradit Ordericus, qui eum Goisfredum vocat, & Cerasiensis monachum fuisse dicit, atque immoderatis adinventionibus studuisse, durumque jugum super cervices discipulorum aggravasse. Prædictus etiam chronographus Gaufridum Cerasiensis cœnobii monachum fuisse tradit, agens de Serlone abbate, qui monasteria sua Cisterciensi Ordini aggregavit, ut suo loco dicturi sumus.

Preliosam quoque mortem obiit hoc anno Serlo alter, Sagiensis episcopus ex abbate Uticenti. Hic postquam *Salariensem*, ut Ordericus loquitur, episcopatum triginta duobus annis optime rexisset, vii. kal. Novembris in cathedrali S. Gervasii martyris ecclesia missam cantavit. qua finita, canonicis & ministris ecclesiæ vocatis dixit: *Ætate & debilitate fractus, vitæ meæ finem imminere sentio. Domino Deo, qui me vobis sui vicarium dedit, vos commendo, precorque, ut ejus clementiam pro me exoretis. Superest ut sepulturæ meæ locus præparetur, quia tempus habitationis meæ inter vos prope est ut finiatur. Dein cum clero ad capellam sanctæ Dei-genitricis Mariæ perrexit, ibique ante aram pastorali baculo sepulturæ suæ locum designavit, fufisque precibus aqua benedicta illum lustravit. Mox operæ fossam ligonibus suffodiunt, & terram egerunt: cæmentarii vero latomique lapideum fircophagum marculis excavant, & episcopo, quasi exanimis jam esset, coaptant. Postera die, quæ feria sexta erat, in ecclesiam ingressus, ut missam, quam frequentare solebat, celebraret; plus animo quam corpore vicens, amictum super caput posuit: sed trementibus membris illam inchoare veritus, capellano suo id officii injunxit. Missa peracta, canonicos omnes ad prandium simul convenire jussit,*

Annal. Bened. Tom. VI.

M

ANN. CHR. 1122.

a lib. 71. n. 52.

b ibid. n. 53.

c Chifflet de gen. S. Bern. p. 156.

XXIII. Vitalis abbas Saviniaci obit. d. V. lib. 72. n. 43. c Orderic. lib. 8. p. 715.

Gaufridus ei succedit. f Baluz. miscell. to. 2. p. 210.

XXIV. Serlonis episcopi Sagiensis obitus. g Orderic. lib. 12. p. 877. h V. lib. 68. n. 4.

ANN. CHR.
1122.

ut quod ex rebus ecclesie ipsi restabat, ad ejus utilitatem coram illis distribueret; sicque nudus ad Deum migraret. Ad mensam hora nona fedit, sed de supernis tantum cogitans, nihil comedit: alios autem vix edere præ tristitia valentes pabulo doctrinæ cælestis refecit. E mensa post epulas surrecturis nuntius advenit, qui duos cardinales Romanos, Petrum & Gregorium adesse significavit. Vigilia sanctorum apostolorum Simonis & Judæ tunc agebatur. Mox præsul clericis dispensatoribus suis ac ministris præcepit, ut legatos *universalis patris* ea qua par erat reverentia & liberalitate exciperent. Inter ea, dum illis competens obsequium exhiberetur, episcopus in cathedra sedens, quasi obdormisset, defunctus est; adeoque reversi ministri dominum suum mortuum invenerunt, multisque lacrymis luxerunt. Sequenti die in præparato triduo ante sepulcro humatus est a Johanne Lexoviensi episcopo, qui de obsidione Pontis-Aldemari ab Heinrico rege ad curandum episcopi funus missus fuerat. Subrogatus in defuncti locum Johannes ejus nepos, eruditione longe inferior. Nullum enim Nortmannia, Orderici judicio, Serlone eloquentiorem & facundiorum protulit. Hic staturæ mediocris erat, formæ in primis elegantis, cui ad eloquentiam suppetebat tam sæcularium, quam divinarum litterarum eruditio. Ceterum erga peccatores obfirmatos admodum austerus extitisse dicitur, in eos vero, quos scelerum suorum sincere poenitebat, clementissimus, & more pii patris erga languentem filium mitissimus. Præter hæc multa alia de eo se posse dicere ait Ordericus, qui eum intime noverat: *sed dicta mea*, inquit, *nequeunt ab illo mortem remove.*

XXV.
Radulfi quoque primatis Cantuariensis.

Paullo ante Serlonem morte quoque sublatus est Radulfus Cantuariensis primas, ante pontificatum abbas S. Martini Sagiensis, ex quo a Roffensi episcopatu ad Cantuariensem ecclesiam translatus fuerat anno nono. Obiit ex diuturna paralyti XIII. kal. Novembris, *presentibus filiis suis, glorioso scilicet agmine monachorum ejusdem loci, & tertio die abhinc in medio aulae majoris ecclesie decenter sepultus*, inquit Eadmerus, cujus historia Novorum, id est liber sextus, in illa verba definit. Gervasius Dorobernensis variat in assignando ejus mortis die, si tamen locus ejus sanus est, ubi Radulfus III. kal. Novembris mortuus dicitur. Variat quoque Willelmus Malmesburiensis, apud quem legitur XIII. kal. Novembris. *Hunc habuit finem, Radulfus, ait idem Willelmus, religione impar nulli, peritia litterarum magnifice pollens, affabilitate certe facile omnium primus: qui fortunarum amplitudine nihil plus acquisierit, nisi ut plus benefacere posset quibus vellet. Quamquam ad æstimationem vulgi tantum decedebat gloria, quantum accedebat fortuna. Ceterum nullius delicti suspitione vel levi notabilis, nisi quod ad risus & jocos inclinatio erat, quam vel dignitatis, vel gradus interesse videretur. Sed quæcumque faciebat, bono utique animo vir ille faciebat: de quo quidquam sinisterum suspicari, contra religionem est niti.* Præclarum sane elogium ab homine æquali, scilicet Willelmo, qui præmissis verbis actus Cantuariensium pontificum concludit. Hunc annum Radulfi obitus diserte assignat Eadmerus, præferendus Orderico^a, qui quidem eundem cum Eadmero diem, sed annum sequentem assignat; ejusque obitum hoc modo refert: Sub finem Paschalis pontificatus Radulfus Doroberniæ archiepiscopus ad regem Angliæ in Neustriam venit; indeque Romam, licet tumore pedum infirmaretur, proficisci cœpit. Verum, sparso de morte papæ rumore, legatos Romam direxit, ipse autem Rotomagum reversus, tribus fere annis in Nortmannia demoratus est. Illic, cum in translatione S. Benedicti, *qua a monachis festivo agitur*, finita missa vestibus sacris exueretur, acuta passione subito percussus obmutuit: sed post aliquot dies medicorum arte loquendi facultatem utcumque recuperavit. Deinde biennio paralyti affectus, vehiculo ad sedem suam relatus, inter suorum manus expiravit. Eo sedente litteras in Cantuariensi monasterio Christi floruisse probant aliquot codices manuscripti, inter quos insignis est ille, qui ab Eadwino monacho litteris aureis atque argenteis ac passim miniatis exaratus est. Ejus ætatem produnt characteris forma, & calendarium in quo ex recensitis archiepiscopis ultimus occurrit *Anselmus archiepiscopus piæ memoriæ*. ad diem vero IV. nonas Maii habetur *dedicatio ecclesie Christi*. Hunc Eadwinum non modo scriptorem peritum, sed etiam virum in sacris litteris versatum fuisse probant ea quæ in codice habentur, & ordo præclarus in illo servatus. Inter alia nonnulla eminet psalterium in tres columnas distributum cum adjunctis præfationibus ac commentariis, & precibus unicuique psalmo

^a Orderic. lib. 12. p. 873.ANN. CHR.
1122.

subjectis. In prima columna refertur psalterium quod vocant Gallicanum, cum glossis latinis; in secunda Romanum cum versione interlineari Normanno-Saxonica; in tertia denique Hebraicum cum versione Normanno-Gallica. quorum omnium specimen videre est apud Hikesium, in Thesaurio linguarum septentrionalium tomo 2. ubi de præclaris manuscriptis pag. 168. Idem auctor alios Eadwini libros ex bibliotheca Cottoniana laudat, quem auctorem ab Eadwino alium non esse censet. sed nos cœpta prosequamur.

Quid in eligendo successore contigerit, docet Gervasius. ait quippe post Radulfi obitum mense quarto, id est pridie nonas Februarii, factum esse conventum episcoporum, abbatum & procerum jussu regis apud Glocestriam ad substituendum pontificem in locum defuncti; jussu quoque regis ibidem convenisse quosdam ex monachis Cantuariensibus, patrem sibi electuros, sive suscepturos. Verum dum sui ordinis virum juxta morem a tempore beati Augustini servatum monachi expecterent, & episcopos omnes, quippe qui clerici erant, in hoc sibi infestos haberent; regis pedibus prostrati multis precibus flagitarunt, ne insuetæ professionis hominem contra morem antiquum sibi præponi sineret, cum tot haberet in Anglia monachos & abbates ad id munus idoneos. At episcopis obstantibus, cum inducias frustra petissent monachi, electus est demum Willelmus prior & canonicus S. Osithæ: cui post quindecim pontificatus annos successit Theobaldus Becensis abbas, de quo alias. De electione Willelmi queritur Ordericus, qui eum Curbuliensem^{*} vocat. *Ecce*, inquit, *antiquus mos pro invidia, qua clerici contra monachos urebantur, depravatus fuit.* quem morem ab Augustino invaluisse dicit. tum subdit: *Angli monachos, quia per eos ad Deum conversi sunt, indesinenter diligentes honoraverunt, ipsique clerici reverenter & benigne sibi monachos præferri gavisi sunt: nunc autem mores & leges mutatae sunt, & clerici, ut monachos conculcent & consulant, clericos extollunt.* Ea est hominum inconstantia.

XXVI.
Quid in eligendo successore actum.^{*} de Corbeil prope Parisios.

Cum Selebiense agri Eboracensis monasterium annis sex & viginti administrasset Hugo^a abbas, nimirum usque ad annum viciesimum tertium Heinrici regis; finem suum imminere præsentens, nolensque in prælatione^b vitam finire; ab archiepiscopo Turstino, nemine sciente, absolutionem curæ pastoralis flagitavit. Ille vero abbatis voluntati ægre assentiri visus est, adjunctisque sibi religiosi viris, Radulfo scilicet Dunelmensi, & altero Radulfo Orcadum episcopis, necnon Gaufrido S. Mariæ Eboracensis monasterii abbate, priore Pontefractensi, Selebiam, tamquam alia de causa tractaturus, advenit. His in capitulo confidentibus, Hugo abbas ex improvise surrexit, & solo prostratus dimissionem postulavit. Ad hæc consternati omnes, non modo monachi, qui suam orbitatem plangebant, sed etiam episcopi, obtestantur, ut ne commissum sibi gregem desereret. Verum, cum ille, nec precibus, nec lacrymis moveretur, immo urgentius instaret; statim eum archiepiscopus, qui eum non sincere diligebat, propterea quod ipsius electioni restitisset, absolvit: sed tamen non sine timore, veritus ne regis offensam incurreret, quod in ejus abbatiam manus temere injecisset. Ob hanc itaque causam baculum pastoralis, quem Hugo ei resignare voluit, recipere detrectavit, sed super altare deponi jussit. Interim domus exteriorem curam Willelmo Magno, qui ejus loci prior erat commisit. Sic curis pastoralibus exoneratus Hugo, noluit tamen a S. Germano loci patrono discedere, sed in vicino prædio vitam solitariam biennio egit. Postea domum reversus, morbo repente correptus, e vivis excessit, in capitulo honorifice humatus ab Herberto abbate ipsius successore. Carmen elegiacum vice epitaphii composuit monachus anonymus, qui historiam Selebiensis monasterii composuit.

XXVII.
Abbatibus Selebiensibus.
^a lib. 69. n. 46.
^b Labb. Bibl. to. 1. p. 607. 55
segg.

Qui Hugoni successus est Herbertus, assumtus ex S. Albani monasterio, optimus quidem monachus erat, sed melior futurus fuisset abbas, si columbinam ejus simplicitatem serpentis prudentia temperasset. Verum ita rebus interioribus, psalmodiæ, lectioni & silentio deditus erat, ut omnino abiceret rerum exteriorum curam, quæ ex incuria penitus labefactari cœperunt. Quapropter cum quatuor annis in præfectura persistisset, se ad eam minime idoneum agnoscens, onus sibi importabile deponere constituit. quod Johannes cardinalis, qui tunc legatus in Angliam venerat, probavit, eumque a regimine absolvit. quo facto, ille ad S. Albanum reversus est. Contrariam omnino vivendi rationem iniiit Durannus Herberti successor ex monacho S. Mariæ Eboracensis, litteratus quidem & facundus, sed totus in re-

ANN. CHR.
1122.

bus exterioribus, & corruptus moribus, ob idque, pastoris honore dejectus: quem cum recuperare non potuisset, Cluniacum se recepit; ubi aliquamdiu religiose conversatus, postmodum a Cluniacensi abbate præclarum in Anglia prioratum adeptus est. Post ejus dejectionem Selebienfe monasterium rectore destitutum perstitit ob fratrum in eligendo successore dissensionem: dum tandem Turstini archiepiscopi consilio Walterus prior Pontefractensis electus est. Hic multa virtute præditus, rerum exteriorum curam Willermo Magno commisit, dum ipse formandis ad regulæ amussim fratrum moribus totus vacaret. Contra Helias ejus successor totus fere *laicus* & sæcularis erat. quo amoto Germanus ei successus recte se gessit. Ubi videas quam inconstantes sint hominum mores. De hoc monasterio ejusque abbatibus duos libros scripsit monachus anonymus, qui in libro secundo varia miracula S. Germani Autisiodorensis episcopi Selebix patrata commemorat, usque ad annum millesimum centesimum septuagesimum, abbatis Gisleberti Germani successoris decimumquartum, fundati monasterii centesimum sextum, quo anno idem auctor hæc scribere aggressus est.

XXVIIII.
Andrenses
quoque abba-
tes.
a V. lib. 66. n.
69.

b Spicil. to. 9.
p. 381. & seqq.
c V. lib. 67. n.
98.
d Spicil. to. 9.
p. 414.
e ibid. p. 412.

XXIX.
Meduanæ ca-
pella Majoris-
monasterii mo-
nachis data.
* *Mayenne.*

XXX.
SS. Rufini &
Valerii ecclesia
Majori-mona-
sterio concessa.
* *Basoches.*
f V. lib. 68. n.
35.

Andrense in Morinis monasterium^a regebat hoc sæculo ineunte Gislebertus alter piæ memoriæ abbas, qui per novem annos tantum prior, postmodum per quindecim annos abbas primus, locum perquam laudabiliter rexit, & post mortem in basilica a se constructa sepultus est. Eo mortuo, abbatia quatuor annis vacavit, hinc Pictavenfibus scilicet Carrofenfibus monachis, a quibus Andrenses primitus informati fuerant, inde Flandrenfibus de eligendo successore dissentientibus: sed tandem electus est Rainaldus^b monachus Carrofenfis, benedictus a Johanne episcopo Morinensi, qui amplissimum ei privilegium hoc anno concessit, omnesque monasterii possessiones confirmavit. Idem abbas paulo ante Romam profectus, litteras apostolicæ tuitionis a Paschali papa obtinuerat, quas a Callisto papa renovari curavit. In charta Joannis episcopi inter testes numerantur Meingerus abbas Capellæ^c, & Ingelbertus abbas S. Johannis prope Tarvennam cui Folquinus^d abbas successit. Post mortem Rainaldi Andrenfis abbatis, quæ paulo post hunc annum contigit, vacavit aliquamdiu abbatialis sedes, ob Pictavenfium scilicet atque Flandrenfium dissensionem: sed tandem electus est Petrus^e Carbonellus monachus Carrofenfis, qui privilegium Balduini fundatoris sui, jam fere oblitteratum, a Manasse ejus successore ac filio renovari curavit. Hujus tempore monasterium conflavit, ut inferius videbimus.

Per id tempus in pago Cenomannensi Juhellus Gualterii filius, dominus castelli Meduanæ^{*}, monachos Majoris-monasterii, qui ecclesiam S. Martini trans pontem Meduanæ incolabant, in castrum suum transferre, eisque capellam suam dare constituit. Hæc animo agitant advenit Willelmus Majoris-monasterii abbas, cui consilium hac de re suum aperuit. Ad hæc reposuit abbas, id citra consensum & concessionem episcopi fieri non posse. Tum rogatus adfuit Hildebertus episcopus, in cujus manum Juhellus, annuentibus matre sua Adelina & sorore sua Felicia, prædictam capellam reddidit *per chordam signi* seu campanæ; eumque obsecravit, ut illam abbati Majoris-monasterii in usus monachorum ejus loci traderet. quod præsul libentissime præstitit. Hanc itaque capellam eo modo Juhellus abbati & monachis prædictis contulit pro animabus Gaufridi avi & Gualterii patris sui, necnon Hamelini sui fratris, atque matris & sororis prædictarum, eisque omnia, quæ ad eandem capellam pertinebant, donavit. Hanc porro donationem postea in capitulo Majoris-monasterii idem Juhellus ratam habuit: tum e capitulo in ecclesiam ingressus, *per quemdam fustem, quem manū tenebat, super altare dominicum posuit.* His præter alios Philippus regis Francorum filius præfens adfuisse traditur.

Apud Basilicas^{*}, pagi Sueffionensis opidum ad fluvium Vidulam, duæ sunt ecclesie: una S. Theobaldi confessoris, quæ in cellam^f Majoris-monasterii sub finem sæculi duodecimi erecta fuit: altera sanctorum martyrum Rufini & Valerii, qui locum illum passione sua illustrarunt. Hanc S. Remigius Remorum pontifex eximius fundasse, consecrasset, & numerofo clericorum collegio (septuaginta-duos numerat Hugo Basulensis dominus) decorasse traditur. Eiusdem ecclesie possessiones tractu temporis invasere Basulenses domini: sed tandem Hugo mox laudatus, hortatu Manassedis Sueffionum episcopi, assentiente uxore, Basilica, cum filiis suis, quædam eidem ecclesie restituit. Verum, cum nullo ejus rei scripto edito decessisset;

ANN. CHR.
1122.

set; Basilica ejus conjux, verita ne viri sui restitutio aliquando infirmaretur, instrumentum hac de re fieri curavit, & quædam de suo illi restitutioni addidit. *Actum publice Basilicis in ecclesia beatorum martyrum Rufini & Valerii* hoc anno; *Lisardo pontifice*, qui Manassedi seu Manasse successerat, *assistente*, qui hoc instrumentum sigillo suo roborari voluit. Non multo post hæc S. Rufini ecclesia cellæ S. Theobaldi unita fuit.

[Cum Guillelmus abbas in minori Britannia obedientias seu cellas Majoris-monasterii visitaret, accessit ad eum apud *Gahart* Donoaldus episcopus Aletensis, una cum Jacobo S. Petri de *Hilphendic* seu ut vocant de *Infendic* presbytero, & filio ejus Radulfo ejusdem ecclesie decano. Qui quidem Jacob ab Herveo patre quasi hereditario jure ecclesiam illam acceperat & hætenus possederat, *non sine grandi in Deum offensione.* Id probe noverat Radulfus filius ejus, qui haud illiteratus, patris sui auribus frequenter inculcabat vitiosam & contra canones esse possessionem ejus, utque suæ salutis provideret, traderet illam monachis Majoris-monasterii. Persuasus tandem nati sui sermonibus & exhortatione, ecclesiam in manu Donoaldi episcopi sui tradidit, qui assensu & rogatu tam ipsius quam David archidiaconi & Gradalonii capellani, *per cultellum* illam in manu Guillelmi abbatis donavit. *Actum apud Gahardum in dormitorio monachorum anno ab incarnatione Domini MCXXII. VI. idus Octobris, presentibus & concedentibus præfato archidiacono David & Gradalonio capellano, qui donum ipsum in manu jam dicti abbatis cum eodem cultello similiter posuerunt.* Sequenti die ad Radulfum Montisfortis dominum accedentes, gavifus est ille, *jam dudum enim animo gerebat Majoris-monasterii monachos juxta se hospitari;* donum Jacobi laudavit & confirmavit, totque beneficiis illud cumulavit, ut non immerito cellæ illius fundator haberi potuisset. *In crastino itaque sicut conditum ab eo fuerat, episcopus cum abbate, & eodem Radulfo, multisque aliis in ecclesia S. Mariæ quæ ejusdem Radulfi capella erat, generaliter convenerunt, ibique rursus coram omnibus qui aderant, idem Jacob & filius præfatum ecclesiam in manu episcopi per eundem cultellum reddiderunt: cujus donum vidente & concedente Radulfo de Monteforti in perpetuum possidendum Majori-monasterio concessit. Tertia demum die cum episcopus & abbas ad ecclesiam S. Petri de Hilphendic venissent, adstante copiosa populi multitudine, Guillelmum abbatem & suos de ipsa ecclesia per cordas signorum investivit Donoaldus. Hic est ille Donoaldus qui rediens e concilio Remensi, transiens per Majus-monasterium ecclesiam beatæ Mariæ de Comburnio hætenus ab injusto possessore hereditario jure detentam Willelmo abbati tradidit, ceterasque diocesis suæ ecclesias Majori-monasterio concessas confirmavit.]*

[Hæc dum in Britannia gererentur, Bartholomæus filius Gaufridi Pagani Vindocinensis, qui ecclesias *Cuscerii & Nucharii* hereditario jure remordente conscientia possidebat, eas assensu episcopi tradere Majori-monasterio cogitavit. Is erat celeberrimus ille Gaufridus episcopus Carnotensis, quem Willelmus abbas conveniens Blesas, benigne ab eo acceptus est. non solum assensit episcopus, sed de suo alia addidit. At cum urgentibus negotiis Blesis detineretur, Hugoni archipresbytero Vindocinensi in mandatis dedit, ut acceptas de manu Bartholomæi illas ecclesias Willelmo abbati nomine suo traderet. Sequenti hebdomada accedens ad Majus-monasterium, auditoque in capitulo exhortatorio ad fratres sermone, societatem precum & bonorum operum ipsorum participationem pro se suisque canonicis expetiit: quod illi cum gratanter concessum esset, id quod a suo archipresbytero factum fuerat confirmavit anno MCXXII.]

[Eodem anno veniens ad cellam suæ diocesis villam Belfordii dictam, cum omni caritate & honore a monachis exceptus est, auditoque ad officium signo, ad oratorium cum fratribus oraturus convolvit, quod cum ligneum, parvum & sine ornatu vidisset, tanta humilitate tactus intrinsecus, petentibus monachis ut lapideam sibi liceret ædificare ecclesiam, statim annuit, permisitque ut & signa haberent. Hæc ideo referimus ut illorum temporum disciplinam discamus, quibus non licebat monachis ecclesias destruere, & novas ædificare sine consensu episcopi.]

[Gaufridus Dinanensis dominus, qui tot jam beneficiis Majus cumulaverat monasterium, peccata sua elemosynis redimere cupiens, ditissima duo Maneria *Helpefort & Nouelle* in Anglia ab Henrico rege sibi tradita, fratribus S. Martini Majoris-monasterii hoc anno MCXXII. donavit, donumque illud super altare S. Maclovii

XXXI.
Fundatio cellæ
S. Petri de In-
fendic.

XXXII.
Ecclesie Cus-
cerii & Nu-
charii datæ Ma-
jori-monaste-
rio.

XXXIII.
Belfordienfium
ecclesia fit la-
pidea.

XXXIV.
Duo etiam
maneria in An-
glia Majori-
monasterio
concessa.

ANN. CHR.
1122.

Dinanensis posuit: posuerunt & cum eo Oliverius primogenitus alique ejus filii; concessit & Orieldis ejus uxor, quæ sibi & suis longe magis profuturas preces monachorum declaravit. Ut autem magis stabile permaneret illud donum, ab Henrico rege confirmari fecit.]

XXXV.
S. Mariæ de
Campis cella
Mettensis &
Rufacensis.

Præter quatuor suburbana virorum monasteria Mettensis civitatis, & quintum S. Vincentii intramuranum, de quibus in superioribus egimus, aliud beatæ Mariæ de Campis extra urbem hoc tempore conditum memoratur. Ejus auctores fuere Caziacenses Brigenfis tractus monachi, qui illud in fundo S. Clementis abbatiæ construxerunt, assentiente Adelone sancti Clementis abbate; ob idque ejus loci rectoribus illius cellæ inspectio a Caziacensi abbate commissa. Magna illic vigeat erga beatissimam Virginem fidelium devotio; nec minor religio erat illius cellæ monachorum, per quos cella S. Valentini de Rufaco in Alfatia, quæ itidem a Caziacensi monasterio pendeat, non modo in ædificiis, sed etiam in regulari disciplina reformata est. Beatæ Mariæ de Campis prior erat Robertus pontificatu Hadriani IV. a quo privilegium obtinuit. Verum, cum a Mettensibus everfa fuisset hæc cella cum aliis suburbanis ecclesiis anno MCCCXLIV. ob imminentem urbis obsidionem per Renatum Lotharingæ ducem & Ludovicum Delphinum Caroli VII. filium; ejus loci monachi Caziacum remigrarunt, nec de instauranda cella deinceps cogitarunt, nec de servandis, recuperandisve ejus possessionibus, quæ partim in usus religiosorum S. Antonii de Ponte-Montionis*, partim in aliorum comoda conversæ sunt. Ad cellam Rufacensem quod attinet, a Caziacensibus monachis possessa fuit usque ad medium sæculum decimum-septimum: sed tandem cessit patribus Soc. Jesu.

* Pont-à-Montion.

XXXVI.
Mauriniana-
vallis monaste-
rium antiquum
* Morienval.
* le Valois.

Priusquam Galliam dimittamus paucis agendum de monasterio beatæ Mariæ Mauriniana-vallis, * quod sicut Caziacense ad dioccesim Sueffionensem pertinet, de quo nullam hæcenus fecimus mentionem. Situm est in pago Vadenfi, * Crispianum inter ac Compendium, cujus origo & antiquitas nobis hæcenus incomperata fuerat. Nuper autem illuc profecti ego, loci que noster Theodericus Ruinartus, quædam ibidem monumenta nobis communicata sunt a domina Magdalena de Serent ejus loci abbatissa, ex quibus, non quidem originem, sed antiquitatem illius monasterii didicimus. In primis nobis occurrit diploma Caroli Simplicis, in quo legitur, *quia comes venerabilis pariterque marchio & abbas monasterii sanctæ Mariæ Mauriniana-vallis Robertus nostram, inquit adiens serenitatem, expetiit quoddam renovare præceptum super res fratrum ac sanctimonialium supradicti cœnobii. Contigit enim illud cœnobium igne cremari, in quo exusta sunt præcepta, quæ virorum optimus avus noster Karolus de rebus eorumdem fratrum ac sanctimonialium fecerat per deprecationem bonæ memoriæ aviæ nostræ Irmintrudis imperatricis.* Qui has a Carolo Simplice litteras obtinuit Robertus & marchio, filius erat Roberti Fortis, frater autem Odonis regis, qui Caroli Simplicis minorennis tutor fuerat. Erat is abbas sæcularis (sic ferebant illa tempora) prædicti cœnobii Mauriniana-vallis, quem titulum prius usurpaverat Theodericus comes, quo deprecante Karlomanus Caroli Simplicis frater, eidem congregationi *dedit de jure suæ proprietatis fiscum qui vocatur Frasnedus*, * situm super fluvium Altonæ * in pago Silvanectensi, ut ejusdem Caroli Simplicis diploma nos docet, integrum in Appendice referendum. *Datum XIII. kal. Februarii indictione VIII. anno XXVIII. regnante Karolo rege glorioso, redintegrante XXIII. largiore vero hereditate indepta VIII. Actum castro Sueffionis feliciter.*

* Frenoy.
* Antone.

Ex hoc diplomate non constat, quis illius monasterii conditor fuerit. Nequaquam enim veri simile est, Carolum Calvum, qui res quasdam fratrum ac sanctimonialium usibus assignavit, primum ejus auctorem fuisse, aut tam cito contingere potuisse, ut sæcularibus abbatibus tam novum monasterium traditum fuisset. Loci traditio est, Dagobertum primum ejus esse fundatorem, sed mera conjectura. Ut ut sit, ex prædicto diplomate evincitur olim duplex fuisse, ut in plerisque sanctimonialium locis, hoc monasterium, virorum scilicet ac sanctimonialium; & certe multis magnisque dotatum prædiis ac possessionibus, quæ in illo diplomate enumerantur. Monachis succedere canonici: sed modo locus ad solas sanctimoniales redactus est.

XXXVII.
S. Annoberti
episcopi cor-

Ad illud monasterium processu temporis translatum est corpus S. Annoberti episcopi Sagienfis, cujus depositio ibidem XVII. kal. Maii, translatio kalendis Sep-

ANN. CHR.
1122.
pus illic translatum & acta.
a lib. 17. n. 66.

tembris celebratur. In ejus festo depositionis lectiones secundi nocturni de Communi leguntur. at in festo translationis & per totam octavam propriæ sunt, sed mutilæ, & ita mendosæ, ut vix quidquam sani ex illis possit elici. quod sane nobis maxime displicet, propterea quod nihil fere de hoc Sancto, præter ea quæ in tomo I. Annalium nostrorum diximus, addisci possit. In prædictis lectionibus *beatus Annobertus, cum Almanisco* (sic enim legendum puto, quod monasterium est in territorio Sagienfi) *religiose sub monachali ordine viveret*, a Chedulfo abbate famulo Christi pro causa beatæ Mariæ ad Childericum regem directus fuisse dicitur, eique suggestisse negotium, pro quo eum adierat; rex vero nullo responso dato ad venationem perrexisset: sed inter venandum, invento Annoberto, in quadam basilica, ubi hic missam celebrabat, ejus postulatis demum annuisset. Dein vir Dei ipsum cœnobium, quod antecessor suus Chedulfo ædificaverat regendum accepit post Baldricum, haud dubie Chedulfi successorem, qui monachos laxius vivere per ignaviam & nimiam simplicitatem sivit. Hos cum ad officium revocare vellet Annobertus, & secundum regulam beati Benedicti doceret vivere, eorum in se odium & furorem eo usque ita excitavit, ut ipsius necem machinati sint. Quod ubi vicinis pontificibus, abbatibus, comitibus & viris illustribus innotuisset; hi ad ipsum monasterium Ebriciacum accedentes, monachos tantæ impietatis reos ab eodem cœnobio expulerunt, & alios quidem per alia monasteria disperferunt, alios exilio deputaverunt. Verum beatus Annobertus, bonum pro malo rependere volens, eos misericorditer revocavit, eisque, quidquid in ipsum deliquerant benigne indulgit. Hic nihilominus in proposito constans, eos hortari non desinebat, ut secundum sanctorum patrum instituta viverent, & normam sibi traditam servarent. Hinc tanta in illa congregatione distractio tenebatur, ut, si quis horas canonicas psallendo aliquid deliquisset, ipsa die a potu abstineret, sed tamen senibus veniam poscentibus indulgebat.

Tunc temporis in basilica Duorum-gemellorum diocesis Bajocassinæ canonica vita ducebat. quam apostolicus vir Gerebaldus pontifex, quem vir Dei Annobertus in primitiis suæ confessionis erudierat, ad monasticum ordinem revocare volens, Annoberto assentiente monachos Ebriciaci cœnobii ad ipsam basilicam Duorum-gemellorum direxit, ut monasticus ordo secundum regulam sanctorum patrum ibidem observaretur. quod quidem Deo miserante feliciter successit; idemque in aliis cœnobiis tam virorum, quam feminarum seu virginum factum est. Forre aliquando Annoberti animum hæc subit cogitatio, quis umquam similis beato Benedicto exstitisset, & tantas virtutes divinitus patrasset. Moxque ei revelatum est, ut ejus exempla imitaretur, & tunc demum ei similis fieret. Quo ex tempore Annobertus spiritu prophetiæ præditus fuisse dicitur. Denique ubi prædicta cœnobia annis triginta & uno rexisset, iis relictis, cum uno tantum socio, nomine Turpino in solitudinem secessit.

Hæc sunt quæ ex illis lectionibus elicere licuit, in quibus nihil de primis Annoberti annis, nihil de ejus episcopatu habetur. Post hæc de ejus translatione ad Mauriniana-vallis cœnobium agitur, quod factum est, cum ejus corpus *ad lærandas fidelium eleemosynas* per provincias deferretur. Ubi vero ad illud cœnobium delatum fuisset; tanto pondere illic defixum dicitur, ut illinc amoveri non potuerit. Illic hodie quoque præcipuo cultu honoratur vir sanctus, & multa per eum beneficia invocantibus præstantur. Jam vero quodnam sit illud Ebriciacum monasterium, quod Chedulfo abbas ædificasse traditur, & post eum Baldricus & Annobertus rexere, nobis incomperatum. Nisi sit *Liberiacum* * monasterium, quod Gerebaldus Bajocensis episcopus, modo laudatus, construxisse b dicitur. Quod attinet ad monasterium Duorum-gemellorum, de eo sæpius in nostris Annalibus actum est. Porro visum est esse aliquod operæ pretium lectiones ipsas ex legendario Mauriniansi in Appendicem referre, quas adeo ibi cum Caroli charta ex apographo descripta invenies.

* Livray.
b Neustria pia
p. 345.

De Mauriniana-vallis primis abbatissis nulla notitia relicta est. Nulla nobis occurrit antiquior, quam Petronilla, cui terra *de Janzy* a domino Petra-fontis anno MCCCII. tradita est. Sequitur Adalina seu Adeluya, cujus tempore, ut in veteri codice evangeliorum legitur, quædam Ingelberga, *sacro sancto habitu cum esset induta*, Betoncurtis altare, quod in vadimonio fuerat, redemit eo pacto, ut *Adalina Deo donante Morini-vallis abbatissa, sororibus loci ejusdem pisces vel ova, aut ali-*

XXXVIII.
Abbatissæ ejus
loci.

ANN. CHR.
1122.

quid boni edenda omnibus secundis feriis concedat. Quo minus tamen hæc Mathilde prior censeatur, illud obstat, quod Petrus Silvanectensis episcopus altare Betoncurtis eidem Mathildi contulit. Ad hæc Clarembaldus ejusdem ecclesiæ episcopus qui in vulgatis indicibus Petrum antecedit, præbendam in ecclesia Betoncurtis anno MCXXXVII. donat Cæciliæ abbatissæ, cui Simon Noviomensis episcopus decimas quasdam anno MCXLVIII. confert. Petronilla ejus nominis secunda abbatissæ præerat anno MCLXI. & MCLXXXVI. quæ privilegium adepta est ab Alexandro III. quo monasterii possessiones omnes confirmantur, in his parochialis S. Dionysii in eodem loco ecclesia, cujus presbyter a monasterii abbatissæ pendet. In monasterii ecclesia, quæ perantiqua est, existat inter alios tumulus Agnetis de Viri abbatissæ cum hæc epitaphio: *Hic jacet Agnes de Viri abbatissa Morgnevallis.*

*Quisquis eris qui transieris, sta, perlege, plora.
Sum quod eris, fueramque quod es; pro me, precor, ora.*

Huic adhæret absque epitaphio tumulus liliis respersus comitissæ, ut puto, Vandenfis, coronâ redimitæ, cum catena aurea e collo ad pectus pendente & cingulo ad genua; ad cujus pedes religiosa quædam orantis in modum insculpta est. In Necrologio beatæ Mariæ Sueffionensis, Agnes abbatissa *Morignivallis* notatur XIV. kal. Junii, & III. Idus Augusti Agnes de Taurino abbatissa *Mornevallis*. Similiter XI. kal. Februarii, Cecilia abbatissa *Morignivallis*, & X. kal. Septemb. Cecilia abbatissa *Maurivallis*. Denique II. nonas Octobris Guiburgis de *Basoches* abbatissa *Morignivallis*. De aliis abbatissis agendum in nova editione Galliæ christianæ.

In Italia hoc anno ad cælestem vitam transisse dicitur sanctus Berardus seu Eberhardus episcopus Aprutinus* seu Theramensis* seu Interamniensis, quem Casini primum monachum, inde ad monasterium sancti Johannis Auxanenſe translatum fuisse tradunt, priusquam ad Aprutinam regni Neapolitani sedem promoveretur. Colitur apud Aprutinos XIV. kal. Januarii, ob insignem in pauperes & orphanos caritatem commendatus.

Eodem anno Arduinus monachus & abbas S. Sabini monasterii Placentini ad ejusdem urbis episcopatum provectus est. Ejus consilio & ope S. Bernardus Clara-vallensis abbas inſigne S. Mariæ de Columba monasterium, clero & populo fundum & suppetias conferente, quinto-decimo ab urbe lapide ædificavit in loco, qui antea Caretum vocabatur. Arduini hac de re litteras, anno MCXXXVI. datas^a retulit Ughellus, in quibus idem præsul ait, se carissimum in Christo fratrem suum Bernardum, sanctæ Clara-vallensis congregationis religiosissimum abbatem, obnixè rogasse, ut religiosissimos ejusdem congregationis fratres, qui in suo episcopatu cœnobium fundarent, concederet. quod ille benigne annuerit. Idem Ughellus refert diploma Innocentii II. anno sequenti datum, inſcriptumque *Carissimo in Christo filio Bernardo Clara-vallensi abbati ejusque successoribus regulariter substituendis in loco, qui Columba dicitur, & Caretum antiquitus vocabatur.* quo diplomate confirmat omnes ejus loci possessiones, eas maxime, quas illustrissimus vir Palavicinus marchio & nobilis signifer Placentinæ civitatis contulerat. Fato functus est Arduinus anno MCXLVII. sepultusque apud S. Sabinum.

Eodem anno Girardus Casinensis abbas a Beneventanis^b brachium S. Matthæi apostoli dono accepit, eo pacto, ut Beneventanos, qui monachi fieri vellent, gratuito in suum monasterium admittet. Idem brachium ibidem hodie quoque in theca argentea in brachii formam fabrefacta servatur. Anagninæ Callistus papa verfabatur XIV. kal. Octobris, quo die Augerio abbati S. Salvatoris Lutevensis privilegium concessit datum per manum Hugonis S. R. E. subdiaconi, quo deinceps notario usus est, anno pontificatus sui quarto, indictione prima a Septembri inchoata.

[Per id tempus Eustachius comes Boloniensis ob salutem animæ suæ, Idæ comitissæ, Godefridi regis Jerosolymitani, atque *Balduni qui ei in regno successit*, terram quam Sithiense S. Bertini monasterium *infra ministerium de Merk* possidet, quæque *ad elemosynas pauperum* assignata erat, a comitatu & omnimoda consuetudine, necnon ab omni prorsus exactiōe liberam facit: quæ quidem libertatis concessio ab ipso Eustachio apud Capellam facta est, post reditum meum, inquit, ab Jerosolymis anno XX. Dominicæ autem incarnationis MCXXII. indictione XV. regnante Ludovico rege in Francia, necnon Danense Carolo marchionatum administrante in Flan-

XXXIX.
Berardus & Arduinus episcopi.
* d'Abuzzo.
* de Teramo.^a Ital. sac.
no. 2. p. 263.XL.
S. Matthæi brachium Casini.
^b Chron. Casin.
lib. 4. c. 73.XLI.
Libertas concessa Merkenſi terræ S. BertiniANN. CHR.
1122.

dria, præsentie Johanne Morinorum episcopo. Subſcribunt Eustachius comes, Heribertus archidiaconus, Walterus archidiaconus, Lambertus abbas S. Bertini, Balduinus abbas S. Wlmari, Rainaldus abbas Andernensis, Mengerus abbas de Capella, Alulfus cancellarius, Rodulfus filius comitis Eustachii, Arnoldus de Anda, Eustachius vicecomes, Balduinus Constabularius. Paucis post annis idem Eustachius factus Cluniacensis monachus, ibidem sepultus est.]

Postero anno ejus sæculi viceſimo-tertio Girardus abbas Casinensis mox laudatus, tum provectæ ætatis, cum vigiliis defunctorum pro anniversario^a ipsius antecessoris Oderisii primi interesset, imposuissetque antiphonam *Anima mea Deo vivit*, quæ tunc prima erat secundi nocturni, videre sibi visus est prædictum Oderisium pone altare, innuentem ad se ut veniret. quo viso sibi mortem imminere intelligens, flens & ejulans ad cameram suam rediit, & percontantibus fratribus cur fieret, se brevi moriturum prædixit. Certe non multo post morbo correptus, sexto-decimo kalendas Februarias hujus anni ad Oderisii abbatis consortium ejus anima evolavit, sepultusque est in capitulo ad caput Desiderii abbatis.

Mox congregati fratres alterum Oderisium communi assensu abbatem^b elegerunt. Hic ex Sangrorum comitum profapia ortus, *sub sanctæ memoriæ Oderisii* primo monachus ibidem factus, ac liberalibus disciplinis apprime eruditus, Girardo abbate præpositi officium cum multa prudentia gessit. Cum autem ejus merita Paschali papæ innotuissent, diaconus in Lateranensi ecclesia constitutus est. Eo abbate electo, fratres ejus electionem litteris significarunt Callisto papæ, qui eam statim confirmavit, atque ut is Romam consecrandus accederet, præcepit. Ille itaque pontificis mandato morem gerens, mense Martio Urbem adiit, ubi tunc synodus habebatur. Illic a pontifice honorifice acceptus, consecratusque est, & a cardinalibus, nobilibusque Romanis magna cum reverentia habitus.

Prædictam synodum Lateranensem, quæ generalis fuit, Baronius & plerique alii ad præcedentem annum revocarunt: at illam hoc anno, & quidem mense Martio habitam fuisse viri docti^c postmodum observarunt, probatque manifeste in primis Sugerius, qui anno suæ ordinationis secundo eidem interfuit, ut ipse diserte testatur in libro de vita Ludovici Grossi his verbis: *d* *Sequente itaque ordinationis nostræ anno, ne ingratitude argueremur, (sancta quippe Romana ecclesia ante nostram promotionem, tam Romæ, quam alibi, multis & diversis conciliis tam pro ecclesia nostra, quam pro aliis agentem benigne susceperat, gratanter differentem audierat, negotia nostra & me alternis exererat) ad eam visitandam properantes, a domino papa Callisto & tota curia honorifice valde recepti per sex menses, cum apud eum demorando magno concilio trecentorum aut amplius episcoporum Lateranis compositioni pacis de querela investiturarum adfuissemus, &c.* In illo itaque generali concilio facta est concordia de investituris, quæ biennio ante in conventu Wormatiensi cum Heinrico imperatore composita fuerat. In eodem concilio editi sunt etiam vigintiduo canones, in quibus nihil fere ad res nostras pertinet.

In eadem synodo, referente Petro^f diacono, episcopi occasione Casinensium conquesti sunt de monachis, quod ecclesias, villas, & decimas usurparent, dicentes nihil superesse, nisi ut ipsi episcopi, sublatis virgis pastoralibus & anulis, deservirent monachis. Verum quidam episcopus Liguriæ, quem Petrus haud nominat, monachorum causam defendit; dixitque, non sine causa præcedentes episcopos monasteriis beneficia contulisse. Ab incunabulis ecclesiæ duos fuisse ordines: unum, qui laboraret in verbo & doctrina: alterum, qui orationi vacaret: id est unum, qui activæ, alterum qui contemplativæ vitæ insisteret. Itaque monachos potius diligendos quam insectandos. Ad hæc Callistus imperato silentio dixit: Casinensem ecclesiam per Jesum-Christum fundatam esse, cujus imperio S. Benedictus locum illum ab idolorum sordibus expurgaverat, & tum miraculorum prodigiis, tum corporis sui sepultura toti orbi spectabilem reddiderat, & totius monastici ordinis caput fecerat. Ceterum sacrum illum locum, a Romanis pontificibus instauratum, Romanæ ecclesiæ in adversis solatium hæctenus existisse, in prosperis gratissimam stationem. Quapropter antecessorum suorum exemplo se decernere, ut sacrum illud cœnobium cum suis adjunctis ab omni mortalium jugo immune semper liberum & quietum permaneret. Soluta concilio abbas Oderisius Casinum revertit, Su-

Annal. Bened. Tom. VI.

N

ANN. CHR.
1122.
XLII.
Girardo abbati Casinati succedit Oderisius II.
^a Chron. Casin.
lib. 4. c. 77.^b ibid. s. 78.XLIII.
Romana synodus generalis.
^c Conc. to. 10.
p. 893.
^d Chron. to. 4.
p. 311.
^e V. supra n. 2.XLIV.
Casinensis cœnobii immunitas in eo asserta.
^f Chron. Casin.
lib. 4. c. 77.

ANN. CHR. 1123.
Sugerius e concilio ut redit.

gerius Dionysianus abbas illuc Oderisium comitatus est, ut ipse post præmissa subdit; indeque S. Bartholomæum Beneventi, S. Matthæum Salerni, S. Nicolaum Bari, sanctos Angelos Gargani lustravit; & postmodum cum gratia & domini papæ amore, & formatis epistolis prospere domum remeavit.

XLV.
Lambertus cardinalis Oderisio infensus.
a *ibid.* c. 84.

Oderisio abbate Lambertus Ostiensis episcopus, is qui postea Honorius II. dictus est, Casinum adiit, eundemque abbatem rogavit, ut hospitium sibi suisque in monasterio S. Mariæ in Pallara, uti Leoni antecessori suo concessum fuerat, concederet. At veritus abbas ne locum illum ecclesia Casinensis tandem amitteret, quem Lambertus quasi ex jure antecessoris sui petebat; respondit id sibi non licere. quo responso episcopus offensus, statim cum indignatione recessit, ultionem in opportunum tempus reservans. Baronius hunc locum ita interpretatur, quasi Lambertus ab Oderisio contentus sit, eique hospitium denegaverit. quare Oderisii rusticitatem cum stomacho detestans episcopus, Casino recesserit. Verum, ut recte monet Angelus de Nuce, ob hospitium non Casini, sed in monasterio beatæ Mariæ in Pallara sibi denegatum excanduit Lambertus, qui re vera in Casinensi hospes erat, cum monasterium illud, quod Romæ situm erat, sibi in hospitium, quemadmodum antecessori suo Leoni ex monacho Casinensi, concedi postulabat. quod non immerito denegavit Oderisius, ne præscriptionis titulo locus ille monasterio suo deperiret. Verum id non impune tulit Oderisius, ab Honorio, ut in consequentibus dicitur, post biennium depositus.

XLVI.
Casino missa colonia Ragusam.
b *ibid.* c. 80.

Per id tempus Savinus, nobilissimus Dalmata, duos scyphos argenteos librarum circiter novem Casinum misit, rogavitque multa prece abbatem, ut quosdam e fratribus in Dalmatiam mitteret ad monasticum ordinem in Dalmatia instituendum, quod magno rei publicæ commodo verteret. Abbas vero nil moratus, tres e suo monasterio fratres cum libris sacris & ecclesiastica suppellectile illuc direxit: quibus Savinus annuente Callisto papa, concessu Raguliorum archiepiscopi, beatæ Mariæ ecclesiam in loco, qui dicitur Rabiata, prope urbem Ragulam cum portu, piscatione, ceterisque adjunctis donavit. Illic constructum monasterium, quod etiam nunc perstat. Paulo post idem Callistus Casinum profectus, Gotfridum Cicanensem comitem ad restituendum S. Benedicto monasterium S. Petri in Iscleta sub anathematis pœna induxit, indeque Beneventum se contulit. Tunc etiam in Sardinia Homo-Dei & Albertus episcopi; in Dalmatia vero Petronius & Adenulfus abbates e Casino dati sunt, ut Petrus diaconus testatur.

Casinas quidam illustres.

XLVII.
S. Macarii cella abbatiæ S. Crucis subjecta
* S. Macary.

Præter argumenta hæcenus allata de tempore habiti generalis concilii Lateranensis, aliud insuper nobis suppeditat Callisti papæ rescriptum, *Androni abbati & monachis sanctæ Crucis* Burdegalensis directum, quo S. Macarii * monachos, qui se ab eorum subjectione sequestrare sæpius tentaverant, in eorumdem potestatem redigit pontifex, & locum privatæ abbatiæ titulo, quem illi usurpaverant. Posita est hæc cella in pago Burdegalensi ad oceanum, S. Crucis monasterio concessa anno MXXXVII. a Wilhelmo Aquitanie comite & Wasconie duce. Ejus cellæ monachi post varias artes, demum a Girardo Engolismensi episcopo & apostolicæ sedis legato virgæ abbatialem dolo & arte impetrarunt.

XLVIII.
Callisti hæc de re rescriptum.

Verum Callistus papa, vocatis ad suam audientiam partibus, subreptum privilegium rescidit, edito concilii tempore hæc de causa rescripto, quod ex archivo sanctæ Crucis hic referre visum est.

Calixtus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Androni abbati & monachis sanctæ Crucis salutem & apostolicam benedictionem. Inter vos & monachos sancti Macarii de subjectione & obedientia querimonia est agitata: & quidem vos fratres illos in religione vestrique subjectione cœnobii retinere juxta vestram consuetudinem volebatis; ipsi autem rebelles vobis inobedientes effecti a vestra subjectione se subtrahere nitebantur. Proinde à Burdegalensi archiepiscopo evocati ad præsentiam ejus venerunt, sed ipsius & religiosorum abbatum ac monachorum qui aderant, obedire judicio contemserunt. qua de re ab ipso excommunicati sunt. Tunc illi magis contra vos se erigentes, ad legatum nostrum Girardum Engolismensem episcopum perrexerunt & ab eo virgæ quendam pastoralem dictam quibusdam subreptionibus acceperunt, cujus virgæ occasione sancti Macarii ecclesiam per se abbatiam esse liberam voluerunt, sicut monasterium sanctæ Crucis existit. Deinde archiepiscopus ad nostrum concilium evocatus, eos mandatis suis & monitis evocavit, ut de transgressione hac in nostra præsentia re-

ANN. CHR. 1123.

sponderent. Cum autem utrique ad nostram præsentiam venissetis, & illi à nobis inducias postulassent; diem utrique parti præfiximus, qua coram nobis & nostris fratribus querimonia spiretur. Die igitur constituta vos adfuitis, sed altera pars a conspectu nostro se absentavit. Nobis ergo & fratribus nostris justum & rationabile visum est, ut neque vos vestra fraudari justitia, neque illi de sua debuissent lucrari absentia. Idcirco in generali fratrum nostrorum, episcoporum & cardinalium & aliorum, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum ac religiosorum virorum concilio collaudavimus, ut prædicta sancti Macarii ecclesia, sicut ab antiquo fuit, ita & in posterum in vestri monasterii sit obedientia & dispositione subjecta. Ille vero baculus sive subreptionis virga in vestrum dominium redigatur, & ne aliquod de cetero scandalum moveat omnino frangatur. Si quis autem hanc nostram & generalis concilii constitutionem & collaudationem aliqua temeritate infregerit, sancti Spiritus judicio & indignationi sedis apostolicæ subiacebit. Monachi autem sancti Macarii excommunicatione, qua & a nobis & archiepiscopo percussi sunt, tamdiu teneantur, donec ad abbatis sanctæ Crucis obedientiam revertantur. Ego Callixtus catholice ecclesiæ episcopus. Datum Laterani per manum Hugonis sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconi III. kal. Aprilis indictione 2. anno incarnationis dominicæ MXXXIII. pontificatus autem domni Callixti II. papæ anno v.

Hæcenus Callisti rescriptum de cella S. Macarii, qui pontifex paulo ante, id est XIII. kal. Martii ejusdem anni, privilegium apostolicæ tuitionis Pontio abbati Saviniacensis monasterii agri Lugdunensis indulserat.

Consimilem inter sese habuere litem Montis-majoris prope Arelate, & S. Remigii apud Remos abbates super matrice ecclesia S. Martini villæ, seu opidi S. Remigii diocesis Avenionensis, quam Aribertus episcopus ineunte hoc sæculo monachis Remigianis sub annuo censu concesserat. Erat in eadem villa capella S. Mariæ, de jure Montis-majoris monachorum, qui parochialia ejus loci jura usurpare moliebantur. Re ad Paschalis & Gelasii pontificum audientiam delata, & secundum Remigianos definita, Montis-majoris nihilominus monachi eorum judicio non acquievere. Causa itaque ad Callistum relata, superiorum pontificum sententia confirmatur. Sed nec sic horum contumacia cessit. Eandem igitur litem Eugenius III. Gaufrido Avenionensi episcopo discutiendam & terminandam commisit, cujus sententiam Alexander III. postmodum confirmavit. Hæc omnia constant ex actis in Appendice relatis. Illic prioratus est Remensi S. Remigii monasterio subjectus. Callisti ea de re privilegium datum est *Lateranis die XIX. kal. Junii*, id est Maii XVI. cum paulo ante, scilicet die sexta ejusdem mensis, altare majus ecclesiæ sanctæ Mariæ in Cosmedin dedicasset, reconditis in eo multis sanctorum reliquiis, quæ a Gelasio II. donatæ fuerant, ut testatur inscriptio ejusdem ævi, supra idem altare ad latus epistolæ affixa. Observandum forte est, quod inter ceteras, *de reliquiis cimiterii sanctæ Mariæ ad Martyres* recenseantur. Hanc porro ecclesiam, quæ diu sancti Pauli monasterio subjecta fuerat, in collegialem erexit Leo X. anno MDXIII. eique præfecit unum archipresbyterum, institutis ibidem novem canonicis, totidemque præbendis.

Tunc temporis in Gallia legati apostolici erant Petrus & Gregorius, qui postmodum de summo pontificatu, mortuo Honorio, cum antea concordēs & amici fuissent, gravem ac longam contentionem habuerunt. Apud Sagium mense Octobri anni præcedentis adfuerunt, cum Serlo episcopus extremos spiritus ageret. Non multo post in urbem Carnutum convenere, uti discimus ex litteris Gaufridi Rotomagensis archiepiscopi, quibus donationem ecclesiæ S. Martini de Nogento super Andelam, Majori-monasterio factam confirmavit. In his litteris Gaufridus archiepiscopus notum facit, quod Amalricus Monfortensis, Ebroicensis comes, suusque parochianus, ipsum adierit ac precatus sit, ut ecclesiam beati Martini, quæ dicitur de Nogento super fluvium Andelam apud Veliocasses, a suis progenitoribus, qui eam contruxerant, quasi hereditario jure sibi provenientem, monachis Majori-monasterii emendandam & reformandam concederet. Amalrici postulatis libenter annuit archipræful, tum propter eorumdem monachorum notam ubique religionem; tum quia sperabat fore ut ecclesiam quam monachi alii minus regulares inhabitaverant, in ampliorem religionem per eos restitueret. Actum hoc anno apud Rotomagum, præsentibus Terbaldo Blesensi comite, Evano Majori-monasterii sa-

XLIX.
Remigianis afferta villæ S. Remigii parochialia jura.

L.
Nogenti ecclesiæ Majori-monasterio data.

a V. Append.

b V. Orderic. lib. 12. p. 876.

ANN. CHR. 1123. *crifta, & aliis. Dehinc ipfo anno necdum tranſaſto, eandem donationem ratam habuit apud Carnotum IV. idus Martii in eccleſia beatae Mariae, tempore concilii ibidem a Romanae eccleſiae cardinalibus & legatis, Petro preſbytero & Gregorio diacono ſolemniter celebrati, ubi interfuere ex monachis Majoris-monasterii dominus Willelmus abbas, Laurentius prior, Rainaldus de Caſtro-Gunterii notarius; ex clericis archiepiſcopi Gaufridus decanus ipſius nepos, & dominus Guido de Stampis archidiaconus. Praedictum concilium apud Carnotum habitum fuit anno ſequenti, cujus nulla inſuper notitia praeterquam in chronico Malliacenſi.*

L I.
Alia donatio.

Tunc etiam Robertus Rupium dominus inſulam in Ligeri monaſterio adjacentem eiſdem monachis contulit, eo pacto, ut arbitrio monachorum eccleſia illic fieret, in eaque monachus ſacerdos quotidie pro ipſius ſuorumque ſalute preces Deo ſunderet. Nec mora illic exſtructa ex ligno S. Nicolai eccleſia, quod locus ſolitariuſ eſſet & meditationi orationique maxime idoneus; rogatuſque Giſlebertus Turonum archiepiſcopus, ut *aquam episcopaliter benedictam* illic ſpergere dignaretur. quod libenter praestitit, & capellam ligneam, dum oratorium ex lapide fieret, intus & foris eadem aqua adſperſit. Modo nulla manent illius S. Nicolai oratorii veſtigia, quod ad oram fluvii prope inferiorem portam monaſterii conſtructum paucis ab hinc annis everſum eſt.

L II.
Corbeiae veteris abbates.

Hoc etiam anno Nicolaus Corbeiae abbas, e Lotharingico reverſus itinere, mortem oppetiit pridie nonas Martii, ſepultus *ante cereum paſchalem in medio chori*, ut in veteri chronico legitur. Dum in Lotharingia anno praecedente verſaretur, Corbeiae novae fratres, cum in electione abbatis diſſentirent, eum conveniſſe dicuntur, ut conſilium eis & opem, tamquam pater filiis, praeretur, quod morte occupatus exſequi non potuerit. Verum id non omnino concordat cum Annalibus Corbeiae novae a Paulino editis, in quibus Erchinbertus abbas, anno MCVII. electus, nonniſi anno MCVIII. obiſſe memoratur. Fuerit ergo tunc alia illic diſſenſio, ad quam componendam Nicolaus invitatus ſit. Eo mortuo electus Robertus, cujus tempore ab opidanis Corbeiae veteris communia erecta fuit, Ludovico rege probante, qui monaſterio, ejuſque poſſeſſionibus omnimodam immunitatem, quae non diu tenuit, aſſertam voluit. Ejuſdem Roberti abbatis anno quinto-decimo monaſterium ex fortuito vicinae domus incendio totum conflagravit: cui inſtaurando Drogo Corbeiae caſtellanus ſilvae ſuae ligna liberaliter impendit. Multum quoque ad novam fabricam Bernardus Morolii dominus, monaſterii homo ligiuſ contulit: at nihil conferre voluit Galteriuſ Helliacenſis, qui non minus, quam illi, monaſterio obnoxius erat.

L III.
S. Theoderico facta reſtitutio.

Hic annuſ penultimuſ erat Radulſi Remorum archiepiſcopi, quo tempore iſ poſſeſſionem S. Theoderici, quam rex Theodericuſ eidem ſancto adhuc viventi ob reſuſcitataſ filiam ſuam donaviſſe traditur, e manibus invaſorum eripuit, & in placito curiae ſuae ejuſdem ſancti eccleſiae cum aliis praediis reſtitui praecipit. Teſtis inter alios magiſter Albericuſ, jam ſaepe a nobis laudatuſ. Actum Remis hoc anno Radulſi archiepiſcopi decimo-ſeptimo. Appenſum eſt ejuſ ſigillum ex rubea cera, in quo Radulſi Viridis effigies impreſſa, ampullam dextra, ſiniſtra baculum recurvum geſtantis. Nulla hiſ in litteris mentio Willelmi abbatis, qui forte tunc apud Claram-vallem inſirmuſ a S. Bernardo curandae valetudinis cauſa detinebatur. Haud ſcio an ad S. Theodericuſ reverſuſ erat anno ſequenti, cum Adelidis abbatiffa S. Johanniſ Laudunenſis eidem *Guillelmo abbati* quoddam pratum in villa Marcella, prato S. Theoderici contiguuſ, aliudque praedium juxta curtiuſ S. Theoderici, quae jam tribuſ abbatibuſ & tribuſ abbatiffiſ illiuſ coenobii monachi tenerant, ſub annuo cenſu denuo conceſſit. Hiſ litteriſ appoſita ſunt ſigna Bartholomaei epiſcopi Laudunenſis, Guidoniſ archidiaconi & alioruſ; & inter teſteſ ſanctimonialeſ S. Johanniſ Adelidiſ decana, Seonehildiſ & Emma. Appenſum eſt ſigillum Adelidiſ abbatiffae dextra pedum geſtantis cum lemmate ſuo, prout ſubjecta docet effigies.

ANN. CHR.
1123.



Marcella villa, in praemissis litteris memorata, ea esse videtur, quae sita * est prope * *Marchay* aedem beatae Mariae de Latitia, quam villam Karolus rex S. Theoderico ad usus monachorum donasse dicitur in necrologio his verbis: *v. kal. Februarii Karolus rex obiit, qui dedit Marcellam villam ad stipendia monachorum.* ubi post Karolus additum est *Magnus.* qui quidem ipso die decessit.

In Uticensi monasterio Rogerius abbas, non magis aetate quam aegritudine fractus, cum se jam oneri ferendo imparem sentiret, dimissionem ab Henrico Angliae rege, & successoris eligendi libertatem scripta epistola a postulavit, quam per duos e suis honorabiles monachos, Ernaldum de Telliolo & Gislebertum de Sartis, in Angliam ad regem misit. In hac epistola regi modeste significat, se consilio patrum spiritalium, archiepiſcopi Rotomagenſis, Lexoviensis epiſcopi, multorumque abbatum, cum eccleſiae ſuae magis obeſſe poſſet quam prodeſſe, regiam expoſcere clementiam, ut quem haecenus rex dilexerat, eundem modo inutilem & ad regimen minus idoneum a tanto onere liberum redderet, & congruum paſtorem monaſterio provideret. Ceterum ſe ad id petendum inductum fuiſſe nullo ſibi ſubditorum ſtudio aut odio, quippe qui ad omnia Dei, patriſque ſpirituſ mandata promti ſint, tractabiles & *obedienter paſſici*; adeoque ſe ſolam imbecillitatis & ſeneſcitatis impotentiam ad hanc dimiſſionem praetendere. Accepſit litteriſ, rex ſucceſſoriſ eligendi veniam Uticenſiſ indulſit. Electuſ Guarinuſ de Sartis, cognomento Parvuſ, cujuſ electio a rege probata; iſque a Johanne Lexoviensi epiſcopo ipſo die dominicae aſcenſionis abbas conſecratuſ eſt, in hoc maxime laudanduſ, quod Rogerio anteceſſori ſuo toto triduo, quo ille ſupervixit, omnimodam humanitatem & caritatem exhibuit. Rogerii epitaphium Ordericuſ compoſuit ac retulit, in quo iſ annis quinquaginta-quinque monachuſ, abbas triginta-tribuſ fuiſſe, & monachos nonaginta ſuſcepſiſſe perhibetur. Rogerio abbate, poſt mortem Guatardi ſeu Gunteri Thorneienſis in Anglia abbatiſ, Rodbertuſ Prunerienſis, vir litteratuſ, ^b eloquens & honeſtuſ, ex Uticenſi monaſterio ad illiuſ eccleſiae regimen, aſſuntuſ eſt. Ejuſ ſucceſſorum nomina habes in Monaſtico Anglicano.

In monasterio S. Michaelis-de-Monte Rogerius abbas, poſito baculo paſtorali ſuper altare ^d beati Michaeliſ, propter quamdam injuriam ſibi factam, Gemeticum remeavit, marcis viginti quinque (quod haecenus inſolituſ fuerat) ex reſtituſ S. Michaeliſ ipſi aſſignatiſ; iſque anno inſequenti mortuſ eſt [apud Gemeticum die ſecundo Aprilis mane hora quinta, ibidemque ſepultuſ. De eo in manuſcripto chronico S. Michaeliſ haec lego: *Iſte fecit multa bona in aediſſiſ & ornamentiſ, omneſ officinaſ quae combuſtae fuerant reparavit. Inſuper arcam clauſti quae priuſ erat lignea, lapideam fecit, & ſubiuſ ipſam, aulam & cameraſ lapideas, & in tertio ordine ſtabula equorum, fornicibuſ ſuper forniceſ libratiſ mirabiliter adaptavit.*] In ejuſ

N iij

L IV.
Rogerio abbati Uticenſi ſucceſſor Guarinuſ a Orderic. lib. 12. p. 273.

^b Orderic. lib. 12. p. 273.

^c Monuſt. to. 1. p. 251.

L V.
S. Michaeliſ de Monte abbateſ d Labb. to. 1. p. 351.

ANN. CHR.
1123.
a *ibid.* p. 359.

LVI.
Girardi monachi S. Albini vita & mors.

* *Brossay.*

* *Teles.*

* *Doë.*

locum successus est apud S. Michaëlem Richardus *de Mere*^a, monachus Cluniacensis, genere & moribus secundum seculum nobilis, alias pæne laicus: unde post tres annos & dimidium, consilio Heinrichi Anglorum regis & Matthæi Albanensis episcopi & legati, abbatiam abdicavit, & ad S. Pancratii monasterium in Anglia, ubi vitam monasticam professus erat, revertit. Interim abbatia fere per triennium fuit in manu regis, qui per ministros suos æs alienum septingentarum librarum, quod Richardus abbas mutuo acceperat, absque usura solvi curavit.

Apud Andecavos per id tempus in summa vitæ distinctione vivebat Girardus S. Albini monachus. Hic in Castro-Gunterii ingenuis parentibus natus, adolescentiæ & studiorum cursu inculpate exacto, jam sacerdos ad monasterium S. Albini se recepit: ubi in ipso tirocinio varias dæmonis artes in virtutis usum & proventum convertit. Tunc S. Albini cœnobio præerat Girardus abbas ejus nominis secundus, qui, explorata Girardi monachi virtute, rusticanum quoddam prædium, Brociacum* vocabulo, quod vir nobilis Berlaus S. Albino dederat, ei excolendum commisit. Illic oratorium ædificavit Girardus, ibique manuum suarum labore vivere cœpit. Victus illi cum bubulcis & pastoribus communis. Pane triticeo, vini potione & adipe penitus abstinebat, cilicio sub cuculla indutus, super asseres palea superposita cubare solitus. Revocatus ab illo prædio, & ad aliud, quod Sarmasias vocant, translatus, idem vitæ genus ducere perseveravit. Post hæc jussu abbatis reversus ad monasterium, pane hordeaceo cum aqua cinere adpersa confecto usus est, vino, piscibus, ac pulmentis prorsus rejectis. Porus ejus amarissimus, aqua scilicet cum foliis lauri cocta. Dein ad sublimiorem abstinentiæ gradum progrediens, ab omni pane & potu cœpit abstinere, herbis atque radicibus, pomisque arborum, nucibus & cepis contentus, quæ pro deliciis habebat. Inter hæc diurnis nocturnisque divinæ laudis officiis maxime intentus, sæpe pervigiles noctes ducebat. His omnibus ferreos nexus adjecit, quibus corporis varias partes cingebat. In tanta vitæ distinctione nulli tamen gravis erat, nec fratrum remissio vitam carpebat: sed nihilo minus abbas, ne singularis hæc vita ceteris fratribus offendiculo esset, privatam ei domunculam juxta ecclesiam ædificari jussit, ubi singulis diebus jejuniis vacans, post vespersas semel reficiebatur. Adjunctus erat domunculæ hortulus, quem decantandis psalmis excolebat. Hoc erat vitæ genus seu potius martyrium beati Girardi, ut miraculi instar fuerit, hominem fragilem tot perferendis tormentis parem fuisse. Non mirum itaque quod miracula patravit, cujus virtutem in primis expertæ sunt reclusæ duæ, una dicta Petronilla, quæ Andecavis apud S. Laurentium reclusa erat: altera Ofanna in vico, qui Trelaziacus* dicitur: quarum altera ex pane a viro Dei benedicto multis beatæ Mariæ de Roncereio sanctimonialibus infirmis salutem attulit: altera dato dimidio eundem panem nihilo minus integrum stupens adspexit. Nec prophetiæ spiritus ei defuit. quo in genere Gelasii papæ obitum, qui Cluniaci accidit, ipso die longe absens rescivit, & incendium Vizeliaci, quod xi. kal. Augusti contigit, dum vigiliæ agerentur. Extremo vitæ anno, cum Fulco Rechini filius, Andecavensium comes, Duatum* seu Theotvadum castrum obsideret: veritus vir Dei, ne proxima monasterii villa Brociacus, a se exculca, aliquid detrimenti a comitis exercitu pateretur, asello vectus illuc profectus est: unde cum rediisset, itineris & inediæ vexatione, simulque pondere vinculorum afflictus, iliorum dolore corripitur: quo per tres hebdomadas conflictatus, corpore & sanguine Jesu-Christi sæpius reficiebatur. Erat circa eum pia sollicitudo Hamelini abbatis, & fratrum, qui sua illi obsequia certatim impendebant. Pridie quam decederet, uni ex illis minus religioso, ut occultas abbati cogitationes confiteretur, persuasit. quo facto, ille ad meliorem frugem conversus est. Ferreos nexus & lapidis plumbique onera, quibus carnem suam divexabat, morte jam imminente deposuit: sed cilicio semper obiectus, non super plumas, sed super aliud cilicium mente sanissimus recubabat, hymnum de Spiritu-sancto, & preces ad beatissimam Virginem, quæ se ei adjutricem fore promiserat, sæpius ingeminans; tandemque pia confessione & sacra inunctione expiatus, dominica quoque communione refectus, pridie nonas Novembris dominica illucescente, post vigiliis ostia cellulæ, in qua jacebat, aperiri jussit; dein precatus beatissimam Dei-genitricem, ut famulum suum ad Dominum perducere dignaretur, voti compos factus est, mortuus ipsa die dominica hoc anno: cujus exsequias Rainaldus episcopus curavit, & in basi-

lica S. Albini humavit. Librum de ejus vita & miraculis scripsit monachus anonymus & æqualis, cui idem ipse, an alius, alterum librum de miraculis adjecit, edito epitaphio, quod sic habet.

*Transiit e mundo vir magnæ religionis
Sacri Girardus Numinis hospitium.
Eloquio simplex, habitu despectus, honoris
Impatiens, pacis mansio, verna crucis.
Cuncta caduca nihil, magni caelestia pendit:
Subtraxit vitiiis pectus & ora dolis.
Bis-geminos & tres sine potu transiit annos;
Et totidem panis usibus abstinuit.
Cui longa fames, sitiis, algor, vincula, fletus,
Assiduæque preces promeruerunt Deum.
Clarus, inops, vernans; cruce, rebus, virginitate;
Jusse, sacra, polum; vixit, amavit, habet.
Festa dies obitu foret ejus quarta Novembris,
Ni quia* transiit tantus ad astra pater.*

* al. *Ad que.*

Eodem anno Marbodus, Redonensis præsul suo tempore doctissimus monastico habitu in ipso S. Albini monasterio supremos vitæ dies absolvit. Encyclicam de ejus obitu necnon beati Girardi epistolam scripsere ejusdem cœnobii ascetæ, editam in notis ad Lanfrancum, & a nostro Martenio in Miscellaneorum tomo I. in qua hæc verba, quæ ejus vitæ compendium continent. *Tertio idus Septembris infirmatus carne, sed spiritu fortior, excedens a seculo, vivens in Christo, sua nos viduavit præsentia, & amoris sui jaculo vulneratos intolerabili dolore confecit. Qui post longa liberalium studiorum longe lateque vernantium exercitia, quibus in Andegavensi civitate, cui famosissimus ac nominatissimus exstitit magister, efficacissime claruit; electus a reverendissimo papa Urbano in Truronensi concilio, sanctæ sedis ecclesiæ Redonensis, annuente Domino, pontifex ordinatus est. quam ipse dignitatem, immo onus, accinctus gladio Spiritus-sancti, licet inter barbaros & naturali quadam armatos feritate, per annos viginti-octo fideliter, prudenterque gubernans, superborum colla justitiæ censura perdomuit, arguendo, obsecrando, increpando, dissidentia pacificavit. Tandemque longævo confectus senio, plenus dierum in sancta confessione, ut præmissum est, in Domino requievit. Ingressurus itaque viam universæ carnis, mortemque viciniam præsentens, onere pontificali deposito, sanctissimi Benedicti habitum, humilitatemque suscepit; monachumque professus, beato Albino se tradidit; ac sic exoneratus pauperem Christum pauper & ipse secutus est. Funebre de eo carmen Ulgerius Andecavensis episcopus composuit.*

LVII.
Marbodus episcopus Redonensis obit monachus.

Eadem epistolâ S. Albini monachi commendant transitum domni Girardi fratris sui, *viri plane mirabilis, quem profecto temporibus nostris, inquit, prolixum vidimus traxisse martyrium. qui, juxta Apostolum, semetipsum exhibuit hostiam viventem, sanctam, Deo placentem: cui jejunando, vigilando & orando jugiter assistens, oneratus ferro, vinculisque catenis, rationabile reddidit obsequium. Et ut magna breviter explicemus, mirabilem vitam mirabiliter inchoavit, & mirabilius consummavit. Obiit autem eodem anno pridie nonas Novembris in senectute bona, virtutum floribus adornatus; caeloque spiritum reddens, terram terræ mandavit. In fine preces pro utroque ab iis, ad quos rotulus dirigebatur, deposcunt: quos illi religiose admonent, ut vanitatum vanitates & nugarum nenas, quales in titulis, ut vocabant, remitti solebant, penitus recidant: ne, quod utiliter nimis institutum est, notam habeat levitatis. Nos enim, inquit, vota precum animabus profutura, non verborum phaleras postulamus, quæ defunctis nihil proficiunt, & vivis plurimum solent obesse, cum scriptum sit, de omni verbo otioso reddituros nos rationem.*

Marbodi pleraque opuscula, pleraque metrica, cum epistolis edita sunt Redonis mandato & impensis Ivonis Redonensis episcopi per Johannem *Baudoin* typographum. Sex tantum ejus habentur epistolæ in illa editione, in quarum inscriptione se *minimum episcoporum* passim dicit. Epistola secunda sic inscribitur: *Minimus episcoporum Roberto servo Dei*, id est Roberto de Arbriffellis, ejusdem argumenti atque alia Goffridi Vindocinensis. Consimilem quoque scripsisse dicitur Petrus Sal-

Ejus scripta.

ANN. CHR.
1123.

murenfis, eamque habuiffe Vignerius olim Oratorii presbyter: sed omnes epistolæ; quæ ex incertis tantum rumoribus scriptæ sunt, Roberti viri Dei sanctitati neutquam officunt. Sexta Marbodi epistola scripta est *Agenoridi ancillæ Christi*; quæ, licetis sæculi voluptatibus & honoribus cum conjugæ & liberis, religiosam vitam amplexa fuerat. De tribus aliis ad Ingelgerium & Vitalem servos Dei epistolis in superioribus actum est. Exstat & alia ejusdem epistola ad Hildebertum episcopum in Spicilegii tomo XIII. Carmen de laude vitæ monasticæ, in notis ad Goffridum sub anonymi titulo editum, ejusdem est auctoris. Sub finem retractat nonnulla quæ juvenis scripserat.

*Quæ juvenis scripsi, senior dum plura retracto,
Pœnitet, & quædam scripta vel edita nollem:
Tum quia materies inhonestæ levisque videtur:
Tum quia dicendi potuit modus aptior esse.*

Verum hæc retractatio tantum carmina spectat. Porro omnia Marbodi opera simul collegit, & accuratius edidit ad calcem novæ editionis operum Hildeberti Cenomannensis episcopi, anno M D C C V I I I. bonæ memoriæ D. Antonius *Beaugendre* noster.

LVIII.
Wigornienfis
ecclesiæ electio

In Anglia post mortem Theulfi Wigornienfis episcopi, quæ hoc anno accidit XII. kal. Novembris, prior & conventus Wigornienfis ecclesiæ, quæ monachorum erat, litteris ad Willelmum Cantuariensem archiepiscopum scriptis novi præfulis eligendi facultatem petierunt. Ad eos respondit Willelmus, eosque de morte sui pastoris consolatus est. At Eadmerus Cantuariensis monachus, qui e Scotia, ubi postulatus episcopus fuerat, Cantuariam reversus, ad quem forte de sua quoque electione scripserant Wigornienfes, litteras eis dedit, inscriptas *a* *Domini & fratris suis, domino scilicet carissimorum carissimo priori, & aliis omnibus Wigornie Deo servientibus*: quibus pacem & in eligendo novo pastore concordiam precatur, eisque inculcat, ut ne alium quam monachum eligant. *Cogitate, inquit, in quantam invidiam quorundam malignorum hominum ordo monachicus hoc tempore venit; & quantum nitantur eum saltem ab episcopatibus extirpare. Cavete igitur propter animas vestras, ne primi sitis qui extirpemini.* Non tamen illi ecclesiæ suffectus est episcopus e grege monachorum: sed præfulatus a rege datus est Simoni capellano reginæ Adelæ seu Adelidæ, filiæ ducis Lovanienfis, quæ post mortem prioris mariti Heinrico regi nupsit. Annales *b* ecclesiæ Wigornienfis scripsit monachus anonymus a prima ejus fundatione ad annum millesimum trecentessimum octavum.

a *Angl. sac. to.*
2. p. 238.*b* *Angl. sac. to.*
1. p. 167. &
169.LIX.
Franco abbas
Affligemienfis,
ejusque opera
& discipuli.
c *Spicil. to. 10.*
p. 611.

In Angliam hoc tempore profectus est Franco Affligemienfis secundus abbas, multisque muneribus ab Heinrico rege & aliis regni principibus honoratus: cujus beneficii memor eidem regi statuam ad portam monasterii, quæ Regis dicitur, erigi curavit. Franco abbas beato Fulgentio primo abbati sub finem anni superioris aut hujus initium successerat. In necrologio S. Agerici Virdunensis notatur *iv. idus Decembris Fulgentius abbas S. Petri Affligensis cœnobii, monachus S. Agerici*, qui triginta-quinque annis monasterium recte administravit. Franco ejus successor, vir doctus, illius jussu duodecim libros, quos tomos vocat, de gratia Dei composuit. Libris editis præmissa est ipsius Fulgentii epistola, *Carissimo fratri & filio suo Franconi* inscripta, in qua eum rogat, ut de gratia Dei tractatum edat, sibi sui que similibus profuturum, *qui de gratia Dei, inquit, balbutire solemus, cum quid sit gratia Dei, sat ignoremus.* Tum petit ut ille incipiat ab initio creationis usque ad ultimum judicii diem; rogatque, ut, cum venerit ad locum dominicæ passionis, ubi de sacræ eucharistiæ institutione agitur, huic argumento immoretur, attentius commendando illam miram Christi erga nos dilectionem, ut sacrosancto suo corpore & sanguine nos dignatus sit reficere. Id executus est Franco duodecim, ut dixi tomis seu libris, quorum in decimo agit de sanctissimo eucharistiæ sacramento in hæc verba: *Qui ergo maternam carnem assumpsit in manibus, & assumptam in assumptionis nostræ convertit opus; eadem Verbi potentia assumit panem in manibus, & divinæ benedictionis ac Verbi, quod ipse est, effectu vertit in corpus suum salutis nostræ Sacramentum. ... Sed sunt aliqui, qui visibilem sacrosancti mysterii speciem dum attentius attendunt, in veritate ipsa caligant, hæsitantes, quomodo, manente pristino panis & vini sapore & specie,*

ANN. CHR.
1123.

& specie, in substantiam carnis & corporis Christi possit substantia panis & vini alia in aliam transire. Sed huic infirmitati potest mederi consideratio omnipotentia Dei, quod non sit omnipotenti impossibile aut difficile creaturarum suarum aliam in aliam pro placento suo transformare, qui omnia ex nihilo potuit verbo creare.

Hoc itaque opus scribere aggressus est Franco adhuc monachus, sed illud perfecit jam abbas, ut indicat clausula libri duodecimi, digna certe, quæ hoc loco saltem aliqua ex parte transcribatur ad commendationem tum monasterii Affligemienfis, ut ipse vocat, seu Affligemienfis, tum Fulgentii abbatis & Franconis ejus successoris. sic autem hæc clausula habet: *His ita de gaudiis æternæ beatitudinis non pro sua dignitate, sed pro nostra tenuitate digestis, ad fontem suum, reflectam arenentem rivulum, illius piæ memoriæ offerens munus pauperis ingenii, cujus hoc imperio tractandum suscepi. Suscepi autem, hoc jubente venerabili patre nostro, florentis tunc in Christi religione Affligemienfis cœnobii abbate primo Fulgentio, qui christianæ paupertatis, monachicæ humilitatis, atque paternæ caritatis viva cordibus nostris vestigia vivens impressit, & ad gaudia paradisi, transiens nobis imitanda reliquit. Qui prædicti cœnobii fundator, ac monachicæ institutionis primus in illo informator, in barbara illa, non dico fidei confessione, sed operis exhibitione, gentium solitudine peregrino Christo, & frequenter illic transeunti, diversorium statuit, quo e diversis partibus multis diversæ conditionis, professionis & ætatis confluentibus, & in diversorio suo Christum inquirentibus plures servitio Christi mancipavit: ita ut incolatus sui tempore plusquam ducentorum triginta, tam monachorum quam sanctimonialium, ac fratrum obedientiæ lege viventium, diversis in locis pater mereretur existere. Quibus dum more fidelis servi mensuram tritici dividit, nec minus de temporali subsidio sollicitudinem gerit, quantos æstus, quantos cordis cruciatus anima illa sancta tulerit, præter eum qui sustinuit nemo qui noverit. Nec tamen in camino paupertatis frequenter adustus, & multo tribulationum igne decoctus crepuit; sed quo durius arsit, purior evasit. Fulget itaque nunc; ut optamus & confidimus, in illa æterna claritate noster Fulgentius, ubi eum nostrum inobediencia nostræ flagitamus intercessorem, quem hic obedientiæ habuimus præceptorem. Hactenus Franco.*

Præter hoc opus de gratia Dei idem auctor varias epistolas ad diversos scripsit: quarum duæ tantum editæ sunt, una *Lamberto gratia Dei in adoptionem filiorum Dei vocato*, in qua probat, monachum abjecto religioso habitu non posse salutem consequi: altera ad moniales & sorores in Bigardis & Foresto commorantes, quæ forte ex illis sanctimonialibus erant, quas Fulgentius in præmissa clausula instituisse dicitur. His Franconis scriptis adduntur *a* sermones de beata Virgine, & carmen de statu futuræ gloriæ. illud ipsum haud dubie, quod sub finem libri duodecimi de gratia Dei legitur. Incertum quo anno decesserit Franco, at certum est eum ad annum M C X X X. non pervenisse, si quidem ejus successor Albertus abbas tertius, vi quadam ad illam dignitatem promotus, uno tantum aut altero anno præfuit, successorem sortitus Petrum, qui prædicto anno M C X X X. jam abbas erat. Ceterum Franco non solum religione, & scriptis, sed etiam ædificiis Affligemienfe monasterium decoravit, bibliothecam libris auxit, ac piissime tandem vitæ cursum explevit. Ejus tempore Balduinus de Alosto, inter Flandriæ principes illustris, monasticum illic habitum induit. Ibidem etiam tunc floruit Radulfus monachus, rigidus silentii observator, quod annis sexdecim tenuisse traditur, ob idque contemplationis & lacrymarum gratiam divinitus accepisse. Hic post sexdecim annorum silentium flammam incendii hoc uno verbo, *Ses ignis hac hora restinxisse* traditur.

Idem Franco hoc anno subscriptus invenitur litteris Burchardi Cameracensium episcopi, quibus ecclesiam S. Petri, apud Montes Hannoniæ prope ecclesiam S. Waldetrudis* positam, quam S. Dionysii de Brocheroia monachi *a* sub regimine trium abbatum tranquille possederant, & Martinus bonæ memoriæ primus ejus loci abbas in concilio Urbani II. apud Clarum-montem habito vindicaverat, Balduino S. Dionysii tertio abbati contra canonicas S. Waldetrudis asseruit in synodo, quam in eodem monasterio hoc anno celebravit, renovata excommunicatione, quam ipsius antecessor bonæ memoriæ Odo hac de re illius decreti violatoribus intentaverat. His litteris apponita sunt signa Walteri Laubienfis, Franconis Affligemienfis, Alvisi Aquicinctensis, Gilleberti Einamensis, Odoini Cellensis seu S. Ghilleni, & Gerlandi Novicastrensis abbatum.

LX.
S. Dionysio de
Brocheroia ec-
clesia asserita.
* S. Waudru.
a *Mir. not. p.*
305.

ANN. CHR.

LXI.
Concordia inter
monachos
S. Michaelis &
moniales Lau-
dunenses.

a supra n. 53.

LXII.
Dietericus epi-
scopus, Bosowien-
sis monasterii auctor.

* de Zeitz.

LXIII.
Odenheimense
& Ballensted-

Inter monachos S. Michaelis ad Mosam & sanctimonialia S. Mariae Laudunensis parthenonis excitata fuit hoc tempore controversia super cella, quae sub castro de *Bolmunt* a monachis exstructa est. Hoc castrum cum terra ei subjacente ab antiquo fundus erat sanctimonialium S. Mariae, seu S. Johannis Laudunensis; sed ab eisdem jam dudum in beneficium Campaniae comitibus datum, dum tandem Hugoni viro nobili ab Hugone Campaniae comite concessum est. Cum itaque vir ille nobilis hoc castrum possideret, sub eodem castro, in villa quae dicitur S. Theobaldi, partem illius fundi ecclesiae sancti Michaelis contulit, ut monachi S. Michaelis ibidem oratorium & cellam construerent ad divinum illic officium celebrandum. quod ubi rescire Laudunenses sanctionales, quae nullum ad id tempus censum ab illius castri possessoribus saecularibus exegerant, sancti Michaelis monachis litem intenterunt, eoque ad audientiam Riquini Tullensis, tamquam sui fundi invasores, in causam traxerunt. Adfuerunt coram episcopo Lanzo abbas S. Michaelis & abbatissa Laudunensis cum aliquot e suis fororibus, quarum una nomine Adelida, cujus mentio jam superius facta est. Auditis utrimque rationibus, Riquinus ita litem composuit, ut monachi quotannis duos solidos Tullensis monetæ praedictis sanctimonialibus in festo sancti Johannis-Baptistae persolverent. Actum hoc anno in Tullensi ecclesia beati Stephani protomartyris in plenaria synodo, xvii. kal. Julii, feria sexta. quae concordia iv. nonas Augusti sequentis denuo confirmata est, ut in Appendice videre licet. Prioribus litteris subscribunt Thyemarus S. Mansueti, Petrus S. Apri, & Wibertus S. Salvatoris abbates. Eodem anno Henricus episcopus Virdunensis eisdem monachis jus monetæ, quod a Richero antecessore suo jam eis concessum fuerat, sub certis conditionibus confirmavit.

In chronico nostro Saxonico Dietericus Cicensis seu Citizensis ac Nuenburgensis episcopus, alius Theodericus dictus, hoc tempore claruisse dicitur, & Bosowienense monasterium aedificasse, sic appellatum à colle, qui antiquitus Bosowa nuncupabatur. Exstat hic locus in Misnensi provincia Saxoniae superioris, in diocesi Citizensi*, quae urbecula episcopalis est sub archiepiscopo Moguntino. Audiendus hac de re chronographus Saxonicus. *Claruit hoc tempore Dietericus Cicensis episcopus, litteris adprime eruditus, semper contra schismata, quae suis temporibus nonnumquam pullulabant, propugnator catholicus, & in omni pastoralis sollicitudine commissis sibi ecclesiae utilitatibus insudans. Hic non longe a suburbano suae civitatis abbatiam summo conatu, magnisque sumptuum vel aedificiorum impensis per aliquot annos insituebat in colle, quam antiquitas olim Bosowa nominaverat. Quo loco jam fere ad unguem perducto, utpote non modica consecrata basilica, congregatione quoque monachorum ibi locata, invenitur inter eos, quos conversos fratres dicimus, quidam perversus ex eadem gente Soraborum progenitus, nequaquam sanctae regulae, sed propriis desideriis per omnia subiectus. Hic pro suis excessibus frequenter ab abbate corripitur: sed non melioratus, episcopo praesentatur corrigendus, quem ipse frequenter, ut dignum erat, acrius corripuit: ille autem in tantam proterviam erupit, ut episcopum ante altare in oratione stantem, cultro perfoderit, unde post triduum venerandus sacerdos ad Christum migravit.* Hactenus chronographus Saxonicus.

Hunc chronographum Paulus Langius, monachus praedicti cenobii Bosowienensis legerat, ut patet ex ipsius chronico Citizensi, ubi de Theoderico episcopo & de sui monasterii origine agit. Erat Theoderico in sua curia quidem Sclavus illiteratus, beatae Dei-genitrici devotissimus, cui illa auctor fuisse dicitur, adhortandi episcopum, ut monasterium nigrorum monachorum in monte *Bosawgia* construeret, quod piissimus praesul, & ipse in beatissimam Virginem impense affectus, statim executus sit, aedificata vi. idus Septembris in ejus honorem lignea capella, ubi Hirsfaugienfes monachos collocavit. Altero post haec anno, scilicet mxcv. inchoata ab eodem nova basilica, quae septimo abhinc anno omnino absoluta fuit, & a Richwino episcopo post Theoderici mortem, quae hoc anno accidit, consecrata. Hac fufus apud Langium, qui perditissimum facinus a daemone raptum nusquam comparuisse. Primus ejus loci abbas fuit Ekebertus, quem praedictus episcopus cum suis fratribus ab Hirsfaugia evocavit. Plura de Paulo Langio alias, Deo dante.

Eodem tempore in Spirensi diocesi conditur nostri Ordinis monasterium in loco, qui *Odenheim* dicitur, per Brunonem Trevirensis archiepiscopum & Popponem

comitem. Missa illuc colonia itidem ex Hirsfaugienfi asceterio sub Eberhardo abbate. Illud monasterium tempore Trithemii, monachis cum pastore, pro nefas, a fide catholica abductis, in ecclesiam saecularium deformatum est, & in opidum *Bruchsal* translatum.

In praedicto chronico Saxonico praepositura in *Ballenstede* in abbatiam mutata dicitur, ubi primus abbas Johannes ordinatur. Hujus abbatiae conditor fuit Otto comes Aschaniae in principatu Anhaltano, qui collegiatam castri sui Ballenstedi ecclesiam in monasterium nostri Ordinis commutavit, monachosque ex Bergenfi a cenobio assumptos ibidem collocavit, ac multis praediis doravit. Illic conditorium est comitum Aschanienfium & Anhaltensium. Ottonis uxor fuit Elica, filia ducis Saxoniae, quae Albertum-Ursum, primum Brandeburgensem marchionem, ei peperit.

Post Manegoldum abbatem S. Galli monasterium rexit Wernherus, in fratres principio durior, quos apud Dietwinum cardinalem nimiae licentiae & remissionis accusavit. Ea re commoti in illum fratres vicem retulissent, nisi Wernherus praepositus eos cohibuisset. Abbatis severitatem senectus temperavit. Hinc factus humanior, fratres diligere, & bonis operibus serio insistere coepit, mortuus anno re-

gno tricesimo-octavo, postquam societatem cum Augienfibus anno mxcxlv. rebrogatus Uodalricus seu Udalricus eo nomine quartus ex praeposito, stia, adeoque fratribus acceptissimus. Is tribus annis in illa praecurienfem episcopatum promotus est: quem cum octo annis iisset, in concilio Alexandri papae III. alterutrius dignitatis amone retinere per canones non licebat, abbatiam praefertus, res ab antecessoribus dissipatas recolligere machorum & sanctimonialium monasteria per-

nam fuerit claustrum, cui saltem argenteum riam triginta-tribus annis recte ad- nus locum Udalricus fortitus successorem instituit. Henricum Klingensem, q Post annos fere quinque regni supellestem distribueret, id nec his abbatibus, qui S. Galli monasterium runt, continenter agere visum est, quod fingon non satis sit exploratus.

In Einsidlenfi monasterio Gero abbas III. nonas Februarias sui desiderio relicto exstinctus est, cum paullo ante ad Gengenbacen profectus, ibique honorifice susceptus ab Hugone abbate ejusdemque loci monachorum fraternae caritatis societatem cum eis pepigisset. Substitutus in ejus locum Vernerus ejus nominis primus, ex comitum Lentzburgenfium stirpe, ad annos octodecim locum rexit.

In Italia conditur hoc anno abbatia beatae mariae de Pratalea* diocesis Paravinæ in montibus Euganeis, cujus auctor comes Montis-Belli dominus de Malaverfa. Principio unita fuit abbatiae S. Benedicti Padolironenfis a Callisto II. sed unione rupta a Martino V. tandem addicta congregationi S. Justinae, sub qua hactenus viget. Hunc locum aliquando non sine voluptate lustravimus. Illic ad triginta monachi degebant. Ecclesia elegans in tumulo posita, cujus solo dormitorii cellae aequatae. Triplex ibidem claustrum, bibliotheca libris antiquo ritu dispositis referta, picturisque ornata.

Mediolani post Guillelmum abbatem Ambrosianae basilicae praesuit Johannes, cujus tempore, ventilata est controversia monachos inter, ejusdemque basilicae canonicos super oblationibus, quae a fidelibus conferebantur. Hinc convenere ambae partes in curte cardinalium majoris ecclesiae juxta tribunam S. Stephani, qui dicitur ad fontes, tempore domini Olrici archiepiscopi sanctae Mediolanensis ecclesiae, in praesentia cardinalium praedictae sanctae Mediolanensis ecclesiae, & abbatum monasteriorum ejusdem civitatis. Auditis utrimque rationibus, oblationes inter utrosque aequaliter dividendas esse judicatum est hoc anno, primo die mensis Septembris. Huic sententiae primus subscripsit Anselmus archiepiscopus, qui jam Olrico successerat, & post eum cardinales ecclesiae Mediolanensis; tum ejusdem urbis abbates, videlicet

Annal. Bened. Tom. VI.

O ij

ANN. CHR.
1123
denfe mona-
steria.a V. Annal. 100
2. lib. 26. n.
52.LXIV.
S. Galli & Ein-
sidlae abbates.
b lib. 72. n.
48.LXV.
Pratalea abba-
tia conditur.
* Pratalia.LXVI.
Ambrosiani
abbates.
d Puricell. p.
566. § 199.

ANN. CHR. 1123. Petrus S. Simpliciani, Vivianus S. Vincentii, Willelmus S. Celsi, Gaudentius S. Victoris, & Arialus S. Dionysii. Ex his quinque monasteriis, quæ nigrorum monachorum erant, uti & Ambrosianum, unum dumtaxat scilicet S. Simpliciani, priscum habitum & institutum retinet cum abbacia S. Petri de Glaciate: cetera ad alios religiosos Ordines, vel ad sæculares migrarunt.

LXVII. S. Bertino facta donatio.

[Per id tempus attendens Robertus Attrebatensis episcopus sacerdotali congruere benevolentiae, eorum qui in sanctae matris ecclesiae gremio fide, moribusque proficiunt sancta studia juvare, piis votis concurrere, & maxime eorum qui jugo monasticae sanctionis humilia corda subdidere, Lamberto Sithiensi abbati enixe deprecanti, ut aliquot suae diocesis altaria, fratrum Deo sanctisque ejus Bertino, Audomaro, Folquino, Silvino servientium usibus profutura concederet; eo libentius annuit, quod ea quæ fidelium oblatione ecclesiae vestrae, inquit, collata sunt, non in proprietates monachorum, non in turpes usus secularium, misera vanitate consumuntur; sed hospitum receptioni, pauperum recreationi, sufficienti domesticorum administrationi honesta & rationabili largitate dispensantur. atque archidiaconorum suorum, Drogonis & Roberti consilio, quatuor altaria, nempe Anefm, Werkim, Salomais Hantai cum appendiciis capellis, ad fratrum refectorem perpetuo possididit, facta his qui contradixerint divini iudicii interminatione thienense monasterium, anno Dominicae incarnationis MCXXIII.

LXVIII. Donum insulae Majoris monasterii.

[Cum Alexander Rupium Dominus abjectis saeculi porrius factus esset monachus, Robertus ipsius filius ei successerat, coenobium illud singulari deinceps ter visitavit. Tunc Sissa fluvius per horum vitatis Turonica in Ligerim ribus seu silva confir- batur. Juris autem Majus-monasterii ret sermonem neam ad natione, rerum divinarum con- modi propositio; cumque insulam cum totumque illius ambitum perlustrasset, unum abbatem per junci quem manu tenebat acis post diebus accedens Robertus ad capitulum Majoris insulae donationem in manu Odonis prioris claustralis per- culi, quem nox resumens deposuit super majus altare. donum confir- avere successive Roberti filii. Post hæc rogatu Willelmi abbatis accessit Gislebertus archiepiscopus, aquam benedixit, eaque lustravit locos omnes in quibus con- strui debebant officinae. Hæc facta sunt anno MCXXIII. die veneris in adventu Domini.

Extabat jam in prædicta insula capella lignea sancto Nicolao sacra, cum adjuncto parthenone, in quo mater Guillelmi abbatis vitam religiosam duxit. sed jam nullum restat illius parthenonis vestigium præter cimiterii quosdam lapides sepulcrales, qui hactenus visuntur. Eo in cimiterio quotannis in solemnibus rogationum supplicationibus subsistentes monachi psalmum *De profundis* recitant cum subjunctis orationibus pro salute omnium in eo quiescentium.]

ANN. CHR. 1124. LXIX. Radulfus Remorum archiepiscopus obiit a Marlot. 2. p. 282.

Insequens annus ejus saeculi vicesimus-quartus multos illustres viros ex hac luce sustulit, quos inter Callistus papa & Radulfus seu Rodulfus-Viridis Remorum archiepiscopus insigniores fuere. Prior e duobus obiit Radulfus, qui paulo ante obitum sepulturae suae locum honorare volens, S. Remigii ecclesiae altare beati Juliani, ei adiacens, quod jam sub personatu tenuerat, impersonaliter in posterum tenendum hoc anno contulit, pontificatus sui anno decimo-septimo. Prædictam donationem brevi subsecutus est ejus obitus, qui x. kal. Augusti notatur, tum in necrologio matricis ecclesiae, in quo magna sanctitatis archiepiscopus fuisse perhibetur, eidemque ecclesiae Attiniacum acquisivisse: tum in Remigiano, ubi, in introitu chori quiescere dicitur, nimirum ad aquilonem, & quidem sub quodam fornice, variis figuris prominentibus insculpto, cui lapis sepulcrum tegens e terra erectus supponitur, nigro tapete in ejus anniversario ornari solitus. Nuper hoc ejus mausoleum,

ANN. CHR. 1124.

Theobaldo, advocato utique monasterii, cujus haud dubie suggestu Bernardus hanc epistolam scripsit, in qua cetera objecta diluit. Ex sequentibus patet, prædictum Humbertum, qui monasterii præpositus erat, furtim impetrasse a pontifice, scilicet Innocentio II. privilegium propriae libertatis, quod Bernardus valde improbat. Unde in fine epistolae tres illos cardinales, Albericum scilicet, Ostiensem, Stephanum Tusculanum, & Ymarum episcopos qui monachi erant, his verbis compellat: *Quæso dolete vos, qui monachi estis, vicem magistri vestri beati Benedicti, cui jam, ut videtis, prope est ut ubique contradicatur, & pereat omnis vigor monasticae disciplinae, monachis adversus abbates suos cornua sumentibus de manu forti.* Hactenus Bernardus de Radulfo abbate, qui meliorem defensionem habere non poterat. De Godefrido seu Gaufrido II. ejus successore inferius.

Per id tempus Flaviacensis quidam apud Bellovacos monachus, Benedictus nomine, medicinae peritus, Claram-vallem, inconsulto abbate suo Hildegario, se recepit, & a Bernardo primum repulsus, sed tandem admissus est. Tum vero questus est Hildegarius, quod Bernardus alienum monachum ex noto monasterio absque litteris commendatitiis abbatis sui contra regulam suscepisset; petiitque Benedictum ad se remitti. Negavit Bernardus sibi notum fuisse Flaviacense monasterium, ut pote multis terrarum spatiis, diversis provinciis, & dissimilibus linguis (quod mirere) ab invicem distans. Ceterum Benedictum ad septem menses, quo tempore eremiticam prope Claram-vallem duxerit vitam, repulsus fuisse, sed tandem admissum, hac nimirum ratione, quod abbas suus, apud sæculares medicinam eum exercere cogeret, manifesto animae suae salutis periculo. Ob eam causam se eum admisisse, jamque professum tenere, nec posse eum abjicere. Desinerent ergo Flaviacenses repetere, quem regulariter susceperat. Verum huic Bernardi epistolae non cedunt Flaviacenses, alias litteras mittunt, regulam, canones pro se afferunt. Falsum esse quod Benedictus de professione medicinae causatus erat. Verum Bernardus nihilo amplius his litteris Benedictum retinuit; nec ultra ad eorum litteras se responsurum dixit, de cetero paratum eos diligere & colere.

Hic quoque annus supremus fuit Willelmi patris memoriae Beccensis abbatis tertii, ex diuturno morbo defuncti, quo per sesquiannum confictatus est. Aegrotantem invisit venerabilis Richardus Pratellenis abbas; eique morienti adfuit, uti & Henricus Angliae rex, qui tum in Nortmannia versabatur. Rogatus a Bosone priore Willelmus in extremis, filios suos de more benedixit, monuitque ut amarent claustralem vitam, quia reparatio, inquit, est ordinis; & ne quærerent habere obedientias in saeculo, id est officia exteriora, quia multi in eis perdunt animas suas; denique ut quantocius abbatem eligerent, quod differre non expedit. Beccum venerat Henricus rex post octavas paschæ, & in monasterio hospitatus, Willelmum jam morti proximum invisit, petiitque, ut sibi successorem designaret. Negavit ille sibi per canones licere, ut successorem nominaret. Mox rex acceptam ejus manum dexteram oris suo admovit, osculatusque est. Tum monachis inquit, eis grave damnum ex abbatis morte instare. Post matutinos, fratres rogavit infirmus, ut se quiescere permitterent. Cum jam ad exitum vergeret, ad cellam infirmorum, ubi fratres mori solent delatus, ibidem ante lucem, dum fratres psalmos poenitentiales recitarent, ad perpetuam lucem migravit xvi. kal. Maii, hebdomada post octavas paschæ. Corpus ejus sacris vestibus ornatum in ecclesiam illatum tota die ac nocte insequente frequentatur mœrentium obsequio filiorum, qui optimum patrem amissum inconsolabiliter lugebant. Rex ipse ad ecclesiam venit, eoque conspecto: Utinam, inquit, anima mea esset, ubi anima ejus est; ejusdem exsequiis interfuere abbates novem, monachi plurimi, clerici & laici innumeri, funus curante Johanne episcopo Lexoviensi. Sepultus est in capitulo ad dexteram beati Herluini abbatis. Viginti-quinque annorum erat, cum ingressus est monasterium, in quo annis quindecim vixit monachus, abbas annis triginta cum dimidio; adeoque septuagenarius e vita migravit. Librum de ejus vita cum triplici epitaphio scripsit Milo-Crispinus ejus discipulus, editum a nostro Acherio in Appendice ad Lanfrancum.

Monachos prope quadringentos ad professionem admisit, ex quibus complures episcopi & abbates ad aliarum ecclesiarum regimen assumti: in his Tutoldus episcopus Bajocensis, Radulfus abbas S. Augustini Cantuariensis, Theobaldus Becci abbas quintus, postmodum archiepiscopus Cantuariensis, & Lethardus ejusdem

LXXIV. Bernardi epistolae ad Flaviacenses.

a Bern. ep. 67. § 68.

LXXXV. Willelmus Beccensis abbas moritur.

Discipuli ejus.

ANN. CHR. 1124.

loci abbas sextus, Alboldus abbas S. Eadmundi, Radulfus & Normannus abbates beatæ Mariæ de Ibreio, Gilbertus abbas Conchenfis, Michaël Prattenfis, aliique: quibus annumerandus Milo-Crispinus cantor Becci, pietate & doctrina insignis, qui vitas beati Lanfranci archiepiscopi, Willelmi, Bosonis, Theobaldi & Letardi Becensium abbatum pie & erudite composuit.

LXXVI. Boso ejus successor.

In Willelmi locum electus Boso, tunc Becci prior, numquam adduci potuit, ut Heinrico regi fidem clientelarem obligaret. Hac occasione usi duo monachi ejus electioni adversantes, regi suggererunt, ut ne illius electionem probaret. Verum fratrum constantia, necnon Gaufridi Rotomagensis & Johannis Lexoviensis pontificum adhortamentis victus Henricus, ejus electioni eo pacto assensit, ut archiepiscopo professionem in ipsius ordinatione, non faceret. Hac pluribus Milo-Crispinus in Bosonis vita, ex qua prima & subsequencia ejus facta reperenda sunt, quæ hic compendio referre juvat. Willelmi conquestoris tempore, in pago Rotomagensi, & quidem in fundo Monasterii-Willaris, honestis progenitoribus, Haimérico & Lezelina, orti sunt tres viri, Gislebertus, Boso & Rainaldus, qui omnes sub Anselmo abbate Becci monachi facti sunt, & pie vitam traduxerunt. Cum vero Anselmus ad Cantuariensem pontificatum assumtus esset, Bosonem secum in Angliam duxit, eundemque sui vice ad concilium Claromontanum misit, quo ex itinere valde infirmatus, Beccum ægre tandem reversus est. Eundem nihilominus Anselmus post secundum suum exilium in Angliam reduxit, testatus se malle cum eo inops in solitudine vivere, quam sine eo in magnis divitiis & dignitatibus versari. Hic est ille Boso, quem sanctus Doctor in libro, *Cur Deus homo*, interlocutorem adhibuit. Mortuo Anselmo, ille Beccum rediit; ibidemque prior à Willelmo abbate institutus, non solum domesticis, sed etiam exteris consilio & ope multum profuit. Electus demum abbas, ipso die pentecostes a Gaufrido archiepiscopo, præsentem cum multis aliis illustribus viris Johanne S. R. E legato, Rotomagi ordinatus est; cui Beccum venienti totus conventus in sacris vestibus obviam occurrit, quem ille nudis pedibus subsecutus est. Jam vero in abbatali dignitate ita se gessit, ut ejus procuratio rectoribus exemplo esse possit. Nullum in eo locum superbia & arrogantia habuit. Invisæ erat constantiæ & patientiæ, ira ut nulla umquam vel prosperitas, vel adversitas ejus animum aut emollire, aut frangere potuerit. Si quando ejus jussa non impleri nuntiabatur, aiebat: Sæpe mandata Dei præterimus, & sustinet: quanto magis nos pati debemus, si nostra contemnantur? Digna optimo pastore sententia.

LXXVII. Hugoni Cantuariæ abbati succedit alter Hugo.

Paulo ante Willelmum abbatem decesserat *bonæ memoriæ* Hugo de Floriaco; abbas S. Augustini Cantuariensis, *prælustris*, a eodem anno mortuus VII. kal. Aprilis, sepultus in capitulo, quod ipse extruxerat. Vacavit abbatia post ejus obitum ad annum sequentem, quo Henricus rex, qui tum in Nortmannia morabatur, in Angliam reversus eam Hugoni *de Trozeclive* monacho Roffensi, tunc capellano suo contulit. Hunc non in Augustinensi, sed in Cantuariensi ecclesia cum ordinare vellet Willelmus archiepiscopus, exemplo scilicet Anselmi, qui Hugonem de Floriaco in capella regis apud Westmonasterium sacraverat; constanter ^b reclamarunt Augustinenses, monasterii sui privilegia & consuetudinem antiquam obtendentes. Verum his non cessit archiepiscopus, nec precibus monitiveris regis, aut Johannis de Cremonio cardinalis & apostolicæ sedis legati, mox laudati, qui mense Aprili concilium apud Westmonasterium celebrabat. Quam ob rem idem legatus Sifredo Cicestrensi episcopo mandavit, ut ipse, apostolica fretus auctoritate, electo in Augustinensi ecclesia benedictionem impertiret. quod & factum est, tametsi varias appellationes interposuerint monachi principis sanctæ Trinitatis ecclesiæ: quæ à Willelmo pontifice post quatuor annos dedicata, postmodum testante Thorno, *ecclesia Christi* appellata est. Ceterum prædictus abbas, etsi ex alieno gremio assumtus, ut bonus paterfamilias & bonus dispensator se gessit. cujus rei argumento id affert Thornus, haud scio an probandum, quod ejus loci abbatum primus monasterii officia distinxit, singulisque certa prædia, certosque proventus assignavit. Is gravem controversiam habuit cum Theobaldo archiepiscopo Willelmi successore, ut inferius videbimus.

LXXVIII. Glastonien- sum lis de corpore S. Dunstani.

Tunc temporis Glastonienfes monachi corpus sancti Dunstani archiepiscopi apud se haberi gloriabantur, ipsumque, ut putabant, novo feretro recens decoraverant. Aiebant quippe, Elfego archipræsule a Danis cæso cum monachis Cantuariensis ecclesiæ,

ANN. CHR. 1124.

ecclesiæ, ipsaque ecclesia ab iisdem igne consumta, antiquiores patres suos Cantuariam adisse, atque illinc sacrum corpus Glastoniam sustulisse. quod ubi rescire nostri Cantuarienses cathedrales, gravem ad Glastonienfes ea de re scripsit epistolam unus ex illis Eadmerus, jam sæpe à nobis laudatus, testatusque est, quod, cum adiuverulus esset, levatum esset corpus beatissimi Dunstani a primo sepulture suæ loco, adstante abbate S. Augustini Scotlando, & Gundulfo post facto Roffensi episcopo, cum toto monachorum agmine utriusque ecclesiæ Cantuariensis nimirum & Augustinensis, conflente ad hanc celebritatem innumera promiscui vulgi multitudine: qui omnes cælestem illum thesaurum ad locum quo recondendus erat, profecuti sint. Actum est in superiori volumine ^a de hac translatione, anno MLXXIV. facta, quo ex tempore annos quinquaginta effluxisse ait Eadmerus, cum epistolam illam scriberet. Non immoror referendis argumentis, quæ adversus Glastonienfes in illa epistola proferuntur, asperiori quidem, ut videtur, stilo, quam religio pateretur. Hanc epistolam in tomo primo Angliæ sacræ videre licet cum aliis ejusdem argumenti ultro citroque scriptis epistolis sub initia sæculi sexti-decimi, quo tempore hæc controversia denuo renovata est.

a lib. 64. n. 83.

Interim, Henrico Angliæ rege, qui Ludovico Francorum regi bellum inferebat, instigante, Henricus imperator, cujus erat gener, copiosum exercitum instruxit in eundem Ludovicum, longo animi ^b rancore in eum commotus, quod in concilio Remis habito anathemate percussus fuisset. Quapropter ipsam Remorum civitatem inopinate aggredi, eamque evertere aut opprimere statuit, ut factam sibi in ea, ut putabat, injuriam ulcisceretur. Verum, ubi hæc regi machinatio innotuit, collectis ex toto regno copiis, cum prius, apud S. Dionysium peculiarem patronum ac protectorem suum, sumto vexillo, belli eventum Deo precibus commendasset, Remos profectus est: ubi cum per integram hebdomadam imperatorem præstolatus esset, illo pedem referente, armis ejus fines aggredi decrevit. Verum episcoporum, religiosorumque virorum consilio ab illius regni devastatione ægre se continuit. Tanto igitur potitus successu, quem instar victoriæ & triumphi reputabat, ut Deo, sanctisque martyribus Dionysio & sociis se gratum præberet, actis gratiis, *coronam patris, quam injuste tenuerat, (jure enim ad eos omnes pertinent) devotissime restituit, indictum* exterius in platea (interius enim sanctorum erat) libentissime reddidit; viarum omnimodam, quibus spatiis cruces & columna statuuntur marmoreæ, quasi Gades Herculis omnibus obsistentes hostibus, præcepti regii confirmatione sancivit. Sacras etiam venerabiles sacratissimorum corporum læticas argenteas, quæ altari principali superpositæ toto spatio bellici conventus exstiterant, ubi continuo celeberrimo diei & noctis officio fratrum colebantur, rex ipse proprio collo filialiter loco suo reportavit, multisque tam terræ, quam aliarum commoditatum donariis pro his & aliis impensis beneficiis remuneravit.* Hactenus Sugerius, qui id contigisse tradit paullo ante Callisti papæ decessum.

LXXIX. Henrici imp. bellum in Francos. b Suger. in vita Ludovici p. 12.

* le Lendy.

Tunc Romam iter instituerat Sugerius, ad curiam a pontifice revocatus. Verum, cum ad Luccam Etruriæ civitatem pervenisset, eum e vita migrasse intellexit, ideoque domum reversus est. Callisti obitus contigit XIV. kal. Januarii, cum sedisset annos quinque, menses decem cum aliquot diebus: cujus memoria ob redditam ecclesiæ pacem, quod ejus antecessores incassum tentaverant, æternum in benedictione erit. Electo primum canonice Cælestini nomine Theobaldo cardinale presbytero S. Anastasiæ, & cappa rubea induto, Frangipanes nihilominus Lambertum Ostiensem episcopum papam acclamarunt. ubi summa Theobaldi, nec satis umquam prædicanda modestia enituit, qui electioni suæ assentiri noluit. Sic cessit Lamberto pontificatus, qui post septem dies melius consultus in conspectu cardinalium *mitram & mantum* deposuit. quo viso, cardinales, ne in ecclesia novum scandalum generarent, quod minus canonice factum erat reformarunt, & Lambertum pontificem Honorii II. nomine agnoverunt.

LXXX. Callisto pape succedit Honorius II.

Ubi Honorii promotionem accepit Goffridus Vindocinensis abbas, litteras ^c ad eum scripsit, quibus significavit, se ejus visendi maximo desiderio teneri, sed obstare corporis infirmitatem, ex nimio labore & multiplici Romano itinere contractam, & quidem (quod citra jactantiam dictum cupit) propter utilitatem Romanæ ecclesiæ, pro qua ter captum se fuisse ait, & ter-quater transalpinasse; multas denique persecutiones tolerasse, maxime pontificatu Urbani II. a quo presbyter ordi-

LXXXI. Honorio scribit Goffridus abbas Vindocinensis. c Goffrid. lib. 1. ep. 14.

ANN. CHR.^{1124.} natus sit, & per ejus manum investituram acceperit ecclesie beatae Priscæ, quam ipse antecessores longe ante possederant; sed, quia Guitberto seu Wiberto antipapæ obedire noluerunt, ex ea fuerant ejecti. Addit, se, quamprimum ipse infirmitas feret, pontificem aditurum. Interim per latorem presentium litterarum se ei mittere aliqua suæ caritatis signa, id est munuscula quædam, forte annuum pro immunitate monasterii censum: cetera ipsius nuntii linguam suppleturam. Hic nuntius erat Paganus-Alerici, quem se ad dominum papam misisse dicit in alia epistola ad Girardum episcopum Engolismensem apostolicæ sedis legatum, cui gratias agit, quod sæpius præceperit episcopo Andegavensi, scilicet Ulgerio, ut monasterio suo ecclesias abstractas restitueret. qua de re plures alias epistolas scripsit, unam ad Rainaldum Remorum archiepiscopum, cum quo Romam ire cupit, ut mox videbimus.

LXXXII. [Arnoldus Burdigalensis archiepiscopus veniens ad Majus-monasterium, ac diligenti consideratione cernens sanctam conversationem fratrum ibidem Deo servientium, placuit ipsi ut prædicti fratres in suo episcopatu aliquid haberent, quatenus eorum precibus sibi gregique sibi credito & in præsentis & in futuro sæculo divina pietas subveniret. Propterea, inquit, communicato cum clericis nostris qui nobiscum erant consilio, ecclesiam S. Dionysii in terra de ultra Dordonam, super Helam fluvium sitam, & ecclesiam S. Georgii de Guestras &c. in manu domni & nobis dilecti Willelmi prædictæ ecclesie abbatis, præsentis & concedente W. S. Dionysii presbytero, præfato monasterio donavimus. Hoc donum postea communi archidiaconorum canonico-rumque suorum assensu confirmavit. Data Burdigalæ anno MCXXIV. ab incarnatione Domini, epacta III. concurrente II. indictione II. Subscribunt Arnoldus archiepiscopus, Raimundus archidiaconus Blaviensis, Raymundus archidiaconus Samienis, qui & scripsit privilegium, Gumboldus archidiaconus & alii.]

LXXXIII. [Eodem anno cum Fulco Andegavensis comes, filius alterius Fulconis cognomento Richini, castrum Girardi Berlau, idest monasteriolum expugnasset, tantam non sibi, sed Dei adjutorio victoriam attribuens, decrevit tam ipse, quam nobilis ejus uxor Aremburgis, filia Eliæ comitis Cenomannorum, ut pro Dei amore aliquid beneficii perpetualiter permansurum, pro sua suorumque filiorum Gaufredi & Eliæ salute, servis Dei concederent. Itaque monachis Majoris-monasterii, quos præ ceteris diligebant, in castro suo Troo, quod tunc ædificabant, locum aptum & spatiosum ad ædificandum ecclesiam & officinas & viridarium, & cetera quæ monachorum habitationibus necessaria erant, cum amplissimis redditibus concesserunt. Hoc fecerunt in camera Willelmi abbatis Majoris-monasterii, cum aliquando illuc venissent ad eum visitandum, qui ibidem quartanis febribus tenebatur, ubi & prædictus abbas medietatem obediendiæ S. Laurentii de Gastina & de obedientia Sernitarii concessit pertinere obediendiæ de Troo: idcirco videlicet quod comes & comitissa promiserunt de suis redditibus undecumque tantum se duros illi obediendiæ, ut ordo & conventus ad minus duodecim monachorum ibi teneri posset, secundum usum Majoris-monasterii. Promiserunt præterea monachos sub sua protectione semper suscepturos. Unde Hugoni Ambosiaci castri & Petro Montis-aurei * dominis ibidem presentibus præceperunt, ut monachos Majoris-monasterii contra quoscumque adversarios defenderent.]

LXXXIV. [Eodem anno mortuus est Guillelmus Majoris-monasterii abbas, præfecturæ anno vigesimo, & quidem ut videtur ex febre quartana: quem Ordericus Vitalis inter sanctissimos Majoris-monasterii abbates recenset. Vir fuit sane præstantissimus, qui a Paschali papa ordinatus abbas, Callistum summum pontificem Turonis excepit, omniumque episcoporum sed præcipue Armoricorum amicitiam & existimationem sibi conciliavit, cum propter eximias ejus virtutes, tum propter illustre genus & archidiaconatus officium, quod ante conversionem in ecclesia Namnetensi exercuerat. Pluribus interfuit conciliis, omnibus gratus & beneficus, liberalis sine prodigalitate: alto fuit animo profunda in humilitate; officinas monasterii sui quasdam construxit, quasdam restauravit, abbatiam muris cinxit, ac moriens debitis immunem reliquit. Ejus obitus in necrologio B. Mariæ de Ebronio ad vigesimum-tertium Maii diem consignatur. Sepultus est in capitulo.]

LXXXV. [Ejus sub regimine floruit in Majori-monasterio Gosbertus cognomento Ludovici, in pago Turonico perillustri familia ortus. Maximam juventutis suæ partem apud Constantinopolim, ubi Alexio Comneno imperatori cum propter genus

Gosbertus monachus Majoris-monasterii vir sanctus.

illustre, tum ob singularem probitatem carus fuit, exegit. Fratrem habuit Guillelmum nomine, qui in Cormeriacensi S. Pauli monasterio infans institutus, inde ad vitandas impiorum vexationes egressus, post varias peregrinationes, Constantinopolim tandem appulit, ubi mediante fratre sic imperatori innotuit, ut principis familiaritatem promeruerit, ac postmodum Salpenis in Italia episcopus effectus sit.]

[Gosbertus vero imperialis curiæ pertæsus, summos quos offerebat honores, in quibus nihil solidum, nihil firmum cernebat, despexit; ad meliorem tutioremque sortem aspirans ad Majus convolvit monasterium, ubi ignotus hominibus salutem operaretur suam. Verum illustre genus ejus, virtus & scientia tantum virum diu delitescere non siverunt. In præcipuis monasterii sui negotiis locum non inferiorem habuit: eo Stephanus Campaniæ & Blefensis comes familiariter usus est, ipsiusque suasa cellam Francam-villam in diocesi Carnotensi fundavit.]

[Guillelmo abbati subrogatus est Odo ob summas ejus virtutes a plerisque dictus Venerabilis. is ipse, uti conjicimus, qui sub prædecessore prioris claustralis officium summo cum fructu exercebat. Sub eo maxime viguit regula observantia in Majori-monasterio.]

Insigne illius cœnobii elogium profert Ulgerius, Andecavorum episcopus, in litteris, quibus ecclesiam S. Egidii de Virgulto* in sua urbe eidem cœnobio contulit, cum cognovisset sanctissimam ecclesiam Majoris-monasterii nullum ibi hospitium habere. Non enim decebat, inquit, ut tam sanctum ac religiosum monasterium, quod hospitalitate insignissimum ubique plantationem habet, & præ ceteris prædicatur, in tam populosa urbe & tam vicina sibi hospitio carere.

Ulgerius iste hoc anno in Andecavensi cathedra suffectus fuerat loco Raginaldi seu Rainaldi de Martiniaco, qui post mortem Radulfi archiepiscopi ad Remensem metropolim translatus fuerat. Cum Rainaldo in gratiam tum redierat, qui ejus olim electioni in Andecavensi ecclesia obstiterat, Goffridus Vindocinensis abbas, ut fidem facit ipsius epistola, dulcissimo domino & præcordiali amico domno honorabilis vitæ Remorum archiepiscopo, quem videre, & in Romano itinere comitari cupiebat; rogatque, ut donationes Vindocinensibus ab ipso factas, ab episcopo Andegavensi confirmari satagat. Hoc ipso anno Fulco Andecavorum comes cum Aremburge uxore & filio suo natu-majore fundat anniversarium suum in monasterio Vindocinensi & in cella Andegavensi, concessa eis piscatione fluvii Meduanæ* a muro civitatis Andegavæ usque ad rupem Canciacensem, eo pacto, ut generale piscium fratibus in ipsius anniversario die exhiberetur; & tumba Falconis comitis, qui in monasterio Andegavis sepultus jacet, a monachis illorum locorum fabricaretur ad modum tumbæ Eliæ Cenomannensis comitis, qui in monasterio de Cultura sepultus est. Quo ritu servi in libertatem olim assererentur, jam sæpius a nobis dictum est, nimirum excussione trium denariorum, & porrectione chartæ libertatis: at quo pacto libertate privarentur, necdum observatum. Id autem discimus ex quadam charta Vindocinensi, in qua Goffridus abbas quemdam servum suum; Popinellum nomine, annuente capitulo suo, libertate donasse dicitur. quæ res cum Goffrido Grisægonellæ Vindocinensi comiti displicuisset, eidem Popinello cartam libertatis de capite eripuit. quo audito Goffridus abbas de injuria sibi facta expostulavit, probavitque legitime quod Vindocinensis abbas absque comitis licentia & consilio posset liberos facere. Ea ratione convictus comes erratum agnovit, & se nihil tale deinceps facturum promisit. Testis inter alios Hamelinus abbas Belli-loci. Actum Vindocini hoc anno, prima septimana quadragesimæ; feria v. & in crastino movit idem comes ad S. Jacobum.

Apud Andegavos in monasterio Caritatis, vulgo Roncereii, post Teburgam abbatissam, cujus tempore nova ecclesie dedicatio per Callistum II. ante quinquennium facta est, locum rexisse videtur Mabilia, unanimi sororum omnium consensu electa, Deo ab infantia ibidem consecrata, clara stirpe progenita, & bonis ornata moribus, ut legitur in ejus electionis instrumento, quod in Appendice videre licet. Huic electioni interfuerunt Hamelinus beati Albini, Petrus S. Sergii, & Johannes S. Nicolai abbates, necnon Goffridus sanctæ matris ecclesie thesaurarius, qui vices tunc domni Ulgerii transmeduani agebat. Non diuturna fuit procuratio Mabilie abbatissæ, cui Aldeburgis seu Hildeburgis successit. Ejus tempore Gervasius quidam monasterio decimam de Codreio dedit in præsentia abbatissæ Hilde-

Annal. Bened. Tom. VI.

P ij

ANN. CHR.
1124.

LXXXVI.
Willelmo abbati Majoris-monasterii Odo suffectus.

* du Verger.

LXXXVII.
Res Vindocinenses.

* la Mayenne.

LXXXVIII.
Roncereii abbatissæ.

ANN. CHR.
1124.

burgis, & quidem anno a passione Domini MCXXVI. indictione IV. ubi annus a passione Domini confunditur cum anno incarnationis, quod aliis exemplis observatum in libro tertio de re Diplomatica. Eodem anno Bauduinus, ejusque mater Hildeburgis donum fecerunt decimæ de Ver, quando filia ipsius Bauduini sanctimonialis facta est, eo pacto, ut ipse poneretur in martyrologio: puella autem, ipsius filia, veniret ad monasterium cum suo palefredo & sua caritate, & efficeretur sanctimonialis; & mater similiter, si habitum mutare vellet; sin autem, in martyrologio poneretur. Hoc fuit factum & firmatum in capitulo S. Mauricii, in presentia domni Wlgerii episcopi, presente abbatis & sanctimonialibus anno ab incarnatione Domini MCXXVI. Post biennium Conanus Britannorum dux & mater ejus Ermengardis, restitutam a se capellaniam monasterii sanctorum Cyrilli & Julitte, quam comes Budicus & Adois illius conjux construxerant, Aldeburgi abbatis reddunt, presentibus Hildeberto Turonum archiepiscopo, Ulgerio Andegavensi, Hamelino Redonensi, Galone Leonensi, & Guidone Cenomannensi episcopis. Plura de Hildeburge inferius.

LXXXIX.
Res Cluniacensis.
a V. lib. 73. n.
13.
b Petr. Ven. lib. 1. mirac. c. 11.

Hoc ipso anno Bernardus-Grossus dominus castri Uxellæ seu Ufellæ, patruo suo Bernardo, itidem cognomine Grosso, priori a Cluniacensi, dimittit quiddam in clauso de Montibus habebat. Prædictum castrum exstruxerat his antiquior Bernardus-Grossus, referente Petro b Venerabili, nobilitate & potentia seculari illustris, qui munitiones quasdam Cluniacensi monasterio proximam possidebat, multaque gravamina eidem loco, & circumpositis ecclesiis inferebat. Sed tandem respiciens, sanctum Hugonem abbatem adiit, & in peccatorum suorum piaculum ad limina apostolorum se ire velle significavit. quo ex itinere rediens, apud Sutram Urbi proximam mortuus, ibidemque humatus est. Is aliquot post mortem annis præposito cuidam Cluniacensi apparuisse dicitur, & preces pro se a sancto Hugone petiisse. Uxella * locus est pagi Cabilonensis Cluniacum inter & Cabilonem haud longe a Graona fluviolo positus, marchionatus titulo insignis. Anno sequenti Willelmus de Borbonio de quibusdam prædiis pactum iniit cum Bernardo Cluniaci priore, qui litteris hac de re scriptis subscribit Bernardus-Grossus de Wissella.

* Uxelle.

XC.
Loci-Dei abbatie fundatio & abbates.
c lib. 72. n. 78.

Dalonenſi apud Lemovices monasterio c tunc præerat Rogerius abbas, qui gregis sui dilatandi cupidus, quosdam e fratribus suis misit ad perquirenda opportuna loca, ubi alia monasteria ædificari possent. Illi itaque in Ruthenensem pagum profecti, quemdam in eo locum, vepribus oblitum silvisque, latronibus infestum, invenerunt, quem solitudini aptum rati, ad divinum cultum convertere decreverunt. Erat is locus in potestate cujusdam viri nobilis, Adoini de Parisio nomine, qui illis petentibus eum ad construendum monasterium libenter concessit. Illic regularia ædificia hoc anno ædificari coepit die festo S. Augustini, assentiente Ademaro Ruthenensium præfule, Richardo comite & filio ejus Hugone tenentibus principatum. Exstructa non grandis operis basilica ab eodem episcopo consecratur, & locus, qui antea ob latrocinia & cædes Locus-diaboli vocabatur, Locus-Dei * nuncupatur. Primus ibidem abbas institutus Willelmus, annis novem cum dimidio locum rexit. Successit ad decennium Amelius, cujus tempore majoris ecclesiæ fundamenta jacta sunt, anno scilicet MCLIX. quo anno Amelius ad Dalonensem abbatiam translatus est. Ipso anno suffectus Willelmus de Cassania, quo ad Fulgensium abbatiam post triennium migrante, suffectus ad duos annos Bernardus. Hic successore habuit Arnaldum abbatem ejus loci quintum: cujus tempore, id est anno MCCXIX. Amelius Dalonenſis abbas se suumque monasterium Cisterciensi instituto & domui Pontiniacensi subdidit. Eodem anno Arnaldus Loci-Dei abbatiam abdicavit, quæ Stephano abbati cessit. Is post sex annos itidem eam dimisit, ejusque regimen Willelmus de Cassania resumit ad biennium. Denique sub ipsius Willelmi successore Alberto hæc abbatia Bonæ-vallensium Ordinis Cisterciensium monasterio unitur sub Guillemo Bonæ-vallis secundo abbate, qui recens Ademaro successerat. Hæc omnia ex Loci-Dei monumentis nobis communicavit clarissimus Claudius Fleury, primo Loci-Dei abbas, modo prior Argentoilensis.

XCI.
Stephani de Mureto obitus, regula, & doctrina.

In prædicto pago Lemovicensi apud Muretum supremos vitæ dies absolbebat beatus Stephanus de Mureto, Grandimontensis Ordinis auctor, cum eum inviserunt duo legati cardinales, Gregorius & Petrus-Leonis, qui postea de summo pontificatu disceptarunt. Post octo ab eorum recessu dies, pridie nonas Februarii vir

ANN. CHR.
1124.

Dei, mortis imminens præcius, se totum precibus erudiendisque discipulis impendit. His percontantibus, quo pacto post ejus mortem in tanta rerum temporalium penuria vivere possent, respondit: Deum solum vobis relinquo, cujus tempora universa, cujus amore puncta & vosmetipsos reliquistis. Si amando paupertatem ei constanter adhaeritis, nec a veritatis via declinaveritis; ipse pro sua providentia, qua mirabiliter omnia pacit & gubernat, vobis quod expedire noverit, largietur. Quinta die dolore correptus, in oratorium portatur: ubi finita missa, post sacram unctionem & perceptionem corporis & sanguinis Domini, octogesimo ætatis suæ anno, ut aiunt, in ordine diaconatus, postquam Deo animam suam commendasset, ad eum feliciter migravit VI. feria, VI. idus Februarii, ut habet vitæ scriptor; qui chronici characteres huic anno conveniunt. Ubi ejus obitum rescire monachi S. Augustini abbatæ Lemovicensis, qui in vicina præpositura Ambaziaco * residebant, ad reddendos viro sancto supremos honores illuc concurrerunt. Libellum de S. Stephani vita ex majorum relatu & quibusdam scriptis contexit Gerardus Grandimontensis Ordinis præpositus septimus, sed parum accurate, ut superius a demonstratum est ubi de ejus Regula b fuse differimus. Eam non ab ipso Stephano fuisse conscriptam asserit ejus editor Rotomagensis, sed verbo & exemplo per quinquaginta fere annos in discipulorum cordibus sculptam, & postmodum ab ipsis, maxime vero a Petro Lemovicino, qui immediate successit S. Stephano, fuisse collectam, & deinceps a Girardo Grandimontensi septimo priore in eum ordinem, qui nunc habetur, redactam. [Hæc absque ullo rationis aut traditionis fundamento ab ipso editore dicta sunt; nam qui præclaram hanc regulam attente legerit, verum ipsius auctorem facile apprehendet S. Stephanum, qui seipsum prodit tum in prologo tum capp. 9. 11. 14. Verum aliud] dicendum de ejusdem beati Stephani moralibus dictis, quæ ab ejus discipulis tumultuarie collecta sunt, nuper in gallicum sermonem partim conversa: in quibus auctoris eximia pietas, & insignis rerum secularium contemptus elucet. Gerardus septimus Ordinis præpositus Stephanum a Clemente III. in sanctorum classem referri curavit, atque e tumulo levavi, in quo ejus corpus, Mureto Grandimontem translatum, depositum fuerat a Petro Lemovicino Stephani successore, qui propter quasdam cum Ambaziacensibus monachis similitates, conventum Mureto transtulit Grandimontem, una tantum leuca distitam, qui locus Grandimontensi Ordini nomen dedit.

Mira sunt quæ veteres, nec immerito, de hoc Ordine prædicant. Hos tamquam angelos suspiciebat Petrus c Cellensis, qui fructum sibi haud dubium proventurum non dubitabat, si vel unam oratiunculam angeli illi ad Deum pro se funderent. Johannes d Sarisberienſis Magni-montis seu Grandimontis incolas vitam perarduam elegisse dicit, & non modo avaritia, sed & ipsius naturæ quodam modo dominatores, omnia necessitatis imperia exclusisse, & abjecisse sollicitudinem craftini. Hinc Stephanus e Tornacensis episcopus eos Bonos-homines, eorumque domos Boni-hominias vocat. nam bonitatis illorum, inquit, testis est, & exclusa cupiditas, & inclusa paupertas. Et quoniam radix omnium malorum cupiditas inter illos aruit, recessit ambitio, litigandi materia sublata est, solitudo claudit, paupertas premit, humilitas ligat. Ea porro erat eorum de rebus temporalibus incuria, ut earum curam in fratres quos conversos vocant, penitus rejecerint. quod magnorum scandalorum in Ordine seminarium fuit, ut in consequentibus videbitur. Ceterum annua erant eorum capitula generalia in die festo sancti Johannis-Baptistæ. unde Petrus f Cellensis ad eos scribens, hanc sollempnitatem diem Domini sanctum vocat, quando ad matrem pulli gallinæ revolant, & de singulis locis vestris, inquit, rivuli ad locum, de quo exierunt, resuunt, ut de paterna instructione & correctione reparato meatu copiosus & fortius iterum fluant. Idem rogatus sententiam suam dicere super præ excellentia hujus Ordinis & Cisterciensium: Non est meum, inquit g, Ordines sanctorum judicare, neque meis stateris merita illorum appendere. Suo domino stant, aut cadunt. stant autem. Opinioni tamen meæ est, plus rigoris, plus justitiæ, plus severitatis, plus etiam discretionis esse in Ordine Cisterciensi, quam in illo, qui mihi incognitus est, & de quo propter incertitudinem nullam præcipitare audeo sententiam. Ita vir modestissimus.

Per id tempus Clara-vallis, nova sobole crescens in dies, alios aliis monasteriis proferebat rectores, alios cælo inferebat. Unus ex his primus fuit Galdricus Bernardi avunculus, cujus obitus hoc tempore accidit. Is est, qui visis Bernardi

* Ambazac.

a lib. 64. n. 37.
b ibid. n. 113.XCII.
Grandimontensis Ordinis commendatio.
c Petr. Cell. lib. 63. ep. 8.
d Polycr. lib. 7. c. 23.
e Steph. Torn. ep. 2.

f Petr. Cell. lib. 8. ep. 7.

g id. lib. 9. ep. 12.

XCIII.
Galdrici Bernardi avunculi obitus.

ANN. CHR. 1124.
a Vita lib. I. c. 9.
b *ibid.* c. 10.

adhuc juvenis miraculis, cum aliis ejus fratribus & filiis spiritualibus mirabantur, nec tamen a more carnalium in gloriam elevabantur humanam, sed juvenili ejus aetate, & novae adhuc conversationi; spirituali sollicitudine metuebant. In his Galdricus avunculus ejus & Guido primogenitus fratrum ceteros anteibant, verbisque durioribus exagitantibus teneram ejus verecundiam, calumniantes etiam bene gesta, & hominem mansuetissimum, nihilque contradicentem, frequenter usque ad lacrymas improperiis & opprobriis affligentes. Sed tandem Galdricus ipse aliquando infirmatus, & ipsa doloris magnitudine superatus, Bernardum, ut sui misereretur, obsecrare coactus est, ut opem sibi ferret, quam ceteris afferre consueverat. Tandem idem Galdricus, cum in Clara-valle aliquot annos peregrisset, fervens spiritu, & totius boni emulor, ex hac luce migravit. qui ante unam fere horam mortis turbatus ad momentum, & toto corpore motus infremuit, ob visos scilicet, ut Bernardo postea revelavit, duos spiritus nequam; sed mox ad pristinam serenitatem reversus, vultu deinceps placidissimo exspiravit.

XCIV.
Bartholomæus Firmatatis abbas post Petrum factum episcopum.

Cisterciensium episcoporum leges.

Eodem fere tempore, cum Petrus Firmatatis primus abbas in archiepiscopatum Tarentasiensem assumptus esset, primus utique e Cisterciensi familia episcopus, in ejus locum apud Firmatatem successus est e Clara-valle Bartholomæus, Bernardi frater ab ipso nato proximus, aliis sanctitate non impar, sed forte consilio superior. quæ prima fuit individua illius fraternitatis, molesta quidem, sed necessaria separatio. Manricus Petri archiepiscopi occasione observat, apud Cistercienses severe cautum esse, ut, qui ex illorum cœtu ad episcopalem dignitatem promovebantur, religiosum habitum, abstinentiam, ceteraque prioris instituti regulares leges, quatenus novus ipsorum status ferebat, retinerent. Huc spectat decretum Institutorum Cisterciensium, in quorum capite LIX. hæc leguntur: *Episcopi de Ordine nostro assumpti consuetudinem nostram tenebunt in qualitate ciborum, in forma indumentorum, in observatione jejuniorum, in officio horarum regularium: excepto quod mantellum de vili panno & pelle ovina, & pileum similem aut simplicem habere poterunt qui voluerint: cum quibus tamen rebus claustra nostra minime intrabunt, nec conventibus nostris intererunt propter dissimilitudinem.* Unde in variis capitulis generalibus sæculi tertii-decimi, cum quidam ex illis episcopi a regulari habitu & vivendi norma deficere cœpissent, graviter arguuntur; & si id in posterum non emendent, Ordinis societate privati denuntiantur. Neque ea lex Cisterciensibus peculiaris erat, sed a primis Ordinis nostri temporibus usu recepta, ut fusc alias demonstravi in Præfatione secunda ad Acta sanctorum sæculi quarti Benedictini capite VII. De altero Petro insigniori ad sedem Tarentasiensem ex Bona-valle assumpto inferius agendum.

XCIV.
S. Aniani abbas Willemus eligitur.
* S. Chignan. c. lib. 70. n. 16.

In Septimania post Ermengaudum S. Aniani * ad Vernodubrum abbatem, de quo superius c facta mentio est, unanimi fratrum consensu electus est Willemus, ut patet ex eorum litteris ad Arnoldum Narbonensem archiepiscopum, a quo hanc electionem confirmari postulant. Litteras illas hoc loco referre visum est ex authentico Narbonensi.

*Viro totius venerationis gloria celeberrimo, & cum celebritatis titulis insignibus in hac & in diversis regionum partibus longe lateque famosissimo Arnaldo, Dei ipsiusque fidelium nutu Narbonæ sedis archiepiscopo, grex pusillus monachorum sancti Aniani honorem ut patri, timorem ut domino. Dignitati vestrae notum fieri volumus, abbatem nostrum Ermengaudum, virum humilem & modestum ab hoc sæculo discessisse. Quare, ne sicuti oves pastoris regimine carentes, diu viam erraticam teneremus, & ecclesia nostra pastoralis officii expertis haberetur; uno corde, uno animo, una voluntate Domino, cui recta omnia patefacta sunt, genibus in terra ante altaria sacra positis supplicantes Deum exoravimus, ut nobis patrem, Dei & sancti Benedicti regulam observantem, sua pietate ipsemet eligeret, & electum nobis tribueret, & virtutis suæ gratia illustraret. Facta siquidem oratione, omnes de pulvere lacrymantibus surreximus, & quasi alter alteri subauriculasset, cum antea mentio ipsius nulla facta fuisset, unum de nostris confratribus, nomine Willemum, conclamantes, in nomine Domini pastorem nobis & dominum elegimus, eique subjici & obedire, sicut beatus Benedictus præcipit, omni tempore vite nostræ volumus. Vos igitur, quasi pedibus vestris provoluti, nos omnes per ordinem, ego prior Ramundus *, & ego Ramundus sacristos, & ego Johannes cellerarius, & ego Bernardus camerarius, & ego Petrus, &*

* sic.

ego Ramundus sacerdos, & ego Raymundus & ego Petrus levita, & ego Berengerius elemosinarius, & ego Willemus & ego Petrus subdiacones, & ego Berengerius & ego Willemus acolij, & ceteri fratres, humiliter deprecamur, ut nobis eum consecrare in abbatem dignemini. Valete.

Nulla hic mentio de abbate vel conventu S. Pontii Tomeriarum, cui Bertrandus archiepiscopus, Arnaldi intermedio Richardo antecessor, S. Aniani monasterium subicere voluerat, ut superius a vidimus. quod forte effectu caruit. Post Willemum abbatem hic laudatum magnus hiatus est in ferie ejus loci abbatum, deficientibus usque ad insequens sæculum ad eam continuandam monumentis.

Redeo ad Galliam Belgicam, ubi in Lescienti seu Lætiensi Hannoniæ monasterio Reinerus religiosissimus abbas hoc anno mortuus est, successoremque sui similem habuit Wedricum, qui præfecturam rite administravit. Hic quippe componendis monachorum suorum moribus totum se addixit, nec minorem de excolendis eorum ingeniis curam habuit. Quam ob rem viros doctrina ac pietate claros undique conquisivit, & numerosam librorum copiam intulit in bibliothecam. Ejus tempore Gosselinus seu Gossuinus de Oisaco Castellanus Cameracensis Avesniensem honorem post Theodericum monasterii instauratorem, qui sine liberis deceaserat, obtinuit; & monachis non parum infestus fuit: sed demum ex transmarina peregrinatione reversus, eis se benigniorem exhibuit. Huic piissima conjux erat Agnes, Anselmi Ribodimontis comitis filia, quæ post mariti obitum se totam rebus divinis in Lescienti ecclesia mancipavit, & beatæ Hiltrudis feretrum fabricari curavit, ibidemque post mortem sepulta est. Gossuino absque liberis defuncto successit ejus ex forore nepos Walterus, cognomine Plukellus, qui multa Lescienti ecclesiæ mala irrogavit, molitus ea auferre, quæ ipsius antecessores eidem ecclesiæ contulerant. Hinc medium se interposuit beatus Bernardus Clara-vallensis abbas, & pacem inter partes conciliare studuit; at eam non multo post violavit Gossuinus, ac deinceps monachis infestus esse perseveravit. Exstat ipsius Bernardi epistola ad abbatem Lætiensem, haud dubie Wedricum, ejusque monachos, quibus unum e suis, Robertum nomine, qui Clara-vallem se receperat, remittit, postulans ut benigne recipiatur, & amoveatur ab illa obedientia, in qua non sine animæ suæ periculo invitatus detentus fuerat. In fine flagitat se certiore fieri de statu domini abbatis, quem graviter infirmatum esse rescierat: *ut aut de vita, inquit, licet mortali, recipiamus gaudium; aut de morte licet vitali, luctum;* de morte quidem ipsi congratulaturus pro adepto premio, sed tristitiam & luctum habiturus pro adempto necessario seu amico, quæ verba probant, quanti Wedricum fecerit Bernardus. Eiusdem Wedrici tempore maxima annonæ caritas fuit, deficientibus arborum colonis, quorum plerique ad sacram expeditionem profecti erant. Tunc Wedrici eximia caritas fuit erga egentes, quæ in illo monasterio semper ad nostrum usque tempus perseveravit. Tandem Wedricus Eugenii papæ jussu translatus est ad abbatiam S. Vedasti, dolentibus Lesciensibus, qui ejus loco Tescelinum elegerunt: cui post annos quinque Helgotus monachus Lariniacensis successit, ejus loci ab instauratione abbas quintus.

Eodem fere tempore S. Michaëlis vicino Teorafciæ monasterio præerat Elbertus abbas, qui Fusniaci locum a Simone S. Nicolai abbate impetravit, & Bartholomæo Laudunensi episcopo ad construendum triennio ante monasterium concessit. Non dubito quin idem sit Elbertus S. Michaëlis abbas, ad quem S. Bernardus scripsit de quodam ejus monacho, quem a peregrinandi proposito revocatum ad suum monasterium remittebat. Hanc epistolam, quia brevis est, pro argumenti utilitate hic referre placet.

Hic filius vester peregrinationem, quam etsi vestra licentia susceperat, nostro consilio deserens, ad vos reversus est. Cum enim cognovissemus, viam illam & eum requisisse per levitatem, & vos ob illius improbitatem annuisse: dure, ut dignus erat, increpatum reverti persuasimus, suæ siquidem, quantum conjicere potuimus, levitatis & improbitatis penitentem, ac de cetero emendationem pollicentem: Rectius judicantes, quantumlibet reum in suo monasterio monachum penitentiam agere, quam foris vagando provincias circumire. Neque enim terrenam, sed caelestem requirere Jerusalem monachorum propositum est; & hoc non pedibus proficiscendo, sed affectibus proficundo. Vos autem, Pater, non molestam habeatis ejus reversionem, etsi suspectam habeatis ejus conversationem: quin potius gaudete, quia hic filius vester mortuus fuerat; perie-

ANN. CHR. 1124.

a *ibid.*

XCVI.
Reinero abbatem Lescienti successit Wedricus

b *V. Spicil. 12. p. 601.*

c *Bern. ep. 400.*

XCVII.
S. Michaëlis in Teorafciæ abbatem.

d *Bern. ep. 399.*

ANN. CHR. 1124. *rat, & inventus est.* Haftenus Bernardus, ejusque consilium, tanti doctoris prudentia dignum.

Leiberto seu Elberto haud dubie successit Gislebertus, ex priore S. Nicolai de nemore, ante^a conversionem pro artium scientia, qua pollebat, Plato vocatus: quem Bartholomaeus Laudunensis episcopus, concedente Simone S. Nicolai abbate, S. Michaëlis monasterio praefecit: quod ille brevi tempore in religione & rerum temporalium censu florentissimum reddidit. Sed cum Simon abbas paullo post obiisset, eundem Gislebertum pro sua probitate idem antistes ad S. Nicolai abbatiam, ubi prior fuerat, transtulit, ubi multos labores pertulisse perhibetur. Leoni abbati ejus apud S. Michaëlem successori, Innocentius diploma indulxit anno MCXXXVIII.

XCVII. Nunc agendum est de Simone S. Nicolai abbate, ex cujus schola Gislebertus mox laudatus, multique alii religiosi viri prodierunt. Erat is, ut jam alias diximus, ortu Leodicensis, adeoque concivis & forsan germanus Willelmi abbatis S. Theoderici, ejusque in Remensi S. Nicasi asceterio socius, ex quo ille ad S. Nicolai, hic ad S. Theoderici praefecturam evectus est. Cum hanc dignitatem inuit Simon, illic monastica religio aliquantum inrepuerat, teste Hermannob^b monacho: at per eum post breve tempus ita recaluit, ut in spiritualibus & in temporalibus reflo-ruerit. Quantum illic virtus profectum fecerit, testantur viri pietate & prudentia illustres, qui ex Simonis disciplina ad alia regenda monasteria assumti sunt. Ex his quippe Theobaldus Campaniae comes, Radulfum, consilio domni Norberti, ut superius^c vidimus, a praedicto Simone acceptum, Latiniacensi praefecit monasterio. Simon quoque Noviomensis episcopus a Bartholomaeo episcopo duos sibi dari petiit ejusdem loci monachos, quorum alterum S. Eligii Noviomensis, alterum Elnonensis monasterii abbates constituit: qui quomodo sibi commissas ecclesias, tam interiorum quam exteriorum correxerint, & nobilitaverint, visu potius quam auditu potest hodie, inquit comprobari. Ii fuerunt Theodericus abbas sancti Eligii, postea Ambianensis episcopus, & Absalon abbas sancti Amandi, ad Tornacensem sedem electus, sed non consecratus.

Verum, ut nulla virtus est tentationis expers, idem Simon à suis etiam monachis adeo vexatus est, ut illinc recedere, & irae locum dare coactus sit. Ea de re scripsit ad Bernardum Clara-vallensem abbatem, a quo consolatorias litteras^d accepit, sub hoc initio. *Persecutionem, quam propter justitiam pateris, per litteras tuas non sine compassione cognoscentes, licet Christi consolatio de promissione regni tibi sufficiat; tamen nos, quod nostrum est, & consolationem quam possumus, & consilium quod intelligimus sanum, fideliter exhibemus.* Post haec eum ad patientiam hortatur proposito exemplo Christi Domini & Sanctorum; & sub finem epistolae eidem consulit, ut ad tempus propositi sui rigorem sic temperet, ut infirmorum salutem non negligat. *Invitandi quippe sunt, inquit, ad arctiorem vitam, non cogendi, quibus utique semel in Ordine illo Cluniacensi (sic nigrorum monachorum Ordo tum vocabatur), praesse consensisti. Illis autem qui arctius vivere desiderant, aut condescendere imbecillioribus ex caritate, quantum sine peccato possunt, suadendum est; aut ibidem quod cupiunt permittendum, si absque utrarumque partium scandalo fieri potest; aut certe de congregatione liberos dimitti, fratribusque aliis secundum eorum propositum viventibus sociari oportet.* Hoc consilium sancti doctoris prudentia & religione plenum est. Ex dictis intelligitur, procellam illam saltem ex parte ortam fuisse ex zelo, forsan immodico, Simonis abbatis, qui non satis infirmiorum fragilitati consulebat. Suberat & alia causa, quae fratrum animos in eum exasperabat, nimirum quod altaria quaedam seu ecclesias parochiales, monasterio suo quondam concessas, episcopo Atrebatensi ob simoniae metum resignasset. Electi ad finiendam altercationem arbitri Samson Remorum archipraeful & Joslenus episcopus Sueffionensis. In litteris Samsonis ad Innocentium II. dicitur abbas Simon, *quia monachi sui cum eo non consentiebant ut altaria illa redderet, aliquanto tempore abbatiam dimisisse, & in longinquam regionem abiisse:* sed tandem a suis revocatus, magis eligentibus, altaribus illis quam abbate suo velle carere. quae res & Simonis abbatis integritatem & monachorum ejus aequitatem probat. Florente tunc temporis apud sanctum Nicolaum religione, non modo vicina sed etiam nonnulla aliarum provinciarum monasteria cum eo societatem suffragiorum iniere. In plerisque a Simone stabilitis, pro unoquoque defuncto praeter alias preces singuli sacerdotes missam unam celebrare tenebantur, ceteri

XCIX. Persecutiones patitur. d. Bern. ep. 83.

ANN. CHR. 1124. *ter*

ANN. CHR. 1124. *ter* missae loco certum psalmodum aut orationum dominicarum numerum perfollebant. Obiit Simon anno MCXXXIII. successorem fortitus Gislebertum modo laudatum, sui quondam monasterii priorem, tunc vero S. Michaëlis in Teorafcia abbatem. Hoc ipso anno confirmata est donatio villae de Farnitiis jam antea ab Ingelramno de Fara & Roberto fratre ejus ac earum matre Milefende eo pacto facta, ut ibi prioratus pro monachis sancti Nicolai institueretur, praecedente pro Ingelramno eorum avo, & pro Thoma de Marla eorum patre ac ceteris praedecessoribus eorum funderentur. Donationi praesens adfuit Rainaldus metropolitanus Remorum, cum Guilielmo abbate sancti Theoderici, Gisleberto sancti Michaëlis, Gaufrido sancti Medardi, Theoderico sancti Eligii, consentientibus Ingelramni baronibus, quorum plerique etiam propria donaria addiderunt, quae omnia tandem Bartholomaeus Lauduni antistes, cum cleri sui proceribus & Ingelramni militibus dioecesana auctoritate firmavit.

Actum est in superioribus^a de primis incunabulis Aurea-vallis monasterii, quod a Calabris monachis inchoatum, sed imperfectum relictum fuisse diximus. Verum Otto Chiniensis comes, quod Arnulfus comes ejus pater imperfectum reliquerat, perficere constituit; basilicam supremam admovit manum, eamque hoc anno consecrari curavit, ut testantur ejus hac de re litterae, quarum haec verba. *Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo vicesimo quarto, indictione tertia, pridie kal. Octobris dedicata est ecclesia in honorem sanctae & perpetuae virginis Mariae in Aurea-valle a domino venerabili episcopo Henrico Virdunensi, jussu & petitu domini archiepiscopi Trevirensis Godefridi primo anno suae ordinationis, regnante Henrico hujus nominis quarto, anno secundo reconciliationis inter regnum & sacerdotium. Cujus dedicationi ecclesiae interfuit Otto comes de Chisnei cum sua uxore Adalade & filiis, domino scilicet Friderico Remensis ecclesiae praeposito, & Alberto post patrem comite, & aliis quamplurimis nobilibus & liberis hominibus.* Idem comes in eorumdem praesentia locum ipsum cum suis appendicibus omnino liberum esse voluit, sicut pater suus Arnulfus fecerat, sine retentione cujusvis juris vel advocacionis omnium eorum, quae tunc possidebant, vel possessuri erant fratres ibidem Deo servientes, quod argumento est quosdam sive clericos, sive monachos, tunc illic existisse. Idipsum sequentia verba probant, quibus Otto comes ad stipulantibus uxore & filiis suis concessisse dicitur, ut quisquis vellet converti de saeculo ad locum supra-dictum, liberam haberet facultatem quidquid vellet illi dare loco, vel quilibet alius. Canonicos regulares illic post discessum Calabrorum monachorum, primum quidem sub Fulberto, dein Herberto praepositis existisse plerique existimant: sed tandem anno MCXXXI. illuc inductos fuisse constat Cistercienses monachos, quos Alberus comes a S. Bernardo expetiit. Hujus rei cura mandata Guidoni Trium fontium abbati, quae prima Clara-vallis filia est, missaque ab eo colonia duce Constantino, qui primus Aurea-vallis abbas extitit. Ibidem nostro tempore, auctore Carolo religiosissimo abbate, adhuc superstiti, reflo-ruit primigenia Cisterciensis instituti disciplina, a monachis circiter centum praeter conversos cum totius regionis admiratione religiose observata, quam ad nostrum omnium exemplum diutissime retineri optandum est. Idem abbas monumentum in Alberti loci conditoris memoriam erectum, quod vetustate pene omnino obsoletum erat restitui curavit, novaque inscriptione illustravit anno MDCCII.

Ab hoc monasterio pender, distatque tantum sesqui-leuca S. Wlilaici * ecclesia quam famosus ille stylites saeculo sexto extruxit octo circiter millibus ab Epofio * castro, teste Gregorio^b episcopo Turonensi, qui ibidem sanctum illum diaconum invenit, & ab eo vitae illius feriem didicit.

In Hollandia, cum Athalardus^c seu Adalardus abbas Egmondensi monasterio annis fere uno & quadraginta praefuisset, hoc demum anno vitae cursum explevit xiv. kal. Octobris, sepultusque est in parochiali beatae Mariae ecclesia, quam extruxerat. Eo mortuo, Petronilla comitissa, quae comitatum Hollandiae ob impuberem filiorum aetatem administrabat, Anselinum capellanum suum monachum fieri, dein abbatem institui sategit. Verum quam abnormis ejus ingressus, tam perversa fuit ejus administratio; sicque res cum in temporalibus, tum in spiritualibus pessum ruit. Quam ob rem illo post annos quinque abjecto, Petronilla errorem agnoscens, ab Arnolde S. Petri apud Gandavum abbate monachum expetiit, qui idoneus esset animas regere, exteriora procurare, & lapsa instaurare. Missus ad id operis Wal-

C. Aurea-vallis basilicae dedicatio. a lib. 63. n. 62.

S. Wlilaici ecclesia. * S. Walfroy. * 1209. b Greg. Tur. lib. 8. c. 15.

C1. Egmondenses abbates. c lib. 58. n. 6.

ANN. CHR.
1124.

terus, tunc præpositus Lenfensis prædii, quem Andreas Trajectensis episcopus in vigilia nativitate beatæ Mariæ abbatem ordinavit. Ille autem, viso miserabili loci statu, quo se verteret incertus, tandem spe in Deum sub S. Adalberti patrocinio defixa, prosperum in omnibus successum habuit, & omnia, tam interiora, quam exteriora optime composuit.

CII.
Spanheimense
monasterium.
* *Creutznach.*
* *Nave.*

Exstat in diœcesi Moguntina haud procul a Crucinaco * opido intermedio Nava * flumine, Spanheimense seu Sponheimense monasterium, quod hoc anno a monachis inhabitari cœpit. Illic ineunte sæculo undecimo inchoata fuerat ab Everardo comite ecclesia, clericisque commissa: at filius ejus Stephanus initio sæculi insequentis eam in monasterium erigere constituit. Verum cum ille opus tardius exsequeretur, morte interceptus id imperfectum reliquit; cui Meginhardus comes, instigante Mæthilde seu Mathilde conjugæ, supremam imposuit manum. Consecrata ejus loci ecclesia a Buggone Wormateni episcopo sub patrocinio beatissimæ Dei genitricis & S. Martini Turonum episcopi, illuc inducti sunt nostri Ordinis primi cœnobitæ duodecim, octo scilicet sacerdotes, & quatuor conversi, ex Moguntinis S. Albani & S. Jacobi monasteriis assumpti, quibus Bernhelmus præfectus est, primus ejus loci abbas. His actis, Meginhardus comes Adalbertum Moguntinum archipræsulem adiit, a quo ejus loci confirmationem obtinuit, eamdemque ratam habuit Henricus imperator: quibus Honorii papæ II. confirmatio demum accessit.

CIII.
Bernhelmus
primus abbas.

Quod attinet ad Bernhelmum abbatem, is honestis parentibus in Spanheimensi comitatu natus erat: qui, cum annis haud paucis Stephano comiti militasset, in S. Albani monasterio meliori militiæ nomen dedit, ubi magister scholarum fuisse dicitur, & quædam opuscula scripsisse; ibidemque Spanheimii abbas, adstantibus quatuor abbatibus, videlicet Volberro S. Albani, Werenboldo S. Jacobi, Adelhuno S. Disibodi, & abbate S. Ferrucii in *Blidenstat* ordinatus fuisse. Huic erat foror, nomine Mæthildis, apud S. Albanum pro Dei amore inclusa, quam assensu Adelberti archiepiscopi & Volberti abbatis illinc transtulit, & in cellam novam, quam ei circa Spanheimense monasterium exstruxerat, cum Sophia virgine reclusit; unde loco Clusæ nomen inditum est, ubi complures postea reclusæ religiosissime vixerunt. Hæc pluribus prosequitur Trithemius in chronico Spanheimensi, quod ille per annos quindecim, cum ejus loci abbas esset, inter varias præfecturæ occupationes elaboravit, & ad suum tempus, id est ad annum MDCXI. perduxit.

CIV.
Clusinum mo-
nasterium. Pri-
mi abbates.

Aliud virorum Ordinis nostri monasterium est, opido Gandershemensi adjacens, in diœcesi Hildershemensi, Clusa iridem dictum, quod hoc anno sollempniter dedicavit Bartholdus episcopus Hildershemensis sub invocatione beatæ Virginis Mariæ, sanctæ Crucis, sancti Georgii martyris & omnium sanctorum. Primi loci fundatores ignorantur, sed inter benefactores haud infimum tenet locum Athelheidis abbatissa Gandershemensis ejus nominis tertia, Henrici tertii imperatoris filia, quæ nedum in ipso monasterii sui fundo Clusense construi permisit, sed & eidem silvam vicinam hoc ipso anno contulit. Primus Clusensium abbas Henricus fuit, cui successit Winemarus, tum alter Henricus, Aliorum abbatum seriem & nomina, sed absque chronicis notis descripsit Henricus Bodo Clusinus monachus in cœnobii sui chronico, a quod medio circiter sæculo XVI. scripsit, cum Syntagmate de ecclesia Gandesiana. Clusinæ dedicationi non diu superstes fuit Athelheidis abbatissa, anno insequenti mortua. Successit Bartha prima, quæ donationem trium manforum in *Lutholwessen* a viro nobili Geltmaro, qui eos in feudum ab eadem domina acceperat, Clusinis factam probavit, monasteriumque visitans confirmavit anno MCXXVII. obiisse videtur anno MCXXXIII. aut insequenti. Nam Leutgardis seu Loicardis, quæ eam excepit, Goslaræ consecrata est anno MCXXXIV. a Bernharo episcopo Hildershemensi coram Lothario imperatore. Ea abbatissa procurante & saragente Clusinorum mores in melius reformati sunt; non quod tam brevi temporis spatio a pristino vivendi genere descivissent, sed quod id in monasterium induxissent, quod in plerisque aliis Germaniæ monasteriis tum temporis obtinebat, remissius utique. Cum autem sanctiora Cluniacensium instituta jam suscepissent aliqua cœnobia, inde vocati Clusam monachi eadem secum, Clusinis quibusdam licet renitentibus, induxerunt. Tum donationum monasterio hætenus factarum confirmationem, novaque privilegia a Lothario imperatore & Bernardo Hildershemensi episcopo impetravit

a *Leibn. Rerum.*
Brunsv. 10. 2. p.
330. 345. 670.
3. p. 701.
Abbatissæ Gan-
dershemenses.ANN. CHR.
1123.
Brunteshufen-
se monaste-
rium.

Leutgardis. In primis, ut cœnobiorum Clusensis & Brunteshufenensis unum esset regimen, unus abbas & unus baculus, manentibus tamen impermixtis suis cuique monasterio reditibus. Deinde ut libera esset abbatis electio, ea tamen lege ut electus coram abbatissa & conventu Gandershemensi se sifteret, confirmandus, si modo canonica esset electio, accepturusque baculum pastorem de altrari beatorum Johannis-Baptistæ, Anastasii & Innocentii, Gandershemensis ecclesiæ patronorum, indeque abbatissæ opera ad episcopum deducendus consecrationis gratia. Denique ut abbas utriusque ecclesiæ, Clusensis & Brunteshufenensis, cum interiora, tum exteriora disponat, liber ab omni subjectionis alicujus exactione vel servitio, eo dumtaxat excepto, quod vocatus ab abbatissa consilii causa, non se difficilem præbeat, atque in festivitibus præcipuis ad celebrandas missas, & ad solatia infirmis fororibus impendenda invitatus, occurrat. Acta sunt hæc anno MCXXXIV. Celebre vel eo nomine evasit Clusense monasterium, quod ab eo initium cepit reformatio Bursfeldensis. De Brunteshufenensi cœnobio, vulgo *Brunteshausen* seu *Brunshausen*, nihil speciale dicendum occurrit. Inchoatum dicit Bucelinus in ducatu Brunsvicensi a Brunone I. Saxonum duce, absolutum vero a Ludolpho ejus filio, circa annum DCCCLIX. pro virginibus sacris, a quibus adhuc incolebatur anno MCCVI. sub regimine unius præpositi regularis, quem illuc mittebat Clusinus abbas.

[Exstat in Coloniensi diœcesi insigne S. Alexandri Graffchatense monasterium ab Annone archiepiscopo ditissime fundatum. Illud cum aliquando visitasset Fridericus archiepiscopus, de suis possessionibus ad usum fratrum aliquid superaddere statuit, sperans cum sanctissimo ejus conditore partem aliquam in terra viventium obtinere. Unde cum infra terminos curiæ suæ *Badolich* quidam *Jalen* nomine allodium suum Wicberto abbati prædicti cœnobii vendidisset, illud allodium S. Alexandro confirmavit, adjiciens ecclesiæ quidquid ex jure suo *Jalen* habuit. Præterea cum tres libras & dimidium decimationis Soslatii ex dono S. Annonis obtineret prædicta ecclesia, & locationem ejusdem decimationis usurpasset villicorum injusta violentia, locationem fratribus Graffchatensibus resignavit confirmavitque Fridericus, sed & decimam de vinea *Thielbach*, quam Sigevinus prædecessor suus in dotem ecclesiæ Graffchatensis in die consecrationis illius contulerat, ab ipsa ecclesia per villicos de *Bacherach* alienatam restituit. Hæc confirmatio acta est Colonia præsentibus Henrico præposito de Domo S. Petri, id est ecclesiæ cathedralis, Ekkeberto ejusdem loci decano, Godefrido de S. Severino, Henrico de SS. apostolis, Theoderico de S. Maria in Gradibus, abbatibus Gerharo de S. Pantaleone, Albano de S. Martino, Ruperto Tuitiensi, Cunone Sigeburgensi, Hermano ejusdem ecclesiæ advocato, Gerharo comite Juliacensi, &c.]

CV.
Diploma Fri-
derici archiepi-
scopi Colo-
niensis pro
Graffchatensi
cœnobio.

[Eodem tempore Ludovicus Francorum rex universa beneficia ecclesiæ SS. Vincentii & Germani de Laya a prædecessoribus regibus tradita, videlicet Roberto, qui ipsam ecclesiam a fundamento fundavit, Henrico ejus filio, Philippo patre ipsius Columbenibus monachis confirmavit. Actum publice apud S. Germanum, præsentibus episcopis nostris Carnotensi videlicet, & Manasse Meldensi, cum clericis suis, abbate scilicet Stephano de Valeia, & Hugone de Leugis præposito, & Galterio de Bonavalle archidiacono & aliis multis. Data anno verbi incarnati MCXXIII. regni vero nostri XVII. & Adelaudis reginæ X. adstantibus in palatio nostro, quorum nomina substituta sunt & signa. S. Stephani dapiferi, S. Gisleberti buticularii, S. Hugonis constabularii. Sequenti anno idem rex Rogerio venerabili beatissimæ Mariæ Columbenfis abbati nemus de *Teleo*, & nemus de *Carmeia*, & terram de *Faverolis* concedit, &c. Actum apud S. Leodegarium publice anno incarnati verbi MCXXV.]

CVI.
Ecclesia S.
Germani de
Laya Colum-
benibus con-
firmata.

Hic in quo sistimus annus Pomeraniæ ad Christi fidem accessione insignis existit. Gentem illam jam ante armis subegerat Boleslaus Poloniæ dux, tam religione quam bellica fortitudine clarus; eaque lege admiserat ad pacis fœdera, ut Christi fidem libere sibi prædicari pateretur. At cum idoneus ad id officii minister desideraretur, litteris expetitus est a comite Otto Babenbergensis episcopus, studio propagandæ religionis ea ætate cunctis præstantior, ut probant quindecim monasteria variis in locis ab ipso erecta. Hanc provinciam alacris subiit venerabilis præful, probante summo pontifice Honorio, ut in ejus actis legitur. Hunc per Boëmiam transeuntem dux ipse magnifice suscepit ac donis muneravit. Ibi in abbacia Cladrava, seu ut alii legunt Cladri, ecclesiam in honorem sancti Ni-

CVII.
Pomeraniæ
conversio per
S. Ottonem.

ANN. CHR.
1124.

colai consecravit, forefque velavit. Cumque una ex illis, Richa nomine, amarissime fleret, eam blande consolatus est, promittendo se animam ejus in die iudicii sponfo illius Christo consignaturum. Hæc postea ipso beati antistitis anniversario depositionis die defuncta est; atque eo titulo factis Benedictinis uti *venerabilis* adscripta. Otto inde in Poloniam ingressus est, cui Gneznam accedenti dux ipse, ejusque optimates ducentis fere passibus nudipedes occurrere. Primus ejus apostolicus labor fuit apud Pirissam urbem, ubi septem circiter millia hominum ad baptismum adduxit, duobus illic exstructis baptisteriis, ut in uno mares, in altero feminas baptizaret. Ad utriusque ingressum cortinæ expansæ erant, sub quas singuli tantum baptizandi intrabant *cum patrinis suis*, qui baptizandi vestem ac cereum, *illo in aquam descendente*, accipiebant, & ob oculos suos tenentes expectabant, donec eam redderent de aqua exeunti. *Sacerdos vero qui ad cupam seu sacrum fontem stabat, cum audisset potius quam vidisset*, baptizandum in aquam ingressum esse, *velo paululum amoto, trina immersione capitis illius, mysterii sacramentum perficiebat, unctumque liquore chrisimatis in vertice & alba imposta, reductoque velo, de aqua baptizatum exire jubebat, patrinis vesse, quam tenebant, illum cooperientibus atque deducantibus*. Hic priscus erat ritus conferendi baptismatis, ab Ottone observatus, quem nusquam alibi tam accurate & distincte explicatum inveni. Idem in catechistico sermone ad baptizatos, de septem ecclesiæ sacramentis eos instruebat, distincte mulieribus conjugatis prohibens, ne, quod illæ pro arbitrio facere solebant, partus suos necarent. Pirissa profectus Caminam, tantum etiam fructum fecit, tantaque se obrulit baptizandorum multitudo, ut iis abluendis manus & vires ei deficerent. Non tam facile res successit apud Julinam civitatem, ubi multis plagis, contumeliis & injuriis affectus est. Mitto alios ejus aliis in locis labores & profectus.

CVIII.
Wignandi ab-
batis ad eum
revocandum
litteræ & obi-
tus.

Dum in illa expeditione diu verfaretur vir sanctus, litteras ad eum scripsit Wignandus, Tariscensis cœnobii ab eo conditi venerabilis abbas, quibus litteris sui, suorumque de eo revifendo desiderium exponit; jam quippe tempus esse, ut post tanti ministerii opus consummatum, multis barbaræ nationis sacro fonte lustratis, everfis delubris, reædificatis ecclesiis, ad proprias oves reverteretur. Hic est Wignandus, præ ceteris Ottonis consiliorum & secretorum conscius, cui civitatis curam se absente commiserat, & officium tegendæ majoris ecclesiæ S. Petri cupreis laminis ad arcenda ignium pericula. Hic cum fere centenariæ esset ætatis, & plurimum in opere Dei nocte dieque laborasset, integris nihilominus sensibus viribusque vigeat, ita ut corpus ejus quamdam resurrectionis speciem præ se ferre videretur. Fuerat is primum in Bambergensi S. Michaëlis monasterio præpositus seu prior sub Wolframo abbate, inde ab Ottone abstractus ad regendum Tariscense cœnobium, quod annis amplius triginta recte administravit. Sacra missarum mysteria singulari pietate celebrare solitus, ad ea similiter frequentanda suos hortari non desinebat. Extremo vitæ suæ anno, paschalem quinquagesimam consueta devotione in divinis exegit laudibus, mortisque imminentis haud incertus, ad supremi iudicis jam ad ostium pulsantis adventum elemosynis, sacrificiis, aliisque piis exercitiis se præparabat. Denique feria quarta rogationum, nocturno tempore oppressus infirmitate, ad matutinale officium surgere non valens, accitis fratribus, *canonicum coram se cursum decantari* seu recitari fecit; tum prima luce in capellam suam ad audienda sacra missarum sollempnia se deferri petiit. Inde relatus, pacem omaibus imprecatus, cunctis se paterno affectu commendavit, tandemque feria sexta post ascensionem Domini, sumto viatico, hora nona ex hac vita migravit. Testati sunt qui aderant, in exanimi ejus corpore ne tenuem quidem deformitatis pallorem apparuisse, ita ut vultu decoro dormienti simillimus videretur. Is erat Wignandus abbas, cujus litteris ad suos revocatus e Pomerania Otto, in reditu Pomeranis fidelibus summum mœrorem, suis autem ovibus ingens gaudium attulit, sacratissimo paschali sabbato reverfus. Hæc prima fuit viri Dei ad Pomeranos profectio: quorum nonnullis a fide non multo post deficientibus, Lotharii imperatoris hortatu illuc denuo profectus est.

CIX.
Sublacenses
abbates.
a V. lib. 7. n.
68.

In Italia Johannes^a Sublacensis abbas, cum sacro illi asceterio quinquaginta duobus annis præfuisset, vi. nonas Maii obiit, sepultus juxta ejusdem ecclesiæ murum. Hic *in pace* monasterium reliquisse dicitur: sed tamen Petrus ejus successor, qui tricesimo-tertio loco abbas ponitur, a Callisto II. ordinatus, primo statim ordinationis suæ anno, totoque suæ præfecturæ decursu, cum vicinis suis, maxime

ANN. CHR.
1124.

Tiburтинis, multa bella gessit ob castellum S. Angeli, aliaque, quæ illi S. Benedicto vi auferre moliebantur. Piget hæc referre bella, quæ monachos abbatesve minime decet: sed hæc saltem quali obelo notare juvat. Perstitit usque ad Eugenii III. pontificatum Petrus abbas, de quo nonnisi bella, uti & de ejus antecessore commemorantur.

In Cavenfi prope Salernum monasterio Constabilis^a abbas sanctus ad caelestem patriam migravit xiii. kal. Martii, quo die ejus depositio ibidem duplicis officii ritu celebratur. Sacrum ejus corpus^b non procul a sacra crypta, in sua post chorum marmorea arca reconditum, miraculis clarescere dicitur. Quartus hic fuit sacri illius monasterii abbas, cujus, triumque ejus antecessorum acta litteris mandavit auctor ejus loci anonymus æqualis, in fine testatus se credere eorum precibus & meritis *honestatem & præclaram religionem cum sanctitate in hoc sancto monasterio hæcenus conservatam, & ab omnium hostium incursione & offensione, Domino auctore, usque ad finem mundi liberam fore atque munitam*. quod quidem optare, immo & sperare licet.

Sancto Constabili successit Simeon ejus loci alumnus & quintus abbas, laudatus in vita beati Petri abbatis, beati honore donatus in chronico, uti & sex ejus^c successores Falco, Marinus, Benincasa, Petrus ejus nominis secundus, Bassanus & Leonardus, qui post medium sæculum tertium-decimum e vivis excessit. Aliorum nomina apud Ughellum videre licet.

CX.
Constabilis
abbatis Caven-
fis obitus, &
successores.
a V. lib. 73. n.
61.
b Ital. sac.
to. 7. p. 520.c ibid. p. 521.
& seqq.

P Otero anno supra millesimum centesimo vicesimo-quinto tanta ubique fames, testante in primis Anselmo Gemblacensi, ex hiemis intemperie & cali inclementia grassata est, ut magna utriusque sexus multitudo perierit. Eam ob rem Carolus Bonus^d Flandriæ comes prohibuit, ne per totam Flandriam pro avenæ penuria cervisia conficeretur, dicens, Melius esse, ut divites aquam biberent, quam pauperes fame perirent. Tanta vero fuit optimi principis in egentes munificencia, ut apud Ypras uno die ostingentos supra septem millia panes eis contulerit. In his annonæ angustiis Segardus, S. Martini apud Tornacum abbas, misericordia in egenos permotus, calices argenteos, & alia quædam ornamenta vendidit, & eorum pretio panem in subsidium pauperum comparavit. Eodem quoque tempore Lambertus Sithiensis abbas, cum cetera deficerent, tabulam altaris argenteam in usus pauperum expendit, testante Iperio.

ANN. CHR.
1125.
CXI.
Famis tempo-
re qualis no-
strorum cari-
tatis.
d Spicij. tom.
12. p. 470.

Quæ de Carolo comite & Segardo abbate mox diximus, ea discimus, ex libro restorationis abbatiæ S. Martini Tornacensis, auctore Hermanno monacho, postmodum ejus loci abbate, cujus pater Radulfus *de Osfont* hoc ipso tempore piissime defunctus est, ut idem Hermannus tradit. Radulfus olim in sæculo conjugatus & clarus, ut superius^e vidimus, ex primis fuit, qui instaurato S. Martini monasterio vitæ monasticæ nomen dederunt, assentiente Mainfende conjugæ, tribusque filiis Deo oblatis, præter eum, quem illa paullo post edidit in lucem, Deoque mox pariter consecravit, & ipsa demum facta sanctimonialis. Alter erat in eodem monasterio Radulfus Normannicus, Radulfo Osfontensi amicus, tum cellæ S. Amandi in diocesi Noviomensi prior, qui hoc tempore mortuus, sepultusque est ibidem in claustris ad ostium ecclesiæ a Theoderico abbate S. Eligii Noviomensis, cui pro sua religione valde carus & acceptus erat. Ejus obitu plurimum mœrens Rodulfus Osfontensis, jamdudum S. Martini præpositus, in morbum incidit, quo ingravescente oleo sancto a Segardo abbate perunctus est. Tum quatuor ejus filii monachi eum humi super cilicium deposuerunt, rogantes, ut exemplo S. Martini in cinere & cilicio tribus aut quatuor diebus super terram jacere libenter pateretur. Hunc ita jacentem cum Theodericus germanus ejus, vir dives & sæcularis, invisisset, vehementer flere cœpit: ille vero eum ad sæculi contentum exhortari, dicens omnino parvipendendas mundi divitias, quas etsi Adam ab orbe condito ad hunc diem omnes possidisset, nihil ei profuturas esse aiebat. Sub hæc percontatur, ubi Carolus comes esset, vel quid rei ageret. cui cum filii respondissent, ut ne de talibus sollicitus esset, sed tantum de animæ suæ salute: Immo vero, inquit, de pace & statu tam boni principis solliciti esse debemus, quoniam in pace illius constat pax ecclesiarum, quæ eo turbato pariter turbabuntur. Quapropter & vivens de eo sollicitus sum; & post mortem meam, si Deo donante requiem habuero, libenter

CXII.
Radulfi Tor-
nacensis pia
mors.e lib. 69. n. 13.
& 14.

ANN. CHR.
1125.

pro eo orabo. His dictis, dominica natale Domini præcedente, cum nocturnæ vigilia in ecclesia canerentur, sub mediam noctem, ea fere hora, qua S. Martinus exspiravit, & ipse fidelis ejus servus Radulfus, Deo & ipsi anima commendata, ex hoc mundo migravit. Cum vero Segardus abbas eum in capitulo ante sedem suam humare vellet, ideo maxime, quod monasterium tum ex substantia sua, tum labore & industria majori ex parte construxisset; restitere quatuor ejus filii, & ut potius in cœmeterio fratrum humaretur petierunt. quippe superbæ & vanitati adscribi posse, si in capitulo sepeliretur, idque humilitati, cui semper in primis studuerat esse contrarium. Ad hæc amplius ipsi profuturum, si cum sanctis fratribus sepeliretur. Sic itaque filiorum abbas acquiescens, eum in cœmeterio cum aliis fratribus sepelivit juxta capellam S. Mariæ, quam ipse paulo ante extruxerat. Ibidem etiam humata est Mainsendis olim ejus conjux, quæ duodecim annis ei supervixit, completisque in sanctimoniali habitu annis amplius quadraginta, piissime decessit. Patre mortuo commissum Hermannō ejus filio præpositi officium, in quo patris modestiam imitari studuit. Verum cum a natali Domini usque ad pascha illud administrasset, audire sibi visus est in somnis patrem sibi dicentem, sibi melius consultum futurum fuisse, si ipsi in claustrali vita privato manere licuisset. Unde abbatem enixe rogavit Hermannus, obtinuitque ut a præpositi officio absolveretur. quo ex tempore divinis officiis, silentio, claustralibusque laboribus, maxime libris manu exarandis, qua in re a nullo se vinci patiebatur, totum se mancipavit. Verum non multo post, Segardo abbate mortuo, ejus vices subire coactus est.

CXIII.
Heinrico V.
succedit Lotharius.

Interim Henricus imperator, eo nomine quintus, aliis quartus, pascha Leodici celebrato Aquisgranum contendit, ac morbo dracunculi, quo tentari solebat, vehementius affici cœpit. Inde ad pentecosten Trajecti ad Rhenum peragenda profectus, non multo post, scilicet XII. kal. Junias, aliis biduo citius, morbo ingravescente absque virili stirpe decessit. Corpus ejus Spiram delatum, ibidem juxta patrem, avum & proavum sepulchrum est. Post eum multis de imperio contendentibus, plerique principum in Lotharium Saxoniam ducem, eximia non modo virtute, sed etiam religione præstantem, animos verterunt, & comitiis Moguntiam habitis, quibus Eyrardus & Romanus legati pontificii adfuere, III. kal. Septembris ipsum regem magna consensione declararunt, atque idibus ejusdem mensis per Fridericum Coloniensem archiepiscopum inungi curarunt. Fuit hic princeps sedi apostolicæ maxime addictus, quæ eo imperante nullam ex eo molestiam passa est. De Lotharii electione præclara & singularia refert Ordericus Vitalis in lib. XII. sed hæc ad nostra non pertinent.

CXIV.
S. Dionysio refutata Cellanova.

Illis Moguntiam comitiis interfuit Sugerius Dionysianus abbas, uti discimus ex litteris Maynardi Morispacensis comitis, a nostro Michaële Felibien in historia S. Dionysii relatis. In his legitur, quod Maynardus comes, qui ob vexationes S. Dionysii monasterio illatas excommunicatus erat, cum Suggestio venerabili abbate monasterii S. Dionysii, consensu & consilio uxoris suæ Mathildis, filiorum ac fidelium suorum, in præsentia domni Adalberti venerabilis Maguntini archiepiscopi, & Girardi venerabilis cardinalis & apostolicæ sedis legati, in illo celebri colloquio, quod de electione imperatoris apud Maguntiam habitum est, hanc pacis compositionem fecit. Comes quippe Cellam novam diocesis Mettensis, quam comes Adalbertus incœperat, Suggestio abbati ejusque fratribus donavit. Suggestio vero comitem vinculo anathematis absolvit, & proclamationem suam de Bliesdorf relaxavit. Actum Maguntiam hoc anno.

CXV.
Lamberto Sithiensi abbate languente, tum mortuo, lites de successore.

Altero post Henricum mense pariter extinctus est Lambertus abbas Sithiensis, postquam paralyti percussus, amissa voce, media fere corporis parte præmorta, biennio amplius languisset. Inter ea, dum Lambertus in hoc statu versatur, Sithienses de substituendo rectore altercantur. Qui locum tunc regebant Cluniacenses professi, abbatem suarum partium habere volebant: contra Sithienses, plures numero, unum e suis præferri decertabant. Ad removendam itaque Cluniacensium suspensionem, consilio Johannis Morinorum episcopi, abbas constituitur Simon: at eum Cluniacenses agnoscere detrectarunt. Tandem congregatis omnibus, Carolo Flandriæ comite cum Johanne episcopo præsentem, reclamante Lamberto eligitur Johannes, ejus nominis secundus, qui ex regulari canonico nuper ejus loci monachus factus erat, & a Johanne episcopo, adstante Carolo principe, consecratur.

ANN. CHR.
1125.

Biennio post, hoc scilicet anno, Lambertus abbas fato functus est x. kal. Julias, sepultus in capella beatæ Mariæ, quam pro infirmis ædificaverat. Hic Sithiense monasterium moribus, ædificiis & ornamentis renovavit, ut fufius apud Iperium videre licet. Mortuo Callisto, Sithienses Johannem abjicere tentarunt: at ille Romanam profectus, eorum consilia prævertit: sed tandem ab Innocentio II. depositus est, quod Anacleto adhereret. Sub intruso potius quam canonicè electo, perpetes in monasterio dissensiones fuere, quas Simon ante eum electus, sed postpositus, & tandem in ejus locum legitime suffectus, composuit. Dum Lamberti abbatis anima e corporis carcere solvitur, mulier quædam Lotharingica, in delicti poenam vinculis ferreis lacertos jam diu constrictos ægre ferens, multis sanctorum iustratis locis, ad Sithiensem basilicam, uti monita fuerat, accessit, & ad S. Bertini tumulum molestissimis loris solvitur.

Hic annus supremus fuisse videtur Eustachii comitis Bononiensis, eo nomine secundi, Eustachii primi & Idæ filii, quem in extremis Cluniacensem monachum pro illorum temporum more factum fuisse colligere licet ex ipsius litteris a Guichenone^a relatis, cum prius Stephano Blesensi comiti Bononiensem comitatum una cum filia sua Mathilde tradidisset. Hæc litteræ sic habent. *Ego Eustachius, olim comes Bononiensis, nunc autem disponente Deo monachus Cluniacensis; quod in ultimis ecclesiæ Cluniaci dedi, præsentem cartula, sigillo meo munita, corroboro & confirmo, videlicet ut de villa mea, quæ est in Anglia, & vocatur Fobinges, annuatim sine ullius contradictione vel diminutione tradantur prædictæ ecclesiæ decem libræ Anglicæ monetæ, & aliæ decem ejusdem monetæ ecclesiæ de Rumiliaco, quam & ego cum aliâ uxore mea dedi monachis Cluniaci. Hoc feci ego Eustachius in manu prioris Cluniaci publice apud Rumiliacum, anno Verbi incarnati MCXXV. laudante simulque confirmante Stephano comite Bononiensi, cui hereditatem meam cum Mathildi filia mea dedi; qui & hoc donum laudavit atque confirmavit, præsentibus multis, quorum nomina sunt hæc. Signum Eustachii, qui hoc fecit. S. Stephani comitis Bononiæ, qui laudavit, Mathildis comitissæ, quæ & laudavit, Bernardi prioris, scilicet Cluniacensis, in cujus manu factum est, Balduini abbatis sancti Wlmari*, &c. Ex his intelligitur, Eustachium II. bis^b conjugatum fuisse, primo quidem Ogivæ S. Edwardi Anglorum regis filiæ; deinde Mariæ Malcolmii Scottorum regis filiæ, quam superstitem reliquit. Rumiliacum, ubi hæc charta data legitur, locus est haud procul ab urbe Tervanna ad Agnionem* fluvium. Itaque Mathildis hujus Eustachii filia nupsit Stephano, Stephani comitis ex Adela filio, Magni Theobaldi germano, tunc Moritonienfi comiti, qui postmodum rex Anglorum factus est. Eiusdem Stephani mater Adela, filia Willelmi Conquestoris, tunc monacha erat in Marciniacensi parthenone, superstes saltem ad annos decem, ut suo loco videbimus.*

CXVI.
Simon Bononiensis comes fit monachus.
^a Bibl. Sebust. p. 30.*edit. mendose Alvari.
^b Malbran. to. 3. de Morin. p. 139.
* l. An.

Tunc temporis grande scandalum in Cluniacensi monasterio exortum est per Pontium quondam abbatem & Pontianos. Hic post abdicatam ejus loci abbatiam ad loca sacra^c profectus, ita mores suos composuisse visus est, ut sanctus haberetur, & miracula ei tribuerentur, adeoque victoria in Sarracenos anno superiore patrata, in qua Christi lanceam præferbat. Verum non diu hanc sancti hominis personam famamque sustinuit. Nam hoc anno e Palestina reversus, ubi Italiam attingit, Romam divertere nolens, in Ravennatum partibus, hoc est in episcopatu Tarvisiano, ut Petrus^d Venerabilis scribit, sedem sibi constituit; ibique monasteriolo constructo, brevique in eodem tempore demoratus, Gallias repetiit. Explorata demum ejusdem Petri abbatis absentia, qui tunc in Aquitania secundæ partibus Cluniacensibus negotiis vacabat, Cluniacum se nolle adire fingebat: sed tamen sensim appropinquans, tandem quibusdam fugitivis, aliisque satellitibus armatis stipatus; illuc de improvviso advolvit: tum refractis monasterii portis, venerabili senepriore, scilicet Bernardo-Grosso, fratribusque hac illac dispersis, cum promiscua illa armorum multitudine, ipsis quoque mulieribus irruentibus, claustrum subit. Ingressus occupat statim omnia; obvios quosque minis, terroribus, tormentis sibi fidelitatis sacramentum præstare compellit; renuentes expellit, aut duro carceri mancipat. Mox convertit manum ad sacra; aureas cruces tabulasque, aurea candelabra & turibula, vasa sacra ipsosque sacros calices rapit; nec thecis, scriniisque aureis & argenteis, multorum sanctorum reliquias continentibus, parcat. quæ omnia constat, & ex his pondus immensum auri & argenti conficit, quibus

CXVII.
Cluniacense monasterium a Pontio diripitum.
^c supra n. 3.^d Petr. Ven. lib. 2. de mirac. c. 12.

ANN. CHR.
1125.

farellites suos præmiatur. His protectus, circumpositas monasterii villas & castra invadit, & barbarico more religiosa quæque loca sibi subdit, ignibus & ferro consumit; rapinis denique ac cædibus vastat omnia. Consumitur ab ipso initio quadragesimæ usque ad kalendas Octobris tota in ejusmodi præliis ætas, nec sacris etiam diebus a tantorum malorum calamitate respirare licebat. Manebant interim Bernardus prior & nobiles religiosi, magnique viri, ut Petrus loquitur, extra Cluniacum, ubi poterant, & in locis tutioribus ab his incursum sese pro viribus defendebant. Sic in sancta illa & famosissima Cluniacensi domo, occulto, sed justo Dei judicio, fatan ad tempus laxatus furebat. Hactenus fere Petrus.

Orderic. lib.
22. p. 271. &
seq.

Ordericus paullo aliter, & quidem pro Pontio mitius, factum commemorat. Ait a quippe Pontium ex Judæa reversum, ubi magnæ opinionis ac religionis fama enituit, Cluniacum, ut fratres & amicos reviseret, adivisse; tumque instinctu fatanæ fœdam inter fratres dissensionem ortam fuisse, cujus Bernardus-Grossus prior fomes & incentor esse ferebatur; & quosdam quidem Pontium honorifice, ut abbatem suum, suscipere decrevisse; alios vero obnixè resistisse. Tum vero milites seu nobiles & comprovinciales, tam rusticanos quam opidanos, Pontii reditu gavisos fuisse, quem pro sua comitate & liberalitate oppido dilexerant; eosque, comperto schismate monachorum in monasterium irruisse, & Pontium, quamvis nolentem, suosque violenter introduxisse. Hinc illi furibundi, velut urbe armis capta, ad prædam concurrisse dicuntur, supellectilem & utensilia fratrum diripiisse; dormitorium, infirmitorium & cetera monachorum abdita, quæ hactenus laicis impervia fuerant, tunc viris ac mulieribus quibusvis patuisse. Sic promiscui vulgi grex ubique discurrebat, & impudenter illicita exercebat. In hac Orderici narratione quiddam non parum verisimile videtur: nempe Pontio Cluniacum adveniente fratres quosdam ei adhæsisse præ Petro abbate, cujus forte censuram ferre non poterant: alios vero a Petri, utpote legitimi abbatis, partibus stetit duce Bernardo priore, qui, quod constanter fortiterque Pontio, ejusque affectis resistit, dissensionis fomes & incentor dictus sit. Ceterum milites, opidanos, ceterosque laicos, quos Pontius, dum abbas esset, donis & epulis sibi conciliaverat, specie ut ejus partes tuerentur, in monasterium irrupisse, & omnia diripiisse contra ipsius Pontii forte voluntatem, cui tamen universa mala imputata sint. Addit Ordericus, ipsa die, qua hæc Cluniaci patrata sunt, terribile prodigium illic contigisse. nempe ingentem basilicæ navim, quæ nuper exstructa fuerat, repente corruisse, sed, protegente Deo, neminem læsisse. Porro Petrum abbatem, qui absens erat, ubi hæc omnia rescivit, Romam statim perrexisse, & papæ Honorio rem gestam retulisse, monachis attestantibus, qui ea perpelli fuerant. Inter hæc Humbaldus Lugdunensis præsul & apostolicæ sedis legatus Pontium excommunicavit, idemque præstitit Honorius per Petrum diaconum cardinalem, quem hujus rei causa in Galliam misit, ut anno sequenti videbimus.

CXVIII.
Arnoldi abbat.
Morimundi
secessio.

Paullo minus funestum scandalum eodem tempore accidit in nova congregatione Cisterciensi, ex secessione videlicet Arnoldi abbatis Morimundensis & quorundam ejusdem loci monachorum. Erat is ortu Colonienfis, nobilis genere, Friderici tunc Colonienfis episcopi germanus frater, ex primis Novi-monasterii alumnis, quem Stephanus abbas nascenti Morimundensi monasterio abbatem præfecerat. Huic loco cum decennio laudabiliter præfuisset, tribus monasteriis suæ familiæ excitatis, Bella-valle scilicet Vefontionensi, Crista-alba Lingonensi, & Veteri-campo; demum sæcularium vicinorum infestatione, & quorundam e suis inobedientia exagitatus, ut Bernardus testatur in epistola cxli. ad Humbertum, monasterium Stephano Cistercii abbate, qui tunc aberat, inconsulto deseruit, monachis quibusdam e suis secum abductis, quorum præcipui fuere Adamus, Everardus, Conradusque, scriptis ad Stephanum Cisterciensem abbatem litteris, missisque ad Bernardum, ut eas illi redderet, quibus præcipitem suum discessum eidem abbati approbare conabatur. His acceptis, Bernardus singulas ad ipsum Arnoldum & Adamum epistolas gravissimas scripsit, si quomodo fugitivos revocaret, tametsi Arnoldus omnem sui reditus spem interdixerat, additis aliis ejusdem argumenti litteris ad Brunonem nobilem Coloniensem, qui postea Friderico archiepiscopo successit. Gravis est in primis ejus epistola b ad Arnoldum, quem magnam sui Ordinis columnam non semel vocat, compellatque his verbis. *O magna nostri Ordinis columna! non meuis te ruente magnam mox procul dubio ruinam securam? ... Qua ratione multorum faciendo ru-*

Bernardi ad
cum epistola.

b Bern. ep. 4.

nam;

ANN. CHR.
1125.

nam, te ruere non præsumis? ... Quomodo securus abis, qui gregi tibi commisso omnem de se securitatem in perpetuum auferis? quis occurret lupis incurstantibus, quis consolabitur in tribulationibus, quis providebit in tentationibus, quis denique leoni resistet rugienti, & quærenti quem devoret? ... Hæc quid facient novellæ plantationes Christi, quæ per manus tuas constatæ fuerant diversis in locis, & locis horroris, & vastæ solitudinis? Hæc & multa alia similia Bernardus, qui Arnoldum in primis arguit, quod absque consilio fratrum & coabbatum suorum, absque patris & magistris sui, Cisterciensis nimirum abbatis, licentia rem tam novam præsumisset. quod imbecilles & delicatos juvenes secum abduxisset, quibus regendis se vacare nolle profiteatur, sibi que propositum esse pastoralem abjicere sarcinam, & soli deinceps vivere sibi. In fine vir Dei opportunitatem cum ipso loquendi sibi dari cupit, daturus operam, ut quod inordinate & periculose aggressus erat, licite & secure peragat.

Brevior est, sed non minus gravis sancti Doctoris epistola a ad Adamum monachum, qui e Majori-monasterio ad Cisterciensem transferat. *O insensate*, inquit, *quis te fascinat tam cito recedere ab illo saluberrimo consilio, in quo dudum tibi pariter & mihi, Deo solo teste, conventum est? Cogita, insipiens, vias tuas, & converte pedes tuos in testimonia Domini. Non recordaris, quod primo in Majori-monasterio tuæ conversionis initia dedicasti; secundo apud Fusniacum nostræ te qualicumque providentiæ commendast; tertio in Morimundo stabilitatem tuam firmast; quarto mecum rursus inito consilio, suggesta tibi ab abbate Arnaldo peregrinationi, immo vagationi ingenue abrenuntiast; ipsius quoque tibi consortium, si non ipse licite posset abire, illicitum judicast? Ex his Bernardus Adamum arguit levitatis, eumque ad revertendum hortatur. Verum hortanti non statim ille acquievit; sed Arnoldo adhærescere perseveravit usque ad ejus mortem, quæ brevi subsecuta est. quo audito, Bernardus aliam ad ipsum longe prolixiorē misit epistolam, in qua erudite de obedientia prælatis reddenda & de voto stabilitatis differit, cui voto non obesse dicit, quod ipse ex obedientia e Cistercio transferit ad Claram-vallem. Deinde se ipse purgat, quod monachos ex alienis monasteriis apud se admittat, quippe qui vota sua Deo in locis suis reddere non potuerint, & folius ruptæ stabilitatis damna reliquorum regularium præceptorum integra observatione compensent. Neque propterea se damnare alios omnes, qui illis in locis maneat: se excusare illos, non istos accusare; solos invidos nolle nec posse excusare, quibus, si quis ceterorum ad regulam cupiat transire puritatem, sed propter scandalum non audeat, aut certe etiam ob certam corporis infirmitatem; puto quia non peccat, dum tamen in suo studeat loco sobrie, & juste, & pie conversari. His litteris acceptis, rediit Adamus, ut anno sequente videbimus.*

Dum hæc in Morimundo fierent, in Flandria versabatur Stephanus Cisterciensis abbas, ut Bernardus testatur in epistola iv. ad Arnoldum abbatem. Quænam causa fuerit illius itineris, non liquet. neque enim hoc aut insequente anno ulla legitur ducta in Flandriam colonia. In illo itinere Stephanus Arrebatense S. Vedasti monasterium obiter lustravit, & cum Henrico abbate ejusque fratribus societatem contraxit, edito hac de re scripto, quod ad calcem codicis beati Hieronymi super Jeremiam legitur in bibliotheca Cisterciensi his verbis. *Benedicta gloria Domini de loco suo, qui per præsentiam domni abbatis Stephani Cisterciensis, vere religiosi viri Arrebatenses fratres Nobiliaci cœnobii beati Vedasti episcopi quondam visitavit, & visitando in consortium mutue fraternitatis conjunxit, & conjungendo valde ob tam amabile beneficium in Domino exhilaravit. Idem vero memorabilis abbas fratrem Oisbertum, a pueritia ejusdem congregationis nutritum, ut hunc sibi scriberet librum devote expetiit. Qui paternæ obtemperans petitioni, devote hoc injunctum opus, Domino manum ejus regente, sibi complevit, omnium beneficiorum Cisterciensis ecclesiæ ab eodem abbate concessa sibi participatione.*

His scriptor adjecit imaginem beatæ Mariæ Virginis, adjunctis hinc inde iconibus utriusque abbatis, qui in manibus ecclesiam tenent, & sub eis imagine ipsius Oisberti scriptoris. Alterum codicem scripsit & misit fratribus Cisterciensis cœnobii eodem tempore Anscherus, itidem S. Vedasti monachus, sola charitate cogente; domnum abbatem ejusdem cœnobii ceterosque fratres, tam futuros quam præsententes humiliter obsecrans, ut spirituale vicem prout ipsi misericorditer adjudicaverint ei operario concedant, domnoque abbati Henrico, qui licentiam scribendi & co-

Annal. Bened. Tom. VI.

R

CXIX.
Stephani Ci-
stercii abbatis
societas cum S.
Vedasto.

ANN. CHR.
1125.

hortationem benigne impendit, animæque patris & matris ac fratrum in orationibus suis meminerint, Johanni quoque laico, uxoriq; suæ Lucia, qui ob dilectionem ipsorum cum multa benevolentia & magna exhortatione pargamenum parari fecerunt, & colores ei subministraverunt, societatem concedant beneficiorum suorum. Hæc scriptor codici ipsi addidit.

CXX.
Bernardi cum
Cartusianis ini-
ta amicitia.

Inter ea in monasterio Claræ-vallensi, abbate Bernardo, magis magisque fervebat monasticæ disciplinæ & perfectionis studium. Id ubi per quemdam, qui illic hospitio acceptus fuerat, didicisset Guigo majoris Cartusianæ prior, litteras ad Bernardum

a id. ep. 11.

congratulatorias scripsit, quas ille sic accepit, quasi non ab homine, sed a Deo ipso descendissent. Hactenus nullum cum Guigone & Cartusianis litterarum commercium habuerat vir sanctus. Verebar nimirum, inquit, a sanctam quam in Domino habetis, importunis scriptationibus infestare quietem, jure illud vestrum, sacrumque silentium a seculo, susurrum cum Deo, vel ad modicum interrumpere... Verum quod non audeo ego, audeat caritas, & cum omni fiducia pulsat ad ostium amici, nequaquam putans pati se debere repulsam, quæ amicitiarum matrem se novit: nec veretur vestrum, et si gratissimum, paullisper inquietare otium propter suum negotium. Hinc occasionem fumit sanctus Doctor agendi de caritate, ejusque gradibus, signis & effectibus; quod argumentum postea fufius in libro de diligendo Deo pertractavit. Ceterum non se talem esse, qualem ipse retulit qui de se Guigoni, ejusque fratribus locutus fuerat. Vidit fortassis, inquit, qui vobis ea narravit, aliqua parva, & de parvis grandia æstimavit: vestra autem sinceritas facile credidit quod libenter audivit. Gratulor quidem de caritate, quæ omnia credit: sed confundor pro veritate, quæ omnia novit. Volo vos mihi credere de me magis quam alteri, qui tantum videt in facie... Dico vobis ego qui de me loquor non ex conjectura, sed ex sententia: Non sum talis qualis putor, vel dicor. quod quidem tam securus fateor, quam certus experior: ita ut nil malim vestris orationibus specialiter obtinere, quam ut talis fiam, qualem litteræ vestræ prædicant. Ita vir modestissimus. Aliis ad eisdem litteris excusat, quod ad illorum partes profectus, ad eos non pervenerit. quod ob suas occupationes sibi non licuisse dicit. Alias tamen ipsos invisit, qui eum talem b invenerunt præsentem, qualem per epistolas & ex aliorum relatu eum noverant. Non dissimulavit tamen Guigo, vir æmulator virtutis, sibi permirum videri, quod animal, cui Bernardus infederat, stramentum minus neglectum haberet, minus redolens paupertatem. quod ille toto illo Clara-valle ad Cartusiam itinere se minime advertisse dixit. Neque enim suum erat animal illud, sed a quodam monacho Cluniacensi, avunculo suo, & in sua vicinia commorante, ipsi commodatum fuerat.

b Virg. S. Bern.
lib. 3. c. 1.CXXI.
Petri quoque
Venerabilis
cum eisdem
necessitudo.
c Petr. Vener.
lib. 1. ep. 24.

Non minorem cum Guigone, ceterisque Cartusianis, fratribus necessitudinem Petrus Venerabilis Cluniaci abbas contraxerat. Testis in primis ejus ad eos c epistola, in qua de se ipse queritur, quod cum in aliis epistolis verborum afflueret copia, ad ipsos scribentis animus ita eorum amore & memoria totus repletus sit, ut se explicare non valeat. Tum sui ipsius in pastoralis officio periculum exaggerat. Quomodo, inquit, tot millibus ubique terrarum diffusis, quos nunquam, vel raro videre datur, ante Christum, vivorum & mortuorum justum judicem, adero, quando vix mihi adesse potero?... Magnum, magnum pastoralis officii periculum, ad quod, velut cæci ad præcipitium, letantes nostri sæculi homines currunt... Felix, & jam beatitudini æternæ participans exoccupatorum otium, quibus libera & absque impedimento in cælum via paratur! qui & hic Deo, si non negligant, facile per invisibilem caritatem junguntur, & statim post carnis funus eidem per ipsam visionis speciem junguntur. Ideo Petrus rogat Guigonem & suos, ut sui misereantur; & sicut ista dictando suas eis lacrymas fuderat, ita suas ipsi coram piissimo Redemptore pro se fundere dignentur. Atque ut eorum mentes ad id commoveat, mittit eis secundam cum Salvatoris imagine crucem: ut eum pro se in hoc mundo ipsi crucifixi contemplantes, cum illum pro sua omniumque salute deprecari fuerint, sui quoque non obliviscantur. In fine ad eos se mittere ait vitas sanctorum Nazianzeni & Chrysostomi, uti peterant; epistolam quoque S. Ambrosii contra Symmachum: tractatum vero S. Hilarii super psalmos ideo non misisse, quia eandem, quam in eorum codice corruptionem in suo quoque invenerat. Prosperum porro contra Cassianum se non habere, sed pro eo ad S. Johannem Angeriacensem se misisse. Ipse vicissim majus volumen sancti patris Augustini, quod in ipso fere initio mutuas ejus & Hieronymi epistolas continet, sibi mitti rogat. Hanc epistolam sequitur responsio Guigonis,

ANN. CHR.
1125.

qui ei gratias in primis agit, quod crucifixum crucifixus & ipse crucifixendis misisset; rogatque, ut se in posterum patris nomine non dignetur; satis superque esse, si frater, si amicus, si filius appelletur. Ex his intelligitur, quanta fuerit Guigonis modestia, quorumve librorum lectione sancti illi solitarii delectarentur. Idem Petrus alia epistola Guigonem reliquosque fratres consolatur de morte subita & inopinata plurimorum ex illo cælesti collegio. quod non ferius anno MCXXXVII. quo Guigo ipse obiit, accidisse dicendum est.

CXXII.
S. Roberti de
Cornilione
Prioratus.

Haud ita procul a majori Cartusia, sed propius urbem Gratianopolim existat cella seu prioratus S. Roberti de Cornilione a Casæ-Dei abbata pendens: cujus auctor Guigo comes Albonensis, summo monastico habitu hoc fere tempore defunctus est. Primarias ejus loci tabulas nusquam, nequidem in archivo Casæ-Dei, nobis reperire licuit, sed earum loco alias ejus posterorum chartas accepimus, in primis unam Andree Delphini, Albonis comitis & Viennæ, anno MCCXXXIII. datam, qua prædicti Guigonis privilegium libertatis, eidem loco a bonæ memoriæ Guigone comite antecessore suo concessum, Guillelmo de Bosozello priori S. Roberti sub Cornilione una cum Beatrice conjugæ sua confirmat, attendens devotam sedulitatem servorum Dei, in dicto monasterio pie Domino famulantium sub religionis vigore, hospitalitatis & eleemosynæ largitatem, qua ibidem pro posse magnis & minimis subvenitur. Idem quoque præstitit ejus filius Guigo Delphinus Viennensis & Albonensis comes & dominus Fuciniaci, rogatu Guillelmi d'Argenteand prioris. Sed ante hos duos prior ejus loci existit Johannes, qui postmodum ad sedem Gratianopolitanam, Alexandro III. pontifice, promotus est. Erant olim in illa cella octodecim monachi, nunc pauciores ex nostra congregatione ob distractionem prioris sæcularis. In domestico necrologio Guigonis fundatoris obitus sic notatur, XIV. kal. Februarii, obiit Guigo comes & monachus, ædificator hujus monasterii. In eodem necrologio laudatur pridie eandem kalendas Stephanus, cognomento Calvus, primus beati Roberti reclusus.

Hoc primum tempore Cisterciensium institutum a viris etiam ad sequiorem sexum propagatum est. Quodnam primum fuerit virginum cœnobium, quæ ceteris viam aperuerint, non ita exploratum. Cistercienses scriptores plerique hunc honorem Juliæ prope Molisimum parthenoni tribuunt: at Juliæ seu Juleium Molisimense seu Nigrorum monachorum habitum ac ritus prætulisse superius a ostensum est. Petrus Franciscus Chiffletius b existimat, Tartense monasterium, quod a Cistercio unius tantum horæ itinere distat, primum origine, ac ceterorum omnium ejusdem sexus atque Ordinis caput fuisse, ex quo processerint octodecim puellarum abbatia, in bulla Innocentii III. anno MCC. data recensita, quarum abbatissas singulis annis in festo sancti Michaelis, ad abbatiam de Tart olim convenire solitas esse ad capitulum generale (cui præerat abbas ipse Cisterciensis, aut alius quis ejus vice) testatur Guido abbas Cisterciensis, abbatiam de Tart propriam filiam domus Cisterciensis appellans. Certe hoc monasterium pontificatu Joceranni Lingonum episcopi conditum fuisse demonstrant Guilenci ejus successoris c litteræ, anno MCXXXII. datæ, ibidemque sanctimonialis congregatas fuisse concessione ac confirmatione Lingonensis capituli, quibus abbatissa, nomine Elizabeth prælata est, sub qua quædam Maria aliarum prioratum gessit. Illic Adelhais seu Adelaida, Lotharii imperatoris soror, Simonis I. Lotharingiæ ducis conjugæ, Matthei ducis mater, sanctæ conversationis propositum & habitum suscepit, ut loquitur Mattheus ejus filius in diplomate, quod suo loco inferius saltem ex parte referemus. Hermannus tamen monachus, qui de miraculis beatæ Mariæ Laudunensis eodem tempore scripsit, Monasterium virginum Cisterciensium seu Claræ-vallensium cœnobium diocesis Laudunensis omnium primum esse censet, & ante illud in nulla orbis parte antea vel lectum in codicibus, vel auditum fuisse auribus, hujusmodi religionis abbatiam feminarum existisse. Verum, si quidem Monasterium anno tantum MCXXXIV. ut traditur, conditum est; Tarteni abbatia palma concedenda, quam anno saltem MCXXV. constructam fuisse probant, ut jam dixi, litteræ Guilenci episcopi Lingonensis, in quibus legitur, Hugonem Burgundiæ ducem, & Mathildem uxorem ejus ab Arnulfo-Cornuto milite emisse locum, in quo situm erat monasterium, ipsique sanctimonialibus per manum domni Stephani abbatis Cisterciensis dedisse secundum determinationem prius factam a domno Christophoro, sive domno Goceranno Lingonensi quondam episcopo, cui prædictus Guilencus anno MCXXV. successerat. Porro

CXXIII.
Cisterciensis
instituto ad
Tartenfes Vir-
gines propaga-
ta.
a lib. 72. n.
52.
b Chifflet de
gen. S. Bern. p.
403. d

c ibid. p. 443.

ANN. CHR.
1125.

quam arduum & rigidum fuerit Cisterciensium virginum primo illo tempore vivendi genus, inferius patebit exemplo Monasteriensi, quas Bartholomæus Laudunensis episcopus in sua diocesi instituit.

CXXIV.
Placitum notabile pro S. Theoderici monasterio.
* Pontaverre.
* Roucy.
* la Veste.

Idem præful hoc anno placitum habuit apud Pontem-Variæ ad Axonam prope Roceium* opidum in causa sancti Theoderici monachorum adversus Walterum de Roceo comitem, & fratrem ejus Gerardum, eorumque cognatum Paganum de S. Paulo, qui violenter piscaturam Vidulæ* invadere conabantur. Hoc placitum instituit Bartholomæus episcopus, præsentibus Rainaldo archiepiscopo & comite Hugone, haud dubie Regifestensi, duobusque archidiaconis Laudunensis ecclesiæ. Illic adfuit Gaufridus S. Medardi, olim S. Theoderici abbas, asseruitque Walcherum, ipsius Walteri avum, qui eandem piscaturam invaserat, ob id usque ad mortem excommunicatum fuisse, at in extremis culpam agnovisse, absolutionem ab ipso Gaufrido petiisse, ac demum ablata restituisse. Ad hæc Gerardus & Paganus per comitem Hugonem inducias postularunt ob infirmitatem & absentiam Walteri. Annuit Bartholomæus. Per has inducias aggravatus morbo Walterus, Willelmum S. Theoderici abbatem Roceium in ædes suas advocavit: ubi, præsentem Ermengarde uxore sua, necnon Gerardo filio, Gerardo fratre & Pagano consanguineo suo, culpam confessus est, ac S. Theoderico piscaturam illam restituit. Testes hujus rei Lucas abbas, scilicet Cuicianensis Præmonstratensium monasterii, Leudo presbyter, aliique. quod Bartholomæus presbyter, episcopali auctoritate roboravit. *Data per manum Radulfi cancellarii pridie idus Octobris, anno Dominicæ incarnationis MCXXV. indictione IV. epacta XXV.* Bartholomæi sigillum authentico appensum est. Non multo post vita functus est Walterus, cujus filius Gerardus, patris exemplo nihilo religiosior factus, eandem controversiam denuo excitavit, ut inferius videbimus. Idem qui supra Willelmus seu Guillelmus S. Theoderici abbas omnes monasterii sui possessiones ab Honorio II. anno sequenti confirmari curavit.

CXXV.
Cluniaco altare Turris - super Matronam datum.
* Tour-sur-Maine.
a Marlot to. 2. p. 273.

Radulfi archiepiscopi antecessoris sui vestigiis insistentis Rainaldus, altare Turris-super-Matronam* quod viri potentes de *Plagiotti* usurpaverant, eis eripuit, eo pacto, ut illud *sanctæ Cluniacensis ecclesiæ, quæ est quasi magnum totius orbis luminare, personaliter tenendum* concederet. Rainaldi hac de re litteris^a apposita sunt signa Rainaldi archiepiscopi, Joranni abbatis S. Nicasii, Albrici magistri, & aliorum. Actum Remis anno MCXXV. archiepiscopatus domni Rainaldi primo. Illic erecta cella, in qua duo monachi cum priore esse debebant: at nullum ibi modo restat cellæ regularis indicium.

b Petri Ven. lib. 1. de mirac. c. 5.

Ibidem exstitit tunc temporis referenti Petro Venerabili, quidam Cluniacensis monachus, cui ejusdem cellæ cura commissa erat; qui graviter ægrotans, Rodulfum monasterii S. Petri Catalaunensis abbatem, *propter medelam tam animæ quam corporis, quarum ille rerum non ignarus erat*, accersivit. Ubi abbas adfuit infirmum ad *confitendum* hortari cœpit. Ille vero se libenter facturum dixit: at graviora præ pudore peccata reticuit, moxque corpus *Dominicum* sibi afferri rogavit. Verum cum illud ore accepisset, in interiora trajicere non potuit, sed cum vino, quod sumferat, frustra comminuti corporis Christi in vas, quod ori ejus suppositum fuerat, refundere coactus est. quo viso, abbas ægrum non plena confessione purgatum ratus, eum denuo ad integram peccatorum suorum confessionem hortatur. quod cum ille corde contrito & humiliato præstitisset; absolutione accepta, eucharistiam, quam prius rejecerat, allatam devote suscepit, & absque ulla difficultate deglutivit, ac post triduum defunctus est. Hoc Petrus ab ipso Radulfo abbate se accepisse testatur.

CXXVI.
S. Petri Catalaunensis abbas.
c lib. 56. n. 43.

Actum est in superiori volumine^c de primordiis monasterii S. Petri Catalaunensis, cujus primus abbas post beatum Richardum exstitit Odilardus bonæ memoriæ; anno MLXX. die sancto paschæ mortuus, cui Lantbertus abbas successit, successorem fortitus Garnerium seu Warnerium anno MXXIX. ad annos tantum septem. Warnerium excepit Wido abbas quartus, cui subrogatus anno MCX. Benedictus, eique post annos octo Radulfus a Petro Venerabili mox laudatus, quem Guillelmus seu Willelmus Catalaunensis episcopus, Cluniaco accersitum S. Petri monasterio præficiendum curavit, uti & Hugonem Divione assumtum S. Urbani abbatem constituit, testante Bernardo in epistola LVIII. ad Ebalum episcopum Willelmi successorem in hæc verba. *Certe duobus monasteriis; sancti videlicet Petri & sancti Urbani, pastoralis aliquando solatio similiter destituti, bonæ memoriæ prædecessor vester dom-*

ANN. CHR.
1125.

nus Guillelmus, non longi itineris laborem, non hiemis reputans asperitatem, bis, nisi fallor, Cluniacum, semel Divionem per se ipsum adiit: hincque virum bonum dominum Hugonem, qui post defunctus est; illinc virum venerabilem, qui adhuc superest, dominum Radulfum vix multis precibus impetratos abducens, singulum singulo præposuit monasterio, tutum videlicet non arbitrans cuiquam monachorum domesticorum illam committere curam. Hæc Bernardus. Radulfus porro abbas anno MCXXXIX. Hugonem habuit successorem, Hugo vero post annos undecim Ludovicum, qui anno MCLXVI. abbatia cessit. Thomas denique ei successit anno MCLXXXVII. ad faciam expeditionem profectus est. Hæc omnia discimus ex chronico S. Petri, quod a Philippo Labbeo in tomo I. Bibliothecæ-novæ vulgatum est.

Redeo ad Rainaldum Remorum archiepiscopum, qui hoc anno altaria quædam S. Nicasii monasterio contulit^a in hæc verba. *In honoris culmine sublimati, angelis & hominibus facti sumus spectaculum; angelis quidem ad congratulandum, si boni fuerimus, & ad melius incitandum; hominibus vero ad imitationis exemplum. Hæc ego Raynaldus Remensis ecclesiæ, licet indignus, minister recolens, in exordio promotionis meæ pauperibus Christi, in monasterio S. Nicasii martyris degentibus, aliquid imperire studens, altare de Antiniaco* contulimus, aliare de Hanapio, &c.* His litteris Remis anno MCXXV. datis adscripta sunt signa Odonis abbatis S. Remigii, Joffridi seu Gaufridi abbatis S. Medardi, & Guillelmi S. Theoderici.

CXXVII.
S. Nicasii altaria data.
a Marlot to. 2. p. 289.

* Anteny.

Tunc temporis in opido S. Dionysii apud Parisios a tempore Ivonis abbatis ejus nominis primi ea lex seu consuetudo obtinebat, ut opidanis quibuslibet decedentibus eorum heredes certa pecuniæ pensione, quæ *mortua-manus* dicebatur, bona sua redimere cogentur. qua exactione cum illi supra modum gravarentur, Sugerio abbati supplicarunt, ut eam ipsis remitteret. Quocirca, communicato^b ex more cum fratribus suis consilio, Sugerius eorum petitioni unanimiter assensum præbuit, *dignum esse arbitantes*, inquit, *villam beati Dionysii, quæ inter omnia prædictæ ecclesiæ [membra] merito singularis privilegii & principatum obtinet, & præsentia pretiosissimorum martyrum specialius eminet, speciali prærogativa, quam sibi jure vindicat, præ ceteris sublimius & propensius honorare. Omnibus igitur in prædicta villa, in terra beati Dionysii, sive sub viatura ejus manentibus, prædictas exactiones hujus tenore & stabilitatis firmissimæ munimento in perpetuum relaxavimus: quod ipsi ad introitum beati Dionysii renovandum & decorandum ducentas libras nostra dispositione & providentia ad idem opus expendendas nobis contulerunt, &c.* Actum in monasterio beati Dionysii in generali conventu, præsentem domno Sugerio venerabili abbate ejusdem monasterii, tertio administrationis ejus anno, incarnationis autem dominicæ anno MCXXV. idus seu idibus Martii, indictione III. quod Sugerius sub anathemate contra violatores hujus privilegii subscripsit, opidanis pro anima ejus in die ipsius obitus singulas elemosynas per unamquamque domum se facturos spondentibus. Testante Gauberto priore, Christiano thesaurario, Viviano cantore, ceterisque omnibus, sacerdotibus, diaconis, subdiaconis & acolythis, atque laicis. Gregorius domni Sugerii abbatis cancellarius relegit & subscripsit.

CXXVIII.
Sugerius S. Dionysii opidanos a manu mortua absolvit.
b Chesn. to. 4. p. 548. V. to. 7. Spicil. p. 511.

Longe plures, tum officiales, tum monachi, subscripserunt ejus testamento, ut alias videbimus, cui mirum est, ut id obiter observem, primum post monachos ante alios pontifices subscripsisse Goslenum seu Joslenum Sueffionum episcopum, qui Lisiardo hoc anno successit. Fuerat is primum scholis præfectus in academia Parisiensi, ut patet ex vita beati Gostini^c abbatis Aquicinctensis, tum Sueffionensis archidiaconus, quo nomine S. Godefridi Ambianensium præfulis epitaphium composuit.

CXXIX.
Joslenus sit Sueffionum episcopus.
c supra lib. 72. n. 66.

Eodem anno Hildebertus a Cenomannensi ecclesia ad Turonicam metropolim translatus est post Gislebertum archiepiscopum, qui Romam pro ecclesiasticis negotiis profectus, ibidem deceffit eadem septimana, Orderico^d teste, qua Callistus papa, id est sub finem anni præcedentis. quo audito, ait ille, *Turonicus Hildebertus Cenomannensem probatum præfulem sibi adsciverunt, & Honorii papæ permissu gaudentes in Turonicæ metropolis cathedram transferunt*, cui annis fere septem præfedit. Apud Cenomannos Hildeberto successit Guido Britto, Guimarus Orderico dictus, in actis episcoporum Cenomannensium ob eruditionem multum laudatus, ubi S. Anselmo valde familiaris fuisse dicitur. Hic post regiminis annos quinque in capitulo S. Vincentii ad dextram Wlgrini episcopi humatus est.

CXXX.
Hildebertus archiepiscopus Turonensis.
d Orderic. lib. 12. p. 882.

ANN. CHR.
1125.
CXXXI.
Rothonenſe
monaſterium
ſedis apoſtoli-
cæ proteccioni
creditur.
a lib. 73. n.
81.

Tunc temporis Rothonenſe Salvatoris monaſterium, cui tum Herveus^a abbas præerat, multas a vicinis militibus injurias patiebatur, quibus repellendis cum ſe imparem ſentiret dux Conanus, abbatiam ſedis apoſtolicæ proteccioni commendavit, litteris ad Honorium papam ſcriptis ſub hac forma.

Beatiffimo Honorio, ſuo & omnium Chriſtianorum domino, ultimus filius ſuus Conanus Britonum dux, ſalutem. Veſtram, ſancte pater, exoro paternitatem, ut, ſi in aliquo deliqui, vel deliquero, me, ut tenerum filium, levi virga corrigatis. Ego namque vobis per omnia ſemper parebo. Sed & abbatiam Rotonenſem ſancti Salvatoris, quam divæ memoriæ Ludovicus Pius imperator quondam in minori Britannia, que nunc eſt mea, conſtruxit, & proprio juri beati Petri ſub Leone papa ſociavit, ego & antecellores mei in fidelitate veſtra hætenus cuſtodivimus: ſed, accumulata Britan- norum perfidia, a modo cuſtodire, ut deceret, eam non poſſum. Reddo igitur eam vobis liberam, ſicut Pius Ludovicus imperator liberam dedit, & concedo ei omnia jura ſua, precorque, ut de malefactoribus juſtitiam faciat.

His litteris, ſimulque Rothonenſium ſupplicatione permotus pontifex, vices ſuas Hildeberto Turonum archiepiſcopo, atque Gerardo Ecolimienſi antiſtiti commiſit, ut monaſterio infeſtos homines a malefactoribus revocarent, repugnantes anathemate ferirent, & pollutam ac ſanguine foedatam baſilicam, advocato quem vellent epifcopo, reconciliarent. Rem per ſe ipſe exſequi voluit Hildebertus cum ſuffraganeis ſuis, Hamelino Redonenſi, Donoaldo Aletenſi, Galone Leonenſi ac Roberto Corifopitenſi; præſentibus etiam abbatibus, Herveo Rothonenſi, Herveo item S. Melanii, Gualterio Machicolenſi, & Simone Semeelenſi ſeu S. Gildafii de Nemore; necnon Conano duce, ejuſque matre Ermengarde, multisque nobilibus, quorum plerique multa Rothonenſibus dona contulerunt. Tunc etiam Hildebertus, Hervei abbatis rogatu, capellæ infirmorum altare conſecravit.

CXXXII.
Silvæ-majoris
abbatia cele-
bris, etiam in
Hiſpania.

Celebris erat per id tempus Silvæ-majoris abbatia, non modo in Gallia, ſed etiam in regnis Hiſpaniarum, ubi monaſteria non pauca ei ſubjecta erant. In his unum erat S. Stephani in diœceſi Pampilonenſi, juxta villam, dictam Unum-caſtellum, ubi Aldeſonſus, cognomento Bonus, monachis Silvæ-majoris majorem eccleſiam & grande cœmeterium ædificari mandavit. Cum vero Pampilonenſis epifcopus aquam benediſtam, ut poſſent cantare primam miſſam in illa nova eccleſia eis dare noller, niſi ei cartam & cœnam de ipſa eccleſia ei concederent; ideo rex Bertrannus Vaſatenſem epifcopum eo miſit, ut primam illic miſſam cantaret, & cœmeterium benediceret. Ad hæc idem rex, ad preces ipſius epifcopi Bertranni & Centulli comitis de Bigorra, & Gaſtonis vicecomitis, qui multa bona mihi, inquit, dicunt de illo monaſterio Silvæ-majoris, eiſdem monachis eccleſiam vicini opidi cum decimis & primitiis conſert. Inſuper confirmat omnia, quæ pater ipſius rex Sancius, & rex Petrus ipſius Adelſonſi germanus eis donaverant, in his monaſteria S. Jacobi, & S. Mariæ de Aguilare cum ſuis adjunctis. *Facta carta in menſe Martio, in æra MCLXIII. in villa, que vocatur Unum-caſtellum regnante me, inquit, divina gratia in Caſtella & Navarra, & in Aragonia, & in Superarbi vel Ripa-curcia, epifcopo donno Stephano Oſcenſi teſte, donno Petro epifcopo Caſarauguſtano teſte, donno Bertranno Baſatenſi epifcopo teſte, Centullo comite de Bigorra teſte, Gaſtone vicecomite teſte, &c.*

CXXXIII.
Diploma Al-
phonſi regis
pro Silva ma-
jori.

[His adjicere licet ex chartario Silvæ-majoris ejuſdem Alphonſi regis diploma, quod quia breve eſt, hic integrum referre non piget. *Sub Chriſti nomine & ejus divina clementia, ego quidem Adephonſus gratia Dei imperator Hiſpaniarum, placuit mihi libenti animo & ſpontanea voluntate dare domino Deo & S. Mariæ de Silva-majori & ſuis monachis duas meſchitas in Molina, cum jure hæreditatis, ut habeant in perpetuo. Inſuper promitto eis duas bonas villas in Hiſpania. Dono ſimiliter donno abbati prædicti monaſterii capellaniam & decimam de Molina cum omnibus terminis ſuis, ut habeat prædictam capellaniam de manu regis. Ego, donno Stephano Oſcenſi epifcopo teſte. Donno Petrus Caſarauguſtanus epifcopus teſtis, Centullus comes de Bigorra teſtis, vicecomes Gaſton teſte, don Auger de Miramont teſte, Bartholomæus Aurelianenſis capicerius teſtis. † Adephonſi ſignum. Facta charta in Martio menſe in æra MCLXIII. in villa que vocatur Uno-caſtello, regnante me Dei gratia in Caſtella, & in Pampilone, & in Aragonia, in Superarbi vel in Ripacurza.]*

CXXXIV.
S. Dionyſii in

Ab eodem Silvæ-majoris monaſterio pendeat quoque S. Dionyſii cœnobium

in Brocheroia prope Montes-Hannoniæ, cujus eccleſia vi. kal. Maii in feſto S. Marci hoc anno cum omnibus adjunctis & villa penitus concrematur, ſalvo tamen theſauro & armario, id eſt bibliotheca, ut tradit Anſelmus Gemblacenſis. Tunc illi monaſterio præerat tertius abbas, ſucceſſor Heriberti, qui Martino abbati primo ſucceſſerat.

Postquam Rodulfus a ſancti Trudonis abbatia duobus annis & quinque menſibus^a abſuiſſet, ab Adalberone Leodicenſi epifcopo, qui cum plurimi faciebat reductus eſt, ægre ferentibus ſancti Pantaleonis monachis, certantibus, ut eorum abbatiam retineret. Reverſus ille dilapidatam^b invenit monaſterii ſubſtantiam, a Gif- leberto advocato, filioque ejus Ottone, qui cellam abbatialem indigne conſpurcaverant. Ideo illam funditus ſubvertit, nefas eſſe ducens in domo ſic polluta habitare. Ubi miſerabilem loci ſtatum ſedulo animadvertit, præteritas ærunas recogitans, ſupra modum anxari coepit, & de Romano itinere cogitare. Hæc animo agitantis focium in illo itinere ſeſe obtulit Alexander ille Adalberonis epifcopi æmulus, ut de turbis a ſe in Leodicenſi eccleſia excitatis abſolutionem a Calliſto papa obtineret. Ambo itaque profecti, cum Senas^{*} perveniſſent, a prædonibus ſpoliati, iter nihilo minus Romam uſque perſecuti ſunt. Luſtratis Apoſtolorum liminibus, & aliorum ſanctorum ſuffragiis imploratis, Rodulfus ulterius ad quamdam regionem, uti prius animo conſtituerat, progredi volebat: aſt audito eam pollutam eſſe inveterata hæreſi de corpore & ſanguine Domini, a coepto reſiliit. Itaque, apoſtolica benediſtione accepta, domum cum ſocio repedare coepit; contigitque, ut apud Senas omnia, quæ a prædonibus ſublata eis fuerant, a ſuis hoſpitibus recolleſta, ipſis reſtituerentur. Cum Galliam attingiſſent, Alexander remeavit eques per Burgundiam; Rodulfus vero ob iſchiadem, qua laborabat, naufragioſo navigio Coloniam uſque perducitur. Non multo poſt moritur Adalbero Leodicenſis epifcopus, vir ſimplex, reſtus, avaritiæ expers, bonis denique præditus moribus. Tum vero Alexander, veteris morbi necdum obducta cicatrice, omni poſtposito pudore, epifcopatum tertio affectavit, ac demum aſſecutus eſt, in Gladbacenſi S. Viti monaſterio conſecratus a Frederico archiepiſcopo Coloniænſi, qui antea ipſi omnino contrarius fuerat. Inſimulatus ſimoniæ a ſuis clericis Alexander apud Honorium, Romam denuo petiit ad ſe purgandum, comitante Rodulfo; indeque ab apoſtolicis increpitus, ægre tranſcenſo maronum ductu Jovis-monte, in Galliam, inde in patriam revertit cum eodem Rodulfo, quem poſthac reveritus eſt. Reverſus itaque abbas novas ruſſas ab advocato perſecutiones patitur. Dein paralyſi affectus, bacillo nihilo minus in- nixus, conventum fratrum, chorum & capitulum frequentabat, fratresque de obſervanda religione, de avertenda ab eis ira Dei ſerio admonebat, & inſtaurandi ædificiis operam impendebat. Sed ecce denuo vaſtatur abbatia, quæ quarta vaſtatio fuit. Hæc contigit occasione ludicræ navis, quæ ab Indenſi quodam facta, ad ſpectaculum circumferebatur: ad quam ſaltantes & laſcivientes promiſcui vulgi turbæ, plurima monaſterio & opido, immo & circumpoſitis locis intulere damna, ut fuſe chronographus in libro XII. exponit.

Idem in ſequenti & ultimo libro deſcribit ſtatutam antiquitus præbendam fratrum, quibus ſinguli panes quinque marcis Coloniænſis ponderis quotidie ad menſam apponebantur cum portione cerviſiæ, cui ſextarius vini aliquando inter tres vel quatuor fratres adjiciebatur, exceptis junioribus, quibus numquam vinum, niſi ex peculiari abbatis vel prioris licentia concedebatur. Omnibus pro ſerculo erant legumina vel olera adipe condita, certis diebus etiam piſces: ad cœnam quatuor ova aut dimidius caſeus. Plurima alia minutiora prætereo, uti & ea, quæ de veſtimentiſ fratrum notantur. In his deſinit liber tertius-decimus & ultimus chronicoi S. Trudonis. Rodulfus abbas ejus auctor uſque ad librum octavum proprio nomine loquitur; a libro octavo, quo ipſius jam abbatis geſta referuntur, ſub aliena perſona res a ſe geſtas commemorat. Plura alia ſcripſit idem auctor, in his ſeptem libros nondum editos contra ſimoniacos, librum de vita Lietberti epifcopi Cameracenſis, abſque auctoris nomine vulgatum in Spicilegio tomo IX. epistolam prolixam ad Si- bertum S. Pantaleonis priorem, qui eum conſuluerat, an & qua ratione liceret aliquid exigere pro ſuſceptione puerorum oblatorum in monaſteriis. Hæc epifto- la edita eſt in tomo ſecundo noſtrorum Analectorum, de qua ſuperius^c actum eſt. Vi- tam produxiſſe dicitur Rodulfus uſque ad annum MCCCXVIII. de cujus ſucceſſori- bus conſulendus Fiſenus.

ANN. CHR.
1125.
Brocheroia mo-
naſterium in-
cenſum.

CXXXV.
Rodulfus in
abbatia S. Tru-
donis reſtitutus
quid egerit.
a V. lib. 73. n.
145.
b Spicil. to. 7.
p. 491. & ſeqq.

* Sienna.

CXXXVI.
Præbenda fra-
trum qualis.

Rodulfi abbatis
ſcripta.

c lib. 73. n. 148.

ANN. CHR.

1125.
CXXXVII.
Fliderbecana
cella fundatur.
* Ullrichbeck.
a Cod. donat. p.
264.

Tunc temporis Affligemienſium cella Fliderbecæ * prope Lovanium a Godefrido-Barbato Lotharingæ duce & Lovaniensium comite erigitur. Exſtant primariæ ejuſdem hac de re litteræ^a apud Miræum, in quibus facti ſui rationem reddit in hæc verba. *Considerans omnem mundi gloriam inſtar fluminis raptim præterfluere, & omnes amatores ſuos ſubito inanes & vacuos relinquere, utile mihi fore perſpexi & neceſſarium, ut de divitiis, divina mihi largiente bonitate conſeſſis, aliqua ſervis Dei vivens impertirer, quæ moriens integra invenirem. Locum itaque quemdam, Fliderbeca appellatum, ab omni poteſtate, tam mea quam eccleſiæ Lovaniensis, liberum beato Petro Haſſligemienſis eccleſiæ, ſicut moris eſt principibus, cum omnibus pertinentiis ſuis libere tradidi: ut abbas Haſſligemienſis cellam ibi, Dei & mea meorumque opitalatione, exſtrueret, & monachos poneret, qui die noctuque pro mea meorumque ſalute Deo ſupplicarent, &c. Actum Lovaniæ, ſic tum efferebant, anno incarnationis MCXXV. Ibidem hæc cella etiam nunc exiſtit, ſed abbatia titulum præfert.*

CXXXVIII.
Comitatus de
Broburg S. Bertino
aſſertus.

[Cum piſſimus Flandriæ comes Carolus eccleſias & loca ſacra ſub ejus ditione conſtituta ab omni oppreſſione & injuria pravorum hominum defendere ſtatuiffet, bonaque eorum qui die noctuque Deo deſerviunt conſervare ſtuderet, petiit Johannes Sithienſis S. Bertini cœnobii abbas, ut donationem illius comitatus confirmaret, quem nepos ejus Balduinus comes tradiderat in eleemoſynam S. Bertino & abbati Lamberto in caſtellania de Broburg: concedens ut proprios ſcabinos abbas ibi haberet, per quos tam de alia, quam de inſima lege, libere & ſine contraditione placitaret. Cumque poſt Balduini nepotis ſui mortem longa abbatem inter & caſtellanum Theinardum contentio perduraret, aſſerente Theinardo, quia de placitis quæ ad Scultedum pertinent non deberet placitari ad viſcarnam abbatem, neque per ſcabinos ejus inde judicari: cauſa coram Carolo & baronibus ejus diu & diligenter ventilata, aſſertus eſt abbati S. Bertini comitatus, judicatumque eſt ut de ipſis hoſpitibus ac ſubmanentibus in ipſo comitatu nullus umquam placitaret, niſi ad viſcarnam abbatem & per ſcabinos ejus, &c. Actum apud Ariam anno Dominicæ incarnationis MCXXV. indiſtione III.]

CXXXIX.
S. Maximino
plura prædia
& plures eccleſiæ
reſtitute.

[Eodem anno Berengofus Trevirenſis S. Maximini cœnobii abbas, querelam apud imperatorem Henricum depoſuit de Godefrido Palatino comite, qui per annos VIII. quaſdam curtes & eccleſias, quibus per tres menſes viſtalia debent procurari fratribus violenter ſibi auferens, ſuis non veritas eſt beneficiare militibus. Cujus querimoniam pro reverentia B. Maximini, & per interventum dilectiſſimæ conjugis ſuæ Mathildis reginæ, necnon Beringeri comitis de Sulzbach, & Odonis de Salmena, ſed & Conradi & Godefridi de Nuremberg, Stephani Oyenſis aliorumque fidelium ſuorum ſuſcipiens, villas has Gontersbuſen, & Roſbach Maunendal & Narbeim, Holzbuſen, & Ukineſheim, Sucppenbuſen, etiam Formasbach, ac Baſnheim, necnon & has eccleſias Weldeſteim, Albuſcha Gozolesheim, Huzem, & Weinheim cum omnibus ad ſe juſte & legaliter pertinentibus, B. Maximino reddidit & confirmavit. Similiter & fidelem ſuum Anſhelmum de Mollesbergh qui a dominio prædicti abbatis ablatus fuerat reſtituit. Præterea curtem quamdam, & eccleſiam in villa Snauchheim quam genitor noſter, inquit, apud Spiram divina correptione terribiliter commonitus, de Henrico miniſteriali ſuo aliis bonis redemit, & B. Maximino privilegii ſui auctoritate reſtituit, prædicto confeſſori ſuo Maximino & fratribus ſibi famulantibus confirmavit, quatenus iidem fratres in vigiliis & miſſarum celebrationibus cum memoria genitoris noſtri, inquit, memoriam etiam noſtram habere dignentur in omnibus: & quia tanta infirmitate opprimi videmur, ut de præſentis vitæ ſecuritate interdum dubitare cogamur, idcirco non ſolum eidem eccleſiæ, ſed univerſis in regno ſuo conſtitutis ablata, deinceps vita comite redditurum ſe promittit. Diploma Philippus cancellarius recognovit ad vicem Adalberti Moguntini archicancellarii. Data apud Tuiſburc anno Dominicæ incarnationis MCXXV. indiſtione III. nonas Maii in Chriſti nomine feliciter. Amen.]

CXL.
Laureſhami
abbates.

Poſt mortem Heinrici imperatoris, cum Laureſhamenſe monaſterium, ejeſto Heidoſfo pſeudabbate, in diſpoſitione imperiali fuiſſet; Hermannus ex præpoſito cellæ S. Petri in Aldenmuſter favore Adelberti ſenioris Moguntini archiepiſcopi & Godefridi palatini comitis abbas conſtituitur, & anno necdum exacto moritur. Poſt eum Diemo ex camerario fit abbas, cujus tempore, ut erat manſueti & ſimplicis ingenii, multum detrimenti paſſa eſt res familiaris ex alienatione feudorum, ut chro-

nographus

ANN. CHR.
1125.

nographus explicat. Poſt ejus obitum, qui Brixia in reditu ex Romano generali concilio ſub Innocentio II. accidit, interjecto vacationis ſeſquianno, Baldemarus, Bliedenſtadensis prope Moguntiam abbas, Laureſhamenſem præfecturam ſimoniace invaſit, necdum verrente anno depoſitus, ut inferius videbimus.

Interim in Suevia Ahufanum * monaſterium, quod vulgus Anhufanum vocat, in Auguſtensi diœceſi a Manegoldo Tubingenſi comite, ejuſque filiis Walthero, poſtmodum Auguſtano epifcopo, atque Manegoldo, Adalberto & Ulrico comitibus, condi cœptum eſt, ab alio cognomine diſtinguendum, ante annos ſexagintaſeptem in Rhiſia ab Erneſto comite fundato. Prima illius ſedes poſita fuit duobus ab urbe Ulma milliariſibus; deinde a Manegoldi filiis ad alia duo milliaria ſummorum ob majorem ubertatem & commoditatem loci ad Brentium amnem, qui non procul Duſinga in Danubium inſluit, ab eo Brentianum cognominatum. quam translationem Eugenius III. probavit. Bruſchius Cæſtini II. litteras pro eodem cœnobio refert, & catalogum abbatum valde mancum, in quo primi ejus loci abbates deſiderantur. Hunc ſupplevit, ſed nudis abbatum nominibus, Carolus Stengelius, qui primum Sigefrido locum tribuit, variamque ejus loci fortunam deſcribit. Lutheranismus ante medium ſæculum ſextum-decimum per Wirtenbergenſes illuc introductus, ibidemque uxorati abbates exſtitere ulque ad annum MDCXXX. quo idem monaſterium edicto Ferdinandi II. reſtitutum, electuſque abbas prædictus Stengelius ex monacho & œconomo S. Udalrici & S. Afræ, qui bienio poſt in bello Germanico per tres annos exſulare coactus eſt. Poſtmodum eo reverſus, monaſterium omnino deſolatum invenit, ita ut nullæ portæ, nullæ fenestræ, nulla denique ſupellex inibi reliqua eſſet. Ille nihilominus in ſumma rerum penuria pro virili loca magis neceſſaria inſtaurare cœpit, divina quotidie officia conventionaliter celebrare, donec majora opera moliri liceret, ut ipſe loquitur.

Hoc anno Altaha ſuperior ab Adalberto ſeu Alberto Pogenſi comite libertate donatur, & Romanæ eccleſiæ proteccioni ſub annuo cenſu unius nummi aurei ſubjicitur, Ejus rei litteras refert Hundius, a Liudgero abbate poſtulante conſeſſas. Hic tertius ejus loci abbas erat ab ejus inſtauratione, ſucceſſor Erneſti qui Eginonem exceperat. Liudgeri ſucceſſores vide apud Hundium.

In Italia Bruno, Aſtenſis a patria, ab epifcopatu Signienſis dictus, qui poſt abdicatam ſacri monaſterii Caſinenſis præfecturam ad Signienſem eccleſiam ſe receperat, hoc tandem anno terreſtrem vitam cæleſti commutavit, mortuus xv. kal. Auguſti, a Lucio III. in numerum ſanctorum relatus. Ejuſdem memoriæ Honorius III. altare in eccleſia Signienſi, in qua ſepultus fuerat, conſecravit. Brunonem laudat in primis Petrus Diaconus in continuatione Chronici^b Caſinenſis, ubi ejus Opera commemorat, Brunoni Cartuſienſi falſo adſcripta, quæ in editione Veneta anni MDCLI. cum ejus vita continentur, accurate domno Mauro Marchelio monacho congregationis Caſinenſis. Inter Signinos epifcopos decimus numeratur S. Bruno apud Ughellum, c qui ejus vitæ compendium refert.

Ejus tempore Tarracinenſi eccleſiæ præerat Gregorius epifcopus ex monacho Caſinate, ab eodem Petro diacono, itidemque ab Ughello laudatus. Huic adjuſti ſunt a Petro Amicus ex decano Caſinate factus abbas S. Vincentii ad Vulturum; Oderiſius & Roſcemannus itidem Caſinates, Romanæ eccleſiæ ordinati diaconi cardinales: ex quibus Oderiſius, primum præpoſitus ſub Girardo abbate, dein Caſinenſis abbas ejus nominis ſecundus, a Calliſto II. creatus eſt preſbyter cardinalis. Ad Roſcemannum quod attinet, interſuit creationi Calliſti II. a quo Romam^d miſſus eſt, ut ceterorum, catholicæ parti faventium, cardinalium aſſenſum rogaret. quod egregie præſtitit.

A Caſinenſi congregatione nunc pendet Lerinenſe monaſterium, cujus abbas Petrus II. hoc anno locum fecit Garino abbati. Ejus tempore monachi Lerinenſes Honorium papam adierunt, conqueſturi de canonicis Regienſibus, qui eccleſiam beatæ Mariæ de Monaſterio ipſis abſtulerant. quam pontifex eis reſtitui mandavit. Idem ſcriptis ad omnes fideles litteris eos hortatus eſt, ut Lerinenſibus ſuppætiæ conferrent ad conſtruendam e contra Sarracenos munitionem, forte eam ipſam turrim, quæ hodie quoque ſupeſt, in qua monachorum domicilia habentur. Hujus turris & totius Lerinenſis inſulæ iconem hic exhibere viſum eſt ad tam celebriſ & ſacri loci commendationem. Eodem abbate, Otto, Albingaunenſis apud

Annal. Bened. Tom. VI.

S

CXLI.
Ahufium in
Suevia condi-
tur.
* Anhaufen.

CXLII.
Altaha ſupe-
rioris libertas.
a Hund. 10. 2.
p. 51.

CXLIII.
Bruno Signien-
ſis obit.

b Chron. Caſin.
lib. 4. c. 31. &
42.

c Ital. ſacr. 10.
1. p. 149.

CXLIV.
Alti Caſinate
illuſtres.

d Chron. Ca-
ſin. lib. 4. c. 64.

CXLV.
Lerinenſes ab-
bates.

e V. lib. 70. n.
70.

ANN. CHR. 1125.
a Chronol. Lerin. part. 2. p. 162.
b Ital. sac. to. 4. p. 1265.

Ligures episcopus, Garino abbat, ejusque monachis monasterium^a S. Laurentii de Varigoto contulit, ut secundum instituta Lerinensium regeretur. Missus illuc Fulco Lerinensis prior, is qui Garino postea successit, ad ineundam loci possessionem. Hanc donationem Bonifacius marchio & Agnes comitissa ejus conjux laudarunt. Apud Ughellum^b in Albingaunensibus episcopis nulla mentio de hoc monasterio, quod proinde excisum videtur, uti & monasterium S. Petri de Vamfella, cui prædictus episcopus Otto quædam prædia donavit.

CXLVI.
Res Anglicanæ
c Angl. sac. to. 2. p. 49.

Habitu est hoc anno Londoniæ in Westmonasterio concilium præfidente Johanne de Crema cardinale, S. R. E. legato, eique interfuere cum episcopis abbates e nostris numero duodecim: sed nihil in eo in rem nostram statutum legitur. Eodem anno Willelmus Malmesburienfis absolvit librum^c de vita S. Aldelmi episcopi, quo itidem anno, ut idem testatur, gravis quæstio agitata est in falsarios, qui monetam per totam Angliam corruperant; sicque annonæ caritatem & famem invexerant. quod Rogerius Hovedenus in annum sequentem refert, uti & concilium Londinense.

ANN. CHR. 1126.
CXLVII.
Oderisius Casini abbas deponitur.
d supra n. 45.
e Chron. Casin. lib. 4. c. 88.

Ipso anno, ut Peregrinus recte probat, scilicet ejus sæculi vicesimo-sexto, in monasterio Casinensi ingentes motus exorti, ubi de novo abbate in locum Oderisii substituendo actum est. Insensus erat, ut superius^d diximus, Honorius papa in Oderisium abbatem, propterea quod hic ipsi, cum necdum ad summum pontificatum provectus esset, hospitium in monasterio beatæ Mariæ Pallaria denegasset. Hærebat hæc repulsa pontificis animo, cum Adenulfus Aquinensis comes, lerali & ipse in Oderisium odio percitus, litteras eidem pontifici misit, in quibus Casinensem abbatem pontificii honoris æmulum proclamabat. Mox papa, dictis fidem accommodans, Oderisium ad se purgandum Romam citat per Gregorium Tarracinensem episcopum, olim Casini monachum, quem Paschalis ad illam sedem promoverat. Abbas vero pontificem sibi insensum esse non dubitans, tertium usque vocatus ire in Urbem renuit, nisi pontifex in suam eum gratiam reciperet. Ob hanc itaque contumaciam quinta quadragesimæ hebdomada depositionis in eum lata sententia est. Sacro nihilominus Palmarum die Oderisius, malis suorum deceptus consiliis, in sede abbatiali sedit, baculum pastorem gestavit, & cetera abbatis munia, ut prius, exercuit. Ea re magis inflammatus pontifex, ipso die paschæ eundem Oderisium, omnesque ejus fautores a liminibus ecclesiæ separavit, inobedientes vero ecclesiastica communione privavit. Hinc dissensio & seditio monachos inter & opidanos urbis S. Germani exorta. Unde, cum Oderisius quosdam milites ad castrum seu arcem Janulæ, quæ urbi imminet, ad ejus custodiam misisset, opidani eos comprehendunt, armisque detractis ex urbe projiciunt. Tum vero Oderisius ipse sibi cavens, ex urbe egressus, ad Pontem-curvum prope Aquinum se recipit, militem in rebelles conducturus. Illi autem sacrum montem turmatim ascendunt, decanum & fratres conveniunt, rogantque, ut Oderisium revocent, subdole polliciti, se illi, si quid querelæ contra ipsos haberet, legitime satisfacturos: at re vera in itinere eum interficere parati. Verum decanus, habito cum suis consilio, eis suadet, ut ad urbem revertantur, & duodecim ex ipsis sapientiores postredie mittant, ut cum eis, quod in rem salubrius fuerit, statuatur. Illis digressis, decanus misso de nocte nuntio dicta factaque Oderisio significat, eumque ut redeat obnixè rogat. At ille, civium versutiam non ignorans, omnino abnuit. Postera die delecti, ut conditum erat, opidani montem subeunt, & in capitulum conveniunt, ac de pacis conditionibus diu tractant. Inter hæc unus ex eis in medium surgens: Cur frustra, inquit, verbis tempus teritis? Pro certo habetote, nos monasterio neutiquam egressuros, ni deposito Oderisio alium nostro consilio & assensu abbatem substituat. Ad hæc fratribus nullo pacto id sibi licere affirmantibus, illi e vestigio monasterii munitiones occupant, & conventu facto, egregii illi, ut Petrus eos vocat, *archimandrite* per archipresbyterum suum in Oderisium sententiam depositionis & excommunicationis pronuntiant. Tum Janulæ arce occupata, monachos ad alium abbatem eligendum adigunt: sin minus carcerem, verbera, necem eis minantur. In his postea angustiis fratres, cum frustra Oderisium iterum revocare tentassent, tandem Nicolaum, tunc monasterii decanum, eligunt. quod fratres quidam indigne ferentes, factum Honorio papæ renuntiant: ille vero Nicolai electionem irritam declarat, & Seniorectum abbatem fieri mandat, ut anno sequenti videbimus.

ANN. CHR. 1126.
CXLVIII.
Pontius olim Cluniaci abbas, damnatur.
a supr. n. 117.
b Petr. Ven. lib. 2. mirac. c. 13.

Non minores turbas Cluniaci anno superiori^a ortas fuisse paullo ante vidimus, factione scilicet Pontii olim abbatis, qui monasterium violenter invaserat, res omnes diriperat, & monachos sibi oblitentes, alios fugaverat, alios in vincula conjecerat. Id ubi Honorio papæ nuntiatum est, utrasque partes coram se sisti jubet. Mox Cluniacenses^b obtemperant, Petrus scilicet cum Matthæo priore S. Martini de Campis, jam sæpe a nobis laudato, multisque aliis: adest & Pontius, licet invitus, & ad certum diem coram pontifice citatur, postquam tamen de tantis malis satisfecisset, quippe qui jam excommunicatus, nec causam agere, nec judicium canonicè subire, nisi præmissa satisfactione, poterat. Respuit ille, nec se a quoquam viventium anathematis vinculo irretiri posse asserit. Tam insolenti responso commoto cum curia pontifice, eum non modo excommunicatum, sed etiam schismaticum univèrsi proclamant. Citati ad audientiam asseclæ, se ad satisfaciendum paratos esse respondent. Intrantraque palatium cuncti nudipedes, & reos se confessi protinus absolvuntur. Absoluti causam agunt, & nihil non afferunt, quod tam ipsis, quam Pontio suffragari posset. Ex adverso Matthæus Cluniacensium causam graviter ac sapienter perorat. Tum pontifex, collectis curialium suffragiis, sententiam Portuensi episcopo pronuntiandam injungit in hæc verba. Pontium invasorem, sacrilegum, schismaticum, excommunicatum, ab omni ecclesiastico honore vel officio sancta Romana & apostolica ecclesia in perpetuum deponit; & Cluniacum, monachos, vel cuncta ad idem monasterium pertinentia, abbati, qui in præsentiarum est, cui injuste subtracta fuerant, restituit. Data hac sententia, uniuntur qui divisi fuerant, & uno veluti momento, redintegrato toto Cluniacensi corpore, tantus tamque diutinus malorum turbo sedatur. Irruit nihilominus tam in victos, quam in victores Romanus ille pestifer morbus, ait Petrus, & pæne omnes, tam monachos, quam famulos brevi proferunt. Invadit vix elapso mense & domnum Pontium, paucisque diebus interjectis exstinguit. qua de re Honorius ipse Petro Venerabili, qui his interfuerat, litteras scripsit in hunc modum.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Petro Cluniacensi abbati salutem & apostolicam benedictionem. Præterito mense Decembri Pontius viam universæ carnis ingressus est: qui quamvis de malis Cluniaco illatis sæpe commonitus, penitentiam agere noluerit; nos tamen pro reverentia ejusdem monasterii, cujus monachus fuerat, cum honeste sepeliri fecimas. Data Laterani.

De hac Petri Venerabilis victoria congratulatorium carmen edidit Petrus Pictavenfis, quod in Bibliotheca Cluniacensi videre licet. Ordericus^c scribit, Pontium a pontifice retrusum fuisse in carcerem, & in eo ægrotasse, ibique multis eum lugentibus vitam finiisse. Præmittit idem auctor, Honorium, post latam in Pontium & Pontianos sententiam, Petrum, scilicet Venerabilem, cum apicibus apostolicis & dignitatibus Cluniacum destinasse, monachisque, ut in omnibus ei secundum regulam sancti patris Benedicti obsequerentur, mandasse: illos vero iussa complevisse, & abbatem victoria elatum suscepisse: *cujus imperii jugum*, ait ille, *divinæ legi laudabiliter militantes, huc usque perferunt*. Exstat^d Honorii papæ hac de re diploma Petro abbati inscriptum XIII. kal. Novembris hujus anni datum, in quo totius rei gesta summa continetur. quod etsi jam editum sit, in Appendice referendum visum est cum tribus aliis ipsius Honorii litteris, a Petro diacono cardinale in Galliam allatis: quarum una ad episcopos & proceres Franciæ, Aquitaniæ & Burgundiæ, ut Pontium a Cluniacensi monasterio, ejusque obedientiis eliminent, in quem Petrus cardinalis vice ipsius pontificis, & in omnes ejusdem Petri fautores anathematis confirmaturus erat sententiam: altera ad universos monachos Cluniacenses, quibus præcipitur, ut nullum Pontio consilium, auxiliumve præbeant; sed ab eo, tamquam schismatico & invasore abstineant: tertia ad Humbaldum Lugdunensem archiepiscopum cui gratias agit, quod in Pontium ejusque fautores sententiam excommunicationis protulerit. Omnes litteræ datæ sunt *Laterani VIII. kal. Maii*; adeoque antequam Pontius Romam citatus adisset cum Petro Venerabili, quem cum suis *in octavis sancti Michaelis* illuc advenisse, idem pontifex in prædicto diplomate testatur. His litteris subjungitur formula excommunicationis, quam in Pontianos vibravit.

[Cum Roma Cluniacum remeavit Petrus Venerabilis, sequentes ad Cluniacenses litteras dedit Honorius Papa.

Annal. Bened. Tom. VI.

Sij

CXLIX.
Honorii diploma in gratiam Cluniacensium

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Cluniacensibus monachis salutem & apostolicam benedictionem.

Laudes & gratiarum actiones divinae miserationi persolvimus, quoniam, sua protegente virtute, in unitate concordiae, vestram permanere constantiam & in vobis religionis observantiam splendere cognovimus. Rogamus autem ut in bono quod inchoastis principio firmiter persistentes, pervigili studio laboretis quae Deo placabilia sunt efficaciter operari. Venientem ad nos carissimum filium nostrum Petrum abbatem, pro vestra reverentia & ejus dilectione paterna benignitate suscepimus, & tam ipsius quam vestras postulationes diligenter admisimus, abbatias siquidem S. Aegidii, & S. Bertini & S. Benedicti super Padum ad reformandam & conservandam in eis religionem, sibi & Cluniacensi monasterio, salvo jure sanctae Romanae ecclesiae, restitimus. Ipsum igitur cum litterarum nostrarum prosecutione ad vos remittentes, caritatem vestram rogamus, ut eum affectione praecipua diligatis, & tamquam patrem & a Deo constitutum animarum vestrarum custodem obedientia & humili subjectione unanimitur honoratis. Obsecramus autem in Domino, ut & nos vestris orationibus adjuvetis. Praecipimus autem ut nullus Cluniacensis professionis monachus ad Pontium olim abbatem sine praedicti filii nostri Petri abbatis consensu ire praesumat. Si quis vero id facere seu tentaverit, vel attentare praesumpserit, sententiam quam in eum praefatus abbas dederit, ratam habebimus. Data Lateranis IV. nonas Aprilis.]

His peractis, Matthaeus in patriam reditum parat. Verum pontifex, qui ejus meritum in toto illo negotio perspexerat, ejus reditum impedivit, & eum laboris officium habere volens, Albanum episcopum creavit. Ille in hac dignitate, referente Petro^a Venerabili, nihil de monacho, ut quibusdam mos est, remisit, sed, sicut de magno Martino legitur, eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas mansit. Nihil de divinis officiis, nihil de prolixa Cluniacensium psalmodia quorumlibet negotiorum praetextu praetermisit. Servabat in palatio instituta claustrum, & saeculo expositus, firmo & longo usu, velut innato religionis proposito, a saecularibus vanitatibus se quasi saepo firmissimo secernebat. Cohibebat se intra se, numquam magis solus, quam cum aliis; numquam negotiosior, quam cum solus erat. Praeferebat cunctis operibus suis, omnibusque sanctis studiis sacrificandi Deo illum suum quotidianum usum, a quo nec rei familiaris cura, nec multiplex occupatio, nec ipsa continua post summum pontificem omnium ecclesiarum sibi imposita sollicitudo eum retrahere poterat. Hinc conquerebatur de eo papa, quod aliis prima luce de more ad curiam convenientibus, ipse vix ad horam tertiam occurreret; & quod plus nimio esset monachus, quodam modo improperebat. Verumtamen, quia non solum simplici ac religiosa innocentia, sed etiam singulari prudentia & sapientia praeditus erat, saepe a pontifice mitebatur ad diversas partes orbis terrarum, ubi vices apostolicas prudenter administrabat. Prima ejus missio fuit anno sequenti ad conciliandos Casinates, ut inferius patebit.

Promoto ad Albanensem episcopatum venerabili Matthaeo, successus est in officio prioris S. Martini de Campis Odo, eo nomine primus, prior loci quartus, tantum ad biennium, aut saltem triennium inchoatum, siquidem anno MCXXXIX. occurrit Matthaeus ejus loci prior in diplomate^b Ludovici VI. quo ratam habet donationem Buchardi clerici, factam monasterio S. Martini de Campis, in quo & monachus factus est. Non omnino certum est, quo praecise tempore praefuerit Hugo I. qui ponitur prior sextus proxime post Matthaeum, is scilicet, qui turres & muros monasterium ambientes construi curavit. Illustrior est post eum Theobaldus II. prior S. Martini septimus, qui postmodum ad sedem Parisiensem evectus est. Non omittendae Ludovici litterae^c, Odoni abbati anno MCXXVIII. indultae, quibus id privilegii S. Martino concedit, ut ipse heredes sui numquam beati Martini homines vel hospites capient, nisi in flagranti delicto deprehensi fuerint: si vero ipse vel homines sui aliquam in eos querelam habuerint, in curiam beati Martini se stent, & justitiam per manum prioris & monachorum suscipient.

Interim Arnoldus ille Morimundensis abbas, qui anno superiore, inconsultis patribus, abbatiam cum aliquot e suis deseruerat, morte corripitur. qua comperta, Bernardus Adam monachum, quem plurimi^d faciebant, litteris^e revocare conatur. Licuerit certe, inquit, abbati monachos suos ducere quo libuerit, & ducere quo voluerit: sed quamdiu vixit. Nunc vero mortuo illo, quem vel audire doctorem, vel

CL.
Matthaeus prior S. Martini, cardinalis ut se gerit. a *ibid.* c. 14.

CLII.
S. Martini priores.

b *Hist. S. Martini a Campis* p. 166.

c *ibid.* p. 165.

CLIII.
Bernardi ad Adamum, aliofque epistolae. d *supra* n. 118. e *Bern.* ep. 7.

sequi ducem cogimini, quo adhuc tam grande scandalum emendare cunctemini? .. An & ille moriens interdixit, ne vel post casum tentetis resurgere, post aversionem mutire audeatis de reversione? Itane etiam defuncto necesse est vos obedire, & obedire contra caritatem, obedire in vestra ipsorum salutis periculum? Sed arbitror quod nequaquam firmiter seu tenacius dices esse vinculum abbatum ad subditos, quam conjugum ad seipsos, &c. Hac aliaque fufe prosequitur Bernardus in illa epistola, rejicitque Adami, ejusque affectarum praetextum, qui discessum suum apostolica licentia tuebantur. Ofrivolam satis remedium, inquit, quod non est aliud, nisi more protoplastorum cauteriatis conscientis texere perizomata, videlicet ad velamentum, non ad medicamentum. .. Utinam non licentiam quaesissetis, sed consilium, id est non ut liceret, sed an liceret! His tandem aliisque monitis acquiescere creditur Adamus, & ad officium rediisse; eumque esse putant Cistercienses, qui Eberbacensi Franconiae monasterio postea primus abbas anno MCXXVII. praefectus sit, quique sacram expeditionem praedicaverit apud Germanos, ut scribit Otto Frisingensis, ac demum in sanctitatis opinione decesserit. Quamquam mirum sit, eum statim post reditum abbatem institutum fuisse. Ut ut sit, Arnaldo mortuo Gualterius Clarae-vallis prior apud Morimundum suffectus est, Gualterio Humbertus apud Claram-vallem, vir eximia pietatis, postmodum Igniacensis abbas, quem e Casae-Dei monasterio ad Claram-vallem fecerit superius^a diximus.

Praeter superiorem ad Adamum epistolam Bernardus plures alias scripsit, unam^b ad Ebalum Catalaunensem episcopum, qua eum hortatur, ut monasterio seu ecclesiae Omnium-Sanctorum Ordinis canonicorum regularium idoneum rectorem praeficiat. Alteram ad Honorium papam, quae prima esse videtur ex his, quas ad Romanos pontifices scripsit, qua epistola vir sanctus magistri Alberici, qui Remis scholas tenebat, electionem ad episcopatum Catalaunensem post Ebali obitum confirmari petit. at tamen ejus electio non tenuit, sed post unum amplius vacationis annum Elbertus seu Hilbertus hanc sedem adeptus est, qui quamdam decimam^c Lariacensibus apud Divionem sanctimonialibus confirmavit.

Magis in rem nostram faciunt tres aliae epistolae, quas idem Bernardus pro Divionensibus^d S. Benigni monachis contra Luxovienses scripsit: quarum una est ad Honorium papam, altera ad Haimericum cancellarium, tertia ad Petrum presbyterum cardinalem. Causam diserte non explicat Bernardus, sed tantum subindicat in epistola ad Honorium his verbis: Hoc dico quod frequenter audio: quia videlicet longo & inconcasso tenore fertur Divionensis ecclesia possedisse ea, de quibus adversus eam causantur Luxovienses: ita ut hi qui videntur antiquiores de vicinis, mirentur & indignentur, novam abominantes calumniam. Verum totius rei argumentum fufe explicat Wilencus Lingonum praeful in suis apud Perardum^e litteris. Agebatur de quibusdam ecclesiis, scilicet Wangionis-rivi, Clari-montis, aliisque, quas in dioecesi Lingonensi ab antiquo possidebant Divionenses monachi, quibus eas abstrahere moliebantur Luxovienses. Lis primum agitata fuit Romae coram Honorio papa, cui hac occasione pro Divionensibus scripsit Bernardus; indeque ad audientiam archiepiscoporum Lugdunensis & Viennensis negotium translatum, qui illius cognitionem Wilenco Lingonum episcopo commiserunt. Hic, auditis partibus eum sententiam judicalem secundum Divionenses laturus erat, repente Luxoviensis abbas professus est, se judicio ejus non obtemperaturum. Hac omnia Wilencus litteris suis testatur, quibus adscripta sunt signa Rogerii abbatis S. Bercharii seu Dervenensis, Gerardi abbatis Besuae, multorumque aliorum, quos ad causam investigandam adhibuerat Wilencus, in his *Walonis qui praelationem ecclesiasticam fugiens, remotiorem sibi vitam delegerat*. Sed tandem haec causa post triennium finita est, ut suo loco videbimus. Tunc Luxovii abbas erat Hugo, qui Heinrici V. imperatoris consanguineus fuisse dicitur.

Manricus ad hunc annum refert conversionem Ottonis illustris Austriae principis, qui in Morimundo desertorum ruinas suo suorumque sociorum accessu abunde supplevit. Is imperatorum Heinrici quarti nepos, quinti fororius; Conradi frater uterinus, & Friderici patruus, ex patre Leopoldo Austriae marchione, eximia pietatis viro, & matre Agnete, filia Heinrici quarti in lucem editus est. Missus a patre ad scholas Parisienses, cum in patriam reverteretur, apud Morimundum hospitio humanissime exceptus, adeo loci religione captus est, ut ibidem monachus cum

a *lib.* 73. n. 56. b *Bern.* ep. 58.

c *Perard.* p. 125.

CLIII.
Ejusdem aliae epistolae pro S. Benigno. d *Bern.* ep. 14. e *seqq.*

e *Perard.* p. 228.

CLIV.
Ottonis principis conversio apud Morimundum.

ANN. CHR.
1126.

fociis quindecim fieri voluerit. quod ubi rescivit pater, adeo moleste non tulit, ut potius optimam filio fortem gratulatus sit, & in ejus gratiam celebre sanctæ Crucis monasterium in Austria exstruxerit. Facta professione Otto Parisios ad perfequenda studia missus est. Ex quo intelligitur, primis illis Cisterciensis instituti patribus majora etiam studia non improbata fuisse. Post annos admodum quinque Otto ex monacho abbas Morimundi institutus; postmodum erectis Ordinis sui monasteriis haud paucis, ad Frisingensem episcopatum promovetur, vir non modo pietate, sed etiam litteris clarus, ut argumento est ejus chronicon, necnon libri duo, quos de gestis Friderici primi composuit.

CLV.
Faverniacensis
abbatiae status.

In Burgundiæ comitatu hoc ipso tempore abbatissa Faverniacensis emendando loco studium impendebat, teste Bernardo in epistola CCCXCI. abbatissa Faverniacensi inscripta, in qua ejus nomen prima dumtaxat littera A. designatur. „ Hanc hortatur Bernardus, ut, sicut reficiendis domibus, ita renovandis moribus strenuam det operam; monerque ut non solum curam gerat de suo monasterio, sed etiam de hospitali domo, cui fratres illi, per quos hanc epistolam vir sanctus ad abbatissam mittebat, sub illius manu deserviebant. Verum hæc morum reformatio parum profecit. siquidem post annos septem Ansericus Vefontionum archiepiscopus ejectis sanctimonialibus monachos Casæ-Dei substituit, ut inferius dicturi sumus. Idem factum post biennium in Laudunensi sancti Johannis monasterio; idem quoque in Argentoilensi, ex quo Heloisa cum aliis migravit ad Paraclitense Trecensis pagi oratorium, quod Abaelardus deserere compulsus^a est, insectantibus eum infamantibusque duobus, ut ipse vocat, novis apostolis, scilicet Nortberto & Bernardo, quorum alter regularium canonicorum vitam, alter monachorum se resuscitasse gloriabatur.

^a supra n. 12.
§ seqq.CLVI.
Abaelardus fit
abbas Ruyensis.

b Abael. p. 32.

Sic infamatus a tantis viris Abaelardus, ut ipsos quoque ejus amicos ab illo averterent; nescius quo se verteret, in tantam desperationem^b lapsus est, ut christianorum finibus excedere, & ad gentes transire cogitaret; ibi quiete sub quacumque tributis pactione inter inimicos Christi christiane victurus. Cum hæc animo ageret, contigit ut Ruyenses Britannæ minoris in dioecesi Venetensi monachi, pastore orbat, ei abbatiam cum assensu principis deferrent, idque a S. Dionysii abbate & fratribus facile impetrarunt. Acquivit electioni Abaelardus; at non minores in illa præfectura invenit ambages. Terra quippe barbara, inquit ille, & terra lingua mihi incognita erat, & turpis atque indomabilis illorum monachorum vita, omnibus sepe notissima, & gens terre illius inhumana atque incomposita. Unde animum ejus die ac nocte cruciabat indisciplinata fratrum congregatio, cujus nec moribus emendandis, nec suppeditandis necessariis sufficiebat. Ipsam enim abbatiam tyrannus quidam, in terra illa potentissimus, ita jam diu subjugaverat, ex inordinatione scilicet ipsius monasterii nactus occasionem, ut omnia loco adjacentia in usus proprios redegeret, ac gravioribus exactioibus monachos ipsos, quam tributarios Judæos exagitaret. Sic fit; ut neglecta in monasteriis disciplina omnia pessum eant. Urgebant ipsum nihilo minus monachi pro necessitatibus quotidianis; cum nihil in commune haberet quod eis subministraret, omnesque peculium suum haberent, quod in pravos plerumque usus prodigebant. Gaudebant abbatem super his anxium esse, & ipsi quoque obvia quæque furabantur: ut, cum ille in administratione sua defecisset, aut a disciplina cessare, aut omnino recedere compelleretur. Sic ille vitam ducebat, miseram quidem, & tam ipsi quam aliis inutilem & infructuosam; & priores miseras quasi jam nullas reputabat, se merito hæc pati ingemiscens, quod Paraclitum deseruisset, & oratorio in divini celebratione officii minime providisset, quoniam loci paupertas vix unius hominis necessitati sufficeret. Verum brevi hac anxietate liberatus est, cum scilicet Heloisa & conventus sanctimonialium Argentoilensium illuc migravit.

CLVII.
Gaufridi abba-
tis Silvæ-majo-
ris episcopi fa-
cti successor.
* Langon.
Vasatenfes ca-
talogi supple-
tur.

Silvæ-majoris abbatiam rexit ad hunc annum Gaufridus seu Goffridus abbas, ejus nominis secundus, qui tunc electus episcopus Vasatenfis, locum fecit Petro de Ambasia abbati septimo, beati Geraldii olim discipulo & capellano; idemque in capitulo residens, novo abbati & monachis præcepit, ut in opido Lingonis^{*} ecclesiam in honorem beatæ Mariæ ædificarent. In catalogo episcoporum Vasatenfis valde imperfecto desideratur iste Gaufridus, uti & Johannes de Caumont, monachus & prior Regulæ ad Garumnam, qui ei successisse memoratur in codice

Aquensi. Ad Petrum de Ambasia quod attinet, ejus esse videtur epistola CCCXLIV. inter Chesnianas^a ad Ludovicum Juniorem Francorum regem, quem rogat, ut patrum, quod fratres sui de Semeio^{*} dioecesis Aurelianensis cum quodam canonico sanctæ Crucis facere compulsi sunt, sui privilegii auctoritate confirmare dignetur. Ad hæc ut fratri, cui novam ædificationem ecclesiæ sancti Johannis de Breis ipse abbas commiserat, consilium & auxilium porrigat. Petrus de Ambasia obiit XIV. kal. Maii, & in capitulo sepultus est. cui jam successerat anno MCLV. Petrus de Didonia, ortus e gente Aquitana nobili: quo anno Guillelmus episcopus Vasatenfis, & ipse in vulgatis omissis catalogis, Silvæ-majori ecclesiam de Niaco^{*} dedit. Hic abbas ab Alexandro III. & ab Henrico II. Angliæ rege & duce Aquitaniæ bonorum & privilegiorum suorum confirmationem obtinuit.

ANN. CHR.
1126.
a Chesn. to. 4.
p. 688.
* de Semois.

* Niaco.

Apud Rotomagum in monasterio S. Audoeni Guillelmus abbas, dictus Baloten- sis, hoc anno mortalibus vitam absolvit, cum annis fere quatuordecim locum administrasset. Post eum Ragenfredus ejusdem coenobii monachus regimen subiit, eodemque anno basilica S. Petri, ab annis sexaginta inchoata, a Goisfredo archiepiscopo, multisque aliis prælatis XVI. kal. Octobris dedicata est, ut Ordericus^c tradit. Idem scribit Ragenfredi abbatis tempore claustrum cum aliis monachorum officinis consummatum insigniter emicuisse: at non diu hic splendor duravit. nam post annos decem, exorto in urbe funesto^d incendio, ignis per S. Amandum & S. Audoenum grassatus utramque ecclesiam funditus combussit. Eodem abbate Fulbertus archidiaconus, idemque decanus Rotomagensis, gravi morbo correptus, monasticum habitum devote suscepit, & post mortem in claustrum S. Audoeni ante capitulum humatus est, apposito ad ejus tumulum epitaphio, apud Ordericum^e relato, in quo profunda ejus sapientia & lingua disertæ prædicantur, & quarta die ante nativitatem Domini obiisse dicitur, ecclesiæ columna, vir nulli pierate secundus. Rotomagensi concilio interfuit anno MCXXVIII. Demum, cum affecta valetudinis esset Ragenfredus, abbatiam abdicavit, secessitque ad cellam sancti Michaëlis in monte prope Rotomagum, cujus loci prior fuit. Suffectus in abbatia Fraternalis seu Freherius, monachus Cluniacensis, de quo inferius.

CLVII.
S. Audoeni ab-
bates.
b lib. 72. n. 34.c Orderic. lib.
12. p. 884.d id. lib. 13.
p. 905.e id. lib. 2. p.
710.

Hoc ipso anno MCXXVI. obiit Cæcilia abbatissa Cadomensis, Willelmi conquestoris filia, de qua superius^f actum. Huic successit Isabella filia Willelmi^g comitis, filii Stephani comitis Blefensis, quæ immatura morte præventa, exiguo tempore abbatiam tenuit. Eam excepit Beatrix de Huguevilla, sub qua Geva, illustris Ernaldi Geroiani filia secundo-genita, religiose disciplinæ sacram^h feriem diu gerendo & docendo sibi & aliis laudabiliter profecit. Eodem tempore ibidem floruit virgo celebrisⁱ Adelisa, filia Richardi de Colungis, herois illustrissimi, quæ ab infantia Deo dicata, in eodem monasterio sanctimonialis facta est. Alias ejusdem parthenonis abbatissas in Neustria-pia videre licet.

CLIX.
Cadomenses
abbatissæ.
f lib. 72. n. 36.
g Orderic. lib.
7. p. 648.
h id. lib. 3. p.
490.i id. lib. 6. p.
601.

Cum rex Ludovicus aliquando ad Centulense monasterium venisset, monachorum utilitatis specie communiam, ut vocant, inter opidanos illic statuit, eaque statuta discessit. Mox opidani cornua erigentes, jura monachorum, scilicet tallionem de exercitu regis & partem ejusdem, mensuras & reliqua eis auferre moliti sunt, multaque alia in monasterii damnum patrare aggressi sunt. Qua de re graviter commoti Anscherus abbas & monachi, regem precibus interpellarunt, ut iterum ad S. Richarium rediret, & opidanos ad officium revocaret, & monasterium in pristinam libertatem restitueret. Rogantibus benigne rex annuit, iterum ad S. Richarium hoc anno perrexit, & opidanorum rebellionem compescuit, scripto ab eis exacto, quod sacramento exsequi promiserunt, & fidei causa obsides dederunt, prout fufius refertur in litteris Ancheri abbatis in Appendice relatis.

CLX.
S. Richarii com-
munia repressa

In Anglia post mortem Herlewyni Glastoniensis abbatis abbatiam adeptus est Henricus, frater Theobaldi comitis Blefensis, Henrici regis ex Adela sorore nepos, monachus Cluniacensis, quem mater, inquit Guillelmus^k Neubrigensis, me soli seculo liberos genuisse videretur apud Cluniacum tonsoravit. Postea vero cum Henricus I. Angliæ rex Mathildem, Eustachii comitis Bononiensis unicum filiam, ad quam tota spectabat hereditas, Stephano nepoti suo, Henrici jam dicti fratri, copulasset, eique plurima in Anglia largitus fuisset; fratri quoque ejus Henrico contulit abbatiam Glastoniensem, ac postmodum Wintoniensem episcopatum adjeicit. Ejus tempore multa^l Glastoniensi ecclesiæ emolumenta provenerunt. Hic gregem

CLXI.
Henricus ab-
bas Glasto-
niensis.
k Neubrig. lib.
1. c. 4.l Monast. Angl.
to. 1. p. 12.

sibi commissum strenue rexit, dictis & factis informavit, ita se omnibus aptans, ut singulis carus esset ac reverendus. Idem quoque Radingensis monasterii abbas fuisse dicitur, factus demum episcopus Wintoniensis, de quo plura in consequentibus. Vir fuit rei familiaris gerendæ maxime gnarus, cui Petrus Venerabilis aliquando Cluniacensis monasterii œconomiam commisit. Extant complures ipsius Petri, necnon Bernardi & Johannis Sarisberiensis ad eum epistolæ, ex quibus, quanti illum facerent, perspicuum est.

CLXII.
Cuno abbas
eligitur Rati-
sponæ episco-
pus.

a V. lib. 72. n.
9.
b Hund. 10. 1.
p. 196.

Florebat per id tempus in Sigebergenſi agri Coloniensis monasterio Cuno seu Cono abbas, Ruperti Tuitiensis abbatis scriptis^a in primis celebratus, qui hoc anno ad sedem Ratisponensem non sine cœlesti indicio evectus est. Id factum post mortem Hartwici^b episcopi, apud S. Emmerammum sepulti, cujus obitus v. nonas Martii accidit. Eo mortuo, cum eligentium suffragia in diversas partes scinderentur, unus ceteris sapientior Cunonem episcopum proclamavit, cui mox omnes assensere, testante Ruperto sub finem libri duodecimi in Matthæum his verbis. *Manifestum jam te habere non dubitamus indicium sive experimentum, quod via tua Domino abscondita non fuerit, & judicium a Domino Deo tuo non transferit: quia cum nescires, cum præsens non adesses, immo longe remotus abesses, Ratisponensis ecclesia, pastore suo viduata, pastorem te, id est pontificem sibi elegit, quæ magna est gratia, donumque Pontificis magni, qui cœlos penetravit. . . Cum clerus & populus in partes pro eligendo sibi pastore divideretur, fieretque periculosa partium contentio, aliis hunc, aliis illum clamantibus; jamque prope esset, ut seditione invalescente ad arma concurreretur: unus sapientior ceteris, cujus cor Deus tetigit, repente tuum nomen in medium protulit, teque eligi consuluit: & protinus totus ille partium motus conquievit, & in te unum, quæ divisa fuerat unitas ecclesie concessit.* Ejus porro adventum in urbem Ratisponam in diebus rogationum contigisse confirmat idem Rupertus, viso cujusdam sanctimonialis, cui per visum dictum est, *occurrendum esse beato Martino isto die suo, in ipsis rogationum diebus tunc imminentibus, quæ ante ascensionem Domini de more celebrantur.* quod illa mirabatur, sciens festum beati Martini non agi diebus illis, sed longe alio tempore anni, undecimo die mensis Noyembris. *Non ergo multum attendens visum, velut otiosum reticuit: donec tu, inquit ille, quem venturum esse non ante visum illum sciebat, electus advenisti die rogationum. Hæc videns illa jam dicta sanctimonialis visum, quem viderat, ad te pertinere recognovit, & extunc quibuscumque fiducialibus enarravit.*

In episcopatu
ut se gerit.

Hinc Rupertus Cunonem comparat cum sancto Martino, qui referente Sulpicio, idem in episcopatu constantissime perseverabat. Eadem in corde humilitas, eadem in vestitu vilitas erat: itaque ita, plenus auctoritatis & gratiæ, implebat episcopi dignitatem, ut non tamen propositum monachi, virtutemque defereret. quod etiam Cunoni episcopo aptat Rupertus his verbis. *Vidimus te, præclaræ civitatis episcopum; vervecum pellibus & pulla desuper cappa coopertum sive affibulatum* procedentem, & euntes post te præclaros utriusque, tam clericalis, quam laicalis ordinis spectabiles viros, peregrinorum muriam pellibus secundum morem vel honorem suum coloratos sive desfloratos, in eo sapientes, quod episcopum se habere, vel sequi gauderent talium contemptorem; censu divitem, affectu vel habitu pauperem; in corde humilem, in vestitu vilem, in mensa sibi communi cum dignitate episcopi propositum monachi, virtutemque non deserentem. Hoc esse dixi de imitatione beati Martini. Unde non vanam fuisse constat illius sanctimonialis visionem, quam audisti.* Hactenus Rupertus, qui in consequentibus Cunonis humilitatem prædicat, nimirum sub finem libri penultimi, id est duodecimi in Matthæum de gloria & honore Filii-hominis, quos tredecim libros Cunoni jam episcopo dicavit. Quatuor tantum annis Ratisponensem ecclesiam rexit optimus præsul, sepultus apud S. Emmerammum.

CLXIII.
Rupertus li-
bros suos papæ
offert.

Editis his commentariis libros novem de glorificatione Trinitatis eidem Cunoni nuncupavit, eosdemque libros idem ipse obtulit summo pontifici, scilicet Honorio II. ut patet ex ipsius epistola ad Romanum pontificem, quæ prædictis libris præmittitur in editione Parisiensis. Ex hac porro epistola colligitur, Rupertum his libris sibi viam ad pontificis præsentiam & audientiam parasse. Sic enim beatum Petrum alloquitur. *Ante faciem tuam, o beatissime Petre, testis Christi ac præcentor christiana fidei, simulque ante faciem vicarii tui papam, viam latam invenire, & spatium habere nostra parvitas deposcit. Dicit autem quidam de principibus sapientissimis*

Donum

Donum hominis dilatat viam ejus, & ante principes spatium ejus facit. *Ne igitur vacuus venirem, donum præsentavi, quale manus mea reperire potuit.* Et infra, sermonem ad papam convertens: *Fateor tibi, inquit, magne sacerdos, quia præsens opus, & quacumque hactenus simili studio peregi, sic afferro, sic æstimo vel æstimari cupio, tamquam ligna, quibus nutriti possit ignis caritatis in altari Domini, in corde cujuspiam legentis sive audientis, & legendo sive audiendo capientis proficere in dilectione nominis Domini. Neque enim donum hoc, quo, ut præscripsi, viam sive spatium ante principes mihi cupio parari, tanti æstimo, quanti est aurum & argentum & pretiosi lapides, quanti hyacinthus & purpura, coccusque bis tinctus & byssus, quæ spiritaliter in constructione spiritualis tabernaculi offeruntur.* In fine idem auctor indicem operum texit, quæ hactenus composuerat. Ex his porro intelligitur, Rupertum tunc temporis Romam profectum fuisse, & prædictos libros de glorificatione Trinitatis & processione Spiritus-sancti papæ obtulisse, haud dubie Honorio: siquidem Cuno episcopus, cui hos dicavit, Honorii pontificatu electus, anno MCXXX. superstiti Honorio, defunctus est. Certe Rupertus ipse sub finem libri tertii in Regulam S. Benedicti satis indicat, se in Italiam aliquando profectum esse, ubi agens de usu femoralium apud monachos, quem usum voluntati seu intentui S. Benedicti non esse contrarium dicit, *Ille enim, inquit, braccas non auferre habentibus, sed quantum valuit, dare voluit non habentibus. Habentes nos sumus, qui in provinciis braccatis habitamus: non habentes Scoti sunt & Britanni, nec multo minus illi; inter quos ipse Pater habitavit. quippe ubi hodieque vestigia supersunt ejusdem moris nequaquam honesti, sicut & nos ipsi vidimus, cum in locis illis hospites, inter homines divaricatos ad prunas sederemus. quæ verba, ni fallor, diserte probant, Rupertum in Italia, ubi sanctus pater Benedictus vixit, versatum & hospitatum fuisse. Hoc autem iter forte ideo aggressus est, ut commentarios suos papæ offerendo eum sibi propitium redderet contra æmulos, qui eis, eorumque auctori detrahebant, ut ille passim conqueritur.*

Per mortem Rockeri seu Rukeri, aliis Rutgeri Magdeburgensis archiepiscopi, quæ anno superiori accidisse dicitur in chronico nostro Saxonico, in ejus locum hoc anno substitutus est Norbertus, Præmonstratensis Ordinis auctor. De ejus electione in eodem chronico hæc leguntur ad hunc annum. *Rex Lotharius sacrosanctum dominicæ resurrectionis festum Magedaburgh celebrans, cum majoribus ecclesie & regni de provisione ejusdem sedis, quæ tunc vacabat, tractavit: ubi cum magna in electione difficultas facta fuisset, juxta voluntatem & consilium regis majores Magedaburgensis ecclesie apud Spiram unanimiter conveniunt, ac communi regis & ecclesie consilio donum Norbertum, virum religiosum & omnibus ecclesiis verbi Dei pronuntiatorem exuberantissimum, in episcopum, Deo prosequente, unanimi pace & concordia constituerunt.* Qua occasione factum sit, ut Norbertus Spiræ tunc occurreret, ex Alberico discimus, apud quem dominus Norbertus missus fuisse dicitur ad partes Alemannorum a Theobaldo Campaniæ comite ad accipiendam & deducendam sibi uxorem, scilicet Mathildem, filiam cujusdam Ingelberti nobilis marchionis Foro-Julienſis seu Carinthiæ, cujus fratres erant episcopus Ratisponensis, scilicet Hartwicus, & archiepiscopus Coloniensis Fredericus. Ex hac autem occasione contigisse ipsum Norbertum venire Spiram ad curiam Lotharii, ubi missi Magedurgeenses simul convenerant ad postulandum sibi archiepiscopum, atque annuente seu indicante Metrenſi primicerio Alberone, electum fuisse Norbertum, & a Lothario mox investitum: qui non multo post, id est VII. kal. Augusti, ipso die festo S. Jacobi apostoli, Magedurgi ab Udone Citizenſi episcopo solemniter ritu consecratus est.

Jam videtur fuisse episcopus, cum Gaufridus Bernardum Clara-vallensem abbatem^b sciscitatus est de domino Norberto, an iturus esset Jerosolymam. quod se ab ipso non audivisse respondet Bernardus, cum ante paucos dies ejus faciem vidisset. Certe mirum videri possit, virum sanctum, recens ordinatum episcopum, de Jerosolymitano itinere cogitasse. Quamquam id non sine exemplo. nam ea tum pietas etiam piorum præsulum erat. Addit in eadem epistola Bernardus, se a Norberto de Antichristo inquisisse quid sentiret; eum vero professum fuisse se certo scire, *durante adhuc ea, quæ nunc est, generatione revelandum illum esse. At cum eamdem, inquit Bernardus, certitudinem unde haberet, sciscitanti mihi exponere vellet: audito quod respondit, non me illud pro certo credere debere putavi.* Ea erat Bernardi in dif-

Annal. Bened. Tom. VI.

T.

a V. lib. 72. n.
7.

CLXIV.
Norbertus, fit
Magedurgi
archiepiscopus

CLXV.
Bernardi de
eo epistola.
b Bern. ep. 56.

ANN. CHR.
1126.CLXVI.
Otto episcopus
iterum ad Po-
meraniam per-
git.

cernendis revelationibus peritia & sagacitas. *Ad summam tamen hoc asseruit* Norbertus, non visurum se mortem, nisi prius videat generalem in ecclesia persecutionem. quod forte de schismate Anacleti post Honorii pontificatum exorto intelligendum.

Jam in sede Magdeburgensi positus erat Norbertus, cum Otto Babenbergensis episcopus, audito Pomeranos quosdam, in primis Stetineses, ad idolorum cultum revolutos fuisse, annuente Honorio papa, necnon rege Lothario, illuc iterum reverti constituit, tum ut apostatas ad finem ecclesie revocaret, tum ut aliam gentem, videlicet *Noim*, quæ necdum Christi nomen audierat, ad fidem adduceret. Hoc iter aggressus est in Coena Domini, statim post benedictionem chrisimatis & missarum sollempnia devote peracta, & quidem jejunos, ac sandaliis, sicut altari adstiterat, ornatus; sicque prælato crucis vexillo iter arripuit, in urbe antiqua *Kirchberg* sabbatum sanctum, & ipsam dominicæ resurrectionis diem peracturus. Inde feria secunda paschæ monasterium *Regenrestorf*, a se recens constructum, adiit, quod & feria tertia paschæ in honorem sancti Johannis-Baptistæ dedicavit. Post hæc Magdeburgum petiit, ubi a dilecto suo *Noriperto archiepiscopo honorifice susceptus est*. Nonnihil tamen humani passus dicitur sanctus archiepiscopus, videns Ottonem & longinquo ad gentium conversionem venire; pudore actus, quod ipse in civitate gentium positus nihil tale aggressus esset. Postera die Otto Havelbergense episcopium petiit, quod tunc paganorum crebris incursionibus ita destructum erat, ut christiani nominis vix tenues in eo reliquiæ superessent. Immensum est quot labores vir Dei in secunda illa missione, & quot persecutiones pertulerit, sed non sine uberrimo fructu. nam Stetineses tandem ad sanam mentem rediere, uti & Ilinenses. Eam ob causam *Rugiani*, quos *Sefridus Ruthenos* vocat, a Stetinesium societate & mutuo commercio averfi sunt, eisque bellum intulerunt, sed ab illis, Christo favente subacti sunt. Interim preces & supplicationes pro sancto præfule assidue fiebant in monte seu monasterio sancti Michaëlis Babenbergensi, cujus loci monachos materno potius quam paterno affectu diligebat. adeo ut, cum aliquando Magdeburgi in comitatu Lotharii ægrotaret, accito *divæ memoriæ Hermannæ abbate*, per quem tunc etiam, præter alia dona, trecentas eidem monasterio marcas misit, in hanc flebiliter eruperit vocem: *O quam incomparabilis me detinet gemitus, quod in hac ægritudine tam longe remotus sum a dulcissimo requietionis meæ loco, monte videlicet domini & patroni mei beati Michaëlis archangeli! ubi corde & animo ita infixus inhaereo, ut, teste Domino, si in hac hora illic positus essem, mille marcas huic beneficio non præponerem*. Ex his porro monachis qui pro *Otone* precabantur, præcipuus erat *Ellenhardus senior*, vir magnæ prudentiæ, pietatis & humilitatis, qui nocturnas vigilias prævenire solitus, pro ejus salute divinam clementiam pulsare non cessabat, donec tandem optatum ejus reditum cælesti oraculo audire meruit. Diurnam nimirum ejus absentiam ægre ferens *Lotharius*, ei districte mandavit, quantocius ut ad suam sedem rediret. Sibi quippe ejus in Saxonia præsentiam necessariam esse, ut ejus auctoritate sui ipsius inimici reprimerentur.

Hos inter censendus *Conradus Franconiæ dux*, cujus partibus adherere consuebat *Udalricus Fuldenis abbas*, ob eam causam depositus ab Honorii papæ legato, scilicet *Gerardo*, qui postea fuit *Lucius papa* ejus nominis secundus: qui semper *implacabilis Fuldenis ecclesie* a fuisse dicitur. Istuc nimirum legatus cum *Lothario* accessit hoc anno, laicosque a sacramentorum obligatione, monachos & canonicos ab obedientia prædicto abbati, qui tunc absens erat, promissa absolvit, & ita, omnibus subditis dolentibus, cum exauctoravit anno ejus præfecturæ quinto. Tum, præfente *Lothario*, omnium consensu, eligitur *Henricus*, eo nomine primus, ex stirpe *Kemmenata**, olim principis monasterii decanus, tunc oellæ *Brustlohenis* in Turingia præpositus: qui cum afflictæ ob inutiles sumrus rei familiari restituentæ imparem se sentiret, septimo regiminis sui anno ultro magistratum abdicavit, forte privata deinceps contentus. Brevior fuit *Bertholdi* præfectura, qui cum *Lothario* in Italiam profectus, ab *Innocentio II.* pontificalium ornamentorum usum impetravit, in reditu mortuus anno *MCXXXV.* præfecturæ anno secundo. De *Conrado* ejus successore alias.

CLXVIII.
Alterani-fontis
terra data Al-
tivilarenfi mo-
nasterio.

[Per id tempus florebat in *Altivillarenfi* agri *Remensis* monasterio *Ingubrandus abbas*, qui *Theobaldum* comitem *Carnotensem* atque *Blesensem* apud *Spartiacum* adiens, ab eo petiit, ut terram de *Alterani-fonte*, quam antiquitus ecclesia

ANN. CHR.
1126.
Thef. Anecdor.
to. I. p. 367.

Altivillarenfi in parochia *Villa-novæ* juxta *Virtuense* castrum tenuerat, eidem concederet, ut villam inibi reedificaret, quæ destructa videbatur. Annuit petitioni piissimus princeps, villamque reedificandam ita quietam, & ab omni oppressione & exactione, talliis, justitia, banno, &c. liberam concessit, ut neque ipse neque aliquis successorum suorum aliquid ab ea villa exigat. Actum anno *MCXXXVI.*]

[Eodem circiter anno *Amalricus Crispini Castri-celsi* dominus, atque *Ermen-gardis* cognomento *Guarmesia* uxor ejus, collegiatam *S. Magnebodi* * apud *Andegavos* ecclesiam Majori-monasterio tradidit. Hanc ex patrimonio uxoris suæ ecclesiam possidebat *Amalricus*, cujus præbendas seu canonicatus, quos ne laicis quidem dare licitum erat, hætenus pro libito contra canones vendiderat. Quod grande peccatum ut expiare valeret, inspirante divina clementia, quæ neminem vult perire, ad id consilii tandem pervenit, ut religiosus viris, monachis videlicet *S. Martini Majoris-monasterii* prædictam cum appenditiis ecclesiam donaret. Quapropter *Ermen-gardis* orationis gratia & adimplendi propositi desiderio *Turonos* venit, atque ingressa generale monachorum capitulum, tam ex parte sua quam ex parte *Amalrici* viri sui, donum in manu prioris qui capitulo præsidebat fecit, non solum de ecclesia *S. Magnebodi*, sed & de ecclesiis *de Belfort* & *de Bessy*. tum recedens e capitulo donum super majus altare obtulit. Postea *Fulconem* comitem *Andegavensem* cum quibusdam ex fratribus expetiit *Odo abbas*, utque prædictum donum confirmaret requisivit. Cum autem *Andegavos* una cum *Amalrico* pergeret *Odo*, & in via quæ a *Balgentiaco* castro comitis ducit *Andegavos*, de hoc dono inter se sermones miscerent, ecce subsecutus colloquentibus adjunctus est comes, qui quod factum fuerat assensu suo confirmans, donum in manu abbatis per *castrum Galterii prioris claustralis* tradidit, illudque concessit in eadem via *Gaufridus filius comitis major natu*. Hoc iterum donum comes simul & comitissa *Aremburgis* ejus uxor concessere apud *Faciam* castrum suum. Ut autem hæc omnia firmiter constarent, misit prædictus abbas aliquot ex monachis, *Galterium* priorem claustralem & *Hugonem* hospitalarium ad *Castrum-celsum*, ubi *Ermen-gardis* *Garmesia* quam apud *Majus-monasterium* super altare deposuerat donationem, iterum assentientibus & confirmantibus filiis ejus *Tetbaldo* & *Gaufrido*, concessit in claustrum monachorum, congregatis ibidem baronibus, in præsentia domni *Briccii episcopi Nannetensis*, qui tam pium opus laudavit, quod tamen locum non habuit. nam *S. Magnebodi* ecclesiam hætenus possident canonici sæculares.]

[Generale anno præcedenti apud *Majus-monasterium* Capitulum *Odo abbas* congregaverat, in quo res sane singularis contigit. *Guillelmus* cognomento *Girolet* qui *Gaufridum* fratrem *Rollandi Lyriaci* domini occiderat, ob scelera suorum *squalores abstergendos*, & ut quod fecerat homicidium sibi dimitteretur, una cum *Rollando* *Majus-monasterium* adiit, generale capitulum, monachis hinc inde residentibus, intravit, & pro anima ejus quem occiderat, per manum domni *Odonis abbatis* cum disciplinali virgula, ipsi & monachis *Majus-monasterii* contulit quidquid in ecclesia *S. Salvatoris* jure seculari diu quiete possederat, & quidquid decimarum in ipsa parochia hætenus habuerat, & donum inde cum ipsa virgula super majus altare posuit. Præclarum sane in *Rollando* moderationis exemplum, & christiano homine dignum, qui cum fratris sui necem ulcisci, & de homicida judicium ad mortem urgere posset, tantum scelus prompto & alacri animo ignovit, contentus homicidam ad *Majus* adducere monasterium, ut ibi crimen expiaret elemosyna, cui & ipse vinearum suarum decimam addidit. Acta sunt hæc omnia apud *Majus-monasterium* in capitulo generali in solemnitate paschali, anno ab incarnatione Domini *MCXXV.* ordinationis autem domni *Odonis* anno primo.]

[Neque hic stetit *Rollandi* pietas, sed venienti apud *Lyriacum* *Odoni* abbati occurrit cum *Mathilde* uxore sua, *Oliverio* & *Gellino* fratribus suis, *Herveo* filio suo, & magna amicorum suorum multitudine; & decimas de parochia *Lyriaci*, sive annonæ, sive vini, seu omnium aliarum rerum dimisit in manu venerabilis *Odonis abbatis*, & donum dimissionis super altare posuit. Facto autem dono isto, inquit *Rollandus*, ego & supradicta uxor mea naturalem filium nostrum adhuc in cunabulis consistentem, nomine *Johannem Martini* obtulimus Deo & *S. Martino*, ponentes ipsum infantem super altare *S. Mariæ de Lyriaco*, ac deinde in manibus venerabilis *Odonis abbatis* eum tradentes, per misericordiam obsecrantes, ut ex quo idem infantulus do-

CLXIX.
Collegiata S.
Magnebodi
ecclesia apud
Andegavos da-
ta Majori-mo-
nasterio.
* S. Mainbeuf.CLXX.
Præclarum
moderationis
exemplum.
Ex archivis
Maj. mon.

Puer in cunabulis Deo oblatus.

ANN. CHR.
1126.

Strina capax fuerit, & ad docendum habilis, secundum dispositionem abbatis Majoris-monasterii in aliqua domorum Majoris-monasterii tandiu erudiretur, quousque aetate adultus laborem monasticæ religionis ferre posset, & tunc fieret monachus. Oblatio infantium in regula S. Benedicti præscribitur, pluresque quinquennes & septennes oblatos a parentibus legimus, at nullum adhuc in cunabilis oblatum tradunt historia. Tanta fuit Rollandi fides & pietas, quæ & aliis donis Majus cumulavit monasterium.]

CLXXI.
Bartholomæi
episc. Laudun.
diploma pro
cella S. Ni-
colai de Ro-
ccio.

[In diocesi Laudunensi exstat opima S. Nicolai de Roceo cella, cui Bartholomæus episcopus sacerdotalis esse officii non dubitans, & ecclesias & monasteria singulari sollicitudine prosequi, *altare de Rufini-rivo*, cedente Rogero presbytero, pro amore Dei & animæ suæ remedio, *domni Guidonis archidiaconi assensu, ceterorum officialium suorum consilio, ad usum monachorum Majoris-monasterii inibi Deo servientium gratanter* contulit. Hæc in frequenti synodo donatio facta fuisse videtur, cui subscriperunt tres archidiaconi, plures presbyteri & diaconi & sex abbates, scilicet, Lucas, Soifridus, Elbertus, Walterius, Andreas, & Mainardus, & plures decani. *Actum Laudani II. nonas Novembris feria v. Luna XVI. anno Domini-æ incarnationis MCXXVI. indictione v. epacta VI. concurrente IV.* Diplomati affixum est Bartholomæi sigillum, in quo pontificalibus ornamentis indutus pedum manu gestans, sed sine mitra repræsentatur.]

CLXXII.
Rotrodus Per-
tic. comes erga
Majus-monast.
beneficus.

[Rotrodus comes Perticensis, filius Gaufridi comitis & Beatricis comitissæ, beneficium se erga Majoris-monasterii monachos volens exhibere, collata eis ab antecessoribus ut conservaret, ecclesiam S. Leonardi de Belismo, soli Romanæ ecclesiæ a fundatoribus subditam, & ab ea monachis S. Martini Majoris-monasterii confirmatam, necnon ecclesiam S. Martini de veteri Belismo, eo die quo in manum ejus devenit dominatus castri Belismi, seu omnia quæ postea monachi acquiserunt concedit & confirmat, tam pro se quam pro Advisa uxore sua & antecessoribus suis sibique consanguinitate conjunctis. Deinde ex nomine recenset tredecim ecclesias quas eidem cellæ concesserat. *Actum anno ab incarnatione Domini MCXXVI.*]

Placitum de
ecclesia Belif-
mensi.Ex archiepis
Maj. monaster.

[Sequenti anno de subjectione ecclesiæ Belifmensis placitum est episcopum inter Sagiensem & abbatem Majoris-monasterii, coram Girardo episcopo Engolismensi apostolicæ sedis legato. Hanc olim ecclesiam pro canonicis fundaverat Guillelmus de Belismo, eamque de assensu episcopi Sagienfis, archiepiscopi Rotomagensis, & Roberti Francorum regis Romanæ ecclesiæ subjecerat. Hoc privilegio pacifice gavisi sunt canonici, quibus ob incompósitos mores expulsis, subrogati sunt Majoris-monasterii monachi, quibus eodem privilegio sub Girardo & Serlone episcopis pacifice perfrui licitum fuit. Verum his ex hoc mundo sublatis, qui eis in sede Sagienfi successit Johannes, longe inferioris meriti, ut observat Oedericus Vitalis, illam sibi subjicere tentavit ecclesiam. Re ad Honorium papam delata, causam ad Girardum Engolismensem episcopum, suum in Gallia legatum, remisit, qui partem utramque apud Cenomanos ad se evocavit: præteritum jus suum longa oratione prosecutus episcopus Sagienfis, cui cum multa opponere possent monachi, pacificam per triginta annos possessionem solum objecerunt: quam cum frustra tentasset episcopus impugnare, Gerardus legatus una cum Galone Leonensi episcopo, Hugone & Willelmo Cenomanensis ecclesiæ archidiaconis, Rotberto ecclesiæ S. Petri præcentore, & nonnullis aliis sapientibus personis, in gratiam monachorum judicavit. *Hujus judicii recitationi interfuerunt Gaufridus abbas Vindocinensis, Willelmus abbas Carnotensis, Fromundus abbas Meldensis, Odo abbas Majoris-monasterii & plures alii. Factum est hoc judicium Cenomani anno ab incarnatione Domini MCXXVII. regnante Lodoico Francorum rege.*]



ANNALIS ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER SEPTUAGESIMUS-QUINTUS.

Ab anno Christi 1127. ad annum 1132.



EXAUCTORATO, ut superius^a vidimus, Oderisio abbate, Honorius papa, cum Nicolaum ejus loco electum necdum rescisisset, Gregorium^b cardinalem tituli Apostolorum Casinum misit, mandavitque, ut Casinates Seniorectum, Capuani monasterii tunc præpositum, pastorem & abbatem eligerent, cujus opera & industria haud dubie Casinensis cœnobii bona, tam spiritualia quam temporalia, auferentur. quod si fecissent, ipse quoque monasterium, ubi opportunum esset, tueri & adjuvare paratus foret. Hoc nuntio perturbati Casinates, conquesti sunt, sacri loci impeti libertatem, quæ nulli umquam, ne quidem cuiquam cardinalium obnoxia fuisset. Ad hæc legatus, Honorium papam id agere non sui commodi causa, nec honore ecclesiæ Romanæ, quæ ipsorum auxilio & laude non indigeret, urpote ab ipso Christo in Petro laudata; sed pro ipsorummet Casinatium salute. Ecquam vero ecclesiam vel abbatiam Romanæ sedis jure subiectam non esse? Omnes enim totius orbis ecclesias a principibus, aliisve fidelibus fundatas esse; Romanam vero ecclesiam ab ipso Christo super beati Petri fidem erectam ac stabilitam fuisse. Atqui Casinense monasterium per beatum Benedictum, qui Romæ litteris institutus fuerat, & per cives Romanos Maurum & Placidum, constructum fuisse; & post ejus everisionem a Romanis pontificibus Gregorio & Zacharia restructum; rursusque post Sarracenicam cladem ab Agapito instauratum. adeoque justum esse, ut Casinensis ecclesia Romanam, tamquam matrem agnoscat. Quæ omnia cum certissimis consent monumentis, desinerent Casinates Romanæ ecclesiæ repugnare, & pontificis mandato nulla mora obtemperarent. Tunc fratres temporis necessitati cedentes, pontificis voluntati se obsecuturos spondent, si parendi lautiora tempora evenirent: sicque e capitulo discessum est.

Interim Nicolaus hac illacque discurrens, bella^c cum vicinis principibus, qui res monasterii invaserant, gerebat: atque ut sumtus ad milites conducendos haberet, sacram monasterii supellectilem ad se deferri jussit, in his scyphos argenteos librarum circiter decem, quos Savinus nobilis Dalmata S. Benedicto dono miserat; aquiminilia Stephani papæ, altare aureum cum gemmis pretiosis, calicem aureum librarum quatuor, calicem magnum Saxonicum, quem Theodericus Saxonum rex beato Benedicto olim tranfmiserat, multaque alia, quæ Nicolaus in profanos usus

ANN. CHR.
1127.I.
Nicolaus Casini electus deponitur.

a lib. 74. n. 147.

b Chron. Casin. lib. 4. c. 89.

c ibid. c. 90.

ANN. CHR.
1127.
a *ibid.* c. 93.

proffigavit, ob idque implacabile monachorum odium in se concitavit. Quam ob rem illi ad monasterium accedenti fratres portas occludunt; tum missis nuntiis ejus facinora Honorio papæ renuntiant, seque pontificis voluntati morem gerere velle significant. Hic vero Nicolaum Casinensis abbatiæ regimine exiit, omnique ei faventes vel adherentes a liminibus ecclesiæ separavit. Sic depositus fuit Nicolaus, cum uno anno unoque amplius mense abbatiam tenuisset.

II.
Seniorectus abbas eligitur.

b *ibid.* c. 94.

Latus hoc negotio pontifex, Matthæum Albanensem episcopum Casinum direxit, & per eum effecit, ut Seniorectus seu Senioretus tandem a fratribus eligeretur. Hic ab infantia beato Benedicto oblati, & sanctæ memoriæ Oderisii primi tempore factus monachus, primo S. Mariæ in Luco, tum S. Nicolai in Pica præpositus fuerat: dein per tres annos Casini decanus, indeque ad Capuani monasterii præposituram gubernandam translatus, quo munere adhuc dum fungebatur, cum abbas Casinensis, agente Matthæo cardinale, IV. idus Julias hujus anni, secundum accuratum calculum Peregrinii, tandem electus est, non sine dissensione quorundam fratrum, qui eum in decani officio rigidum experti fuerant, ideoque Oderisium revocandum censebant. Cum Casinensem præfecturam iniiit novus abbas, valde languentem deprehendit regularem disciplinam, & imminutas monasterii facultates ab eo tempore, quo decanus fuerat, præcipue a morte venerabilis Gerardi abbatis, mortuis nimirum senioribus, qui a Desiderio abbate instituti fuerant, quod contigit tum ambitu eorum, qui abbatiam occupare voluerant, tum abbatum expulsiõibus, fratrumque seditionibus clandestinis, unde ad tantam inopiam devenerant, ut necessaria fere omnia eos deficerent, sicque ordinis religio labefactaretur. Inita itaque præfectura Seniorectus Romani pontificis consiliis respondere studuit, nihilque non tentavit, quo sacrum locum ad pristinum statum, cum in spiritalibus, tum in temporalibus restitueret.

III.
Ab Honorio papa consecratur.

d *ibid.* c. 96.

Hæc Seniorecti electio maxime grata fuit Honorio papæ, qui Urbe egressus Casinum venit, ubi novum abbatem ipse consecravit, quod nulli ante eum Casinensi abbati concessum fuerat, quippe qui omnes Romam consecrandi proficisci consueverant. Verum in ipsa consecratione cum pontifex a novo abbate fidelitatis sacramentum exigeret, magnopere obstitere Casinates, quod numquam factum esse assererent. His opponebat pontifex, omnes fere episcopos, archiepiscopos & abbates id facere: quidni etiam abbatem Casinensem? At illi reponebant, ideo ab istis id exigi, quod sapius in hæresim lapsi, adversus Romanam ecclesiam rebelles existissent: Casinensem vero ecclesiam numquam in hæresim lapsam esse, numquam contra sedem apostolicam insurrexisset, quo audito, pontifex cessit, & Casino digressus Beneventum adiit. Interim mortuo absque liberis Guillelmo Apuliæ duce, cum in eo Rotberti-Guiscardi linea defecisset, Rogerius Siciliae comes, filius Rogerii fratris prædicti Rotberti, ducatum occupat, contra quem pontifex expeditionem parat: sed demum facta concordia ducatus ei confirmatus. Hic est Rogerius, quem Anacletus postea regem Siciliae coronavit, quæ res Innocentio II. multum negotii faceffivit.

IV.
Petrus diaconus exsul.

e *Angel. de Nuce* p. 245.

Haud scio an Seniorecti electioni contrarius extiterit Petrus diaconus, Casinensis chronici continuator, quem ab eo in exilium anno ætatis vicesimo-primo pulsum fuisse ipse alicubi testatur. Unde ad eum litteras scripsisse dicitur ejus patruus Ptolemæus, *Julia stirpe progenitus, Romanorumque consul excellentissimus*, in hæc verba: *Relatum est nostræ gloriæ, quod Seniorectus emisit te a Casino. Quapropter si ad nos reverti volueris, & te, & patrem tuum honeste recipiam, & tibi cunctas basilicas Casinensis ecclesiæ tradam*, &c. Eodem tendunt vulgatæ Gregorii Ptolemæi fratris litteræ ad Ægidium Petri diaconi fratrem, qui in idem exsul fuisse videtur, quarum hic tenor. *Gregorius, Gregorii Romanorum consulis filius, Egidio amando fratri salutem. Romanorum invenitur in scriptis, de antiquorum via, parentumque mandatis nullum recedere debere. Tu autem me, fratremque meum Ptolemæum derelinquens, comitibusque mendicis adherens, ad nos usque in præsens reversus non es. Unde & tu egens effectus, & filius tuus de Casino ejectus est. Unde una cum eo ad nos reverti studeat, quatinus ita de vobis curam geramus*, &c. De Petro quod superest, vitam produxisse creditur usque ad pontificatum Alexandri III. a quo Venufini monasterii provisor post mortem Ægidii abbatis institutus fuisse dicitur.

V.
Oldrius fit abbas Casaurienensis.

f *V. lib.* 72. n. 24.

Post mortem Gisonis, Casaurienensis abbatis, quæ hoc anno idibus Aprilis accidit,

ANN. CHR.
1127.
a *Spicil. to. 5.*
p. 486. & seqq.

cum quidam e fratribus, alii nobilitate generis, alii terrena potentia, quidam ratione antiquitatis freti abbatiam ambirent, Deus omnipotens distortam eorum voluntatem & prava consilia dissipavit. Delectis quippe duodecim fratribus, e quorum nutu electio penderet, sexque ex illis in oratorium, sexque aliis in dormitorium deliberandi causa ingressis, repente quidam e plebe Oldrium abbatem proclamavit, cui omnes ilico, quasi cælesti oraculo assensere, eumque statim licet repugnantem ac dicentem, cur se pecudem tanto loco imponerent, in sede abbatis constituunt. electio quinto-decimo die mensis Aprilis hoc anno facta est. Erat is ejusdem loci monachus, vir magnæ simplicitatis, magnæ quoque erga Deum & fratres caritatis, silentii & disciplinæ regularis perquam studiosus, erga modestos & humiles mitis, in superbos rigidus: qui ab Honorio papa consecratus, mores adeo non mutavit, ut contra humilior & mitior extiterit. Ipso suscepti regiminis anno res postulavit, ut in Aprutium proficisceretur. Antequam e monasterio discederet, cuidam fidei suo, scilicet Willelmo de Castellione res ecclesiæ commendavit, præcepitque hominibus suis, ut ei non secus ac sibi obtemperarent. At ille, absente abbate, omnia pecora opidi Alanni, quod e monasterio pendeat, deprædatus est. Reversus abbas ut factum audivit, cum eum ad restitutionem flectere non valeret, non armis sæcularibus, sed divinis armatus, interventu sancti Clementis de eo vindictam obtinuit, Willelmo in manus inimicorum suorum tradito, qui eum hereditario opido, id est Castellione, ejusque hæredes privarunt. Consimilis poena de Roberto Manuplelli in Apulia comite, qui abbatem & monachos infestabat, divinitus sumta est.

VI.
Principum mortes in Gallia.

In Gallia tres illustres principes e medio sublati fuere, duo violenta morte, tertius naturali. Primus ex eis Carolus Flandriæ comes, re & cognomento Bonus, Brugis in templo sancti Donatiani III. kal. Martii, nullis liberis relictis a suis nefarie interemptus est. Arnulfus Blandiniensis abbas ejus corpus ad monasterium suum transferre, & in eo sepelire voluit: sed Brugenfes obstitere. In ejus necis auctores severe, ut res exigebat, animadvertit Ludovicus rex Francorum, ipsius sanguineus, ut fufe tradit Sugerius in vita ejusdem regis, qui, omisso bello, quod cum Henrico Anglorum rege & Theobaldo Campania comite gerebat, in Flandriam cum copiis contendit, hanc cadem ulturus; tentavitque ut Willelmus, Rotberti Nortmannorum ducis filius, quem rex Henricus ipsius frater ducatu exuerat, in Caroli honorem succederet. Verum cum Theodericum Holfatensem, qui se proximum Caroli heredem ferebat, Alofti conclusum obsideret Willelmus; sagitta in pollice vulneratus, sumto habitu monastico, interiit, sepultusque est in Sithienfi monasterio, sicque Flandriæ comitatus Theoderico cessit. Hæc omnia fufe profecutus est Johannes Iperius, qui inter ceteras Caroli virtutes id laudis ei tribuit, quod erga ecclesiasticos religiososque viros devotum se exhiberet, eorumque causas quantocius expediret, effatus eos in curia principum ad lites adesse non debere, qui divino cultui mancipati essent. Unde cum aliquando Johannes Sithienfis abbas die festo epiphaniæ curiam adisset: Domne abbas, inquit comes, quis pro vobis hodie majorem missam in ecclesia vestra cantabit. Ad quod cum respondisset abbas, esse in monasterio centum monachos qui eam celebraturi erant: comes reposuit: Vestri officii erat, domne abbas, in tanto festo cum fratribus psallentibus psallere, & cum eis reficientibus reficere, eosque præsentia vestra recreare. Ad hoc enim antecessores nostri prædia vobis assignaverunt. Tum jussit comes, ut miles, qui abbatem opprimebat, & cujus causa istuc venerat abbas, eum vexare desineret, alias rigide in eum animadversurum. Is erat Caroli pro justitia zelus, qui sceleratos homines in ejus vitæ perniciem concitavit. Herimannus in libro de restauratione monasterii S. Martini Tornacensis scribit, Belgas a Willelmo comite oppressos secreto accessisse ad Theodericum adolescentem, ex Theoderico duce & matertera Caroli comitis, Gertrude scilicet, filia Rotberti senioris Flandriæ comitis, progenitum, qui mortuo ex vulnere pollicis Willelmo successit.

b *Spicil. to. 12.*
p. 473. & seqq.

Consimilis etiam fuit necis Guillelmi Burgundiæ comitis causa. nam *damnatiui quidam*, inquit Anselmus, dum salutis suæ diffidunt, utpote majestatis rei, dominum suum Guillelmum comitem Sedunensium gladiis confodiunt, in quadam ecclesia ante altare orantem. *Actum secunda hebdomada quadragesimæ, feria tertia kalendis Martii.* Humatus est in Paterniacensi monasterio dicecesis Laufanensis, quod ab Adelaide augusta

ANN. CHR.
1127.

conditum fuisse in tertio tomo diximus. Guillelmus iste, ejus nominis tertius, Infans dictus est, propterea quod adhuc infans Stephano patri in comitatu Burgundiae successit. Ejus obitum Chesnius pro veteri calculo ad annum præcedentem refert, eumque nono die Februarii interiisse dicit. Guillelmi fratres ac successores fuere Rainaldus III. ac Guillelmus, ut mox videbimus.

Eodem etiam anno mortuus est Willelmus dux Aquitanorum & comes Pictavenfis, ejus nominis octavus, cujus obitus iv. idus Februarii notatur in necrologio Monasterii-novi apud Pictavos, in cujus capitulo sepultus dicitur. De Willelmo IX. ejus successore in consequentibus multa erit dicendi occasio.

VII.

S. Benignicel-
la Novæ-Lo-
giae
* Franche-
Comé.* la Loge.
a Perard p. 219.

In Burgundia comitatu prædicto Willelmo successit ejus frater Rainaldus III. qui Lothario imperatori fidem clientelarem præstare jussus, abnuvit, ob idque liberi comitatus* titulum hæc Burgundia pars obtinuit. Quam ob rem infensus ei Lotharius, prædictum comitatum tribuit Conrado duci Zeringensi, qui posthac ejus titulum sine re usurpavit. Rainaldo in primis acceptus erat Wido seu Guido Remensis, monachus S. Benigni, Novæ-Logiæ* prope Dolum prior. Hic Rainaldum a comitem apud Dolum castrum adiit aliquando, humilique prece flagitavit, ut, sicut comes Raymundus *terram cum silva usque ad fluvium Elogi, quæ est inter duos rivulos apud Novam-Logiam*, S. Benigno dederat, ita ipse eidem confirmaret. quod comes libenter præstitit, laude & consensu Guillelmi comitis fratris sui in gratiam Widonis Remensis Novæ-Logiæ prioris, quem *specialiter se diligere ait*, qui Wido *propter hoc palafredum suum cum sella & freno comiti contulisse dicitur. Actum est hoc apud Dole castrum in Logia-Caradi*, cujus rei testes adscripti sunt Rainaldus comes, Guillelmus ejus frater, Guido abbas, aliique. Idem Rainaldus, *nobilissimi comitis Stephani b filius*, ejusdem Guidonis Remensis precibus acquiescens, S. Benigno, monachique apud Logiam-novam manentibus, terram, quæ est inter duas vias juxta Montiniacum, ad plantandam vineam concedit. quæ donatio facta dicitur *apud Arbofium* ante ecclesiam beati Justii*. Testes *Wido cognomento abbas*, aliique. Ex hoc instrumento colligitur, Rainaldum III. Burgundiæ comitem filium fuisse Stephani, Capitis-audacis cognomento, quæ res Andreæ Chesnio incerta fuit defectu veterum instrumentorum. quod etiam de Willelmo comite Vienensi & Matisconensi ipsius Rainaldi fratre dicendum est. Burgundiæ comitatum rexit Rainaldus ab anno MCXXVII. ad annum MCXLIV.

b id. p. 27.

* Arbois.

VIII.

Hugo dux
Burgundiæ fi-
liam suam La-
riaco offert.c Chifflet O-
pusc. 4. p. 176.S. Benigni ab-
bates.

Sub idem tempus Hugo dux Burgundiæ filiam suam Aremburgem obtulit Deo in Lariacensi seu Elariacensi prope Divionem parthenone, laude & assensu uxoris suæ Mathildis ac filiorum suorum Odonis, Roberti, Henrici atque Hugonis; ob idque donat S. Benigno, a quo monasterium illud ab origine pendet, *ac monialibus de Lariaco* omnem justitiam cum consuetis exactionibus, quas illic habebat; statuitque ut monachi, qui eidem loco præessent, jure quieto in perpetuum illas haberent. Huic instrumento, quod Chiffletius e vulgavit, chronicis notis destituto, testes adscripti sunt Hugo abbas Divionensis, scilicet S. Benigni, Stephanus Cisterciensis, Bernardus de Clara-valle, & Girardus frater ejus, Herbertus abbas S. Stephani Divionensis, Walo abbas, Raynerius de Rupe, Girardus de Castellione, aliique viri nobiles. Non diu superstes fuit Hugo S. Benigni abbas, qui biennio post abbatiam abdicasse dicitur, successorem sortitus Petrum, de quo infra. Eodem instrumento appensum est sigillum Hugonis ducis Burgundiæ, exhibens equitem cataphractum, in dextra vexillum, in sinistra clypeum gerentem. In prædicto parthenone tunc versabatur conjux Guidonis, Bernardi primogeniti fratris, quæ, marito facta monacho, ibidem sanctimonialis habitum induit.

IX.

Walerannus
fit monachus
Clara-vallis.
d Spicil. tom. 2.
p. 307. &
13. p. 307. &
1399.

Bernardus quoque cum fratre suo præfens interfuit, cum Theobaldus Campaniæ comes Sparnacensem ecclesiam d canonicis regularibus S. Augustini contulit ob remedium animæ suæ, necnon Stephani patris sui & avi Theobaldi, qui in ea sepultus est. Hanc ecclesiam cum a progenitoribus suis, quasi hereditario jure sibi derelictam teneret, ejusque abbatiam Waleranno, domini Andreæ dapiferi sui filio, dedisset; prædictus Walerannus, *Spiritus-sancti gratia inflammatus, & domni abbatis Clara-vallis salutari consilio roboratus*, eundem Theobaldum adiit, *sepeque sæculo abrenuntiaturum, & apud Claram-vallem monachum futurum enuntiavit, utque ad regulam beati Augustini Sparnacensem ecclesiam commutari concederet, devotissime postulavit*. cujus postulatis libenter annuit comes. *Communicato itaque cum religioso*

ANN. CHR.
1126.

religiosis viris consilio, Bernardo scilicet *abbate Clara-vallis & Guidone venerabili monacho fratre abbatis; & cum abbatibus canonicorum Ursione S. Dionysii apud Remos, & Eustachio omnium Sanctorum apud Catalaunum*, ad regimen Sparnacensis ecclesiæ elegit Fulconem Tullensis monasterii canonicum regularem, quem a Sehero abbate obtinuerat. Dein diebus sacris pentecostes Remis ante altare beatæ Virginis abbatem hoc anno benedici curavit a Rainaldo archiepiscopo, qui eum investivit, communicato consilio cum episcopo Sueffionensi Josteno, Joffrido seu Gaufrido abbate S. Medardi, abbate quoque Clara-vallis Bernardo & Guidone ejus fratre, & cum prædictis abbatibus canonicorum Ursione & Eustachio. Rainaldi hac de re litteris proinde jam sequenti anno datis adscripta sunt signa Joranni abbatis S. Nicasii, Gilleberti abbatis S. Dionysii qui Ursioni sequenti anno electo episcopo Virdunensi successerat, Anselmi Cifoniensis abbatis, tum canonicorum ecclesiæ Remensis, & ultimo loco *magistri Albrici* seu Alberici, qui biennio ante ad Catalaunensem episcopatum postulatus fuerat. Qui in præmissis litteris laudatur Andreas Theobaldi comitis cancellarius, Waleranni pater, is est celebris ille Andreas de Baldeamento, in illius temporis monumentis & in Bernardi epistolis laudatus, cujus filius Walerannus ex monacho Clara-vallis primus Urft-campi abbas factus est. Idem Andreas Theobaldi comitis dapifer dicitur in litteris Stephani præpositi, & congregationis seu capituli sanctæ Mariæ & S. Stephani Senonensis, hoc anno datis, quibus ecclesiam Salvatoris, in Senonensi suburbio sitam, canonicis regularibus conferunt, *presentibus reverendis episcopis Hatone Trecenti & Burchardo Meldensi, fratribus, inquit, & concanonicis nostris, Stephano quoque Parisiensi episcopo, & Thoma priore sancti Victoris; assistente etiam rege Ludovico, & proceribus regni, Milone Curteniensi, & Andrea dapifero comitis Theobaldi*. Porro hoc primum tempore S. Bernardus venit in conspectum Rainaldi Remorum archiepiscopi, qui eum paullo ante ad se invisendum litteris invitaverat, ad quas Bernardus suo more modeste a respondit.

a Bern. ep. 312.

X.
S. Remigio fa-
tisfacit Guitte-
rus comes.

Tunc temporis Guiterus seu Witerus post Hugonem superius memoratum Regiteftensis comes villas & possessiones S. Remigii injustis exactionibus infestabat, nec Odonis abbatis precibus, monitisve a cœptis revocari poterat. Eam ob causam Odo superiori anno Romam profectus, excommunicationis in eum sententiam ab Honorio papa retulerat, aut potius excommunicationem, jam a Rainaldo archiepiscopo latam, confirmari curaverat a pontifice, qui litteras hac de re ad eundem archiepiscopum, ejusque suffraganeos scripserat. Hanc infamiam comes ferre non valens, archiepiscopum obsecravit, ut concordiam inter se & abbatem componeret, professus se ab indebitis exactionibus temperaturum. quod reipsa præstitit archiepiscopus, idque testatum fecit litteris hoc anno, pontificatus ejus tertio datis, quibus apposita sunt signa Odonis abbatis S. Remigii, Ingebranni Altvillarenfis, Joranni S. Nicasii, Ursionis sancti Dionysii abbatum, & aliorum, in *his magistri Albrici, & magistri Graphionis Andegavensis*. Fulcradus cancellarius litteras scripsit, & subscripsit.

XI.
Igniacensis
monasterii ori-
go.
b Marlot to-
2. p. 367.

Idem Rainaldus archiepiscopus auctor est Igniacensis monasterii, quæ quarta est proles Clara-vallis, quinque leucis distans ab urbe Remorum. Editæ sunt a Marloto b primariæ ejus litteræ, in quibus Rainaldus sic loquitur. *Cum primum ad regimen ecclesiæ Remensis dispositio divina nos evocavit, honestorum virorum cura nobis fuit consortium eligere, & contubernio delectari. Visum igitur fuit Spiritui sancto, & nobis, monachos de Claris-vallibus adscisci, & ut in parochia nostra illius ordinis abbatiam construeremus, eis totam terram de Monteon, cum valle sua... contulimus, & quidquid habebamus Igniaci cum circumadjacentibus silvis, &c. Actum Remis anno incarnati Verbi MCXXVI. lege XXVII. indictione v. regnante Ludovico Francorum rege anno XIX. archiepiscopatus autem domni Reginaldi anno III.* Huic instrumento apposita sunt signa Odonis abbatis S. Remigii, Joranni abbatis S. Nicasii, Guillelmi abbatis S. Theoderici, Ursionis abbatis S. Dionysii & Sugerii abbatis S. Dionysii Parisiensis, & post eos canonicorum ecclesiæ Remensis. Prædictam monasterii constructionem ac dotationem rex Ludovicus anno sequenti confirmavit. Mirum est his non interfuisse Bernardum abbatem; at subscriptus invenitur aliis Rainaldi litteris anno MCXXX. quas apud Marlotum c & Sancta-Marthanos vi- dere licet. quæ litteræ inscriptæ sunt *Roberto Igniacensis monasterii venerabili ab-*

c ibid. p. 366.

ANN. CHR.
1127.

bati ejusque fratribus in eodem monasterio beatae Mariae monasticam vitam professis. ubi legendum *Humberto*, qui primus Igniaci abbas a Bernardo institutus est, ex monacho Casæ-Dei, ut superius vidimus, factus Claræ-vallis monachus, de quo plura inferius. Ex Igniacensi monasterio deducta est ab eodem Humberto colonia ad Signiacensē ejusdem diocesis monasterium, de quo infra. Guericus seu Wer-ricus, ei successit, pietate & scriptis clarus. Rainaldus archiepiscopus ejusque successor Samson idemdem secedebant ad Igniacensē monasterium, in quo complures Remensis ecclesiæ canonici & viri nobiles sepulti sunt. Visitur in capitulo tumulus Waleranni Urst-campi primi abbatis, Andrea de Baldemento^a filii, qui in reditu e capitulo generali Igniaci morbo correptus, ibidem decessit.

^a supra n. 9.XII.
Episcopi a Bernar-
do protecti.

Tunc temporis Stephanus Parisiorum episcopus, qui antehac aulicæ vitæ moribus assueverat, ad strictiores episcopalis dignitatis leges Bernardi monitis tandem conversus, a Ludovico rege, alias piissimo, persecutionem passus est, instigantibus quibusdam ejus ecclesiæ clericis, quos a solutiori vita revocare tentaverat. His forte sese adjungere regii ministri, qui ecclesiæ libertatem aggressi, insolita quædam onera ei imposuerunt. quos cum a cœptis retrahere non posset Stephanus, ab ecclesiæ communione removit. Ea re offensus rex, Parisiensis ecclesiæ bona occupari jussit: episcopus vero regis terram interdicto supposuit, ejusque indignationem declinans ad Henricum metropolitam Senonensem, tum ambo ad Cisterciensē capitulum, quod tunc celebrabatur, convenientes, fraternitatis jure, qua tum ipsi tum etiam rex Cisterciensibus sociati erant, litteras ad flectendum regis animum a patribus impetrarunt: quas cum Bernardus cum Hugone Pontiniacensi abbate, multisque aliis prælatis regi obtulisset, repulsam passus est. Unde Bernardus vaticinando regi dixisse^b traditur: *Hæc tua, rex, pertinacia filii interitu multabitur.* Cujus vaticinii veritas in Philippo ejus primogeniti immatura morte non multo post probata est. Legenda hac de re Bernardi epistola XLV. ad Ludovicum regem. Hic vero solutionem interdicti ab Honorio papa obtinuit. qua de re vir sanctus in epistola sequenti ad ipsum Honorium scripta conqueritur, & in duabus sequentibus. Sed demum tam ardenti & pertinaci dissensionem finem imposuit Honorius ipse, cui idcirco Bernardus gratulatur in epistola XLIX. scripta in gratiam Henrici Senonensis archiepiscopi, qui similem persecutionem a rege pertulit, ex quo ad meliorem frugem se receperat; *Adeo ut*, inquit Bernardus, *qui ante in habitu ætque seculari honorati sunt sublimes, judicati fideles, habitus familiares; modo inimici facti sint, digne suo sacerdotio conversantes, & per omnia honorificantes ministerium suum.* Scilicet numquam deest persecutio his, qui pie vivere volunt. quæ persecutio episcoporum non tam regi, quam ejus ministrorum suggestionibus tribuenda est. Hæc strictim referre visum est, ne in res ecclesiasticas latius evagemur: cum alias ea ex Bernardi epistolis & nostris ad illas notis facile illustrari possint. Unum dumtaxat hoc loco addere lubet, scilicet Stephanum, etiam ante suam conversionem, inimicos habuisse, non solum extraneos, sed etiam familiarissimos, qui in ejus necem conspiraverint, ut patet ex anonymi^c cujusdam ad eum epistola, qui hac occasione eum ad conversionem hortatur. *Ecce omnipotens*, inquit, *qui tanta vobis bona in hoc sæculo contulit, qui mala vestra tam diu æquanimiter pertulit, modo in præsentem pro peccatis vestris subito & inopinate vos percutere noluit; sed sola pietate, præcedenti misericordiæ misericordiam misericorditer addidit, qui hoc, quod perfidorum malitia in occulto vobis disposuit, vobis occultum esse noluit. Quid igitur expectatis? ecce occultus Judex arcum tetendit, sagittas paravit: & nisi cito vos converteritis ad ipsum, emittet sagittam, & percutiet inimicum.* Hactenus ille anonymus, qui, ut dixi, hæc scribebat ante Stephani episcopi conversionem, quem nonnulli male cum Stephano de Garlanda confundunt. Sed id extra propositum.

^c Spicil. tom. 3.
p. 161. & seq.XIII.
Bernardi episcopi
ad Guidonem abbatem
Triumfontium.
^d Bern. ep. 71.
^e Orderic. lib.
8. p. 714.
^f Bern. ep.
69. & 70.

Mortuus est hoc anno Rogerius, Triumfontium in diocesi Catalaunensi primus abbas, de cujus obitu fratres ejus loci Bernardus^d litteris consolatus est. Suffectus in ejus locum Guido, idem, ut Ordericus^e asserit, post quinque circiter annos Cistercii abbas, venerabili Stephano adhuc vivente, electus, & postmodum abjectus. est quæ de re inferius. Ad Guidonem Triumfontium abbatem duæ existant Bernardi^f epistolæ. Una est de quodam defectu, qui in missæ consecratione ei contigerat, vino scilicet in calicem non admisso ante consecrationem. Turbatus hac de re Guido virum Dei consuluit, quid facto opus esset ad erratum expiandum.

ANN. CHR.
1127.

Respondet ille non magnum esse malum, quod constat voluntarium non esse. Ut tamen inquietiori ejus conscientia faceret satis, & ne forte malum hoc mali cujuspiam gravioris, latentis adhuc in monasterio, fuerit commonitio; pro poenitentia ei injungit septem psalmos poenitentiales, quotidie usque ad pascha decantare, seu recitare, & septem disciplinas accipere. Quod si hac de re inter fratres sermo exierit, & ipsi omnes singuli singulas accipiant disciplinas. Deinde, quod comperta negligentia, Guido vinum in calicem immiserit super hostiæ sacratæ particulam, probat Bernardus, ratus, vini liquorem, *etsi non ex consecratione propria atque sollemni in sanguinem Christi mutatum, sacrum tamen fuisse ex contactu corporis sacri.* Addit tamen modeste Bernardus, si quid simile ipsi contingeret, se malle canonem ab illo loco ubi dicitur, *simili modo postquam cœnatum est*, ac verba sancta iterare, & sic complere, quod de sacrificio restabat. Hæc de priori ad Guidonem epistola. Posteriori sanctus abbas eundem hortatur ad moderandam sententiam laram in monachum reum.

XIV.
Calensis monasterii status.

Præerat tunc temporis percelebri in diocesi Parisiorum Calensi monasterio Avelina religiosa abbatissa, sed quo anno, cuive alteri abbatissæ successerit haud compertum est. Nulla enim ante eam in vulgatis catalogis, aut aliis monumentis occurrit, ex quo hæc abbatia sæculo nono a Regibus in dotem collata fuerat, non modo principibus feminis, sed etiam nonnumquam aulicis, uti certum est de Hagano-ne, cui Carolus simplex, pulsa Rothrude amita sua, hanc abbatiam donavit. Exinde ad Avelinam nulla occurrit Kalæ abbatissa. Hæc vero anno MCXXVII. usa deprecatore Radulfo comite, Regis amico, a Ludovico Crasso privilegium impetravit, quo monasterium Calensē, atque ejus omnia bona sub regia tuitione esse declarantur. Deinde vult pius princeps, ut defuncta Avelina, altera ei substituat libero eligentium arbitrio, juxta *canonicam & regularem auctoritatem*: denique laudatis aliquot privilegiis quibus monasterium donari vult, recenset præcipuas ejus possessiones, quas ad centum viginti sanctimonialia alendas deputatas esse jubet. Datum est illud diploma Parisiis anno ut diximus MCXXVII. regni XIX. eique pro more majores regni officiales subscripserunt. illud habes integrum in Appendice. Sub hac abbatissa floruisse videtur Elizabeth, Rosetensis monasterii conditrix, de qua superius actum est.

XV.
Vindocinensium
lis de altarium
redemptione cum
Ulgerio episcopo.
^b Goffrid. lib.
3. ep. 12.

Non levis hoc tempore controversia orta est inter Goffridum Vindocinensē abbatem & Ulgerium Andecavorum episcopum. Hactenus quædam altaria in diocesi Andecavensi absque ullo censu possederant Vindocinenses, maxime concessa a Rainaldo de Martiniaco episcopo, qui ad Remensem metropolim translatus erat. At Ulgerius, ejus in Andecavensi ecclesia successor, annum censum^b pro his altaribus exigere moliebatur, contendens id ita statutum fuisse ab Urbano II. in concilio Claromontano. Verum Goffridus, qui illi concilio interfuerat, omnino contrarium ab Urbano decretum fuisse probat. *Bone Domine*, inquit, *vos illi non adfuisistis concilio; & ego interfui, qui hujus rei cognosco veritatem. Redemptionem ecclesiarum, quæ vulgari vocabulo Altaria nuncupantur, beatus ille Urbanus simoniacam pravitatem vocavit, & apostolica auctoritate damnavit. Illa tamen magica & simoniaca pecunia, aliquando in triginta, aliquando vero in quadraginta, aliquando etiam in sexaginta annis solvebatur episcopis. Qui autem redemptionem altarium, quæ in pluribus annis non nisi semel per vicarios fieri solebat, hæresim vocavit; & condemnavit: sub nomine annui census pro redemptione vicariorum sive altarium annuam pecuniam extorquere dedocuit, non præcepit: immo omnia, quæcumque abbates & monachi in ecclesiis sub redemptione vicariorum tenuerant, ut quiete deinceps & sine cujuslibet pecuniæ exactione possiderent, beatorum apostolorum Petri & Pauli auctoritate firmavit. Nam si in pluribus annis non nisi semel, ut dictum est, per vicarios pecunia pro altaribus dabatur episcopis, & pecuniam ipsam apostolica auctoritate probatum sit simoniam esse: singulis annis episcopis pro vicariis altarium pecuniam dare, quid est altud quam pro plurimorum annorum simonia per annos singulos, sub nomine annui census, annuam simoniam exercere? Hactenus Goffridus, qui plures hac de re epistolas^c scripsit, maxime ad Girardum Engolismensem episcopum & apostolicæ sedis legatum. Ulgerius, alique episcopi, qui hunc annum censum exigere volebant, hoc fundamento nitebantur, quod in concilio Claromontano^d prohibita essent redemptiones altarium ad singulas presbyterorum mutationes, sed cum hac exceptione, *salvo utique episcoporum censu annuo, quem ex eisdem altaribus habere soliti sunt episcopi.**

^c Goffrid. lib.
1. ep. 18. &
seqq.^d V. lib. 69. n.
25.

ANN. CHR.
1127.

scopi. Id autem de veteri censu, ante redemptiones altarium usitato, intelligendum contendebant abbates & monachi: at illi episcopi hoc decreto novum aliquem censum, quo antiquus augetur, sancitum fuisse dicebant, dissentientibus & obfistentibus abbatibus & monachis, qui veterem illum annum, sed absque augmento, persolvere non detrectabant. Hæc obiter dicta sint.

Nolim omittere hoc loco Callisti III. rescriptum ad Didonem Mutinensem episcopum, ubi de presbyteris, qui per parochias^a ad monasteria pertinentes in ecclesiis constituuntur, antecessoris sui sanctæ memoriæ Urbani II. sententiam confirmans, statuit, *ne abbates in parochialibus ecclesiis, quas tenent, absque episcoporum consilio presbyteros collocent: sed episcopi parochiæ curam cum abbatum consensu sacerdoti committant: ut ejusmodi sacerdotes de plebis quidem cura episcopo rationem reddant; abbati vero pro rebus temporalibus ad monasterium pertinentibus debitam subjectionem exhibeant; & sic sua cuique jura serventur.* Sed de his satis.

XVI.
Vicariorum perpetuorum leges.
^a Ital. sacr. 10. 2. p. 148.XVII.
Goffridus dehortatur Odonem abbatem a peregrinatione Jerosolymitana.
^b Goffrid. lib. 4. ep. 21.

Insignis est Goffridi abbatis mox laudati epistola^b hoc tempore scripta *Venerabili fratri & coabbati Odoni, suo præcordiali amico*, quem cum Sirmondo existimo non alium esse quam Odonem Majoris-monasterii abbatem, qui ante biennium Guillelmo successerat. Is jam semel Jerosolymam adierat, & denuo illuc profecturus dicebatur, forte causa revivendi germani fratris, qui illic morabatur: sic vero ad illum scribit Goffridus. *Fama discurrente sinistra ad nostrum usque pervenit auditum, quod Jerusalem redeundi habetis animum. Jerusalem semel vidisse vobis sufficere debet, quam si nunquam vidissetis, neque propter hoc contra vos orta esset calumnia diaboli, neque vobis necessaria indulgentia Dei. Fides utique monasticæ professionis eundo Jerusalem observari minime potest, sed violari: Jerusalem etenim ire, sicut indictum laicis, sic interdictum est monachis ab apostolica sede. quod novi ego ipse, sicut ille, cujus aures erant ad os domini Urbani papæ, cum & eundo Jerusalem peregrinari præciperet laicis, & ipsam peregrinationem monachis prohiberet. Ubi sanctus Benedictus de peregrinis monachis mentionem facit, de illis loquitur, qui eo tempore mundo quidem renuntiabant, sese in Domini servitutem prostuentes; nullam tamen sua professione alicubi firmantes stabilitatem. Eos vero qui certo in loco prostentur, ubi professi sunt, & bajulare crucem Domini, & Dominum sequi necesse est, non peregrinam quærere sepulchram. Non igitur sub occasione Jerosolymitani itineris deviemus ab itinere nostræ professionis: ne dum falsam beatitudinem quærimus, veram & corporis & animæ inveniamus miseriam. Carnalis amore fratris vestri, qui in Jerusalem est, aut fortasse jam mortuus est, aut quousque illuc perveniat mori potest, mens vestra ad illicita minime trahatur, & spiritualium filiorum & fratrum, quos sub pollicitatione fidei vestræ regendos suscepistis, & de quibus etiam Domino redditurus estis rationem, cura deseratur.* Hæc fortasse nostro tempore non ita necessaria videbuntur, sed ut puto, non otiosa.

Bernardi ad eundem epistolam.
^c Bern. ep. 398.

Ad eundem Odonem abbatem extat Bernardi Clara-vallensis & Hugonis Pontiniacensis nomine scripta epistola de lite, quam cum quibusdam clericis super decimis habebant idem Odo ejusque monachi. Hanc litem subjecerat Odo Gaufridi episcopi Carnutensis & Theobaldi comitis judicio, qui favorabilem clericis sententiam tulerant. Verum hanc sententiam monachi ratam habere nolébant, quod ejus rei compromissum absque suo consilio & totus capituli assensu factum fuisset. Monachorum factum valde improbat Bernardus, ratus sufficere id actum esse ab illorum abbate cum consilio seniorum; atque hoc agendi modo inuri notam celebrissimo nomini suo, nec oportere ullis æstimare temporalibus lucris testimonium, quod sibi ab antiquo, immo ab initio, ab his quoque qui foris sunt, conversionis merito conquisserant.

XVIII.
Hamelino abbati S. Albini facto episcopo succedit Robertus.
^d Sirm. p. 64.

Apud Andecavos Hamelinus S. Albini abbas promotus est hoc anno ad episcopatum Redonensem, idibus Maii ordinatus: quam ecclesiam annis quatuordecim rexit. Hic cellam S. Michaelis in castello Redonensi fundavit. Ejus tempore actum est celebre duellum, cui ille cum aliis episcopis interfuit, a Sirmondo relatum in notis^c ad Goffridum. Subrogatus ejus loco in abbatia Robertus de Turre-Landrici, ordinatus kal. Octobris. Anno sequenti translatio corporis S. Albini ex arca lapidea in capsam argenteam facta est, præsentibus Gerardo legato Honorii papæ, Hildeberto Turonensi archiepiscopo, Guidone Cenomannensi, Ulgerio Andegavensi, Hamelino Redonensi & Briccio Namnetensi episcopis, præsentibus quo-

ANN. CHR.
1127.

que Fulcone comite cum filio suo Gaufrido, qui Fulco eodem anno Jerosolymam profectus est, factus post tres annos rex Jerosolymitanus post Balduinum II.

Apud Belgas in Tornacensi S. Martini monasterio, Segardus abbas, defuncto Radulfo præposito, cujus supra meminimus, paulatim deficere cœpit, & per annum infirmitate confectus, ipso die natalis Domini, post secundam missam, ad majorem ecclesiam se deferri jussit: ubi ad gradum presbyterii oleo sancto perunctus, dominici corporis munitus sacramento, post primam in capitulum ingressus est, omnesque fratres absolvit, & ab eis vicissim absolvi postulavit. quo factò, ad lectulum rediit, & post paucos dies, scilicet III. kal. Februarii, die dominica, spiritum Deo reddidit, cum annis uno & viginti monasterio præfuisset, sepultus in capella S. Mariæ.

XIX.
Segardus abbas S. Martini Tornac. obit.
^a lib. 74. n. 112.
^b P. Spicil. 10. 12. p. 473.

Segardo in abbatiali dignitate successit Herimannus, tertius Radulfi præpositi filius, qui ad pedes magistris Odoardi seu Odonis cum fratribus suis Theoderico, Waltero & Radulfo, litteris eruditus, celebris verbi Dei prædicator evaserat. Præfecturæ ejus anno quinto S. Martini ecclesia a Simone Tornacensi episcopo dedicatur, ab instauratione monasterii anno quadragesimo. Denique anno regiminis decimo Herimannus curam sibi commissam abdicavit, ut suo loco dicturi sumus. Hic est Herimannus, qui librum de instauratione S. Martini composuit, produxitque tantum usque ad mortem Segardi abbatis. nam quæ sequuntur alterius videntur auctoris.

XX.
Herimannus ejus successor.

In chronico Alberici legitur, monasterium S. Huberti in Arduenna hoc anno nonis Junii, primo conticinio noctis, cum omnibus suis adjunctis combustum fuisse, salvo tamen thesauro & armario, id est bibliotheca. Id accidit Roberto abbate, cujus successor Gilbertus monasterium instaurare cœpit, quod Johannes Wahartus absolvit, novamque basilicam à se absolutam dedicari curavit. Alios ejus loci abbates apud Fisenum^c videre licet.

XXI.
S. Huberti monasterium in censum.

Extremus hic annus fuit Wirntonis abbatis Formbacensis, de quo jam non semel^d egimus. Cum annum in præfectura quartum-decimum ageret, febre pulsatus & redactus ad extrema, roganibus fratribus, Theodericum, qui ipsius capellanus erat, suadendo potius quam imperando successorem designavit. Tum fratres obtestatur, ut corpus suum ad Perngerum virum justum, antecessorem suum sepelirent. forte ut si qua ad suum ipsius tumulum miracula fierent, ei tribuerentur. His actis, sancta illa anima, carnis soluta vinculis, ad cælestes sedes hoc anno migravit VI. idus Martii. Ejus corpus, contra quam petierat, in medio monasterii, id est principis ecclesiæ, ante aram sanctæ Crucis humatum est. Verum, cum nescio quid horroris ad tumulum Perngerii abbatis qui circa ecclesiam beatæ Mariæ conditus erat, obortum fuisset; consilio habito fratres eum in monasterium transfulerunt, & beato Wirntoni adjunxerunt: *ut quorum erat coram Domino par meritum, eorum corpora nec sepultura disjungeret.*

^c Flores Leod. p. 438.
XXII.
Wirntonis abbatis obitus & successores.
^d lib. 72. n. 67.

Post Wirntonis obitum electus est pro ejus suffragio Theodericus, sed ejus votis non respondit, fatali nescio qua sorte, ut designati^e successores non ita feliciter succedant. Dum enim ille nimis humanus vult fieri, atque fratres, ut filios teneriori affectu absque debita censura fovere, quosdam ex illis infestos expertus est ac rebelles: qui, concitata in eum plebe, quasi rem monasterii prodigeret, episcopum Paravientem & marchionem Niwenburgensem in eum accersunt: a quibus depositus, locum & gentem deserit. Hinc fratres, qui illius seditionis expertes erant, patris non ferentes contumeliam, alio migrant. quod ubi animadvertunt principes, abbatem ab itinere, sed incassum, revocant. Ille enim Jerosolymam pergit, & in reditu moritur III. kal. Julii, non sine indicis, ut fertur, sanctitatis. Suffectus in ejus locum Henricus ejus nominis primus, cui successit Bernhardus, tum Henricus II. ejus loci abbas sextus, cujus tempore energumena, variis sanctorum locis frustra perfrustratis, tandem ad tumulum beati Wirntonis dæmonio liberata est, testante Geroho præposito Richerspergeni, scriptis haud incelebri, qui libellum de vita & miraculis Wirntonis composuit. Hunc passim sanctum vocat, tametsi nullo solemnium cultu honoratur in suo monasterio, quod etiam nunc sub ordine nostro superest. Apud Hundium^f laudatur *felicis memoriæ dominus Wernzo*, qui precibus suis a comite Dietrico, ejusque conjuge Adelheide castellum ejus loci & quædam alia obtinuit.

^e V. Annal. 10. 2. lib. 19. n. 420.^f Hund. 10. n. 320.

ANN. CHR.

1117.
XXIII.
Tolbae monasterium virginum.
a *Antiq. Fuld.*
p. 145.
* *Blanchenaw.*
b *Tradit. Fuld.*
p. 583.

Fuldensi abbatia suberant olim complura monasteria non modo virorum, sed etiam virginum. Ex his novem numerat Browerus: a quorum primum est Blanckenavense * quod aberat Fulda decem prope passuum millibus ad occasum, saeculo decimo-septimo flamma, bellique tempestate laceratum: secundum S. Lamberti in Tolba seu Tulba, quinque circiter passuum millibus ab opido Hamelburgo distans, qui locus hoc anno pia memoriae Henrico b abbati & congregationi Fuldensi ad construendum, ordinandumque monasterium datus est a Gerlaho ejusque conjugate Reglinda, eo pacto, ut si qualibet occasione monasterium illic perfici, aut perfectum destrui contingeret, ejus loci reditus ad usum Fuldensium converterentur. Porro ad firmandam hanc traditionem sex idonei testes delecti sunt, qui unus post alium eam posteris asserere possent, ubi fratres Fuldenses eam ab eis confirmari postularent. *Facta est haec traditio hoc anno in Fulda ad portam S. Petri, mense Junio proxima die post festum S. Bonifacii.* ubi observa, quod alias jam saepe observatum, *pie memoriae* dici Henricum abbatem, qui tum vivebat. Ceterum hoc in monasterio non monachos, sed sanctimonialia a Fuldensibus collocatas fuisse intelligimus ex sequenti c instrumento, quo *Fuldensis conventus ancillis Christi sororibus nostris in Tulbo, consilio & assensu Marcwardi abbatis, quaedam confert ad augmentum praebendae suae, ex compassione paupertatis* quam in quotidiano victu patiebantur. Actum anno MCL. primo anno Henrici abbatis. Hoc monasterium, uti & primum hic memoratum, aliudque in Cellis nuncupatum, in potestate ac solo Fuldensis monasterii manent: pleraque alia, quae itidem virginum erant, jam pridem alienata vel deleta sunt.

XXIV.
Paterbornense sancti Petri coenobium.

[Per id tempus praerat Paterbornensi S. Petri monasterio Abdingoff vulgo appellato, Hamuco piissimus abbas, cui Henricus episcopus pro redemptione animae suae, exemptionem a decimis novalium concessit. Hujus donationis testes ex canonicis fuere, Wino praepositus, Berhardus decanus & alii plures. *Data VIII. idus Julii in sede nostra Paterbornensi anno ab incarnatione Domini MCXXVII. indictione v. regnante glorioso rege Lothario anno II. regni ejus, episcopatus autem mei XLIII.* Sub eodem Hamucone abbate mulier quaedam religiosa, *Ethelind* nomine, defuncto Siberto viro suo, & in viduitate constituta, ad meliora de die in diem contendens & in amore Dei proficiens, saeculo abrenuntiare cum desideraret, praedium in *Northburgam*, quod cum viro suo in beneficium acceperat, Abdingoffensi monasterio in praesentia *Hamukonis abbatis, sine aliqua commutationis vicissitudine, & sine redemptionis pretio restituit.*]

XXV.
Ecclesia de Fontibus subterioribus data S. Victori.

[Sub praefectura Bernardi abbatis Uzalardus vicecomes & uxor ejus Ermenfendis ecclesiam S. Stephani & S. Johannis de Fontibus subterioribus Massiliensi S. Victoris monasterio contulit, quam Berengarius Gerundenis episcopus pro remissione peccatorum suorum seu parentum suorum, *una cum consensu clericorum suorum* confirmavit. idem donum, Bernardus Umberti in sede Gerundeni praedecessor ejus jam ante ratum habuerat. *Actum est hoc x. kalendas Octobris anno XIX. regni Ludovici regis, subscritbitque Berengarius Dei gratia Gerundenis episcopus & alii.*]

XXVI.
Aremburgis comitissae anniversarium apud Fontem-Ebraldi.

[Per id tempus defuncta est Aremburgis comitissa Andegavensis, quae morti proxima, Fulconem comitem virum suum obtestata est, ut pro anima sua proque anniversario suo in ecclesia Fontebraudensi in perpetuum faciendo, ejusdem parthenonis sanctimonialibus *obolum quem in ponte Cainonis sibi retinuerat, & exclusam quam Bertrea regina, inquit, mater mea fecerat fieri in Vigenna* concedere dignaretur. Annuit princeps uxoris suae precibus, atque Gaufridi & Heliae filiorum suorum assensu, quod illa petiverat prompto concessit animo. *Hoc donum factum est apud Baugeium castrum XVIII. kalendas Februarii, in manu Petronilla primae Fontis-Ebraldi abbatissae, in praesentia & audientia domni Johannis Medici abbatis monasterii S. Nicolai &c. Acta cartia anno ab incarnatione Domini MCXXVII. Ludovico Francorum rege, Ildeberto Turonorum archiepiscopo, Honorio Romanum papam agente*]

ANN. CHR.
1128.
XXVII.
Civiles motus in Lotharium d. Otto Frising.

Annus insequens ejus saeculi vicesimus-octavus novis animorum motibus ortum dedit. Horum auctor fuit Conradus dux Franconiae, Lotharii sororius, qui a Friderico Sueviae duce aliisque nobilibus rex salutaris, alpibus transiens, Mediolani a civibus honorifice excipitur, & ab Anselmo archiepiscopo *Modoetiae d. sede Italici regni, in regem ungitur.* quod ubi rescivit Honorius, archiepiscopum ex-

ANN. CHR.
1128.

auctoravit, & Conradum eique adhaerentes anathemate perculit. Hinc origo diuturni Mediolanensium schismatis, cui componendo S. Bernardus multum allaboravit. Inde Conradus Spirae a civibus acceptus, a Lothario obsidetur; qui deditioe facta, fidem datam non diu servavit. Haec paucis praemittenda fuere ad res subsequentes illustrandas.

Matthaeus ex priore S. Martini a Campis creatus ab Honorio cardinalis & episcopus Albanensis, sub finem anni superioris cum legati potestate in Galliam missus, ineunte hoc anno Trevis concilium habuit, cui Rainaldus Remorum, & Henricus Senonum cum suis suffraganeis interfuere, multique abbates, in primis Stephanus Cisterciensis & Bernardus Clarae-vallensis. Tempus habitus concilii discimus ex prologo Regulae militum Templi, quae in illo concilio approbata fuit, *nimirum in sollemnitate S. Hilarii anno MCXXVIII. ab incarnato Filio-Dei, ab inchoatione praedictae militiae nono*, quae a magistro Hugone de Paganis sumit exordium. Hunc prologum scripsit, & patrum sententias Johannes Michaëlenis *jussu concilii ac venerabilis abbatis Clarae-vallensis, cui creditum ac debitum hoc erat*, nempe ut scriba concilii esset. Idem auctor singulos episcopos & abbates commemorat, qui concilio adfuerunt. Abbates hi sunt: *abbas Vezeliacensis, scilicet Raynaldus, qui non multo post factus est Lugdunensis archiepiscopus ac sanctae Romanae ecclesiae legatus; abbas Cisterciensis, scilicet Stephanus, abbas Pontiniacensis Hugo, abbas Triumfontium Rogerius, cui Guido anno sequenti successit; abbas S. Dionysii de Remis, abbas S. Stephani de Divione, abbas Molismensis Guido.* Nec defuit *supra nominatus abbas Bernardus Clarae-vallensis, cujus sententiam praescripti libera voce collaudabant.* Hunc ad concilium repetitis litteris invitaverat Matthaeus, excusantem quod *saevientis a acuta febris exusta ardoribus & exhausta sudoribus non valeret sufficere spiritui promio caro infirma*: sed tandem jubenti legato parendum fuit. Praeter episcopos & abbates eidem concilio interfuere Albericus Remensis & magister Fulgerius; & ex laicis comes Theobaldus, comesque Nivernensis, & Andreas de Baudimento, saepe jam a nobis laudatus; denique Hugo militiae magister cum aliquot e suis discipulis, qui modum & observantiam instituti sui patribus exposuit. Placuit itaque concilio, ut eorum regula a patribus examinata & approbata, scripto commendaretur. quod a Johanne Michaëleni scriba concilii factum est. Haec regula fere tota ex verbis regulae S. Benedicti contexta est, constatque totidem capitulis, scilicet septuaginta duobus. Ejus auctor a plerisque creditur S. Bernardus: at sufficit ei tribuere librum de laude novae militiae ad milites Templi, qui Hugoni magistro inscriptus est. In prologo praedictae regulae fit mentio de Stephano patriarcha Jerosolymitano, qui recens ad hanc dignitatem assumptus fuerat ex abbate S. Johannis Carnutensis, Ordinis canonicorum regularium S. Augustini, non S. Benedicti, ut quidam e nostris opinati sunt. Justum est enim, ut, sicut nostra vindicemus, sic aliis quoque sua restituamus.

XXVIII.
Matthaeus legatus Trevis concilium celebrat.

a Bern. ep. 21.

Qui praedicto concilio interfuit Raynaldus Vezeliacensis b abbas, non multo post, & quidem hoc ipso anno factus est archiepiscopus Lugdunensis, post mortem scilicet Humbaldi, cujus obitus III. nonas Novembris notatur. Hinc colligere licet, prologum saltem regulae Templariorum, si non ipsam regulam, scriptum fuisse post concilium Trevisense. siquidem in eo Raynaldus abbas paulo post creatus dicitur archiepiscopus Lugdunensis. Id factum haud dubie hoc ipso anno, sed non ante primam hebdomadam quadragesimae, quo tempore Lugdunenses clerici de eligendo Humbaldi successore adhuc disceptabant, ut nos docet charta donationis c Saviniacensi monasterio hoc anno factae, *apud Lugdunum post Umbaldum archiepiscopum clericis de archiepiscopatu contentiose vacillantibus.* Ex quo intelligitur, Umbaldum anno praecedente defunctum fuisse: at quo praecise mense Raynaldus noster in ejus locum successus sit, nobis incompertum. Hic porro non diu hac dignitate potitus est. siquidem e vita migravit anno sequenti VII. idus Augusti; Cluniaci, cujus monachus fuerat, sepulturae mandatus cum hac inscriptione: *Hic requiescit dominus Raynaldus, quondam abbas & reparator Vezeliacensis, & postea archiepiscopus Lugdunensis.* Petrus Venerabilis ejus epitaphium scripsit in hunc modum.

XXIX.
Raynaldus abbas fit archiepiscopus Lugdunensis.
b lib. 71. n. 22.

c inf. n. 46.

*Gloria pontificum jacet hic praesul Raynaldus,
Magnus in exiguo conditus hospicio.*

ANN. CHR.
1123.

*Vezeliacensis prius abbas, post patriarcha
Lugduni fultus, factus honoris honor.
Prædia, thesauri, fastigia celsa loquuntur,
Quo studio primo præfuit ille loco.
Lugdunensis apex junxisset cornua celo,
Ni celer occasus surripisset eum.
Cujus erat monachus, prope cujus ab ubere natus,
Accubat in gremio nunc, Cluniace, tuo.
Quem tibi commissum numero conjunge piorum,
Cumque tuis precibus fac penetrare polum.*

Vizeliacenses Raynaldo in abbati dignitate suffectus ad breve tempus Balduinus, si non fallit
abbates. index abbatum apud Sancta-Marthanos : post quem aliquamdiu vacavit abbatia
a Spicil. eo. 3. pro pastoris absentia, ut legitur in litteris a Innocentii II. ad Stephanum Aëduen-
p. 472. & seq. sem episcopum, cui mandat, ut Alberico suppriori Cluniacensi, quem Vizelia-
censibus monachis abbatem dederat, sua vice manum benedictionis imponat. Hanc
abbatiam non diu rexit Albericus : siquidem Pontius, frater uterinus Petri Vene-
rabilis abbatis Cluniacensis, pontificatu ejusdem Innocentii eam adeptus est.

XXX. Alterum eodem anno concilium Matthæus legatus Rotomagi habuit, annuente
Rotomagensis concilium. Heinrico Angliæ rege, qui tum illic morabatur. Huic concilio præter provincia-
les episcopos adfuerunt Goisfredus seu Gaufridus Carnutensis, & Goislenus seu Jos-
lenus Sueffionensis; abbates quoque minimum sex, nimirum Rogerius Fiscamensis,
b lib. 70. n. Guillelmus Gemeticensis, successor Urbi b abbatis, Guarinus S. Ebrulfi; Philippus S.
Taurini, & Alanus electus S. Wandregisili, necdum ordinatus abbas, etsi a trien-
nio electus, propterea quod archiepiscopo professionem obedientiæ facere abnue-
ret. Editi sunt in illo concilio tres canones ab Orderico c relati, quorum duo pri-
mi presbyteros uxoratos & beneficiatos spectant : tertius abbates & monachos,
c Orderico lib. 12. p. 888. quibus interdicitur, ut ne ecclesias seu decimas a laicis accipiant. Tunc ægrota-
bat Goisfredus seu Gaufridus Rotomagensis, qui sequenti mense obiit, & quidem
vii. aliis iv. kalendas Decembris; adeoque concilium mense Octobri celebratum est.

XXXI. Post Gaufridum Rotomagensis archiepiscopum factus est archiepiscopus Hugo
Hugonis Ra- Cluniacensis monachus, ut Albericus ad hunc annum tradit. Orderico d ejus
dingiæ abbatia promotionem ad biennium differt : sed in eo manifestus error, quod anno se-
genus, patria, & scripta, quenti, scilicet mccccxi. reponit Honorii obitum, quem ineunte anno mcccc. de-
d. id. ibid. p. 889. cessisse constat. Anno itaque saltem præcedente Hugonis ad archiepiscopatum pro-
motio facta est. Sed antequam de hac promotione agamus, nonnulla, haud qui-
busvis obvia, de Hugonis patria, genere, studiis, & officiis præmittere juvat. *Ambianensis*
vocatur ab Orderico ejus æquali, qui in eadem metropoli tum scribebat. Ejus consanguineus,
Ejus consanguineus, & forte germanus frater erat Matthæus episcopus Albanensis, ut ex ipso
discimus in epistola præmissa sex libris, quos de rebus theologicis composuit Hugo
Radingensis abbas ejusdem Matthæi rogatu, tunc prioris S. Martini de Campis. sic enim ille
in fine prædictæ epistolæ. *Nos & una generis consanguinitas, & ejusdem professionis in Christo junxit societas, quos Laudunense solum educa-
vit & fovit: sed te patria tenuit; me obedientia exsulem in Anglia fecit. Te Parisius apud S. Martinum lætatur habere priorem: me, Matthæe frater, Radingia indignum servat abbatem.* Ex his intelligitur quod mox dicebamus, Hugonem & Matthæum consanguineos fuisse, & quidem fratres, ut innuunt hæc verba. *Te Matthæe frater.* Non tamen eum fratrem vocat in alia ad eundem epistola, de sacerdote excommunicato & deposito, quæ sic inscribitur: *Carissimo suo domino Matthæo frater Hugo indignus abbas monasterii Radingensis*: sed hæc verba, *Carissimo suo fratris nomini non repugnant.* In præmissis ait Hugo, ambos in *Laudunensi solo* educatos & fotos fuisse. quod innuit eos ibidem natos fuisse, & litteris institutos, haud dubie in schola Anselmi Laudunensis. unde Petrus Venerabilis e de Matthæo agens, ait eum non obscuro genere ortum in *Remenfi provincia, viroque parente & nobilitate, & mundanis opibus locuplete*; eumque in *Laudunensi ecclesia clericale officium adeptum* fuisse, antequam ad Remensem a Radulfo archiepiscopo translatus fuisset. quæ omnia vehementem suspicionem ingerunt, eos in pago Laudunensi natos fuisse. quod si ita est, cur *Ambianensis* ab Orderico, [& a Gaufrido priore

c Petr. Ven. lib. 2. de mirac. 2. 4.

priore Vofienfi Hugo d Amians, quos] recentiores sequuntur, dictus sit, nobis in-
ANN. CHR. compertum. 1123.

Jam vero Hugo Cluniaci monasticen professus, [Lemovicensis S. Martialis coenobii prior effectus anno mxcv. teste Gaufrido Vofienfi, postea] cellæ S. Pancratii a in Anglia diocesis Cicestrensis prior factus est; tum Radingensis b Novimonafterii abbas: quo ex loco ad regimen ecclesiæ Rotomagensis assumtus est, pri-
mus ejus loci abbas: quo in munere libros sex de rebus theologicis, ut mox dicebam, ad preces Matthæi prioris S. Martini de Campis composuit. [Quos postea factus archiepiscopus recognitos, auctos & elimatos, septimo addito libro, eidem Matthæo purpura & Albanensi episcopatu decorato dicavit. Et in primo quidem libro agit de summo Bono, hoc est de Deo ipso, in secundo de creatura, in tertio de libero arbitrio, in quarto de lapsu hominis, in quinto de peccatorum remediis, hoc est de sacramentis, in sexto de monachis & æterna felicitate, denique in septimo varia Trinitatis vestigia in creatis repræsentat. Hos ex duobus mss. inter se collatos edidimus in tomo v. Anecdotorum, quos non sine fructu leges. De aliis ejus scriptis, quos jam archiepiscopus edidit, inferius agendum.]

Mortuo sub finem mensis Novembris Gaufrido archiepiscopo Rotomagensi; parum veri simile est dilatum fuisse novi pontificis electionem usque ad annum sequentem. Ubi ad eam ventum est, suffragia convenere in nostrum Hugonem, ejusque electio probata ab Heinrico rege & ab episcopo Salesberienfi, in cujus diocesi Radingia sita erat. Verum cum electioni acquiescere nollet Hugo, clerus Rotomagensis epistolam scripsit ad Honorium papam, ut eum ad fubeundum archiepiscopatum compelleret. Hæc epistola typis vulgata est in tertio tomo Spicilegii, quæ quia brevis est, hoc loco referenda videtur.

Domino papa universali Honorio, Rotomagensis ecclesia omnem in Christo obedientiam. Elegimus electione communi filium nostrum * Hugonem abbatem Radingensem * nobis in pontificem. Super hoc quæsvimus assensum domini nostri Henrici regis Anglorum, & obtinuimus. Ab episcopo quidem Salesberienfi, sub cujus manu abbatis officio fungebatur, nobis eum reddi liberum & absolutum quæsvimus, & cum libertate suscepimus. Sed quia ipso revelante percepimus, quod sine auctoritatis vestre assensu eum habere non poteramus; cum & hoc in litteris vestris, prædicto regi Anglorum directis, ita scriptum legimus: *Ipsam itaque sub primo jure absque dominio nostro, tamquam specialem beati Petri & sanctæ Romanæ ecclesiæ clericum, retinemus. Ea propter donari eam nobis a sublimitate vestra requirimus: quem tanto cariorum habebimus, quanto a vestra celsitudinis sede nobis donatum lætabimur. Quem humili supplicatione ita donari a vestra gratia querimus, ut sub nullius unquam jure vel potestate, nisi sub vestra tantummodo pia protectione, eum persistere gaudeamus, carissime pater & domine.*

Hactenus cleri Rotomagensis epistola ad Honorium, qui tandem Hugonis electioni assensit. Hugonis tamen ordinatio dilata fuit usque ad mensem Septembrem anni mcccc. uti nos docet Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum, ubi legitur, Heinricum regem Anglorum illo anno trajecisse in Normanniam, & ad nativitatem beatæ Mariæ adfuisse Becci, atque illinc secum abduxisse Hugonem noviter electum Rotomagi archiepiscopum, qui fuerat abbas Radingensis; eumque sacratum fuisse in festo exaltationis sanctæ Crucis die dominica archiepiscopum Rotomagensis quinquagesimum, a Richardo Bajocensi episcopo cum coepiscopis suis in ecclesia S. Audoëni.

Ubi primum in sede Rotomagensi institutus est Hugo, litteras e ad eum scripsit S. Bernardus, quibus eum hortatur, ut apud Rotomagenses, (quorum longe alios mores, quam modo sunt, describit) patiens simul ac pacificus esse studeat, & zelum discretionem moderetur. Præclara est Petri d Venerabilis ad eundem epistola, qua eum ad revisendam suam Cluniacum (sic enim Cluniacum sequiori genere vocare solet) teneris verbis hortatur, ubi ejus recordatio etiam tum vigeat. *Non excidit mente, inquit, quantum eruditio & religio vestra sacrum illum ac magnum Cluniacensium ovium gregem decoraverit; quam splendide præ cunctis pane aliis in ordinis commisi custodia effulserit. Taceo, nec vivens oblivisci potero, quod a cepto sanctæ religionis proposito, in diversis ecclesiasticorum honorum gradibus vultus vestri non sunt in diversa mutati: sed tam apud nos, quam semotus a nobis, prior, abbas,*

Annal. Bened. Tom. VI.

X

ANN. CHR.
1128.

summasque tandem pontifex Dei, merito virtutis ac scientiæ bonus semper, juxta Apostolum, odor Christi in omni loco fuisset. Non estis reveritus in causa Dei potentes tyrannos, nec ipsos magnos magnique nominis reges. . . Præter hæc teneo & illud, quod nulla cura, nulla magnarum rerum quantumcumque diftensio memoriam nostri, amorem vestrae Cluniacensis ecclesiæ, aliquo tempore, qualibet occasione, a corde vestro avellere potuit. Hæc fusius fortasse quam par esset refero, sed Hugoni nostro tam honorifica, ut ea vel omittere, vel detruncare mihi religio fuerit.

XXXIII.
Monachi apud
S. Johannem
Lauduni mon-
achalibus substi-
tuti.
a Marlot to. 2.
p. 300.

Medio intervallo temporis inter concilium Trecentense & Rotomagense factus est episcoporum conventus apud Atrebatas, quem Rainaldus Remorum archipræsul^a cum universis suffraganeis suis episcopis & abbatibus tenuit vi. idus Maii, cui rex quoque Ludovicus interfuit. Hunc Rainaldus ipse & Bartholomæus Laudunensis episcopus interpellarunt, ut Laudunensem beati Johannis-Baptistæ ecclesiam, quæ regalis abbatia est, ad meliorem religionis statum reduci, & monachos ibidem loco sanctimonialium, quæ jam dudum indigne & enormiter vivebant, substitui pateretur. quod rex benigne annuit, litteris datis Atrebatum hoc anno regni sui vicessimo, quibus Rainaldus Remensis archiepiscopus ejusque suffraganei subscripsere. S. Bernardum hujus innovationis participem fuisse colligitur ex ejus epistola^b ad Haimericum cardinalem. De hac innovatione agit Hermannus monachus in libro tertio de miraculis beatæ Mariæ Laudunensis capite XXII. ubi ait, Bartholomæum episcopum nihil non tentasse, ut sanctimoniales illæ mores emendarent. quod quidem verbo semper promittebant, sed numquam facto implebant. Unde consilio Rainaldi Remorum archiepiscopi & Ludovici regis, omnes illas sanctimoniales ex illa ecclesia eum eiecisse, & virum religiosum dominum Drogonem, S. Nicasii Remensis priorem assumisisse, quem ibidem primum abbatem ordinavit, ubi & monachos ex diversis monasteriis accersitos posuit. Sed cum idem Drogo illic non parum proficeret, bono odore sapientiæ & probitatis ejus longe lateque diffuso; Innocentius papa eundem, obedientiæ vinculo constrictum, Romam ire coëgit, & Ostiensem episcopum consecravit. Ita fere Hermannus. Eodem anno habitus est in urbe Remorum conventus episcoporum, præsidebat Matthæo episcopo Albanensi & legato, qui superiorem episcoporum constitutionem de expulsi-
sione monialium & substitutione monachorum litteris suis^c confirmavit. In eodem etiam conventu sanctimoniales illæ cum Adelaide abbatissa apud Crandelam^d villam, vitæ residuum tranfacturæ, ablegantur. Sic monachi apud sanctum Johannem instituti, hætenus ibidem perseverant. De Drogonis genere & patria, nihil comperti habemus. Is esse videtur, quem ex monasterio S. Nicasii ad Pontiniacense fecerisse, & a suo abbate repetitum fuisse superius diximus. Prædictam mutationem improbarunt, ut sit, nonnulli, dicentes; propter peccata quarumdam sanctimonialium etiam inculpabiles non esse expellendas contra voluntatem sanctæ Salabergæ & filia ejus Anstrudis, quæ domum illam possessionibus suis in gratiam sanctimonialium dotaverant. Verum Hermannus^e monachus, qui hæc refert, tales objectiones exemplis ex sacra scriptura petitis refellit.

c *ibid.* p. 301.
d *ibid.* p. 300.

e *Herman. lib. 3. de mirac. c. 23.*

XXXIV.
S. Theodorico
datum altare.
* *Dotaines.*

Tempore prædicti conventus Remensis Simon Noviomensium episcopus S. Theodorico ad subsidium monachorum Deo ibidem servientium contulit altare de Dotennis. * Ejus hac de re litteris adscripta sunt signa Matthæi Albanensis episcopi, apostolicæ sedis legati, Rainoldi Remorum archiepiscopi, Petri Belvacensis episcopi, Josleni Sueffionum, Gaufridi Carnotensis episcoporum; tum Theoderici abbatis S. Eligii, Balduini abbatis S. Quintini-de-Insula, Henrici abbatis S. Quintini-de-Monte, Rainardi abbatis S. Bartholomei *, Gaufridi abbatis S. Medardi, Simonis abbatis S. Nicolai-de-Saltu, & Alvisi abbatis Aquicinenfis. Actum Remis hoc anno.

* an Noviomensis.

XXXV.
B. Mariæ
miracula Suef-
sionis scripta
ab Hugone
Farfito.

Hoc tempore in variis Galliæ partibus, sed maxime in pago Sueffionensi, plerique mortales ignis plaga invisibili percussi memorantur: ita ut semel succensa corpora intolerabili cruciatu arderent usque ad exanimationem, nisi Deus miraculo subveniret. Hujusmodi plagam sic describit Hugo Farfitus, qui tunc vivebat. *Est morbus hic tabificus sub extenta liventi cute carnem ab ossibus separans & consumens; & mora temporis augmenta dolorum & ardoris capiens per singula momenta, cogit miserum mori, & tamen desiderantibus mortem tantum remedium denegatur, donec, prioribus depaßis artubus, celer ignis invadat membra vitalia; & quod mirum est, ignis*

ANN. CHR.
1128.

hic sine calore validus ad consumendum, tanto frigore velat glaciali perfundit miserabiles, ut nullis remediis possint caleferi. Ita Farfitus. Cum hæc plaga late apud Sueffionas grassaretur, nec humanis remediis curari posset, ad patrocinium beatissimæ Virginis, quæ in parthenone illius urbis præcipuo cultu ab origine honoratur, languentium turba confluere cœpit. Nec defuit invocantibus Mater piissima, nec fere ullus fuit, qui sospitatem ejus interventu non impetraverit. Mos erat, ut qui illuc sanitatis consequendæ causa confluebant, per novem dies ibidem in precibus persistenter, & singulis diebus *socum*, ut vocant, beatæ Virginis, qui illic affervatur, accepta benedictione oscularentur. Libellum de miraculis tunc illic patris scriptis Hugo-Farfitus, auctor illius temporis, eaque facta dicit tempore Mathildisabbatissæ primæ ejus nominis, de qua superius^a actum est. Incertum quis sit ille Hugo-Farfitus. Plures invenimus per id tempus ejusdem nominis, ut observavi in notis ad Bernardi epistolam xxxv. & xxxvi. inscriptas *Hugoni abbati*, seu, ut habet titulus, *ad Hugonem-Farfitum*, qui multæ erat apud Theobaldum comitem auctoritatis, nec mediocri doctrinæ, qualis non videtur esse scriptor illorum miraculorum, cujus libellus ad calcem historiæ Gallicæ beatæ Mariæ Sueffionensis a nostro Michaële Germano editus est. Hugonem tunc apud Sueffiones celebrem, forte hunc ipsum qui hæc miracula scripsit, laudat Nicolaus horum temporum poëta satyricus, qui in carmine contra abbates simoniacos, optat satyram suam ab isto Hugone legi, his verbis,

*Composui satyram, carmen per sæcula clarum;
Quam quia vir magnus corroborat Hugo Dienfis,
Nostræ amicus eam legat Hugo Sueffionensis.*

In necrologio monasterii sancti Luciani Belvacensis occurrit etiã unus Hugo Farfitus *monachus professus*, haud dubie sancti Luciani, cujus obitus notatur vi. kal. Aprilis. Porro non modo in Sueffionensi, sed in aliis quoque beatæ Mariæ ecclesiis, Parisiensi, Carnuteni, Atrebatensi, & Cameracensi similia miracula patrata referuntur.

Quod atinet ad illum Hugonem Farfitum, ad quem Bernardus prædictas duas epistolam scripsit, is opusculum quoddam de sacramentis composuerat, in quo quædam advertebat Bernardus, quæ sensui ecclesiastico non omnino convenire existimabat. Hoc opusculum non aliud esse videtur ab illa epistola, quam idem Hugo ad Bernardum scripserat. Eam vero a Bernardo incendio traditam fuisse Hugoni ipsi renuntiatum erat. quod Bernardus omnino negat, asserens eam penes se haberi. *Quid enim hoc livoris, inquit, immo furoris fuisset, opus utile & laudabile, ubi nihil nisi quod sanæ fidei, quod doctrinæ saluberrimæ, quod ædificationis spiritualis est, deprehendi, temerario damnare judicio? excepto, quia inter amicos contra veritatem nulla debet esse meticulosa, cum sit periculosa, palpatio; quod hoc me, fateor, movit & movet, quod illam inter nos jam ante habitam de sacramentis collationem, in principio prædicti opusculi defendere & adstruere conati estis. In qua utique collatione, si vestra summam sententiæ bene meministis, an sensui conveniat ecclesiastico, vos videritis.* Mirum quanta cautela & reverentia cum illo Hugone agat Bernardus, sanctitatis nomine eum compellans in priori ex illis duabus epistola. In altera eidem consultit, *ut episcopum sanctum & doctum*, quem Hugo in suo opusculo arguebat, *mortuum inquietare desinat, quem quiete vivere permiserat.* quod de Guillelmo de Campellis intelligendum puto. Vix dubitem quin is sit Hugo abbas canonicorum regularium S. Johannis in Valleia prope Carnutas, qui Stephano ad Jerosolymitanum patriarchatum promotus in abbatali dignitate successerat.

Apud Carnutas in monasterio S. Petri obiit Willelmus abbas xi. kal. Januarii, qui anno præcedente ab Honorio papa confirmationem omnium, quæ eidem loco data fuerant, ecclesiarum adeptus erat, litteris datis Laterani viii. idus Martias anni MCXXVII. indictione v. An sub finem ejusdem anni, an sequentis decesserit, non ita liquet. Id ab eo abbate præter regulam & morem factum est, quod hominem sæcularem consilio fratrum cellerarium monasterii instituerit. Ejus loco electus est Udo seu Odo, cujus electionem probavit Matthæus Albanensis, simulque eligendi in posterum abbatis facultatem confirmavit, ut probant ejus litteræ, quæ sic habent.

Annal. Bened. Tom. VI.

X ij

XXXVI.
Alter Hugo
Farfitus, cui
Bernardus scri-
bit.

XXXVII.
Willelmo ab-
bati S. Petri in
Valle succedit
Udo.
b *lib. 70. n. 45.*

Servorum Dei quieti sicut in presenti consulere pium est, sic & in posterum providere opportunum. Proinde ego Matthæus Albanae ecclesiae Dei gratia humilis episcopus, & sanctae Romanae atque apostolicae sedis cardinalis & in Gallis legatus, omnibus, quibus oportuerit notum esse volo fidelibus, quia monasterio S. Petri Carnoti eam quam hactenus habuisse cognoscitur abbatem eligendi libertatem, praesente venerabili Gaufrido Carnotensi episcopo, ipsius suggestu atque rogatu, ex Romanae ecclesiae auctoritate praesens in ejus monasterii capitulo, praesidente ei Udone recens electo abbate, viva voce confirmaverim, & hoc idem scripto atque sigillo nostro me facturum promiserim. Hic ergo eandem confirmationem repetentes, ex domni papae Honorii, cujus in Galliarum partibus vicem gerimus, auctoritate, & ex Romana, cui ipse praesidet, sedis potestate, scripto & sigillo isto decernimus atque statuimus, ut praesati monasterii S. Petri Carnoti capitulo ab omni tam ecclesiastica quam seculari potestate omnino libera sit, & firma abbatis sui electio; & sicut hactenus licuit, perpetuo liceat monachis quamcumque voluerint personam regulariter dumtaxat sibi in abbatem eligere; itaque electum, sine cujusquam contradictione, sine praesudicio vel surreptione, locum firmiter obtinere. Quod decretum nostrum si quis umquam quolibet ingenio ausus fuerit aliquatenus scienter temerare, ex ipsius domni papae auctoritate, & ex sanctae atque apostolicae sedis maiestate eum, quicumque ille fuerit, anathematizamus, atque a regno Christi & Dei, nisi hoc digna cum satisfactione emendaverit sequestramus.

Hactenus Matthæi constitutio de electione Udonis abbatis. Hic in abbatiali regimine illud in primis liberali viro dignum egit, quod armarii seu bibliothecae libros praevetustate fere oblitos, & ex his plures a tineis corrofos cum animadvertisset, ratus inhonestum & indecorum esse, quod monasterium magnae nobilitatis haberet armarium tanta paupertatis, assensu capituli illud renovare aggressus est, assignando redditus ex singulis monasterii obedientiis, ut armarius sive bibliothecarius singulis annis haberet, unde libros vetustos renovare, aut superaddere novos posset, ut in ejus constitutione habetur, quam in Appendice videre licet.

Is est sine dubio Udo abbas, cujus tempore quidam ejus loci monachi S. Bernardum iteratis litteris interpellarunt, ut de obligatione regulae S. Benedicti mentem suam scripto eis aperiret. Hujus petitionis occasionem ex eo natam esse verisimile est, quod novus abbas, laxiores quorundam monachorum suorum mores ad regulae normam reformare volens, eidem observandae regulae obligationem inculcaverit: quod cum nonnullis duriusculum videretur, illi Bernardum hac de re, deque aliis dubiis consulendum statuerunt. Non statim eorum votis respondit vir sanctus; sed tandem eorum precibus ac litteris victus, librum hoc de argumento in eorum gratiam composuit. Verum, quia subverabatur, ne inconsulto & incio abbate suo monachi illi ad se scripsissent; responsum seu librum eis suum in manus eis reddi noluit, sed per abbatem Columbensis agri Carnutensis, cui opusculum hac de re suum, uti simul condixerant, destinari curavit. quod cum a vobis, inquit, perlectum fuerit, tunc non ipsis, ad quos factum est, sed eorum prius reddatur abbati; & sic deum ad ipsos, si juserit abbas, perveniat. Monachi enim sunt, & ex lege suae regulae sine nutu abbatis, sicut dare, ita & accipere datas prohibentur epistolae. In hoc opusculo vir sanctus tria docet. Primum corporales quas vocat S. Benedicti regulae observantias, non graves quidem illas (quales sunt abstinentia a carnibus, silentium nocturnum, aliaeque similes, severissime a sanctissimo Legislatore praescriptae) sed exempli causa, silentium inditum, accedente praepositi mandato, si non observentur, in peccatum reputari, non tamen in crimen, ita sane si per surreptionem aut oblivionem non per contemptum horum transgressio contigerit: ita ut nec sine offensa negligi, nec contemni sine crimine illa possint; adeoque obnoxium faciant peccato, non magno tamen si contemptus defuerit: praesertim cum remedio penitentiae expiantur. Secundum est, ejusmodi transgressiones contemptu evadere peccata mortalia. Elatio quippe contemptus, atque impaenitentis obstinatio, in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis nevum satis levem simplicis transgressionis. Tertium denique est, in eo contemptum differre a neglectu, quod neglectus quidam languor inertiae est; contemptus vero superbiae tumor, nolentis scilicet mandato parere, cum possit. nam si possumus, & volumus, superbi sumus. atque ita sic concludit: Non ergo qualiscumque mandati praeteritio criminalem facit inobedientiam, sed repugnare, sed nolle obedire. Hac si serio expende-

XXXVIII.
Bernardus librum scribit de praecipuo & dispensatione.

rent monachi, non tam facile praeterirent leviores quolibet observantias, ut quidam absque scrupulo solent.

Sub finem opusculi sanctus Doctor ad quaedam Carnutensium dubia & quaesita respondet: scilicet an & quatenus monasterii mutatio probanda: an monachi matrimonium sit validum: an episcopi in monasteria retrufi habitum monasticum induerint: cur monastica professio secundum baptismum censeatur, & quaedam alia, quae in ipso tractatu legi possunt. Porro hoc opusculum Petrus a Venerabilis legerat, sed ab auctore ad se mitti postulat ad relegendum. Tunc Columbensis monasterii abbas erat Tuoldus, superius b laudatus, cui post triennium successit Rogerius, Guinimari militis filius, Hugonis frater, qui jura monasterii, & regularem disciplinam strenue tutatus est. Vixit ad centenariam aetatem.

Hoc tempore Bernardus epistolam c scripsit ad Attonem seu Hattonem Trecentem episcopum, qui positus inter confinia vitae & mortis, omnia sua in pauperes erogaverat. Non expectavit mortem, quando jam nec dare, nec retinere in sua haberet potestate, quod utique multi faciunt. . . . sed adhuc inter spem vitae metumque positus mortis, vivens libensque dispersit & dedit pauperibus, ut justitia ejus maneret in saeculum saeculi. Non tamen ad eam paupertatem posthac redactus est, ut Ripatorii monasterii Ordinis Cisterciensis construendi facultatem non habuerit.

Per id tempus Goffridus Vindocinensis abbas cum Girardo Engolismensi episcopo & apostolicae sedis legato, cui ante familiaris & amicus esse videbatur, rixas & diffensiones habuit. Earum origo nata est ab ipso Gerardo, qui falsum de Goffrido rumorem sparserat, quasi Honorio papae detraxisset. Hinc dure ad eum scribit Goffridus, eum Normannum vocans, eique exprobrans, quod Romana ecclesia non ipsius meritis, sed gratia sola ejus humilitatem de exili loco adeo sublimasset. Extant duae Goffridi d hac de re ad ipsum Girardum epistolae: quarum una Girardo Normanno, Engolismensi episcopo inscripta est contra morem aliarum ejusdem Goffridi ad eum epistolarum: altera Girardo glorioso, &c. quod conviciando dictum videtur. In hac autem epistola multa eidem Girardo male facta impropert: in his

quod Carroensem abbatem non regulariter electum, sed violenter intrusum, consecratore nolente, & ejus clero repugnante, consecrari fecerit, quod alium abbatem, ob turpissimum crimen depositum, nullo praecedente judicio, non modica suffragante pecunia, contradicentibus illius congregationis fratribus, in pristinum gradum restituerit. quod Bernerius abbas Bonavallensis testabatur, qui hoc facinus pæne ubique praedicans detestabatur. Ad hæc Fulco Biennensis abbas, seu S. Stephani de Beania * apud Santones, litteras ejus pro facienda sibi justitia quaesivit, nec nisi centum solidorum pretio adipisci potuit. Sed vir ille, inquit perdidit pecuniam, nec per vos potuit habere justitiam. Eundem Girardum insuper accusat, quod regis Anglici pecunia corruptus, in comitem Andegavensem, scilicet Fulconem, injustam protulit sententiam, quam Romanus pontifex confirmare noluit: denique eum arguit, quod abbati Angeriensi, nempe Henrico, promississet, quod, si trecentos solidos Pictaviensium msculorum ipsi daret, Rainaldum Chesnelli, (is clericus Santonenis erat) deponeret; eique capitula, quibus illum accusaret, transcripta misisset. Sub finem: Hæc pauca, inquit, de multis, modica de magnis, vobis significavimus, dilectionis videlicet causa: ut, si vera sunt quae contra vestram astutiam ventulantur, praeteritorum transgressio fiat vobis futurorum cautela. De cetero eum monet, ut ne amplius vel aliud, quam quod ei pro sua legatione competat, usurpet. quale est illud, quod me praesente, ait Goffridus, etiam coram laicis praedicastis, vas videlicet episcopos deponendi habere potestatem. quod novum genus praesumptionis est: quia nulla ratione legatis apostolicae sedis conceditur, quod ad solius Romani pontificis pertinet dignitatem. Hæc singillatim referre visum est, ut appareat, nec nova esse, nec incredibilia, quae de illo Girardo scribit S. Bernardus.

Jam finis appetebat Goffridi abbatis Vindocinensis, qui hoc tempore affecta valetudinis erat, ut ejus epistolis intelligitur. Eodem etiam tempore aegrotabat ejus prior, de quo ita scribit in epistola e ad dilectos in Christo discipulos suos, Ingelbaldum & omnes alios: Dominus prior noster infirmus tenetur: sed de beata illa anima quid diceret? quae si, vocante Domino, a saeculo migraret, numquam, ut aestimo, gehennam sentiret, scilicet purgatorii. Sed me infelicem! me miserum! quem nulla peccatorum meorum recordatio momordit, dum carnis sanitas blandiretur! nunc sul-

ANN. CHR.
1128.

tem inopinata infirmitas, quæ me subito pressit, circa mea mala reddere deberet sollicitum. In fine epistolæ eisdem, non jam ut subditos, non jam ut discipulos, sed sicut dominos & amicos carissimos, ex intimo cordis affectu deprecatur, ut quidquid in eos deliquerit, propter caritatem, quæ Christus est, corde & ore ipsi remittant, & infirmitati animæ suæ succurrant. Haud scio an prior ille, qui tunc infirmabatur, sit Hugo prior, cui sequens epistola directa est.

XLII.
S. Martini ecclesia in Valle data Majori monasterio.

Exstat prope urbem Carnutum vetus basilica, S. Martini in Valle nuncupata, in qua S. Leobinus episcopus sepultus, quæque olim episcoporum Carnotensium conditorium fuit. Hæc sæculo undecimo desinente & ineunte duodecimo occupata erat a canonicis sæcularibus, quibus Ivo episcopus Majoris-monasterii monachos substituere voluit. Ea de re scripsit ad Adelam Stephani comitis Blesensis uxorem, quæ id potissimum optabat, ut ex ejus epistola patet, quam ex autographo descriptam in Appendice invenies; ex qua patet monachos in ea ecclesia olim extitisse, antequam illa a canonicis possideretur. Verum Ivone vivente res infecta, tandem Gaufridi ejus successoris tempore perficitur, annuente Ludovico rege, qui ejus executioni restiterat. Scripsit hac de re Ludovicus ad Honorium papam in hæc verba.

Honorio Dei gratia summo pontifici & patri suo carissimo Ludovicus eadem gratia Francorum rex salutem & fidele servitium. Caritati vestræ notificamus, quatenus hoc, quod de negotio beati Martini Carnotensis de Valle vobis scripsimus, nondum rei veritate plene investigata mandavimus. Nunc autem per fidelem nostrum, comitem scilicet Theobaldum, veritate cognita, precibus illius acquiescentes, monachis Majoris-monasterii ecclesiam illam concedimus, & ut concedatis, quia nobis bonum videtur, caritatem vestram suppliciter postulamus. Valete.

His litteris acceptis, pontifex Gaufrido episcopo ejus rei executionem demandavit, isque Majoris-monasterii monachos, concedente comite Theobaldo, in illius ecclesiæ possessionem hoc anno induxit VII. kal. Julii in præsentia domni Matthæi Albanensis episcopi & apostolicæ sedis legati, ea lege, ut clerici suas præbendas, quoad viverent, retinerent, salva etiam præbenda, quam ecclesia S. Petri in Valle illic habebat. quæ omnia Honorius papa confirmavit. Gauterius ejus loci primus prior. Hæc ecclesia modo a Capuccinis occupatur, ejusque reditus monasterio B. Mariæ de Bono-nuntio apud Aurelianos attributi.

XLIII.
Hugo de Ambasia Majori monasterio satisfacit.

Eodem anno Hugo de Ambasia, qui graves exactiones terræ Majoris-monasterii imposuerat, cum sæpius admonitus non desisteret; demum Jerusalem cum magistro Templi profecturus, post varia placita jussu Fulconis Andegavensis Cenomannis ad diem ascensionis Domini adfuit. Cumque per dominum Hugonem de Paganis magistrum Templi de concordia cum monachis faciendâ admonitus fuisset, ut illas exactiones remitteret, antequam crucem acciperet; ille respondit, has consuetudines ex fevo comitis sibi competere, quod comes ipse indignatus negavit. Tandem Hugo consilio Hugonis magistri Templi reum se confessus est, & veniam petita, in manu Ildeberti Turonensis archiepiscopi, Guidonis episcopi Cenomannensis & Ulgerii Andegavensis, domnique Odonis Majoris-monasterii abbatis, prædictas consuetudines refutavit; Odo vero damna sibi illata Hugoni remisit. Post aliquot dies, idem Hugo cruce accepta capitulum Majoris-monasterii adiit, veniam de allatis gravaminibus humiliter petiit, & injustas illas consuetudines denuo refutavit.

XLIV.
Fundario cellæ de Monte Relaxo.

[Hoc eodem anno *Herveus vicecomes Lebonensis Dei amore præventus, pro spe æternæ vitæ dedit Deo, S. Martino ac monachis Majoris-monasterii juxta castrum suum, quod vocatur Mons-relaxus, terram ad construendum monasterium, cimiterium, etiam & burgum. Dedit insuper burgum suum cum omnibus hominibus qui ibi sunt & quos monachi deinceps hospitari poterunt usque ad stagnum, & a stagno totum nemus cum capella S. Augustini. Dedit etiam capellam S. Mariæ Magdalena, & molendinum ipsum cum hospitalaria & omnibus appendiciis. Pluraque alia eisdem tradidit, quæ si minutatim recenserem, tædium forte lectoribus generarem. His omnibus recensitis addit: Monasterium vero, id est ecclesiam, de meo faciam, & ipsi officinas suas pro posse suo facient. Cujus rei testis fuit Galo Leonensis & alii. Actum anno ab incarnatione Domini MCXXVIII. videlicet v. nonas Martii. Signum Hervei vicecomitis, signum Guibomari filii ejus, signum Eudonis. Hanc donationem prædicti Majoris-monasterii monachi a Galone Leonensi & Radulfo Trecorensi*

ANN. CHR.
1128.

episcopis confirmare curarunt, quod illi, ob singularem quam erga monachos Majoris-monasterii habebant dilectionem, præstiterunt in concilio Dolensi, quod sub venerabili legato Girardo Engolismensi celebratum est anno MCXXXIII. & per annum; suum de hoc ipse Radulfus, Galo vero per mitram investivit: subscribuntque Galo episcopus, Radulfus episcopus, Robertus episcopus, Aimericus & Israhel.]

[Hic præteriri non debet donum quod monachis S. Mauricii in suburbio Remensi degentibus Rainaldus archiepiscopus contulit, nempe somniatam aliaris illius, decem videlicet & octo denarios, quæ archiepiscopo & archidiacono, utpote de unoquoque altari ecclesiastica consuetudine in synodo annuatim persolvi debet. Concessioni subscribunt Joslenus Sueffionensis episcopus, Odo abbas S. Remigii, Richardus abbas Mosomensis, Ingubrannus abbas Altivillarensis, Albricus abbas S. Bafoli, Guillelmus abbas S. Theodorici, Jorannus abbas S. Nicasii, Ursio abbas S. Dionysii, Fulco abbas Sparnacensis, Hugo archidiaconus, Fredericus præpositus, & alii. Actum Remis anno incarnati Verbi MCXXVIII. indictione v. regnante Ludovico Francorum rege anno XIX. archiepiscopus autem domni Rainaldi anno III.]

Per id tempus Saviniacensi agri Lugdunensis monasterio præerat Pontius abbas, jam a nobis in superioribus^a laudatus. Huic frater germanus erat Aymo de Lay, vir nobilis, qui beato Martino de Saviniaco, necnon domno Pontio fratri suo abbati ejusdem loci & fratribus inibi Deo servientibus, villam de Vindreu in alodium jure perpetuo possidendam contulit. Sed quia, inquit, secundum sæculi dignitatem gloriose vixeram, & ne parvus viderer, multa largiendo aere alieno oppressus fueram, nec habebam in thesauris unde clamor pauperum posset reprimi; prædictus abbas frater meus Pontius & monachi dederunt mihi quantitatem solidorum duorum millium, & unam equitaturam, & ego in manu prædicti fratris mei feci donum Deo & beato Martino de memorata villa jure alodii, &c. His litteris apposita sunt signa Ficiæ cognomento Aurilis, uxoris ejusdem Aymonis, Wichardi de Bellojoco, & aliorum. Acta sunt hæc apud castrum de Lay in domo Aymonis coram memoratis testibus, feria v. prima hebdomada quadragesimæ, anno ab incarnatione Domini MCXXVIII. indictione vi. epacta xvii. concurrente vii. regnante in Francia piissimo rege Ludovico, apud Lugdunum post Umbaldum archiepiscopum clericis de archiepiscopatu contentiose vacillantibus. Quo ex loco superius^b ostensum est, Humbaldum anno superiore defunctum fuisse, & necdum Raynaldum de Sinemuro Vizeliacensem abbatem in ejus locum substitutum.

Tunc Lanzo monasterii S. Michaëlis ad Mosam abbas litem habebat cum Hadvide Juviniacensi abbatisa super ecclesia de Spiregio, quam illa suo parthenoni competere contendebat. Hæc causa primum^c ventilata coram Alberone Mettensi episcopo, in cujus parochia hæc ecclesia sita est. Abbatisa hanc ecclesiam a Juviniacensibus primo possessam, sed a monachis sibi abstractam assererat: abbas contra respondebat, eam se nemini abstulisse, sed legitime, dono scilicet Sophiæ comitiſſæ & dioecesani episcopi concessionem possidere. Tum eis assignata est ab archidiacono judicii dies. Ubi partes convenere, abbatisa quod jam dixerat repetiit: abbas vero quadraginta annorum possessionem prætendit. Huic actioni interfuerunt Stephanus Mettensis episcopus & abbates, nimirum Bertrannus S. Arnulfi, Herbertus S. Symphoriani, Thedunus Gorziensis & Rodulfus S. Petri de Monte cum multis aliis sacerdotibus & clericis. Quæsitum est a partibus, utrum aliquid amplius dicendum haberent. Illi se nihil habere amplius respondent. Itum est in partem, & judicatum, ut abbas præscriptionem duobus idoneis testibus probaret. Cum autem sententia proferenda esset, abbatisa indignabunda recessit, & misso fratre suo Alberto primicerio Viridunensi sedem apostolicam appellavit. Quin etiam eadem ipsa hujus negotii causa Romam ad Honorium papam adiit. Verum ejus causa coram cardinalibus agitata, visum est domino papæ, rem potius concordia quam judicio terminandam. Hinc judices, laboribus mulieris & expensis potius quam justitiæ consulentes, abbati auctores fuerunt, ut viginti libras Catalaunensis monetæ abbatisæ daret; abbatisæ vero, ut monachis ecclesiam cederet quod Censu S. R. E. scriinariis litteris mandavit. Actum est hoc in palatio Lateranensi coram dominis episcopis & cardinalibus, Willelmo Prænestino, Matthæo Albanensi aliisque anno Dominicæ incarnationis MCXXVIII. temporibus domni Honorii II. papæ, pontificatus ejus anno quarto, mensis Martii die ultima, indictione vi. Huic concordie interfuerunt

XLV.
Donatio facta S. Mauritio Remensi.XLVI.
Saviniaco facta donatio.
a lib. 72 n. 85.

b supra n. 29.

XLVII.
Lanzo abbas S. Michaëlis litigat cum Juviniaci abbatisa.
c Baluz. miscell. to. 4. p. 455.

ANN. CHR. 1128.
a *ibid.* p. 458.
b *supra* n. 28.
XLV III. Stabulenses & Malmundarienses reconciliantur. c *Annal. Bened.* to. I. p. 403. § *seq.*

Mainerius Trevirensis archiepiscopus, Henricus Tullensis episcopus, Albero primicerius Mettensis, Hugo magister & alii. Postmodum Innocentius II. a hanc quoque concordiam confirmavit litteris suis, in quibus ecclesiam de *Tyrco* vocat. Ex præmissis intelligitur, Matthæum Albanensem paullo post Trecentis concilium, quod initio hujus anni habitum b fuisse diximus, Romam ad breve tempus revertisse, quo tempore prædictæ concordie interfuit; moxque in Galliam rediisse, uti ea probant, quæ de eo ad hunc annum retulimus.

In saltu Arduennæ S. Remaclus duo monasteria c extruxerat, Stabulense & Malmundariense, ea lege confederata, ut primas teneret Stabulense, & in eo abbas sederet, & Malmundarienses professionem ibidem facerent. Lapsum temporis id gravate ferentes Malmundarienses, hanc inæqualitatem excutere conati sunt. Id ab ipsis tentatum non semel, nempe tempore Ottonis secundi, dein Henrici IV. novissime Lotharii imperatoris, cujus principatu inter utramque ecclesiam dissensio exorta est, quam composuit Fredericus Colonienfis archiepiscopus, cujus maxime interesse videbatur, ut Malmundariense suæ parochiæ monasterium saltem æquaretur Stabulensi, quod in Leodicensi positum erat. Verum ille utrique ecclesiæ pacem & concordiam resarcire cupiens, lectis Stabulensis ecclesiæ primigeniis instrumentis & privilegiis, quæ a Wiboldo, *Stabulensis ecclesiæ magistro atque portario*, sibi subministrata fuerant, Stabulensium jus antiquum denuo sanxit, ut in ejus litteris observare licet, quas in Appendice referemus. *Actum est hoc Colonia anno ab incarnatione Domini MCXXVIII. indictione VI. regnante domino rege Lothario tertio.* Inter testes Rubertus seu Rupertus abbas Tuitii, & Gerardus abbas sancti Pantaleonis. Hæc concordia facta est, agente per magistrum Wiboldum Johanne de *Ruland* abbate, qui Cuononi hoc anno successerat. Johannem biennio post excepit prædictus Wiboldus seu Wibaldus, vir doctus, summis pontificibus, episcopis & sæcularibus principibus acceptissimus, a quibus varia privilegia suo monasterio impetravit, maxime ab Innocentio II. Cælestino II. Lucio II. & Eugenio III. [Fuitque in deliciis quatuor imperatoribus Henrico IV. Lothario II. Conrado II. & Friderico I. abbas Casinensis, tum Corbeiensis in Saxonia, cujus præclaras epistolas habes in Amplissima nostra Collectione tomo II.]

Stabulenses abbates.

XLIX. Tuitiense incendium.

Non multo post illam concordiam incendium ingens in opido Tuitiensi exortum est, parumque abfuit, quin totum ejus loci monasterium conflagraverit. Quippe VIII. kal. Septembris hujus anni, prima vigilia noctis, subito exortus ignis per mediam vici plateam, ubi circa domos horrea comportatis recens frugibus referta erant, vento agitante concitatus, brevi ita crevit, ut non solum Rhenus & vicina Colonia resplenderet, sed tota ferme regio per stadia fere ducenta. Excitatis fratribus, unus ex eis raptum e sacrario corporale dominicum, longo hastili superne illigatum flammis opposuit, sperans tam sacræ suppellectili cessurum ignem, omnemque potestatem inimici. Cumque non cederet ignis, ille non dubia fide ipsum hastile cum corporali in medias flammam intravit, aliquamdiu agitans, quasi sævientem confoderet ignem, donec usque ad ipsum prorupit rebellis flamma, eumque pane afflavit. Tunc demum abfistens, & hastile partim ambustum abstrahens, corporale, adhuc illæsum & integrum, ab hastili abstractum & convolutum in flammam immisit: at ignis illud de medio sui rejecit, & longius repulit in illam villæ partem, cui haud nociturus erat. Interim crescente incendio, S. Urbani parochialis ecclesia, quæ ad valvas monasterii stabat, igne corripitur. Tunc actum putavit Rupertus abbas de monasterio: sed tamen divina manu, quæ nonnullis visa traditur, præter exteriores quasdam officinas, intactum remansit. In illa vero S. Urbani ecclesia *Corpus dominicum in pyxide lignea secus altare de more repositum erat in fenestra sive absida, introrsus in muro regulis ligneis compacta cum ostiolo & sera.* Erant & alia vascula cum eadem pyxide, ad sacrum ministerium pertinentia, videlicet alia pyxis cum hostiis non consecratis, ampulla quoque vinaria ex stanno, vasculum thuris & alia quædam. Cum intra muros ecclesiæ sæviret incendium, arsit simul & ipsa absida cum omnibus in ea contentis, præter pyxidem, quæ *sola cum Corpore dominico incolumis & intacta permansit.* Hoc insigne miraculum Rupertus abbas refert, testis oculatus, qui librum de hoc incendio composuit, & supradictum corporale & pyxidem *pro summis reliquiis* transtulit ad majus altare, hoc disticho superscripto.

Hoc

Hoc corpus Domini flammam in pyxide vicit.

In hoc incendio magnopere timebat Rupertus, ne opera sua consumerentur. *Eheu! quam timui*, inquit, *ne illud opus meum arderet, quod mihi in hac vita major consolatio est, scilicet opus librorum, quos elaboravi, maximeque illorum, quorum adhuc extra locum istum exemplaria nusquam erant. Unum illorum erat opusculum, quod nuperrime conscripseram de glorificatione Trinitatis & processione Spiritus-sancti novem tomis sive libellis; & pro hoc fere ita sollicitus eram, sicut negotiator ceteris omnibus amissis, & de omnibus desperans, saltem unam, quam forte nuper emerat, reservare cuperet margaritam.* Post illud incendium piissimus abbas ad portam monasterii extruxit oratorium in honorem S. Laurentii, quod contiguam habebat domum hospitem, ad pauperes exemplo sancti Martyris excipiendos & reficiendos.

Qua occasione prædictos libros de glorificatione Trinitatis & processione Spiritus-sancti scripsit Rupertus, aperit ipse in prologo horum librorum ad Cunonem episcopum Ratisponensem ipsius mæcenatem & patronum. Hic cum aliquando quadam Ruperti opera Willelmo Prænestino, episcopo Gallo & apostolicæ sedis in Germania legato ostendisset, & ille, ut erat *vir studiosus & apprime eruditus*, ab eo sciscitatus esset, num Rupertus aliquid edidisset de processione Spiritus-sancti; doluit ille quod nihil hoc de argumento haberet, quod per legatum *ad vestigia sanctæ apostolicæ sedis* deferri posset: sed interim explanationem in sex priores ex duodecim Prophetis legato obtulit. quod exemplar se amisisse ait Rupertus cum multis aliis, quæ Cuno ad Ratisponensem episcopatum translatus secum tulerat. Tunc temporis libros de gloria sanctæ Trinitatis componebat Rupertus, in quibus commentarium inferuit de processione Spiritus-sancti, ut legati desiderio satisfaceret, præmissa epistola ad beatum Petrum, ejusque Vicarium Romanum pontificem, in qua respondet ad objecta æmulatorum, qui eum ab his scribendis prohibere conabantur. Verum de hac epistola jam alias dictum est. Quod attinet ad Cunonem episcopum, is monachos nostri Ordinis in Walkenburgenfi a Bajoariæ monasterio hoc tempore restituit loco regularium canonicorum, qui non ita pridem Benedictinis substituti fuerant.

Patherbrunnensem episcopatum iniiit hoc anno Bernardus episcopus, ex clero illius ecclesiæ assumptus, vir pietate & doctrina insignis. Huic confanguineus erat Widekindus, comes Swalenbergenfis, qui una cum Lutrude conjugem monasterium nostri Ordinis in honorem beatissimæ Dei genitricis construxit, & hereditariis opibus dotavit, Sanctæ-Mariæ monasterium * vulgo appellatum. Hujus sacri operis non modo hortator & incentor, sed etiam adjutor esse voluit Bernardus, cujus hæc de re litteras Schatenus ad hunc annum retulit. In his litteris notum facit præsul, quo pacto comes Widekindus, vir nobilis & catholicus, sibi consanguinitate junctus, & uxor ejus Lutrudis, cum consensu heredum suorum, in propria hereditate ecclesiæ construxerint in honorem sanctæ Dei-genitricis, insuper & claustrum, ceteraque claustralia ædificia monasticæ vitæ aptissima, collectis in ea Christi pauperibus monasticæ vitæ addictis, *quos non solum summæ perfectionis fama, Deo & hominibus, sed & ipsa religionis res & opera commendant.* Huic actioni interfuerunt Siwardus Mindenensis, Sicardus Offenburgeris episcopi; Erkenbertus Corbeiensis abbas, Hamuco Paderbornensis seu Abdinchofensis abbas, & Gerardus primus abbas novi illius Sanctæ-Mariæ monasterii, *quod adhuc flore religionis ac magno episcopatus ornamento bonoque conspicitur*, inquit Schatenus. Actum hoc anno, & quidem XVIII. kal. Septembris.

Non diu superstes fuit Erkenbertus Corbeie-novæ abbas, mortuus hoc eodem anno, cujus epitaphium refertur in chronico b Huxariensi, ipse Erchenberti jussu, ut dicitur, lapidi suo inscriptum in hæc verba. *Erkinbertus, famulus monachorum in Corbeia omnium primarius, a Deo, pontifice, & imperatore ad hoc servitium electus & confirmatus, lectulum sibi hic fieri curavit, ut tandem molliter cubaret. Sum cinis, sui homo; ero nunc candidatus æternitatis.* Additur annus MCXXIX. tamen in Annalibus Corbeiensibus anno præcedente obiisse dicitur, forte utrumque verum pro vario calculo, si constaret eum ante pascha dececessisse. Ejus successor Wolmarus ex nobili stirpe Homenbergenfis, Romam pro sua confirmatione statim misisse dicitur; vir omnibus acceptus. Hic post octo annos confirmationem foundationis Sanctæ-Mariæ monasterii, quæ Corbeie filia dicitur impetravit a Lothario augusto;

Annal. Bened. Tom. VI.

Y

ANN. CHR. 1128.

L. Ruperti libri de Trinitate.

a *Hund. to. 3. p. 483.*

L. I. S. Mariæ-monasterium in Saxonia.

* *Murimman-ster.*

L. II. Corbeie-novæ abbates. b *Christ. Paul. p. 10.*

ANN. CHR.
1128.

qui tunc in Nova-Corbeia diversabatur, uti discimus ex Annalibus Corbeiensibus. In Volmarum abbatem optime affectus fuit Bernardus præful, & in Hamuconem abbatem Abdinchofensis monasterii, cujus privilegia confirmavit anno sequenti, ut ejus litteræ docent a Schateno relata.

LIII.
Bernardus Toletanus primas obit.
a V. lib. 66. n. 2. & 3. & lib. 67. n. 54.
* Coria.
b Roderic. lib. 7. c. 4.

In Hispania mortuus est hoc tempore Bernardus^a archiepiscopus & primas Toletanus, quo superflite Aldefonsus seu Alfonso VII. sub initia regni sui urbem Cauariam^{*} recuperavit, & per eum dignitatis perditæ, ut Rudericus^b Toletanus loquitur, insignia reformavit, & Mauros, qui in Lusitania habitabant, sæpius contrivit. Inter ea Bernardus, primas venerandus, ordinatis ecclesiis provincie & primatus, beneplacitis Deo actibus gloriosus, iv. nonas Aprilis migravit ad Christum, & quidem æra millesima centesima sexagesima sexta, ut præfert inscriptio ab Yepesio relata ex sacro Toletano. Toletanam ecclesiam annis quadraginta-quatuor rexit. De loco sepulture variant Hispani. Yepesius ex monumentis abbatie Saguntensis asserit eum in illo monasterio humatum esse, ibique hætenus conspici ejus sepulcrum: at Rudericus Toletanus scribit, Bernardum jacere in Toletana beatae Mariæ ecclesia, quam de Mezquita ad titulum beatae Virginis consecraverat, apposito ad ejus tumulum hoc titulo:

Primo Bernardus fuit hic primas venerandus.

c Ibid. c. 5.

Hic Bracaram^c civitatem, quæ variis vastationibus diruta fuerat, dignitati pristina restituit, & S. Girardum Toletanum cantorem, archiepiscopum consecravit, quem de Mosaico^d, id est de Moisiacenſi monasterio, secum adduxerat. Bernardo in sede Toletana successit Raimundus, de Salvitate oriundus, quem post beatum Petrum Oxomenſis ecclesie episcopum ordinaverat. Petrus iste Bituricis oriundus erat, ab ipso Bernardo in Hispaniam adductus, quem primo archidiaconum Toletanum, postea Oxomenſem episcopum instituisse traditur. Hunc Saguntensis cœnobii monachum fuisse, priusquam archidiaconus crearetur, Sandovallius in illius monasterii historia scribit.

LIV.
Donatio facta Silvæ-majori.

[Per id tempus Radulfus de Haia orationis gratia pergens ad S. Jacobum, prius ad monasterium Silvæ-majoris venit, ubi perhonorifice susceptus a Petro abbate septimo ac toto conventu, atque in capitulo omnium bonorum operum particeps effectus; pro salute animæ suæ, uxoris & filiorum, necnon & patris & matris, concessit super altare S. Mariæ elemosynam quam fecerant prædicto monasterio antecessores sui apud Berovillam in ecclesiis & decimis & terris. Addidit & duas terræ bovatas liberas & quietas, ecclesiam quoque de Mosquetone & ecclesiam de Juiquibi. Hujus doni testes fuere Guillelmus de Ultimo-ponte, Rogerius de Toc & alii.]

LV.
Laurentii S. Vitoni abbatis epistola ad Albertum Moguntinensem archiepiscopum.

[Laurentius Virdunensis S. Vitoni abbas, scripta ad Albertum Moguntinum archiepiscopum sedis apostolicæ legatum, epistola, eoque laudato de concordia inter regnum & sacerdotium, quam afflictæ diu desiderando ecclesia expectavit, cui ipse præsertim procurandæ allaboraverat, observat inter alia, illa in concordia constitutum fuisse, ut exspoliata ecclesie, vel omnes qui tempore seditionis occasione illius discordiæ jura sua & possessiones perdidissent, illibata reciperent: exponit plura ecclesiam suam pro eadem discordia perdidisse, quæ ab antecessoribus Virdunensium episcopis, fundatoribus ecclesie nostræ, inquit, collata sunt, & privilegiis apostolicorum. & imperatorum olim roborata, quæ pace facta recuperare optabat: queriturque de Henrico Virdunensi episcopo, quod bis terque rogatus, ut suo cœnobio ablata pacifice restitueret, nullo modo acquieverit; sed neque Honorio papæ, ad quem Laurentius querelam deposuerat, restitutionem præcipienti obediverit: immo interpellatione & præceptione audita, majorem in eos animositatem sumpsit: ut non solum ablata non restitueret, verum huc usque ab eis possessa modo auferret. Quapropter Albertum archiepiscopum pro salute animæ suæ precatur subvenire fratribus, nunc pro malis patriæ, nunc terræ continua sterilitate ad tantam inopiam redactis, ut etiam panem vix cum discrimine ecclesie nostræ, inquit, habeamus. Quid inde sequutum sit, anno sequenti videbimus.]

LVI.
Stamedii & Caladiæ abbatie conditæ.
c lib. 74. n. 21.
* in Caladiæ.

Antequam res hujus anni finiamus, de quibusdam monasteriis Ordinis Cisterciensis tunc constructis agendum. Unum est Stamedium in diocesi Tarentasiensi a Petro archiepiscopo conditum, ut superius^e diximus. Alterum diocesis Virdunensis, Caladia^{*} nomine, quod non serius hoc anno conditum fuisse constat, ni-

ANN. CHR.
1128.

mirum Henrico adhuc Virdunensi episcopo, qui anno sequenti in concilio Catalaunensi depositus est a Matthæo episcopo Albanensi & apostolicæ sedis legato. Ad hunc locum monachorum colonia deducta a Guidone Trium-fontium abbate, quem Henrico episcopo Bernardus commendat^a his verbis. *Præstantiæ vestræ supplicamus, immo vestram fidenter commonemus benevolentiam de loco illo, quem sub tutela vestra, vestro, ut aiunt, hortatu, frater reverendus & coabbas noster dominus Guido de Tribus-fontibus construere suscepit. In illo nobis, quantum nos curatis, ostendite, & quidquid ei feceritis, nobis factum reputate.* Ita Bernardus. Hunc locum primus incolere cœpit Robertus venerabilis S. Vitoni apud Virdunum monachus, qui, referente Laurentio^b de Leodio, cum duobus focis illic vitam solitariam duxit, ecclesiola & quibusdam cellulis ibidem ædificatis. Verum, cum ille ad Belilocenſem ejusdem diocesis præfecturam assumptus fuisset, locus iste a viro nobili ejus nepote, cujus erat, datus est venerabili Guidoni Trium-fontium abbati, Henrico præfule annuente & probante, hortatu Hervei viri nobilis, qui se primorum ejus loci monachorum cœtui adjunxit, exemplo mirabili, nempe uxore dimissa cum unico filio, & laqueo ad collum alligato, a domo sua per duo milliaria illuc seprotraxit. Adeo porro monachorum numerus illic brevi accrevit, ut Laurentio hæc scribente (scribebat autem vivente adhuc Bernardo) sub abbate sanctæ memoriæ Guntero fere trecenti servi Dei illic regno cælorum militarent.

a Bern. ep. 63.

b Spicil. tom. 12. p. 327.

ANN. CHR.
1129.
LVII.
Catalaunens concilium in Henricum Virdunensem.

c Spicil. to. 12. p. 310. & seqq.

EX prædicta Bernardi epistola LXIII. & ex præcedente intelligitur, Henricum episcopum Virdunensem ipsi amicum & familiarem fuisse: sed tamen vir sanctus in concilio Catalaunensi ei auctor fuit, ut episcopatum abdicaret, sicque depositionis maculam evitaret. Istud concilium anno MCXXIX. in purificationem beatae Mariæ Catalauni habitum est, præfidente Matthæo Albanensi episcopo, ad quem Henrici episcopi causæ cognitio remissa fuerat. Rem diserte exponit Laurentius de Leodio in historia^c episcoporum Virdunensium in hunc fere modum. Henrico maxime adversabantur clerici Virdunensis ecclesie, & Laurentius S. Vitoni abbas. Clerici missis Romam legatis, eum apud Honorium papam de incontinentia, simonia & dilapidatione rerum ecclesie accusabant: Laurentius abbas apud Lotharium cæsarem & apostolicæ sedis legatos de eo querebatur, quod quædam suæ ecclesie prædia, tempore discordiæ inter regnum & sacerdotium ab ejus antecessoribus sublata, non restitisset. Honorius illum missis litteris evocat, mandatque ut ablata restituat abbati, suspendens interim eum a divino officio. Ille suspensus quidem existit, sed neutrum mandatum complevit. Mandatum iterat pontifex. Ille sibi timens, Romam muneribus & excusationibus fultus properat, cardinales sibi conciliat. Ubi ante papam in jus stetit, capitula criminalia in eum proferunt accusatores: ille cum suis fautoribus convicia in accusatores regerit: sicque actio in contumeliosa verba desinebat. Honorius ad hæc Laurentium abbatem percontatur: Tu, pater, quid dicis de criminibus episcopo objectis. Et ille: Domine, ait, ego ea non vidi, sed populus clamat. Cum ergo nihil certi luceret, pontifex causam discutiendam Matthæo Albanensi episcopo, suo tunc in Galliis legato, commisit. Matthæus accusatum & accusatores Catalaunum ad sui præsentiam evocavit, ubi Remensem archiepiscopum, multosque alios episcopos & abbates, necnon sapientes ac religiosos viros ad suffragia illius causæ convenire curavit. Henricus, haud dubie causæ diffusus, consuluit Bernardum sanctæ memoriæ abbatem Claræ-vallensem, cujus consiliis, inquit Laurentius de Leodio, regna & ecclesie Galliarum hodieque innituntur. Ille monet, gravissimum esse in vitis violenter præesse. ideoque, si se audiat, priusquam ignominiosa in eum accusatio ad publicam tantorum virorum audientiam veniat, solus omnibus cedat, episcopatum dimittat, ne publicam ignominiam incurrat. Assensit ille Bernardo, baculum reddidit, & episcopatu renuntiavit anno tertio-decimo, ex quo eum de manu cæsaris acceperat. Sed ne tristior abiret, Bernardus a majoribus concilii collectam decem marcarum pro eo exegit. Post hæc Virdunensis clerus, ex præteritis factus cautior, religiosum virum elegit, Ursionem scilicet S. Dionysii apud Remos Ordinis S. Augustini abbatem: at ille pontificalium & sæcularium judiciorum imperitus, tyrannis despectui esse cœpit; tandemque necdum ordinatus, post biennium cessit, seque ab onere episcopali, cui se imparem sentiebat, absolvi postulavit, & obtinuit. Electus demum

ANN. CHR.
1129.

ejus loco Adalbero seu Albero, tum illius ecclesie archidiaconus, filius Arnulfi comitis Chifneiensis, de quo inferius.

LVIII.
Philippi regis
coronatio.

Hoc ipso anno Ludovicus rex regie stirpis & regni securitati antecessorum exemplo providere volens, primogenitum suum Philippum, qui *floridus & amœnus puer* a Sugerio dicitur, Remis a Rainaldo archiepiscopo inungi & coronari curavit. Id factum ipso die pasche XVIII. kal. Maii, in frequenti episcoporum & procerum conventu. Sed non diu hujus rei gaudium tenuit. nam biennio post, cum novus rex equo insidens per urbem Parisiacam incederet, porco ad equi pedes implicito in filices sub equo projectus, equi pondere contritus, sequenti nocte spiritum exhalavit, regio more apud S. Dionysium sepultus. Exstat commune Ludovici & Philippi ejus filii regum diploma pro restitutione monasterii Argentoiensis S. Dionysio facienda, primo datum apud S. Germanum de Pratis in presentia domni Mathæi Albanensis episcopi sancte sedis apostolice legati, & Gaufridi Carnotensis episcopi & aliorum, deinde confirmatum Remis in sollempni curia pasche in unctioe domni Philippi gloriosissimi regis, anno incarnati Verbi MCCCXIX. indictione VII. &c. cui diplomati post ambos reges & Adelaidem reginam subscribunt Rainaldus Remorum archiepiscopus, Wlgrinus Bituricensis archiepiscopus, & novem episcopi, videlicet Haimericus Clarimontensis & nostris, Wilencus Lingonensis, Stephanus Augustodunensis, Harro Trecentis, Simon Noviomensis, Bartholomæus Laudunensis, Stephanus Parisiensis, Goslenus Sueffionensis, & Johannes Aurelianensis: qui omnes novi regis inaugurationi interfuerant.

LIX.
Remensis ab-
bates.

Eodem anno Cisonii in diocesi Tornacensi instituti sunt canonici regulares S. Augustini, Exstant hac de re littere Rainaldi Remorum archiepiscopi, quibus adscripta sunt signa sex abbatum, Odonis S. Remigii, Richardi Molomenis, Ingelranni Altovillarensis, Guillelmi S. Theoderici, Albrici S. Bafoli, & Gilleberti S. Dionysii, qui Ursioni electo Viridunensi successerat.

LX.
Bernardus scri-
bit librum de
gratia.

Guillelmus S. Theoderici abbas, mox laudatus, is est cui S. Bernardus hoc tempore librum suum de gratia & libero arbitrio inscripsit. Hoc quartum videtur ex sancti Doctoris opusculis, quorum primum est de gradibus humilitatis, secundum de diligendo Deo, tertium Apologia ad eundem Guillelmum, præter homilias de laudibus Virginis-matris, quæ post librum de gradibus humilitatis scriptæ videntur. Librum seu libellum, ut ipse vocat, de libero arbitrio recens ediderat Bernardus, cum hoc tempore scriberet ad Haimericum Romanæ ecclesie cancellarium, a quo postulabat ut efficeret apud Honorium papam ne causis ecclesiasticis deinceps implicaretur. In fine ait, Gaufridum Carnutensem episcopum aliqua ex suis opusculis petiisse, quæ Haimericum mitteret: sed non fuit ad manum, inquit, quod vestro dignum crederem studio. Libellum tamen de gratia & libero arbitrio nuper edidi: illum vobis libenter mittam cum vos velle cognovero. Libellus sane totus aureus, Augustini doctrina sic refertus, ut non tam Bernardus in Augustinum, quam Augustinus in Bernardum transfusus videatur. Ita enim Augustini doctrinam imbiberat, Bernardus, ut eam sibi propriam in illo libro reddiderit. Qui in Bernardi operum lectione leviter versati sunt, eum quidem Doctorem pium, devotum, & ad informandos rebus spiritualibus animos maxime idoneum agnoscunt: at qui ejus scripta penitus & diligentius triverunt, eum non minus in rebus theologicis absolutum esse persuasum habent, ut ex hujus de gratia opusculi lectione facile intelligi potest. Ceterum ex eo patet, quanti sanctus Doctor faceret Guillelmum abbatem, cui hoc opusculum examinandum mittit. Vereor autem, inquit, ne aut grandia minus digne locutus inveniar; aut pertractata a pluribus superfluo retraxerim. Proinde illud legite primus, & si judicatis, solus: ne, si proferatur in medium, magis forte scriptoris publicetur temeritas, quam lectoris ædificetur caritas. Illius scriptio occasionem ait notam esse Guillelmo, eamque opusculi initio insinuat.

LXI.
Epistola ad
Henricum Se-
nonensem ar-
chiepiscop.

Eodem tempore scripta est epistola ad Henricum archiepiscopum Senonensem: cui recens ab aulica vita ad ecclesiasticas leges converso salutaria dat monita, quibus in arrepto proposito confirmaretur. Hæc epistola inter opuscula merito relata est. Ubi primum ad severiores leges se convertit Henricus, nescio quo pacto incidit in offensam regis, alias piissimi, & ab eo persecutionem passus est: at longe graviolem Stephanus Parisiorum episcopus, cujus bona proscripta sunt a regis ministris. qua de re complures ad Honorium papam epistolas scripsit Bernardus. Hinc

ANN. CHR.
1129.
a id. ep. 46.

regis terra interdicto supposita: sed illud Honorius inconsultis illis episcopis relaxavit. Graves hac de re ad pontificem litteras a scripsit Bernardus in hæc verba. *Lacrymabilem episcoporum, immo totius ecclesie querimoniam, nos quoque ejus filii, si tamen digni, dissimulare non possumus. Quæ vidimus loquimur. Magna siquidem nos necessitas de claustris ad publicum traxit, ubi & quod loquimur vidimus. Tristes vidimus, tristes & loquimur: honorem ecclesie Honorii tempore non minime lasum. Jam regis flexerat iram humilitas, vel potius constantia episcoporum: cum ecce a summo pontifice summa superveniens auctoritas, heu! deiecit constantiam, superbiam statuit. Scimus quidem id a vobis per mendacium fuisse subroptum, (quod ex vestris litteris palam datur adverti) ut everti tam justum, tamque necessarium interdictum juberetis. Sed numquid non vel tandem deprehensio mendacio, mentitam se sentiet iniquitas sibi, & non tanta utique majestati? Est autem quod miramur, quam ratione judicatum sit de parte, adjudicatum absenti. Quod quidem non temeraria presumptione reprehendimus, sed filiali amore paterno cordi suggerimus, &c. Eadem apertius inculcat in epistola sequente ad eundem nomine Gaufridi episcopi Carnotensis.*

Non tulit æquo animo hanc dicendi libertatem pontifex, sed Haimericum cancellario injunxit, ut acriter eam reprimeret, ne deinceps Bernardus talibus se ingereret. Verum nec si fracta ejus constantia, immo novos ex hoc animos accipere visa est. Testis ejusdem ad ipsum Haimericum epistola, quæ sic incipit. *Etiame ne pauperi & inopi veritas odium parit, & ne ipsa quidem miseria declinare invidiam potest? Querat an glorietur, quod factus sum ipse inimicus vera dicens? Tum percurrit capita, de quibus argui poterat, sic alloquens cardinales. Quid in me, o boni viri, displicuit fraternitati vestra? Virumne quod apud Catalaunum amotus est a villicatione sibi credita homo usquequaque diffamatus, quia in ecclesia Viridunensi, cui præfuerat, dissipasset bona Domini sui? An quod in urbe Cameracensi monasterii sui manifestus destructor Fulbertus cedere compulsus est Parvino, qui omnium testimonio fidelis est servus & prudens? An certe quod Lauduni de prostibulo Veneris suum Deo sanctuarium restitutum est? Propter quod horum me, non dico lapidatis, sed laceratis, ut minus aliquid recipiam a domino meo? Et hoc merito atque cum omni gloria responderem, si quid in eis mecum cognoscerem. Nunc autem ut quid judicor ego de factis alienis? aut si meis, cur tamquam de malis? cum cuncta hæc juste atque præclare gesta fuisse nulla imprudentia dubitare, nulla negare impudentia possit... At ego nec indignis vituperationibus moveor, nec indebitas recipio laudes: nil mea refert de his, quorum auctor non existit. Laudent, si volunt; vel vituperent, si audent, de primo quidem dominum Albanensem; de secundo vero dominum Remensem: porro de tertio eundem aequè archiepiscopum simul & episcopum Laudunensem cum rege pariter & multis aliis reverendis personis, qui se utique auctores in his & principes existisse minime dissentent... An tota & sola culpa mea est, quod affui? ... affui enim negare non possum, sed vocatus, sed tractus. Gaudeo nempe, quod & vestra prudentia nostram in talibus occupationem displicere cognovi. Et quidem justissime & amicissime. Age ergo, si ita vultis, immo quia sic cernitis ac decernitis, & amico expedire, & monacho convenire: date queso operam, quatenus una utriusque voluntas citius impleatur, quo & vobis videlicet satisfiat ad justitiam, & mihi ad salutem animæ consulatur. Indicatur, si placet, clamoris & importunitatis de cavernis non egredi, sed suis contentas esse paludibus. Non audiantur in conciliis, in palatiis non inveniantur: ad causas, ad negotia, nulla necessitas, nulla trahere possit auctoritas. Sic forsitan vester posset amicus declinare presumptionis notam. nam noxam unde contrahere potuerim, ignoro: cum sciam mihi consilium esse & propositum, numquam (si causa dumtaxat nostri Ordinis non fuerit) exire de monasterio, nisi aut apostolica sedis legato, aut certe proprio vocante episcopo: quibus nostra humilitati, sicut optime nostris, contradicere omnino fas non est, nisi ex quocumque superioris auctoritatis privilegio. Hæc fufius referre visum est, ut & Bernardi animus intimius cognoscatur, & quæ in hac epistola referuntur, præcedentibus & subsequenter afferant lucem. Quod ait de rejeeto Fulberto e Cameracensi monasterio, id intelligendum de monasterio S. Sepulcri illius urbis, ex quo Fulbertus ob dilapidationem amotus fuit, suffectusque Parvino, S. Vincentii apud Laudunum monachus, qui omnium testimonio, testante Bernardo, fidelis servus & prudens in illa administratione probatus erat.*

Objurgatus ab
Haimericum se
purgat Bernar-
dus.

Quod Lauduni de monasterio sancti Johannis anno superiore, id apud Argen-

LXII.
Argentoilensis

ANN. CHR. 1129. ^a *Chefn. to. 4. p. 333.* ^b *Doublet p. 736.* ^c *Antiq. de Paris p. 1080.* ^d *V. lib. 24. n. 17.*

toilum quoque hoc anno factum est, ubi monachæ ob solutiorem vivendi rationem expulsa sunt, & locus S. Dionysii monachis restitutus. Jam ab ipsis primordiis suberat Argentoilensis abbatia monasterio S. Dionysii, condita pro sanctimonialibus, quarum abbatissa S. Dionysii abbati parebat, tamdiuque paruit, donec hic jure suo cedere hac occasione compulsus est. Cum enim Carolus Magnus filiam suam Theodradam, quæ abjecta seculari pompa Deo sub habitu monastico militabat, abbatissam sanctimonialibus præficere vellet; Argentoilense parthenium *ab abbate & fratribus* S. Dionysii obtinuit, eo tamen pacto ut post mortem Theodradæ in usum ecclesie sancti Dionysii reverteretur. Ita Sugerius, ^a qui chartam ejus foundationis se crebro manibus tractasse scribit, cum antiquas armarii chartas revolveret adolescens, qua in charta legebatur, Hermenricum & conjugem ejus Nummam illius monasterii fundatores esse, & illic a tempore Pippini regis beati Dionysii abbatiam exstitisse. Amissa est hæc Hermenrici & Nummæ charta, cujus autographum nec Sugerius ipse vidisse videtur, sed ejusdem dumtaxat mentionem factam in aliquo Pippini diplomate. Sed in eo fallitur, aliisque errandi ansam præbuit, quod Argentoilensis seu Argentoilensis monasterii originem ad principatum Pippini regis revocare videatur. Nam ex diplomate Ludovici & Lotharii augustorum, apud Dubletum ^b relato, illud antiquius esse constat. Testantur quippe iidem imperatores, Hilduinum S. Dionysii abbatem sibi relegendam obtulisse donationem cujusdam Deum rimentis ac religiosi hominis Hermenrici & conjugis suæ Nummæ, qui prædictum monasterium in suo proprio construxerant, & id per testamenti paginam beati Dionysii martyris Christi monasterio solemniter donatione contulerant; necnon & præceptum confirmationis H. Lotharii quondam regis, quod de eadem donatione conscribi iusserat. Id autem de Clothario tertio haud dubie intelligendum, idque suadent privilegia alia duo authentica, quæ inter chartas rejectaneas temere conjuncta, nuper Argentogili a clarissimo & doctissimo abbate Claudio Fleury, ejusdem monasterii priore, inventa, ab eodem communicata sunt. Alterum est Childeberti tertii Francorum regis, quod Jacobus Brolius ^c testatur sibi a Jacobo Fouyn, tunc ejus loci priore ostensum fuisse. Eo Childebertus silvam quamdam, quæ vocatur Cormoletus, super fluvium Sequanæ in pago Parisiaco, *monasterio sanctæ Mariæ, sancti Petri & Pauli, vel ceterorum sanctorum, qui est constructus in villa Argentoiolo, ubi præest in Christo domino sacrata Leudesinda abbas, pro consolatione ancillarum Dei inibi residentium, plena & integra gratia concedit. Wisolæcus jussus optolit. Datum quod sicut mensis Aprilis dies tertia, anno tertio regni nostri, Compendio, in Dei nomine feliciter.* Alterum est Carolomanni regis Francorum, fratris Caroli Magni, cui cum suggestisset in Christo domino sacrata Ailina seu Ailina, abbatissa de monasterio de Argentoiolo, quod antecessores sui quondam reges per eorum auctoritatem, ipso manu roboratam, omnem immunitatem ecclesie Argentoiolensis & villis ejus concessissent, ipsaque præceptiones antecessorum regum præ manibus habere se affirmasset Ailina, obtulissetque relegendas; easdem confirmavit Carolomannus. subscribit post regem Maginarius. *Data in mense Novembri anno secundo regni nostri. Actum Pontione palatio publico, in Dei nomen feliciter.* Utrumque diploma reperies in Appendice. Nullum proinde dubium est, monasterium Argentoilense paullo post medium sæculum septimum conditum fuisse. De eo etiam mentionem fecit Pippinus in extremo suo diplomate, quo S. Dionysio confert silvam ^d Aquilinam, iis tamen exceptis, quæ jam aliis ecclesiis prius contulerat, in his ad sanctam Mariam Argentoilensis monasterii.

Post hæc filius ejus Carolus hunc locum filia suæ Theodradæ tum monachæ ad vitam ejusque sociabus virginibus, dari petiit, pollicitus, illud postmodum S. Dionysio restitutum iri; idque Ludovicus augustus litteris suis præceperat: at executio dilata usque ad tempus Sugerii abbatis, qui ait *turbatione regni, nempe filiorum Ludovici Pii altercatione, id perfici non potuisse.* Unde cum antecessores nostri, inquit, *sapientius super hoc laborantes, parum profecissent, communicato cum fratribus nostris consilio, nuntios nostros & cartas antiquas foundationis & donationis, & confirmationum privilegia bona memoria papæ Honorio Romam delegavimus, postulantes, ut justitiam nostram canonico investigaret & restitueret scrutinio. Qui, ut erat vir consilii & justitiae tutor, tam pro nostra justitia, quam pro enormitate monacharum ibidem male viventium, eundem nobis locum cum appendiciis suis, ut reformaretur ibi religionis ordo, restituit. Rex*

ANN. CHR. 1129. ^{LXIII.} ^{LXIV.}

vero Ludovicus-Philippi, carissimus dominus & amicus noster, eandem restitutionem confirmavit, & quacumque regalia ibidem habebat, auctoritate regia Majestatis ecclesie præcepto firmavit. Hactenus Sugerius in libello de rebus in administratione sua gestis capite III. ubi capite sequenti rex Francorum Philippus-Ludovici rursus appellatur. Exstat in probationibus historiae S. Dionysii auctore nostro Michaelae Felibien commune hac de re diploma ipsius Ludovici & Philippi ejus filii, recens in regem consecrati, qui hanc restitutionem confirmarunt.

Erat tunc ejus loci præposita Heloyfa seu Heloissa, Petri Abaelardi quondam conjux, quæ illinc exire coacta, cum aliquot e suis se recepit ad Paraclitense oratorium, quod Abaelardus nuper extruxerat, & Ruyensis abbas factus deseruerat. Hic cum Heloyfam ejusque socias Argentoiolo expulsas, & diversis locis exsules esse rescivisset, eam cum quibusdam aliis, de eadem congregatione ipsi adherentibus, ad prædictum oratorium invitavit; eisque ipsum oratorium cum omnibus ad illud pertinentibus donavit: quam donationem, assensu atque interventu episcopi terræ, videlicet Attonis Trecentis, papa Innocentius secundus ipsis & earum sequacibus per privilegium in perpetuum corroboravit, ut tradit Abaelardus ipse in epistola seu libello calamitatum suarum. Legimus ipsius Innocentii papæ authenticum diploma, inscriptum, *Dilectis in Christo filiabus Heloyfa priorissa, ceterisque sororibus in oratorio sanctæ Trinitatis, quod in pago Trecenti, in parochia Quinceii super fluvium Arducionem situm est:* quo diplomate pontifex monasterium sanctæ Trinitatis, in quo divino vacabant officio, sub apostolica sedis protectionem suscipit, ejusque possessiones, tam præsentibus quam futuris, confirmat, & laborum suorum decimas eis concedit, eo pacto ut sex nummos quotannis Lateranensi palatio persolvant. *Datum Autisiodori per manum Aimerici S. R. E. cardinalis-cancellarii, IV. kal. Decembris, indictione X. incarnationis dominica anno MCXXXI. pontificatus domini Innocentii papæ II. anno II. at in alio diplomate, quod eidem Heloyfa jam abbatissa anno MCXXXVI. idem pontifex Pisis indulget, unum tantum obolum exigit.* Eidem Heloyfa (sic enim perpetuo scribitur) Lucius II. Eugenius III. Anastasius III. & Hadrianus IV. consimilia privilegia concesserunt. Hadriani IV. diploma datum est Laterani per manum Alberti S. Adriani diaconi cardinalis, vices Rolandi S. R. E. presbyteri cardinalis cancellarii gerentis, *kalendis Decembris, indictione VI. incarnationis dominica anno MCLVII. pontificatus vero domini Adriani papæ IV. anno tertio.* Ex quo intelligitur, Heloyfam annis fere triginta, & forte amplius, Paraclitensi parthenoni præfuisse. Illic primum in magna penuria vivere Heloyfa, ejusque affecta: sed eas brevi consolatus est Deus, qui se eis verum exhibuit Paraclitum, ut loquitur Abaelardus, & circumadjacentes populos eis propitios fecit. *Tantam autem gratiam, ait ille, in oculis omnium illi sorori nostræ, quæ ceteris præerat, Dominus annuit, ut eam episcopi quasi filiam, abbates quasi sororem, laici quasi matrem diligenter; & omnes pariter ejus religionem, prudentiam, & in omnibus incomparabilem patientiam mansuetudinem admirabantur.* Cum autem subinde ad eas ventitaret Abaelardus, sinistra de eo rumores denuo sparsi sunt, quos ille opposito mutilationis suæ statu refellit. Hic desinit libellus calamitatum suarum, in cujus fine malos Ruyensium monachorum mores & persecutiones, quas ab eis passus est, iterum describit.

Ejusdem Heloyfae tempore quædam alia monasteria ex Paraclitensi orta sunt, ex quibus Ordo Paraclitensis conflatus est. Unum erat Pomereiense, * translatum ad suburbium Senonense, sed modo Paraclitensi Ordini subtractum, cujus loci prima abbatissa Gertrudis in Paraclitensi necrologio notatur pridie idus Septembris. Alterum est S. Magdalena de Triangulo, * primo Milidunum, dein Parisios translatum, cujus fundator Gundricus sacerdos IV. idus Decembris in necrologio laudatur. Tertium est Nonfortense apud Meldas: quartum S. Thomæ de Lavelle Latiniacum translatum: quintum Paraclitense apud Ambianos, non ita pridem ad urbem translatum a loco Paracliti dicto, qui duabus ab ipsa urbe leucis abest, ubi etiam nunc regularia ædificia superfunt.

Etsi regulam S. Benedicti professæ sint initio Paraclitenses monachæ, peculiarem tamen eis regulam horatu & impulsu Heloyfae scripsit Abaelardus, in qua est quædam haud probanda occurrant, non pauca tamen observatu haud indigna continentur. Totam religionis monasticæ summam in tribus consistere ait ille, ut videlicet continenter, & sine proprietate vivatur, ac silentio maxime studeatur. Ad hæc

LXIII. Heloyfa cum suis ad Paraclitense oratorium se recipit.

* P. Arduçon.

LXIV. Ordo & regula Paraclitensis. * In Pommeraye.

* De Trainel.

ANN. CHR.
1129.

tria capita totam suam redigit regulam, in qua beati patris Benedicti Regulam sæpe laudat. Septem personas ad monasterii administrationem necessarias esse dicit; portariam scilicet, cellerariam, vestiariam, infirmariam, cantricem, sacristam, & diaconissam, *quam nunc*, inquit, *abbatissam nominant*. His omnibus sua officia assignat. Ad cantricem pertinet oratorii cura, in quo nihil esse vult ex auro vel argento compositum, præter unum calicem argenteum, vel plures si necesse sit. Nulla de serico ornamenta, præter stolas aut phanones. Nulla in eo sint imagines sculptæ: tantum crux lignea erigatur ad altare, in qua poterit Salvatoris imago depingi. Nullas alias imagines altaria habeant. (Et tamen in illo monasterio visitur, ut superius dictum est, sculpta ex uno lapide figura sanctæ Trinitatis.) Campanæ duæ monasterio sufficiant. De officio divino summa cura. Media nocte surgendum ad vigiliis nocturnas. Post primam capitulum, in quo martyrologium legatur. Capitulo succedat labor. Post tertiam missa, *ad quam celebrandam unus ex monachis sacerdos hebdomadarius instituitur*. Si quæ sorores communicare voluerint; senior sacerdos post missam eis communionem præbeat. Ter minimum in anno totus conventus communicet, id est in pascha, pentecoste & natali Domini. Tertio ante communionem die ad confessionem & congruam satisfactionem omnes accedant. Post missam iterum labor usque ad sextam. Post sextam prandendum, nisi jejuniu fuerit. *Tunc enim nova expectanda est, & in quadragesima etiam vespera*. Post completorium accuratum silentium.

Ad victum quod attinet, usum carniu & vini sororibus indulget, nihil in alimentis nisi superfluitatem interdicens: sed tamen esus carniu semel tantum in die concessus, nec plusquam ter in hebdomada, prima videlicet feria, tertia & quinta. Infirmitas sola feria sexta excepta cum præcipuis vigiliis ac jejuniis. Infirmitas vero saltem dominico die communicent. De jejuniis generalis institutio ecclesiæ sufficiat. Ab æquinoxio tamen autumnali usque ad pascha, propter dierum brevitatem, una in die comestio sufficiat. Nec in victu tantum & vestitu superflua refecanda, verum & in ædificiis & quibuslibet possessionibus. Hæc in specimen illius regulæ sufficiant, ob quam Abaelardus a Paraclitensibus *magister* etiam nunc appellatur. Unde Heloyfa ad ipsum: *Tu quippe post Deum hujus loci fundator, ne per Deum nostræ congregationis es plantator: tu cum Deo nostræ religionis institutor, & in necrologio xi. kal. Maii: Anniversarium magistri nostri Patris Abaelardi, loci hujus fundatoris, nostræ religionis institutoris*. Quam ob rem ille vivens ab eis petierat, ut post singulas horas divini officii oratio pro se fieret, qui eas illic aggregaverat; & ut post mortem ejus corpus in earum cœmeterio sepeliretur. Ut de his tandem dicendi finem faciam, fatendum est Heloyfam non statim post egressum ex Argentoilo mores & animum omnino mutasse, & Abaelardum in suis ad eam epistolis cautiorem & religiosiorem fuisse. Nemo a me expectet, ut illarum epistolarum memoriam refricem, in quibus Heloyfa sui animi statum describit. Obiit illa circiter annum MCLX. & quidem xvii. kal. Junii, quo die in necrologio de ea sic legitur: *Mater nostræ religionis Heloyfa, prima abbatissa, documentis & religione clarissima, spem bonam ejus, nobis vita donante, feliciter migravit ad Dominum*. Herfendis ejus mater notatur kalendis Decembris. Sub ea priorissa fuit Agnes, *neptis magistri nostri Petri*, ut de ea legitur pridie kal. Martii: & pridie nonas Decembris, *Dionysia magistri nostri Petri germana*. De his satis, sed de Abaelardo necdum satis. nam de eo sapius dicendi occasio recurret.

LXV. Non omnes Argentoili sanctimonialia ad Paraclitense oratorium cum Heloyfa se receperunt, sed aliæ in diversis locis exsules dispersæ sunt, ut Abaelardus diserte testatur. Ex his non paucæ ad locum quemdam pagi Parisiensis, qui Mala-noa vulgo appellatur, se receperunt, sex leucis positum supra Luteciam inter Sequanam & Matronam, sed propius Matronam. An eo loci monasterium existerit ante illarum sanctimonialium illuc secessum; an Argentoilensis monasterii prædium fuerit, ubi illæ monasticas ædes extruxerint, non ita exploratum. Priorem sententiam præferunt recentiores, sed tribus tantum aut quatuor annis anteponunt monasterii constructionem, quam Ludovico VI. Francorum regi tribuunt. Ut ut sit, substitere illic prædictæ sanctimonialia, quibus Alexander III. apostolica sedis protectionem & liberam eligendæ abbatissæ facultatem impertit. Variis nominibus afficitur hoc monasterium, passim beatæ Mariæ de Bosco seu de Nemore, beatæ Mariæ de Footel, recentius

LXV. Mala-noæ monasterii origo.
* Mala-noæ.

ANN. CHR.
1129.

recentius de Malanoda nuncupatum. Quenam fuerint primæ illius loci abbatissæ erui non potest ex antiquis monumentis, quorum pleraque perierunt. Nullum superest antiquius litteris Theobaldi abbatis & conventus Fossatenis, anno MCLXXI. datis, quibus ecclesiæ beatæ Mariæ de Nemore & sanctimonialibus ipsius loci conferuntur *annuales præbendas fratrum suorum morientium*, ea ratione, *quod pro unaquaque præbenda singulorum fratrum quinque sextarios frumenti, quatuor modios vini, & tres minas fabæ, ac decem solidos Parisiensium pro generali infra mensem, quo quisque frater obierit, a Fossatenibus recipient*. Iidem eodem anno prædictis sanctimonialibus, *intuitu pietatis & sola causa amoris Christi*, quidquid habebant in silva Manufirmæ sub annuo censu conferunt. Iisdem sanctimonialibus Philippus-Augustus *decimam totius panis & vini*, quod expenderet dum apud Montem Leheriacum* versaretur, in perpetuum elemosynam donavit. *Actum apud Fontem Blaaudi anno incarnati Verbi MCLXXXIV. regni sui v.* Processu temporis eadem sanctimonialia a monasterio S. Dionysii repetierunt quasdam possessiones Argentoilensis prioratus quas sibi deberi contendebant, tandemque, post varias hac de re lites, Henricus abbas & conventus S. Dionysii prædictis monialibus assignarunt in terris apud Trembleium sitis decimam, quæ singulis annis valeat decem libras, & alia quædam expressa in litteris anno MCCVII. datis. Ex quibus intelligitur, non paucas Argentoilensis cellæ sanctimonialia illuc se recepisse. Inter primas ejus loci abbatissas occurrit anno MCCXI. Odolina: cui post annos novem successerat Helvidis. Hujus tempore Kalenses sanctimonialia domna Petronilla abbatissa & conventus, earumdem sanctimonialium inopiæ compatientes, annuale fororum suarum decedentium liberaliter concesserunt. In proxima S. Nicolai capella olim erant *Redditi*, ut vocabant, seu oblata, qui in habitu regulari exteriora procurabant: qualis fuit quidam Rogerus de S. Dionysio, qui in manu Guillelmi Parisiensis episcopi anno MCCV. votum religionis emisit. Hoc monasterium beatæ Mariæ de Nemore ad strictiorem normam cum aliis ejusdem diocesis partheniis reformavit Stephanus Poncherius: cujus institutio etiam nunc viget.

Haud ita procul a Paraclitensi, de quo mox egimus, monasterio condita est sub hunc annum abbatia Vallis-lucensis* Cisterciensis Ordinis in diocesi Senonensi. Ejus primarius auctor fuit Artaldus Prulliacensis in eadem diocesi abbas, qui ab Anfello de Triangulo* locum, qui Vallis-lucens vocatur, ad construendum sui instituti monasterium impetravit. Hujusce donationis litteræ ante biennium datæ sunt: at monasterii constructio ad hunc annum a monacho Autisiodorensi, aliisque passim refertur. Milo de Nogento, vir illustris, fratribus in Valle-lucense Domino servientibus concessit, quidquid in ipsius ditone acquirere poterant, *postulante hoc domno Artaldo Prulliacensium abbate primo, ejusdemque Vallis-lucensis fundatore*. Testes inter alios Ansellus de Triangulo & Warinus frater ejus. E Prulliaci istuc deducta colonia duodecim monachorum, quibus præfectus Norpaldus seu Norpaldus, ejus loci primus abbas. Hic quoddam pactum iniiit cum Heloyfa Paraclitensi abbatissa, de qua mox actum est. Legimus in archivo Vallis-lucensis authenticum *Chirographum*, ut tum vocabant, quo innotescit, quod *inter monachos Vallis-lucensis & milites Templi de Colatorio* per manum Bernardi Clare-vallis abbatis facta est hæc compositio, quod milites Templi quidquid habebant in territorio de Cirilli a divisione, quæ est inter grangiam ipsorum militum & grangiam monachorum totum monachis concesserunt: monachi vero Vallis-lucensis concesserunt militibus Templi quidquid habebant a prædicta divisione usque ad ripam Venneæ, &c. Laudavit Norpaldus abbas Vallis-lucensis, & frater Everardus magister fratrum de Templo, qui in Francia sunt. Et ut firmum permaneat, utriusque sigillo firmatum est cum sigillo abbatis Clare-vallis. Laudavit hoc etiam frater Humfredus magister Colatorii*. Huic chirographo appensa sunt tria hæc sigilla, hæcenus integerrima: ex quibus sigillum Bernardi abbatis exhibet ejus effigiem, manum protensam tenentis cum baculo pastorali sub hac inscriptione: **+ SIGNUM ABBATIS CLAREVALLIS**. In hoc chirographo fit mentio *Cirilli*, qui locus Valli-lucenti vicinus est, cardinalis Berulli ortu insignis.

Hoc eodem anno Urst-campi monasterium, agri Noviomensis, filia Clare-vallis conditur a Simone episcopo, regis stirpis viro, utpote filio Hugonis-Magni comitis Viromandensis. Situs est hic locus infra urbem Noviomum, ubi sancti Eligii ecclesiam & monasterium antiquitus fuisse tradit b Simon episcopus, a quo locus in silva Esge* positus dicitur, & *Urscampus* vocatur. Hoc vocabulum

LXVI. Vallis-lucensis & Urst-campi monasteria conduntur.
* Vauluisant.
* de Tramel.
a Gall. Christ. 10. 4. p. 396.

* de Colours.

b ibid. p. 360.
* la forest de Esge.

ANN. CHR.
1129.

loco inditum ferunt ab urso, qui illic latitabat. Verum locus iste haud dubie antiquitus Urſi-campus non vocabatur, sed *Urbs-campus*, quo nomine insignitur in actis concilii Noviomensis anno primo Ludovici Pii celebrati, in quo fines dioeceseon Noviomensis & Suesſionis diſterminantur, & Noviomensi assignantur trans *Isaram Varinnæ, Urbs-campus, &c.* Primus Urſi-campi abbas fuit Walerannus, Andree de Baldemento & Agnetis de Brana filius, superius ^a laudatus; cui successit Herveus de Balgentiaco, Simonis episcopi ex Mathilde sorore nepos, Radulfi de Balgentiaco * ad Ligerim filius, quem adhuc puerum S. Bernardus, cum Noviomini in domo Simonis episcopi hospiraretur, monachum fore in somnis cælitus prævidit. Eiusdem Bernardi pedum vestigia filici impressa visuntur in via strata quæ Urſicampum ducit. Inter alios ejus loci insignes abbates censendus est Odo abbas sextus, factus postmodum cardinalis, qui S. Ludovicum Francorum regem in expeditione Jerosolymitana comitatus est.

LXVII.
Bernardus
Molifmensis
bus favet.

Aderat hoc anno S. Bernardus in castro Montis-barri ad Sequanam, cum Bernardus ejusdem castri dominus, filius domni Rainardi, & soror ejus, quæ comitissa vocabatur, necnon Raynardus ejusdem comitissæ maritus, atque Andreas prædicti Bernardi *avunculus, interventu domni Bernardi abbatis Clara-vallis & fratris ejus Girardi atque Nivardi*, donationem seu venditionem Pauliaci, quam Milo de Monte-barro, prædicti Raynardi frater fecerat, laudarunt & confirmarunt, & Molifmensis ecclesiæ spontanea voluntate asseruerunt. Testes Bernardus abbas, ejusque fratres Girardus ac Nivardus monachi, atque Godefridus monachus, & alii. *Acta sunt hæc apud castrum de Monte-barro anno ab incarnatione Domini MCXXXIX. tempore domni Guidonis secundi Molifmensis cænobii abbatis.* Omnes illi Montis-barri domini consanguinei erant ex materna parte S. Bernardi, ut alias ^b jam diximus. Exstant duæ ipsius Bernardi epistolæ ^c in gratiam Molifmensium hoc tempore scriptæ ad Henricum archiepiscopum Lugdunensem super ecclesia Senoina, * quæ juris erat abbatiæ Molifmensis. Aliam ad Guidonem abbatem epistolam scripsit vir sanctus, scilicet octogesimo, qua eum de quadam adversitate & injuria consolatur, monetque, ut in facta sibi injuria misericordiam judicio superexaltet, ne suam ipsius magis ulcisci injuriam, quam fontium culpam ferire videatur.

LXVIII.
Molifmensis
abbates.

Triennio tantum supervixit Guido abbas, mortuus nonis Maii anno MCXXXII. cujus successor Aderaldus seu Evardus monasterii possessionum confirmationem ab Innocentio II. adeptus est. Huic post annos octo regiminis successit Girardus, seu Giraudus, de quo plura in consequentibus.

LXIX.
S. Benigni monachorum causa contra Luxovienses finita.
d lib. 74. n. 153.
c Perard. p. 224.

Optime quoque in Divionenses S. Benigni monachos affectus erat Bernardus, ut pater ex ejus epistolis ad Honorium papam & alios, superius ^d memoratis in eorum causa contra Luxovienses, qui eis litem super quibusdam ecclesiis intentaverant. Cum hæc controversia diutius protracta fuisset, tandem ejus judicium præcepto Honorii papæ ^e Stephano Viennensi archiepiscopo, sedisque apostolicæ legato, necnon Pontio Belesiensis episcopo & *Ambronienſi abbati domno Ysmioni, viro eruditissimo*, commissum fuit, & in magna episcoporum, abbatum & religiosorum virorum frequentia lis demum finita. Itaque condicito tempore ad generale colloquium ventum est, tumque præſidente supradicto Stephano Viennensi archiepiscopo adstante abbate Ysmione, ac domino Ylione Lugdunensi in locum Belesiensis episcopi, qui propter infirmitatem adesse non potuerat, substituto, recensentis expensisque omnibus, quæ ad causam pertinebant, tandem utriusque partis consensu decretum est, ut Luxovienses Clari-montis cellam cum suis appendicibus possiderent. His litteris apposta sunt signa Stephani Viennæ archiepiscopi, Guilenci Lingonensis & Gualterii Cabilonensis episcoporum. Subscribunt quoque Aldo abbas S. Eugendi, Aymo abbas S. Andree, scilicet Viennensis, Guibertus prior Divionis, Guido, Pontius & Beraldus monachi. Actum anno ab incarnatione MCXXXIX. *Luxovii in generali capitulo lectum & recitatum, laudantibus cunctis & consentientibus, in præſentia domni Hugonis reverendissimi abbatis;* cujus signum appositum est, uti & Stephani monachi & præpositi, & aliorum. Nulla hic mentio de Petro S. Benigni abbate, qui tunc forte ad S. Jacobum ^f cum Hugone Burgundiæ duce profectus erat.

§ V. lib. 74. n. 17.
LXX.
S. Sequani &

Haud absimilis controversia inter S. Sequani monachos & canonicos S. Stephani Divionensis ecclesiæ de duabus ecclesiis tunc vertebatur: Wilencus seu Gui-

ANN. CHR.
1129.
canonicorum
S. Stephani
finita.
a Perard p. 102.
& seq.

lencus a canonicis interpellatus diem partibus assignavit. Convenere utriusque loci ^a Herbertus S. Stephani, & Herbertus S. Sequani abbates. Canonici scriptum proferebant in sua causâ patrocinium; monachi possessionem tricennem opponerant, sed eam canonici infirmare nitebantur, asserentes, se monachos sæpe ad jus appellasse, sed eos subterfugisse. Wilenco adstantibus Galterius Cabilonensis episcopus & *reverendus abbas Girardus Besuensis*, nec non Ayrardus Lingonensis ecclesiæ decanus cum duobus archidiaconis. Discussis partium rationibus, ecclesiæ duæ canonicis adjudicatæ sunt, si possessionem tricennem legitime infirmare possent. Die igitur apud Divionem constituta, adfuere canonici implere quod promiserant parati: at monachi judicium declinaverunt. Itaque *judicio & consilio prædicti Cabilonensis episcopi, simulque abbatum religiosorum, qui & præſentes tunc forte fuerunt, Cisterciensis, Besuensis, Clarevallis*, canonicos de prædictis ecclesiis Wilencus episcopus investivit. Acta sunt hæc ipso anno MCXXXIX. Querelam hac de re detulit Herbertus S. Sequani abbas ad Raynaudum Lugdunensem archiepiscopum, qui Wilenci sententiam confirmavit. Verum nec sic quiescere monachi, sed ad Romanum pontificem appellarunt, scilicet Innocentium II. qui causam Stephano *Cistellensi* & Bernardo Clara-vallensi primum, dein soli Stephano terminandam commisit. Hanc diremit Stephanus: at monachi rebelles, quamdam S. Stephani villam invadentes, vasa vinaria frangunt, pecora abducunt, omnia denique diripiunt. qua de re Innocentius litteras scripsit Hugoni Burgundiæ duci, cujus favore hæc perpetrata dicebantur. Piget alios monachorum actus persequi, qui ob contumaciam biennio excommunicati perstitisse dicuntur, sed tandem Stephani & Bernardi abbatum judicio, Hugonis ducis jussu acquievisse.

Esti ejusmodi litibus recensendis forte lectori tedium afferamus; tamen eas omnino præterire non sinunt historiæ leges: tum quia rebus aliis majoris momenti illustrandis conducunt: tum quia ejusmodi rixarum expositio alios ab his litibus avertere potest, dum illi attenderint, quo sæpe ducat litigandi nimius ardor, ne dicam furor, ut superiori exemplo perspicere potest. Neque tamen lites omnes, si modo justæ sint, & moderate tractentur, damnare est animus, in quibus aliquando constantia opus est, ubi occurrunt adversarii iniqui & perveraces, qui nec humanitate, nec ratione vinci possint. Tales fuere in S. Theoderici monasterium Roccienses comites, qui multas ejus loci monachis vexationes & injurias intulerunt, præsertim super Vidulæ piscatura, quam illi sæpe usurparunt. Exempla superius retulimus Walcherii seu Walterii, & ejus nepotis cognominis, qui, uti & avus ejus, ob id excommunicatus est. Eo post respicientiam absoluto & mortuo, litem nihilominus persecutus est Girardus ejus frater: sed tandem Rainaldus Remorum archiepiscopus, agente Guillemo S. Theoderici abbate, longam hanc controversiam composuit in hunc modum. Sedente archiepiscopo in monte juxta villam *Chalon*, ubi ob oculos aqua controversa ^a posita erat; præſente Bartholomæo episcopo, cujus parochianus erat Girardus, multisque aliis, accessit Girardus qui Jerusalem tum profecturus, & se ab excommunicatione, quam cum fratre incurerat, absolvi petiit confessus se peccasse, quod ^a res illas injuste monachis abstulisset. Id factum præſente Ermengarde uxore fratris ^a sui Walterii, & filio ejus Gervasio, nec contradicente, *septem hominibus legalibus S. Theoderici cum jurejurando hoc derationantibus.* Testes Jorannus S. Nicasi, Ingerrannus Altovillarenſis, Drogo S. Johannis Laudunensis, Lucas Cussiaccensis abbates, omnes Ordinis nostri præter Lucam, qui Præmonstratensis erat. Actum hoc anno, Rainaldi archiepiscopatus quinto. Verum Hugo comes, qui absente Hugone comitatum rexit, nequaquam æquior & moderatior in monachos exstitit, immo nec Girardus ipse Jerosolymis reversus, ut inferius videbimus.

[Cum sacri prohibeant canones ne aliis quam ecclesiæ ministris ecclesiastica tribuantur beneficia, Johannes Briocensis episcopus ecclesias de Ferreria & de Lantigniaco *in pago Porrihocenſi* siras de assensu sui capituli Majoris-monasterii monachis in cella S. Martini de Joffelino constitutis concessit, ratumque habuit quidquid in suo habebant episcopatu, *ecclesiamque S. Mariæ ante castrum, quod vulgo Jugon vocatur*, quam ipse consecraverat, & cimiterium quod sanctificaverat *concedendo monachis B. Martini Majoris-monasterii confirmavit*, assentiente clero suo & Oliverio castri domino, prohibuitque ne in quadrivis ad cruces extra cœmeterium defunctorum corpora sepelirentur. Actum anno ab incarnatione Domini MCXXXIX.

LXXII.
Johannes Briocensis episcopus erga Majoris monasterium munificum se exhibet.

ANN. CHR.
1129.

indictione VII. Subscribunt Johannes episcopus, Judicialis decanus, Hamo archidiaconus, Alexander præcentor, Mauricius nepos episcopi, & alii. Quo etiam anno singulari diplomate confirmavit quidquid Majoris-monasterii monachi in episcopatu suo possidebant, *ecclesiam præsertim, prope Lambaulam in honore S. Martini fundatam, & cimiterium ejusdem ecclesie, burgum quoque, terras, decimas, &c.* Insuper & quidquid datum fuerat prædictæ ecclesie tempore Hamonis & Guillelmi prædecessorum suorum. Eodem tempore Donoaldus Aletensis episcopus *fratribus nostris*, inquit, *monachis S. Martini de Castello Josselini* permisit, ut *S. Mariae ejusdem castri capellanum suum de anno in annum ponant, si ita fieri oportere viderint. Actum anno ab incarnatione Domini MCXXIX. in ecclesia S. Martini de castello Josselini coram his testibus, David archidiacono, Gradilonio capellano, Richardo nepote episcopi, Andrea priore, & Gaufrido vicecomite.*

LXXIII.
Piscatio in Sequana concessa S. Maglorio

[Eodem quo sistimus anno Petrus Parisiensis S. Maglorii monasterii abbas, Ludovicum Francorum regem convenit, ab eoque humiliter petiit, *ut piscationem Sequanae a superiori parte insule S. Mariae usque ad magnum Parisiorum pontem monachis Deo in prædicto cenobio servientibus concederet.* Cujus petitioni piissimus princeps, qui regnum suum tanto sublimius extolli credebatur, quanto humiliter atque clementius erga moderamina ageret ecclesiarum, annuit de assensu Philippi filii sui, ipso anno in regem coronati, qui & privilegio subscripsit cum Ludovico buticulario, Hugone constabulario, Alberto camerario, dapifero nullo. *Data per manum cancellarii anno verbi incarnati MCXXIX. regni vero nostri XXI.*]

LXXIV.
Turbae in Mauriniacensi monasterio.
a Chesa. 10.
b Bern. ep. 78.

Tunc temporis in Mauriniacensi prope Stampas monasterio graves tumultus exorti sunt occasione Veterum Stamparum^a ecclesie, quæ monachis Mauriniacensibus concessa fuerat. Erat tunc in curia regis vir præpotentissimus Stephanus de Garlanda cancellarius, Anselmi dapiferi & Willelmi germanus, idemque major regie domus senescallus. quod retroactis temporibus inauditum, ut homo qui diaconus erat, militiae simul post regem præfectus esset. qua de re Bernardus^b in litteris suis questus est. Hic tantæ erat apud regem auctoritatis, ut ei potius imperare quam servire videretur. Tradita porro nepte sua in conjugium Almarico de Monte-forti, tumefactus oblitusque sui, Adelam reginam frequentibus molestiis sibi infestam reddidit, sicque regi invisus, honore exutus, e curia pulsatur. Hinc veluti quadam arreptus infania, Amalrici fratris auxilio, regnum turbare occipit: sed, cum res ad votum non succederet; ad semetipsum reversus, *Senescalciam*, quam jure hereditario se possidere jactitabat, dimisit, & cum rege Ludovico, simulque cum Philippo ejus filio, qui jam rex unctus erat, interventu reginae in regis gratiam rediit. Is, dum regia in aula floreret, Bosonis Floriacensis abbatis instinctu regi suggestisse dicitur, ecclesias Veterum Stamparum a patre suo, qui apud S. Benedictum sepultus est, nobili illi loco donatas fuisse. Id ubi per Wlgrinum Mauriniacensium amicum rescivit Thomas Mauriniaci abbas, regem adiit, atque se tandem paratum esse ut monachos suos in ecclesias Veterum Stamparum, quod rex tam diu dilatatum fuisse questus erat, statim introduceret. Annuit rex suis verbis illaqueatus, ac demum in ecclesiam S. Martini introducti sunt monachi. Id impatienter ferentes clerici, quia vi monachos expellere non poterant, callidis machinationibus id perficere moliantur. Cum enim apud Remos Ludovicus rex Philippum filium in regem ungi & coronari faceret, & Thomas Mauriniaci abbas cum Hugone S. Martini priore tam celebri conventui adesset, unus ex illis clericis Hugo ecclesie cantor cum quibusdam aliis, falsa criminatione in senem monachum aliosque conficta, in S. Martini monachos seditionem excitat, & in domum monachorum cum promiscua turba irrumpit, actumque videbatur de monachis, ni Henricus Senonum archiepiscopus superveniens, turbam repressisset. Interim apud Pificiacum^{*} a rege placitum habitum est, cui Sugerius abbas S. Dionysii, *qui tunc etiam in aula regia præclarus & optimus causidicus habebatur*, Odo S. Remigii abbas, olim Mauriniaci professor, Hugo quoque S. Germani Parisiensis abbas cum multa procerum turba adfuere. Tunc clerici, qui ob seditionem factam carceri mancipati erant, Thomæ abbatis implorant auxilium, cui recens exitium minabantur. At nihil in illo placito promotum, sed Parisios negotii causa remissa. In his angustiis, Thomas abbatiam abdicasset, nisi Guarini prioris consilio & hortamentis recreatus fuisset ac roboratus.

* Piffi.

ANN. CHR.
1129.
* Eipnon.

Hic Guarinus seu Warinus^{*} Sparnonis opido honestis & nobilibus parentibus oriundus, Thomæ a pueritia & in scholis apud Stampas individuus comes, Alberti Mauriniacensis abbatis confanguineus erat, factusque est ibidem monachus instigante Rogerio priore, qui postmodum in abbatia Columbenfi *monastica religionis clarissima lampas* refulsit. Warini exemplum paulo post secutus est Thomas. Interim Albertus abbatia dimissa ad Columbense monasterium, unde assumtus fuerat, revertens, ambos secum abduxit, & Mauriniacensis capituli assensu inibi professionem religavit. At vero Thomas Mauriniaci electus abbas, illum suum unanimem focium secum reduxit. Erat Warinus optimis moribus præditus, castimoniam & sobrietatis eximia, verbis & incessu gravis, omnibus denique bene vivendi exemplar, ut tradit chronographus, qui de eo plura se dicturum fuisse ait, nisi ipso hæc scribente, adhuc in vivis fuisset. Hujus itaque monitis abbas confirmatus, Parisiis in regis curia se fitit, cujus precibus rex ad pietatem motus, Mauriniacenses & Stampenses in concordiam reduxit.

Per id tempus inter regem Ludovicum & Fulconem Andecavorum comitem, qui postea factus est rex Jerosolymorum, magna erat dissensio. Quam ob rem Ludovicus comiti majoratum & senescalciam Francie (qui comitatus Andecavorum hereditario jure a principatu Rotberti regi obtigerat) Fulconi abstulit, eamque dignitatem Anselmo de Garlanda, & postea Guillelmo ejus fratri concessit. Inter ea contigit, ut rex Ludovicus cum Heinricho Angliæ rege bellum gereret. Quare Fulconem submonuit ut sibi adesset. Negavit comes, propterea quod majoratu & senescalcia privatus ab eo fuisset. Tunc rex per Amauricum de Monte-forti, avunculum Fulconis comitis, & per Goffridum Vindocinensem abbatem & Radulfum de Balgentiaco mandavit comiti, se eorum consilio illi satisfacturum. Acquivit comes, & in id tandem conventum est, ut Guillelmus de Garlanda comiti hominum de sua dignitate faceret. quod quidem præstitit ille, & post eum frater ejus Stephanus de Garlanda, de quo paulo ante agebamus. Hæc fusius relata sunt ab Hugone de Cleris milite comitis Andegavensis. Hinc Sirmondus recte infert, quo in numero apud Ludovicum VI. Goffridi nomen fuerit, quod a rege delectus sit inter arbitros controversiæ, quæ de majoratu & senescalcia Francie ab Andegavorum comite movebatur.

Multam quoque gratiam obtinuit Goffridus apud Honorium papam, a quo hoc anno amplissimam adeptus est confirmationem omnium sui monasterii privilegiorum & possessionum, necnon tituli cardinalis ecclesie S. Priscæ, de qua ita pontifex loquitur. *Porro ecclesiam beatæ Priscæ, in monte Aventino sitam, cum universis pertinentiis suis, sicut tempore prædecessorum nostrorum antecessores tui possedisse noscuntur, tibi, tuisque successoribus, cum omni dignitate, quæ ad eandem ecclesiam pertinet, confirmamus, &c. Datum Laterani per manum Aimerici S. R. E. cardinalis & cancellarii VIII. kal. Aprilis indictione VII. incarnationis Dominicæ anno MCXXVIII. pontificatus autem domni Honorii secundi papæ anno V.* Hoc privilegium integrum in Appendice referemus. Post hæc non integris quatuor annis supervixit Goffridus abbas, ut suo loco videbimus.

Dum Guillelmus abbas^a Tironiensi monasterio præfesset, Hugo Puteacensis^{*} in Belsia comes, Jerosolymam profecturus, anniversarium suum Tironii instituit, facta illic donatione, quam uxor ejus Agnes, filiique Eyrardus & Burchardus hoc anno ratam habuerunt. Inter testes nominantur Gauterius prior S. Martini de Valle apud Carnutas, & Theobaldus prior de Antenilla. Anno præcedente Rotroco de Monte-forti, Guatho de Villa-petrosa, Milo de Mellayo & Willermus de Illeto, viri nobiles, qui iter Jerosolymitanum aggressuri cruces in illo monasterio a Deo devotissimo viro Bernardo acceperant, fratrumque precibus se commendantes, eorum terras a manu caduca liberaverant; tandem ex illo itinere salvi & incolumes reversi, Tironium rursus adierunt, fratribus gratias acturi, quod eorum precibus suffragantibus se sospites rediisse crederent, & donum eis factum denuo ratum habuerunt. Acta sunt hæc Tironii *juxta magnum altare v. idus Mai* anno MCXXVIII. His litteris appensa sunt quatuor sigilla, in quibus quatuor milites cataphracti equo insidentes exhibentur. Anno sequenti, in quo nunc sistimus, Robertus prior de Nojonno seu Nogento, Guicherii successor, ejusque loci monachi Veteris-Tironii decimas cedunt petente comite Rotroco, paulo ante quam in Hispaniam proficiscerentur.

LXXV.
Goffridus Vindocini abbas a rege in confilium adhibitus.LXXVI.
Privilegium ab Honorio obtinet.LXXVII.
Tironio factæ donationes.
a V. lib. 73. n.
* du Puiset.

ANN. CHR.
1129.

ceretur. Rem parvam dicturus sum, sed tamen dicam. Forte Conanus Britannia dux ad Tironiense monasterium divertit, cum *Vercellacum* seu Vizeliacum orationis causa pergeret, ubi scilicet corpus beatæ Mariæ-Magdelenæ esse credebatur. Tum vero Tironiensium religione, & forsan penuria tactus Conanus, dedit eis unde pisces & butyrum haberent. Id factum xv. kal. Decembris, *anno secundo sublimitationis Philippi, filii Ludovici regis Francorum, patre adhuc vivente.* In eodem instrumento notantur etiam ea, quæ idem Conanus & mater ejus Hermengardis, ejusque barones apud Pontem-Rofelli prope Namnetum eisdem fratribus contulerunt. Biennio post cella beatæ Mariæ de Basquevilla eisdem ab Hugone Rotomagensi archiepiscopo donatur, cedente Willemo-Martello, qui eam tenebat. Testis inter alios Walterius S. Wandregesili abbas.

LXXVIII.
Turpiniacum
monasterium
conditum.
* Turpenny.
* Chinon.

Exstat in pago Turonensi Turpiniacum * monasterium, sic dictum a Turpino antiquo loci domino, tribus circiter leucis ab opido Cainone * positum in quatuor angustis Cainonenfis silvæ collium faucibus, haud procul ab Angere seu Indra fluvio, qui paullo infra in Ligerim devolvitur. Originem monasterio dedit Robertus quidam vir nobilis, qui illuc secessit, & ob eximiam vitæ sanctimoniam quosdam ad se discipulos traxit. Constructæ eo loci rusticanae casæ, favente Hildeberto archiepiscopo, cum ligneo oratorio, quod Hugo Hildeberti successor in lapideam ecclesiam commutavit, & viii. kal. Octobris consecravit. Brevi auctus est locus beneficio accolarum, erectaque ibidem abbatia. Post Robertum Guillelmo abbas locum rexit, cui Innocentius II. & post eum Eugenius III. litteras apostolicæ tuitionis concesserunt. Perstat etiam nunc hoc monasterium, censu tenue, sub Congregatione S. Mauri. Una ei subjecta est Belli-aggeris * cella diocesis Turonica haud procul a Villæ-lupæ abbatia. In ecclesia Turpiniacensi quidam insignes visuntur tumuli, Burchardi II. Insulæ-Burchardi toparchæ, Guillelmi Montis-forelli comitis, & Henrici-Clementis Franciæ Marefcalli.

* Beaurterre.

LXXIX.
Willemo epi-
scopo Wintoniensi
succedit
Henricus.

In Anglia Willemus-Giffardus episcopus Wintoniensis, vir insignis meriti, hoc anno decessit, habitu monastico suscepto in extremis. Unde ad ejus tumulum in navî ecclesiæ cathedralis appositi sunt hi versus:

*Willemus-Giffard præsul jacet hic tumulatus,
Qui suscepit adhuc vivens habitum monachatus.*

Titulos de ejus morte lugubres composuere monachi S. Benedicti & S. Hildæ Vi-rebientenses, atque Radingenses, editos in Angliæ-sacræ tomo primo. Suffectus in episcopatu Wintoniensi Henricus monachus Cluniacensis, Henrici Angliæ regis ex Adela sorore nepos, Stephani Blesensium comitis, postmodum Angliæ regis frater, antea Glastoniensis abbas, qui abbatiam cum episcopatu usque ad mortem retinuit, teste Roberto de Monte in Appendice ad Sigebertum. Complures ad eum extant epistolæ Petri Venerabilis, qui Henricum peculiari amore diligebat. In quibusdam ^a tamen queritur, quod citius justo adversus ipsum, & pro levi causa commotus fuisset. Id alibi ^b factum dicit auctore quodam Roberto pacis corruptore, & pessimo inimicitiarum satore. Sed tandem eorum redintegrata amicitia est. Henrici memoriâ post regem Angliæ in omnibus Cluniacensium ecclesiis fiebat; petitque Petrus ^d, ut ille Cluniaci sepulturam suam eligat.

a Petr. Ven.
lib. 2. ep. 13.
b ibid. ep. 19.
c ibid. ep. 25.

d ibid. ep. 24.

LXXX.
Res Germani-
cæ.

In chronico Saxonico necdum edito frequens principum conventus apud Corbeiam-novam xvii. kal. Junii, præfente Lothario rege factus dicitur, ibique Fredericus Coloniensis archiepiscopus interventu principum regi reconciliatus fuisse. tum subditur, eodem anno in commemoratione S. Pauli ortam esse commotionem permaximam civium Magdeburgensium contra Nortbertum archiepiscopum, propterea quod majorem ecclesiam, sicut illis dictum erat, pollutam, nocturno tempore purificasset. Crescente tumultu, in superiora antiqui monasterii cum Misnensi & Havelbergensi episcopis & præposito majoris monasterii seu ecclesiæ ascendisse dicitur; ibique diu obfessus fuisse, favientibus & jurgantibus adversariis, quod altaria fregisset, & reliquias furtim abstulisset. Sed illi ab eo excommunicati, tandem ei sese subjecerunt.

LXXXI.
Monasteria ibi-
dem condita.

Superfite Erchenberto Corbeia-novæ abbate, cujus obitum superiori anno retulimus, Amelunxbornense Cisterciensis ordinis monasterium a Sigefrido Hom-burgico in diocesi Hildensheimensi conditum perhibetur in chronico Huxariensi,

ANN. CHR.
1129.

quod Christianus Paullinus vulgavit. Ibidem refertur epistola, nomine S. Bernardi, quæ abbati & toti congregationi ejus loci e Cistercio hoc anno scripta dicitur: sed hæc epistola Bernardi stilum nequaquam sapit. In eodem chronico editum est Honorii papæ privilegium eidem indultum monasterio, quod multa sanctimonia & doctis viris floruisse dicitur. Plura de eodem monasterio ibidem referuntur.

Hoc ipso anno Ernestus comes Hirsbergensis, Gebehardi Eistetenensis episcopi frater, Blanckestetenfem nostri Ordinis abbatiam ^a construxisse ac dorasse traditur: Gebehardus vero ejus frater ex præpositura Heidenheimensi Benedictinam abbatiam fecisse, eisdem Eugenii papæ tertii consensu clericis, qui aliquamdiu sub præposito non admodum religiose illic vixerant. Sub idem tempus Udalricus, Constantiensis ad Rhenum episcopus, ob varias Rudolphi Bregantini comitis, aliorumque rixas & vexationes, summi pontificis consensu episcopatum abdicavit, & in S. Blasii monasterium se recepit, ubi monastico habitu suscepto ad obitum usque pie conversatus est.

^a Brasch. monast.

Vix dum annis sex parta per Callistum pace potita erat ecclesia, cum in novum procellarum chaos denuo relabatur. Mortuo quippe Honorio papa sub initia sequentis anni millesimi centesimi tricesimi, scilicet xvi. kal. Martii, quod nonnulli veteres pro antiquo calculo ad præcedentem annum referunt, electus est statim, necdum vulgata pontificis morte, Gregorius cardinalis diaconus Sancti Angeli, & ab Ostiensi episcopo de more consecratus. Hæc autem electio non ab omnibus cardinalibus, sed ab iis, qui potiores merito & sapientiores videbantur, sic facta est ad præcavendum Romanum tumultum, qui ex aliorum factione imminere censebatur. Verum postmodum alii cardinales, quibus inconsultis id actum erat, majori numero apud S. Marcum convenere, & Petrum-Leonis presbyterum cardinalem S. Mariæ trans-Tiberim elegerunt, eique nomen Anacleti II. imposuerunt. Uterque Romanus erat, Innocentius quidem melior, sed major in Anacleto ex genere & opibus potentia. Innocentius in Laterano sedem iniiit, Anacletus in Vaticano, ad quem spes præmiorum uberior multo plures ad eum venerandum illexit. Itaque Innocentius a plerisque desertus, Urbe tandem una cum cardinalibus suis discedere coactus, primum Pisas, inde in Galliam se recepit. Hinc conflatum est funestissimum schisma, quo christiana res publica per decem fere annos afflictata est.

ANN. CHR.
1130.
LXXXII.
Honorio papa
mortuo schis-
ma in ecclesias

Erat Innocentius, ut jam dixi, Romanus, de regione trans-Tyberim, & quidem, ut Baronius ex archivo tituli S. Praxedis refert, *monachus Lateranensis cænobii sanctorum Johannis-Baptistæ, Johannis-Evangelistæ atque Pancratii, idemque abbas monasterii sanctorum Nicolai & primitivi Ordinis S. Benedicti, loco qui vocatur Gabis prope Lacum Barranum* (forte Varrano in Apulia, ut conjicit Lubinus) *qui ab Urbano II. creatus est diaconus cardinalis S. Angeli.* Non tamen putem eum monachum nostri Ordinis fuisse; siquidem Petrus Venerabilis sibi exprobratum fuisse dicit quod Innocentium Anacleto sui instituti monacho, prætulisset. [Sed forte id ideo dixit, quia Anacletus Cluniacensis monachus fuerat, quod non impedit quominus alterius monasterii Benedictini ordinis seu congregationis monachus fuerit Innocentius.]

De Anacleto seu Petro-Leonis nemo veterum accuratius scripsit, quam chronographus Mauriniacensis. *Fuit hic Petrus, Petri filius, filii Leonis. Leo vero, ejus avus, a Judaismo pascha seu transitum faciens ad Christum, a Leone, scilicet papa nono baptizari, & ejus nomine meruit insigniri. Hic vir, qui scientissimus erat, in curia Romana magnificus effectus, genuit filium, nomine Petrum, magnæ famæ, magnæque potentie post futurum. Ejus tempore inter regem Teutonicorum & Romanam ecclesiam illa turbulentissima orta est seditio, in qua vir ille tantum armis strenuus, consilio providus & ecclesiæ Romanæ fidelis existit, ut ei cum ceteris munitionibus quæ Romæ sunt, illum quoque, quæ illius urbis videtur obtinere similitudinem, turrim dico Crescentii, quæ a parte Galliarum in capite Tiberini pontis sita est, papa committeret, & eum præ ceteris familiarem haberet. Hac occasione mirabiliter excrevissent, cotidie sui melior efficiebatur, & divitiis, possessionibus, honoribus augmentabatur. Hæc de Petro Petri-Leonis parente chronographus Mauriniacensis, qui & addit, multos utriusque sexus liberos ipsum genuisse, in his Petrum-Leonis, de quo hic agimus. Iste, pergit chronographus, studii gratia Gallias, atque Parisius adiit, & cum repatriaret, apud Cluniacum ditissimum atque sanctissimum cænobium monachilem habitum*

LXXXIII.
Anacletus an-
tipapa quis &
qualis.

ANN. CHR.
1130.

induit. Aliquantisper inibi regularibus institutionibus imbutus, a papa Paschali II. patris admonitione retrahitur ad curiam; & cardinalis effectus tempore Calixti papæ, cum eodem Gregorio, qui postea Innocentius II. missus ad Gallias, Carnoti Belvacique concilia celebravit. Mortuo Honorio, potentissima fratrum suorum, familiaque quam maxima numerositate fretus, & Portuensis episcopi cujusdam litteratissimi, & sicut putabatur, religiosissimi senis impetu animatus, pontificatus culmen arripit, cleri populique non parva multitudine sibi consentiente.

LXXXIV.
Electio ut per-
acta.

Id præcavere solliciti alterius partis cardinales, ob idque Gregorii electionem, etiam ante sepultum Honorium, clanculum procurarunt. qua de re prædictus chronographus ita scribit. Honorius II. qui post Calixtum papam super cathedram Petri sederat, Romæ in ecclesia beati Andrea, quam apud clivum Emili-Scauri beatus ac præcipuus doctor magnus Gregorius suis sumptibus edificavit, defunctus est. Cardinales, qui cum cancellario Haimérico inibi aderant, & Honorio infirmanti assederant, Gregorium quemdam, scientia ac religione præclarum, sibi præficiunt, & nimis festinanter, ut a quibusdam dicitur, pontificalibus induunt insignibus. Id illius gratia dispensationis factum dicunt, ut Petrum quemdam, qui seculariter ad papatum videbatur aspirare, spe sua frustrarent. At nihilominus adversæ partis magno numero cardinales & abbates Petrum elegerunt, ut diximus, & Anacletum II. appellarunt. Innocentius Fraganum auxilio fretus aliquamdiu in urbe perstitit: at prævalente Anacleto, qui Romanorum maximam partem præmiis ac muneribus ad se attraxerat, cedere coactus, paratis occulte navigiis, cum suis affectis ad mare, atque inde duabus trirēibus Pisas accessit, ubi a Pisanis magno studio & honore acceptus est. Innocentii partes sectabantur sexdecim cardinales; aut Anacleto adhærebant fere triginta, ex quibus tres postea ad Innocentium conversi sunt. Ex illis præcipuus erat Petrus Portuensis episcopus, cujus hac de re epistola exstat apud Willelmum Malmesburiensem, quatuor episcopis Innocentii præcipuis affectis inscripta, in qua partes Anacleti non inepte tuetur. Ad hæc abbates & clerici non pauci Anacletum præferabant, Anastasius videlicet abbas S. Pauli, Johannes abbas SS. Stephani & Laurentii, Laurentius abbas S. Gregorii, abbas in Clivo-Scauri, aliique.

a Willelm.
Malmesb. hist.
nov. lib. 1.LXXXV.
Anacleti epi-
stola ad Clu-
niacenses.

Anacletus itaque solus urbe potitus, litteras ad omnes ecclesias & principes; uti & Innocentius, mittit, quas apud Baronium videre licet. Una ex his est ad Cluniacenses, quæ sic incipit. *Conversionis meæ primordia reducens ad animum, multum me Cluniacensi monasterio invenio debitorem: propterea quod in eo & monasticum habitum, & conversandi sumpsit, divinæ potentia gratia protegente, principum. cui licet in omnibus, quæ mihi pleno caritatis ubere pia devotione impendit, æqua retributione nequeam respondere; me ipsum tamen ei, quod possum, fidelissima servitute subserno. Et ideo de statu nostro, seu de his, quæ penes nos, Dei nos respiciente clementia, prospere acta sunt vel aguntur, sanctæ dilectioni vestra dignum duximus missis ad vos litteris intimare. Decedente siquidem de hac vita domino prædecessore nostro piæ memoriæ papa Honorio, cardinales ecclesiæ Romanæ presbyteri, & diacones & subdiacones, primicerius cum omni schola & ordinibus palatii, iudices & scriuarii & clerus omnis Romanus, expetente omni populo, cum honoratorum devotissimorum assensu, in titulo beati Marci, me, licet indignum, in papam Anacletum unanimiter elegerunt, & electum in ecclesia beati Petri patroni nostri venerabilis frater noster Petrus Portuensis episcopus cum diversarum regionum episcopis celeberrime consecravit. Deinde agit de electione Innocentii, ubi duriora scribit contra ejus partis cardinales, quorum caput esse dicit Haimericum cancellarium, quem præ omnibus fugillat. In fine Cluniacenses suos rogat, ut illam dilectionem, quam sibi in minoris ordinis administratione exhibuerant, nunc in apostolicæ sedis regimine constituto ne subtrahant. Datum Romæ apud S. Petrum kal. Maii. Verum nihil ejus litteræ valuerunt apud suos Cluniacenses, ut postea videbimus.*

LXXXVI.
Stampense
concilium.

Dum hæc in Italia aguntur, rex Ludovicus, teste chronographo Mauriniacensi, archiepiscopos Remensem, Senonensem, Bituricensem, Turonensem, simulque episcopos regni sui & abbates Stampis convocat: communicatoque consilio Innocentium, quia & vita sanctior, & fama melior, & electione superior apparebat, cum omni regno suo Romanum papam, sibi que patrem denuntiat. Eadem fere verba habet Sugerius, qui & ipse præfens concilio aderat. Vocatus ad concilium Bernardus, ad illud iter se accingit trepidus & tremebundus, negotii pondus & periculum non ignorans: at

in

in via cælesti viso recreatus est, non dubia spe futuræ concordia. Oraculo respondit eventus. Nam ubi ad locum ventum est, ut tradit Ernaldus seu Arnoldus a Bonæ-vallis abbas, præmissis jejuniis ac precibus, cum rex & episcopi, ceterique confederissent, una omnium sententia fuit, ut negotium illud unius Bernardi judicio committeretur, & ex ejus ore tota causa penderet. Ille vero electionis ordine, electorum meritis, vita & fama diligenter & mature examinatis, præferendum Innocentium pronuntiavit. quod omnes ratum esse acclamarunt. Itaque, actis ex more Deo gratiis & laudibus, univèrsi obedientiam Innocentio polliciti, ejus electioni subscripserunt. Deinde, scriptis ad multos epistolis Bernardus, alios ad idem præstandum induxit, ob has maxime rationes, quod ejus electio prior tempore, vita & fama sanior esset, & eligentium merita potiora. Consulendæ hac de re ejus epistolæ b ad Hilbertum, Gaufridum de Loratorio, & ad episcopos Aquitanix, ex quibus hi maxime, incentore Girardo Engolismensi, Innocentium respuebant. Deinceps Bernardus historiam sui temporis, non Cisterciensem modo, sed fere ecclesiasticam implebit.

ANN. CHR.
1130.
a Arnald. lib. 2.
de Vita S. Bern.
c. 2.b Bern. ep. 124.
c. 2.

Ordericus c auctor est, Gregorium seu Innocentium cum Quirinali clero Gallias expetiisse, primoque ab Arelatensibus susceptum, legatos istinc in Franciam direxisse. Porro Cluniacenses, ut ejus adventum rescierunt, sexaginta equos seu mulos cum apparatu congruo papæ & cardinalibus clericis direxisse, & Cluniacum usque honorifice conduxisse: ubi undecim diebus papa cum suis detentus, novam ecclesiam in honorem S. Petri apostolorum principis sollempni ritu dedicaverit, scilicet VIII. kal. Novembris, ut inferius d videbimus. Inde magnam auctoritatem, ait idem auctor, apud occiduos promeruit, quod a Cluniacensibus Petro præpositus fuerit. Ab eisdem quippe Petrus in pueritia enutritus coaluit, & eorum habitu ac professione monachus exstitit. Gregorius itaque a Cluniacis, quorum auctoritas inier nostrates monachos maxime præcellit, amabilius ut pater patrum susceptus, pontificali stemmate in Galliis enotuit, & deinceps ab occiduis principibus & episcopis susceptus, in brevi magnas vires impetravit. Non dubito, quin multum ad præferendum in Stampensi conventu Innocentium contulerit Cluniacensium exemplum, quorum utique magna erat, non modo apud nostrates monachos, sed etiam apud omnes auctoritas.

c Orderic. lib.
13. p. 895.

d infra. 89.

Soluto Stampensi conventu, rex Ludovicus tam læti nuntii primitias per Sugerium e abbatem significavit Innocentio, qui Cluniaci rei eventum præstolabatur. Tanto exhilarati suffragio Innocentius, ejusque cardinales, cum gratia & benedictione regi per eundem Sugerium gratias referentes, eum ad propria remiserunt. Mox regem adire properavit Innocentius. Ubi autem ad Floriacense S. Benedicti monasterium pervenit, dominus rex cum regina & filiis ei occurrens, nobilem & diademate sepius coronatum verticem, tamquam ad sepulcrum Petri, inclinans, pedibus ejus procumbit, catholicum affectum & devoti servitii effectum ei & ecclesiæ promittit. His Sugerii verbis consentanea scribit chronographus Mauriniacensis, qui ait, regem pontifici obviam profectum fuisse, qui adclinis juxta morem ejus pedem osculatus, atque ut Christi Petrique vicarium lætus veneratus est. Ludovici regis exemplo Henricus rex Angliæ, qui tunc in Nortmannia versabatur, Innocentio Carnotum occurrit, ait Sugerius, & devotissime pedibus ejus prostratus, votivam sui, suorumque in terra sua susceptionem & obedientia filialis promittit plenitudinem. Addit prædictus chronographus, Innocentium maximis muneribus ab eodem rege honoratum fuisse. Idem totidem fere verbis tradit f Ordericus, qui id factum dicit idibus Januarii anni insequentis; ibique, scilicet Carnoti, in domo Helisendis vicedominæ hospitatus Innocentius, Francis & Romanis gaudentibus iriduo permanisse dicitur. Ernaldus in libro II. de vita S. Bernardi auctor est, virum Dei Henrico regi persuasisse, ut Innocentium agnosceret.

LXXXVII.
Innocentius a
rege excipitur.
e Suger. in vita
Ludov.f Orderic. p.
895.

Tantum regum exemplum præceperunt vel secuti sunt plerique episcopi, quos recenset Bernardus in epistola cxxvi. ad episcopos Aquitanix, qui necdum Innocentium agnoverant. Tum de congregationibus monachorum hæc subdit. *Non autem debeo prætermittere sanctos, qui mundo mortui, Deo melius vivunt: quorum vita abscondita est cum Christo in gloria, ubi certe studiose inquirunt, & non dubie inveniunt beneplacitum Dei, qui solliciti sunt quomodo placeant ei. Itaque Camaldulenses, Vallumbrosani, Cartusenses, Cluniacenses, & qui de Majori-monasterio sunt, mei quoque*

LXXXVIII.
Agnitus ab Or-
dinibus mona-
chorum.

ANN. CHR.
1130.Cluniacenses
ob id impro-
bati a quibus-
dam.a Baron. hoc
anno.b Petrus Ven.
lib. 1. ep. 35.c lib. 68. n.
68.LXXXIX.
Claromonten-
se concilium &
Aniciense.Cluniacensis
basilicæ dedi-
catio.
d supr. n. 86.e Bibl. Clun. p.
1380. & 1381.f ibid. p. 518.
v. lib. 69. n. 21.

*Cistellenses, * Caduinenfes, Tironenses, & Saviniacenses, universitas denique & unanimitas fratrum, tam clericorum quam monachorum, regularis vitæ probateque conversationis, sequentes episcopos, tamquam greges pastores suos, Innocentio firmiter adhaerent, &c.* Nulla hic mentio de Calinatibus, qui cum Rogerio Siciliae & Apuliae duce principio, re necdum eliquata adhæsere Anacleto, a quo Rogerius rex Siciliae dictus est. Mirum vero plerisque visum est, Cluniacenses prætulisse Innocentium Anacleto, qui ut jam dixi, Cluniacensis monachus fuerat. Certe eorum iudicium nonnullis præproperum visum est, in primis Reimbardo Leodicensis ecclesiae alumno, quem Baronius antistitem vocat. Hic viso rotulo de obitu cuiusdam Hervei abbatis a Francigenis ad Leodicenses missio, cum alii alia de more ad rotulum apponerent, Reimbaldus a eos, ad quos rotulus pervenerit, admonendos censuit, ut ne præcipitent iudicium in agnoscendo Innocentio vel Anacleto, cum adhuc lis sub iudice esset. Id a quibusdam ex invidia fieri dicit, ab aliis ex ignorantia, quæ quidem tolerabilis esset, nisi temeritati commixta, ante tempus ad iudicium prorueret. *Hæc est*, inquit ille, *quæ Cluniacenses ipsos, tam sacrum aliquando, tam sollempnem, tam undique oculatum conventum non præterit: sed per ipsos non modo occidentalem ecclesiam infecit.* Dein eos arguit, quod Girardi Engolismensis episcopi libellum, in quo duorum apostolicorum ordo electionis & ordinationis descriptus erat, illi præciderint, & Innocentio legendum tradiderint, quem aliis in eodem legendum communicare debuissent. Et quidem ipse Petrus Venerabilis in epistola b ad Aimericum cardinalem, conquerens quod Gigniacenses sui ob negatas Miratorii monachis Cisterciensibus decimas interdicto suppositi essent, in memoriam revocat ecclesiae Cluniacensis dedicationem ab Innocentio factam: *quam si diminuerit, videtur destruxisse, quod visus fuerat construxisse. Insultabunt*, inquit, *quod jam ex parte ceperunt, nobis inimici ejus, quorum multitudo ubique, etsi non aperte contradicit, tamen aperte odit, nec cessabunt dicere, quod solent dicendo frequentare: Ecce, Cluniacenses, habete papam vestrum, quem vobis, spreto monacho vestro, elegistis.* Hæc Petrus. Et sane magnum æquitatis & moderationis exemplum præbuerunt hac occasione Cluniacenses, quod in re in speciem tam dubia Innocentium Anacleto alumno suo prætulissent. Quis sit ille Herveus abbas cujus rotulum Francia ad suos Leodicenses allatum fuisse tradit prædictus Reimbaldus, non satis liquet. An forte reclusus ille Calonnæ apud Andegavos c de quo superius actum est?

Priusquam e Cluniaco Floriacum accederet Innocentius, concilium apud Clarum-montem habuit, at quo præcisè tempore, necdum exploratum est. Sed prius statuentium tempus, quo in Galliam appulit. Id vero nos docet pontificium ejus diploma pro Fossensi Arelatensis provinciae monasterio, de quo infra, datum apud S. Egidium III. idus Septembris hoc anno pontificatus ejus primo, indictione VIII. Inde Cluniacum adit, antequam Clarum-montem progrediretur, & Cluniacensem ecclesiam dedicavit. Id non obscure nos docet præter Ordericum superius d laudatum testis locupletissimus Petrus Venerabilis in libro II. de miraculis cap. XVI. cum agit de Matthæo cardinale, & de Innocentii accessu ad Galliam: *Ubi primum*, inquit, *ab eodem domino papa Innocentio Cluniacensi nova & majore consecrata ecclesia, ac gemino concilio, alio Claromonti, alio Remis celebrato, totam, excepta parte Aquitaniae, Galliam, Hispaniam, Angliam, Germaniam, sibi, immo Christo, studio præcipue Matthæi, papa jam dictus univit.* Porro hæc Cluniacensis basilicæ consecratio ipso Innocentio e testante, eodem die, quo majus altare ab Urbano II. consecratum fuerat, id est VIII. kal. Novembris f facta est, & quidem hoc anno, non sequenti. nam anno sequenti tunc Remense concilium habebat pontifex, ipsoque die, scilicet VIII. kal. Novembris no-

* Hunc locum sic restituimus, nam in omnibus etiam Mabillonii editionibus antea legebatur *Cadumenses*. Est autem Cadumum, seu ut vulgo loqui & scribere solent, Cadomum urbs insignis in inferiori Normannia diocesis Bajocensis, in qua Guillelmus dux qui Angliam conquistavit ditissimum sub patrocinio S. Stephani monasterium fundavit. Cui Lanfrancus pietate & scientia commendandus, erectus postea ad Cantuariensem archiepiscopatum, præfuit primus abbas. Sed hæc tanti non sunt, ut sanctissimis & austerissimis hic recensitis ordinibus a Bernardo deberit accenseri. Est vero Caduinum celebre inter fundata a Gerardo de Salis monasteria sub norma & vivendi ratione Cisterciensium, tamen il-

lis non unita, primum tenens locum. Illa autem monasteria in vita Gerardi de Salis hoc ordine recensentur: Caduinum primum, Grandis-silva secundum, Dalonense tertium, Bornetum quartum, Alledia quintum, Abbia Gatiniæ sextum, Castellaria septimum. Hæc omnia monasteria, quorum Caduinum caput erat, Cisterciensium instituta ut diximus observabant, unde & S. Bernardus suis Cistellensibus immediate subjicit *Caduinenfes*. Perfacile fuit incauto amanuensi ut particulam in littera m exprimeret. Idque per sepe immo fere semper in mss. contigit. Ceterum restitutionem nostram confirmat paulo recentior codex bibliothecæ regie qui legit *Caduinenfes*.

ANN. CHR.
1130.

* Roanne.

a Marca Hisp.
p. 1271.b Perard p.
103.
c supra n. 70.XC.
Sugerii abba-
tis conversio &
ejusque mona-
sterii reforma-
tio.
d V. supra n. 74.

vum regem Ludovicum juniorem consecravit. Tunc etiam ejusdem ecclesiae altaria, intra ejus ambitum consistentia, numero viginti sex, consecrata sunt: ex quibus unum in honorem S. Jacobi & omnium sanctorum consecravit Dalmatius S. Jacobi episcopus seu Compostellanus, qui ipse Cluniacensis cœnobii monachus fuerat. Post illam dedicationem pontifex Clarum-montem iter instituit. Rohennæ * ad Ligerim, medio fere Cluniacum inter & Clarum-montem intervallo, nonis Novembris hoc anno versabatur: ubi Imaro tunc priori Crispiacensi, postmodum cardinali, confirmavit omnes possessiones, quæ illi monasterio a conditoribus ejus, Gualterio & Adela, collatæ fuerant. Jam vero apud Clarum-montem erat IV. kal. Decembris hoc ipso anno, indictione VIII. uti discimus ex ejus bulla, ibidem tunc data Gregorio a abbati monasterii S. Michaelis Coxanensis. Ibidem adhuc residebat III. nonas Decembris, quo die breve apostolicum b scripsit Guilenco Lingonenfi episcopo, ad finiendam controversiam abbatum S. Stephani Divionensis, & S. Sequani, de qua superius c actum est. Ex quibus intelligitur, Claromontense concilium exeunte mense Novembri & Decembri ineunte habitum fuisse. Præcesserat sine dubio concilium Aniciense, in quo Hugo Gratianopolitanus præsul, morbis licet atque ætate confectus adfuit, & cum aliis episcopis Anacletum excommunicavit. *quæ profecto excommunicatio*, inquit Guigo in ejus vita, *propter auctoritatem tanti viri, contulit multum & profectum catholicis, & detrimentum schismaticis.*

Cluniacum a rege missus est, ut mox dicebam, Sugerius Dionysianus, qui paullo ante se suosque ad strictiores vitæ monasticæ leges revocaverat. Id contigit post mortem Anselmi de Garlanda d & Willelmi ejus fratris, cum Stephanus de Garlanda amborum germanus dapiferatum seu senescalcium simul & majoratum domus regie teneret. quod vehementer, ut par erat, improbat sanctus Bernardus epistola LXXVIII. qua Sugerio vitæ prioris mutationem gratulatur. Ante id tempus Sugerius honestam & honorificam secundum sæculum vitam agebat, inter ecclesiasticos multæ dignitatis, magnæ auctoritatis inter aulicos, ubique magnificus, quem omnes ob dignitatem & auctoritatem colebant ac frequentabant. adeo ut S. Dionysii monasterium in regiam quamdam aulam conversum videretur, ubi rex ipse non raro demorabatur. *Locus quippe ab antiquo nobilis, ait Bernardus, & regie dignitatis existere: palatii causis, regumque exercitiis deservire solebat. Sine cunctatione & fraude sua casari reddebantur, sed non etiam Deo quæ Dei sunt, persolvebantur æque fideliter. Quod audivimus, non quod vidimus loquimur: claustrum ipsum monasterii frequenter, ut aiunt, stipari militibus, urgeri negotiis, jurgiis personare, patere interdum & feminis. Quid inter hæc cælestis, quid divinum, quid spirituale poterat cogitari? Hic erat monasterii status, cujus culpa non monachis, sed abbati Sugerio imputabatur, teste Bernardo. Quid enim? tua certe, non & tuorum errata, sanctorum carpebat zelus: tuis, non ipsorum excessibus succensebant; solamque in personam tuam, non etiam in abbatiam fraternum susurrum immurmurabat. Solum denique te in causam vocaverant. Tu te corrigeres, & nil residuum quod pateret calumniæ. Te, inquam, mutato, mox omnis tumultus concideret, quiesceret strepitus: solumque ac totum erat quod nos movebat, tuus ille scilicet habitus & apparatus cum procederes, quod paullo insolentior appareret. Denique deponeres fastum habitumque mutares; & facile omnium quiescere poterat indignatio. Ceterum tu & fecisti satis causantibus subdit Bernardus, & adjecti quod merito collaudemus.*

Non dubito quin ad hanc mutationem contulerit Bernardus ipse, tum monitis suis, tum suis suorumque exemplis, tum denique editione opusculorum suorum, quæ omnia itidem Petrum Venerabilem adduxere, ut multa in Cluniacensibus, quæ Pontii abbatis maxime tempore succreverant, refecaret. Et quidem in Apologia, quam Bernardus e ad Guillelmum scripsit in Cluniacenses, nonnulla etiam Sugerium tangere videbantur: quale est illud quod dixit: *Mentior, si non vidi abbatem sexaginta equos, & eo amplius, in suo ducere comitatu. Dicat, si videas eos transeuntes, non patres esse monasteriorum, sed dominos castellorum; non rectores animarum, sed principes provinciarum, &c.* legerat forte hæc, aliaque Sugerius, sibi que hæc aptari, ut erat prudens & sagax, intellexerat: & quoniam alias honestis moribus præditus, & ad pietatem f suapte indole propensus erat; affulgente & excitante divina gratia, sese ad modestiam composuit, frequentiam & tumultum sæcularium e monasterii adytis eliminavit, sicque solitudinem & silentium ibidem restituit. Sic mutato &

ANN. CHR.
1130.
a Bern. ep. 78.

renovato rectore tota monasterii facies mutata & renovata est. *Nunc vero*, ait Bernardus, *vacatur inibi Deo, studetur continentiae, disciplina invigilatur, lectioibus sanctis intenditur. Fuge quippe silentium, & ab omni strepitu saecularium perpetua quies cogit caelestia meditari. Porro continentiae labor, & rigor disciplinae, psalmodiarum hymnorumque dulcedine relevantur.* Tanti autem profectus laudem post Deum Sugerio tribuit Bernardus, haec retexens *ad laudem & gloriam Dei, tamquam omnium auctoris, non tamen sine vestra*, inquit, *tamquam ipsius coadjutoris in omnibus. Potuit quidem ea ipse agere sine vobis: sed maluit vos operum habere consortem, ut haberet & gloriae.* Usque adeo verum est, subditorum mores a praetorum sollicitudine & exemplo pendere.

XCII.
Capitulum generale monachorum apud Sueffionas.

Eodem tempore idem zelus plerisque nostri Ordinis abbates excitavit ad reformandam in monasteriis regularem disciplinam. Hujus rei causa convenere quamplures ad Sueffionense S. Medardi monasterium, ut de modis restituendae disciplinae, sicubi prolapsa erat, simul deliberarent ac statuerent. Non dubito quin multum ad celebrandum illud capitulum contulerint, tum Guillelmus S. Theoderici abbas, qui Apologiae scribendae Bernardo auctor fuerat, tum Gaufridus ejus amicus & consodalis, tunc sancti Medardi abbas, quem jam episcopum Petrus b Venerabilis mirifice laudat, veluti *Cluniacensis divini Ordinis per totam Franciam primum disseminatorem, auctorem, provectorem; immo inveterati draconis de tot monasteriorum cubilibus expulsorem, & monastici torporis excitatorem.* Ubi abbatem illos Sueffione congregatos accepit Bernardus, praeclearam ad eos epistolam e scripsit sub hoc titulo: *Reverendis abbatibus apud Sueffionem in nomine Dei congregatis, servus sanctitatis eorum frater Bernardus abbas dictus de Clara-valle, quae recta sunt videre, constituere & retinere.* In hac epistola vir Dei suis occupationibus irascitur, quod eorum conventui adesse non possit, tum eos monet, ut ne tepidorum & laxiorum sannis a proposito deficiant, dicentium, se nolle patribus suis esse meliores, tepidorum proinde ac dissolutorum se filios esse protestantium, quorum memoria in maledictione est. *Aut si sanctis*, inquit, *& bonae memoriae patribus gloriantur; imitentur certe sanctitatem, quorum indulgentias dispensationesque pro lege defendunt.* Denique *minime pro certo est bonus, qui melior esse non vult; & ubi incipit nolle fieri melior, ibi etiam desinit esse bonus.* Hoc primum esse puto capitulum generale nigrorum, ut vocant, monachorum post illud Aquisgranense principatu Ludovici augusti, agente Benedicto Anianae abbate celebratum. Deinceps capitula illa generalia exemplo Cisterciensium haberi coepta sunt, approbante & confirmante Innocentio II. ut scribunt patres capituli generalis ad Hadrianum IV. Idem acerbabant Cluniacenses, auctore Petro Venerabili, qui *de magnis suorum conventibus* loquitur sub finem cujusdam epistolae d ad Bernardum.

d Petr. Ven. lib. 4. ep. 17.
XCIII.
Seyfrido abbati S. Vincentii succedit Anselmus.

Ex praedicto S. Medardi monasterio assumtus est, ordinatusque a Bartholomaeo episcopo Anselmus ad regendum Laudunense S. Vincentii coenobium post Seyfridum seu Segifridum abbatem, cujus obitus in necrologio S. Theoderici nonis Martii notatur. Annum ex eo colligimus, quod Anselmus ejus successor post annos septemdecim abbatialis regiminis factus est anno MCXLVI. episcopus Tornacensis primus post illius episcopalis sedis separationem a Noviomensi, quod argumento est, eum magni meriti virum fuisse. Ejus quoque probitatem altero argumento probat Hermanus e monachus Laudunensis, quod in diversis ecclesiis ex ejus monachis electi sint, floruerintque novem abbates probatissimi: nempe in Orbacensi Balduinus, in Morimontensi Guillelmus, in sancti sepulchri Cameracensi Parvinus, in sancti Andreae de Novo-castello Adam, in Hastnoniensi Fulco, in Fidemensi Gerardus, in S. Nicolai prope Ribemontem Guillelmus, in S. Michaelis Terracienfi Johannes: *qui omnes*, inquit Hermannus, *Laudunensem ecclesiam suam matrem; Bartholomaeum vero episcopum appellant patrem suum atque pastorem.* Quanti fecerit S. Vincentii monachos Bartholomaeus, testes sunt duae ejus litterae anno sequenti datae, cum jam Anselmus ejus loci praefecturam iniisset.

XCIII.
Natalis abbas Resbacensis.
f lib. 69. n. 9.
g Oisfeld. p. 171.
h Ches. nota in Bibl. Clun. p. 314.

Flotebat hoc tempore in Resbacensi Briegii monasterio Natalis abbas, successor Guarnerii abbatis, de quo in superioribus f egimus. Magni nominis suo tempore fuit Natalis abbas, quippe qui cancellarii officium sub Ludovico VI. gessisse dicitur in diplomate Ludovici VII. apud Oisfellum. h Interfuit cum Sugerio S. Dionysii abbate decisioni controversiae, quam Joscelinus g abbas S. Petri Milidu-

nenfis movit in Gilduinum abbatem sancti Victoris Parisiensis super ecclesia S. Mariae de Floiraco dioecesis Senonensis, quae ab Henrico archiepiscopo canonice regularibus sancti Victoris collata fuerat. Ordericus a auctor est, Guarinum septimum Uticensis monasterii ad instaurationem abbatem cum duobus e suis monachis, scilicet Odone de Monferolo, viro docto, & Guarino Sagienfi, hoc anno Resbacum accessisse, ut sancti patris sui Ebrulfi, cujus reliquiae illic servabantur, pignora impetrarent. Tunc Resbaco aberat Natalis abbas, & in curia Tedbaldi seu Theobaldi Campaniae & Briegii comitis in Ruginiaco municipio versabatur. Dimissis apud Resbacum duobus locis, Guarinus abbas, prelati insignibus depositis, cum simplici monachi habitu locum adit, Natalem convenit, sed quis esset non indicavit. Ille autem se *Claras-valles* ire velle dixit, annuitque ut Guarinus ipsum comitaretur. Ambo itaque illuc profecti, benigne accepti sunt ab illius coenobii fratribus, qui regulam S. Benedicti omnino ad litteram observare satagunt. *Domnum vero Bernardum illius monasterii patrem quaeserunt, cum eo locuti sunt, & plurima sciscitantes magnam in eodem sapientiam invenerunt*, qui dubiis de sacris scripturis ab eis propositis omnino satisfecit. Ab eodem etiam Guarinus litteras ad Resbacenses clam obtinuit, quibus eos hortabatur Bernardus, ut Guarini votis annuerent. Reversus cum Natali abbate Resbacum Guarinus, Almarici prioris flagitatu per octo dies ibidem hospitatus est, & ut erat multa sapientia praeditus, ad fratres in claustrum sermone habuit. Tum prolata ad eos Bernardi epistola, Resbacenses petitioni ejus haud aegre assensu sunt, faventibus Stephano Parisiensi & Burcardo Meldensi episcopis, qui tunc illic aderant. At Natalis abbas id citra Tedbaldi comitis assensum fieri posse negavit. Missus Odo Uticensis in Nortmanniam, ubi tunc comes apud Henricum regem avunculum suum morabatur, regis interventu facile quod petebat impetravit, idque comes Andreae de Baldimento dapifero suo exsequendum commisit. Aperto itaque vase argenteo, in quo beati Ebrulfi reliquiae continebantur, brachium dextrum Uticensibus concessum, qui cum sacro illo pignore Uticum vii. kal. Junii reversi sunt; ac deinceps festum S. Agili Resbacensis primi abbatis, uti pacti fuerant, sollempniter celebrarunt.

Eodem tempore Natalis abbas Cluniacum adiit, seque abbatialem dignitatem abdicare velle, ibique privatum deinceps degere significavit. Restitit primo postulanti Petrus Venerabilis abbas, ratus illum suo monasterio esse necessarium: sed tandem, eo perseverante, ad Innocentium scripsit, ut Natalem Cluniaci admittere sibi liceret. Petri epistola b sic habet: *Venerabilis frater noster dominus Natalis Resbacensis abbas, a paternitate vestra nuper rediens, Cluniacum venit, qui a nobis, ut debebat, honorifice susceptus, post duos aut tres dies inopinatum nobis voluntatem suam prius coram paucis, dein coram cunctis fratribus nostris aperuit: velle se scilicet, pastoralis sollicitudine deposita, nobiscum quietius Deo servire.* Tum subdit Petrus, se perentem restitisse, sed tandem eo efflagitante, oro, inquit, *cum fratribus nostris pietatis vestrae servis & filiis, ut jam bonae voluntati ejus paterna pietate adquietatis, ejusque spirituale ac beatum otium nec a suis monachis, nec a quibuslibet aliis inquietari permittatis*, &c. Et quidem eum tandem Cluniaci admissum fuisse in consequentibus videbimus; idque evincit alia Petri epistola c ad Innocentium papam.

Natalem excepit Briccius abbas, cujus tempore, & quidem anno MCXLV. domino Manasse, ejus nominis secundo, sancta memoria Meldensis urbis antistite, ad fontem S. Agili frequentari coepta, quae libro tertio de ejusdem Sancti miraculis ab anonymo referuntur. Idem Briccius quaedam ejus reliquias dono dedit Henrico Trecentium comiti, qui vicissim aliquot beneficia & praedia monasterio contulit. Briccio subrogatus Warnerius seu Guarnerius secundus, eique Joscelinus ineunte saeculo tertio-decimo.

Sub id tempus Goffridus Vindocinensis abbas gravi incommodo afflicus est, cujus mentionem facit in epistola d ad Rainaldum priorem & fratres Vindocinenses, ubi sic loquitur. *Quod vobiscum in pascha non fui, nostri corporis infirmitas causa exstitit. Gibbus enim mihi crevit in dorso, unde me secari oportuit. Et quamvis inter manus & lacrymosas voces dilectarum Deo sanctimonialium de Fonte-Ebraldi, rastro scribe in nostra carne suas litteras, corpus nostrum infirmitate pariter & vulnerere non mediocriter fatigatum teneretur, nec infirmitas, nec secantis crudelitas, nec*

ANN. CHR.
1130.

a Orderic. lib. 6. p. 626. § 19.

Uticensibus dat S. Ebrulfi brachium.

XCIV.
Cluniacum secedere cupit.

b Petr. Ven. lib. 3. ep. 5.

cid. lib. 4. ep. 9.

XCIV.
Resbaci abbates.

XCVI.
Goffridi abbatis Vindocinensis morbus & mores.
d Goffrid. lib. 4. ep. 32.

ANN. CHR.
1130.

statim impositi salis asperitas, ut vos vel ad momentum oblivisceret, facere potuit... Dei tandem adjuvantie clementia aliquantulum de infirmitate convalescit; & partim aqua, partimque equo portatus Andegavim veni. Valet in Domino omni tempore; ipsum Deum & Dominum rogantes, ut me, & in infirmitate patientem, & in prosperitate humilem faciat, & me, & vos in sui dilectione custodiat. Certe quanto studio & affectu suos Vindocinenses prosequeretur, testis est alia^a ejusdem epistola, in qua, licet absens corpore, eis tamen corde & dilectione se presentem esse asserit. *Vos enim estis sensus mei, inquit, mea cogitatio, vos viscera mea. Vobis utrumque dedi, corpus utique meum, & animam meam. Pro vobis utrumque, ut fidelius possim, expendo quotidie. Per vos utrumque commendo Domino Deo vivens, & etiam moriens commendabo, &c.* Incertum est tamen, an Vindocini obierit, an potius in monasterio beatæ Mariæ de Aquaria apud Andegavos.

^b *Et si suapte natura^b ad calparum vindictam invitatus traheretur, & pronior esset ad indulgentiam; tamen culpas severe, ubi exigebat res, puniebat. Unde quamdam cellæ Credonensis^c camerulam, quæ stupro polluta fuerat, subruere iussit. Hinc sequioris sexus familiaritatem in suis non ferebat, in aliis ægre tolerabat. *Hæc^d quantos, inquit, jam perdidit? quos adhuc perdere non desistit. Ut breviter dicam: omnes qui perierunt, qui pereunt, seu qui usque in finem sæculi perituri sunt, sexus iste duplicem contulit mortem.* Non minori zelo affectus erat pro regula S. Benedicti. Unde in quadam^e epistola adversus priorem beatæ Mariæ de Castello seu de Castellis, ejusque fratres, quæ cella est in finibus Andegavorum & Turonum, graviter invehitur, quod contra regulam, quam coram Deo & sanctis ejus se observaturos promiserant, carnes sollemniter & generaliter manducarent. quod ne deinceps fiat, regulæ auctoritate prohibet. Observatu digna est ejus epistola^f ad Radulfum Vindocini priorem, qui rogabat permitti cuidam novitio, ut, veste religionis mutata, ad parentes suos remitteretur, ut damnum quoddam temporale recuperaret, postea reversurus. Ad quod Goffridus: *Pro amore vestro remitti quidem potest: vestis autem religionis sine offensione & nota infamia remitti non potest. Si quis objicit, quod episcopi & abbates Romam sæpe ierunt veste mutata; scire debet, quia illud cogebat, quæ domino papæ debetur, obedientia. Pro temporis necessitate novum dedit dominus papa obedientiæ præceptum: in hac vestra postulatione novum, ut ita dixerim, audio cupiditatis peccatum. Iterum si dicitis, eum nondum fecisse professionem, nondum monachi habuisse benedictionem: firmiter credite, & veraciter cognoscite, nec professione, nec benedictione perfectum monachum sive christianum posse fieri sine cordis devotione: & ubi est cordis devotio, ibi sancta benedictio deesse non potest, & vera professio, &c.* Ceterum fatendum est, Goffridum vivido & acri fuisse ingenio, ut patet ex quibusdam ejus epistolis, præsertim ad Girardum episcopum Engolismensem & Rainaldum episcopum Andegavensem.*

XCVII.
Baldrici Dolen-
sis archiepi-
scopi obitus
& scripta.

* In Rille.

* Gall. christ.
10. a. p. 567.h Orderic. in
sue lib. 9.

Hic annus extremus fuit Baldrici archiepiscopi, ut tum vocabant, Dolensis ex abbate Burgulienfi, de quo in superioribus sæpius egimus. Hic subditi sibi populi mores nec emendare, nec ferre valens, varias lustravit provincias, ut aliorum mores exploraret, varique monasteria, maxime in Neustria & in Anglia: sed tandem ad ædem sancti Samsonis, in Nortmannia supra Riselam^{*} fluvium sitam, se recepit, amore & exemplo sancti Samsonis Dolensis quondam episcopi, cujus vitam ipse alio stilo scripsit. Pertinebat ad Dolensem ecclesiam hic locus, monasterio quondam insignis, cujus basilicam idem Baldricus anno præcedente in honorem beatissimæ Virginis, S. Petri & S. Samsonis dedicavit viii. idus Octobris, & biq̄uo post ecclesiam S. Laurentii de Marisco, quæ itidem juris erat ecclesiæ Dolensis. *Trigesimo autem die post consecrationem hujus ecclesiæ obiit in Christi confessione; ut habet inscriptio relata^g in Gallia christiana, & Pratellis requiescit, id est in monasterio Pratellensi. Ex his intelligitur, Baldricum anno mcccc. obiisse, non sequenti, & quidem die septima Januarii. nam a sexto idus Decembris præcedentis, quo die S. Laurentii ecclesiam dedicavit, ad septimum Januarii sequentis triginta dies intercedunt. Hunc calculum confirmat electio Gaufridi ejus successoris in sede Dolensi; nam donationem cœmeterii ecclesiæ S. Crucis & S. Mevenni de Fraxinaria, Majori-monasterio a Jordano filio Alani, viro strenuo & illustri, factam, hoc ipso anno confirmavit Gaufridus, ut ipse ait, *totius capituli assensu in archiepiscopum electus.* Non omittendum hoc loco elogium quod Ordericus^h de Balde-*

ANN. CHR.
1130.

rico, sibi bene noto, scribit in hunc modum. *Hic civis fuit Aurelianensis, sed Magduno, in agro Aurelianensi ortus, monachus & abbas Burgulienfis, liberalibus imbuitus studiis, & religiosæ meritis vitæ venerabilis. Inde pro religione & sapientia ad gradum Dolensis archiepiscopatus delectatione proventus est ecclesiastica. In episcopatu monachatum servavit, & cum monachis, prout fors dabat, plerumque habitavit. Indomitus enim Britonibus præerat, quorum perversitatem tolerare non poterat. Unde protervosⁱ & exleges frequenter deserebat, & in Normanniam fugiebat: ubi Dolensis ecclesia super Riselam fluvium a temporibus sancti Samsonis, regnante Hildeberto rege Francorum, fundos habebat, & quiete pacificeque possidebat. Ibi scriptis & dogmatibus suis auditores suos ad Dei cultum incitabat, & vicina cœnobiaz, Fiscannum scilicet ac Fontinellam atque Gemmeticum, aliaque plura visitabat, & in timore Dei sacris sermonibus confortabat. Tandem in senectute bona defunctus est, & Pratellis in basilica S. Petri apostoli ante crucifixum sepultus est.* Hactenus Ordericus.

Multa scripsit Baldricus, cum soluta, tum numeris adstricta oratione. Præcipuum ejus opus est historia de Jerosolymirana expeditione, quam quatuor libris composuit. Vitas quoque scripsit S. Samsonis episcopi Dolensis, S. Hugonis Rotomagensis archiepiscopi, & Roberti Arbriffellensis. Ad hæc Fiscannensibus prolixam epistolam scripsit, editam in Neustria pia^a, partim a nobis in superioribus relata^a, in qua de variis monasteriis a se lustratis, præsertim de Fiscannensi honorifice agit. Denique varia poemata edidit, magna ex parte in Chesnii tomo iv. vulgata, in quibus multos sui temporis viros illustres celebrat, & ex eis quorundam epitaphia refert: sed neminem habuisse videtur, qui ipsius epitaphium composuerit. At epitaphio præferendum ejus elogium, quod ex Orderico mox retulimus.

Inter Lemovicenses illustres viros unus e præcipuis hoc tempore effulsit Stephanus, Obazinensis monasterii auctor. Is in Lemovicensi territorio honestis parentibus, Stephano & Gauberta ortus, ab ineunte ætate litteris tum humanioribus, tum sacris informatus est. Cum adultæ esset ætatis, patre amisso, totius domus curam in se suscepit. Post hæc sacerdotali gradu insignitus, sæcularem vitam, quam prius mente despexerat, opere moribusque penitus abiecit. Jam risus & illæ quondam nugæ convertuntur in luctum; pretiosarum vestium cultus deponitur, & cilicio commutatur: denique ciborum exquisitorum apparatus despicitur, & jejunia frequentantur. Ad hæc assiduus in lectione divinarum scripturarum, tam sibi legendo, quam aliis prædicando salutem æternam procurabat. Talibus exercitiis ad majora inflammat, quotidie sæculo nuntium remittere disponebat. Sed ne hoc temere & absque consilio facere videretur, quemdam adit religiosum virum atque sanctissimum Stephanum, cognomento de Mercurio, qui fuerat discipulus sancti Roberti, utpote ab ipso nutritus, cujus fama sanctitatis in tota illa regione celebris habebatur. Hic erat Casæ Dei septimus abbas. Ad hunc cum venisset Stephanus, eique mentis suæ propositum aperuisset, ei auctor fuit venerabilis abbas, ut ne divinitus sibi inspiratum consilium exsequi differret, certus ejusmodi piæ cogitationes mora periclitari. Hoc responso, velut divino fretus oraculo, adjuncto sibi socio, Petro nomine, quantocius sæculum relinquere constituit. Hinc, paucis interpositis diebus, feria quinta cinerum, convocatis affinis suis, ambo sollemne eis convivium exhibent, & substantiam suam in pauperes impendunt. Dein religiosa veste induti, relicto ante lucem natali solo, nudis pedibus in solitudinem secedunt. Erat tunc in illis partibus quidam eremita, Bertrannus nomine, qui paucos sub se discipulos habebat. Ejus magisterio decem tantum menses additi, cum fortiora appeterent, lustratis variis locis, tandem ad saltum Obazinensem pervenerunt & in eo consistere decreverunt. Exstat hic locus in pago Lemovicensi ad amnem Correziam, * silvis & præruptis hinc inde scopulis cinctus. Illuc viri Dei die sancto parasceves ante pascha perveniunt, eoque die ac sequenti absque cibo, alioque quovis solatio persistunt. Tertia die, quæ dominicæ resurrectionis erat, ad vicinam ecclesiam profecti, acceptis mutuo calceamentis, unus eorum missam celebravit, & socio communionem præbuit. Inde ad solitudinem reversi, durissimam illic vitam vixere, arborum succrescentibus ramusculis aut herbis virentibus & aqua sæpe refecti. Post hæc Petrus Stephani socius, una cum Bernardo quodam clerico recens eis adjuncto, Lemovicam pergit, Eustorgium episcopum adit, cui consilium & propositum suum aperuit. quo ille probato, crucem ab eis allatam benedixit, & construendi monasterii facultatem indulgit. Extructis regularibus ædificiis, cum eo-

a Neustria pia
p. 227.XCVIII.
Stephani Obazi-
nensis primor-
dis.

* In Courraze.

ANN. CHR. 1190. rum numerus sensim cresceret, Stephanum inter ac Petrum orta est contentio, uter aliorum curam in se susciperet. Dum alter alterum sibi præferri certaret, & neuter alteri se præponi sustineret, controversiam tandem diremit Gaufridus Carnutensis episcopus & sedis apostolicæ legatus, qui illis in partibus tunc morabatur, & Stephano prioris officium imposuit. Id factum sub annum MCXXXV. quo Gaufridus in Aquitaniæ partibus legati officium adeptus est. Nulla tum eis peculiaris regula erat, sed instituta magistri pro lege erant: donec tandem Cartusie præpositi consilio Cisterciense institutum amplexi sunt.

XCI X.
Guillelmo ab-
bati S. Gerva-
sii bulla data.

Tunc temporis sanctorum Gervasii, & Protasii monasterio diocesis Arelatensis, apud Fossas sito, præerat Guillelmus abbas, qui ab Innocentio II. dum apud S. Ægidium hoc anno versaretur, apostolicæ protectionis & immunitatis privilegium petiit. Ejus postulatis annuens pontifex, exemplo antecessorum suorum Sergii IV. & Paschalis II. prædictum monasterium apostolicæ sedis patrocinio communit, sessiones confirmavit, & monachos ejus loci ab omni sæculari servitio immunes esse sanxit, ut in sanctæ religionis observatione seduli, nulli alii nisi Romanæ ecclesiæ subiecti sint. *Datum apud S. Egidium per manum Aimerici S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii III. idus Septembris, indictione VIII. incarnationis dominicæ anno MCXXX. pontificatus vero domni Innocentii II. papa anno 1.*

C.
Hujus mona-
sterii origo &
status.

Distulimus ad hunc annum agere de illius monasterii origine, quæ ad finem sæculi decimi referenda est. Anno quippe archiepiscopus Arelatensis ecclesiam S. Gervasii de Fossis Paconi sacerdoti anno DCCC LXXXIX. donavit ad monasterium ibidem extruendum: cui idem præful biennio post eundem Paconem abbatem præfecit. Eidem monasterio Sergius IV. post annos circiter viginti privilegium concessit. Anno dein MLXXI. cum locus a recto ordine prolapsus esset, Rostagnus Arelatensis episcopus, ejusque frater Amelius, eum sancto Hugoni abbati Cluniacensi, ut alias dixi, ordinandum commisit. Quinam abbates a Pacone ad Guillelmum, cujus modo meminimus, huic loco præfuerint, incertum. Varios post hunc annum casus tulit hoc monasterium. Cum enim forte a Cluniacensibus defecisset, Alexander III. illud abbati S. Ægidii reformandum commisit, tum Innocentius III. archiepiscopo Arelatensi & abbati Montis-majoris mandavit, ut illius loci monachos ad obedientiam & observantiam regularem compellerent. Tandem Honorius III. præcepit Arelatensi archiepiscopo, ut canonicos ibidem loco monachorum substitueret.

a lib. 66. n.
24.

CI.
Johanni Sithiensis abbati deposito suffraganeus Simon.
b lib. 74. n.
115.

In Belgio Johannes Sithiensis seu S. Bertini abbas, non omnino canonice creatus, ut superius vidimus, hoc anno Innocentii II. jussu præfectura dejicitur, tum quod Petro-Leonis præfracte adhereret, tum quod Balduinum Theoderici Flandriæ comitis filium, qui post mortem Johannis piæ memoriæ episcopi in sedem Morinensem intrusus fuerat, propugnaret, ac venerabilem Milonem Præmonstratensis instituti, legitime electum, agnoscere detrectaret. In depositi abbatis locum substitutus Simon, quem post mortem Lamberti abbatis fratres Johanni præferri volebant, Gandensis ortu, sed a puero S. Bertini monachus, vir literatus, sed impeditioris linguæ, qui ante quatuor annos Alchiacense monasterium rexerat, Alchiaci successorem fortitus Godescalcum, patruum Godescalci Sithiensis futuri abbatis. Verum, quia Simonis electio inconsulta curia & lite pendente post dejectionem abbatis, facta fuerat, Innocentius papa instinctu Cluniacensium, apud quos hospitatus, eorum ecclesiam dedicaverat, Simonis electionem irritam declaravit, novamque electionem fieri præcepit.

CII.
Ghisnense par-
thenium.

Eodem tempore absolutum Ghisnense monasterium, quod comes Robertus, qui & Manasses, cum Emma conjugè paullo ante inchoaverat, eoque mortuo Emma perfecerat, sub titulo S. Leonardi. Ibidem positæ sanctimonialia, quarum cura & directio Sithiensibus monachis commissa fuit. Sed quia processu temporis claustrum se continere noluerunt, eorum curam Sithienses abjecere.

CIII.
Albæ-marle
abbatia erecta,
& abbates.
* Annale.
* Accis.
* En.

In confinio Normanniæ & pagi Ambianensis exstat vetus castellum seu opidum, nunc ducatus titulo insigne, cui adjacet ecclesia beate Mariæ & sancti Martini, primitus canonicorum, dein cella monasterii S. Luciani Belvacensis, quæ demum hoc anno in abbatiam erecta est. Hæc ecclesia principio condita fuit in villa, quæ dicitur *Alcis*, temporibus Richardi IV. Normannorum principis, a viro nobili Gue-rinfrido, qui & ipse castellum Albæ-marle super fluvium Algum seu Augum * con-

struxit;

struxit. In illa autem ecclesia sex canonicos locavit, quibus prædia, decimas & altaria in vitæ subsidium contulit. quæ omnia postea descripta sunt *jussu Adelidis nobilissimæ comitissæ, sororis Willelmi regis Anglorum*, confirmante viro suo Odone comite una cum filio suo Stephano, ut omnis in posterum litis occasio tolleretur. Quin etiam eadem comitissa multa eidem ecclesiæ ornamenta donavit, eamque a Maurilio Rotomagensi archiepiscopo, cum hæc adhuc juvenili florere ætate, dedicari curavit; ac demum eam monachis S. Luciani Belvacensis concessit, quod Stephanus comes ejus filius anno MCXV. litteris suis^a confirmavit, & ejusdem ecclesiæ dotem auxit. Post annos quindecim, Stephani comitis filius ac successor Willelmus ipsam ecclesiam in abbatiam erigi voluit, idque probavit Hugo Rotomagensis archiepiscopus sub certis conditionibus, quarum una fuit, ut ejus loci abbas archiepiscopo Rotomagensi faceret obedientiæ professionem, quam plerique Rotomagensis diocese abbates ei denegabant; & ut primus loci abbas ab ecclesia S. Luciani assummeretur, ut fufius legitur in ipsius Hugonis archiepiscopi litteris hoc anno datis, quæ in Neustria-pia & in collectione Conciliorum provincie Rotomagensis referuntur.

ANN. CHR. 1130.

a Neustria pia
p. 73L.

Primus novæ abbatie rector seu abbas fuisse videtur Natalis, qui prædicti Hugonis archiepiscopi litteris^b pro Beccensi monasterio post Serlonem S. Luciani abbatem ita subscripsit, *Ego Natalis abbas S. Martini Albæ-marle*. Natali abbati jam successerat anno MCLII. Fulco abbas: ceterorum nomina in Neustria-pia desiderantur usque ad medium sæculum decimum-sextum. Duos tamen sæculi tertii-decimi abbates invenio in quibusdam chartis ejusdem monasterii, scilicet Wibertum, ex priore S. Maxiani, quem Corbeiensis & Fulcardi-montis abbates de mandato domini papæ monasterio beati Martini anno MCCXLIV. præfecerunt; alterum Herbertum, S. Luciani supriorem, quem iidem abbates anno MCCL. feria tertia ante nativitatem Domini Wiberto substituerunt. Illic comitum Albæ-marlesium conditorium erat. Hoc monasterium nostro tempore abbatum incuria & dissolutione monachorum ad eum statum redactum erat, ut ecclesia everfa, Albæ-marle comitum violata sepultura esset, vixque superessent regularium ædificiorum ulla vestigia: dum tandem Congregationis nostræ præpositi, miserati sacri loci ruinas, his difficillimis temporibus monasterium modici admodum reditus ab interitu revocarunt, ibique intra quatuor aut quinque annos commoda & elegantia pro loco ædificia construxerunt: dum erigendæ ecclesiæ meliora tempora suffragentur. De sigillo illius monasterii legendam scriptum, quod in Appendice referemus, editum anno MCCCXXX. quo tempore Simon, dictus longus, monasterio beati Martini præerat.

b ibid. p. 490.

[Cum Blesenses canonici S. Carilei Majoris-monasterii monachos super decima de dono elemosynæ de Francavilla molestant, istorum causam Adela piissima quondam Blesensis comitissa, tunc Marcinianensis monacha suscepit defendendam, hanc ad Gaufridum Carnotensem præfulem scribens epistolam: *Pervenit ad nos, quod canonici S. Carilei decimam de dono elemosynæ de Francavilla, quam venerabilis scilicet comes & socius noster & ego Majoris-monasterii monachis dedimus, calumniantur. Unde noverit vestra paternitas hanc calumniam in præsentia nostra, cum adhuc in sæculo agerem, sic ventilatam & omnino diffinitam esse, ut nullatenus super hoc præfati monachi inquietari debeant: quippe quia canonici illi nobis coram positis & pluribus legitimis testibus hanc querelam monachis eisdem prorsus quiete dimiserunt. Quocirca vestræ sanctitatis paternitatem exoro, ne super hoc jam dictos Majoris-monasterii monachos ulterius ullo modo fatigari permittatis. Vale.* Scripsit & aliam ejusdem argumenti ad Theobaldum comitem filium suum. quæ utraque exstat in archivis Majoris-monasterii.]

CIV.
Adela quon-
dam comitissæ
Blesensis epi-
stola ad Gau-
fridum episco-
pum Carnoten-
sem.

Tunc Aldemburgense S. Petri monasterium ad magnam inopiam redactum erat: cujus penuriæ compassus Simon^c Tornacensium & Noviomensium episcopus, eidem monasterio & abbati Hariulfo ejusque fratribus, ecclesiam S. Mariæ, in eodem opido sitam, sub personatu tenendam concessit. His litteris apposta sunt signa Simonis episcopi, Roberti Tornacensis archidiaconi, Rainardi Noviomensis abbatis canonicorum regularium, Hugonis cancellarii de Rogia * Walteri buticularii, qui me, inquit Simon episcopus, *Brugis marentem & dolentem pro nece comitis Karoli in ecclesia sancti Salvatoris adit, & ut hanc ecclesiam fratribus ecclesiæ S. Petri condonarem, exposulavit, &c. Actum Brugis XI. kal. Aprilis anno millesimo centesimo tricesimo, indictione VIII.* Non diu post hunc annum vixit Hariulfus, ejus

CV.
Hariulfi abba-
tis Aldembur-
gensis obitus.
c Mirai not. p.
334.

* de Roys.

ANN. CHR. 1130. loci abbas tertius, qui suum ipsius epitaphium, in fine sui chronici relatum, composuit in hunc modum.

*Pontivo natus pronus studiis Hariulfus,
Almi Richarii claustra puer subiit.
In quibus imbutus, deceat quid nosse magistrum,
Aldemborgensis tertius abba fuit.
Rem sibi commissam pro viribus amplificavit,
Crescere, Petre, tuis semper opes sitiens.
Fratribus exemplum præterens compatiens,
Multa nimis tacuit, quæque loqui docuit.
Centula quos fratres retinet, coluit seniores,
Illis quod sit honor, cernere semper amans.*

Idem in eodem codice Centulensibus suis chronicum suum Centulense offert his versibus:

*Centula, diligo te, doctricis captus amore,
Ultima cum tibi do munuscula, mater, aveto,
Atque vicem referens, dic nato: Nate valet.*

Ceteros id genus versus sub finem tomi primi nostrorum Analectorum videre licet. De Hariulfi scriptis superius a actum est. Ejus obitus in necrologio Centulensi sic notatur: XIII. kal. Maii obiit Hariulfus senior. sic dictus ad discrimen alterius Hariulfi levitæ & monachi, qui XIII. kal. Junii obiisse memoratur. De Hariulfi abbatis successoribus in Aldemburgensi præfectura nihil comperti habemus.

CVI.
Affligemienfes
abbates.
b lib. 74. n.
59.
c Spicil. to. 10.
p. 612.

Superius b egimus de Francone Affligemienfi secundo abbate, piissimo & doctissimo, qui haud scio an ad annum MCXXVIII. pervenit. Ejus successor Albertus, vi ad capeffendam dignitatem adductus, negotiorum pondus ferre impatiens, post unum aut alterum annum pastoralis curæ sarcinam deposuit. Petrus c in ejus locum successit, abbas loci quartus. Eo jam abbate Godefridus Barbatius, dux Brabantia: seu Lovaniensis, res ab Henrico fratre collatas monasterio confirmavit, addita cella Fliderbecana apud Lovanium, ac demum Affligemii humari voluit. Fallit continuator historia: Affligemienfis, cum eum anno MCXXX. obiisse dicit, quandoquidem ad annos novem superstes fuit. Petrus abbas Alberti exemplo præfecturam quoque abdicavit.

CVII.
Boscodoni,
Calesiæ & Lu-
ræ abbatia.
Charta fund.

[Exstat in Ebrudunensi diocesi duabus ab urbe leucis abbatia beata: Mariæ de Boscuduno seu Boscodono, sita inter duos rivulos quingentis fere passibus in unum confluentes & in Druentiam labentes. Ad construendum hoc monasterium Pontius, Albertus & Guillelmus, atque Petrus de Montemira, & filii Petri Adam dederunt nemus qui vocatur Boscodo clericis & laicis, qui seculum deserentes ibi Deo servire vellent & tenere regulam S. Benedicti, vel B. Basili, idque anno MCXXX. luna I. Ex quibus refutata manet Sanmarthanorum sententia, qui in sua Gallia Christiana a canonicis regularibus primo inhabitatum esse Boscodunum dicunt. Eodem anno in diocesi Gratianopolitana a S. Hugone episcopo fundata est abbatia Calesii, quæ congregationi cognomini originem dedit, habuitque sub se Boscodunum in diocesi Ebrudunensi, Albam-vallem, & Luram in diocesi Sistaricensi, Tornamiram & alia cœnobia, quorum nomina ad nostram notitiam non pervenerunt. Non diu viguit hæc congregatio, cujus caput Calesium ad extremas paupertatis angustias redactum, Guillelmus episcopus Gratianopolitanus circa annum MCCC. majori Carthusiæ incorporavit. Hac abbatia deficiente, Johannes de Poliniaco Boscodunensis abbas anno MCCCC. monasterium suum Clufenfi subjecit, idque Martinus V. paulo post confirmavit. Perit totum fere Boscodunum cum incendio, tum hæreticorum tumultibus, qui illud invaserunt: sed tandem ex eorum manibus ereptum Franciscus Sauterellus* abbas ante medium sæculum decimum-septimum pene a fundamentis instauravit, ubi duodecim monachi statim restituti.]

* Sauterellus.

[Guillelmo primo abbati successit Guido seu Guigo de Revello: is postea factus est Diniensis episcopus, retenta Boscoduni abbatia, atque etiam primus abbas B. Mariæ de Lura diocesis Sistaricensis, quæ a Boscodunensi pendebat. Locum de Lura Guidoni abbati contulere Fulco de Alfonticis, aliique adjunctorum prædiorum domini, in præsentia domni Petri Sistaricensis ante annum MCLXXII. eidemque Guidoni confirmavit Guillelmus Folcalquerii comes, ad ædificandum ibidem eccle-

siam in honore Domini nostri Jesu Christi & gloriose virginis Mariæ, & ad instituendam ibi abbatiam secundum ordinem Calisientium a S. Hugone Gratianopolitano quondam episcopo institutum. Alexander III. in privilegio, quod Guigoni abbati Boscodunensis monasterii anno MCLXXVI. indulgit, inter bona hujus monasterii recenset in primis locum qui Boscoduni dicitur, abbatiam de Pratis, & abbatiam de Lura. Quadriennio post Guidoni abbati successerat Petrus, de quo ejusque successoribus consule tomum tertium novæ Gallia: Christianæ.]

Trithemius in historia Spanheimensi refert ad hæc tempora originem percelebris monasterii Schonaugiensis, quod comes Lurburgensis in diocesi Trevirensi, trans Rhenum, sexdecim contra Bingam passuum millibus, fundasse dicitur, eique Hildelinum seu Hildelmu[m] religiosissimæ conversationis abbatem præfecisse. Browerus a hoc monasterium ab Hilduwino locuplete viro inchoatum dicit, a Ruberto Luremburgensi comite postea perfectum, atque beato Florino, cujus sacris cineribus insignitur, dicitur. Hildelmus (sic eum vocat) primus abbas, ad teli jactum aliud item virginibus eodem nomine cœnobium constituit: in quo eximia pietatis & sanctimonie virgo Elizabeth, caelestibus revelationibus illustris, postea claruit. Hildelmo abbati successit Eggebertus ejusdem sanctæ Elizabeth frater, in scripturis humanis & divinis eruditissimus dictus a Trithemio, qui Adelberti Moguntini archiepiscopi de hujus monasterii origine litteras refert, datas anno ab incarnatione Domini MCXXX. indictione VIII.

Idem Adelbertus prapositionem sancti Johannis-Baptistæ in Ringaugia seu Ringavia Moguntina: diocesis prope Vinicellam, quam Ruthardus archiepiscopus ejus antecessor fundaverat, & S. Albani monasterio subjecerat, assentiente Wernhero abbate in abbatiam erexit, ubi Egilwardus abbas primus constituitur. Adelberti hæc de re litteras profert Trithemius in chronico Sponheimensi, in quibus fit mentio filia: Richolfi comitis, juxta monasterium S. Albani reclusæ, quæ singulis annis donaria quadam ad illam S. Johannis-Baptistæ ecclesiam deferri curabat.

Consignanda quoque est huic anno Monasteriensis cœnobia S. Petri, ut docent domestica instrumenta, restauratio, per sanctum Ottonem Bambergæ antistitem facta. Varia fuit variis temporibus hujus loci fortuna, cujus vices in versibus est rudi minerva exaratis exponuntur, qui olim in abbatia ecclesia legebantur. Hos post Gretserum nonnullis omiſſis repræsentare haud incongruum erit.

*Tassilo dux Boiuvum, qui nomine dicitur ipso
Tertius, ille pius fundat & ædificat
Istud cœnobium, Munster* quod habere videtur
A monachis nomen, utque hodie vocitant.
Annis sub numero Domini septingentique, decemque
Lustra ierant, sed mox fit solitudo iterum.
Princeps Arnolfus siquidem Bavarorum, agitatus
Eumenidum furiis in cinerem redigit.....
Post divus veniens præsul Bambergius Otto,
Nempe Lotharius ut induperator erat.
M.C. sub uno anno..... ernt..... &c.*

ANN. CHR.
1130.

CVIII.
Schonaugienſe
monasterium
duplex.

a Annal. Tre-
vir. to. 2. p. 20
& 21.

CIX.
Ringavia: ab-
batia.

CX.
Monasterienſe
in Bajoaria.

* Munichs-
munster.

His versibus præter vitæ sancti Othonis auctorem adſtipulantur varia instrumenta, quæ a Gretsero in notis ad illam vitam, & ab Hundio in metropoli Salisburgensi laudantur, aut integra referuntur. Locum in Danubii ripa situm a Diepoldo duce numerata pecunia redemisse Otho dicitur, adeoque in Ratisponensi licet diocesi constitutum, ad Bambergensem ecclesiam speciali jure pertinuisse. Haud tamen ejus loci curam omnino abjecere Ratisponæ antistites; quin immo Cuno, qui tunc temporis vivebat, laudatur ob præclara ejus in hoc monasterio instituta, & quod ei nonnihil donationis fecerit; & post illius mortem Henricus ejus successor statim Richardum ibi abbatem quamvis multum renitentem & flentem pridie nonas Decembris ordinavit; eumque producens publice & ipsi & fratribus ejus, & omnibus habitis vel acquirendis rebus immunitatem banni sancti Petri & papæ, cum propria & totius ecclesie auctoritate denunciavit. Exstat ad eum abbatem Innocentii secundi bulla, qua monasterium illi commissum sub speciali sedis Apostolicæ tutela suscipit, multisque aliis privilegiis exornat. quæ omnia Lucius III. anno MCLXXXIV. novo diplo-

Metrop. Salisb.
to. 2. p. 518.

Annal. Bened. Tom. VI.

Bb ij

ANN. CHR.
1130.

mate Hartwico abbati inscripto confirmavit. Jam antea pro ejus loci monachis apud Innocentium intercesserant Conradus Salisburgi archiepiscopus & Theodinus sanctæ Rufinæ episcopus, tunc temporis in Germania legatus sedis apostolicæ. Observatione digna sunt præ ceteris hæc Conradi verba de ejus loci monachis ibi recens restitutis: *Nunc denuo boni & spirituales homines in locum pauperum restituti sunt. Ecce illi sub vestram tutelam confugiunt, & ut sub paternum præsidium vos suscipiatis, & recognoscendis bonis quæ ablata eis sunt operam detis, humillime ac devotissime petunt.* Tantorum virorum litteris procul dubio excitatus Innocentius pontifex, tres epistolas in Monasteriensium monachorum gratiam scripsit; quarum duæ ad Henricum Ratisponæ episcopum, tertia ad Diepoldum marchionem loci advocatum extant, quibus eos ad loci tuitionem, & bonorum possessionem confirmandam adhortatur. Quin & Conradus rex Lotharii successor publico decreto, quod ipse & regni utriusque ordinis proceres anno MCXLI. Ratisponæ subscripserunt, omnes monasterii possessiones ejusque privilegia confirmavit. Denique Eberhardus Ratisponensis electus cum toto ejusdem ecclesiæ choro, perspectis Innocentii papæ, Lotharii imperatoris, & Cunonis ac Henrici prædecessorum suorum episcoporum litteris, ecclesiam sancti Sixti, quæ Monasteriensis parochia erat, cum decimis aliisque ejus proventibus abbati ejusdem loci Conrado atque ejus successoribus & cœnobii fratribus, hoc sæculo labente confirmavit, & asseruit. Vetusissimum codicem in eo monasterio suo tempore asservatum fuisse scribit libro quarto Annalium Boiorum Aventinus, in quo descriptæ erant *divorum vita a Paschasio e græca lingua in Romanam translata, item Hilarion divi Hieronymi.* Adeo autem antiquis litteris hunc librum exaratum fuisse refert, ut sibi repuerascendum, & ad prima elementa revertendum fuerit ad ejus notitiam habendam. ad ejus calcem hæc inscriptio legebatur: *Hic liber fuit inchoatus in Hunia in exercitu anno Domini DCCCXIX. IV. nonas Junii, & perfinitus apud sanctum Florianum pridie idus Septembris in hebdomada quinta-decima,* scilicet, uti conjicio, post pentecosten. quo tempore bellum inter Sclavos rebelles & Ludovicum imperatorem maxime fervebat. Hunc codicem frustra quæsitit Hundius in cœnobio Monasteriensi anno MDLXXX. quem adeo putat Monachium translatum fuisse in bibliothecam ducalem.

a *ibid.* p. 523.b *ibid.* p. 517.CXI.
Liefbornense
monasterium,
ejusque abba-
tes.

Existat in inferiori Saxonia Liesbornense monasterium diœcesis Monasteriensis, ab anne præterfluente *Liese* ita dictum, olim virginum, nunc virorum, quod Carolus Magnus pro virginibus sacris primitus condidisse fertur, eidemque præfuisse Roswindam primam abbatissam, quam ejus filiam esse fabulantur. Ejusdem loci abbatissa exstitit Berthildis, quæ codicem evangeliorum describi curavit, & sancto Simœoni seni, loci patrono, obtulit, appositis inter alios his versibus.

*Accipe donatum devoto pectore librum
Quem devotarum tibi mater dat famularum
Berthildt, quæ Christo placeat faciente patrono,
In libro vitæ scribatur, teque precante.*

Obiit Berthildis iv. kal. Decembris, quæ quosdam alios codices scriptos reliquit. Cum vero moniales illæ ad solutiorem vitam prolapsæ essent, iis eliminatis Egbertus Monasteriensis episcopus instituti nostri monachos substituit, eisque Baldewinum, probatæ religionis & prudentiæ abbatem præfecit. Huic abbati ejusque successoribus Wernerus episcopus bannum episcopale & jurisdictionem archidiaconalem concessit. Abbatiam rexit Baldewinus annos fere triginta duos, quibus exactis senio confectus decessit, in medio chori sepultus. Successor ejus Franco, cum sexdecim annis loco præfuisset, obiit iv. nonas Februarii, humatus in choro oratorii S. Benedicti, cui in primis devotus erat. Post hunc Wensio abbas multos codices ad locupletandam bibliothecam describi curavit, otium in se & in aliis maxime perosus. Sedit annis duodecim, tribusque mensibus, mortuus vi. idus Aprilis, anno MCXC. Ejus loco suffectus ad octo annos Engelbertus, fato functus est x. kal. Septembris, mortis suæ præsciis. Hunc excepit ad annos viginti tres Wernerus æterna memoria dignus abbas. Alios prætereo abbates.

CXII.
Vare parthe-
nium.

Eodem quo sistimus anno, Wenero Einsidensi abbate, Ulricus & Arnoldus fratres, Lentzburgi & Badæ comites, prædium suum, cui Vare vocabulum est, cum capella & adjunctis, Wenero abbati & fratribus contulere ad construendam ibi-

ANN. CHR.
1130.

dem cellam & regulare claustrum religiosæ feminis monasticæ professionis, secundum regulam scilicet & ordinem sanctimonialium in Murenfi vel Beraugensi cœnobio Deo servientium: quibus monachi tales præponantur, qui sciant illis & præesse, & prodesse ad salutem & necessitatem, tam animarum quam corporum, ut legitur in ipsis fundatorum litteris hoc anno datis, quæ in Annalibus^a Eremi referuntur cum diplomate Lotharii imperatoris, qui hæc omnia confirmavit anno sequenti. Nunc Varæ simplex præpositura est cum præposito, inter Badam & Tigurum* ad Limagum* fluvium sita.

^a Annal. Eremi
p. 187. § 190.* Zurich.
* le Limat.

Jam tandem revertendum est ad Innocentium papam, qui in urbe Carnutum, ubi ab Henrico Angliæ rege pro legitimo pontifice agnitus, salutatusque est, ut superius^b diximus, versabatur initio anni insequentis millesimi centesimi tricesimi primi. Illinc ad Lotharium Teutonicorum regem profecturus, prima statione in Mauriniacensi prope Stampas monasterio hospitari constituit. Contra suadentibus Henrico Senonum & Gaufrido Carnutenfium præfulibus, quod locus suscipiendo cum toto comitatu pontifici parum idoneus videretur; pontifex respondet locum & abbatem sibi probe notos esse, quippe qui illic, cum suo illo adversario Petro, dum legatione in Galliarum partibus fungeretur, hospitio acceptus fuisset, ac biduo bene procuratus. Tam inopinati præmonitu adventus turbati illius monasterii fratres, celerem nuntium ad Thomam abbatem, qui tunc forte cum Guarino priore in Aquilina silva ultra S. Leodegarium apud quosdam eremitas versabatur, ilico mittunt. Revertit ocius abbas, cum pontifex jam non longe a monasterio abesset, ubi honorifice susceptus, recreatusque est. Postera die (nam biduo illic mansit) rogatus a Thoma abbate, altare, quod est ante crucifixum, in honorem S. Laurentii & sanctorum martyrum consecravit xiii. kal. Februarii, qua in re Henricus Senonum archiepiscopus capellani officio functus est; & Gaufridus Carnutenfium antistes sermonem ad populum habuit. Huic consecrationi ex primoribus interfuere episcopi cardinales, Guillelmus Prænestinus, Matthæus Albanensis, Johannes Ostiensis, Guido Tiburtinus; presbyteri cardinales, Johannes Cremensis tituli S. Chrysgoni, Petrus-Rubeus tit. S. Martini, Humbertus-Rubeus tit. S. Clementis, Gotielmus tit. S. Cæcilie; diaconi cardinales, Romanus tit. S. Mariæ in Porticu, Haimericus cancellarius, diaconus cardinalis tit. S. Mariæ novæ, Guido tit. S. Mariæ in Via-lata; abbates, Adenulfus Farsensis, Bernardus Clararum-vallium, qui tunc temporis in Gallia divini verbi famosissimus prædicator erat, Petrus Abaëlardus monachus & abbas, & ipse vir religiosus (verba sunt chronographi^c Maurinianensis) excellentissimus rector scholarum, ad quas pæne de tota latinitate viri litterati confluebant; Girardus abbas, vir æque & litteratus, & religiosus; & Sanxon, forte Samson, abbas S. Luciani de Belvaco. Mirum est in illis papæ redditibus obsequiis nullam fieri mentionem Goffridi abbatis Vindocinensis. Forte eo morbo tunc tenebatur, cujus superius^d facta mentio est. His peractis, die tertia pontifex cum suo comitatu, actis hospitibus suis gratis, lætus discessit, & ad Lotharii colloquium iter instituit, per urbes Noviomum, Cameracum & Laubiense monasterium, ut postea videbimus.

ANN. CHR.
1131.
CXIII.
Innocentius
Mauriniaci al-
tare consecrat.
b *supra* n. 87.^c *Chefn.* 10. 4.
p. 377.^d *supra* n. 96.

Venienti pontifici obviam occurrit in urbe Leodicensi Lotharius cum magno episcoporum & optimatum comitatu. Ubi eo advenit pontifex, Lotharius^e in platea ante episcopalem ecclesiam humillime seipsum stratores offerens, pedes per medium sanctæ professionis ad eum festinat, alia manu virgam ad defendendum, alia frenum albi equi accipiens, tamquam dominum deducebat; eundemque post descensum ex equo progredientem sustentabat. Sic pontificem sollempni more agnovit Lotharius xi. kal. Aprilis dominica ante mediam quadragesimam in celeberrimo conventu triginta sex episcoporum, ut in chronico Saxonico legitur: ubi multa ad ecclesiæ & regni utilitatem ordinata fuisse leguntur. Aderat in illo conventu S. Bernardus, papæ ubique individuus comes, & quidem opportune, ut Lotharium investituras repetentem pontifici conciliaret. quod feliciter præstitit, teste Ernaldo in libro secundo de ejus vita.

CXIV.
Leodii a Lothario
excipitur.
^e Suger. in vita
Ludovici. VI.

[Soluta Leodicensi conventu, Stabuletum ob venerationem beati Remacii cum Richisa conjugæ suæ devotè Lotharius adivit: ubi perspectis ejusdem cœnobii privilegiis, ad petitionem Wibaldi abbatis, ea quæ a regibus Sigeberto, Hildrico, Clodoveo, Dagoberto, qui constructores fuerunt præfati loci, data fuerant, sive ab imperatoribus Carolo, Ludovico, & tribus Ottonibus, Conrado, & quinque Henricis collata confirmavit, concedens liberam potestatem eligendi abbatis secundum regulam

CXV.
Lotharius con-
firmat privile-
gia Stabuleti.

ANN. CHR.
1131.

S. Benedicti, & formam canonum, ita ut utraque monasteria, Stabulense & Malmundariense sub unius abbatis regimine consistant. Et quia in eorum principali, id est Stabulaus B. Remaclus sepultura locum sibi elegit, semper apud Stabulaus electio fiat, ea proponderante ratione, ut de conventu Stabulensis ecclesie idonea persona, si inventa fuerit, primo assumatur. quod si minime, quod non credimus, ex eo loco promoveri aliquis potuerit, tunc primum ex Malmundario vel ex altero loco apta persona requiratur. Deinde juri advocatorum limites ponit, omnia beneficia quae Poppo II. abbas monasterii dilapidator dederat lege sempiterna damnat, & irrita esse juxta praedecessoris sui Henrici sententiam decernit. Villam Turnines quae ad mensam pertinet, quam eis Godefridus comes Namurcensis injuste abstulerat, quamque judicio curiae in manu imperatoris Henrici refutaverat, jure perpetuo fratribus confirmat, villamque Vilippam, quam Warnerus de Kerpen invaserat, aeterna firmitate restituit, &c. Subscribit Lotharius, & Thyetmarus ad vicem Adelberti archicancellarii recognovit. *Data Stabulaus idus Aprilis anno ab incarnatione Domini MCXXXI. indictione IX. anno VI. regni domini Lotharii III. Romanorum regis serenissimi feliciter. Amen.*

CXVI.
Claram-vallem
adit Innocen-
tius.

Ernaldus auctor est, Innocentium ex urbe Leodio Claram-vallem divertisse, ut sacrae illius domus fratres amore Bernardi, cui adeo obstrictus erat, inviseret. Illic festive, sed modesto apparatu susceptus est pontifex a pauperibus Christi, non purpura & bysso ornatis, nec cum deauratis evangeliiis, sed pannosis agminibus scopelofam seu ligneam bajulantibus crucem. Flebant episcopi, flebat ipse summus pontifex, mirantes congregationis illius gravitatem, quod in tam sollempni gaudio oculis omnium humi defixis, complois palpebris, ipsi neminem viderent, & ab omnibus viderentur. Nihil in ecclesia illa vidit Romanus quod cuperet, nulla ibi supellex eorum sollicitavit affectum. Nihil in oratorio nisi nudos viderunt parietes. Solis moribus poterat inhiare ambitio. Ubi ventum est ad mensam, panis furfuraceus, olera & legumina, pro deliciis, potus ex succo herbarum pro vino apposita; uni pontifici piscis oblatus. Potuisset haud dubie Bernardus amicorum subsidio exquisitum tam illustribus hospitibus epulum exhibere: at hoc exemplo nos docere voluit, nec quaerendas in monasteriis, nec exhibendas hospitibus delicias.

CXVII.
Apud S. Dionysium pascha
celebrat.

Inde pontifex ad S. Dionysii monasterium accessit, illic pascha celebraturus. Eo advenit pridie coena Domini, quam ibidem more Romano & sumptuoso donativo, quod presbyterium nominatur, celebravit, uti & sequentem pascheves diem; sabba- to vero sanctissimae resurrectionis vigiliis honore debito permotavit, inquit Sugerius, id est, totam noctem Romano more pervigilem duxit. Prima luce, ad ecclesiam sanctorum martyrum de Strata cum multo collateralium collegio secreto se contulit, illinc ad S. Dionysii basilicam Romano more processurus. Omnes itaque palliis induti & equis albis incedentes, papam mirabili modo ornatum, frigidum ornamentum imperiale, instar galeae circulo aureo circinnatum in capite habentem, albo equo vectum praecedunt, & cum festivo cantu per viam tapetibus ornata circumstantibus S. Dionysii baronibus feodatis & nobilibus castellanis, qui equitatem frano ducebant, ad basilicam deducunt, coronis aureis rutilantem & gemmarum splendore micantem, ubi divina divina papa celebravit. Finita missa, erectis in claustrum palliis, quod mensis stratum erat, materialis primum agnus, dein cetera nobilis mensae fercula pransuris apposita. Sequenti die eadem processio ab ecclesia S. Remigii ad principem basilicam facta est. Peractis itaque tribus post pascha diebus, cum multa gratiarum actione, & auxilii consilii pollicitatione, pontifex ad urbem Parisiorum discessit. Inde Galliarum ecclesias lustravit, ut de earum copia inopiam suam suppleret, ac demum Compendii demorari elegit, teste Sugerio qui haec refert, non facile conciliandus cum chronographo Mauriniacensi, scribente, Innocentium Leodio reversum Autisiodori diu commoratum fuisse; indeque Turonos adiisse ad sibi conciliandum Gaufridum Martellum Andegavorum comitem, antequam Parisios accederet, quae certe omnia fieri vix potuere post conventum Leodii in media fere quadragesima habitum, adeo ut apud S. Dionysium opportune adesset pontifex ad pascha celebrandum, ut ex Sugerio mox retulimus.

CXVIII.
Privilegia ejus
confirmata.
a Felibien p. 98.

Rotomagi versabatur VII. idus Maii pontifex, quo die S. Dionysii privilegia & possessiones confirmavit, litteris datis dilecto in Christo filio Sugerio abbati venerabilis monasterii, quod in honore beati Dionysii martyris Parisius situm est. In his litte-

ANN. CHR.
1131.

ris testatur, se famosum ac nobile hoc monasterium, imperatorum & regum munificentia & liberalitate ditatum, affectione paterna diligere, & ad ejus defensionem paratum esse. Quocirca, inquit, dilecte in Domino fili Sugerii abbas, quem fidelem & devotum beato Petro sanctaeque Romanae ecclesiae certis indicibus experti sumus, cujus etiam industria & sollicitudine in praefato beati Dionysii monasterio gratam Deo religionem reformatam esse comperimus, rationabilibus tuis postulationibus gratum praebemus assensum, &c. *Datum Rotomagi per manum Aimerici S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii VII. idus Maii, indictione IX. incarnationis dominicae anno MCXXXI. pontificatus domini Innocentii papa II. anno secundo.*

Ibidem cum moraretur, donatio centum^a marcarum argenti, Cluniacensi monasterio ab Heinricho Anglorum rege mense Maio, die dominica facta est praesente ipso pontifice, necnon cardinalibus & episcopis; Bernardo quoque Clarae-vallis, Sugerio S. Dionysii, & Bosone de Bacho abbatibus. Hanc donationem Innocentius confirmavit litteris datis Belvaci ipso anno, XIII. kal. Junii, eandemque postea ratam habuit rex Stephanus Heinrichi successor, vel potius commutavit, dato Cluniacensibus in compensationem praedio Ledecomba pro illis centum marcis argenti.

Concilium Remense praecessit S. Medardi Sueffionensis ecclesiae dedicatio, quae idus Octobris ab Innocentio facta dicitur in brevi ejus loci chronico, quod in Spicilegii tomo 2. editum est. Idem disertè testatur Ordericus, ubi relata Philippi juveniculi regis morte, quam III. idus Octobris accidisse dicit, haec subdit: *Sequenti dominico papa Sueffionis basilicam sancti Medardi episcopi dedicavit, & inde Remis ad concilium properavit.* Verum quod ait Ordericus, hanc dedicationem factam esse die dominico, non convenit hoc anno cum idibus Octobris, quo die haec dedicatio revera facta est, adeoque feria quinta. Ante hanc dedicationem pontifex Odonem S. Medardi abbatem, contradicente Sueffionensi episcopo Josleno, Aurelianus benedixerat pridie kal. Octobris. Hic electus fuerat loco Gaufridi abbatis, cui cognomen Collum-cervi, electi ad Catalaunensem episcopatum, quem S. Bernardus recusaverat, post mortem Elberti episcopi: quo post tres annos pontificatus mortuo, episcopatus uno anno ac dimidio vacaverat. Gaufridus autem in eo duodecim annos sedisse traditur. Longe brevior fuit Odonis abbatis praefectura, qui altero post anno mortuus, Galterum habuit successorem. Ex his falsi convincitur id quod Molanus in Annalibus Belgicis scribit, Innocentium hoc anno Bruxellis fuisse idibus Octobris, quo die certum est eum apud Sueffionem fuisse & S. Medardi ecclesiam dedicasse.

Sueffione digressus Innocentius, Remis post festum S. Lucae concilium habuit, cui episcopi & abbates trecenti interfuisse dicuntur, in quo Ludovicus VI. filium suum cognominem loco Philippi, qui recens equo lapsus interierat, regem inungi & coronari curavit. Tunc litterae obedientiae & fidelitatis indices pontifici redduntur, missa a Lothario Alamannorum, Heinricho Anglorum, itidemque ab Hildephonso seniore citerioris, & juniore interioris Hispaniae regibus. Nec minori gaudio pontificem recrearunt excellentissimorum eremitarum Cartusensium litterae, quae per quemdam venerabilem abbatem de ordine Cistellensi, scilicet Hugonem Pontiniacensem, delatae, & in concilio per Gaufridum Carnotensem episcopum recitatae sunt. Existant litterae illae in fine libri secundi chronici Mauriniacensis, in quo tota coronationis Ludovici junioris celebritas accurate describitur. quae res, cum ab instituto nostro non omnino aliena sit, hoc loco strictim commemoranda est.

Ubi Philippi novi regis interitum, qui paulo ante Remense concilium accidit, rescivit pontifex, tanto infortunio commotus, misit a latere suo ad consolandum patrem venerabiles episcopos e nostris Gaufridum Catalaunensem & Matthaeum Albanensem, qui ex priore S. Martini ab Honorio papa cardinalis episcopus creatus fuerat. Philippo in basilica S. Dionysii sepulto, initur episcoporum & optimatum consilium, omniumque sententia fuit, ut Ludovicus puer loco fratris rex coronaretur. Itaque rex urbem Remorum adit, & die sabati cum Radulfo Vermandensium comite, qui sibi cognatus & major domus regiae erat, multisque proceribus aulam concilii ingreditur, tribunal^c ascendit, domini papae pedes osculatur, juxta quem cathedra posita sedit, paucisque filii mortem exposuit, quae res omnium lacrymas commovit. Tum pontifex prolixo oratione regem consolatur; eaque finita, surrexit in pedes, & oratione dominica, sicut mos christianorum exigit, dicta sub silentio, pueri defuncti animam absolvit. Dein

CXIX.
Cluniaco asser-
ta donatio.
a Bibl. Clun.
p. 1393.CXX.
S. Medardi eccle-
siae dedica-
tio, & ordinatio
Gaufridi epi-
scopi.
b Orderic. lib.
13. p. 895.CXXI.
Remense consi-
cilium.CXXII.
Ludovici ju-
nioris corona-
tio.c Chron. Man-
rin.

ANN. CHR.
1131.

pontifices & abbates admonuit, ut sequenti die dominica, sacris & festivis vestibus induti, ad novi regis consecrationem adefsent. Interim rex in monasterio beati Remigii cum filio hospitabatur. Prima luce pontifex ex archiepiscopali palatio cum suis curialibus, episcopis & abbatibus ad ecclesiam sancti Remigii pergit, ibique honorifice a monachis suscipitur. Hinc sollempni more ornatus, innumera ecclesiastici ac militaris ordinis multitudine stipatus, cum puero consecrando ad matricem beatæ Mariæ ecclesiam processit, ubi rex cum proceribus, nonnullis episcopis, abbatibus, & canonicis, ante fores ecclesiæ eum expectabat. Mox ecclesiam ingressus, puerum sibi oblatum, *decem annos plus minus habentem ipso oleo, quo S. Remigius per angelicam manum sibi presentato Clodoveum regem Francorum in christianum unxerat*, cum ingenti tripudio consecravit. Tum subdit chronographus Mauriniacensis, quod jam supra monuimus, postera die domino papæ in concilio per Magdeburgensem archiepiscopum, scilicet Norbertum, delatas fuisse litteras a Lothario rege Alamannorum, filialis obedientiæ indices; idemque præstitum fuisse ab Heinrico rege Anglorum per Hugonem archiepiscopum Rotomagensis, & duos Hildefontos Hispaniarum reges; necnon litteras *eremitarum Cartusensium*, per Hugonem Pontiniacensem abbatem allatas, quæ *letitiæ & admirationi* fuisse dicuntur.

CXXIII.
Cartusienium
ad papam epi-
stola.

Qua occasione Guigo Cartusiæ præfectus has litteras scripserit, ipse aperit in illa sua epistola in hæc verba. *Multas ad vestri apostolatus sacras aures preces, multas pro ecclesia Gratianopolitana disponebamus offerre supplicationes, cogentibus ejusdem ecclesiæ clericis, & præcipue carissimo; omni & veneratione dignissimo patre & episcopo nostro, qui (quod sine lacrymis non scribimus) dissolutus morbis & senio, inter defunctos, quantum ad episcopale spectat officium, potest adnumerari. Sed divina, ut credimus, miseratione provenit, a viro venerabili, & circa vestra serenitatis obedientiam valde devoto abbate Pontiniacensi nostram exiguitatem interim visitari: cujus auribus cuncta, quæ conceperamus, insudimus, efficacius & plenius viva voce vestris conspectibus inferenda.* In consequentibus Guigo pontificem ad Leoninam rabiem fortiter, constanterque sustinendam hortatur, & in Girardum Engolismensem episcopum invehitur, quem *inveteratum dierum malorum* vocat. In fine pro cunctis, *sed maxime pro novellis religionibus, Cisterciensibus scilicet ac Fontebraldensibus necnon pro universo mundo*, pontifici preces offert. *Non enim pars una, inquit, sed totus potius orbis est vestra diæcesis.* Vix dubitem, Hugonem Pontiniacensem abbatem a S. Bernardo, immo & ab ipso forte Innocentio missum fuisse ad conciliandos sibi Guigonem & sacros illos eremitas, quorum maxima tunc apud omnes existimatio erat.

In prædicto Remensi concilio conditi sunt canones septem-decim, quorum sextus est contra monachos & regulares canonicos, qui, *spretæ beatorum magistrorum Benedicti & Augustini regula leges temporales & medicinam gratia lucri temporalis addiscunt.* Absurdum quippe esse eos peritos esse velle *disceptationum forensium*; & contra religionem esse ea pertractare, *de quibus loqui erubescit honestas.*

CXXIV.
Odo abbas
Majoris-mon.
interest con-
cilio Remensi.

[Concilio Remensi interfuit Odo abbas Majoris-monasterii, in eoque querelam adversus monachos S. Jacuti, qui consuetudinem piscium a Gaufrido de Dinano Majori-monasterio collatam usurpaverant, deposuit. Litis judicium tribus cardinalibus, tribus episcopis, & tribus abbatibus commisit Innocentius papa. Cardinales fuere Guillelmus Preneftinus episcopus, Johannes Cremõnensis presbyter cardinalis, Guido diaconus itidem cardinalis. Episcopi Donoaldus Aletensis, Ulgerius Andegavensis, Hamelinus Redonensis; abbates Gaufridus Vindocinensis, Petrus S. Sergii Andegavensis & Gualterius Trecentis. qui omnes sententiam adversus monachos S. Jacuti protulerunt.]

CXXV.
Laubius Leo-
nius abbas
Waltero suffe-
ctus.
2 lib. 71. n. 48.

Innocentius Leodicum proficiscendo, divertit ad Laubiense monasterium, ut superius monuimus, cui tunc Leonius abbas a Waltero jam a tribus annis suffectus erat, utpote magis idoneus ad conservandam reflorescentem disciplinam regularem. Erat is Aquicinctensis monachus, tunc prior cellæ Hærdiniensis, ubi triginta fere monachi erant. Huic locum non gravate admodum cessit Walterus. Investitus a Leodicensi episcopo Leonius, a Lietardo Cameracensi episcopo benedicatur, deductusque a Laubias ab Alviso Aquicincti abbate, futuro Atrebatensium episcopo, a Laubiensibus festive suscipitur, quibus ob suam humanitatem acceptissimus existit. Vix quinque menses ab ejus ordinatione effluxerant, cum Wal-

b Spicil. to. 6.
p. 616. & seqq.

terus

ANN. CHR.
1131.

terus ejus antecessor defunctus est, postquam viginti-tribus annis loco præfuisse. Spem de se conceptam non frustratus est Leonius: immo totum studium ad informationem & confirmationem ordinis seu normæ regularis, cujus maxime gratia expetitus fuerat, jugiter contulit, gratum se pariter & gravem, quod rarum est, se exhibens, exemplisque simul ac verbis subditos informare sollicitus. In primis ei cura fuit, ut linguæ loquacitatem, primum malorum seminarium, rescinderet; cavique sub anathematis interminatione, (quod durius plerisque visum est) ne quis in claustris & in ecclesia, itemque in dormitorio & refectorio, hanc taciturnitatis regulam qualibet ex causa violaret, nisi cognita culpa publice satisfaceret. Atque ut hæc aliæque constitutiones in alia quoque monasteria inducerentur, Innocentii papæ & Raynaldi Remorum archiepiscopi auctoritate statui fategit, ut quicumque ejusmodi instituta amplecterentur, eorum abbates quotannis in unum convenirent ad faciendam regularem hanc disciplinam. quos conventus, caritatis & religionis causa laudabiliter inceptos, refrigescente caritate sensim in dissolutionis & voluptatis occasionem degenerasse continuator chronicus Laubiensis tradit.

Leonii præfecturæ anno tertio Innocentius papa Leodium tendens, ut modo dicebam, Laubias divertit, ibique honorificentissime cum suis susceptus, postridie missam ad altare beati Petri celebravit. Hac occasione usi nonnulli ex fratribus, quibus grave & molestum videbatur, mortuorum suorum corpora ex inferiori ad superiorem beati Ursinarii ecclesiam humanda deferre; pontifici suggererunt, ut sibi ea in inferiori sepelire liceret. Jamque pæne assentiebatur pontifex: sed obstiterunt alii, avari moris retinentiores & venerandæ antiquitatis religiosi observatores, pro lato Johannis papæ hac de re decreto, cui inviolata consuetudo suffragabatur. Unde papa consilium mutavit, & priscum morem retineri iussit. quod postmodum in concilio Pisis habito ab eo denuo sancitum est. Ubi mirari subit, majorum nostrorum religionem, qui consuetudinem, non gravis adeo in speciem momenti, absque pontificis auctoritate mutari nefas ducebant. Idem accidit in sancti Michaëlis ad Mosam monasterio, cujus translatio e veteri monasterio, quod duabus leucis distat, ea lege permessa fuerat, ut defunctorum corpora in veteri humarentur: cujus moris mutatio post annos amplius ducentos absque prævia a pontificis auctoritate haud facienda visa est. Ea erat patrum nostrorum religio in retinendis priscis moribus ac ritibus, quam utinam posterius imitarentur, & non pro arbitrio antiquos ritus innovarent. Tunc temporis apud Laubias moris erat, ut abbates calices & patenas benedicerent, at inunctionem christi episcopo reservarent. Id autem in Pisano concilio apostolica auctoritate vetitum est, superfluumque visum, *eum benedicere, cui nequaquam liceret inungere.* Plura de Leonio inferius, ubi de ejus ad S. Bertini abbatiam translatione agemus.

CXXVI.
Innocentium
illic suscipit.a V. lib. 69. n.
90.

Innocentius ex urbe Leodico ad S. Medardi Sueffionensem basilicam dedicandam proficiscendo, Laudunum divertisse videtur. Certe eum illic hoc anno versatum fuisse discimus ex duobus Bartholomæi episcopi instrumentis. Unum est, quo testatur, quod *cum anno ab incarnatione Domini MCXXXI. dominus papa Innocentius ad Gallia partes accessisset, frater Ansellus seu Anselmus abbas S. Vincentii apud eum clamorem fecit de Milesinde vidua Thomæ de Marla, & Ingeiranno filio ejus, qui terras S. Vincentii, a Thoma violenter & injuste pervasas, post mortem ejus eadem violentia retinuisent.* cujus causæ cognitionem cum pontifex ob intervenientia negotia instruere non posset, eam Bartholomæo episcopo demandavit. Hic vero testatur, eumdem Thomam paullo ante mortem, *cum Clastris ægrotaret*, ipsi Bartholomæo confessum fuisse, se terram illam injuste occupavisse, atque eam per manum suam Adalberoni tunc abbati reddidisse. Alterum instrumentum est pro S. Theoderici monasterio, cujus villam Triniacum a Levoldus vicecomes, favente Hugone comite Rocciensi, injustis exactionibus vexabat. qua de re Guillelmus abbas primo Raynaldum archiepiscopum interpellaverat, qui judicium ad Bartholomæum retulerat. Verum episcopi placito apud Pontem-Variæ a habito, cum nec vicecomes, nec comes paruisent; tandem post multas tergiversationes, *cum dominus papa Lauduni esset*, comes exactionibus illis eo præsentente se cedere professus est, eumque locum de feodo suo non esse; denique se damnis illatis abbati satisfacturum promisit. Comitum penitentiam admisit pontifex ea conditione, ut si sponsionis suæ prævaricator existeret, statim sine ulla reclamazione eidem excommunicatus

CXXVII.
Innocentii
acta Lauduni.

* Trigny.

* Pontævr.

ANN. CHR. 1131. tionis sententiæ, quam jam ante incurrerat, denuo subjeceret. Utraque Bartholomæi litteras in Appendice referemus.

CXXVIII. Thomæ de Marla interitus Prædicti Thomæ de Marla seu de Marna, perditissimi hominis, mortem commemorat Sugerius in libro de vita Ludovici-Grossi, qui eum ob facinora Lauduni obfedit, optimum consilio, in primis Radulfi comitis Viromandensis, a quo Thomas letali vulnere percussus anno præcedente interiit, sacri viatici expers, quod ille sibi allatum fumere non meruit. Sepultus est in Novigentensi ecclesia, & quidem sub turri veteris ecclesiæ in capella, quam filius ejus Ingelrannus construi curavit, quotidiana missa pro ejus salute instituta. Ingelrannus alter, superioris filius, renovata ecclesia, avi sui tumulum in medium chori transferri permisit. Idem Ingelrannus monasterio S. Nicolai de Saltu villam Farneris pro anima Thomæ patris sui ad construendam cellam, una cum Milefide matre sua donavit. Eidem Thomæ scripta videtur epistola Odonis abbatis Remigiani, qui mira quædam, si credi fas est, de S. Thoma Indiarum apostolo audisse se narrat, ab Indiæ archiepiscopo relata & sacramento papæ, se præfente, dum Romæ versaretur, confirmata. quæ epistola in tomo primo nostrorum Analectorum edita est.

^a V. Guibert. p. 629. & seqq. ^b Analect. 10. 1. p. 334. & seqq.

CXXIX. Innocentii reliqua acta in Gallia. Soluta Remensi concilio rex Ludovicus Patifios cum novo rege Ludovico rediit: papa vero Autifodori demorari elegit, teste Sugerio, opportunitatem expectaturus revertendi in Italiam, promissis fretus Lotharii regis, qui eum valida manu Romam perducendum, & Petrum-Leonis depositurum sponderat. Verum Lotharius Conradi æmuli factione impeditus, promissum exsolvere non potuit; adeoque pontifex Pisis remanere coactus est. Interim reliquum tempus hujus anni, & infrequentis duos menses in Gallia transegit. Remis adhuc versabatur pridie nonas Novembris, qua die Stephano Cisterciensi controversiam quæ inter Herbertum S. Stephani Divionensis, & Herbertum S. Sequani abbates vertebatur, adjudicandam commisit. Autifodori demoratus est xv. kal. Januarii & tertio eadem kalendas, quo tempore binas litteras, unas prædicto Herberto S. Stephani abbati; alteras de prædicta controversia Guilenco Lingonensi episcopo scripsit. Denique Cluniaci multis diebus anni sequentis perstitit.

^c Perard p. 104. ^d supra n. 70.

^e Perard p. 104. ^f id. p. 103.

Anacleti partes Rogerius Apuliæ & Siciliæ dux, multique præpotentes tuebantur, eique adhærebant nostri Casinates, multaque civitates, in his Nepesin, ut restatur illius temporis inscriptio, etiam nunc prope portam lateralem cathedralis ecclesiæ parieti infixæ, referente Fabretto in hunc modum.

^g Fabret. inscr. p. 111.

† ANNO DOMINI MILL C XXXI.
 TEMPORIBUS ANACL. ET I II. PP.
 MEN. JUL. INDIC. VIII. NEPESINI
 MILITES NECNON ET CONSULES
 FIRMAVERUNT SACRAMENTO UT SI
 QUIſ HEORUM NOSTRAM VULT FRANGERE SOCIE
 TATEM DE OMNI HONORE ATQUE DIGNITATE
 DOMINO VOLENTE CUM SUIS SEQUACIBUS SITEIE
 CTUS ET INSUPER CUM IUDA ET CAYPHA AT
 QUE PYLATO HABEAT PORTIONEM. ITEM
 TURPISSIMAM SUSTINEAT MORTEM UT GALE
 LONEM QUI SUOS TRADIDIT SOCIOS ET
 NON EJUS SIT MEMORIA SED IN ASELLA
 RETRORSUM SEDEAT ET CAUDAM IN MANU
 TENEAT

Idem Anacletus ut sibi Rogerium ducem artius devinciret, sororem suam ei nuptum tradidit, eumque regem Siciliæ coronavit.

CXXX. Adenulfus abbas Farfensis S. Bernardi amicus.

At vehementer excaudit in Adenulfum Farfensem abbatem; qui ab Innocentii partibus stabat, eumque in Galliam comitatus est. Hic est abbas ille Farfensis, qui coloniam fratrum e Clare-valle petierat, monasterium eis ædificaturus: sed Innocentius eos retinuit, & in monasterio S. Anastasii ad Aquas-Salyias collocavit, ut in consequentibus dicturi sumus. Guidoni abbati anno MCXXV. successerat Adenulfus, qui abbati dignitate privatus est ab Anacleto, quod Innocentio adhereret, sed eam anno MCXXXV. recuperavit. Idem anno MCXLII. monasterium novum

ANN. CHR. 1131. in monte Farfensi, ubi nunc situm est, construxit; obiitque post tres annos, Rolandum successorem fortitus.

In Gallia Willelmus Aquitanorum dux, ejus nominis decimus, Anacleti partes acriter tuebatur, instigante Girardo Engolismensi episcopo, qui legati apostolici dignitatem qua dudum in Gallia functus fuerat, sibi ab Innocentio non prorogari ægre ferens, eam ab Anacleto postulavit, & facile adeptus est. Mitto fabulosa portenta, quæ de Willelmo illo duce commentus est pseudo-Theobaldus in ejus vita. Non ramen pietatis omnino expers erat, etiam in ipso schismatis fervore, Willelmus. Argumento est ejus diploma pro Angeriacensi sancti Johannis monasterio, cui jus asyli, quod ipsius antecessores ei concesserant, restituit. Hoc donum feci, inquit, in capitulo sancti Johannis-Baptistæ in manu Hugonis, qui tunc erat electus in abbatem ipsius ecclesiæ, pro salute animæ meæ, & præcipue pro invasione, quam feceram in ipsa ecclesia, in die, quo natiuitas beati Johannis-Baptistæ celebrabatur: quia invaseram monachos celebrantes diem festum, in ipsa ecclesia, & oblationes ipsius ecclesiæ in proprios usus redegeram. Unde culpabilem & reum in ipso capitulo, ubi hoc donum feci, me coram omnibus monachis assidentibus reddidi. Et egrediens a capitulo, coram ipsis & baronibus meis, nudis pedibus satisfaciens, & virgas in manibus tenens usque ante altare, super quo caput Præcursoris erat, humiliter deveni: & ibi ante Christi Præcursoris caput humi projectus, pro his facinoribus & malefactis culpabilem & reum me recognovi, & per hoc pergamenum hoc donum, sicut supra dictum est, super altare beati Johannis posui, &c. Testes Hugo Angeliacensis ecclesiæ electus in abbatem, Aldebertus abbas Lucionensis, Rannulfus Lemovicensis episcopus, & alii. Acta est hæc charta anno ab incarnatione Domini MCXXXI. sedente in sede apostolica Anacleto PP. II. Girardo Engolismensi episcopo & S. R. E. legato, Guillelmo-Gardradi Santonensis episcopo, regnante in Francia rege Ludovico cum filio suo Philippo. adeoque ante diem tertium-decimum Octobris, quo Philippus interiit. Subscribunt præcipui testes hoc modo: S. Willelmi ducis Aquitanorum, illius qui Tolosana matre natus est, scilicet Philippia, alio nomine Mathilde, filia Guillelmi IV. Tolosani comitis. S. Rannulfi episcopi & Lemovicensis. S. Aldeberti abbatis & Lucionensis, &c. Dux iste Willelmus in aliis chartis a Beslio relatis, se illum esse dicere solet, qui Tolosana matre natus est. Ejus conversionem primo tentavit S. Bernardus, cui ille statim manus dedit: sed a Girardo episcopo denuo ad priorem revocatus errorem, tandem eo mortuo perfecte ad catholicam unitatem reversus est.

Prædictus Hugo, Angeriaci electus abbas hoc anno, successerat Henrico superioris laudato, quem a monachis suis, & a Guillelmo Pictavensi duce expulsus fuisse Ordericus tradit, eidemque a rege Anglorum cognato suo Burgum seu Burgenſe in Anglia monasterium, post mortem Johannis ex monacho Sagienti ejus loci abbatis, commendatum fuisse. Forte ideo a Willelmo pulsus est Henricus, quod Innocentio potius, quam Anacleto adhæreere vellet. Non diu Angeriacensem præfecturam tenuit Hugo, cujus successor Gosfredus jam abbas erat anno MCXXXVII. quo anno dux Willelmus pœnitenti animo Angeriacensibus donationem fecit, de qua suo loco. Erat tunc temporis in Angeriacensi monasterio Gregorius prior, de quo Petrus Venerabilis honorificam mentionem facit in libro i. de miraculis cap. iv. ubi eum bonæ religionis virum vocat.

Girardo episcopo non adhærebat Willelmus Petragoricensis episcopus, ejus nominis tertius, qui ob constantem in partibus Innocentii fidem sede sua pulsus a Girardo est, sed postea restitutus. Ejus tempore Willelmus Petragoricensis comes ecclesiæ S. Silvani, quæ jam dudum Santonensi beatæ Mariæ parthenoni collata fuerat, monachis S. Martialis pretio mille solidorum vendidisse traditur, & in illam ingressus ecclesiam, monachas illinc expulisse. Hac de injuria conqueſta est Sibylla Santonensis abbatissa apud prædictum Willelmum episcopum, qui diem & locum Amblardo S. Martialis abbati, eidemque abbatissæ ad causam discutendam assignavit. Verum cum ad præstiturum diem & locum Amblardus adesse renuisset, ac monachi in illam intrusi ecclesiam venditis omnibus recessissent; habito cum venerabilibus viris clericalis & monastici ordinis consilio episcopus illam Sibyllæ abbatissæ & sanctimonialibus restitui hoc anno fancivit. quod Elias Talairardus, princeps terræ illius, cujus majores multa eidem beneficia contulerant, una cum uxore sua Philippa ratum habuit. Tandem Albertus, sancti Martialis post Amblardum

Annal. Bened. Tom. VI.

C c ij

ANN. CHR. 1131.

CXXXI. Angeriaco dux Willelmus fastificat.

^a Besly, Comtes p. 561.

CXXXII. Angeriaci abbates. Orderic. lib. 12. p. 372. & seqq.

CXXXIII. S. Silvani monasterium Santonensi abbatissæ restitutum. lib. 65. n. 67.

ANN. CHR.
1131.
CXXXIV.
Cluniacensium
concordia cum
ecclesia Clari-
montensi.

dum abbas, totum jus illius ecclesie Santonenſi beatæ Mariæ parthenoni ceſſit. Hoc ipſo anno Petrus Venerabilis concordiam pepigit cum Aymerico epiſcopo & canonicis Claromontenſibus ſuper controverſia, quæ dudum inter utramque eccleſiam emerſerat de quibuſdam eccleſiis, quas utrique ſui juris eſſe contendebant. Ad hanc litem componendam Claromonti convenere Aymericus epiſcopus ex abbate Caſæ-Dei, & Petrus Cluniaci abbas in feſto ſancti Matthæi apoſtoli, multique priores & fratres Cluniacensium in capitulo eccleſiæ cathedralis, ubi hæc concordia facta eſt: quam particulatim referre nimis tædioſum foret. Aymerici hæc de re litteras habemus ex archivo Celfinienſi, quarum hæc clauſula: *Acta ſunt hæc anno incarnationis Dominicæ MCXXXI. anno II. pontificatus domini papæ Innocentii II. regnante rege Francorum Ludovico, in die feſto S. Matthæi apoſtoli, &c.* Tum ſubnotantur nomina præcipuorum canonicorum, qui adſuerunt; necnon priorum Ordinis Cluniacensium, quorum cauſa in hac controverſia agebatur. Hi ſunt, Adalelmus prior Cluniaci, Humbertus prior Celfinienſis, Stephanus prior S. Flori, Hildinus prior de Volta, Euſtachius prior de Rivis, Petrus prior de Amberta, Petrus item prior de Boort, & Hugo prior de Nigro-ftabulo.

CXXXV.
Vizeliaci abba-
tes.
a ſupra n. 29.
b Spicil. 10. 3.
p. 472.
c ibid. p. 511.
d 512.

Eodem tempore cum Vizeliacenſe monaſterium, poſt obitum Raynaldi^a archiepiſcopi Lugdunenſis, qui forte abbatiam cum epiſcopatu retinuerat, rectore diutius vacaret, Albericum Cluniaci ſuppriori vacanti abbatie ſuffecit Innocentius papa, ſcriptiſque litteris^b Stephano Æduenſi epiſcopo mandavit, ut ei vice ſua manum benedictionis imponeret. Hoc breve apoſtolicum datum eſt VI. kal. Februarii, haud dubie anno ſequenti. Quædam ſub Alberico abbate facta in chronico referuntur: in his quod Matthæus Albanenſis epiſcopus tempore Alberici abbatis, papa Innocentio exiſtente Altiffiodoro, apud Vizeliacum quosdam monachos ordinavit. Ad hæc Hugo Piclavinus ipſius chronici ſcriptor, cum eſſet camerarius, quatuordecim monachos Altiffiodori fecit ordinari per Hugonem illius urbis epiſcopum, qui fuerat Pontiniacenſis abbas, & quidem ad vocationem Alberici abbatis, qui proinde ad annum MCXXXVI. adhuc abbas fuiſſe dicendus eſſet, ſi eo abbate id factum eſt. Nam Hugo Pontiniacenſis abbas eo primum anno epiſcopus fuit poſt mortem alterius Hugonis ex abbate S. Germani facti epiſcopi, qui ipſo anno deceſſit IV. idus Auguſti. Verum hæc de re inferius, cum de Pontio abbate Alberici ſucceſſore agemus.

CXXXVI.
Stephanus Æ-
duenſis epiſco-
pus S. Lazari
mauſoleum or-
nat.
* de Bange.

Stephanus epiſcopus mox laudatus, Gauceranni Balgiaci * domini & Brixie filius, corpus S. Lazari e veteri eccleſia Æduenſi in novam tranſtulit, eique inſigne mauſoleum per Martinum monachum ſculpi, & pone majus altare ſtatui curavit, uti nos docet ſequens diſtichon.

*Martinus monachus, lapidum mirabilis arte,
Hoc opus exſculpiſit Stephano ſub præſule magno.*

Huic mauſoleo adjunctæ ſunt Mariæ & Marthæ Lazari fororum ſtatue. Stephanus epiſcopatum ante obitum abdicavit, factuſque eſt monachus Cluniacenſis ſub Petro Venerabili, ut videbimus inferius, ubi expendendum, an auctor ſit libri *de Sacramento altaris*, qui in Bibliotheca Patrum editus eſt.

CXXXVII.
Clara-vallis
novæ ſoboles.

d lib. 74. n. 300.

Dum S. Bernardus ſchiſmati componendo & reducendis ad catholicam unitatem ſchiſmaticis allaboraret; magna facta eſt propagatio Cifterciensis inſtituti, cui non parum contulit tanti viri exiſtimatio. E linea Clara-vallis præcipua (nam ſingula commemorare prolixius foret) cenſenda ſunt Longus-pons in dioceſi Sueſſionenſi & Carus-locus in Veſontionenſi: quibus addenda Aurea-vallis in Trevirenſi, de qua ſuperius^d actum eſt; Rievallis in Anglia & Morerola in Hiſpania. E linea Cifterciensis duo tantum commemorare lubet, Miratorium ſcilicet in dioceſi Lugdunenſi, & Buxeriam in Æduenſi. De his omnibus agendum paucis.

* le Valois.

Longi-pontis celebris abbatia tribus ab Auguſta-Sueſſionum leucis ſita eſt ad oram ſilvæ regiæ, quæ pagum Sueſſionenſem a Vadenſi * diſterminat. Primus ejus auctor Joſſenus Sueſſionum epiſcopus, qui, ut ipſe in litteris ſuis loquitur, *bono Cifterciensis ordinis odore & ſanctæ religionis fervore permotus, requiſitis de ipſo ordine apud Clara-vallem abbate & fratribus, & de manu domni Bernardi abbatis devote ſuſceptis, eccleſiam ipſis ſub abbatie titulo infra terminos Longi-pontis fundavit*, aſſentientibus Auculfo præpoſito & Nivelone archidiacono, & locum ipſum liberum eſſe voluit,

ANN. CHR.
1131.
* Kierzy.

hujuſque libertatis ſe & Andream de Baldimento monachis obſides dedit. His acceſſit Gerardus de Chiriſſaco, * qui univerſam terram, quam in procinctu & intra terminos ejuſdem loci poſſidebat, eidem abbatie conceſſit. Plura Joſſenus addit in ſuis litteris, quibus hæc omnia Sueſſione in plenaria ſynodo anno ſequenti confirmavit, indiſtione x. *regibus Ludovico patre & Ludovico filio cum pace regnantibus.* Joſſeni ea de re litteris poſt canonicos majoris eccleſiæ adſcripta ſunt ſigna *Theobaldi abbatis S. Crispini*, dicti majoris, *Walteri abbatis ſancti Johannis*, vulgo de Vineis, *Gilleberti abbatis S. Evodii*, & aliorum abbatum Ordinis S. Auguſtini & Præmonſtratenſis. In iſdem litteris laudatur Hugo abbas, primus ſcilicet Longi-pontis, cui poſt annos quatuordecim præfecturam abdicanti ſuffecit Balduinus. Hugonis anno præultimo Radulſus Veromandenſis comes & Adelidis ejus conjux novam baſilicam & regularia ædificia, magnifica in primis, qualia nunc uſque viſuntur, conſtruere cœperunt, ſecundarii ob id loci fundatores merito habiti. Eundem locum ditavit quoque, & ſuo ſecluſu illuſtravit beatus Johannes de Monte-mirabili, uti & Petrus Cantor & canonicus eccleſiæ Pariſienſis. Chronicon inſignis illius abbatie accurate ſcripſit Antonius Muldrac ejuſdem ſupprior.

* de Montmiral.

Cari-loci abbatia dioceſis Veſontionenſis, altera Clara-vallis filia, Bernardi præſentia & miraculis^a non ſemel illuſtrata eſt. Reginaldum Burgundiæ comitem, ſi non fundatorem, ſaltem inſignem benefactorem agnoſcit. Primus ejus abbas Guido ſeu Wido ſubſcripſit Anſerici Veſontionenſis archiepiſcopi litteris anno ſequenti datis pro abbatia Favenniacenſi, relatis in notis noſtris ad epiſtolam CCCXCI. ſancti Bernardi, qui tres pro eodem Guidone epiſtolas ſcripſit contra quemdam monachum Caſæ-Dei, qui cum infeſtabat. Alia eſt Cari-loci abbatia Nigrorum monachorum in dioceſi Marſconenſi, de qua ſuperius.

a lib. 1. c. 11.
b lib. 4. c. 4.

Rievallis abbatia iudem filia Clara-vallis, ſub idem tempus conditur, prima omnium Cifterciensis Ordinis in Anglia dioceſis Eboracenſis. Cum Bernardus ad finitimas quaſque regiones diſcipulos ſuos jam miſiſſet, quaſi totidem expeditionis ſacræ milites, qui ex manibus hoſtis antiqui prædam eriperent, & Regi ſuo reſtituerent; *inſtinctu divino* quosdam etiam e ſuis miſit in Angliam, quos Heinricho regi ſcripſit litteris^c commendavit, inquiring teneri prædam Domini ſui in terra illius; ideoque de militia ſua ſe mittere viros, qui eam requirant, recuperent & reducant. Tum regem monet, ut nuntiis a ſe miſſis adſit, & pro feodi ſui debito, utpote Dei vaſallus, opem ferat. Fecit. rex quod rogabatur. Suſcepti^d quippe cum honore a rege & regno, novi ædificii fundamenta jaciunt in territorio Eboracenſi, conſtituuntque abbatiam, quæ Rievallis dicta eſt. Erant autem qui miſſi fuerant viri ſancti & religioſi, glorioſes in paupertate, ſanctam pacem habentes cum omnibus, præterquam cum corpore proprio & hoſte antiquo. Fama eorum circumquaque reſperſa cum bono odore, æmulatio illorum provocavit multos, & brevi creverunt in gentem magnam. Et quidem anno proximo egreſſi e monaſterio S. Mariæ Eboracenſi fratres e noſtris, eorum exemplo commoti, Fontanetenſi monaſterio originem dederunt, de quo multa erit dicendi materia. Floruit in Rievallenſi monaſterio inter alios venerabilis abbas Alredus ſcriptis clarus.

b Bern. ep. 197.
c ſeqq.

* Reveſby.

In Hiſpania percelebre quondam noſtri Ordinis cœnobium in regno Legionenſi, Morerola dictum, auctorem habuit S. Froilanum Zamorenſem ineunte ſæculo undecimo epiſcopum, ubi decenti olim monachi exiſtiſſe dicuntur. Hoc monaſterium proceſſu temporis collapſum inſtauravit Alonſus, vulgo Imperator dictus, illudque Clara-vallenſibus monachis hoc anno tribuit.

Novas quoque hoc anno ſoboles protulit Cifterciensis domus, in his duas præcipuas, Miratorium & Buxeriam. Miratorii fundator exiſtit Humbertus Coloniacensis *, ut teſtantur primariæ ejus loci litteræ quæ, ſic^c habent. *Anno ab incarnatione Domini MCXXXI. Humbertus Coloniacensis conſtruxit abbatiam quæ Miratorium^a dicitur, in archiepiſcopatu Lugdunenſi tempore domni Petri archiepiſcopi, & Willelmi comitis Marſconenſis, a quo terram eandem tenebat; deditque fratribus ibidem Deo ſervientibus, conſenſu & conceſſu uxoris & filiorum ſuorum Guirrici, Humberti & Willelmi comitis, omnem terram, quam ibi habebat, & nemus eidem terræ contiguum, quod Bileum dicitur. Dedit etiam terram apud Giſſacum, in qua fratres prædicti vineam ædificaverunt, &c.* Non longe ab hoc monaſterio diſtat Gigniacenſis abbatia Ordinis Cluniacensis, cujus loci monachi graves rixas cum Miratorienſibus ob decimas habuerunt, ut inferius videbimus.

CXXXVIII.
Ciftercii duo
filie.
* de Coligny.
c Spicil. tom.
13. p. 311.
* le Miroir.

ANN. CHR.

1130.
* la Baviere.
* l'Onche.

* Immo tertii.

CXXXIX.
Insignes quidam Bernardi discipuli.

* Bern. ep. 395.

CXL.
Alvise facti episcopo succedit in abbacia Gosuinus.

Buxeræ* abbatia diocesis Æduensis ad Oscaram* fluvium conditorem agnoscit Garnerium Sombertonensem toparcham. Primitus dicta est abbatia de *Alserauls*, posita in territorio, quod Tres-valles appellatur; primusque ejus abbas fuit Willelmus. quæ omnia nos docet notitia seu primarium illius abbatia instrumentum in hæc verba. *Anno ab incarnatione Domini MCXXXI. fundata est abbatia de Alserauls a domino Garnerio de Somberton, qui in primo capitulo, quod ibi fuit, per manum venerabilis Stephani Cisterciensis abbatis secundi* dedit monachis & omnibus successoribus eorum, quidquid habebat in toto territorio & appendiciis ejus, quod Tres-valles nuncupatur. Hoc autem fecit præfente pariter & laudante filio suo Herveio. Hujus tam piæ actionis testes fuerunt præfatus Stephanus Cistercii abbas, Willermus ejusdem loci abbas, sanctum quoque duodecim monachorum collegium, quod de Cistercio venerat, &c. Factum est autem hoc temporibus Stephani Æduensis episcopi, Guilenci Lingonica civitatis episcopi, & Hugonis Bugundicæ ducis. Tum in eadem notitia subditur, prædictam abbatiam multo post tempore combustam fuisse, nomenque pariter & locum mutasse, dictamque deinceps Buxeriam. Plura de illius abbatia dotatione habet illa notitia, quibus referendis supersedeo.*

Per id tempus multi ad Cistercienses ex sæculo convolabant, maxime ad Claravallenses. Ex his duo fuere hoc tempore præcipui, Henricus de Murdach, & Thomas de S. Audomaro. Henricus Anglus erat, & quidem scholis præfectus. Unde Bernardus eum magistrum vocat in epistola CVI. qua ipsum ad capeffendam vitam monasticam, propositis ejus deliciis, hortatur. *Experto crede, inquit, aliquid amplius invenies in silvis, quam in libris. Ligna & lapides docebunt te quod a magistris discere non possis.* Hortanti demum acquievit Henricus, factusque est Claravallensis monachus, dein abbas Vallis-claræ, postmodum tertius abbas Fontanetensis in Anglia monasterii, de quo modo agebamus. Non ita successit Bernardi exhortatio erga Thomam præpositum de Beverla, iridem Anglum diocesis Eboracensis, qui se Claravalli devoverat; sed procrastinantem vir Dei ad votum exsequendum gravi epistola CVII. hortatur, in qua totam divinæ prædestinationis seriem egregie describit. At surdo cantatum, ut sequens epistola docet, in qua infelicem ipsius Thomæ exitum commemorat, nimirum scribens ad Thomam de S. Audomaro, qui promissum conversionis suæ sefellerat. Hunc acriter pungit vir sanctus, proposito Thomæ de Beverla infelici exitu, qui *subita & horrenda morte præreptus, factus de medio est secularis & prævaricator, & duplo filius gehennæ; quod ab eo, inquit, si fieri potest, avertat misericors & miserator Deus: qua in epistola, aliisque similibus Bernardus quodam modo desperare videtur de eorum æterna salute, qui vel a concepto ad eundæ vitæ monasticæ proposito resilierint, vel novitii facti in eo non perstiterint. quod maxime urget in sermone LXII. in Cantica num. VI. Verum id interpretandum est de illis, quorum non dubia, sed certa vocatio fuerit, & vitio suo recesserint; non de illis, qui explorandæ vocationis causa probationis inducias subierint, & virium imbecillitate serio explorata discesserint. Erat prædicto Thomæ de S. Audomaro alia tergiversandi causa, nimirum quod hæreret, utrum apud S. Bertinum, an apud Claramvallem monachus fieret. Eum quippe retinebant S. Bertini familiares ac proximi monachi, iique Alvifum Atrebatensem episcopum, suum quondam alumnum, tunc vero ex abbate Aquicinçtensi factum episcopum, impulere ad scribendum Bernardo, ut Thomam S. Bertino dimitteret. Alvise respondet Bernardus sibi permirum videri, quod vir prudens id ab amico petat. *Vocat Deus Thomam de celo, inquit, vocat ut exeat de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui, & veniat in locum, quem ipse ei ostendit: ego quis sum qui prohibeam spiritum Dei, qui debeam impedire eum, qui proprias oves vocat nomine proprio, & ipse ante eas vadit, ut alium non sequantur, sed ipsum? Thomas paupertatem elegit; ego eum ad divitias, deliciasque remittam? Nec ignoro, quin possint apud S. Bertinum fratres suam ipsorum operari salutem: sed quos illuc vocaverit Deus, ut unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.**

Hæc & alia plura Bernardus ad Alvifum episcopum, qui ex abbate Aquicinçtensi Roberto episcopo, x. kal. Maii mortuo, in sede Atrebatensi hoc anno successit. Suffectus in ejus locum in abbacia Gosuinus prior, jam sæpe a nobis laudatus. Hic ad eam dignitatem promotus, ardere magis satagebat, quam lucere, certus cito evanescere splendorem, si constanti fervore non fulciatur. Ob id in lectione sacrorum librorum assiduus erat, ut flammam caritatis in se foveret, & in subditis ac-

ANN. CHR.
1131.

cenderet. In abbatis vero dignitate ita se gessit, ut monachum non exueret, cum suis conversari solitus tamquam unus ex illis, eadem mensa, iisdemque cibis utens, hoc uno discretus a ceteris, quod in oratione & vigiliis magis assiduus, omnium onera portaret. Denique sic coetui fratrum adhærebat, ut cum eis esse delicias reputaret, & haberet pro tormento, quoties ab eis avelli necessitas coëgisset. Rei sacra maxima cum devotione operam dabat, cui ab aurora ad horam tertiam se præparare consueverat: ea peracta non se statim quibuscumque audiendis negotiis implicari sustinebat, ne spiritum e divino sacrificio conceptum exstingueret temporalium rerum tractatio. In egenos misericordiæ visceribus affluens, in hospitibus suscipiendis humanissimus: quos non tam exquisitis cibis, quam piis sermonibus reficere satagebat. Si quæ lites de rebus temporalibus in monasterio interveniebant, eas non tam forenli arte quam precibus persequabatur. Argumento est controversia, quam habuit cum Turonensibus canonicis coram Samfone Remorum archiepiscopo: qua in re apud S. Remigium hospitatus, dum canonici nihil diligentia ad causam instruendam & iudices interpellandos præmitterent; ipse uni Deo jus suum commendavit, querentibus suis, quod illud negligeret. At causa successus probavit, Dei favorem forensibus artibus & tricis longe præstare.

In Crispiniensi Hannoniæ monasterio tunc celebris erat Aybertus monachus & reclusus, qui ad se concurrentium confessiones audiendi facultatem a Paschali II. & Honorio II. obtinuerat, quam Innocentius II. hoc anno Remis XII. kal. Novembris confirmavit. Innocentii hac de re litteras retulit Johannes Cognatus, & ex eo focii Bollandiani in Ayberti vita ad VII. Aprilis, in quibus pontifex insuper quartam partem poenitentiarum iis remittit, qui aliquid ad instaurandum Ayberti *locellum* contulissent; eique permittit, ut in oratorio suo, ostiis apertis, missas ei celebrare, etiam interdicti tempore, liceret. In audiendis vero confessionibus eam cautelam adhibebat, ut turpium criminum reos remitteret ad episcopos; alioquin gravissimam eis poenitentiam imponebat.

[De eo in Aquicinçtensi Auctuario ms. sic legitur: *Domnus Aibertus ex monacho Crispiniensis cenobii assensu & consensu Lamberti abbatis, claret in Gallia reclusus, vir nostris temporibus nulli aut fere rarissimo comparandus. Hic XXIII. annis ab omni pane abstinuit, & totidem ab omni potu exceptis duobus, quod dictu mirum est. Cujus vitam Robertus Ostrevandensis archidiaconus diligenti studio elucidavit.*]

Anscherus Centulensi monasterio tunc præerat, quod hoc ipso anno in favillas cum toto opido redactum est, testante Alberico in hæc verba. *Hugo comes sancti Pauli, qui dictus est Campus-avenæ*, exortis inimicitias contra opidos sancti Richarii in pago Pontivo, totum opidum cum ecclesia sancti Richarii penitus combussit: in qua ecclesia aliquanti monachi & inestimabilis multitudo utriusque sexus, præ dolor! simul concremata periiit.* Id fustus explicat noster Victor Cottion in continuatione historiae manuscripta ejusdem monasterii, quam cum multis aliis nostrorum monasteriorum historiis composuit. Id accidisse dicitur v. kal. Septembris, cum scilicet Pontivenfes viri nobiles inter sese decertarent. Tunc Calaterienfes*, qui secus Alteiam fluvium* ad Monstrolium usque siti erant, in S. Richarii opidum se receperunt. quos cum eorum adversarius, nempe Hugo comes S. Pauli, ejusque affectæ, ob validum opidi munimentum, comprehendere non possent, injecto græco igne, totum monasterium cum ecclesia combufferunt. adeo ut quidam presbyter sacra faciens ad aram crematus sit. Hoc incendio chartæ, diplomata, veteres codices, & omnia ecclesiæ ornamenta consumta periere. Re ad Innocentium papam relata decretum est, ut Hugo, ejusque affectæ monasterium suis impensis instaurarent. Verum, cum forte illi rem exsequi superfederent, Anscherus abbas novam fabricam strenue aggressus est, ad quinque annos superstes. Hugo vero monasterium Cari-campi* instituti Cisterciensis ad hoc facinus expiandum in diocesi Ambianensi extruxit, & possessionibus dotavit, ut patet ex litteris relatis in Spicillegii tomo XI.

Pratellense in Neustria monasterium rexit ad hunc usque annum venerabilis Richardus abbas, isque, peractis in regimine annis triginta, decessit ineunte hoc anno aut insequente, & quidem III. kal. Februarii, ut in ejus epitaphio legitur, in Neustria-pia* edito, in quo *lux patriæ, flos monachorum, & vas philosophiæ sacrae* fuisse dicitur, eoque cadente tota domus corruisse. Jacet ad parietem capituli. Hic in

CXXI.
Aybertus Crispinii reclusus audit confessiones.CXLII.
Centulense monasterium crematur.
* Candavent.* Is: Calateis.
* P. Antie.

* Carcamp.

CXLIII.
Richardus Pratellensis abbas obit.

* Neustria-pia p. 516.

ANN. CHR. 1131.
a lib. 70. m. 12.

plerosque veteris testamenti libros morales commentarios composuit, ut superius^a diximus, in quorum præfationibus, omisso proprio nomine, hoc solo titulo se designare solet, *Quidam dominicæ Crucis servus*. Omnes illi commentarii hæctenus latent in bibliotheca Pratellensi & in nostra Germanensi. In quodam codice Pratellensi habentur lugubres versus seu tituli, ut tum vocabant, multarum ecclesiarum, quibuscum Pratellensis societatem habebat. in his S. Mariæ Ambianensis ecclesiæ & S. Firmini martyris scholarium, S. Germani Parisiensis, S. Dionysii, S. Petri Fossarenensis, Sanctæ Crucis sanctique Faronis, S. Petri Caziacensis, S. Fusciani de Silva, S. Mariæ Britulii; & ut alias præteream, *sanctæ Balthildis reginæ Kalensis ecclesiæ, & S. Mariæ Jotrensis ecclesiæ*. In his porro titulis mos erat, ut adscribebantur nomina defunctorum insigniorum ejusque ecclesiæ. Unde in titulo Calensis monasterii commendantur Mathildis abbatissa, Helvidis monacha, &c. item in Jotrensi Mathildis quoque abbatissa, quæ sine dubio paullo ante defunctæ erant. In necrologio S. Dionysii laudatur pridie idus Julii *Mathildis Kalensis abbatissa*, alia a Mathilde de Nantolio abbatissa quæ obiit anno MCLXXIV. XVI. kal. Maii. Tunc Avelina Calensi monasterio præerat. Richardo abbati Richardus alter, junior dictus, successit ad quindecim annos, cujus successor Reginaldus Fontanellæ monachus sex tantum annis abbatiam tenuit. De Michaële ejus successore alias.

CXLIV.
Guillelmus Britulii abbas.

Haud multo post Richardum Pratellensem e vivis excessit Guillelmus hujus nominis secundus Britulii apud Bellovacos abbas. Hic Remis interfuerat concilio, ut vocant, generali anno MCXIX. ibique a Callisto II. privilegium impetravit, in quo sui monasterii bona confirmantur. *Piæ memoriæ* dicitur in necrologio domestico pridie idus Julii. Et quidem eo regente monachorum Britulensium fama celebris fuit, ut etiam variæ cellæ ad eos recipiendos de novo institutæ fuerint, ex quibus etiam nunc supersunt prioratus sancti Christophori de Marolio prope Abbatis-villam & sancti Albini de Harponis-valle. Guillelmum non modo sanctitate vitæ, sed & miraculis claruisse volunt: ejus corpus prope altare sancti Johannis sepultum est, qui locus modo est ignotus. Guarinum ejus successorem exagitavit Wilgerus de Noëraz vir nobilis, ob id ab Henrico episcopo Bellovacensi excommunicatus, sed eum postea eodem antistite imperante Guarinus absolvit, & postea ad ejus & amicorum preces, monachum fecit. Senio fractus abbatiam dimisit anno MCL. Successor ejus Warinus qui *piæ* etiam *memoriæ* dicitur obiit anno MCLVI. post quem Radulfus monasterii ecclesiam instaurari curavit, quæ anno MCLXV. sub Laurentio ejus successore dedicata est a Bartholomæo episcopo Bellovacensi die XXV. Maii, coram Radulfo comite Claromontensi, Adelaide ejus uxore aliisque viris nobilibus. Ex iis Petrus de Claromonte Rodulfi comitis consanguineus Britulienis monachus fuit.

CXLV.
Bernardus fit abbas S. Michaëlis de Montec.
b lib. 74. n. 55.
c Labb. Bibl. to. I. p. 352.

Cum abbatia S. Michaëlis triennio vacasset, & in manu Henrici Anglorum regis fuisset, ut scilicet æs alienum, quod Richardus abbas^b contraxerat, dissolveretur; rex Henricus, qui tum Rotomagi demorabatur, in festo S. Agathæ Bernardo Beccensi monacho, tunc priori de Cernon, abbatiam donavit. Hic multa bona monasterio fecisse dicitur, in his caput beati Autberti episcopi aureo & argenteo vase inclusisse, *duo signa*, id est campanas duas, fecisse; & in Anglia apud S. Michaëlem de Cermeria cellam duodecim monachorum præter priorem constituisse. Abbatiam rexit octodecim annis, cui necdum sepulto præpropere electione substitutus Gaufridus ejusdem loci monachus, qui sequenti anno decessit, monasterium relinquens multo ære alieno, *causa ipsius pacis erga comitem*, oppressum.

Belli-montis-Rogerii cella.

Exstat non longe a Brionæ opido cella Belli-montis, Beccensi monasterio subiecta, quam Rogerius de Bello-monte hoc anno erexit, & in ea canonicos collocavit. Verum Gualerannus comes Belli-montis, ejus heres, post annos undecim amotis canonicis monachos Beccenses substituit. Hæc cella Belli-montis-Rogerii a fundatore appellatur, ad discrimen alterius cellæ ejusdem nominis, in Algia sitæ, quæ S. Audoëni monasterio subest. In necrologio Belli-montis-Rogerii notatur v. idus Aprilis *Gualerannus venerabilis comes Mellenti, qui ecclesiam istam de canonicis secularibus transtulit ad monachos Beccenses*, & pridie kal. Decembris, *venerabilis Rogerius de Bello-monte fundator hujus ecclesiæ*.

CXLVI.
S. Vitoni res confirmatæ.

Cum primum Gaufridus seu Joffridus ex abbate S. Medardi creatus est episcopus Catalaunensis, affectum & benevolentiam suam testatam fecit erga S. Vitoni monasterium Virdunenfe, cujus ecclesias & res omnes, in sua diocesi positas ro-

gatu

ANN. CHR. 1131.

gatu Odonis ejusdem loci monachi, litteris confirmavit. In primis memorat cellam Calidæ-fontanæ, ab eodem Odone, ejusque sore Rohilde in honorem beati Laurentii martyris constructam; tum villam Walefmeiam cum ecclesia, *quam villam emit bonæ memoriæ domnus abbas Walerannus a nepote suo comite Radulfo de Crispezo*, necnon alodia in eadem villa sita, quæ venerabilis Odo Catalaunensis ecclesiæ archidiaconus & decanus eidem cellæ contulerat; denique quidquid in prædicta villa *pro consuetudine advocacionis de indominicatura S. Vitoni solebat persolvi, sicut ab ipso fratre Odone, concedente filio suo Rodulfo advocato, laudante comite Manasse domino suo, in presentia beatæ memoriæ prædecessoris nostri*, inquit Joffridus, *episcopi Guillelmi condonatum est ecclesiæ*. Ad hæc quadam prædia apud Villare, *situm in pago Stadunensi, &c. Confirmatum est hoc privilegium Catalaunis, annō incarnationis Dominicæ MCXXXII. *indictione IX. epacta 1. concurrente III. imminente bissextili anno, pontificante domno papa Innocentio anno II. regnante in Francia rege Philippo sub patre suo Ludovico, Catalaunis præside domno Joffrido venerabili episcopo anno I. cænobio autem beati Vitoni præside domno abbate Laurentio anno XXXI III.* Hoc instrumentum datum est imminente anno bissextili MCXXXII. adeoque vergente ad finem anno MCXXXI. ut patet tum ex indictione IX. tum ex regno Philippi cum Ludovico patre regnantis, qui hoc ipso anno MCXXXI. mense Octobri interit. Error itaque irrepit in chartaceum codicem, in quo hoc instrumentum datum dicitur anno MCXXXII.

Hoc anno MCXXXI. duo nostri Ordinis sanctitate insignes viri, Godehardus episcopus Hildensheimensis & Gerardus Broniensis abbas, in cælitum catalogum relati sunt. Godehardi merita Innocentio II. primo quidem in urbe Leodicensi exposuit Bernardus Hildensheimensis præsul: at pontifex ad Remensè concilium Remis indictum in festo sancti Lucae rem distulit. Eo itaque profectus Bernardus cum Norberto Magdeburgensi episcopo, Innocentium & cardinales convenit, qui omnes suæ causæ faventes fuere. Postera die, cum pontifex in synodo resideret, habita ad patres oratione Godehardum in sanctorum indicem referendum censuit, quod litteris IV. kal. Novembris Bernardo episcopo datis fancivit. Godehardi tamen translatio seu elevatio in quartum nonas Maias hujus anni dilata est, quam multa miracula subsecuta fuere.

Ejusdem Innocentii mandato Gerardi Broniensis abbatis elevatio facta est ab Alexandro episcopo Leodicensi. Hic ejus rei causa Bronium se contulit, ubi adfuere multi nobiles viri, quorum princeps erat Godefridus Namurci comes illustris. His cum infinita promiscui vulgi multitudiæ præsentibus, Alexander beati Gerardi corpus *in mausoleum* recondidit, & Bronii ceterarumque monasterii possessionum libertatem, quam comes S. Gerardo concessit, tam suo, quam ipsius comitis sigillo confirmavit. Actum Bronii hoc anno, regni Lotharii sexto, Alexandri episcopatus tertio.

Apud Helvetos hoc eodem anno e vita excessit v. kal. Martii beatus Adelhelmus Montis-Angelorum^a primus abbas, cujus sanctitatem Dominus multis miraculis^b manifestasse traditur. Eo mortuo tres pseudabbates, Liutfridus, Welfo & Hesso, verius dilapidatores, in abbatiam sese intrudere: sed iis rejectis, ex Eremo, unde Adelhelmus prodierat, postulatus Frowinus, damnata trium illorum memoria, secundus abbas, doctrina & pietate insignis. Doctrinam probant relicta ab eo monumenta, ex quibus duo in Einsidensi monasterio supersunt, nimirum expositio in Orationem dominicam ad Bertholdum ejus discipulum, & libri septem *de laude liberi arbitrii*, in quibus præcipuas theologiæ quæstiones pertractat *adversus errores quorundam de novitatum suarum adinventionibus gloriantium*, forsan adversus Petrum Abaelardum. Certe eodem tempore Gerhohus, Reicherspergensis in Bajoaria præpositus, *opusculum contra discipulos Petri Abaelardi* scripsisse traditur. quo minus mirandum est, si ad Helvetos viciniores hujus sectæ fama penetraverit, & Frowinum ad eam impugnamdam excitaverit. In loco Gerhohi mox laudato legendum videtur, *Petri-Bajolardi*. quo nomine appellatur apud Conradum Urspergensis, ubi de Lothario imperatore. Eodem nomine afficitur in codice S. Emmerami Ratisponensis: *Petrus, qui Abaelardus, a plerisque Bajolardus dicitur*. quod nomen per deridiculum ei impositum fuisse fertur a magistro Tirrico, cujus mathematicas lectiones idem Petrus audiens non probabat. Ita legitur in

Annal. Bened. Tom. VI.

D d

ANN. CHR. 1131.

* I. MCXXXII.

CXLVII.
Godehardi episcopi & Gerardi abbatis canonizatio.CXLVIII.
Adelhelmo abbati Montis-Angelorum succedit Frowinus.
a lib. 73. n. 116.
b Annal. Erem. p. 189.

ANN. CHR.
1131.

prædicto codice, in quo habetur liber Sententiarum magistri Petri, qui dicitur, *scio te ipsum*. Porro prologum utriusque operis Frowini in specimen dare forte haud ingratum erit, quos adeo in Appendice retulimus.

CXLIIX.
Hungariæ pii
reges.

In Hungaria rex Stephanus instante morte monasticum habitum in signum penitentiae induit: cui successit Bela, pietate insignis princeps, qui a patruo suo Colomanno rege cum patre suo Almo duce oculis privatus adolescens, postea nihilo minus rem publicam Hungarorum graviter administravit. Is Ottoni Babenbergensi episcopo qui nuntium ad ipsum cum litteris direxerat, vasa aurea & argentea, vestesque pretiosas, insuper viginti libras excocti auri misisse traditur, quæ omnia pius præsul beati Michaëlis monasterio obtulit, & alia de suo addidit. Eidem Bela filia erat, Sophia nomine, quæ Heinricho adhuc puero, Conradi regis filio a patre desponsa, & in Admontensi nostri Ordinis monasterio interim educata, mortuo patre & futuro sponso, numquam adduci potuit, ut e monasterio a legatis Geisæ seu Gisonis fratris abduceretur, ut fuse legitur in libro primo vitæ S. Ottonis episcopi, quæ anticipato superius^a retulimus.

a lib. 73. n. 153.

CL.
Conradus monachus
doctus seu Peregrinus.

Tunc temporis, referente Trithemio, claruit in Hirsaugiensi cœnobio Conradus monachus, beati Willelmi quondam auditor & discipulus, vir scientia scripturarum, & non minus regularis disciplinæ studio insignis, qui sub nomine Peregrini, præ modestia proprium nomen occultans, multa præclara opuscula scripsisse dicitur, in his Speculum virginum ad Theodoram sanctimoniam, [quod editioni paratum penes nos habemus,] & alia, quæ Trithemius ad hunc annum commemorat.

CLI.
Pactense monasterium in
sedem episcopalem erigitur.

[In Sicilia Pactensem S. Bartholomæi abbatiam, quam anno MXXIV. ejectis Saracenis Rogerius comes construxit, post Ambrosium primum abbatem regebat ab anno MCXXX. Johannes abbas, quem ipso quo sistimus anno Hugo archiepiscopus Messanensis, ut sibi certum suffraganeorum numerum provideret, diplomatis Anaclei antipapæ auctoritate suffultus, episcopum Pactentem constituit mense Octobri, abbatiamque ejus in cathedralem sibi subditam sedem erexit. Verum reconciliatus cum Rogerio rege Siciliae Innocentius II. summus pontifex, Hugonem Messanensem ab illo fastigio episcopalis honoris ab Anacleto pseudopontifice collati, & Johannem ab episcopi dignitate quam ab Hugone obtinuerat deturbavit, solo abbatis titulo deinceps contentum. demum senectute confectus Johannes anno MCXLIX. decessisse dicitur in abbatia Pactensi, successorem sortitus Gislebertum monachum Benedictinum.]

ANN. CHR.
1132.CLII.
Innocentii acta
Cluniaci & alibi.
b Spicil. to. 3.
p. 152.

Sequenti anno, ejus sæculi tricesimo-secundo, post longam Autisiodori moram, Innocentius ex illa urbe mense Januario discessit, Italiam repetiturus, & Cluniaci magnam partem Februarii insequentis substitit. Illuc pervenit kalendis Februarii, ut ipse diserte in litteris ad regem Ludovicum scriptis testatur^b his verbis. *Sani, Deo gratias, & incolumes kalendis Februarii Cluniacum pervenimus, ubi cum fratribus nostris episcopis, abbatibus, & aliis sapientibus & religiosis viris, purificationis beatæ Mariæ festivitatem solemniter & honorifice celebrantes, a fratribus nostris Guillelmo patriarcha Jerosolymitano, & A. Bethleemiticæ civitatis episcopo litteras obedientiæ & subjectionis suscepimus*. Earum exemplum pontifex regi mittit, & in fine Adelæ reginæ pro xeniis ad se missis gratias agit, & tam ipsam, quam amantissimum filium Ludovicum regem, aliosque filios salutatur. *Datum Cluniaci IV. nonas Februarii*.

c Perard. p.
226.
d lib. 74. n. 17.
e lib. 75. n. 69.
c Perard. p.
232.

Ibidem VI. idus ejusdem mensis Petro abbati & fratribus Divionensis S. Benigni monasterii litteras^c dedit, quibus sententiam de quodam teloneo a se latam confirmavit. Actum est superius^d de Petro abbate, ejus nominis secundo, cujus successor Philippus monasterii sui libertates & possessiones a Ludovico VII. confirmari curavit.

Ibidem, id est Cluniaci, inconsultis, (quod mirere) & non auditis Cluniacensibus, Innocentius, petente Stephano abbate, Cisterciensibus insigne privilegium indulgit, quo eos a persolvendis agrorum suorum decimis exemit, datum Cluniaci IV. idus Februarii, quod privilegium maxime Cluniacenses in eos concitavit, ut mox videmus. Hoc privilegio præter decimas Cisterciensibus concessum est, ut ne ab episcopis ad concilium, nisi pro fide, ire compellerentur: neu eorum conversi,

qui monachi non sunt, post factam in suis cœnobiis professionem, ab ullis episcopis vel abbatibus absque ipsorum grata licentia susciperentur, aut retinerentur. Ubi conversi cum monachi non esse dicuntur, id ea ratione dictum est, quod vitæ actio exterioribus additi sunt, non contemplativæ & solitariæ, ut monachi: sed tamen religiosi censendi post factam professionem. Denique Cluniaci III. idus ejusdem mensis Tullenis ecclesiæ & Mediani-monasterii litem de villa Bercheim diremit contra Milonem abbatem & monachos Medianenses. Idem Milo privilegium apostolicæ tutelæ ab eodem pontifice anno MCXL. obtinuit.

Cluniaco digressus pontifex Lugdunum adiit, ubi eo præsentem composita^a est controversia, quæ inter Inionem Ambroniensem & Petrum Cluniacensem abbates super quodam prædio intervenerat. Inde Viennam profectus, Cluniacensi monasterio privilegium concessit, a Baronio relatum, in quo ait dignum esse, ut qui se beato Petro & S. R. E. humili devotione exponunt, majorem familiaritatis prerogativam & digniora beneficia fortiantur. tum subdit: *Quam gratum Deo Cluniacense monasterium famulatum impendat, & quantum apud homines nitore religionis fulgeat, ecclesia Dei novit, & vehementer exultat. Equitatis igitur postulat ratio, ut idem locus apostolicæ dilectionis privilegio gaudeat, & tam in capite, quam in membris libertatem obtineat*. Postea subjicit, se monasterium ipsam visitasse, & eodem die, quo revolutis multorum annorum spatiis antecessor ejus felicitis memoriæ papa Urbanus ibidem majus altare consecraverat, cum archiepiscopis & episcopis, qui secum illic convenerant, idem monasterium, id est basilicam sollempniter dedicasse. quod altero abhinc anno factum esse superius demonstratum. *Datum Viennæ per manus Haimerici S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii, incarnationis Dominicæ anno MCXXXII. indictione X. pontificatus domni Innocentii papæ II. anno tertio, VI. nonas Martii*. De hac dedicatione superius^b actum est.

a Bibl. Clun.
p. 1394.

b supr. n. 89.

Ex urbe Vienna Valentiam progressus, Petro S. Ægidii abbati diploma dedit, quo sententiam ab se latam super illius monasterii subjectione, quam Petrus Venerabilis suo monasterio deberi contendebat, explicavit. Hæc sententia prolata fuerat apud Beljocum*, quod castrum est pagi Matisconensis, quo Innocentius Cluniaco egressus diverterat. Hæc autem controversia hoc modo terminata est, ut, si religionis ordo in monasterio S. Ægidii imminutus esset, per abbatem Cluniacensem reformaretur; monachi vero ejus loci libera electione abbatis gauderent. quod si aliunde assumendus esset abbas, e Cluniaco assumeretur. Ceterum Cluniacensis abbas primum confessum apud S. Ægidium, cum illic adesset, haberet, & cum suis honeste procuraretur. Denique ad compensandas Petri Venerabilis fatigationes & litis expensas, obedientiæ, quæ Limantium vocatur, eidem Petro, & per eum Cluniacensi monasterio concessa. *Datum Valentie, iisdem anno & indictione, pridie nonas Martii*.

* Beaujeu.

Ibidem adhuc versabatur XVII. kal. Aprilis, quo die Guillelmo Tironensi abbati rogatu Gaufridi Carnutensis episcopi, omnes illius monasterii possessiones confirmavit, in quibus primo exprimitur *in regno Angliæ in episcopatu sancti David ecclesiam S. Mariæ de Cathmeis cum appendiciis suis, in episcopatu sancti Andreae in Scotia abbatiam S. Mariæ Rochaburgensem, &c.*

Inde pontifex alpibus transscensis Aitam* petiit, ubi pascha celebravit, hoc anno in quartum idus Aprilis incidebat. Tum Genuam profectus, inde Placentiam terrestri itinere adiit, ubi concilio habito Anacletum denuo cum suis assensibus damnavit. Apud Cremonam pridie idus Julii Stephano Casæ-Dei abbati res ad ejus monasterium pertinentes confirmavit. Idem Placentiæ nonis Novembris scripsit^c Gaufrido Carnotensi episcopo & apostolicæ sedis legato ac Stephano Parisiensi, ut Archembaldo subdecano Aurelianensi ejusque sociis honores ablatos restitui curarent. Hinc Pisas progressus ibidem Lotharium imperatorem, qui eum Romam reduceret, expectavit. quo tempore pacem inter Genuenses ac Pisanos composuit.

* Asti.

c V. notis in
ep. 150. S. Berni.

Hujus negotii causa missus est Bernardus pacis sequester ad Genuenses, quibus ob impensum sibi promtum obsequium litteris^d scriptis gratias agit, professus se eorum numquam obliturum. In fine eos ad perseverantiam hortatur: *Servantes pacem*, inquit, *fratribus vestris Pisani, fidem domino papæ, fidelitatem regi, vobis honorem*. Hic intelligit regem Lotharium, cui fidelitatem servari cupit præ Con-

GLIII.
Bernardi missio
ad Genuenses.
d Bern. ep. 129.

ANN. CHR.
1132.

rado ejus æmulo, qui Lotharium in Italiam tunc cum exercitu profectum prohibuit, quo minus ille Innocentium hoc anno Romam reduceret. In chronico nostro Saxonico Lotharius Langobardorum fines intravisse dicitur, & quia Coloniensis archiepiscopus aberat, Norbertus Magdeburgensis archiepiscopus vices cancellarii in illis partibus egisse. quod constat ex ipsius Lotharii litteris in Spicilegii tomo II. relatis, ubi ipse Norbertum cancellarium suum vocat. In sede Coloniensi recens positus erat Bruno, qui Bernardum consuluerat, an electioni assentiret. Responsum a ita temperavit sanctus Doctor, ut dubium non omnino expediret. In fine consulendum e proximo ea de re dominum Norbertum monet, quem tanto in divinis aperiendis mysteriis se promptiorem, quanto & Deo propiorem esse dicit. Sed tandem eundem Brunonem, jam in illa sede confirmatum, nihilo minus ad timorem b inducit. *Durusne videor, ait, quia non blandior, quod metum incutio; quod amico cupio initium sapientiæ? Sic mihi contingat semper beare amicos, id est terrendo salubriter, non adulando fallaciter.* Tunc temporis Genuensem episcopatum recusavit modestissimus pater, nolens avelli ab alumnis suis, qui se eo privari utique non sustinebant.

CLIV.
Cisterciensium
exemptio a decimis,
eorumque rationes.

Apostolicum illud privilegium, quo Cistercienses omnes a decimarum pensatione eximebantur, primum adversus Cluniacenses indultum fuisse dicitur, dein extensum ad alias etiam ecclesias & laicas personas. Non dubito quin contra reclamaverint omnes: at solius Petri Venerabilis pro suis Cluniacensibus querela ad nos usque pervenerunt. In omnes se partes versat ac reveriatur illustris Cisterciensium Annalista, ut apostolici privilegii justitiam adversus Petri obmurmurationes tueatur. Innocentium quippe in hujus privilegii concessione, lustratis utrorumque monasteriis, perpendisse summam illic divitiam, hinc permagnam paupertatem: geminos ex eodem Patre fratres, eisdem legibus utentes, tanta inter se distantia separatos: hos continuo labori mancipatos, illos quieti: hos præter spatia terrarum, quæ propriis excolerent manibus, nihil habentes, illos redditibus annuis, nullo labore percipiendis, abundantes: denique horum laboris incertos fructus, utpote cæli & aëris inclementiis obnoxios; illorum proventus fixos & immobiles. Hæc ille ingeniose pro Cisterciensium suorum causa.

CLV.
Cluniacensium
oppositio.

Verum non minus probabilia, & ad juris apices forsan validiora reponere Petrus abbas, qui illius privilegii executioni primum fortiter obstitit, & cum eo in primis Gigniacenses contra Miratorii monachos. qua de re admonitus pontifex, graves ad eum litteras scripsit, quæ pium venerabilis patris animum vehementer lancinarunt, maxime quod Gigniacenses interdicto supposituissent. Unde fortes ille epistolam ad ipsum pontificem, tum ad Haimericum cancellarium, & ad ipsos etiam Cisterciensium patres scripsit, rationum pondere graves, sed fellis, quidquid Manricus dicat, omnino, ut mihi videtur, expertes. Has epistolam, quia integras nimis longum foret, compendio hic exhibere satis fuerit. In epistola c ad Innocentium ei amantissime suggerit, ejus litteras te, filium tuum, & totum semper ei subditum & devotum conventum, quoniam insolita, & damnosa continebant, graviter vulnerasse, quippe quæ decimas, quas hæctenus per ducentos & eo amplius annos Cluniacensis ecclesia indifferenter ab omnibus percipiebat, & omnibus indifferenter reddebat; contra privilegia ejus antecessorum auferebant: & (quod de nullo umquam, quantumvis parvo, Cluniacensis familiæ membro auditum sit) in magno monasterio Gigniaco post quadraginta dies divina officia, ob repetitas parochiæ suæ decimas, interdicebant. Se quidem Cisterciensibus fratribus, teste domno Claræ-vallensi abbate, dedisse quibusdam in locis decimas: sed eorum, aliorumque religiosorum ubique terrarum in circuitu adeo multiplicatas esse domos; ut, si omnibus indultæ fuerint decimæ, fore ut decima fere numeri sui pars refecanda sit, aut etiam quibusdam locis cedendum. In fine pontificem rogat, ut amore paterno caveat, ne novi filii veteres expellant: *quoniam est novi diligendi, non tamen propter novos, nisi promeruerint, sunt veteres abjiciendi.* Denique rogat, ut interdicti sententiam, contra Gigniacenses prolatam, saltem usque ad pascha differat, ut ad pontificem fratres mitti possint, qui hac de re aliisque cum eo agere valeant. Hæc fere Petrus ad Innocentium.

d ibid. ep. 34.

Longe prolixior est ejusdem d ad Haimericum cancellarium epistola, in qua eadem rationes fufius retractat, aliasque superaddit. Nimirum numquam auditum

ANN. CHR.
1132.

fuisse, ut quis suo jure ab apostolica sede, non auditus, spoliatus sit: ut res aliena absque possessoris assensu alii concessa fuerit. *Quando enim, inquit, solo arbitrio, sine judicio, qualibet non dico Cluniacensis, non dico ecclesia, sed saltem vilis muliercula suo jure ab apostolica justitia spoliata est? Quando de aliorum bonis violenter extortis grata Deo oblatio facta est?* Deinde refellit eorum rationes, qui opponebant, Cluniacenses divites esse, Cistercienses pauperes. *Sed aiunt quidam de alienis magnifici: Hi pauperes sunt, illi divites. Debent ergo divites pauperibus subvenire. Et recte, sed attendant quod ait Salomon: Ubi multæ divitiæ, multi & qui comedunt eas. Et quia quandoque ditior est pauper in tugurio, quam rex in solio: quia ille, si satur est, jam nullius eget: iste multis millibus dum providere non sufficit, mendicat. Novit mundus, in quos usus Cluniacus redditus agrorum, in quos pecunias, in quos decimas, in quos quæ habet expendat. Requirit prius, & conferat diligenter curiosus indagator Cluniacenses & Cistercienses redditus cum expensis: & demum de divitiis vel paupertate sententiam ferat. Sed esto, inquit pauperes illi, divites isti. Agatur iudicio. Non accipies, inquit lex æterna, personam pauperis, nec honores vulium potentis. item in Exodo: Pauperis quoque non misereberis in iudicio. Si misericordia impendenda est pauperi, numquid irroganda est injuria a paupere? Si danda est elemosina, numquid exercenda est ab eo rapina?* Et post alia. *Fuisset utcumque tolerabile certis hoc, & paucis locis concedere: sed tanta est per gratiam Dei multiplicatio novæ segetis, ut si, velut illi exigunt, novis coguntur veteres cedere, antiquos labores oporteat deperire.* Dein subdit, verba utique, non fellis, sed mellis plena: *Dilexi ego, & semper diligere volo fratres illos, sicut mihi nostra, & ipsorum congregatio attestatur: sed attendendum est eis, si servi Dei sunt, ne eorum occasione, vel, quod pejus est, studio, caritas, virtutum omnium perfectio & finis, lædatur. Nam, ut quod verum sentio dicam: tale inde scandalum præparatur, quod nostro quidem tempore incipere, sed nostra numquam ætate valeat terminari. cuius rei Petrus non vanus fuit vates, ut in Gigniacensium facto postea comprobatum est. Ad papam quod attinet: Non se putabant nostri, inquit, tale apud suum dominum meritum reposuisse, pro cuius obedientia & servitio dicuntur se suaque pæne omnia expendisse. Et infra: Memor sit propriis se manibus illam ecclesiam consecrasset, quod ejus prædecessores nonnullos valde certum est peroptasse. quam si diminuerit, videbitur destruxisse; quod visus fuerat construxisse. Denique addit, deinceps insultaturos, ut jam cœperant, inimicos suos: *Ecce, Cluniacenses, habete papam vestrum, quem vobis, spreto monacho vestro, elegistis. Talem spem talis digne sequitur merces.* Hanc porro epistolam scribebat venerabilis Petrus reverso in Italiam Innocentio, & quidem sub finem autumnus, ut ex eo intelligitur quod in fine dicit, tempus Gigniacensium interdicto tam breve præfixum esse, ut, nisi cito cum indulgentia nuntius remittatur, Gigniacense monasterium in ipsa Domini natiuitate, quod vix sine lacrymis, ait, dico, divinis officiis careat, & corda fratrum nostrorum numquam delendus sævæ amaritudinis dolor inurat. quod re ipsa contigit.*

His epistolis aliam a adjecit idem Petrus ad patres Cistercii congregatos sub hac a ibid. ep. 35. inscriptione: *Carissimis & venerabilibus fratribus nostris, domno abbati Cisterciensi, Claræ-vallensi, Pontiniensi, & aliis in Christi nomine congregatis; frater Petrus humilis Cluniacensium abbas, salutem & veram in Domino dilectionem.* In primis præmittit, se eos beneficiis, quoad in se fuit, & amore profectum, & in eis veneratum fuisse novæ institutionis fervorem, laboris instantiam, victus parsimoniam, vestitus vilitatem, & innumera monastici propositi sonantia humilitatem: se eorum bonum nominis odorem inhianter hausisse, nec sinistra de eis interpretantes pacate audire potuisse; denique eorum præconia apud omnes extulisse. *Sed non tulit, inquit, invidus hostis aliorum se diutius felicitate torqueri, & inimicus homo semini divino nocturnum superseminavit zizania. Fecit inter nos pomum discordiæ, ut, recedente una & sola caritate, universa virtutum germina minore labore valeat effugare; & præciso omnium bonorum capite, membra simul omnia cogantur interire. Sic plane, sic fecit, quando ne a vestris decimæ Cluniacensibus fratribus, vel aliis redderentur, & hoc privilegio apostolico firmaretur, nescio quibus, quia scio non omnibus, persuasit. Quis enim credat hoc vobis omnibus persuasum?* Dein ait, quod ecclesiam constat salva fide & caritate hæctenus tenuisse, periculosum esse si mutetur. *Sed de lucro, inquit, agitur. Quod certe, quod lucrum putatur, ubi & fama læditur, & caritas pe-*

reclutatur? Nam, ut quod verum est fratribus & amicis fatear, hoc uno verbo, velut uno jaculo, amicorum pariter & amulorum pectora terebrastis; & episcopos, clericos, abbates, monachos, ipsos etiam, ad quos pervenire potuit, laicos adversum vos unanimiter concitastis. Nec potuit satanas nequitiae suae utilius invenire consilium, quam ut eos, quos mundus admirabatur, ne admirans imitaretur, nota cupiditatis inureret; & alios laesionis suae dolore stimulos, ab eorum amore revocaret.

Tum urget Christi Domini & Apostoli sententiam in scandalorum auctores. Sed forte dicitis, inquit, hanc scandalorum sententiam nostros magis arguere, qui quod eis superfluit, nolunt pauperioribus erogare. Concedo, quod ditiorum copia aliorum debet inopiam sublevare. Sed quis nostrum, vel vestram ditior, an pauperior sit, nec tempus est quaerendi, nec facultas disserendi. Hoc tantum interrogo: si ditior non vult pauperiori propria tribuere, pauperior debet ditiori sua auferre? Quis magis videtur injustus, dives parcus, an pauper violentus? Quis majore dignus est supplicio, reventor propriorum, an raptor alienorum? tum infert: Sed haec ego, dilectissimi, non amaro animo dico, sed sicut fratres meos carissimos moneo: nec tantum ad haec scribenda me coegerunt lucra decimarum, quam damna animarum. Quae enim vobis vel nostris ultra spes in laboribus, quae in jejuniis, quae in vigiliis, quae in castitate, quae in elemosynis, quae in aliis sacrorum operum exercitiis, remota, ut supra dixi, caritate esse poterit? Denique in fine, rogo ut supplex ac consulo ut amicus: ut in causa ista, quae nunc agitur, decimarum, vobis pariter & nobis consulatis: vobis, ne infamiam, nobis, ne violentiam inferatis; & ne nobis simul & vobis caritatem, christianarum animarum unicum remedium, auferatis.

Verum cum intellexisset optimus & benignissimus abbas, patres Cistercienses superioris epistolae lectione conturbatos, eorumque animos commotos fuisse, veritus ne fraternali exinde dilectio minueretur, sequentem ad eos epistolam rescripsit, quae ita me rapit, ut integram hoc loco non referre nefas duxerim. sic autem habet.

Carissimis & venerabilibus fratribus in Christi nomine apud Cistercium congregatis; frater Petrus humilis Cluniacensium abbas, salutem, ob quam convenerunt, aeternam. Relatum est mihi a pluribus, quod litterae, quas praeterito anno caritati vestrae mea humilitas destinavit, quosdam vestrorum laeserint; & a stabilitate non jam novitiae, sed antiquae dilectionis eorum animos paulum commoverint. Quae postquam didici, ferre non valui, ut tanta, tamdiu inter nos habita caritatis dulcedo quibuslibet occasionibus vel in modico amarescat. Unde iterato praesentem epistolam mitto, ut, si ita est, ut audivi, laesioni, quam prima intulit, sequens medeatur; & glutino sancti Spiritus diversa conjungente, quantalibet nostrarum scissura mentium uniat. Viderint primae illius epistolae lectores, quo eam spiritu legerint, quo sensum ejus interpretati sint. Novi ego me, quod tamen sine fastu aliquo dictum accipite, non superbiae, sed humilitatis; non discordiae, sed pacis, in dictando spiritum habuisse, & teste eo quem fallere non possum, caritati, quam in cordibus nostrorum, decimarum illarum occasione, periclitari videbam, eo modo providere voluisse. Et quia, Vae peccatori, dicitur, terram ingredienti duabus viis: nolui juxta prophetam in corde & corde loqui, nec coram amicis, inter quos omnia nuda esse debent, duplicitatis velamine cor velare: ut dum nodum sine tegmine sapientia vestra videret, communi congregatorum consilio ad dissolvendum efficacius laboraret. Haec, tota fuit causa scribendi, quae si tunc ignota aliquos scandalizare potuit; nunc saltem me manifestante reiecta, opio & precor, ut fratribus carissimis ad plenum satisfacere possit. Quiesco enim & quiescam in vobis; delector & delectabor in vobis: etiam laesus non discedam a vobis. Quod tamen tanto opere cupio servare vobis, servate nihilominus & nostris, & nobis.

Haecenus Petri Venerabilis mellita epistola, aureis exaranda litteris, & alte omnium religiosorum animis infingenda. Quae omnia idcirco prolixius retuli, ut nostri exemplo tanti viri intelligant, quo pacto tractandae sint, maxime inter religiosos homines, lites & controversiae; & quanta sedulitate & cautela cum omnibus agendum sit in persequendis etiam justissimis causis, ut ne caritas christiana ullum detrimentum patiat. Abhinc tenuit relaxatio decimarum, quam pontifex Cisterciensibus indulgit, ut gratiam S. Bernardo referret ob assertum ipsi pontificatum.

Ad hunc annum Ordericus tradit, Petrum Cluniacensem abbatem veredarios & epistolas per omnes cellas suas & omnes cellarum priores non modo Galliae sed etiam Angliae & Italiae, aliorumque regnorum misisse, dato mandato, ut tertia

CLVI.
Epistola Petri
Venerabilis ad
capitulum Cisterciense.

CLVII.
Cluniacense
capitulum generale.
a Orderico. lib.
13. p. 896.

quadragesimae dominica Cluniaci adessent, ut praecipua monastica conversationis austeriora, inquit ille, quam hactenus tenuerant, audirent; immo ut relaxationes, quae tempore Pontii abbatis in Ordinem irreperant, emendarentur. Hoc mandato accepto, ad praefixum tempus ducenti priores Cluniacum convenere, & cum illis mille ducenti-duodecim adfuerunt fratres, in quibus unum se fuisse idem Ordericus testatur, & sollempni eorum processioni interfuisse, & cum eis dominico die a basilica S. Petri per claustrum in aedem Virginis matris processisse. In illo coetu exstitere, ex eodem auctore, Radulfus Autisiodorensis episcopus, & abbas Albericus Vizeliensis, ac Adeldardus Melundensis ejusdem coenobii monachi, & conatus Petri abbatis praesentia & exhortatione sua confirmaverunt. Ubi memoria lapsus videtur Ordericus, cum Radulfus Autisiodorensis episcopus ab eo ponitur pro Hugone, olim Cluniacensi monacho, qui tunc illam ecclesiam optime regebat. Ille vero, scilicet Petrus abbas, subjectis auxit jejunia, abstulit colloquia, & infirmi corporis quaedam subsidia, quae illis moderata patrum hactenus permiserat reverendorum clementia. Fratres autem assueti magistro semper obedire, contra religiosum morem nolentes ei resistere, aspera quidem imperia susceperunt: rationabiliter tamen ostenderunt, quod venerabilis Hugo, & illius antecessores Mayolus & Odilo, vitam vitam tenuerunt, & per eandem Cluniacenses discipulos ad Christum perducere moliti sunt. Iidem quoque cum reverentia & humilitate probabiliter asseruerunt, sufficere debere per vestigia eorum in via mandatorum Dei dilato corde currere, quorum sanctitas palam declarata est miraculorum claro specimine. Austerus autem praepceptor, Salomonis oblitus praepcepti, Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui; Cistercienses, aliosque novorum sectatores amulus, rudibus ausis institit, & ab inceptis desistere ad praesens erubuit. Haec referre visum est ipsius Orderici verbis, qui illi conventui interfuit, & strictiori disciplinae jam alias parum faventem, cum de Rotberto Molifmensi abbate ageret, se exhibuit. Addit idem auctor, Petrum postmodum emollitum subditorum monitis & arbitrio consentisse, & discretionis memorem, invalidisque compatiens, perplura de gravibus institutis, quae proposuerat, intermississe.

Exstant in Bibliotheca Cluniacensi statuta Petri Venerabilis, septuaginta sex comprehensa capitulis, quibus ab eo praemittitur apologetica praefatio de quibusdam suo tempore mutatis consuetudinibus, quas mutationi obnoxias esse probat. In illa autem praefatione ait, se illa statuta fecisse, non solo suo arbitrio, sed juxta regulam praepceptum, quorundam Deum timentium ac sapientium fratrum consilio; & tandem capituli universalis assensu. quod de praemisso capitulo intelligendum esse non dubito. Illud tamen obstare videtur, quod in illa praefatione dicit sibi visum esse, ut ea, quae in Cluniacensibus institutis a viginti quatuor annis, hoc est ex quo officium pastorale susceperat, mutata, aucta, aut demta sunt, scriptura mediante ad modernorum & posterorum notitiam transmitteret. quae circumstantiae anno MCXXXII. quo capitulum illud generale habitum fuisse tradit Ordericus, convenire non possunt. Cum enim Petrus Cluniacensem praefecturam anno MCXXII. inierit; annus ab ejus ordinatione vicesimus-quartus ad annum MCXLVI. revocandus est. Verum reponi potest, statuta illa quae in capitulo anni MCXXXII. edita fuerant, a Petro Venerabili postmodum retractata fuisse, cum annum in pastoralis officio vicesimum-quartum egisset; tuncque rationes cujuscumque statuti singulis appositas, quales in editis habentur. Operae pretium videtur, praecipua illorum statutorum capita hoc loco paucis exponere ad nostrorum praesentium scilicet ac posterorum, informationem.

Primo capite statutum est, ut omnes versus regularium horarum in psalmis decantandis sub una & mediocri repausatione decantentur, ita ut omnium voces simul caesuram versus finiant; & post mediocrem repausationem, simul quoque aliam incipiant. Ubi mediocrem vocat ad distinctionem illius, quam quidam tunc, toto intervallo orationis dominicae, saepe bis, quandoque ter repetita, faciebant. Non minus necessaria videtur in fine cujusque versus repausatio.

II. Ut ne propter ullam duodecim lectionum festivitatem, exceptis illis, quae in cappis vel in albis fiunt, dominicale officium intermittatur. quod optandum esset nostro tempore observari.

VI. Ut, dum major missa in conventu cantatur, nullus alicubi in toto monasterio missam cantet, id est privatim celebret: quia occasione illarum missarum vix quarta pars monachorum missae conventuali intererat.

* de Vezelay.

* de Molome.

CLVIII.
Petri Venerabilis statuta.
a Bibl. Clun. p.
1133. Eslegg.

- ANN CHR. 1132. X. Ut universi fratres Cluniacenses ab adipe abstineant omni feria sexta, præter
 nativitatem Domini, si ea die occurrerit.
 XI. Ut ab omni mellis ac specierum commixtione, quod vulgari nomine pigmentum vocatur, cœna Domini tantum excepta, omnes abstineant. Si enim vinum monachorum non esse censuit S. Benedictus, vixque ejus usum suis indulgit: quanto magis a peregrinis ejusmodi potionibus monachis abstinentum est?
 XII. Ut, exceptis infirmis & omnino debilibus, carnibus nullus vescatur. Contra hujus regulæ præcepti violatores acriter invehitur idem Petrus in epistola a prioribus & custodes ordinis.
 XIV. Ut jejunia regularia ab idibus Septembris usque ad caput quadragesimæ cum unica comestione observentur, exceptis quibusdam festivitatibus extra adventum & septuagesimam contingentibus.
 XV. Ut toto adventu, excepta prima dominica, ab adipe, qui in festis duodecim lectionum in usu esse solebat, abstineatur.
 XVI. & duobus sequentibus, ut certa pannorum genera & peregrinæ animalium pelles, quæ omnia in sua Apologia Bernardus notat, abjiciantur.
 XIX. & tribus sequentibus, silentium accuratum præscribitur certis temporibus, ut tota quadragesima, certisque locis, maxime in claustris, ecclesiis, sacristiis & cœmeteriis: quia sine silentio modis congruis observato, nec dici religio, nec esse potest.
 XXIII. Ut in claustrum, reliquasve regulares domos nullus clericorum aut laicorum, nisi causa operis necessarii, ingrediatur.
 XXIV. Ut infirmis nullus famulorum laicorum serviat, sed tantum monachi, aut conversi barbati.
 XXIX. Ut fratres equitantes froccum simul & cappam ferre non compellantur, sed aut frocco simplici, aut cappa, id est pallio viatorio, cui caputium assutum erat, induti iter faciant.
 XXXII. Ut defunctis fratribus die anniversarii sui, quinquaginta præbendæ dentur.
 XXXIII. Ut quidquid de mensa fratrum quotidiana superest, eleemosyna communis accipiat.
 XXXV. Ut nullus in monachum Cluniacensem recipiatur absque Cluniacensis abbatis præcepto.
 XXXVI. Ut nullus etiam ex concessione futurus monachus usque ad viginti annos vestibus regularibus induatur.
 XXXVII. Ut pro annua & regulari probatione saltem unius mensis probatio erga novitios observetur, antequam obedientiæ voto se adstringant. quæ probatio antea ad paucos dies, immo ad unum aliquando diem redacta erat.
 XXXIX. Ut antiquum & sanctum opus manuum ex parte saltem aliqua instauratur.
 XL. Ut nullus priorum aliorumve iter faciens, ducat secum plusquam tres equitaturas, vel, si prior ordinis fuerit, quatuor, aut summum quinque.
 XLVII. Ut sanctimonialibus aut conversis mulieribus juxta domos monachorum, nisi infra duas leucas, habitatio non concedatur.
 LXII. Ut, quando fratres infirmi oleo sacro inunguntur, non aurea vel argentea crux eis adoranda offeratur, sed lignea, utpote ex eadem materia, qua Salvator crucifixus est. Hæc præcipua mihi videntur statuta Petri Venerabilis, qui in quibusdam aliis summum suum in beatissimam Dei genitricem amorem testatur, ut in sexagesimo & septuagesimo-sexto.
 Hoc ipso anno Aldefonsus seu Alfonso, ejus nominis octavus, cognomento Bonus, Castellæ & Legionis rex, societatem fratrum Cluniacensium habere cupiens, donat Deo & ecclesiæ S. Petri ac Petro abbati totique conventui, abbatiam sanctorum Facundi & Primitivi, sitam in Legionensi episcopatu ad flumen Ceiam cum suis adjunctis pro anima patris sui Raimundi Burgundiæ comitis, matrisque suæ Urrachæ & avi sui Aldefonsi omniumque propinquorum suorum, & quidem consilio & suggestione domni Stephani abbatis prædicti monasterii, & Hugonis camerarii. Hanc autem donationem facit eo pacto, ut abbas Cluniacensis de congregatione sua, quemcumque voluerit, illic constituat abbatem, qui sub ec-

CLIX.
 Alfonso rex
 subicit Clu-
 niaco abbatiam
 Saguntensem
 a Spicil. to. 8.
 p. 175.

clesiæ Cluniacensis obedientia permaneat, & unoquoque anno quatuor marcas argenti Cluniaco pro censu persolvat. His litteris ara MCLXX. datis subscribunt Raimundus archiepiscopus Toletanus, Didacus Compostellanus, Aries episcopus Legionensis, Petrus Palentinus, & Robertus Asturcensis, dein Sancia regis ioror, quatuor comites, aliique nobiles. & in fine, Ego rex Aldefonsus cum uxore mea regina Berengaria, & Sancia mea germana dono abbatiam sancti Facundi & Primitivi cum suis honoribus Deo & S. Petro Cluniaci; & hanc cartam fieri jussi, quam propria confirmavi & corroboravi manu. Innocentius II. id anno sequenti confirmavit diplomate dato Bononiæ idibus Decembris, cum insigni elogio familiæ Cluniacensis.

ANN. CHR.
 1132.

a Bibl. Clun. p.
 1396. & seq.

CLX.
 Hugo episcopus
 Gratianopolitanus obit.


Extinctum est hoc anno magnum Gallicanæ ecclesiæ lumen, venerabilis Hugo episcopus Gratianopolitanus, gravi confectus ætate. In extremo ejus morbo, cum vires & ceterarum rerum memoria ipsum deficerent, Dei tamen & rerum celestium memoriam semper præsentem habuit. Morituro adfuerunt Gaufridus episcopus Carnutensis, unus e præcipuis ejus amicis, & Odolricus Dionsis episcopus, unus ex ejus alumnis, necnon Guigo prior & fratres Cartusienfes, qui infirmanti assidua obsequia exhibuere. Obiit, inquam, hoc anno, ætatis suæ ad minus octogesimo, consecrationis quinquagesimo-seculo, kalendis Aprilis, sexta ante dominicam palmarum feria. Funus ejus post triduum in ecclesia beatæ Mariæ curarunt prædicti duo episcopi, necnon cognominis ejus Hugo Gratianopolitanus Ordinarius Cartusienfis, quem jam sibi substitutum reliquit. Librum de ejus vita scripsit venerabilis Guigo, quintus Cartusie prior, eumque misit ad Innocentium II. qui eo lecto Hugonem episcopum in sanctorum numerum retulit, epistola eidem Guigoni inscripta, data Pisis x. kal. Maii. Sancti Hugonis nomen merito inscriptum est factis Benedictinis, quippe qui post duos episcopatus annos, contemptis omnibus, Casæ Dei Ordinis Cluniacensis, ut Guigo loquitur, factus est monachus, ubi ad annum perstitit, ibidem de cetero permanens, nisi Gregorii VII. jussu ad ecclesiam suam redire coactus fuisset.

Extremus etiam fuit hic annus Goffridi abbatis Vindocinensis, qui non integro mense Hugoni supervixit, non minus forte ætate proventus. Cum paulo ante combustum fuisset sanctæ Trinitatis apud Andecavos monasterium cum toto suburbio de Aquaria, a quo monasterio vocabulum inditum, eo profectus est Goffridus abbas instaurandi monasterii causa, fratribusque illic residentibus necessaria ministrandi. Illic dum versaretur, morte intercipitur vii. kal. Maii, ibidemque humatur. Huic successit Fromundus pridie nonas mensis Maii totius capituli Vindocinensis electione, & quatuor abbatum, qui illuc convenerant, assensu. Electus vero cum a Gaufrido Carnuti episcopo benedictionem postularet; ille autem ab electo professionem exigeret; negavit iste per sui monasterii privilegia id sibi licere, ne maledictionem incurreret. quibus rationibus victus episcopus, non modo eum absque professione ordinavit, sed insuper eum laudavit, quod sui monasterii libertatem defenderet.

CLXI.
 Goffridus quoque abbas Vindocinensis.
 b Labb. Bibl. to. 1. ep. 289.

Redeo ad Goffridum abbatem, de cujus moribus superius actum est. Ad ejus scripta quod attinet, omnia [præter commentarium in psalmos] typis vulgavit eximius Sirmondus, eaque notis illustravit. In ejus opusculis primum locum tenet liber de corpore & sanguine Domini, in quo catholicam de venerando hoc sacramento fidem luculenter adstruit. Secundum est de ordinatione episcoporum, deque investitura laicorum ad Petrum-Leonis cardinalem, quem suum ipsius amicum vocat: ubi probat, episcopum fieri electione simul & consecratione: adeo ut nec electio sine consecratione, nec consecratio sine electione episcopum faciat. Decimum opusculum est, (nam cetera prætereo) de promissionibus, quas sub nomine professionis abbates in sua ordinatione episcopis faciebant. Mitto varias Goffridi epistolæ, quas Sirmondus in sex libros distinxit: mitto & sermones & alia, quæ in libris editis legere licet. In Vindocinensi codice Goffridi operum eo vivente manu exarato exhibetur ejus effigies, quam, tametsi rudem pro ætate, hic exhibere lubet ad illustris viri memoriam.

Ejus scripta c. supran. 96.



In hac effigie depictus est Goffridus sacerdotali indutus veste carulei coloris, non admodum longa, & tunica rubea & podere viridi cum limbo rubei coloris, qui colores fortasse arbitrio pictoris non admodum periti appositi sunt.

CLXII.
Pontileviensis
abbates.
a Spicil. no. 3.
p. 163. & seq.

Vacabat per id tempus Pontileviensis abbatia, forte post abdicatam a Fulberto ejus loci abbate præfecturam. Illuc profectus eligendi successoris causa Gaufridus Carnutum episcopus dioecesanus, gravem ^a & inauditam contumeliam se passum fuisse dicit a monachis, qui abbatibus & archidiaconis, quos ad hoc ipsum illuc direxerat, armata in eos manu rustica, supplicia & mortem intentasse perhibentur. Hæc Gaufridus in epistola ad Stephanum Parisiorum episcopum, qui ejus litteras, quibus ad colloquium die proxima lunæ ab eo invitatus erat, apud Bonam-vallem se accepisse dicit, nec adesse ob negotia potuisse: pollicitus, se die proxima Jovis apud Latiniacum ei occursurum. Post Fulbertum electus fuisse videtur Fulcherius nobili genere, Anfoldo & Odelina parentibus natus, qui a Lucio II. monasterii sui bonorum confirmationem obtinuit. Eidem prædictus Gaufridus episcopus parochiales ecclesias quasdam asseruit. Hic cum Fulberto abbate piæ memoriæ titulum assecutus est. Fulcherium excepit Samuel, qui precum societatem inivit cum Ernaldo S. Lanomari abbate, de quo inferius.

CLXIII.
Roncereii ab-
batissæ & quæ-
dam adæ.

Dum Roncereio seu parthenoni Caritatis beatæ Mariæ apud Andecavos præf-

fet Aldeburgis abbatissa, judicium tulit Ulgerius episcopus super parochia trans Brionem seu Brionellum, quæ Roncereio adjudicata est contra monachos S. Nicolai, qui eam sibi competere contendebant. Subscribunt post Ulgerium Johannes episcopus de S. Brioco, Petrus abbas S. Sergii, & Aldeburgis abbatissa S. Mariæ seu Roncereii. *Actum est Andegavis in capitulo S. Mauricii, anno ab incarnatione Domini MCXXXII. episcopatus vero Ulgerii VIII. XVII. kal. Februarii, indictione X. regnante in Francia Ludovico, & filio ejus Ludovico coronato, in Andegavia comite Gaufrido, filio Fulconis Jerosolymitani regis.* In hoc instrumento refertur factum S. Nicolai monachorum, qui, cum cujusdam defuncti corpus ad ecclesiam suam abstulissent, domum illud referre coacti fuerant, quod postea in cœmeterio S. Laurentii sepultum, decernente Rainaldo tunc Andegavorum episcopo, postmodum ad Remensem archiepiscopatum translato. Aldeburgis seu Audeburgis eadem videtur cum Hildeburgi superius ^a laudata, quæ a Teburge abbatissa tertia dicitur in charta quadam Ulgerii episcopi. Certe quibusdam litteris Guidonis episcopi Cenomannensis hoc anno datis, ejus episcopatus vi. subscribit Hildeburgis abbatissa, & Beatrix soror ejus. In alia charta laudatur Audeburgis & Beatrix soror ejus; adeoque Hildeburgis ea ipsa est, quæ alias Aldeburgis dicitur. Ejus tempore conditum est monasterium Cepiæ pro sanctimonialibus Roncereii in honorem S. Albini: cujus cœmeterium Ulgerius episcopus anno MCXXXVII. benedixit, Eremburge priore ejus loci curam agente. Nolim præterire id quod in quadam charta legere memini de quodam Hugone, qui prædium aliquod Roncereio dedit, donumque super altare imposuit cum baculo, quo aquâ benedictâ fideles aspergebantur. Ad hæc Hildeburgis abbatissa quemdam alium per chlamydem duxit, & ipse manu sua cum cultello donum suum super altare posuit. Certe nigro manubrio cujusdam cultelli ibidem aservati inscribitur *coemptio* alicujus census, facta & concessa cum eodem cultello.

Hildeburgi abbatissæ jam successerat Amelina seu Hamelina anno MCXLIII. quo anno inter monachos S. Albini & sanctimoniales S. Mariæ concordia inita VII. kal. Novembris, venitque Hamelina abbatissa in capitulum S. Albini cum *Perronilla diaconissa*, & aliis. ubi *Robertus abbas in senectute bona abbatiam S. Albini* regabat. Huic erat neptis, nomine Milesindis de *Choled* cognominata, uti & Amelina abbatissa: cui Theophania abbatissa successit ante obitum Ulgerii episcopi, mense Octobri anni MCXLIX. mortui, siquidem in curiam abbatissæ venisse dicitur, & litem quamdam composuisse, teste Theophania abbatissa, & Theophania ejus sorore, aliisque. Eadem interfuit cuidam placito, quod habitum est eo anno, quo *Goffredus strenuissimus comes Andegavensis vi & machina Monasteriolum cepit, & Girardum Bellaii & coadjutores suos apud Andegavum duxit in captivum.* qua de re ad annum MCL. agemus. De Orchade abbatissa, quæ Theophaniæ successit, inferius dicendum.

Dum Stephanus de Mercurio Casa-Dei monasterio præfset, Faverniacense parthenium, ob diffusionem & vicinorum infestationes pæne redactum in solitudinem, eidem reformandum commisit Ansericus Bisuntinus seu Vesontionensis archiepiscopus, in cujus diocesi hic locus positus erat. Illius emendationem ante septem annos ^b abbatissa tentaverat, ob id a S. Bernardo laudata: sed, cum id parum profecisset, immo rebus pessum euntibus sanctimoniales illic persistere non possent, archiepiscopo tandem visum est, ut loco sanctimonialium monachi substituerentur. Anserici hac de re litteræ in Appendice editæ sunt, in quibus ait, se pro debita pastoralis sollicitudine nobilem Faverniacensem ecclesiam, quæ antiquis temporibus religione sanctimonialium floruerat, visitasse, ut ejus desolationi aliquod suffragium seu remedium præberet. *Convocatis itaque ibidem, inquit, ejusdem loci advocatis, videlicet Raynaldo consule seu comite, Widone de Junci-villa* & Henrico* de Joinville.* fratre ejus, Tebaldo de Rubro-monte, Humberto de Jussiac, & Ludovico fratre ejus, ab omni religionis cultu alienam, & ab incolis suis præ multimoda perturbatione desertam reperimus. Nostra igitur sollicitudine & illustrium virorum ammonitione dissenso, quæ præfatum locum exterminaverat, Deo auctore pacificata est. Hæc dissenso haud dubie orta erat Faverniacenses monachas inter & advocatos, qui eas infestabant, & iniquas ab eis consuetudines exigebant. Quapropter ad instaurandam ejus loci religionem, illi has consuetudines in manu Raynaldi comitis deposuerunt,

Annal. Bened. Tom. VI.

E e ij

ANN. CHR.
1132.

Raynaldus vero eas cessit Anserico archiepiscopo, qui eandem Deo & beatæ Mariæ super altare obtulit. quo factò, *sanctimoniales, clerus & populus, casati, advocati pari voce & consensu acclamaverant, ut ecclesiæ Casæ Dei Faverniacensis ita uniretur ecclesiæ, ut de capitulo Casæ Dei perpetuis temporibus abbas assumatur, a quo secundum ordinem & consuetudinem ecclesiæ Casæ Dei Faverniacensis regatur ecclesiæ.* quod archiepiscopus ratum habet. Ejus hac de litteris subscribunt inter alios Hugo Luxoviensis abbas, Wido abbas de Caro-loco, Lambertus abbas de Clara-fontana, & abbas de Morimonte seu Morimondo, quorum tres postremi abbates erant familiæ Cisterciensis. Guidonem seu Widonem Cari-loci abbatem commendat S.

a Bern. ep. 198.

Bernardus a Innocentio II. adversus quemdam Casæ Dei monachum, a quo is lacessitus, & calumniam passus fuisse dicitur. Quod attinet ad Hugonem Luxoviensem abbatem, jam alias a nobis laudatum, is *consanguineus* fuisse dicitur Heinrici imperatoris, qui Lotharium scilicet præcessit. Post cujus Hugonis obitum cum abbas & officiales Luxovienses deficerent, Innocentius scripsit ad Petrum Venerabilem, ut id per suos suppleret, ut suo loco dicitur.

Faverniacensi monasterio præfectus est Bernardus abbas, ut patet ex quadam charta a Perardo b relata, in qua agitur de duello apud Junci-villam peracto inter Ludovicum quemdam & Oliverium, tempore Raynaldi comitis inodo laudati, qui ab anno MCXXVI. ad annum MCXLIV. Burgundiæ comitatum rexit. Ex eo tempore, *judicio & justitia R. Burgundionum comitis*, ecclesiæ Faverniacensi & Cabilonensi S. Marcelli ecclesiæ facta est restitutio rapinæ & exactio, quas Guido de Junci-villa princeps, atque ejus coadjutores illis fecerant. Hoc instrumentum caret chronicis notis, & nomen Raynaldi comitis prima dumtaxat littera expressum est: sed in eo laudatur quidam Guido-Abbas, quem ex aliis chartis, ab eodem Perardo c relatis, Raynaldi III. tempore existisse constat. *Actum Faverniaci tempore Bernardi abbatis Faverniacensis, & Alardi prioris S. Marcelli.* Vix dubitem, quin iste Bernardus a Stephano Casæ Dei abbate primus Faverniacensi monasterio impositus sit post sanctimonialium cessionem.

CLXV.
Bernardus ejus loci abbas.
b Perard p. 129.

c id. p. 217.

CLXVI.
Condomenses abbates.d Spicil. to. 13.
p. 468. & seqq.e ibid. p. 498.
& seqq.

f ibid. p. 503.

g ibid. ep. 500.

h ibid. p. 503.
& seqq.CLXVII.
Lerinenfes quoque & Andaonenfes.
i V. lib. 74. n. 145. V. Chronol. Lerin. part. 2. p. 162.

Piget tam diu siluisse de nobili quondam nostri Ordinis Condomensi cœnobio, jam pridem in episcopalem sedem erecto sub archiepiscopo Burdegalensi. Verum exilem nobis materiam suppeditat ejus chronicon, quod in Spicilegii tomo XIII. typis vulgatum est. Hoc vero tempore nobis occurrit Amerius-Sancii seu Sanctionis abbas, quo abbate quidam filii nobiles ibidem monachi d facti sunt, multaque donationes collatae. Hunc subsecutus est Garfias abbas pontificatu Alexandri III. Garfiam Raimundus, cui Siguinus successit, & post eum Peregrinus, qui ad sæculi tertii-decimi initia pervenit. Eiusdem loci abbas erat Montafinus anno MCCXLVII. quo anno precum societatem iniiit cum Johanne episcopo & magistro Ordinis fratrum Prædicatorum. Montafini e autem successor Augerius eandem societatem cum Gualbaldo abbate sanctæ Crucis Burdegalensis contraxit anno MCLXXXI. mortuus triennio post, die tertia f post festum assumptionis beatæ Mariæ. Denique anno MCCCLIV. Condomensi abbatiæ præerat Arnaldus-Odonis, ut patet ex litteris g societatis, quas Bertrandus abbas Grandis-Silvæ Cisterciensis Ordinis ejus rei causa illi direxit. Hic *valde famofus & religiosus* h fuisse dicitur, ortus e Leomania; qui prior erat Neriaci, cum abbas electus est, & multa præclare gessit. Tandem ad Dominum migravit anno MCCCIV. in festo conceptionis beatæ Mariæ, quo die natus, & habitu monastico indutus fuisse dicitur. Sepultus est *intra monasterium*, id est ecclesiam ante altare S. Benedicti. Undecimo post ejus obitum die unanimi consensu electus est Raimundus de Galardo, ultimus regularis abbas, primusque Condomensis episcopus post erectionem monasterii in sedem episcopalem a Johanne XXII. factam, ut suo loco, Deo dante, dicitur. Hæc consequenter dicere visum est ad emendam & illustrandam seriem abbatum Condomensium.

Et si vero nequaquam instituti nostri sit, unius cujusque monasterii abbatum indices contexere, illustriora tamen prætermittere non licet. Hoc in numero censendum est procul dubio Lerinense, cujus abbas Garinus i hoc anno, ordinationis suæ septimo, in pace requievit. Post eum Fulco, hujus nominis secundus, illius abbatiæ habenas regendas accepit. Ejus tempore Raymundus Merguliensis comes & marchio Provinciæ, castellum Marcellinum, totumque monasterium omnimoda servitute liberavit. Eidem abbati multa donaria collata fuere, tum a Josepho abbate

ANN. CHR.
1132.

Insulæ Gallinariæ, tum a Bertranno Foro-Julienfi & Imberto Glandatenfi episcopis, tum ab Anfosso comite Tolofano, aliisque. Denique annis duodecim in regimine exactis, locum fecit Hugoni abbati, qui litem quamdam, Lerinenfes inter ac canonicos Ventimilienfes exortam, Eugenii III. auctoritate componi curavit. Huic succedere unus post alterum duo Raymundi, quos Boso abbas excepit.

Apud Avenionem in Andaonensi sancti Andreæ monasterio, plenus dierum decessit venerabilis Petrus abbas 1 v. kal. Augusti anno præfecturæ quadragesimo-quinto. Subrogatus in ejus locum Geraldus de Podio-alto, * vir nobilis, cui Arifonsus seu Anfosius, Tolofæ comes, Andaonense podium confirmavit. Idem abbas monasterii sui possessiones ab Innocentio II. & Eugenio III. novis diplomatibus roborari curavit. Post ejus obitum, qui anno MCLIV. idibus Aprilis contigit, ejus vices subiiit Petrus de Clareto, cujus depositio v. kal. Septembris in necrologio notatur. Raymundus ejus successor ab anno saltem MCLXXI. monasterium rexit, novisque ædificiis, juvante matre, exornavit. Ejus successor Guillelmus de Podio-alto, Geraldus abbatis ex fratre nepos fere ad finem hujus sæculi pervenit, successorem fortitus Bermundum de Claufona, de quo forte alias.

a V. lib. 67. n. 33.
* de Puynt.

Ad hoc tempus referenda videtur S. Bernardi epistola, scripta *Lugdunensi archiepiscopo*, Petro, ut puto, *apostolica sedis legato*, in causa abbatis Athanacensis, quem *nec sponte confessum*, nec ab idoneis testibus convictum, archiepiscopus appellatum deposuerat. Id vero magnopere improbavit Bernardus: sed antequam pro deposito b scriberet summo pontifici, archiepiscopo scribendum censuit, si forte iudicium suum retractaret. *Quid fecisti*, inquit, *de abbate Athanacensi? Jam judicatus est, jam damnatus, jam depositus, & locum perdidit abbatis & officium. Quod factum est de eo, factum est citius, tamquam in momento & in ictu oculi... Tamen quid peccavit homo? quid tandem mali fecit homo, cujus laus est in ecclesia Dei? Quod scimus loquimur, quia testimonium bonum habet, & ab his qui foris, & ab his qui intus sunt... Quid igitur? ne c sponte confessum, nec aliis manifestum, vel ab his convictum damnavis!... Ego reus est: in media causa defecit, & innocentia, & causa. Et ubi est illud: Viri atam causam licet relevare appellationis remedio? Quod si appellatorem noluisse audire, attamen appellato deferri oportuit.* Hæc & alia Bernardus pro deposito, cujus nomen & accusationis caput ignoratur. Post Gaucerannum, qui ex abbate Athanacensi factus est Lugdunensis archiepiscopus, in vulgatis indicibus recensentur Bernardus de Chambernaco seu Talario, Pontius, Orgerius & Berardus, sed cuinam ex his tribuenda sit hæc causa, incomperum.

CLXVIII.
Athanacensis abbatis causa male judicata.

b Bern. ep. 394.

Sub id temporis Andrense apud Morinos cœnobium igne caelesti conflagravit, eodemque incendio cuncta monasterii supellex & instrumenta combusta sunt. Hujus rei occasione monachi ecclesiæ Christi Cantuariensis, *intuitu c compassionis & religionis* insigne caritatis exemplum præbuerunt: nam audito illo Andrensem infortunio, *viginti-quatuor paria pelliciarum, froccorum & cucullarum* cum cetera lectorum supellectile totidem monachis illic degentibus transnifere non semel, sed toto Petri Andrensis abbatis ejusque successoris tempore; quod Andrenses magna cum gratiarum actione humiliter recipiebant. Ad loci instaurationem non parum contulit venerabilis Johannes Morinorum episcopus, ejusque successor piæ memoriæ Milo, qui rogatu Petri abbatis, præsentibus S. Bernardo Clare-vallensi, Wateranno Urst-campi, & Hugone de Monte-sancti-Eligii abbatibus, hoc anno quædam illi monasterio confirmavit. Forte Bernardus ad illas partes profectus erat occasione Vallengensis prope Cameracum abbatiæ, quæ hoc anno monachos e Clara-valle suscepit. Eiusdem Petri abbatis tempore Manasses Ghifnensis comes, qui & Robertus dictus, in extremis monasticum habitum induit instinctu nepotis sui Gregorii monachi, recens e Carrofenfi monasterio regressi; ibidemque paucis post diebus præmissa pura confessione & sancta unctione, percepto viatico inter fratrum manus pie decessit, & in navi prioris ecclesiæ sepultus est. Ejus exemplo Emma ipsius conjux in monasterio sanctimonialium, a marito suo extra Ghifnas fundato, religionis habitum induit, & in sancto viduitatis proposito ibidem diu supervixit, post obitum humata in ecclesia S. Leonardi.

CLXIX.
Andrense monasterium combustum.
c Spicil. to. 9. p. 421.

Actum est superius d de colonia monachorum, quam S. Bernardus in Angliam tranfmisit, ubi Rievallense monasterium in agro Eboracensi ab eis conditum est. Eorum exemplo & religione permoti quidam monachi e vicino S. Mariæ e

CLXX.
Eboracenses quidam monachi ad strictiorem vitam conversi.
d supra n. 137. e V. lib. 67. n. 69.

ANN. CHR. 1132. cœnobio, numero tredecim, suos, fratrumque mores in melius reformare con-
tuntur. Verum, cum per abbatem suum Gaufridum id sibi non liceret, Turstini Ebo-
racensis archiepiscopi patrocinium implorant. Eo itaque patrono ac duce hoc anno
pridie nonas Octobris, reclamante abbate egressi sunt e monasterio monachi duo-
decim presbyteri cum uno levita, Richardus scilicet prior, Richardus alter sacrista,
aliique in historia Fontanensi^a recensiti, ex rebus monasterii nihil præter vestem
asportantes. Hac desertione turbatus Gaufridus abbas, apud regem, vicinosque
episcopos & abbates, præcipue S. Bernardum de communi violatæ religionis inju-
ria litteris exoptulat. Ex adverso Turstinus apologeticam ad Guillelmum Cantua-
riensem primatem epistolam scribit, eisque interim locum desertum, Fontes postea
dictum, inhabitandum concessit, eisque necessaria suppeditavit. Ad hæc Bernardus
ipse Turstino primum^b scribit, ejusque zelum & caritatem in prædictos mo-
nachos, ac beneficentiam laudat; tum Richardo jam Fontanensi abbati, ejusque
fociis congratulatoriam^c scripsit epistolam, in qua veluti exultans præ gaudio in
hæc verba erumpit. *Digitus Dei est iste, ... salubriter mutans, non quidem de malis
bonos, sed de bonis faciens meliores. Quis dabit mihi ut transeam, & videam visionem
hanc magnam? Nec enim minus mira, minusque jucunda ista promotio est, quam illa
mutatio: nisi quod multo facilius reperias multos seculares converti ad bonum, quam
unum quempiam religiosum transire ad melius. Rarissima avis in terris est, qui de
gradu quem forte in religione semel attigerit, vel parum ascendat. Vestrum proinde,
dilectissimi, tam insigne quam salubre factum, non solum nos, qui servi vestræ san-
ctitatis esse percipimus, sed & universam merito lætificat civitatem Dei: quippe quo
rarius, & clarior.* Idem Bernardus, a Gaufrido abbate beatæ Mariæ, unde exierant
illi monachi, consultus, remittit^d eum ad Gregorii Magni auctoritatem, scribentis
in Pastoralis, quod *quisquis bonum majus subire proposuit, bonum minus, quod potuit,
sibi illicitum fecit.* Eadem ejus sententia homilia tertia in Ezechielem. Prolixior est
alia^e ejus Bernardi epistola ad eundem Gaufridum abbatem, in qua scribit, mo-
nachos a laxiore ad strictiorem vivendi modum transire volentes non esse impe-
diendos; & apostatas censendos, qui post transitum resilierint ad statum priorem.
Ex his duo fuere, Gervasius & Radulfus, ex quibus tamen Gervasius resumtis viri-
bus ad castra rediit, & *apostasiæ maculam* perfectæ morum conversione deterfit. To-
tam hujusce mutationis historiam fuse exponit Turstinus in prædicta epistola ad Guil-
lelmum Cantuariensem primatem, quæ in Fontanensi historia refertur, & ex ea ad
calcem epistolarum S. Bernardi novissimæ editionis, omnino digna quæ legatur,
maxime ob rationes, quas Richardus prior attulisse dicitur ad reformandos suos,
suorumque mores, exemplo Saviniacensium & Claræ-vallensium monachorum,
» quorum moribus tam clare evangelium relucebat, ut, cum videretur sancta eorum
» conversatio, quasi reviviscere in illis evangelium crederetur. Felix hominum genus,
» quorum habitus, victus, totusque modus conversationis sapit evangelium.

CLXXI. Præclara est illa Fontanensis monasterii historia, quam Serlo ejus loci monachus
æqualis composuit. Instante natali Domini Turstinus archipræsul Ripponam cum
illo conventu profectus, locum eis inhabitandum assignavit, a cunctis retro sæculis
inhospitum, spinis confutum, & inter convexa montium & scopulos hinc inde pro-
minentes, ferarum latebris quam humanis usibus magis accommodatum, cui *Skel-
dale* vocabulum erat, hoc est Vallis-rivuli ibidem defluentis, Fontes postmodum
appellatum. Tum electus abbas, Richardus scilicet prior, quem mox archiepisco-
pus confirmat, ac benedicit. Illic nullum tectum, non est ubi hiemis ingruentis
declinent inclementiam. Denique non pecunia in sacculis, non annona in hor-
reis, & tamen piissimus abbas, jactans super Dominum curam suam, contra loci &
paupertatis incommodum plenitudine fidei se armat. Locum ubi consistebant ita præ-
clare describit Serlo in hunc modum.

» Ulmus erat vallis in medio, lignum frondosum, sicut est illud arboris genus,
» quæ cubantibus subter bestiis, algorem in hieme, in ætate fervorem frondium be-
» neficio temperabat. Huc se conferunt viri sancti, sub umbra ejus hospitium quasi-
» turi. Stat arbor in medio, ipsi circum excubantes, stramentis & stipulis superjectis
» malitiam hiemis utcumque declinant. Erat adhuc ulmus illæsa virens foliis & fronde
» condensa, factura fidem posteris illa mater nostra Fontanensis ecclesia quanta ex
» humilitate foundationis suæ habuit originem. Nulla ibi ligna dolata, nulla faxa com-

planata, sed inops tugurium & pastorum quasi tabernaculum humili desuper ce-
spite contestum. Res profecto digna memoria, videre Christi milites tirocinii sui tem-
pore tam fiducialiter se habentes, hiemem agentes sub pellibus, in ipsum mundum
mundique principem fidei constantia triumphantes. Omnes una sub ulmo discum-
bunt, pauper conventus, sed potens in Domino, sacerdotes duodecim & unus le-
vita. Panem illic sanctus episcopus, potum vero præterfluens rivulus pro tempore
ministrabat. Nocte de more surgitur ad vigiliam, psallitur secundum regulæ insti-
tutionem, orationi intentius incumbunt, & divinis se laudibus advocant invicem
exhortantes. Per diem se operi accingunt, alii multas* plectentes, alii de vicina
silva virgas cadentes unde oratorium construatur; quidam vero qui prudentiores
fuerunt, excolendis hortulis intendunt. Nec erat ibi panem sumere otiosum, nec
quieti indulgere nisi labore fatigatum. Famelici accedunt ad mensam, fatigati ad
lectum, satiati numquam, sine murmure tamen. Non erat ibi videre signum tristi-
tiæ, non murmuris audire vocem, sed cum omni alacritate benedicebant Domi-
num; rebus pauperes, sed fide potentes.

Hæc ipsis Serlonis verbis referre visum est, ut ne a me amplificata & ornata pio-
rum monachorum devotio & austeritas videretur. Sub hac itaque ulmo & sub pel-
libus acta hieme, tum illi de statu suo, de modo vivendi in posterum, & de regulæ
observatione & forma disciplinæ simul deliberant. Placet omnibus Cisterciensium
instituta amplecti, & Claram-vallem agnoscere matrem; atque ea de re nuntios ad
S. Bernardum cum litteris, tum suis, tum archiepiscopi, mittunt. Suscepit nuntios
vir Dei cum multa dignatione, eorumque petitioni lubens assentit, scriptis ad Ri-
chardum jam abbatem ejusque socios gratulatoriis litteris, aliisque ad archiepisco-
pum, quas per Galfridum monachum suum, prædictis nuntiis adjunctum, perferri
curavit, ut per eum scilicet Cisterciensis ordinis disciplina informarentur. Ille jam
senio gravis parer jubentis imperio, molèste tamen, veritus ne extra Claram-val-
lem sortiretur sepulturam. Ad quem vir sanctus: *Vade, inquit, secure, ne metuas;
ego te sepeliam hoc in loco, quod re vera contigit.* Ivit igitur ille ad Fontes, ubi
cum ingenti gaudio, nec minori obsequio a novis tironibus acceptus est. Auge-
tur interim fratrum numerus, sed annona deest. Loco cedere triste nimis; restare
in loco absque alimentis omnino impossibile. Ad extremam tandem redacti ino-
piam, ex arboribus avellunt folia, agrestes herbas colligunt, & ex eis injecto mo-
dico sale, pulmenta conficiunt. Sic victitarunt ad biennium viri sancti, olim deli-
ciosis assueti; sed tandem per homines pios eis subventum est. Per id tempus, Serlo
illius historiæ scriptor Fontes se accessisse dicit. Quinto dein anno inchoati Fonta-
nensis monasterii, Radulfus *de Merlay*, vir nobilis, illuc divertit; & fratrum re-
ligiosa conversione permotus, locum ad construendum aliud monasterium obtulit.
Hunc autem Richardus abbas grananter accepit, & regularibus ædificiis sub novi-
monasterii nomine instruxit, cui præfectus abbas Robertus vir sanctus, qui ex Wite-
biensi abbatia egressus Fontanensibus se adjunxerat. Hæc prima soboles fuit Fon-
tanensis monasterii, cujus primus abbas Richardus, ab Alberico cardinale & legato
Romam abductus, ibidemque mortuus, alterum Richardum, olim S. Mariæ sacri-
ficum seu ædituum, successorem sortitus est: quo defuncto, Henricus, tum Val-
lis-claræ in Laudunensi diœcesi abbas, a S. Bernardo illuc missus est ut mortui vi-
ces suppleret.

Apud Gandavum mortalem cursum absolvit Arnulfus Blandiniensis abbas,
quem alii Arnoldum vocant. Hic ante annos quindecim ordinatus abbas, religio-
nem ac vitam ejus loci monachorum renovasse dicitur, Cluniacensis scilicet mo-
nasterii ritibus eo introductis, uti explicat Rodulfus^a S. Trudonis abbas, qui mona-
sterio suo pulsus, ab eo humanissime acceptum se fuisse testatur, uti & apud S. Ba-
vonem, a Gualrico abbate, qui in providentia rerum temporalium vigilans & stre-
nuus fuisse perhibetur. Idem auctor est, Arnulfum postmodum abbatiam abdicasse,
a fratribus quippe inquietatum, tamen ejus tempore locus ille omnium rerum co-
pia, tam sanis quam infirmis fratribus, exuberaret. Obiit Arnulfus mense Septem-
bri die festo S. Mauricii, ut in ejus epitaphio legitur, apud Sanderum relato, in
quo is norma futurorum, & decus immortale priorum fuisse dicitur, & per eum
crevisse res familiaris ac religio. Subrogatus in ejus locum Gislebertus ad annos
septem, ante abbas Einhamensis prope Aldenardam.

CLXXII.
Blandini ab-
bates.

^a Spicil. to. 7.
p. 484.

^a Monast. An-
glic. to. 1. p.
733.

Fontanis se-
dem figunt.

^b Bern. ep. 95.

^c id. ep. 96.

^d id. ep. 94.

^e id. ep. 313.

ANN. CHR. 1132. CLXXIII. Germanicæ res monasticæ. a P. lib. 73. n. 82.

Jam tertius-decimus annus erat, ex quo Breydenaugiense a diœcesis Moguntinæ cœnobium conditum erat, cum Drutwinus ejus primus abbas, homo sanctæ ac religiosissimæ conversationis, inquit Trithemius, ex hac vita migravit. Pastore orbati fratres nuntium misere ad Wolmarum Hirfaugiensem, postulantes idoneum sibi abbatem in locum demortui destinari. Delectus ad id muneris Henricus, vir non minus doctrina, quam pietate insignis, ut fidem faciunt varia ejus opuscula, quorum indicem & iniria idem Trithemius refert. Ejus tempore multi nobiles & docti viri illoc se recepisse dicuntur, in his comes de Schonberg Albertus, cujus vitæ sanctimoniam miracula testantur. De Henrici abbatis ætate non levis scrupulus oritur ex libro ejus epistolarum apud Trithemium memorato, qui sic incipit: Venerabili Carnotensium præfule Henrico pro possibilitate. Siquidem nullus eo nomine episcopus inter Carnotenses ante Henricum de Gressu, * qui concilio Lugdunensi anno MCCXLV. interfuit.

* de Græ.



A N N A L E S
O R D I N I S
S. B E N E D I C T I.

LIBER SEPTUAGESIMUS-SEXTUS.

Ab anno Christi 1133. ad annum 1137.



Ostero tandem anno, ejus sæculi tricesimo-tertio, Innocentius papa Romam a rege Lothario reducitur. In chronico nostro Saxonico rex secundo kal. Maii Romam summo cum favore in Urbem ingressus dicitur, & ad sanctum Johannem in Lateranis ab apostolico & clero & a Romanis honorifice susceptus fuisse, ibidemque pentecosten celebraffe, & ipso die in monte Aventino ad S. Sabinam coronatus processisse, Romæ dein per sex continuas hebdomadas commoratus. Interim ex consilio & voluntate principum, agente Nortberto archiepiscopo, in eadem Constantini basilica a pontifice imperiali benedictione insignitur cum conjuge sua Richeza pridie nonas Junii, die dominica, quæ tertia erat post pentecosten. Lotharium inter alios comitabatur Bernardus Patherbrunnensis episcopus, qui usum rationalis in celebrioribus festis & in consecrationibus ecclesiarum & ordinationibus sacris, in proprio tantum episcopatu, sibi suisque successoribus ab apostolico impetravit. Eodem rationali olim utebantur archiepiscopi Remenses a & Cantuarienses pro sua legati apostolici dignitate, fedi suæ attributa.

ANN. CHR. 1133. I. Innocentius Romam redit, cum Lothario.

Exstat in Spicilegii b tomo II. Lotharii adhuc regis epistola, regibus, archiepiscopis, episcopis, principibus & universis fidelibus post suum in Urbem adventum inscripta, qua eis significat, Petrum-Leonis seu Anacleum, post multas pacis obtentu tergiversationes, tandem cum suis asseclis tam divinæ quam regis majestatis reos habitos, damnatosque fuisse, & hostes a principibus curiæ suæ judicatos, videlicet Nortberto Magdeburgensi, cancellario, inquit, nostro & A. * Bremensi archiepiscopis, & ab episcopis, quorum nomina prima dumtaxat littera exprimuntur; tum abbatibus Henrico Fuldensi, Alberone Noemburgensi, & Luneburgensi, & a proceribus aliisque quorum nomina prætereo. Ex qua epistola falsi arguitur Ordericus c, ubi ait, Lotharium mandasse, ut Innocentio cederet, aut judicium de sua ordinatione subiret, eumque gratanter mandatum suscepisse, & ad examen venturum coram cæsare acquievisse: Innocentium vero, cui Lotharius similia mandaverat, nisi omnia, quæ ad pontificatum pertinent, ipsi concederentur, ad placitum venire detrectasse: quo audito, imperator in eum indignatus, Petro dimiserit quod possidebat, & negotio imperfecto post hebdomadas septem recesserit, quod ex præmissa ipsius Lotharii epistola falsi manifeste convincitur. Roma qui-

a V. Annal. to. I. ad p. 129.

b Spicil. to. 2. p. 480.

* Adalberone.

c Orderic. lib. 13. p. 296. & seq.

ANN. CHR.
1133.

dem post sex aut septem hebdomadas recessit imperator, propter æstus, & propter infestationes Anacletianorum, qui ex turribus Germanos lapidibus, missilibusque laceffabant; ac demum in Germaniam se recepit.

II.
Ejus epistola
ad Cluniacen-
ses.

Urbi redditus Innocentius, id Petro Cluniacensi abbati & fratribus Cluniacensibus quamprimum significavit, scripta ad eos epistola, ut pro se Deo gratias agerent. Epistola hæc, quia brevis est, hoc loco de Spicilegii tomo II. referenda videtur.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Petro abbati & fratribus Cluniacensibus, salutem & apostolicam benedictionem. Protexit nos Deus a conventu malignantium, & a multitudine operantium iniquitatem. Olim namque debacchante Judaica rabie, divina virtutis dextera de profunditate sui consilii nos & fratres nostros ad sua reservatos obsequia de Urbe sub protectione suæ commiserationis eduxit: modo vero in faciem suæ respexit ecclesie, atque nos sanos & incolumes ad sedem propriam revocavit. Dignum est igitur, quatenus pro tantis nobis collatis a superno Numine beneficiis nobiscum pariter gratulemini, & divinæ majestati grates debitas referatis. Illud omnimodis exorantes ut causam ecclesie, nunc usque in suo patrocinio sustentatam, magis ac magis attollat, & bonis principiis exitu meliores adhibeat. Credimus enim, quod preces vestre majorem efficaciam apud Deum obtineant, quam secularis potentia quorumlibet armatorum. Nos autem in Urbe cum carissimo filio nostro Romanorum rege Lothario constituti, super sollicitudine ac studio, quod super sanctam Romanam ecclesiam geritis, devotioni vestre multimodas gratias exhibemus; & quæ ad liberationem ecclesie pertinent, Deo gratias, salubriter operamur. Datum Laterani x. kal. Junii.

a Bern. ep. 138.

Hactenus Innocentii epistola ad Cluniacenses, ex qua intelligitur, quanti eorum religionem, precesque faceret. Eodem tempore Bernardus, qui pontificem in Urbem comitatus erat, Heinricho Anglorum regi^a scripsit, supplicas ab eo petiturus, cum primum in Urbem ingressus est.

III.
Ex urbe Pisas
secepit.

Verum ei non diu in Urbe quieto & tuto esse licuit. nam ubi Lotharius illinc discessit, Anacleti factio e turribus egressa per Urbem volitare coepit, ac necem Innocentii affectis intentare, novoque omnia tumultu permiscere institit. Quare Innocentius eorum furori cedendum ratus, ad Pisanos denuo se contulit, quorum fidem ac benevolentiam jam expertus erat, ibique novum ex toto orbe concilium in sequentem annum indixit. Id ubi rescivit Bernardus, gratulatoriam ad Pisanos epistolam^b scripsit, qua eos honoris ipsis facti memores esse jubet, & ad fidem Innocentio constanter servandam hortatur, his verbis. *Assumitur Pisa in locum Romæ, & de cunctis urbibus terræ ad apostolicæ sedis culmen eligitur. Nec fortuito, sive humano id contigit consilio: sed cælesti providentia & Dei benigno amore fit, qui diligentes se diligit, qui dixit Innocentio: Pisanam inhabitata, & ego benedicens benedicam ei. . . . O Pisani, Pisani, magnificavit Dominus facere vobiscum, facti sumus lætantes. Quæ civitas non invidet? Serva depositum, urbs fidelis, agnosce gratiam; stude prerogativæ non inveniri ingrata. Honora tuum & universitatis patrem; honora mundi principes qui in te sunt, & iudices terræ: quorum te præsentia reddet illustrem, gloriosam, famosam. Non erat tunc in comitatu Innocentii Bernardus, tamen eum in Urbem comitatus erat: sed discedentem Roma Lotharium subsecutus erat, a pontifice missus in Germaniam, ut Conradum Sueviæ ducem, imperatoris æmulum, cum eo reconciliaret. In illo itinere vir Dei Mascelinum^c nobilem clericum, quem Albertus Moguntinorum archiepiscopus obviam ei miserat, monachum fore prædixit, quidquid ille contra assereret.*

IV.
Bernardus in
Germaniam
missus.c Bern. vita lib.
4. c. 3.

Antequam ex Italia in Germaniam appelleret vir Dei, forte caram Claram-vallem obiter revisit, quo tempore Thomæ sancti Victoris apud Parisios prioris nefanda cædes accidit. Hic magnæ erat in Parisiensi ecclesia auctoritatis, ejusque consilii Stephanus episcopus plurimum tribuebat. Tunc in Calensi parthenone quædam præter rectum ordinem irrepsert, quæ pro suo zelo vel officio venerabilis Thomas episcopo suggestit. Ille vero assensu regis ad ea emendanda & ordinanda illuc profectus est, assumtis secum ipso Thoma, S. Maglorii abbate, & subpriori S. Martini a campis, aliisque compluribus clericis & monachis. Negotio peracto, cum omnes una cum episcopo in urbem redirent, prope Gornacum^{*} castrum quod vix uno lapide a Calensi monasterio ad Matronam positum est, subito a nepotibus Theobaldi archidiaconi, cui Thomas exactiones presbyteris ecclesia-

V.
Thomæ prioris
S. Victoris cæ-
des.

* Gornacum.

rum ab eo injuste extortas exprobrabat, imperitius, gladiis inter manus episcopi confossus est, relictusque semianimis, facta confessione, acceptoque viatico, veniam parricidis imprecat, pro justitia animam exhalavit. Id accidit dominica die, & quidem XIII. kal. Septembris, quod ad annum MCXXX. perperam retulit Picardus, aliique post eum; haud dubie referendum ad annum MCXXXIII. quo anno littera dominicalis A. in tertium-decimum kalendas Septembris incidebat, ut jam dudum in notis fusioribus ad Bernardi epistolam CLVIII. observavi. Ibidem relata est a Picardo Stephani antistitis epistola ad Gaufridum Carnotensem episcopum, jam sedis apostolicæ legatum, (sic enim epistola inscriptio præfert.) quod munus ab Innocentio non ante MCXXXII. eum obtinuisse constat. Unde novum restituta chronologia nostræ argumentum certissimum eruitur. Hanc enim epistolam Stephanus episcopus, recenti illius cædis mœrore supra modum afflictus scripsit *Gaufrido Dei gratia venerabili Carnotensium episcopo & apostolicæ sedis legato*; rogans eum, ut ad se veniret Claram-vallem, quo se ad leniendum piorum virorum, & maxime Bernardi contubernio & colloquio dolorem receperat: ut, quid de tam atroci facinore, ejusque auctoribus statuendum esset, una dispicerent.

ANN. CHR.
1133.

Nec mora Gaufridus Claram-vallem perrexit, scriptisque litteris episcopos dioceseos Remensis, Rotomagensis, Turonensis, Senonensisque ad synodum Jotri in Briegio indictam convocavit, ad Thomæ necem vindicandam. quod ut strenue præstarent, eos cohortati sunt *Hugo Gratianopolitane ecclesie vocatus episcopus*, & Guigo prior fratresque Cartusientes. quæ epistola non sancto Hugoni illius sedis episcopo, qui anno superiore obierat, sed cognomini ejus successori tribuenda est, qui necdum ordinatus, sed tantum *vocatus episcopus* erat. In illa synodo ecclesie fulmine percussis sunt tanti facinoris auctores, Theobaldus Moterius aliique ejusdem sceleris conficii. Innocentio papæ *nimis remissa* visa est hæc sententia, isque addendum censuit, *ut in quibuscumque locis præfati sanguinarij præfentes fuerint, divina ibi non celebrentur officia*; eorumque fautores anathemate percillantur. Ad hæc idem pontifex^a Remensi & Senonensi archiepiscopis, eorumque episcopis mandavit, ut corpus ejusdem *boni viri, qui sub obedientia vivens, in obsequio proprii est interfectus episcopi, in sua ecclesia honorifice tumuletur*, epistola *data Pisis XXI. Decembris*, quo recens ex Urbe egressus pontifex denuo se receperat, ut mox vidimus. Extant Stephani episcopi litteræ^b ad archipresbyteros suos, quibus venerabilis Thomæ interfectores excommunicatos denuntiat, & pro excommunicatis haberi jubet, ut in Jotrensi concilio statutum fuerat.

Jotri synodus.

Graves hac de re epistolas^c scripsit Bernardus, tum ad Innocentium papam nomine proprio, tum ad eundem nomine Stephani Parisiensis episcopi, tum ad Haimericum cancellarium, quibus epistolis eos ad illius cædis auctores severe puniendos excitat. In priori ex duabus ad Innocentium, quam vir sanctus proprio nomine scripsit, invehitur in archidiaconum qui facinoris noxam a se amoliturus, ad pontificem confugerat. *Sed numquid ego, inquit, occidi eum? Non utique tu, sed tui, & propter te. an & per te, videat Deus, & judicet. Si excusabilis tu es, cujus dentes arma & sagittæ, cujus lingua gladius acutus; proinde nec Judæi Christi de morte culpandi sunt: quippe & ipsi manus continuere cauti.* Pergit Bernardus de eo Innocentium alloquens. *Ob illicitas exactiones, quas sibi occasione archidiaconatus in presbyteros minime jam, ut consueverat, usurpare liceret; beati utique Thomæ obviantem zelo atque industria, utpote justitiæ amatoris & defensoris, oderat illum, & mortem ei, jam ipso odio homicida, mimitari solebat. Multi se audivisse nunc perhibent, quibus discredendum non est. Postremo nepotes ejus, ut impias manus ejus in sanctum mitterent, quid aliud unquam adversus eum habuerint, ipse certe dicat, si potest. Si ergo iste, qui causa, qui inceptor, qui etiam, ut omnium pene suspicio est, existit & dictator facinoris; si is, inquam, impune ferat, (quod utique mira impudentia de vestra apostolica auctoritate præsumit) quanta putamus impunitas ista in ecclesia parturiet punienda?* Hæc aliaque plura Bernardus pro suo zelo. Eundem quoque scriptis aliis ad Innocentium litteris^d testatum fecit adversus auctores cædis Archembaldi subdecani Aurelianensis, quem eodem anno, quo Thomas, in finitimo Johannis archidiaconi interfectum fuisse constat. Interim Bernardus hoc ipso anno Cisterciensi capitulo, idibus Septembris celebrari solito, interfuit, ut patet ex epistola^e Petri Venerabilis, quæ *carissimis & venerabilibus fratribus nostris, domno*

a Spicil. to. 5.
p. 563.b Chesn. to. 4.
p. 563.VI.
Bernardi hac
de re epist. læ.
c Bern. ep. 158.
& seqq.

d id. ep. 161.

e Petr. Ven. lib.
1. ep. 35.

ANN. CHR.
1133.

abbati Cisterciensis, Clara-vallensis, Pontiniensis, & aliis in Christi nomine congregatis inscripta est occasione decimarum, quarum exemptionem Innocentius Cisterciensibus concefferat.

VII.
Cistercium profectus in Germania.

His peractis, Bernardus perrexit in Germaniam, Conradum Sueviæ ducem, ut jam dixi, Lothario reconciliaturus. quod pro voto successit. Tunc temporis varia Cisterciensis familiæ monasteria in illis partibus constructa fuere, Heilsbrunense in primis diocesis Eistertensis, & Lankenheimium Babenbergensis; hoc ab Ottone istius sedis episcopo conditum, illud ab eodem promotum. De his aliisque videndus Manricus ad hunc annum: quo primus Cisterciensium apostolus Benno ad Wandalos missus a Krantzio dicitur, factusque tertius episcopus in sede Mekelemburgensi seu Magnopolitana, ut duos adhuc illius populi animos emolliret, atque ad fidem converteret. Pleraque hæc monasteria Morimundo, sterili hæcenus parenti soboles, tribuuntur, auctore Ottone abbate, qui Galterum Arnaldi successorem exceperat.

VIII.
Wibaldus abbas tollit investituram ecclesiarum a laicis.

[Cum primum Stabulensis monasterii Wibaldus abbas creatus est, abusus, si qui obreperant, emendare studuit. Quapropter cum Heribrandus de Longia, quod castellum est ad Stabulense monasterium pertinens, ecclesiam quæ est Villa-longiæ, & eam quæ in monte S. Rainheri ab antecessoribus suis Cuone & Johanne abbate jure feodi obtinisset, factum est, ut quotiescumque supradictæ defunctis sacerdotibus vacarent, ille manu propria ipsas ecclesias daret & personam ad investituram altaris per se conduceret. Verum Wibaldi tempore defuncto fratre Roberto presbytero, qui easdem ecclesias habuerat, nullis precibus, nullo consilio adduci potuit ut ecclesiarum possessionem a laico dari concederet; sed quia te tamquam virum bonum & fidelem, inquit Wibaldus, diligimus, & tam heredes tuos quam te in mansione castelli nostri conservare volumus, ex consilio fratrum nostrorum & hominum ecclesiæ, utilitati & honori tuo aliter providere curavimus. Concessimus enim tibi & presenti scripto jure perpetuo firmavimus, ut tuam sit vacantibus præfatis ecclesiis personam idoneam & canonicam nobis & successoribus ad investiendum præsentare, &c. Actum est Stabulaus anno Dominicæ incarnationis MCXXXIII. regnante domno Lothario tertio Romano rege, Alexandro in Leodio præfule.]

IX.
Gerardus abbas S. Maximini de simonia accusatus.

[Hoc ipso anno Gerardus Treverensis S. Maximini abbas ab Henrico presbytero & Egilolfo monachis apud Innocentium papam accusatus est de simoniaca hæresi: adjicientibus etiam, quod monasterium beati Maximini in temporalibus opulentum, thesauris & ornamentis suis, postposito Dei timore & reverentia spoliaverit, & ad nihilum pæne redegerit: quæ omnia indiscussa atque impunita præterire nolens pontifex, mandavit ut in Dominica qua cantatur Misericordia Domini coram se compareret, responsurus & de objectis satisfactorius: interim ne bona monasterii distrahat, nec ullam accusatoribus molestiam inferat interdicens. Data Pisis III. kalendas Novembris. Mandata pontificis sprevit Gerardus, & non solum tempore assignato non comparuit, verum etiam superbiæ spiritu debacchatus, eos de fratribus qui eum accusaverant officio suo destitui & alios variis injuriis & læsionibus affici, propriisque beneficiis propria voluntate privari non timuit. Quare scriptâ ad Alberonem Treverensem epistolâ, si verum est, inquit Innocentius papa, ipsum ab abbatiæ regimine summovemus, & tam latorem præsentium quam alios quos destituisse dicitur, officio & beneficio in integrum reconciliari præcipimus. Quam sententiam firmiter observandam & effectui mancipandam fraternitati tuæ injungimus, quo usque ad nostram præsentiam veniat, atque de contentu & objectis capitulis satisfaciatur. Data Pisis XIII. kalendas Februarii. Abbas deprecatorum apud pontificem adhibuit Lotharium, id quod discimus ex aliis ad Adalberonem litteris, quibus sententiæ executionem interim differendam mandat: Verum imperialibus precibus, inquit, postea intercedentibus, idem negotium usque ad tempus expeditionis Italicæ duximus differendum. Præfixo tamen termino adversa pars nihilo minus nostro se conspectui præsentavit, ea quæ præfato abbati objecerat canonicè probare parata. Nos itaque eorum laboribus & expensis paterna provisione parcentes, eandem causam fraternitati tuæ commisimus terminandam. Mandamus igitur discretioni tuæ, quatenus usque ad tempus expeditionis ejusdem præfatum negotium canonico sine decidat. Data Pisis IV. idus Aprilis. De his alias ad annum MCXLIII.]

X.
Eberhardus fit

Dum apud Germanos versamur, juvat hic agere de primordiis Eberhardi Saltz-

ANN. CHR.
1133.
abbas Biber-

burgensis archiepiscopi e nostris, quem hoc anno vel infequente Biburgensem abbatem creatum fuisse ex ejus actis colligimus. Fuit is patria Noricus, nobilissimus genere, cujus mater tantæ pietatis fuisse traditur, ut folis leguminibus in cibum contenta, ecclesiam in honorem beatæ Mariæ in civitate propria una cum viro construxerit: ad cujus fabricam ipsa cum pedisequis nudipes propriis humeris lapides comportavit. Eberhardus tam piis ortus parentibus, quorum nomina reticet vitæ scriptor, in Babenbergensi ecclesia liberalibus studiis informatus, dein ejusdem canonicus, demum ad proximum sancti Michaëlis monasterium convolvavit, monasticum habitum induturus. Verum, cum illius ecclesiæ præpositus suum sibi alumnum abstrahi, & clericalem monastico habitum permutari ferret impatienter; Eberhardus accepto comæatu in Franciam cum magistro suo directus est, ubi multum in litteris progressum fecisse dicitur. Reversus in patriam, cum ejus animo semper monasticum propositum hæreret, favente piis votis Ottone Babenbergensi episcopo, jam quadragenarius monasterium subiit. quod de prædicto sancti Michaëlis monasterio plerique omnes interpretantur: mihi vero interpretandum videtur de Prufeningensi prope Ratisponam monasterio, cui tunc Erbo^a seu Eribo abbas præerat, cujus exemplo corpus jejuniis macerabat Eberhardus, orationibus protrahis invigilabat, cum paupere Christo pauper esse contendens. Apposita, cui imprimetur, forma erat abbas suus Erbo, quem laudare satis, nisi alterum pæne Johannem vel Heliam æstimando, nescimus, inquit vitæ Eberhardi scriptor æqualis. Per idem tempus contigit, Eberhardi germanos fratres & propinquos de construendo in hereditariis suis possessionibus monasterio consilium inire. Designatur ad id operis Biburgense^{*} prædium in diocesi Ratisponensi sub mundeburgo seu protectione Ottonis Babenbergensis episcopi, qui quingenta & sexdecim talenta^b in expensas ad monasterii fabricam contulisse fertur. Consummatum tandem monasterium hoc anno in honorem beatæ Mariæ dedicatum est ab Henrico Ratisponensi episcopo in natalitio sanctorum apostolorum Simonis & Judæ; eidemque deputatus abbas primus Eberhardus. At ille, subesse malens quam præesse, quinque annis consecrari detrectavit: donec tandem cum Ottone Babenbergensi episcopo Romam profectus, agente ad Biburgensium preces altero Eberhardo Babenbergensi præposito ipsius amico, ab Innocentio papa consecratus est, a quo etiam post annos sex monasterio suo privilegium obtinuit ab Hundio relatum. ^c Plura de illo monasterio in tomo secundo Metropolis Salisburgensis, ubi Eberhardi parentes Henricus & Bertha nominantur: fratres vero germani Ulricus & Gebehardus, qui symbolam uterque suam cum aliis propinquis construendo monasterio contulerunt. Biburgensi asceterio annis quinque cum præfuisset Eberhardus, (tredecim annos alii numerant, initio ducto ab inchoato monasterio) defuncto Conrado Saltzburgensi archiepiscopo subrogatur, ei vero alter Conradus in abbatiæ regimen substitutus est, de quo inferius agendum.

Nec hic omittendum insigne Ordinis nostri monasterium, quod hoc anno pietate & munificentia Bernhardi Hildeshemensis episcopi fundatum est. Is cum anno præcedenti, ut superius vidimus, sanctum Godehardum prædecessorem suum in album sanctorum referri curasset in concilio Remensi sub Innocentio II. summo pontifice; ad suos reversus statim corpus ejus & sepulcro levare iussit, reliquiasque in thecam auro, argento & gemmis decoratam, cujus pretium^d decem millium florenorum valorem superabat, transtulit. Nec his contentus, ut sancti Godehardi cultum magis ac magis promoveret, posterisque tutius transmitteret, monasterium hoc ipso anno in ejusdem sanctissimi antistitis honorem construere cœpit, cujus fundamenta posuit xvi. kal. Julii in australi parte civitatis Hildeshemensis. Triennio post, scilicet MCXXXVI. cœnobio nondum penitus absoluto, monachos ibi constituit, quibus primum abbatem præfecit Fridericum, quem alii e Corbeia veteri, alii, quod vero propius est, ait chronographus sancti Godehardi, e Fulda assumptum fuisse tradunt. Hic recte vivendi norma suis exstitit, bibliothecamque haud pœnitenda, habita temporum ratione, librorum suppellectile ditavit. Cum summum pontificem adiret, in morbum incidit, diemque suum obiit, in Italia sepultus; quo in loco, die & anno, incertum. Corpus ejus, abbate Bertramo, annis plus quam ter centum post mortem, sua ætate integrum repertum fuisse scribit chronographus mox memoratus. Successorem habuit Arnoldum, qui monasterii res plurimum amplificavit.

^a V. lib. 71. n. 91.^{*} Biburg.
^b Metrop. Salisb.
^c 2. p. 204.^c ibid. p. 203.XI.
Monasterium S. Godehardi Hildeshemensis fundatur. Primiabbates.^a Leibn. Rer. Brunf. to. 1. p. 746. to. 2. p. 407. & 791. Paullin. Rer. Germ. p. 89.^b Leibn. to. 2. p. 407.

ANN. CHR. 1133. vit, hic Theodericum. Alios ejusdem loci abbates reperies apud eundem chronographum, in hoc culpandum quod chronicas notas prorsus neglexerit. Perstat hodieque sancti Godehardi monasterium sub regula sancti Benedicti.

XII. Adalbero abbas fit episcopus Basileensis a supra n. 1. Regebat eo tempore Neoburgense monasterium Adalbero abbas, qui Romæ cum Lothario imperatore hoc anno adfuit, testante ipso Lothario in epistola superius a memorata ad episcopos & principes, fidelesque universos, quibus suum in Urbem adventum significat. Reversus in Germaniam Lotharius, celebrem Wirziburgi conventum habuit, in quo Henrici Ratisponensis episcopi & Walteri Augustensis electiones confirmatae dicuntur in chronico Saxonico: *Et quia Henricus Basiliensis episcopus omnino degradatus fuit, Adalbero Nienburgensis abbas eidem canonice electione cleri & populi per consilium imperatoris successit*, ut in eodem chronico legitur, in quo Adelberoni Nienburgensi abbati Arnoldus abbas sancti Johannis-Baptistæ anno sequenti successisse dicitur. De Henrico illo episcopo nulla mentio in Basilea-sacra, nec de Adalberonis abbatiali dignitate, qui a comitibus Friburgensibus ortum habuisse dicitur. De origine situque Neoburgensis monasterii, hæret aqua, nisi sit Neostadiense monasterium in Franconia, quinque dumtaxat milliariibus a Wirziburgo distitum; quod satis verisimile videtur, cum Neoburgum idem fere Germanis sonet atque Neostadium. Bucelinus quidem Neoburgense Alsatia monasterium memorat in Germania-sacra; sed illud esse ait congregationis Cisterciensis, ejusque primus abbas Udalricus hoc anno institutus dicitur. sunt & alia in Germania ejusdem nominis monasteria, sed puellatum. Adalbero Basileensem ecclesiam ad septem annos rexisset perhibetur in Basilea-sacra: at quatuor tantum annis eum sedisse constat in chronico Saxonico, in quo hoc anno MCXXXVI. obiisse dicitur in Apulia, in comitatu Lotharii imperatoris.

XIII. Reynsburgense parthenium conditur. In Hollandia Petronella comitissa hoc anno, post mortem viri sui Florentii Crassi Hollandia comitis, monasterium puellarum nostri Ordinis in honorem beatæ Mariæ virginis & sancti Laurentii martyris condidit in prædio castri, quod *Reynsburg* appellatur. Istuc adductæ sanctimoniales e Saxonia monasterio Stuterlingeburgensi, in quibus religionis gravitas & claustralis officii non parva cognitio fuit, testante Johanne b de Leydis, *quarum industria hodieque, ait ille, in his, quæ per earum magisterium reformatae sunt, apparet*. Eodem anno, & quidem XVI. kal. Octobris dedicatum est ejus loci templum ab Andrea episcopo; ibidemque instituta prima priorissa Cuniza seu Cunera, *litterarum scientia & facultatibus gratia mirabilis, religione gravis, carnis nobilitate insignis*, utpote matertera Christiani archiepiscopi Moguntiacensis, quæ anno MCLXIX. obiisse traditur. Anno MCXXXIX. Theodericus comes Hollandia nonus, filius prædictæ Petronellæ, Jerosolymam c profectus, cum inde anno sequenti reverteretur, Innocentium II. adiit, a quo privilegium exemptionis pro dicto parthenone adeptus est, uti & pro monasterio Egmondensi, cui tunc Walterus abbas præerat, qui ordinem in suo monasterio reformavit.

XIV. Hugonis Metelli epistolæ. Apud Tullum-Leucorum, in suburbano sancti Leonis monasterio canonicorum regularium S. Augustini, tunc florebat Hugo-Metellus ejus loci canonicus regularis, ut ex epistolis, quas ad diversos hoc tempore scripsit; intelligitur. Duæ sunt ad Innocentium papam, una ad cardinales, duæ ad S. Bernardum, una ad Petrum Abaelardum, plures alia ad alios. In priori ad Innocentium ait, duos olim litigasse in Levitico: nunc duos litigare in Evangelio, quorum unus sit abbas Clara-vallis, alter Petrus-Abailardus, qui *dat saltus in cælum, dum ecclesiam persequitur*, ut ex ejus Theologia innotescit. His medendum esse pontifici suggerit. In epistola ad cardinales ait se mirari, cur tantam varietatem in vestibus, immo vestium in ordinibus sustineant. *Ecce isti sunt, inquit, superpellicciati, isti sunt tunicati; quasi regnum Dei obtineatur vestibus, non moribus. Non est ita, nec enim felix ecclesia est in vestibus, ruentibus moribus*. Idem in epistola inscripta *Gemmae Benedicti, Benedicti alumno*, habitum & vitæ suæ genus describit in hunc modum. *Mutavi mentem, mutavi vestem, & pro pellicula peregrini muris redolente, involutus sum ovina pelle; pro pelle mandarina, vestitus sum pelle caprina. Pro cibis delicatis, exquisitis terra & aquis, placent vilia oluscula, rustica legumina, faba Pythagoræ cognata: pro nectareo potu placet potus avenæ, potus aquæ*. In una ex duabus epistolis ad Helwidem seu Heloylam abbatissam Paracliti, quam ab litterarum studio extollit, nomen patriam-

ANN. CHR. 1133. que suam indicat his verbis. *Quis sum ego, quis fuerim, cognoscere vultis? Nominor ego Hugo-Metellus: genuit me Leucha tellus, qui olim musis associatus, fere totum hausit Heliconem*. Esti nonnihil levitatis aliquando in epistolis suis prodit hic auctor, zelum tamen suum & studium in fidem catholicam testatum facit, maxime in epistola ad Gerlandum, contra reliquias hæresis Berengarianæ, a me edita in tomo tertio Analectorum, ubi plura de ipso Hugone-Metello. Guilencum Lingonum episcopum admonet sollicitè invigilare gregi dominico sibi commisso, eumque in pluribus dormitare arguit. In epistola ad Henricum Leuchorum episcopum: *Latent in episcopatu tuo, inquit, immo jam apparent pestilentes homines, qui veriori nomine bestiae appellari possunt, quia bestialiter vivunt. Conjugium enim detestantur, baptismum abominantur, sacramenta ecclesiæ derident, nomen christianum abhorrent*. De his hæreticis alias. Denique in epistola ad Petrum-Abailardum ait se execrari & persequi hæretes ei adscriptas, quæ sine excidio christiani nominis credi non possunt; immo & eum ipsum abominari, si earum sit auctor, & defensor. Pænultima Metelli epistola inscripta est *venerabili abbati sancti Clementis conventuique sacro sibi a Deo credito*, quorum hospitalitatem laudat. Hactenus de Hugonis Metelli epistolis, quæ numero LV. habentur in veteri codice bibliothecæ Claromontani apud Parisios collegii Soc. Jesu, ex quibus præmissa delibare visum est ad auctorem, qui non civis notus est, & res illius temporis illustrandum.

XV. Gualteri de Mauritania epistola ad Petrum Abaelardum. Florebat eodem tempore in urbe Lauduno magister Gualterus de Mauritania, ejusdem urbis decanus & post medium sæculum duodecimum episcopus, quem Radulfo, Anselmi Laudunensis germano fratri, in scholarum magistratu successisse puto. Editæ sunt in Spicilegii tomo secundo quinque ejus epistolæ, quarum postrema inscripta est, *Magistro Petro monacho*, scilicet Petro-Abaelardo, cui capitula quadam ex ejus libro theologiæ explicanda civiliter proponit. In primis quod Petrus asserere diceretur, se perfecte cognoscere, quomodo tres personæ sanctæ Trinitatis sint in una divina essentia, & in personarum pluralitate unitas divinæ essentia. Ad hæc quod etiam perfecte cognosceret processionem divinarum personarum. Sed quia plerumque contingere solet, ut discipuli male referant & interpretentur sententias magistrorum; se ab his assensum cohibuisse dicit, dum Petri librum theologiæ, id est priorem ejus partem, legisset, in qua quadam se legisse dicit, quæ a consuetudine scriptorum catholicorum discrepant. quale est illud, quod non tam veritatem dicere promitteret, quam opinionis suæ sensum. quod omnipotentiam Patris esse dicat, Filii vero minorem dicere videatur. Eundem Petrum urget Gualterus quod plenam & perfectam sanctæ Trinitatis notitiam in hac vita haberi posse dicat; idque pluribus refellit Gualterus. Sub finem ab eo petit sibi renuntiari an credat, quod Deus non sit essentialiter in mundo, vel alibi. Eundem errorem tribui dicit magistro Theodorico, cui inscripta epistola tertia, eumque refellit. Incertum mihi est, quis sit ille magister Guillelmus monachus, ad quem epistola prima, qui non firmiter credere dicebatur, peccatorum remissionem non conferri parvulis ante tempus discretionis, iis scilicet, qui ab hæretico Christi baptismo baptizati essent. quod ille iidem pluribus refutat. Sed de hoc auctore satis, quem certum est scripsisse contra Abaelardum ante annum MCXLIII. quo Abaelardus decessit, immo ante Senonense concilium, in quo ejus errores damnati sunt. Alias non tam civiliter & moderate cum eo acturus fuisset Gualterus.

XVI. S. Vincentio datur ecclesia S. Johannis de Lescheris. Hæc scribebat ille pontificatu venerabilis Bartholomæi episcopi, qui multa in illa diœcesi insignia opera præstitit, multaque ecclesiis ac monasteriis beneficia contulit. Horum in primis particeps fuit suburbanum S. Vincentii monasterium cui hoc anno ecclesiam sancti Johannis de Lescheris * concessit, ut in ea monachi canonicorum loco substituerentur. Hanc ecclesiam cum domini illius castri diu tenuissent, & octo ejus canonici ab eorum laica manu contra ecclesiasticum morem præbendarum investituræ ad hæc usque tempora suscipere consueverunt; novissime Balduinus de Subpeio, in cujus manus locus iste hereditaria successione pervenerat, illius abusus reatum agnoscens, annuente uxore Machania, propinquoque & genero suo Burchardo de Gusia * cum uxore sua Adelide, ipsius Balduini filia, prædictam ecclesiam in manu Bartholomæi episcopi resignavit, rogans, ut loco clericorum, qui illic nimis seculariter & irreligiose vivebant, monachi substituerentur. Id præstitit episcopus, & ecclesiam illam Anselmo S. Vincentii abbati tradidit, eo

XV. Gualteri de Mauritania epistola ad Petrum Abaelardum.

a Spicil. tom. 2. p. 473.

XVI. S. Vincentio datur ecclesia S. Johannis de Lescheris. * de Lesquiennes seu Leschelles.

* de Guise.

ANN. CHR. 1133. paſto, ut decedentium canonicorum præbendas totidem monachi obtinerent. Ad hæc Robertus de Petra-ponte*, qui multa S. Vincentii monaſterio intulerat, poenitentia ductus, abbatis & fratrum loci indulgentiam poſtulavit, & ad damna compenſanda, in villa Salviaco Petra-ponti proxima, cujus maxima pars S. Vincentii erat, vicum unum ſui juris cum juſtitia, diſtrictu & hominum dominium S. Vincentio donavit. Hæc, aliaque litteris ſuis conſignata reliquit Bartholomæus episcopus. Actum Lauduni xi. kal. Aprilis hoc anno, indiſtione xi.

Idem pontifex litteris ſuis teſtatur, quod cum Anſellus de Ribodimonte, pater Godſfridi, S. Vincentio multa gravamina intuliſſet; tandem reſipiscens in S. Vincentii capitulo ſe flagellari fecit, & in damnorum compenſationem torum veſtigial wionagii ſeu vini devehendi ſibi debitum, apud Ribodimontem & Macerias S. Vincentio remiſit. quod Radulſus Viromandensis, in cujus poteſtatem poſtea Ribodimontis caſtellum devenerat, hoc anno confirmavit.

XVII. S. Nicolai de Nemore & S. Quintini de Monte abbates a lib. 74. n. 98. b Herman. lib. 3. de mirac. S. Mariæ c. 19. Eodem anno pridie idus Octobris ad ſuperos migravit venerabilis Simon abbas S. Nicolai de Nemore, ſuperius a laudatus. Eo mortuo Bartholomæus episcopus, conſilio abbatum & religioſorum virorum Giſlebertum pro fama probitatis ſuæ, inquit Hermannus b monachus, de ſancti Michaëlis in Teoraſcia monaſterio tranſtulit ad cœnobium S. Nicolai, cujus monachus & prior fuerat, ibique eum abbatem inſtituit: ubi uſque hodie, inquit ille, multos labores pertulit, & multoties Romam pro ipſius eccleſiæ utilitate petiit. Eo ſedente Ludovicus Craſſus abbatiam & omnia ad eam pertinentia in regiam tuitionem ſuſcepit, atque bona a patre ſuo donata conſtituit, ut ex ejus charta diſcimus anno MCXXXVI. data. Idem abbas res monaſterii multum auxiſſe dicitur, ad annum ſaltem MCLIII. ſuperſtes. Ejus beneficiorum memor Sigerus abbas, poſt Hugonem ſucceſſor, ipſius anniſſarium inſtituit.

Non ante hunc annum obiſſe videtur Henricus abbas S. Quintini-de-Monte prope Perronam: cui ſucceſſus ad ſeptem annos Rogerius ex monaſterio Aquicinctenſi, qui abbatiam non ſegniter adminiſtravit, ut in vita S. Goſwini abbatis Aquicinctenſis legitur. Poſt ejus obitum, qui anno MCXL. kalendis Maii accidit, locum rexit Hugo, Rogerii caſtellani Perronenſis germanus, qui puer in Corbeienſi monaſterio Deo oblatus, ibidemque monachum profeſſus erat; idemque, poſtquam S. Quintini monaſterio triginta-tribus annis præſuiſſet, ad Corbeienſem præfecturam revocatur.

XVIII. S. Adjutor monachus Tironenſis. c Anecd. 10. 3. [Dum Tironenſe monaſterium adminiſtraret Guillelmus abbas, florebat in eo vitæ ſanctimoniæ Adjutor monachus. c Is natus in Pertico, urbe Vernono, Johanne ipſius loci domino temporali, matre vero Roſimunda de Blaru devotiſſimis & ſanctiſſimis perſonis, nobilis quidem genere, ſed nobilior fide: ſæculi dignitate inter ſuos clarus, ſed divinorum munerum gratia præcipuus. Infantia hujus quid futurum eſſe deberet ſatis prætendebat. Vigiliis, jejuniiſ & orationibus aſſiduus, quo tempore aſſolet hujus ſæculi atas laſcivire, corpus macerabat: creſcente ætate creſcebat bonorum operum affectus. Erat forma ſpecioſus, corpore caſtus, mente devotus, affabilis eloquio, amabilis aſpectu. Ea tempeſtate ad ſacram expeditionem Jeruſolymitanam multi conſuebant, tum etiam Adjutor cum ferme ducentis armatis cruce ſignatus, in territorio Antiocheno loco qui dicitur Imbuit in Iſmaëliſtarum mille quingentorum incidit inſidias, & ab eis circumvallatus, deſperare omnes, ipſe ad conſueta arma humo proſtratus recurrit, orationem ſimul & votum ſudit dicens: *Voveo tibi beatiſſima Maria Magdalena, quod ſi victoriam inſtantis belli contuleris domum de Monte cum ejus appenditiis ad tibi deſerviendum in monaſterio Tironenſi in Pertico, & in ipſo loco monachis ipſis Tironenſibus dabo capellam quam in tui honorem, quam cito in partes reſſus fuero, in loco conſtrui faciam & de meis facultatibus ſondorabo.* Tunc irrupit in hoſtes, eoſque fugavit, & mille & amplius eorum occidit nullo, e ſuis deſiderato.]

[Tanta parta victoria gratias egit Deo beatæque Magdalene, ac monachis Tironenſibus aſſidue pro eo Deum exorantibus. Vitato autem tanto periculo, incidit in aliud. Cum ſeptem & decem annos in expeditione Jeruſolymitana demoratus eſſet, ab hoſtibus fidei noſtræ caſu captivus factus eſt, diſſimilis carceribus mancipatus, ac ſtriſſimis loricis & catenis ferreis vincſtus. Urgentibus Sarracenis, ut fidem Chriſti negaret, conſtans in propoſito perfeveravit, Deoque & B. Mariæ, S. Magdalene ac B. Bernardo Tironenſis monaſterii inſtitutori ſeſe commendavit. Et ecce nocte

nocte quadam dum ſe aliquantulæ requiei dediſſet, vidit in ſomnis S. Magdalenam a dextra & glorioſum Bernardum a lava, eum tenentes ac curſu præpropero educentes, qui vinculis ſolutum reliquerunt. Tanto miraculo recuperata libertate, reverſus in Galliam, ad Willelmum abbatem Tironenſem miſit, votumque ſuum ſignificavit, ac veterem hominem exuens novumque induens, habitum ſacræ religionis Tironenſis eodem in loco aſſumſit: univerſis & ampliſſimis bonis ſuis in manu abbatis collatis, pro voluntate ejus diſtribuendis: conſtructaque capella, ejus altaria tria, quorum præcipuum erat in honorem ſanctæ Mariæ Magdalene, confecravit Hugo archiepiſcopus Rotomagenſis & vitæ ſcriptor.]

[Factus vero monachus tam ſanctam & arduam vitam duxit, ut præter panem & aquam vel oleum, ſale condita nulla ſumeret cibaria, niſi feſtivi diei amor ſeu ſolemnitas, & magnorum virorum hospitalitas eum amplius ſumere cogerent. Aſpectus non ſolum feminarum ſed & virorum a ſua præſentia removebat, ut ab hominibus ſubmotus, ſolum ſpectaret aſpectus angelicos, & creſceret in divinitate quod de erat in homine. Lectulum monachus numquam habuit, lectaria neſcivit, in pluma numquam reclinavit. Pro molli autem lana hiſſuto cilicio utebatur. Veſtis ſuperior vilis erat ac deſpicibilis; eratque oratio per diem aſſidua, nocturna quies in locello parvo retro altare capellæ B. Magdalene. Ibi continui ſingultus & lacrymæ, ibi aſſidua in precibus vigiliæ, ibi quotidianum jejunium. Aliquando interrogatus ab Hugone archiepiſcopo, cur non aliquantulum ſecundum ſui ſanguinis ſtatum ſe gereret, aut ſaltem alio in loco quam in illo corpus recrearet, cito reſpondit: *Nimis olim fuit recreatum corpus meum ad ſæculi ſtatum, nunc inſtat ut reddat quod ſumſit nimis.* Humus in illo locello lectum miniſtrabat, & ubi caput reclinabat, terra aliquantulum prominens pulvinar concedebat.]

[Vitam adeo ſanctam Deus illuſtrare voluit miraculis. febres curavit, ſurdus auditum reddidit, dæmones ejecit, morbos diverſi generis ſanavit, aliaque patravit miracula. Appropinquante demum vitæ ſuæ termino, cum reſolutionem ſui corporis imminere cognoſceret, archiepiſcopum Rotomagenſem & Willelmum abbatem ſuum Tironenſem evocavit. Hi ad eum cum pluribus aliis ſtentes & gementes conveniunt, auditique de ejus ſine verbis, interrogaverunt eum de ſepultura loco, quibus reſpondit: *In hac capellula, ſi placuerit domino abbati meo.* Erat autem vir ipſe venerandus humi decumbens, in lectulo illo quem ſupra deſcripſimus, retro B. Mariæ Magdalene altare, in quo divinis ſacramentis munitus, indutus ut ſemper erat, ii. kalendas Maii migravit ad dominum.]

De Tironenſium monachorum religione præclarum edit teſtimonium Hugo archiepiſcopus Rotomagenſis in ſuis litteris, quibus eccleſiam ſeu cellam beatæ Mariæ de Baſchevilla* eis committit. Hæc litteræ inſcriptæ ſunt *Willelmo venerabili abbati de Tirono*, qui illius eccleſiæ donationem, a Guillelmo Martello ſibi factam, ab eo confirmari poſtulaverat. Ad quod ille: *De religione, inquit, & bona veſtra converſatione gratulantes, quæ pie requiritis, congruum vobis duximus concedere, juſtiſque veſtris poſtulationibus aſſenſum præbere.* Hanc eccleſiam prius tenuerant monachi de Pinu: ſed eam Guillelmo Martello, a quo forte eam acceperant, reddidere coram Hugone archiepiſcopo, qui eam cum eccleſia S. Petri de Baſchevilla Tironenſibus monachis contulit hoc anno, pontificatus ſui quarto. His litteris ſubſcribit Walterius abbas S. Wandregiſili, & poſt eum tres archidiaconi eccleſiæ Rotomagenſis.

Qui his litteris ſubſcripſit Walterius S. Wandregiſili abbas, diu benedictionis ſeu ordinationis expers fuit, uti & Willelmus abbas Gemeticenſis, propterea quod Hugoni archiepiſcopo profeſſionem obedientiæ facere recuſarent. Querelis hac de re ad Innocentium ab Heinrico Anglorum rege delatis, Hugoni archiepiſcopo a ſcripſit pontifex, Heinricum adverſus eum graviter indignatum eſſe, quod contra conſuetudinem a quibuſdam abbatibus profeſſionem & obedientiam exigeret. quod quamvis juſtum ſit, & a ſe in concilio Remenſi mandatum; pro caritate tamen regis a rigore juſtitie aliquando condeſcendendum, & pro tempore ipſius voluntati aſſenſum præbendum; eumque, ſi id ipſi concedatur, Rotomagenſi eccleſiæ gratiam ſuam redditurum. Quapropter archiepiſcopum rogat pontifex, eique mandat, ut regi hac in re aſſentiat, & ſi quos ligaverit abbates, abſolvat. Walterius haud dubie jam in archiepiſcopi gratiam redierat.

ANN. CHR.
1133.
X X.
Reomaënſes,
& Nucarienſes
abbates.

Mortui sunt hoc anno tres nostri Ordinis abbates, Bernardus scilicet Reomaënſis, Gaudinus Nucarienſis, & Stephanus Glonnenſis. Bernardus Reomaënſem eccleſiam renovasse traditur, mortuus sub finem hujus anni, nempe XII. kal. Januarii, ut in rudi ejus epitaphio apud Roverium legitur, cum annis triginta-duobus monasterio præfuisse. Petrus ejus successor a Stephano Æduenſi episcopo privilegium impetravit, quo eccleſias novem olim monasterio donatas confirmat. Conſimile privilegium adeptus est a Godefrido Lingonum antiſtite, qui quosdam Petri lites composuit, unam inter eum & abbatiffam Rubei-montis super parochia Aſiaci; alteram inter eundem & Aglentinam abbatiffam Putei-orbis; tertiam inter ipſum & Rodulfum priorem de Caritate. Alias prætereo. Diuturna fuit Petri abbatis præſectura, cui Rainaldus sub annum MCXXX. ſucceſſit.

a V. lib. 71, n.
18.

In Nucarienſi apud Turones monasterio Gaudinus ^a abbas præſectura & vitæ curſum abſolvit. Huic ſucceſſus Bernerius, quem nonnulli Hugonem-Bernerium vocant, regularis diſciplinæ ſtudioſiſſimus, collapſa etiã ædificia inſtaurasse dicitur. Anno proximo cum Odone Majoris-monasterii abbate commutationem fecit Monadiaci villæ pro alodo Caſſaniæ, quem Matthæus & Drogo de Monte-aureo conceſſerant Majori-monasterio pro anima Hugonis-Burgundionis militis, qui in caſtello S. Mauræ detentus, cum a Gaufrido comite obſideretur, interfectus est, ejusque corpus in Majori-monasterio depositum. Poſt annos quinque Romæ litem acerbiffimam ſuſtinuit tempore concilii Lateranenſis adverſus S. Mauræ clericos. Cauſam dijudicandam pontifex commiſit Gaufrido Carnutenſium episcopo & apoſtolicæ ſedis legato, necnon Hugoni Turonum archiepiscopo, qui conventu apud Fontem-Ebraldi habito ſecundum Nucarienſes ſententiam dixerunt. Poſt annos quatuordecim abbas optimus Ægidium ſeu Gilonem habuit ſucceſſorem, virum ſingularis prudentiæ & multæ religionis, qui ad annum circiter MLXXII. vitam produxit.

XXI.
Matthæus
Glonnenſis ab-
bas.

His adjungendus est Stephanus Glonnenſis ſeu S. Florentii veteris monasterii abbas, cujus obitus præſenti anno in chartaceo codice conſignatur, in necrologio VII. idus Aprilis. Sepultus fuit honorifice in capitulo, ubi hætenus lapis ejus ſepulchralis cum nudo Stephani abbatis nomine cernitur. Vices ejus in abbatia ſubiit Matthæus, nobili genere in caſtro Lauſduno oriundus, qui in abbatiali dignitate tam præclare ſe geſſit, ut poſt regiminis annos viginti ad episcopatum Andecavenſem promoveri meruerit. Gravem habuit controverſiam cum ſanctimonialibus de Nido-avium diœceſis Andecavenſis, ut inferius videbimus. Inſignis est ad eundem Matthæum adhuc abbatem epistoſta Gilleberti Piſtavenſis episcopi, cujus ſuo loco argumentum & ſummam referemus.

XXII.
Drogo Glan-
naſolii abbas
Caſinum adit.

Glannofolienſi monasterio tunc præerat Drogo abbas, qui hoc anno Caſinenſe monasterium adiſſe, eoque VI. idus Martii, & quidem ſexta feria perveniſſe perhibetur, & pretioſa munera obruliſſe, reliquias videlicet beati Mauri abbatis S. Benedicti diſcipuli, & partem Regulæ, quam ſanctiſſimus Pater manu propria olim ſcripſerat. Drogo itaque ductus in capitulo oratione ad Caſinenſes habita, eis notum eſſe dixit, quo pacto Glannofolienſis eccleſia a beato Mauro, ſanctiſſimi patris Benedicti diſcipulo, exſtructa fuerit, & inſolubili caritatis vinculo Caſinenſi ſociata & adſtricta. Quapropter iſtuc ſe veniſſe, ut hanc confederationem denuo ſarciret ac renovaret. Ad quem Senioretus abbas reſpondit, ſibi probe compertam eſſe hanc confederationem, eamque Hadriani I. & Caroli Magni litteris conſignatam, quas ſtatim recitari præcepit. Hæc ex veteri membrana Caſinenſi. Drogoni abbati non multo poſt ſucceſſit Guillelmus, qui Aimericum, Archembaldi militis filium, monaſtica veſte induit, & ab eo partem decimæ de Solemniaco accepit, traditione facta *per baculum coſdrinæ*.

XXIII.
Atto Piſtorien-
ſis episcopus.
b Ital. ſacr. to.
3. p. 359.

Vallumbroſanam congregationem ad hunc uſque annum rexit Atto præpoſitus ejus octavus: quo anno ad ſedem Piſtorienſem promovetur ad annos viginti. Præclaram de eo mentionem facit ^b Innocentius II. in diplomate, quo univerſas illius eccleſiæ poſſeſſiones confirmat. *Gaudemus equidem, inquit, & debita jucunditate lætamur, quoniam ſupernæ diſpoſitionis providentiâ te, venerabilis frater Atto episcope, ſapientem utique virum, & in religione probatum, ejuſdem loci paſtorem conſtituit, & ad gubernandum, & inſtruendum doctrinâ & vitæ exemplo populum ſuum miſeratione divina vocavit. Quanto ergo vita tua religioſior eſt, & præſata Piſtorienſis eccleſia, cui auctore Deo præſides, exiſtit beato Petro devotior, tanto ex injuncto apo-*

ſtolatus officio magis grata nobis incumbit neceſſitas, ut prænominatam eccleſiam, tibi a Deo commiſſam, auctoritate apoſtolica muniamus. Datum Piſis anno ſequenti. Scripſit Atto vitam S. Johannis Gualberti, & rebus præclare geſtis deceſſit anno MCLIII. die viceſima-ſecunda Martii, ſepultusque in eccleſia majori, ubi in magna veneratione habetur. Attoni in præſectura Vallumbroſana ſucceſſus Gualdo, cujuſtempore id ſtatutum legitur, ut monachus, apud quem peculiare quiddam repertum fuiſſet citra permiſſum abbatis, ægrotans a fratribus ne viſitaretur, & in communi fratrum cœmeterio ne ſepeliretur, experique eſſet communium ſuffragiorum. Ad hæc cautum fuiſſe traditur, ne quis cum ulla muliere, excepta matre & ſore, colloquium haberet. Adi Locatellum in hiſtoria Ordinis Vallumbroſani.

Eodem anno Brumadenſis apud Ligures abbatia, de qua in ſuperioribus ^a actum, in ſedem episcopalem ab Innocentio II. erecta eſt, primuſque novæ ſedis episcopus inſtitutus Ildebrandus abbas, ad quem extant Innocentii litteræ ^b pro erectio- ne illius episcopatus, quo ex tempore abbatia illa cum monasterio penitus ſuppreſſa eſt. Sub initia ſæculi quarti decimi, poſt Jacobum de Ponte-Tremulo episcopum electus eſt Bernardus ^c abbas S. Syri Genuenſis monasterii, tunc in curia Romana degens, qui electionem reſutavit.

Apud Anglos in Elienſi monasterio & novo episcopatu, mortuo Herveo ^d primo episcopo, monachi ab Heinricho rege Nigellum ejus theſaurarium ſucceſſorem petunt, & facile obtinent: at non ſero eos facti poenituit. Ille poſt conſecrationem, quæ kalendis Octobris hoc anno facta eſt, fratrum capitulum ingreſſus, magnam eis benevolentiam ^e præſtatit. Mox totius episcopatus curam commiſit cuidam Ranulfo, qui malignis ſuggeſtionibus episcopum circumvenit, ut jura & poſſeſſiones monachorum uſurparet, eoſque in exterminium, ſi poſſet, adduceret. Hinc episcopus monachis ^f res ſuarum ſurripuiſſe dicitur, & Ranulfo eas commiſiſſe. Ille vero priorem & monachos ſua auctoritate proſcripſit, ſervulos novos induxit, mutavit officia, ſubſidia monachorum minuit, eiſque præcluſit exitus omnes, ne de illata ſibi violentia queſtum ire poſſent. Hanc tyrannidem ſub exſpectatione divinæ miſericordiæ patienter ſuſtinebant monachi, precibus & jejuniiſ vacantes, & ſanctorum ſuorum patrocinia implorantes. Sic per biennium afflicti, tandem optatam ſibi cæleſtem opem experti ſunt, fugato crudeli tyranno, qui in patriæ perniciem conſpira- verat. At non multo poſt alia ſuborta tempeſtas ex rebellionem Nigelli episcopi contra Stephanum regem, ex qua inſinita incommoda in eundem locum inveſta ſunt. Hæc in hiſtoria Elienſi Richardi prioris Elienſis videre licet, qui hiſtoriam Thomæ ejuſdem loci monachi ab anno MCVII. ad annum MCLXIX. alique duo poſt eum continuarunt.

In Belgio duo ſunt prope Bruxellas virginum Benedictinarum monasteria, Bigardia nomine inſignita, quorum alterum Bigardia major, alterum minor appellatur. Primum antiquius eſt, & abbatia nomine illuſtre. Hujus auctor exiſtit Lotharingia ac Brabantia dux Godefridus, cognomento Barbatuſ, qui locum ſuæ diſtionis incultum, *Bigarden* vocabulo, monasterio exſtruendo aſſignavit, & ancillis Dei Wivina & Emwara tradidit. Non multo poſt cœpit idem locus & ſorum numero, & poſſeſſionum augmento ſucceſcere: cujus proſectui congaudens Godefridus & utilitati, earundem ſorum aſſenſu & petitione locum illum Affligemienſi ſubjecit cœnobio, ejuſque abbati regendum commiſit: ut ejus providentiâ, & interior ancillarum Dei ſtatus ordinaretur, & exterior ſubſtantia diſponeretur, ut in ejuſdem ducis litteris legitur apud Miræum, hoc anno datis. Poſt annos centum condita eſt Bigardia-minor a Johanne de Monte milite in Monte-ſanctæ-Mariæ ^{*} apud Popingam, Bruxellenſis agri vicum: quo ex loco ſanctimoniales ob aquæ penuriam in locum, qui hodie *Obbigarden* nuncupatur, migrarunt, ubi etiam nunc conſiſtunt. Plura de his apud Miræum in libro de originibus Benedictinis in Belgio.

Cum Guigo majoris Cartuſiæ prior annum præſectura triceſimum-tertium age- ret, immenſæ nivium moles ex altiffimis rupibus ^f magno impetu delapſa, cellas monachorum omnes præter unam, & cum eis ſex monachos & unum novitium vaſta ſua congerie obruerunt. Unuſtamen ex eis, Arduinus nomine, natione Lotharingus, die ab hæc ruina duodecima, ex profundo tantæ voraginis erutus, inſigni miraculo, non ſolum vivus, ſed & integro ſenſu repertus, pauca quidem verba, ſed multa pietate reſerta alloquentibus reddidit. Tum facta conſeſſione & inun-

Annal. Bened. Tom. VI.

Gg ij

ANN. CHR.
1133.

XXIV.
Brumadenſis
abbatia in epi-
ſcopatum ere-
cta.

a V. Annal. to.
3. lib. 38. n.
44.

b Ital. ſacr. to.
4. p. 1371.

c ibid. p. 374.

XXV.
Elientes mona-
chi ab episcopo
vexati.

d lib. 71. n. 61.

e Anglia ſacr.
to. 1. p. 619.

XXVI.
Bigardia du-
plex, major &
minor.

* vulgo Wa-
renberch.

XXVII.
Cartuſianos de
morte fratrum
conſolatur Pe-
trus Venerabilis.
f Labb. Bibl.
to. 1. p. 369. ſeq.

ANN. CHR.
1133.a Petr. Ven.
lib. 2. ep. 12.

ctione accepta, post fratrum oscula, dominici corporis & sanguinis alimento post tantam inediam refectus, placidissime in Domino quievit. Hoc infortunium ubi recessit Petrus Venerabilis Cluniacensis abbas, Guigonem & reliquos ejus fratres, amicos utique suos, litteris^a consolatus est sub hac inscriptione: *Beatissimis & singulariter honorandis ac nominandis dominis ac patribus Cartusensibus, domno Guigoni priori & ceteris fratribus, frater Petrus humilis Cluniacensium abbas, eternam a piissimo Salvatore Jesu Christo salutem, & a consolatore Spiritu plenissimam recipere consolationem.* Tum sic incipit. *Audita, dilectissimi, & vix credita apostolici numeri & celestis collegii vestri tam subita & inopinata imminutione, fateor, quasi in ecstasy raptus diu stupui. Occurrebant mihi, & quasi violenter cordi meo se immergebant, hinc rei novitas, illinc abyssus consiliorum Dei: hinc pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus, illinc mortis ejusdem ex humano affectu dolor: qui etsi sanctorum funeribus non debetur, ex diligentium tamen cordibus ipsa vi dilectionis extorquetur.* Dein ait, se ad eos, si non equitando, saltem peditem ad eos profecturum, si nivium immensi aggeres non obstiterent. Tum eos hortatur, ut ne hunc casum plus² justo doleant; eis potius gratulandum, qui ad immortalem vitam pervenerunt. *Si quis tamen, inquit, dolori locus esse potest, hic tantum videtur, quod eis quiescentibus vos adhuc laboratis: quod eorum cursu jam consummato vos anhelantes curritis: quod eis jam victorie palmam tenentibus, vos adhuc in certamine desudatis. Sed huic cogitationi facilis occurrit consolatio: quia quod illis jam contulit gloriam, vobis proficit ad coronam.* Hæc & plura alia scribebat venerabilis abbas, quo non candidior alter ac melior. Huic infortunio venerabilis Guigo quatuor tantum annis supervixit.

ANN. CHR.
1134.
XXVIII.
Pisanum concilium.

Pontremoli.

XXIX.
Bernardi in eo auctoritas.a Bern. ep. 132.
& seqq.b Analeth. 10.
3. p. 341.

Sub initia insequentis anni, qui est ejus sæculi tricesimus-quartus, celebratur Pisanum concilium, non tam decretorum editione, quam prælatorum, qui ei interfuerunt, maxime Gallicanorum numero, & infelici reditu famosum. Illic congregati sunt totius occidentis episcopi, abbates & religiosi viri. Eo ex Gallia convenere ex archiepiscopis Remensis, Senonensis, Bituricensis, Ebredunensis; ex episcopis Trecentis, Lemovicensis, Petragoricensis, Atrebatensis, Redonensis, Belicensis, aliisque; ex abbatibus Cluniacensis, Lemovicensis, Vizeliacensis, sancti Michaelis de Clusa, S. Germani Parisiensis, Corbeiensis, S. Remigii Remensis, Noviomensis, Burguliensis, S. Sulpicii Bituricensis, Craffensis, S. Johannis de Prato seu Reomaensis, de monasterio Hender seu Dervenfi, Melundensis & Salmurenfi, & alii; qui omnes in reditu ad Pontem-Tremulum* in Liguria a prædonibus spoliati, & fere omnes captivi facti sunt, præter infinitos clericos & monachos, ut ex Petro Venerabili mox referemus.

In eorum numero non fuit S. Bernardus, qui & ipse concilio interfuit, & post concilium a pontifice Mediolanum ad clerum & cives Innocentio reconciliandos missus est, prout illi scriptis ad eum literis postulaverant, & ipse redditus responsis, cum ad concilium proficisceretur, pollicitus erat. Exstant tres^a ejus hac de re litteræ, scilicet ad clerum Mediolanensem ad cives Mediolanenses, & ad novitios apud Mediolanum conversos, qui ejus ad illam civitatem adventum præstolabantur, ut Cisterciensi familiæ nomen darent, Novitii anticipato dicti, id est vitæ monasticæ candidati, quorum piis votis gratulatur, eisque se brevi affuturum promittit. Tres, inquam, illæ epistolæ a Bernardo scriptæ sunt, ut ipse diserte asserit, cum ad Pisanum concilium pergeret, ex Gallia an ex Germania, quo missus anno superiori fuerat ad Conradum Lothario reconciliandum? Quanta porro fuerit in illo concilio ejus auctoritas, testatur Ernaldus in libro II. de ejus vita, in hæc verba. *Adfuit per omnia & consiliis, & judiciis, & diffinitionibus omnibus sanctus Bernardus abbas, impendebaturque ei reverentia ab omnibus, & excubabant ad ejus limina sacerdotes, non quod fastus, sed multitudo communem prohiberet accessum; & alii egredientibus alii introibant: ita ut videretur vir humilis, & nihil sibi de his honoribus tribuens, non esse in parte sollicitudinis, sed in plenitudine potestatis.* Summa denique concilii fuit iterata excommunicatio Anacleri, ejusque fautorum, ut ex eodem auctore discimus. In illo concilio damnatus est quidam hæreticus Henricus^b nomine, qui perversum dogma, quod fidelis christianus nec retractare debet, prædicabat; haud scio an Henricus ille eremita, Henricianæ sectæ auctor, de quo inferius. In eodem concilio Hugo Gratianopolitanus episcopus in sanctorum classem relatus est: qua de re

ANN. CHR.
1134.XX X.
Gregorius Bergomas episcopus ei familiaris.
a Ital. sac. 10.
40. p. 648. & seqq.b ibid. p. 813.
& seqq.XX XI.
Prælati Gallicani in reditu male habitati.c Petr. Ven.
lib. 1. ep. 27.

exstant Innocentii litteræ ad Guigonem Cartusiæ priorem, qui ejus vitam scripserat, & ad pontificem miserat. quæ litteræ datæ sunt Pisis x. kal. Maii, necdum soluto concilio, cujus tempus ex his elicitur.

In illo concilio Gregorius, Astinensis monasterii abbas^a ex Ordine Vallumbrosano, in sedem Bergomensem ab Innocentio suffectus est loco Agini ab eo exautorati. Tunc magnam familiaritatem iniiit cum S. Bernardo, a quo monachorum coloniam Bergomum inducendam impetravit, quibus monasterium in valle Villealtera, decem milliariis ab urbe distante, extruendum curavit. Idem Gregorius, nondum, ut puto, episcopus, præclarum opusculum de sanctissimo eucharistiæ sacramento adversus renascentes Berengarianæ hæresis reliquias composuit, illudque Umberto præfati direxit, ut patet ex fine ejus præfationis in hæc verba: *Verum hæc omnia, quæ hujus serie continentur libelli, vestri arbitrii, venerande Christi præfati Umberto, vel probanda, vel improbanda, committo examini, jam decenter expertus fidem atque industriam pontificalis animi vestri.* Umberto iste non alius esse videtur ab Oberto Cremonensi episcopo, qui tunc^b florebat, & a schismate Mediolanensium averfus erat. Gregorii librum necdum editum, qui triginta-duobus capitulis constat, præ manibus habemus. Vixit auctor usque ad annum MCXLVI.

Qui Pisanum concilio interfuerant Gallicani episcopi, abbates, monachi & clerici, in reditu a prædonibus per Italiam grassantibus, iis scilicet qui Conradi partes sectabantur, ad Pontem-Tremulum captivati, vulnerati, & rebus omnibus spoliati sunt, ut Petrus Venerabilis, qui ex illis erat, conqueritur in epistola^c ad Innocentium papam. *Aderat, inquit, in comitatu nostro non ignobilis, neque ultima pars ecclesiæ Dei, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum legio; monachorum non parvus numerus, archidiaconorum, nobilium clericorum, & religiosarum personarum populus. Horribile spectaculum, tantas, tamque necessarias ecclesiæ Dei personas videre distrahi, dissipari, vulnerari, atque gladiis insequentibus ubi-ubi per diversa fugari. Episcoporum atque abbatum plurimi ad proxima castra violenter abducti, & quidam eorum, post verbera & vulnera, barbarica immanitate incarcerati sunt. Inter quos dominus Remensis, cui nec ætas, nec dignitas adesse potuerunt, post multas injurias & vulnera, turri conclusus tenetur. Dominus Petragoricensis similia expertus est. Sed quid ego de singulis quasi solis loquor? cum Bituricensis & Senonensis, suis pæne omnibus amissis, vix ad Pontem-Tremulum tremuli & anhelii pervenerint; & ibi cum Ebredunensi, Trecenti ictu hastæ de equo dejecto, & inde graviter infirmato; cum Lemovicensi, Atrebatensi, Belicensi, Redonensi, atque aliis episcopis: abbatibus etiam Lemovicensi, Vizeliacensi, sancti Michaelis de Clusa, sancti Germani Parisiensis, Corbeiensis, Noviomensis, Burguliensis, sancti Sulpicii, sancti Remigii, Craffensis, sancti Johannis-de-Prato, de monasterio Hender, Melundensi, Salmurenfi, & aliis quamplurimis, secundo carcere conclusi teneantur.* Hactenus Petrus abbas: qui cum domino Vizeliacensi abbate armatis hostibus pro pace sociorum obvius occurrit: at primo impetu mula ejus ictu lanceæ confossa, in partem cedere coacta est. Tum fratres ejus seu monachi fugati, famuli capti, res pæne omnes ablatae sunt. Ille vero ad proximam villam refugit, ubi tam diu delituit donec conductu hospitis sui ad Pontem-Tremulum, quo alii præcesserant, vespertinis horis & ipse pervenit. Ex eo loco prædictam epistolam scripsit ad Innocentium papam, a quo postulat, ut non solum in actores nequitie hujus, sed & in toto Lunensi episcopatu, in quo hæc patrata fuerant, apostolica vindicta mucro resplendeat: ut non solum prope positi, sed etiam in extremis christianitatis finibus constituti terreatur.

Tunc temporis Lemovicensi sancti Martialis monasterio præerat Amblardus, Vizeliacensi Albericus, sancto Michaeli de Clusa an Petrus, sancto Germano Parisiensis Hugo, Corbeiensis Robertus, Theodericus Noviomensis, Burguliensis Iterius, sancto Sulpicio Bituricensis Helias, sancto Remigio apud Remos Odo, Craffensi Berengarius, sancto Johanni de Prato, seu Reomaensi Petrus, monasterio Hender sive Dervenfi Guillelmus, ut puto, Rogeri successor; Melundensi* (quod cum Melodunensi seu Milidunensi perperam confunditur) Abbo vel Adelardus; Salmurensem denique Matthæus. Ex his Iterius Burguliensis abbas, paullo post ad Namnetensem episcopatum promotus, Petrum eo nomine primum in abbatiali dignitate successorem habuit. Theodericus quoque Noviomensis S. Eligii abbas paullo serius ad Ambianensem, & Matthæus Salmurensem ad Andegavensem episcopatum assumuntur.

XX XII.
Abbatibus qui concilio interfuerunt.

* Molème.

ANN. CHR.

1134.
XXXIII.
Bernardi mis-
sio Mediola-
num, & acta
ibidem.

Soluto concilio, missus est, ut jam dixi, Bernardus Mediolanum, ut clerum & populum Innocentio & Lothario reconciliaret, in primis Anselmum archiepiscopum depositum, qui Conradum Madoetia coronaverat, & Mediolanenses in schismatis societatem adduxerat. Jam omnes erratum agnoscebant, & Bernardum pacis & concordia sequestrum habere optabant, uti litteris ad eum scriptis testati fuerant. Eorum votis litteris & re ipsa respondit vir Dei, statimque post concilium ad eos ablegatus est cum duobus cardinalibus episcopis, Guidone videlicet Pisano, & Matthæo Albanensi: quibus adjunctus Bernardi flagitatu Gaufridus Carnutenfium antistes & apostolica sedis in Gallia legatus. Transcensis Apennini jugis, ubi Mediolanenses virum Dei, tantopere desideratum, suis finibus appropinquare audierunt, ad septem ab urbe milliaria, referente Ernaldo effusis agminibus accedenti obviam populus concurrat, nobiles & ignobiles, & universi eum incredibili reverentia suscipiunt; alii pedes ejus deosculantes, alii pilos ex ejus indumentis vellicientes, quibus postea ad sanandos morbos usi sunt. Præcedentes itaque & subsequentes cum festivis acclamationibus eum in urbem inducunt, & ad paratum hospitium inter frequentes hinc inde turbas perducunt. Ubi vero de imposito legatis negotio actum est, mox civitas tota, omni ferocitate deposita, sancti abbatis arbitrio & sententia sese subtrahit, & Conrado atque Anacleto abjuratis, Innocentium & Lotharium unanimi consensu agnovit. Neque tanto honore contenta, vacantem etiam Anselmi depositione archiepiscopalem dignitatem Bernardo detulit: at ille eam non modo constanter refutavit, verum etiam Anselmum, jam resipiscentem & obsequentem, pristina dignitati cum pallii honore restitui curavit. Mira sunt quæ Deus per servum suum in illa urbe operatus est. *Inaudita est nostris temporibus, inquit Ernaldus, tanta populi fides, tanta in homine virtus: inter quos religiosa erat contentio, cum signorum gloriam abbas credulitati eorum, illi vero sanctitati abbatis adscribebant; & hoc de eo indubitanter sentirent, ut quidquid a Domino peteret impetraret.* Plura de his in libro secundo de ipsius vita, Ernaldo seu Arnaldo auctore, quem alii Bernardum vocant.

XXXIV.
Caræ-vallis
monasterium
conditur.

Antequam ex illa urbe discederet Bernardus, eum rogant Mediolanenses, ut, quandoquidem ipse eorum pastor esse nollet, saltem quosdam ipsius filios ad se transmittat, quibus coenobium opportuno loco ædificare constituerant. Id ipsum flagitabant non modo novitii illi Mediolanenses, quibus brevi se adfuturum vir sanctus paullo ante pollicitus erat; sed etiam complures alii, qui post ejus in illam urbem adventum, ad ipsius miracula & sermones conversi erant. qua de re vir modestissimus ad Petrum^a Papiensem episcopum, qui forte hac de re ipsi gratulatus erat, ita scribit. *Si semen bonum, jactum in terram, bonum fructum attulisse videtur, ipse est gloria, qui dedit semen serenti, fecunditatem terræ, & semini incrementum. Quid hic nos capimus? Ego sane gloriam Christi alteri non dabo; multo certe scrupulosus usurpabo mihi. Profecto lex Domini convertit animas non ego; testimonium Domini, sapientiam præstans parvulis, non ego. Laudatur de bona littera tornatura manus, sed non calamus. Fateor, ut multum tribuam mihi, lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Deligitur itaque ad novæ colonie mansionem locus quarto ab urbe milliario, ibique insigne ædificatur monasterium, cui Caræ-vallis vocabulum inditum est, non Claræ-vallis, ut monumenta domestica, quæ nos ipsi coram vidimus, fidem faciunt, probatque vetus inscriptio, claustrum parieti insculpta in hunc modum: *Anno gratiæ MCCCXXV. XI. kal. Febr. constructum est hoc monasterium a beato Bernardo Claræ-vallensi. MCCXXI. consecrata ecclesia ista a domino Henrico Mediolanensi archiepiscopo VI. non. Maii in honore sanctæ Mariæ Caræ-vallis.* Primus ejus loci abbas Bruno e Clara-valle cum sociis a Bernardo missus est, ad quem existat ejus^b epistola, in qua ita paternum exprimit amorem, ut censuram & correctionem non omittat. Floret etiam nunc Caræ-vallis monasterium. Ecclesiæ recentioris subcella S. Bernardi res gestas miro artificio representant. In cœmeterio fratrum multi visuntur virorum nobilium tumuli, super quatuor erecti lapides. Hos inter Guillelma seu Guillelmina, Boëma illa præstigiatrix, quæ omnes specie sanctitatis ante annos quadringentos toto vitæ suæ tempore ludificaverat, ac multos interfecerat, ibidem sepulta fuit; sed, compertis tandem post mortem ejus præstigiis, exhumata, & ossa ejus in favillas redacta sunt. qua de re plura vide sis in itinere^c nostro Italico. Tandem peractis legationis suæ negotiis Bernardus cum legatis per

^a Bern. ep. 135.^b Bern. ep. 281.^c Iter Ital. p. 139. § 20.

urbes Papiam, Cremonam, aliasque, demum Pisas reversus est, relictiis ubique suæ sanctitatis signis ac beneficentiæ monumentis.

Inter hæc mœsti & afflicti tam longa optimi patris absentia Claræ-vallenses, litteras ad eum scribunt, eorum tristitia ac desiderii indices, quos ille miro affectu consolatus est, *carissimis fratribus Claræ-vallis, monachis, conversis, novitiis* rescribens^a in hunc modum. *Ex vobis pendite quid patiar ego. Si vobis molesta est absentia mea, nemo dubitet mihi esse molestiorem. Non enim parvis jacturæ, nec ejusdem gravaminis est, me uno carere vos, meque vestra universitate destitui. Tot me necesse est affici curis, quot vos estis, & ad singulos quosque vestrum dolere absentiam, timere pericula. Duplex contritio ista non me deserit; quousque meis visceribus ego reddar... Nec solum cruciat, quod absque vobis, vel ad tempus, vivere ego cogor, sine quibus & regnare miseram puto servitutem: sed etiam quod versari compellor in his, quæ amicam quietem omnino conturbant, & meo proposito minus fortasse conveniunt. Hæc scientes, moræ meæ, quæ meæ non est voluntatis, sed ecclesiasticæ necessitatis, non oportet vos indignari, sed compati. Spero autem quod non erit longa; vos orate, ut non sit infructuosa. De cetero eos hortatur ad religiosas virtutes, maxime ut Deo serviant in caritate, quæ timorem expellit, laborem non sentit, meritum non intuetur, premium non requirit; & tamen plus omnibus urget.*

Vix a Pisano concilio in Galliam reversus erat^b Petrus Venerabilis Cluniacensis abbas, cum ei, post multa incommoda, quæ ipsi in illo itinere obvenerant, Cluniacum necdum regresso nuntius de morte piissimæ matris suæ Raingardæ affertur. Cluniaci demum sollempniter a suis exceptus, mox eis vale dicto, Marciniacum se contulit, ubi illa monasticam vitam professæ erat. *Veni ergo, inquit, & magnum illum ac sacrum ancillarum Dei gregem, mœstitia mortis ejus pæne cum ea sepultum inveni. Fuerat illa cum caelesti illo sanctarum sororum collegio per viginti fere annos sic conversata, ut, sicut earum singultus, gemitus, luctusque fatebantur, pæne maluissent commori, quam ea subtraheretur vivere.* Ad exteros quoque dolor iste derivatus erat, in primis ad pauperes, quibus semper pro modulo munifica fuerat. Justis matri triduo persolutis, Petrus Cluniacum reversus, ejus epitaphium mœrens composuit, illudque *carissimis fratribus & filiis, Jordano, Pontio, & Armano*, qui germani fratres ipsius Petri erant, inscripsit. In illo epitaphio, Hieronymi more, qui Nepotiani & Paulæ epitaphia sic composuit, totam vitæ matris suæ seriem præstringit. Conjugio adhuc alligatæ, Rotberto de Brussello seu Arbrifello votum suum de amplectenda apud Fontem Ebraudi vita monastica aperuit: at, mortuo marito, & apud Celsinias sepulto, cui adhuc viventi simile propositum instillaverat, Marciniacum^c prætulit: *quoniam & venerabilis Robertus, cui se devoverat, jam vitam mortalem exceperat; & post primum claustrum ingressum, more illarum sanctimonialium, extra pedem protendere nefas ducebat.* Hæc ab ipso in monasterium ingressu humilitate se omnibus subiecit, ancillam omnium se esse professæ, compunctioni & lacrymis omnino addicta; non primo tantum conversionis tempore, ut plerisque mos est, sed quoad vixit, corpus labori, cor pœnitentiæ, oculos lacrymis dedicavit. Vigiliis semper ac jejuniis immanem corpori persecutionem indixit, quibus adeo exhausta fuit, ut Petro, post aliquot annos Marciniacum profecto, ut mater filio alludens secreto dixerit: *Gratias Deo, quia superflua mundi amisi, veteres carnes, quibus sæculo servieram, perdi. Jam novas induam, quibus nova Deo obsequia impendam.* Injuncto sibi cellerariæ officio, tanta illud diligentia & sollicitudine exsecuta est, ut singularum non modo sororum nomina, sed etiam necessitates in numero haberet, quibus varios pro exigentia ciborum, aliarumque rerum apparatus ipsa inferebat, magno dolore affici solita, cum loci paupertas caritatis ejus divitiis non responderet; ceterum nullum ab ejus ore verbum durum unquam excidit, cum a non habente multa exigerentur. Nec minor de pauperibus cura erat, in quorum usus, quidquid de commissis sibi obedire superesse poterat, devote expendebat. Unde hos filios suos vocabat, eisque vestes, cibos, & quæque necessaria pro facultate erogabat. Quid plura? de universis magna illa mater familias curam agebat, sororibus ut Martha, hospitibus ut Sara, pauperibus ut Thabita serviens ac ministrans. Sed illud in primis admirandum, quod tot distracta officiis, ab exterioribus ad interiora tam facile sese recolligebat, ut numquam ab interiori contemplatione recessisse videretur. Denique Marthæ negotia nihil Mariæ otio detrahebant, nec Mariæ quies

ANN. CHR.
1134.XXXV.
Bernardi epistola ad Claræ-vallenses.
^a Bern. ep. 143.XXXVI.
Raingardæ matris Petri Venerabilis pietas & obitus.
^b Petr. Ven. lib. 2. ep. 17.^c V. lib. 73. n. 18.

ANN. CHR.
1134.

Marthæ labores impediebat. Hæc aliaque de ea venerabilis Petrus, ipsi præ ceteris filiis dilectus, a quo, si quando Marciniacum veniebat, benedictionem & absolutionem humi prostrata postulabat: quem ipsa vicissim Spiritui sancto & beatæ Deigenitrici commendare solebat. Tandem ab eadem, ut creditur, beatissima Virgine tertium usque evocata, sibi mortem proximam esse intellexit. Hinc morbo correpta, præmissa confessione, oleo sacro inungitur; tum *Christi corpore ad æternitatem resecta*, crucem cum Domini imagine sibi afferri præcepit. qua allata, adhibet ori dominicam effigiem, ejusque pedes lingua allambit, & vultui suo tota corporis virtute imprimit; nullam sibi gloriam, nullam spem nisi in cruce Domini sui superesse professa. Ideo crucem illam a se avelli non patiebatur. Denique viribus sensim deficientibus, tertio ex quo decubuerat die, ipsa die nativitatis sancti Johannis Baptistæ, in cinere & cilicio composita, ad eum, cui tanta animi devotione servierat, evolavit. In fine prolixæ epistolæ, non minus eloquentis quam piæ, germanos fratres suos monet Petrus, ut ne sint tam piæ matris degeneres.

XXXVII.
Petrus Venerabilis eam suis commendat.

Ad hæc Petrus encyclicam epistolam scripsit *Prioribus, obedientiariis suæ congregationis, & aliis per diversas terrarum partes diffusis*, ut matrem suam solitis Deo suffragiis commendarent. quæ epistola digna est quæ hic integra proferatur.

Si vestra caritatis affectus, si viscera pietatis, si ubera misericordiæ erga me qualemcumque servum vestrum & ministrum vigent, nunc precor experiar. Unde absens corpore præsens spiritu, pedibus sanctitatis vestrae toto me cordis affectu prosterno; & ut a vobis audiri merear, quanti possum precibus imploro. Ancilla Dei carnalis mater mea, spiritualis soror vestra, Marciniacensis monacha Raingarda, post diutinam & optimam cum sanctis sororibus conversationem secundum Domini voluntatem VII. kal. Julii commune debitum mortis in sancta confessione exsolvit. Quæ quoniam dimissis omnibus ad vos specialiter de seculi naufragio confugit, & in vobis totam spem salutis suæ reposuit; non solum meis precibus, sed & ipsius devotioni debetis, ut animæ illius ad æternam translatae judicium succurratis. Orat ergo & per filium mater & pro matre filius; ut tricenarius missarum ei per loca, ubi possibile fuerit, persolvatur, & XII. pauperes reficiantur; reliqui sacerdotes duas pro ejus requie missas decantent, absque officio & missa generali, quæ juxta morem agitur, & exceptis his quæ caritas Dei diffuderit in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est vobis.

Hactenus Petri Venerabilis ultima in piissimam matrem grati animi officiosa obsequia.

XXXVIII.
Matthæus Albanensis episcopus obit.
a Petrus Ven. lib. 2. de mirac. c. 17. & seqq.

Non dubitem Matthæum Albanensem episcopum hoc anno ad cælum migrasse, cujus obitum Ughellus ad quinque annos perperam differt: obiit quippe vir sanctus Pisis eodem anno, quo ad illam urbem ex legatione Mediolanensi reversus erat. Ejus morbi & obitus accidentia omnia fuisse describit Petrus a Venerabilis, quæ compendio hic referemus. Mediolanensi ecclesiæ reddita pace, cum æstatis tempore Pisas rediret, tam labore itineris, quam solis ardore, dysenteria morbo, quo jam ante Cluniaci per annum consistatus fuerat, correptus est, & ad defectum naturæ urgeri cœpit. Reversus Pisas nihilominus per aliquot menses, ut vir animosus erat, cum hac in valetudine luctabatur, nihilque de solito labore & consuetis pietatis officiis, nihil de prolixa Cluniacensium psalmodia remittebat, neque de sacro missæ sacrificio, quod toto vitæ suæ tempore nulla vis morbi, nulla debilitas, ut vel una die intermitteretur, cogere poterat. Producta est hæc cum morbo lucta ab idibus Julii, usque ad kal. Decembris: sed tandem dominica prima adventus, naturæ defectum jam ferre non amplius valens, lecto decubuit. Cum vitæ finem instare sensisset, fratres sibi obsequentes & famulos benigne affatus & consolatus, eosdem rogavit, ut nomine suo affectuose salutarent dominum suum & patrem Cluniacensem abbatem, priorem & subpriorem, Hugonem camerarium & Arbertum sacristam, totumque simul Cluniacensium conventum; necnon abbatem Vizeliacensem Felicium & priorem de Caritate. *Specialiter autem, inquit, intimos & præcordiales filios meos, apud S. Martinum de Campis Deo servientes, quos ego, prout melius potui, in Dei servitio educavi.* quibus verbis palam testatus est, quam tenero affectu suos olim filios amaret. In consequentibus Petrus mentionem facit de duabus visionibus, quæ Matthæi obitum præcessere: quarum una contigit priori monasterii sancti Zenonis apud Pisas; altera cuidam fratri ex monasterio sancti Michaelis ejusdem urbis, cui in somnis visus est venerabilis Johannes primum Camaldulensis prior, dein episcopus

ANN. CHR.
1134.

scopus Ostiensis qui paullo ante obierat, monuitque brevi fore ut frater suus Matthæus suo, id est calitum, numero adjungeretur. Quantumvis sanctus demonum terribilissima expertus est. Cum extra se raptus jam deficere videretur, tum frater Pontius, ei dudum familiarissimus, legit passionem Domini secundum Matthæum, dein secundum Marcum & secundum Lucam. Ubi finem legendi fecit, vir Dei etiam passionem secundum Johannem sibi legi rogavit. Multi ad eum in illo agone visitandum convenere, in primis Haimericus, papæ cancellarius, Guillelmus Prænestinus episcopus, & Johannes Cluniacensis monachus, & papæ capellanus, cum quibus nonnisi de rebus caelestibus loquebatur. In vigilia natalis Domini, transcurtis more suo devotè tam diurnis quam nocturnis officiis, instante vespertina hora, Dominicum Corpus sibi afferri rogat. quo allato: *Audite, inquit fratribus, confessionem meam. Confiteor hoc sacrum Salvatoris mei corpus illud vere & essentialiter esse, quod de sancta Virgine ab ipso sumtum est, quod pro mundi salute in cruce pendit; quod in sepulcro positum est; quod tertia die a mortuis resurrexit; quod in cælum ascendit; quod venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. Per ipsum credo incorporari ei, & fieri unum cum ipso, & habere vitam æternam.* Reflectus hoc salutari viatico, cum signa totius urbis ad nocturnas vigilias pulsari audisset, qua poterat voce latus acclamavit; *Christus natus est nobis; Gloria in excelsis Deo.* Ad missam de media nocte, erexit se ut potuit, & conversus ad crucem, quæ coram erat, quasi in ipsa Christum pendentem conspexisset: Jam tempus est, inquit, o misericors Salvator, ut quod promisisti adimpleas, & ad te transmigrandi veniam concedas. Tum, ut sæpe rogaverat, in cilicium cinere conspersum depositus, dum ad auroram missa *Lux fulgebit* a fratribus cantaretur, a mundi hujus tenebris ad æternam lucem & vitam ejus anima evolavit VIII. kal. Januarii. Ejus corpus statim in claustrum monachorum deferretur, abluitur de more, & cilicio primum, quo semper usus fuerat, uti præceperat, dehinc monastica cuculla induitur, moxque sacerdotalia & pontificalia ornamenta adduntur. Accurrit accepto nuntio cum tota curia ipse Innocentius papa, qui postera die pro ejus æterna requie sollempne Deo sacrificium obtulit. Denique circa horam ejus diei sextam corpus ad ecclesiam S. Frigidiani olim Lucensis episcopi cum maxima cleri & populi frequentia delatum, ibidemque honorifice humatum est: cujus sepulcrum non una vice adiit Petrus Venerabilis, qui hujus beati præfulis gesta præcipua litteris mandavit. Matthæo in episcopatu Albanensi successit Hugo Humolariensis abbas, ut paullo post dicturi sumus.

Sub idem tempus beatus Stephanus, Cisterciensis abbas tertius, ejusdemque Ordinis illustrator & propagator, ex illo pauperatis loco ad fontem totius boni migravit. Instante obitu, quidam ex abbatibus suis, quorum numerus jam tum valde excreverat, ad eum convenere, ut communem patrem ac fidelem amicum repatriantem obsequiis & precibus prosequerentur. In agonia positus, cum fratres quidam eum secure ad Deum pergere posse dicerent, qui tantos fructus in ecclesia Dei fecisset; recollecto, quoad potuit, spiritu increpantis voce respondit: *Quid est quod loquimini? In veritate dico vobis, quod trepidus ac valde sollicitus ad Deum pergo, quasi nihil umquam boni fecerim. Nam, si quid fructus per me provenerit ex gratia Dei; multum vereor & contremisco, ne forte minus digne, minusque utiliter gratiam Dei apud me detinuerim. Sic humilitatis scuto repulsa vanitate, vir Dei ad illam gloriam, quæ vanitati obnoxia non est, transivit v. kal. Aprilis, sepultus ad antecessorem suum Albericum in claustrum capituli ad portam ecclesiæ. Ejus memoria ipso ejus obitu die quotannis festiva solemnitate recolitur. Ut id per totum Ordinem fieret, petiere patres ex provincia Poloniæ in capitulo generali anni MDCXXIII. quod in capitulo post annos quinque habito decretum est, ut fiat sicut in festo sancti Bernardi, at sine octavis. Exstat in bibliotheca Cisterciensi ad calcem codicis Bibliorum anno MCIX. scripti epistola Stephani Novi-monasterii seu Cisterciensis abbatis, qua significat, se ad eorum emendationem Judæos quosdam, Hebraicæ & Chaldaicæ linguæ peritos, adhibuisse. Hæc epistola edita est in novissima nostra editione S. Bernardi Operum, tom. I. post Chronologiam, ante Notas.*

Biennio ante obitum Stephanus abbas, senio & laboribus confectus, præfecturam abdicavit; ejusque loco suffectus Wido ob egregias ingenii dotes, sub quibus turpia cordis vitia latebant. Audi de eo Exordium. *Succesit ei, scilicet Stephano,*

Annal. Bened. Tom. VI.

H h

XXXIX.
Stephanus quoque Cistercii abbas.
b Exord. lib. I. c. 37.X L.
Wido ei suffectus, eoque remoto Rainaldus.

ANN. CHR.
1134.

quidam indignus, nomine Wido, qui donis externis, ad instar sepulcri dealbati, non mediocriter pollens, interius erat vitiorum putredine sordens. Itane viri etiam sancti ad fallaces ejusmodi dotes cœcutiunt! Sed vix unus præterierat mensis, cum, revelante Domino latens ejus impuritas detecta est, & eradicata mox de paradiso plantatio spuria, quam Pater celestis non plantaverat. Quis fuerit iste Wido, & unde assumptus, non produunt scriptores Cistercienses. Ordericus^a, illorum temporum auctor, tradit, ipsum esse Guidonem Trium-fontium abbatem, qui Stephano cedenti fuffectus est. sic enim ille scribit relato Alberici abbatis obitu. *Quo defuncto*, inquit, *Stephanus natione Anglicus, vir magnæ religionis & sapientiæ successit, & plusquam viginti & quatuor annis doctrina & operatione sancta gloriose pollens tenuit: cujus tempore monasterium in eremo multipliciter crevit. Ipso adhuc vivente & jubente, Guido abbas Trium-fontium electus est, & non multo post venerabilis prædecessor ejus defunctus est. Guido autem assumptum patris officium aliquamdiu vituperabiliter tenuit, & post duos annos insipienter reliquit.* Non video quid huic Orderici, testis aequalis, sententiæ opponi possit, præter Exordium Cisterciense, in quo simpliciter Wido, non etiam abbas Trium-fontium appellatur. At forte consulto id reiecit Exordii scriptor. Certe de Guidone Trium-fontium abbate nihil contrarium Orderico legimus in illius temporis monumentis. In duabus tamen ad eum Bernardi epistolis, quarum una respondet ad consultationem sibi factam^b super consecratione calicis in missa, vino non admisso: altera de monacho lapsio benigne recipiendo, non nihil video, quod ejus religionem ac zelum probat. Verum nisi utrumque in illo Widone, quisquis demum ille sit, qui Stephano fuffectus est, Stephanus ipse, alique deprehendissent, nequaquam eum electuri fuissent.

^a Orderic. lib. 3. p. 714.^b V. lib. 75. n. 13.^c Orderic. lib. 3. p. 714.

Ut ut sit de illo Widone, eo amoto, & ex abbatum Cisterciensium indice penitus expuncto, Rainardus juvenis, inquit Ordericus, filius Milonis comitis de Bar super Sequanam electus est, & abbas a Gualterio Cabilonensi præfule consecratus. Hæc scribebat Ordericus, cum jam fere triginta-septem anni effluxissent, ex quo Robertus abbas Cistercium incoluit: & in tantillo tempore, ait idem auctor, tanta virorum illuc copia conflavit, ut inde sexaginta-sex abbatia consurgerent, quæ omnes cum abbatibus suis Cisterciensi archimandrita subjacent. Ex quibus colligitur annus MCXXXVI. quo hæc scribebat Ordericus. Rainardi Cistercii abbatis quarti tempore conditus creditur liber Institutorum, quæ in capitulo generali octoginta-septem capitulis comprehensa sunt.

XLII.
Signiaci & Vallis-claræ abbatia^a conduntur.
^a du Porcin.

^a de Rosoy.
^a de Toner.
^d V. lib. 75. n. 11.

^c Marlat. to. 2. p. 877.

Ex variis monasteriis Ordinis Cisterciensis, quæ hoc anno condita fuere, duo præcipua nobis commemoranda veniunt, nimirum Signiacense in diocesi Remensi, & Vallis-claræ in Laudunensi. Signiacum seu Signeium locus est pagi Porcensis*, ubi, agente beato Bernardo, constructum est monasterium, ad cujus constructionem & dotationem Anselmus Ribodimontis comes, Henricus comes Porcensis, Clarembaldus Rosetensis* toparcha & Rodulfus de Turno* suppetias & possessiones contulere. Illuc a venerabili Humberto Igniaci^d abbate, jussu beati Bernardi, duodecim monachorum deducta colonia est, quibus præfectus Bernardus alter, vir generosæ indolis & eximiæ prudentiæ, qui ex canonico regulari ecclesiæ S. Auberti Cameracensis monachus Igniaci factus erat. Hi Signiacum^e appulsi hoc anno xv. kal. Aprilis primo sedem fixerunt in loco, qui Dresia vocatur, donec oratorium cum ædificiis asceticæ vitæ necessariis construerentur: cui operi Theobaldus Campaniæ comes se munificum exhibuit. Brevi auctus est simul cum censu monachorum numerus. Certe ex Florinensi diocesis Leodicensis monasterio Gerardus de Orcimonte, ejus loci abbas, cum duodecim e suis monachis illuc se recepit. quod reliqui ejus monachi impatienter ferentes, ad Innocentium papam mittunt, & mandatum ab eo impetrant, ut Gerardus Florinas reverteretur. Verum ille ad pontificem profectus, agre tandem obtinuit, ut Signiaci remaneret: ubi prioris officio perfunctus, piissime decessit, ibique sub stillicidio tecti oratorii in cœmeterio sepeliri voluit. Ad cujus tumulum cum miracula fierent, eoque populi frequentiam excitarent, S. Bernardus mortuo præcepisse dicitur, ut a miraculis cessaret. Illuc etiam secesserit Willelmus, illustris ille S. Theoderici abbas, cum Arnulfo S. Nicasii asceta, ut inferius videbimus. Abbatum Signiacensium indicem apud Marlotum consulere licet.

Vallis-claræ monasterium, diocesis Laudunensis, Bartholomæo episcopo suam

ANN. CHR.
1134.

originem refert acceptam, uti & Fufniacense & Spinetense. Illic quamdam ecclesiam possidebat pius quidam sacerdos, nomine Robertus, qui eam beato Bernardo lubens concessit ad construendum ibidem monasterium, cujus fabricam & dotem Bartholomæus episcopus promovit. Locus ab incolis abusive appellatur *Vallclarus**, inquit Hermannus monachus, cum Valclara seu Vallis-claræ nuncupari deberet. Primus ejus abbas fuit Henricus de Murdach, nobilis Anglus, ex monacho Claravallensi, dein Fontanensis in Anglia abbas, qui postmodum promotus est ad archiepiscopatum Eboracensem. Exstant duæ^a ad eum Bernardi epistolæ, una, qua eum ad capeffendum statum vitæ religiosæ hortatur: altera ad eum jam Vallis-claræ abbatem, qua ei præcipit, ut faciendæ aut factæ de se in Fontanensem abbatem electioni acquiescat.

* Vaclair.

^a Bern. ep. 106. § 21.

His addendum est Regniacense monasterium diocesis Autifiodorensis, cujus primordia ad hunc annum revocantur. Initium duxit a Fontis-humidi* seu Fontisni asceterio, de cujus origine superius^b actum est: ubi Ordo Cisterciensis ante annos fere septem institutus fuerat sub Stephano de Tociaco* abbate, qui monachos transfudit ad Regniacense* monasterium, cujus conditor extitit Guillelmus Nivernensis comes, ejus nominis secundus, postmodum Cartusianus. Id vero factum dicitur, anno ab incarnatione Domini MCXXXIV. epacta XXIII. concurrente VII. indictione XII. feria VI. ante adventum Domini, in die festo sancti Andreae apostoli, Innocentio Romano pontifice secundo, anno IV. pontificatus ipsius, Hugone Autifiodorensi pontifice, domno Stephano de Tociaco abbate primo loci ipsius, Ludovico rege Francorum, Guillelmo Nivernensi comite, qui etiam locum ipsum comparavit, fundavit, & edificavit: ac postea Cartusiam profectus, atque ibidem Deo serviens defunctus est. Erat Stephanus Fontis-humidi a beato Gerardo ejus institutore abbas quartus. Hic ejusque monachi, memores sanctæ conversationis Gerardi, ejusque successoris Garini, IV. nonas Decembris, die dominica, tertio postquam illuc advenerant die, corpora eorum Regniacum detulerunt, & in capitulo, tamquam loci patronos, honorifice condiderunt. Fontis-humidi abbatiam rexit Stephanus annis sex & mensibus fere tribus: Regniacum autem viginti-septem annis ac dimidio; completisque annis sexaginta duobus ætatis suæ, VII. kal. Junii in vigilia pentecostes diem clausit extremum, anno ab incarnatione Domini MCLXXII. fletibus nobis & desolatis, inquit anonymus ille, qui hæc scripsit. Forte is est Regniacensis ille, electus Autifiodorensis, sed exclusus, de quo Bernardus^c in epistola ad Eugenium III.

XLIII.
Regniaci monasterium instituitur.
* Fontenay.
* de Toucy.
b lib. 70. n. 80.
* Regny.

Guillelmus Nivernensis comes, modo laudatus, qui fuit natus de filia Lancellini de Baugenciaco, quasdam consuetudines Tornodorensi sancti Michaëlis monasterio remittit hoc anno, indictione XII. existente pontifice Romano Innocentio II. monarchiam regni Francorum gubernante rege Ludovico cum Ludovico filio, anno regni ipsius XXVII. filii vero III. Lingonicæ sedis episcopo Guillelmo, hujus monasterii domno Widone^d existente abbate. Hoc donum laudavit Adalaidis comitissa, uxor ipsius Guillelmi, & filii ipsorum Rainaldus & Robertus. Chesnuius in eorum genealogia Adalaidis comitissæ nomen & Robertum filium videtur ignorasse.

^c Bern. ep. 280.

XLIII.
S. Michaëli Tornodorensi remissæ consuetudines.

^d V. lib. 73. n. 57.

Idem Guillelmus comes successerat in jus Gerardi, Provinciæ quondam comitis, fundatoris Pultariensis monasterii, de quo sinistra tunc opinio circumferebatur. Scripsit hac de re Bernardus ad ipsum Willelmum, ut pro sua auctoritate mederetur tantis malis, quæ de loco illo divulgabantur. Id ubi rescivit Gerardus, tunc Pultariensis abbas, hac de re querulosas ad Bernardum litteras scripsit. Ad has vir Dei^e respondit, se non scripsisse adversum eum ad comitem Nivernensem, sed pro ipso. *Siquidem audieram*, inquit, *ipsum comitem tuo & assensu, & consilio proposuisse venire ad visitandum vos, ad probandum de tantis malis, quæ de vestra domo divulgabantur, an vera essent, aut cujus culpa essent: ut quod forte sinistrum reperiret, ibidem ejus studio & sollicitudine corrigeretur. Cujus tam justum & tam pium propositum si hortatu nostro roborare decrevi, cur te inde læsum jure conqueraris, non video. . . . Quod autem ex auctoritate scripturæ arguis me peccasse, quasi qui prius te non corripuerim: scito me nullam de persona tua querelam habere, sed solum, ut pax fiat in ecclesia tua, ex caritate procurare. Quid exinde secutum sit, incompertum.*

XLIV.
Pultariensium mala fama.

^e Bern. ep. 81.

In pago Autifiodorensi, quatuor ab ipsa urbe leucis, parva exstat insula, qua Icauna* fluvio & amne Baciola clauditur. Ejus possessio tribus fratribus provenerat, Itherio videlicet, Hugoni & Norgaudo de Tuceio seu de Tociaco*: ex quibus Ithe-

XLV.
Crifenonem translatæ Juliæ centes monachæ.
* Tonne.
* de Toucy.

ANN. CHR.
1134.

rius, Jerofolymam profecturus, partem suam Vizeliacensi & Caritatis monasteriis; Hugo vero & Norgaudus, itidem ad loca sacra profecturi, suam quisque portionem Molifmensi contulerant: cui demum trium fratrum possessio commutatione facta cessit. Acta hæc primum sub Rotberto Molifmensi abbate, qui cellam monachorum ibidem instituit, cujus ecclesia S. Nicolao nuncupata est, quam Hugo de Tociaco Jerofolymis reversus ex lignea lapideam fecit. Processu temporis Guido abbas, sancti Rotberti successor, assensu totius capituli, hanc ecclesiam sanctimonialibus Juliacenſis^a parthenonis sibi subiecti commisit, relictiſ ibidem quibusdam monachis, qui sacra eis ministrarent, & temporalia procurarent. Hæc acta ante annum MCXXXII. quo anno Guido abbas nonis Maii decessit. Sub Ebrardo ejus successore, Innocentius papa, diu Autifiodori tunc temporis commoratus, ab iisdem sanctimonialibus interpellatus est, ut hanc cellam in abbatiam erigeret. quo facto, prima ejus loci abbatissa instituta fuit ea, cujus nomen a littera A. incipiebat, ad cujus preces, necnon Guillelmi Nivernensis comitis, jam sæpe laudati, pontifex Crisenonense monasterium a potestate Molifmensium omnino liberum esse sancivit, ratumque habuit, quidquid ab Hugone bonæ memoriæ Autifiodorensi episcopo & prædicto Guillelmo comite statutum fuerat. Legimus hac de re ipsius Guillelmi litteras hoc anno datas, quibus litem inter Ebrardum abbatem & illas sanctimoniales ortam ita componit, confirmatque pactum a Guidone abbate factum, qui ibidem nihil sibi reservaverat, præter providentiam & curam animarum, ibidemque quatuor tantum monachos commanere voluerat, ne majori monachorum numero monasterium gravaretur. Hujus concordie testes sunt Hugo abbas Pontiniacensis, Gaufridus Borracensis, Stephanus Fontifmensis, de quo superius^b, Albericus Virziliacensis, & Gervasius sancti Germani abbates, præter multos alios clericos & laicos. Sed tandem nihil omnino juris Molifmensibus illic relictum est, quorum monachis, qui ibidem residui erant, cella S. Gervasii apud Autifiodorum concessa fuit, ea tamen lege, ut Crisenonienſes monachæ Juliacenſium statuta semper observarent. Secunda ejus loci abbatissa fuit Elizabeth, cui Eugenius III. primo sui pontificatus anno, Crisenonis possessiones confirmat, in his monasterium de Firmitate diocesis Nivernensis, in quo congregationem sororum suarum posuerant. Alia quoque monasteria subiecta fuere Crisenoni, ubi adeo sanctimonialium numerus sub finem ejus sæculi excreverat, ut Guillelmus Senonum archiepiscopus & apostolicæ sedis legatus veterit, ne earum numerus ultra centenarium protenderetur. Sub finem illius sæculi Sara Crisenonis abbatissa erat, cui Cælestinus III. monasterii possessiones confirmavit pontificatus sui anno vi. Hactenus perstat sub nostro Ordine idem monasterium, ubi sanctimonialium numerus, uti & redditus, valde imminutus est; jaceretque nunc omnino neglectum, nisi Claudia Larcher ex parthenio Calensi facta ejus loci abbatissa ipsum nostra ætate utcumque reparasset.

XLVI.
Guillelmus S.
Theoderici ab-
bas Signiacum
secedit.

Non multo post conditum Signiacense^c monasterium Guillelmus seu Willelmus S. Theoderici abbas, illuc secessit. Jam dudum præfecturam abdicare, & Claravallem ad singularem amicum suum Bernardum se recipere tentaverat: at Bernardus, etsi id optaret, ejus tamen voto restitit, ratus eum loco, cui præerat ille ac proderat, omnino utilem esse ac necessarium. Scripserat ea de re Willelmus Bernardo, sed obscure, tamquam animi sui secretorum conscio: ad quem Bernardus: *Velle te audire scripsisti*, inquit, *quid te ego, tamquam qui omnia tua norim, facere velim. Sed hoc, nisi fallor, si modo dicerem, nec tu posses, nec ego consulerem. Volo enim & ipse, quod te velle jam olim non latet me. Ceterum mea atque tua æque, ut æquum est, voluntate postposita, magis quod velle Deum de te puto, & mihi, ut tibi suadeam, tutum duco; & tibi, si persuadeam, non incommodum. Tene itaque meo consilio quod tenes; mane in quo es, & stude prodesse quibus præes; nec præesse refuge, dum prodesse potes: quia vix quidem tibi, si præes, & non prodes: sed vix gravius, si, quia præesse metuis, prodesse refugis. Sic loquitur incomparabilis amicus, non blandiens, sed sincere loquens, non quod sibi jucundius, sed quod Deo acceptius & aliis utilius esset consulens. Verum nec sic tamen propositum mutavit Willelmus: quin immo, absente Bernardo, cum Godefridum Claravallis priorem ad se admittendum adducere non potuisset, sinceritate Ordinis Cisterciensis, ut ejus vitæ scriptor, inquit, provocatus, solitudinis etiam & spiritualis quietis accensus desiderio, onus & honorem prælationis deseruit, & Signiaci^d sanctæ paupertatis habitum suscepit.*

d V. supra lib.
75. n. 11.ANN. CHR.
1134.

Turbavit S. Theoderici fratres, immo & coabbates ejus discessio, omnesque Rainaldo archiepiscopo, quantum damnum non tantum sibi, sed etiam aliis ex ejus recessu obveniret, exponunt. Tum accepto archiepiscopi mandato, ut ille ad sui monasterii regimen rediret, Signiacum festinant; eoque denuntiato, insuper multis precibus ac rationibus ei reditum persuadere nituntur. His commotus & pæne fractus vir Dei, inducias in crastinum ad deliberandum petit. Preces interim ad Deum & ad sanctissimam Domini-genitricem ardentissimas fundit. at viso beatæ Virginis, quod alias jam expertus erat, in proposito confirmatus, fratres spe sua frustratos dimittit. Verum, ne ejusmodi visis ac revelationibus sese efferret, non multo post gravis eum subiit Signiaco discedendi tentatio, præsertim ob victus asperitatem, quæ ipsi intolerabilis videbatur. *Fiebat in dies immanior illa tentatio*, inquit, vitæ scriptor, *nec jam dissimulare poterat quod portabat: sed cuidam familiari suo, religioso viro, qui præpositus ejus in abbatia, secutus eum fuerat in desertum, defectum proprium confessus est. Expavit ille stupore vehementi, & ultra quam credi potest admirans, discipulus magistrum confortabat, & confirmavit in ordine, opponens & exponens non solum grave peccatum, sed gravius scandalum, quod in illa tentatione latebat. Audiebat magister solatium, sed non sentiebat remedium. Sed tandem, quod unicum ipsi restabat, confugit ad preces; ac demum divinæ virtutis effectum sensit, & evanuit omnis illa tentatio.* Hellinus biennio post in S. Theoderici regimine successit.

Ex omnibus Willelmi opusculis quænam abbas, quænam Signiaci monachus scripserit non facile est definire. Certum est librum primum de vita S. Bernardi, forte etiam Meditationes ab eo jam monacho Signiaci compositas fuisse: cetera ab ipso abbate scripta mihi videntur; scilicet Ænigma fidei, Speculum fidei, liber de dignitate amoris, liber de corpore & sanguine Domini, iter liber contra Petrum Abælardum, quem S. Bernardo examinandum direxit. quæ omnia existant in tomo IV. Bibliothecæ Cisterciensis.

XLVII.
Montis-Dei
Cartusia fun-
datur.

Cum propagarentur in his Franciæ partibus religiosæ congregationes, Molifmensium, Cisterciensium, & Præmonstratensium, quorum institutor sanctus Norbertus hoc anno mortuus est; una deerat sacri Ordinis Cartusiensis familia, quæ in solo Burgundiæ seu Provinciæ, ut tunc vocabant, regno radices egisse videbatur. In has vero partes demum ramos extendit, auctore primum venerabili Odone S. Remigii abbate, quod hoc modo factum tradunt. Hic aliquando Romam profectus, cum ad propria rediret, forte divertit ad majorem Cartusiam: ubi explorata piorum illorum solitariorum admirabili conversatione, consilio beati Hugonis Gratianopolitani episcopi, domum ejusdem instituti in diocesi Remensi ædificare statuit, assensu venerabilis Guigonis Cartusiæ prioris, qui primos sacri istius institutionis profeminatores Odoni concessit. Hoc proinde consilium iniiit Odo ante obitum sancti Hugonis episcopi, qui anno MCXXXII. accidit kalendis Aprilis: sed vix ante hunc annum MCXXXIV. executioni demandatum est, cum scilicet Odo abbas e Pisano concilio reversus esset. Novæ domus extruendæ assignatus est monasterii sui fundus in finibus Remorum duabus ab urbe Mosomo leucis, ad amnem Barum, tunc dictus Mons-Bosonis, qui postmodum Mons-Dei appellatus est. Primariæ tamen Odonis litteræ post tres annos datæ sunt, in quibus pius abbas consilii sui rationem exponit in hunc modum. *Universorum Domino, qui est summa sanctitas, famulantibus & in sacro religionis proposito perseverantibus, maxime his, qui abjectis secularium negotiorum sarcinis, jam præstant in tranquillitate vitæ, quam suavis est Dominus, nos benignos esse convenit; & non solum eorum necessitatibus aliquod levamen impendere, verum etiam si quid eis devotio fidelium contulerit, ut illæsum ad ipsorum usus permaneat, sollicitè curare. Idcirco memoriæ cunctorum, tam præsentium quam futurorum, fixum esse volumus, quod ego Odo, humilis minister ecclesiæ beati Remigii, totumque capitulum ejusdem monasterii, communicato mecum labore, prompta voluntate & pia devotione benignum præbentes assensum, cœnobium, in quo usus & sacras consuetudines Cartusiensium honesti moribus fratres teneant & custodiant, in fundo ecclesiæ nostræ, videlicet in loco, qui nunc Mons-Dei nuncupatur, (nam antiquitus vocabatur Mons-Bosonis) in honore beatæ Virginis Mariæ & sancti Johannis-Baptistæ construximus. Hoc totum factum est consilio domni Hugonis felicitis memoriæ Gratianopolitani episcopi, necnon & assensu reverendi Guigonis Cartusiensium pauperum prioris, qui & primos sacri hujus institutionis magistros ad nos misit, & locus ille ut Mons-Dei vocaretur,*

ANN. CHR.
1134.

præcepit & statuit. Venerabilis etiam Raynaldus secundus Remorum archiepiscopus in hoc opere strenuus cooperator existit, & ejus voluntate & consilio evocatio Cartusensium fratrum facta est, & constitutio loci. In hoc siquidem monte fratribus ibidem in Ordine Cartusensi Deo militantibus, & secundum sacras ipsius Ordinis institutiones, a sanctis eorum prædecessoribus datas degentibus, prædictum cœnobium, & quicquid ecclesia nostra in præcinctu ejusdem cœnobii infra subscriptos terminos possidet, communè totius capituli nostri assensu gratanter, & ab omni censu & exactione liberum dedimus. Nonnihil etiam ad dotem hujusce domus contulere Richardus Mosomensis abbas & Ursio abbas S. Dionysii apud Remos; necnon Willelmus de Sethona* & Nicolaus atque Guido de Altreio* ut patet ex Odonis abbatis instrumento, in quo limites fundi a Remigianis collati designantur. Huic instrumento adscripta sunt signa Gaufridi Catalaunensis & Alvisi Attrebatensis episcoporum; tum Odonis abbatis S. Remigii, Ingelramni Altovillarensis, Richardi Mosomensis, Hellini S. Theoderici, Joranni S. Nicasii, Ursionis S. Dionysii, Fulconis Sparnacensis, Willelmi de Mauri-monte abbatum, multorumque aliorum, canonicorum, monachorum S. Remigii & laicorum. Actum Remis anno incarnati Verbi millesimo cxxxvii. indictione xiii. regnante Ludovico Francorum rege anno xxx. archiepiscopatus autem domni Raynaldi anno xii. ordinationis vero nostræ anno octavo-decimo, ut in authentico legitur, ubi indictio xv. reponenda est. Appensum est sigillum ex cera rubea, præferens thoracitam beati Remigii cum hac inscriptione, SCS REMIGIUS FRANCORUM APLS. Hoc instrumentum edidit Marlotus, sed non integrum, & quidem cum aliquot mendis; ideoque illud in Appendice referre visum est. Hæc domus inhabitari cœpit anno penultimo^a Guigonis Cartusie majoris prioris, quem anno mcxxxvii. obiisse inferius videbimus. Existat apud eundem Marlotum^a pontificium diploma Innocentii II. anno mcxxxvi. Pisis datum, in quo paullo aliter Montis-Dei limites designantur; statuiturque, ut nulla femina fines illos introeat, nisi forte id fiat propter transitum, qui per loca illa debet esse communis. Hanc bullam sequitur alia Eugenii III. fratribus sanctæ Mariæ & sancti Johannis-Baptistæ Montis-Dei inscripta, in qua statuitur, ut ordo monasticus secundum beati Benedicti regulam, normam quoque & institutiones fratrum Cartusensium perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur.

^a Labb. 20. 1.
Bibl. p. 639.
^b Marlot. p.
312.

XLVIII.
Guigo epistolam scribit ad fratres de Montis-Dei.

Primus sacri illius loci præpositus seu prior fuit Haimo, Marlotus ignotus. Ei ceterisque fratribus Montis-Dei celebrem epistolam de vita solitaria paullo post inscripsit Guigo majoris Cartusie prior. Hæc epistola primum S. Bernardo, dein Willelmo, olim S. Theoderici abbati, perperam tributa est, ut in Admonitione ad illam epistolam, in postrema editione operum sancti Bernardi demonstratum est, tum ex inscriptione epistolæ in coævis ac melioris notæ codicibus, tum ex ipsius contextu. Nullum fere per id tempus invenias præclarior de rebus moralibus ac monasticis opusculum, in quo de triplici vitæ religiose statu solide ac pie differitur, videlicet de animali seu incipientium, rationali proficientium, & spiritali perfectorum. Principio gratulatur fratribus de Monte-Dei, quod Orientale lumen & antiquum illum in religione Ægyptium fervorem tenebris occiduis & Gallicanis frigidibus inferrent. Tum eos hortatur ad virtutem quam ferventissime excolendam in posterorum exemplum: *Ex vobis enim, inquit, ex vestro exemplo & vestra auctoritate in regione hæc pendere habet tota posteritas omnis Ordinis hujus sancti.* In consequentibus valde improbat in religiosis viris, quod jam tum subintrasset de ære alieno sumtuosa, & quantum pudor vix sinit, ambitiosa cellarum ædificatio. *Dimissam enim nobis, inquit, a patribus nostris jure hereditario formam paupertatis, & sanctæ simplicitatis speciem, verum decorem domus Dei alienantes a nobis & a cellis nostris, per manus artificum exquisitorum cellas, non tam eremiticas quam aromaticas ædificamus nobis, singulas in titulo centum solidorum, concupiscentias oculorum nostrorum de elemosynis pauperum... cur non potius centum denariorum? cur non potius nullorum? cur non potius gratis filii gratiæ sibi ipsi ædificant? Tum infert, ergo obsecro in peregrinatione hujus sæculi, in militia hæc super terram, ædificemus nobis non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deserendum, utpote cito inde vocandi & emigraturi in patriam & civitatem nostram, & in domum æternitatis nostræ... Credite, fratres, & utinam experiri vobis non contingat; quia pulchritudines istæ & forenses honestates cito utile propositum enervant, & masculinum animum effeminant. Nam etsi ipso sæpe usu sopiuntur earum delectationes,*

ANN. CHR.
1134.

etsi sunt aliqui qui utantur hujusmodi quasi non utantur; tamen contentu melius quam usu extirpantur & vincuntur hujusmodi affectiones. Hæc aliaque plura de hoc argumento vir piissimus, quem mirum est in primis illis Montis-Dei sacris incolis improbasse sumtuosas cellarum ædificationes. Vidi aliquando unam ex illis cellis superstitem, quam S. Bernardus inhabitasse tradebatur, sed tam humilem, ut digito tectum fere contingi potuisset, tam simplicem ut pro tabernaculo nunc facile haberetur. Sed forte ex Guigonis nostri monitis profecerint Montis-Dei piissimi fratres, nec omnes eorum cellæ ita exquisitæ & ornata erant, & illæ forte pro quibusdam novitiis insignioribus ædificatæ fuerant. Huc spectare potest quod idem Guigo subdit: *Obsecro ergo ut maneant cellæ illæ delicatiores sicut factæ sunt, sed non crescat numerus earum, sintque in valetudinaria fratribus animalibus & infirmioribus, donec convalescant, hoc est incipient desiderare, non valetudinaria infirmorum, sed tabernacula militantium in castris Dei. Maneant in exemplum posteris vestris, quia tales habuistis & speravistis.* Ubi valetudinaria infirmorum vocantur cellæ fratrum animalium, id est incipientium. Hæc fuse a me relata sic accipi velim, ut non magis ad eorum quorum causa hæc scripsit Guigo, quam ad nostrorum cautelam allata censeantur.

Haimonem excepit Gervasius, cujus suppresso nomine fit mentio in S. Bernardi epistola cxc. Prior tertius est Simon, laudatus a Petro Cellensi, & à Johanne Sarisberiensis, ubi agens de S. Thoma Cantuariensi, ait eum cum Perro Bernardi Grandimontensi delegatum fuisse ab Alexandro III. ad Anglorum regem, ut hic beatum Thomam in suam gratiam reciperet, epistola ad eundem regem scripta, in qua *Prior de Monte-Dei, de ordine Cartusensi, litteratus, & honestate ac religione insignis prædicatur.* Simoni successisse videtur Engelbertus, qui in tabulario Montis-Dei anno mcxcvii. cuidam chartæ subscripsit cum Radulfo priore Vallis-sancti Perri diocesis Laudunensis, filia Montis-Dei. Ceterum tam pio, generosoque Odonis abbatis operi manifeste suffragatus est ipse ejus inspirator Deus, editis ad S. Gibriani reliquias, quæ in beati Remigii ecclesia servantur, tot signis & miraculis, ut oblationes, a fidelibus eo confluentibus factæ, ad fabricæ complementum abunde suffecerint. De his miraculis inferius agendum.

Vix sex annos ab expulsi^a sanctimonialibus Laudunense sancti Johannis monasterii rexerat Drogo abbas, cum ejus virtutis ac religionis fama permotus Innocentius papa, cui forte, dum ipse Lauduni ante triennium versaretur, perspecta fuerat, eum ad se accersivit & cardinalem episcopum Ostiensem post mortem Johannis Camaldulensis monachi hoc anno creavit. Id factum Pisis mense Decembri paullo post concilium Pisanum, ad quod fortasse Drogo vocatus fuerat. Non ergo Romæ id contigit, ubi pontifex ob Anacletum demorari non poterat, tamen ita censuisse videtur Hermannus^b monachus ejus temporis, qui Drogonis bonam in monasterii administrationem laudat. *Sed cum jam illic, inquit, Deo donante non parum proficeret, bono odore sapientiæ & probitatis ejus longe lateque diffuso, præfatus papa Innocentius obedientiæ vinculo constrictum eum Romam ire coegit, & urbis Ostiensis episcopum consecravit.* Non diu hac dignitate potitus est Drogo, siquidem decessit, non hoc ipso anno, ut putavit Ughellus, sed anno mcxxxviii. ut legitur in Appendice ad Sigebertum editionis Pistorianæ ad illum annum in hæc verba, *Obiit Drogo bonæ memoriæ Ostiensis episcopus, vir religione & sapientia clarus.* Ex ejus scriptis, si qua alia scripsit, unus tantum superest sermo seu potius libellus meditationum in passionem Domini, editus in Bibliotheca Patrum, ubi hæc præclara ejus verba ad Christum: *Nullus te querit, nullus te invenit, nisi crucifixus.*

Drogonem creato episcopo, monachi, sancti Johannis pupilli facti absque patre, ut loquitur Hermannus,^c Balduinum fororis ejus filium, ejus loci factum ab eo monachum, unanimi consensu abbatem elegerunt, *etate quidem juvenem, sed moribus & religione seniles annos præferentem.* Idem Hermannus eum ab hospitalitate in primis laudat; atque, in nullo regni Francorum cœnobio ejusdem institutionis majorem religionem vel caritativam hospitalitatem, quam in illius monasterio tunc temporis viguisse. Verum ipse Balduinus, in requirendis & retrahendis ecclesiæ possessionibus, quas sanctimonialibus negligenter detrahi permiserant, valde occupatus, quotidiano labore fatigatus nihil magis conquiritur, quam se non posse jugiter conventui fratrum interesse, vel ipsis hospitibus humanitatis officium, prout vellet impendere. Addit idem auctor, divinum officium ibidem devote, silentium & religionem ferventer

XLIX.
Drogo abbas S. Johannis fit cardinalis Ostiensis.
^a V. lib. 75. n. 33.

^b Herman. lib. 3. de mirac. c. 23.

^c ibid.

ANN. CHR. 1134. fervari, sacrificium corporis & sanguinis dominici, non sicut prius, sed centuplo devotius & frequentius celebrari. Ex quibus refellit eos, qui mutationem illam sanctimonialium improbabant. Balduino abbate, teste eodem Hermanno, cum multi ad S. Johannis monasterium venirent monasticum habitum expetentes, eodem accessit e Tullenfi regione quidam, nomine Hugo, quem Balduinus abbas, ob religionis fervorem & litterarum non mediocrem scientiam, monasterii priorem instituit, gaudens & Deo gratias agens, qui talem ipsi adiutorem dederat. Hugo iste postmodum factus est Humolariensis abbas loco alterius Hugonis, quem Innocentius ad Albanensem episcopatum promovit.

L. In ferie Albanensium episcoporum desideratur iste Hugo, quem ex abbate Humolariensi factum fuisse cardinalem episcopum Albanensem, ex Hermanno Laudunensi ejus temporis monacho discimus. De hoc Hugone abbate duo instrumenta in chartario Humolariensi legimus: unum anni MCXXXII. quo Luca Cuisiacensi abbati ordinis Præmonstratensis sub annuo censu concedit partem nemoris, quod dicitur Campus-varius ad ædificandum ibidem locum habitationis servorum Dei. Alterum instrumentum est anni sequentis, quo Simon Noviomensis episcopus altare de Marci donavit eidem Hugoni abbati, quem bonæ opinionis ac religionis virum vocat. Ubi primum Drogo ad Ostiensem episcopatum promotus fuit, Innocentius papa ejus consilio, teste Hermanno mox laudato, domnum Hugonem Humblariensem abbatem Romam accersitum, & obedientiæ vinculo coactum Albanensis urbis consecravit episcopum. Id factum post obitum Matthæi^a episcopi Albanensis, de quo mox egimus. adeoque Hugo iste in indice Albanensium episcoporum collocandus est inter Matthæum & Albertum, quem Ughellus^b proxime Matthæo perperam instituit. Eodem Hugone per litteras suggerente, monachi Humblarienses prædictum Hugonem sancti Johannis priorem sibi abbatem elegerunt. Plura de hoc secundo abbate in consequentibus.

L I. In Remensi parthenone S. Petri Elisabeth abbatissa obiit kalendis Januarii. Huic successit Hermengardis eo nomine secunda, eximie virtutis abbatissa, quæ sacrum illum locum annis quatuordecim prudenter ac religiose administravit, mortua pridie idus Februarii anno MCXLV. & in ecclesia sepulta cum hoc epitaphio.

*Hic Hermengardis sapiens & religiosa,
Abbatissa jacet, laudum meritis speciosa,
Exsequiæ cujus quasi nuntius & beneficus,
Cum fieri debent, Februi denuntiat idus.*

Ejus tempore ex eodem parthenoneeducta est Montis-martyrum abbatissa prima, de cujus monasterii origine mox agendum. Hermengardem excepit Sibylla ejus nominis secunda, Magna dicta ob prudentiam & præclaras virtutes, illustri genere orta, cui Hugo Rociacensis comes ob injurias, in quadam S. Petri villa^{*} illatas, coram Samfone archiepiscopo satisfecit. Obiit III. kal. Septembris anno MCLXIII. jacet in choro ecclesiæ sub lapide albo, cui inscriptum est hoc epitaphium.

*Hic pia, magnifica, matrum matrona pudica,
Singula per gesta prudens, patiens & honesta,
Munditiæ stilla, jacet abbatissa Sibylla.
Domna Marigaude, de qua dignissima laude,
Orta fuit, domna morum, virtutis alumna.
Qui sedet in thronis, hanc salvet ab ore leonis.*

Quæ illi succedere Ascelina & Sibylla tertia, uno tantum singulæ anno abbatiam tenuerunt. De Gala, quæ Sibyllæ tertiæ successit, alias dicendi occasio recurret.

LII. Ad hunc annum revocanda sunt primordia insignis Montis-martyrum cœnobii prope Parisios, quod Ludovicus VI. rex Francorum, horatu Adelaidis conjugis suæ, in illo monte, qui S. Dionysii episcopi & martyris ejusque sociorum passione consecratus traditur, construxit ac dotavit. Erat jam ibidem ecclesia, ad monasterium S. Martini-de-Campis pertinens, quam rex permutatione facta a monachis comparavit; eamque permutationem Petri Venerabilis litteris^c suis confirmavit. Extant primariæ hac de re litteræ in tomo IV. Gallie christianæ^d, in quibus rex ita loquitur. *Notum fieri volumus cunctis fidelibus, tam futuris quam presentibus, quod pro remedio animæ meæ & prædecessorum meorum, prece & consilio carissimæ uxoris*

LII. Montis-martyrum abbatia fundatur.

^c Bibl. Clun. p. 1398.
^d Gall. Christ. to. 4. p. 666.

ANN. CHR. 1134. meæ Adelaidis, ecclesiam & abbatiam in monte, qui Mons-martyrum appellatur, auctore Deo construximus: cui videlicet ecclesiæ, & sanctimonialibus ibidem Domino famulantibus, hæc quæ subscripta sunt in perpetuum habenda & possidenda de rebus & possessionibus nostris, annuente Ludovico filio nostro, jam in regem sublimato, donamus; & concedimus villam, ante S. Clodoaldum sitam, quæ vocatur Mansionvellum, cum omnibus appenditiis, &c. Sub silentio autem præterire non volumus, quod pro domo Guericci, quam monachi beati Martini de Campis in manu sua habebant, & pro ecclesia Montis-martyrum, quam ibi possidebant, nos eisdem monachis ecclesiam beati Dionysii de Carcere, quam in manu nostra propria habebamus, cum omnibus ejus appenditiis, in commutationem donavimus. Actum anno incarnati Verbi MCXXXIV. regni nostri XXVII. concedente Ludovico filio nostro jam in regem sublimato, anno III. Ejus loci abbatissa, ut modo dicebam, fuit Adelaidis, ex Remensi parthenone S. Petri assumpta, cujus obitus nonis Aprilis notatur in necrologio S. Dionysii apud Remos his verbis: *Obiit Adelaidis, prima abbatissa Montis-martyrum, monialis S. Petri.* In novo tamen abbatissarum catalogo, qui ad calcem tomi secundi Yepesiani novæ editionis Gallicæ cum historia monasterii editus est, primus locus datur Christianæ de Courtebrone, cujus frater Eustachius, ac duæ sorores, Cæcilia & Hildeburgis, multa loco beneficia contulisse dicuntur: sed quo ex loco assumpta sit hæc abbatissa, ignoratur. Triennio post Innocentius II. litteris apud Pisas datis kalendis Octobris, monasterio apostolicæ tutelæ privilegium impertit, ejusque bona omnia confirmavit. quod etiam Lucius II. novo diplomate anno MCXLIV. roboravit, ut & Eugenius III. anno MCXLVII. cum Parisiis versaretur. Porro tres hæc pontificiæ bullæ; quarum autographa vidimus, inscriptæ sunt *Christiana abbatissa*, &c. quæ in Eugéniana dicitur fuisse soror Eustachii, ac Cæciliæ & Hildeburgis, qui alodia sua monasterio contulerant: unde si Adelaïs prima fuit loci abbatissa, jam tum defuncta fuisse dicenda est, quando hæc bullæ datæ sunt, distinguique debet ab Adela, quam secundam Montis-martyrum abbatissam vulgati catalogi appellant. Exstat in archivo ejus loci vetus instrumentum quo A. abbatissa plateam quamdam Parisiis cedit, &c. anno MCLIV. & quidem Adela annum MCLXXIV. dicitur excessisse, & quæ ei successit Elizabeth, non nisi anno MCLXXIX. memoratur.

Quod attinet ad prædictam ecclesiam S. Dionysii de Carcere, antiquitus erat locus custodiæ publicæ, in quam S. Dionysium Parisiorum primum episcopum olim inclusum fuisse tradunt. Vocatur ecclesia S. Dionysii de Carcere *Parisiaco*^a in duobus diplomatis Rotberti regis, quibus Anfoldi militis & Reitrudis ejus conjugis, qui canonicos illic instituerant, donationes canonicis illis factas confirmat assensu Rainoldi Milidunensis pagi comitis & Parisiorum episcopi, in cujus jure res illi ecclesiæ collatæ consistebant. Porro ecclesiam Montis-martyrum basilicæ S. Martini de Campis anno MCXCVI. dederant quidam egregii miles, *Paganus*^b appellatus, a baptisinate *Walterius*, & uxor ejus a baptisinate *Hodierna comitissa nuncupata*, qui illam ecclesiam pro more illorum temporum in manu laica tenebant; hanc, inquam, ecclesiam monachis S. Martini de Campis dederunt, *altare videlicet & capsum*, seu navim, *sepulturam & tantum atrii, ubi fierent officinæ fratrum.* Itaque illic cella erat monachorum, cujus loco ecclesia S. Dionysii de Carcere a Ludovico VI. illis data est, ubi hætenus pauci monachi supersunt, reditu prioris in alienos usus converso.

Jam non semel actum est de cella S. Pauli diocesis Sueffionensis, Silvæ-majori subiecta, & de altari Terniaci eidem cellæ tributo ab Hugone episcopo, quod Johannes Sueffionensis comes^c invasit; at Liffardus episcopus, Hugonis successor, eo mortuo per uxorem ejus ac filium Raymundum eidem cellæ restitui curavit. Postquam vero idem Raymundus miles factus est, illud ipsum altare denuo abstulit, & in proprios usus convertit. Tum vocatus in jus coram Gosleno seu Josleno episcopo Liffardi successore, cum per duos annos ejus judicium subterfugisset, ab eodem excommunicatur. Sed episcopo in sententia persistente, tandem respiscens, illud altare cellæ S. Pauli per manum ejusdem præsulis restituit. Ilgerius vero S. Pauli prior eidem Raymundo, sed nequaquam ejus successoribus *tres modios avenæ ad cumulatam mensuram, & septem annonæ mediata, id est quæ non esset minus quam media de frumento*, singulis annis, dum viveret, se daturum promisit. Hæc omnia litteris suis ad Petrum Silvæ-majoris abbatem testatus est Josle-

Annal. Bened. Tom. VI.

Ii

ANN. CHR. 1134.

LIII. S. Dionysii de Carcere ecclesia. ^a Hist. S. Martini p. 312. & seqq.

^b ibid. p. 317.

LIV. Terniaci altare cellæ S. Pauli restitutum. ^a V. lib. 72. n. 93.

ANN. CHR.
1134.

nus episcopus, qui hoc pactum sub anathematis interminatione violari vetuit solemniter die natalis Domini, cum inter missarum solemniter sermonem ad populum haberet. *Datum est hoc anno incarnationis dominicæ MCXXXIV. episcopatus Jossenii nono, regnante in Francia Ludovico patre, & Ludovico filio inuncto in regem anno IV.* Hanc Jossenii epistolam in Appendicem referre visum est. Petrus abbas, ad quem hæc epistola scripta est, cognominatur de Ambasia, unus e discipulis beati Gerardi, ejusdem loci conditoris & primi abbatis, distinguendus a Petro de Didonia, qui ei successit.

LIV.
S. Faren-
abbatis
cum epi-
scopo Mel-
den-
si concordia.
a Gall. christ.
no. 3. p. 699.

Idem Jossenius unus ex illis fuit, quos Innocentius II. designavit ad dirimendam controversiam, quæ inter Manassen Meldensem episcopum & Farensem abbatissam orta erat super jurisdictione in clericos & burgenfes seu opidanos Farenfes. Hæc causa ad Innocentium, dum in Gallia moraretur, delata fuerat, qui eam a episcopo Catalaunensi, scilicet Gaufrido, & episcopo Autisiodorensi, nempe Hugoni, dijudicandam commisit. Hi vero accitis Sueffionensi episcopo, necnon Resbacensi abbate, Cagiacensi & Trecenti S. Martini abbatibus, aliisque quam plurimis ecclesiasticis & religiosi viris, apud Sezanam * in Briegio convenientes, hanc litem composuerunt: sed quo modo id factum sit, in editis Manassæ episcopi litteris supprimitur, sed tamen id utcumque intelligitur ex hac clausula: *Quod autem clerici & burgenfes Farenfis monasterii semel pro causa quondam Meldensem adierunt ecclesiam, neutri volumus parti præjudicare, cum id factum sit salvo utriusque partis jure.* Hæc charta Manassæ episcopi, eo nomine secundi, carer chronicis notis: sed data non est ante hunc annum, qui primus ejus episcopatus fuit. Subscripsit anno sequenti cum Theobaldo comite litteris monasterii seu prioratus de Fontanis Ordinis Fontis-Ebraldi diocesis Sueffionensis, cui Burchardus ejus antecessor multa beneficia contulit.

Sezan.

† Gall. christ.
no. 4. p. 367.

Præerat Rifendis abbatissa, cum hæc concordia facta est, ut constat ex diplomate b Eugenii III. eidem Rifendi abbatissæ inscripto, in quo fit mentio de concordia, quæ inter Manassem episcopum & Rifendam abbatissam per Hugonem Autisiodorensis & Gaufridum Catalaunensem episcopos ex præcepto felicitis memorie papæ Innocentii facta est. Ejusdem Rifendis abbatissæ tempore Farense monasterium incendio conflagravit, ut inferius videbimus.

LVI.
Montis-Desiderii
ecclesia
Cluniaco sub-
jecta.
Mont-didier.

Sub hoc tempus collegiata Montis-Desiderii * ecclesia Cluniacensibus monachis ex mandato Innocentii papæ commissa fuit a Guarino Ambianensi & Simone Noviomensi episcopis, quorum litteras ex parte hic referre juvat. *Ego Guarinus Ambianensis & ego Simon Noviomensis episcopi, ministerii nostri altitudinem considerantes, ea quæ statum sanctæ reformationis offendunt, ad lineam ecclesiasticæ puritatis reducere debemus, & quæ minus ordinata sunt, reformare. Siquidem dominus papa Innocentius, animadvertens secundum sapientiam sibi divinitus concessam, ecclesiam de Monte-Desiderii minus ordinate procedere, & canonicum servitium inibi de die in diem vacillare, apostolica auctoritate nobis injunxit, ut ego Guarinus Ambianensis episcopus, ad cujus diocesim ecclesia prædicta pertinet; & ego Simon Noviomensis, in cujus manu præbendarum illarum dispensatio a Romano pontifice commissa fuerat, eam monasterio Cluniacensi cui jam pridem contradita fuerat, redderemus; & ut in hoc ipsum canonicis ipsius ecclesiæ convenirent, laboraremus. Quocirca canonicos illos ad diem constitutum vocavimus; quid dominus papa præciperet, assensumque domni Rainaldi archiepiscopi Remensis eis ostendimus, & ut ipsi pacifice concederent, invitavimus. [Illi vero] habito inter se consilio hanc ecclesiæ suæ emendationem gratulanter susceperunt: ita tamen, ut pax inter eos de suis redditibus fieret, postulaverunt. Hæc autem concordia inter canonicos & monachos ordinata est. Canonici inter se, antequam monachi ecclesiam ingrederentur, præbendam suam unicuique, ubi in vita sua accipiat, assignaverunt. Deinde portiones pro oblationibus dividendis fecerunt, &c. quæ omnia Innocentii papæ & Remensis archiepiscopi auctoritate roborata sunt. Innocentii diploma exstat in Bibliotheca c Cluniacensi, datum Pisis III. idus Martii, indictione XIV. incarnationis dominicæ anno MCXXXVI. Illic hæctenus insignis cella est Ordinis Cluniacensis.*

e Bibl. Clun.
p. 1402.

LVII.
Bodini-curtis
cella Majoris-
monasterii.
* Biencourt.
* l'Anchie.

Idem Guarinus Ambianorum episcopus, qui Ingelramno ante annos septem successerat, donationes Bodini-curtis * Majori-monasterio olim factas, hoc anno confirmavit. Positum est hoc monasterium in Pontivo ad Altriam * fluvium, quod Anscherus mi-

ANN. CHR.
1134.

les, frater Anscheri Centulensis abbatis, tempore Gervini episcopi, una cum conjugæ sua Letzelina construxit, ac liberaliter dotavit. Datæ sunt hæc Guarini episcopi litteræ anno Verbi incarnati MCXXXIV. indictione XII. VI. kal. Julii: quibus appositæ sunt inter alios signa Richerii Monstrolensis abbatis, Roberti abbatis S. Judoeci, Widonis abbatis Forestenfis monasterii, Eustachii abbatis S. Fusciani, Serlonis abbatis S. Luciani, Godescaldi abbatis Altiacensis, & Fulcodi abbatis S. Firmi. Initio harum litterarum Guarinus frater dicitur. quod argumento esse posset, ipsum ante episcopatum fuisse monachum. At vereor ne id erratum sit. siquidem Guarinus in aliis suis litteris nequam se fratrem dicit. Exstat ad eum Petri a Venerabilis epistola, qua ipsi de præstitis sibi officiis gratias agit, eundemque ad se invisendum invitat.

a Petr. Ven. lib.
4. ep. 14.LVIII.
Fontanisab-
batia erigitur.

Erectum est hoc anno in abbatiam eremitorium, quod Fontanas ob fontes illic scaturientes vocat, situm in diocesi Turonensi, beatæ Mariæ Magdalenæ primitus, dein beatissimæ Dei-genitricis Mariæ sacrum. Hæc abbatia ortum habuit a quodam Gaufrido, & altero cognomine aliisque eremitis, qui juxta pontem Runæ primo sedem fixerant, & capellam in honorem S. Mariæ-Magdalenæ construxerant, quæ magno populorum concursu, ut ad res novas fieri solet, quotannis frequentabatur. Interim contigit, ut unus ex illis eremitis clericus, Willemus nomine, benedictione a Gaufrido Turonensi archiepiscopo accepta, Jerosolymam adiret: qui sabbato sancto ad sepulcrum Domini accessit, volens interesse consueto miraculo, quo ignis cælestis adstantes lætificare consueverat. Cum illic adesset, cereus, quem gerebat, cælitus accensus fuisse traditur. Hinc ab adstantibus inquisitus quis esset, vacante patriarchali sede unanimi omnium consensu patriarcha eligitur. Id ubi rescivit alter ex his eremitis, Lambertus nomine, Magnus cognomento, ad discrimen alterius, qui Minor vocabatur, ad loca sacra profectus est, ubi a novo patriarcha sibi noto peramanter acceptus, postea ab eodem ad socios cum phylacterio veræ crucis, aliarumque reliquiarum, & ecclesiasticis ornamentis ad socios remissus est. Crescente dein eremitarum numero, visum est plerisque, ut sese alicui Ordini addicerent. His demum placuit, ut Saviniacense pagi Abrincensis monasterium, tunc florentissimum præferrent, ex quo jam complura processerant monasteria, quorum abbates quotannis ad capitulum generale conveniebant. Missi illuc ex suis, adduxerunt Gaufridum Saviniacensem abbatem, & cum eo Hildebertum archiepiscopum Turonensem, qui duodecim ex illis eremitis, ceteris recusantibus, in monachos benedixit, eisque abbatem Odonem monachum Saviniacensem ordinavit, præsentem Raginaudo de Castello, ad cujus dominium locus iste pertinebat. Sic III. idus Novembris hoc anno abbatia Fontanensis erecta est. Odoni abbati successit Gilbertus Saviniacensis monachus, cujus tempore Serlo Saviniaci abbas, se suaque monasteria Cisterciensi Ordini subjecit, adeoque Fontanense monasterium, quod deinceps beatæ Mariæ Virginis, uti & omnia Cisterciensium monasteria, patrocinio mancipatum fuit. Hæc fusius in historia monasterii Fontanensis, in Spicilegii tomo x. edita, quæ a Peregrino ejus loci abbate octavo conscripta est.

Ex his intelligitur, si Peregrini calculus certus sit, Hildebertum non ante hunc annum obiisse: tamen non integris annis septem præfuit ecclesiæ Turonensi, quam anno MCXXV. regere coepit, uti ex Orderico b & ex actis c episcoporum Cenomannensium discimus. Eo mortuo, canonici in eligendo successore divisi sunt in duas partes. Quidam enim Philippum, Gisleberti in sede Turonensi antecessoris nepotem, contra sanctorum scita canonum, reclamantibus aliis, elegerunt: Philippus vero ad Anacletum confugiens, atque ab eo confirmatus, sedem Turonicam occupavit. Sed tandem, agente S. Bernardo, qui ad Innocentium d contra eum, & ad ipsum Philippum scripsit, Hugoni locum cedere coactus est, & aufugere, asporratis secum ecclesiæ ornamentis. Quid autem in receptione Hugonis contigerit, ex prædictis actis Cenomannensium episcoporum repetendum est.

LIX.
Hildeberti ar-
chiep. Turon-
ensis obitus.
b Orderic. p.
882.
c Analest. to. 3.
p. 318.d Bern. ep. 150.
et 151.

Ex variis hujus anni infortuniis, quæ Ordericus e refert, Cenomannorum & Carnutum urbes incendio consumptæ perhibentur. Certe hoc anno contigisse legitur in actis f episcoporum Cenomannensium, ubi quam late grassatum sit incendium fuse describitur. Tunc Cenomannorum præclara basilica concremata, vixque corpus S. Juliani igni subtractum, quod ad suburbanum S. Vincentii monasterium delatum est. At ossa beatæ Scholasticæ virginis cum multis aliis reliquiis combustæ dicuntur,

LX.
Cenomanno-
rum & Carnu-
tum urbes in-
cense.
e Orderic. lib.
13. p. 898.
f Analest. to. 3.
p. 340.

ANN. CHR.
1134.

& post incendium cineres in locis suis a religiosis viris recollecti. S. Vincentii monasterium tunc administrabat Girardus abbas, Guillelmi a quadriennio successor, qui S. Juliani reliquias anno sequenti in cathedrali ecclesia revexit. Huic post annos sex successit Guido abbas, Guidoni post octo annos Robertus, de quo alias.

Apud Carnutas monasterium S. Petri combustum fuit, & religiosus monachorum conventus, claustrum cum aliis officinis destructo, hac illac dispersus. Tunc loco praeerat Udo abbas, alias a nobis laudatus, ad annum MCL. superstes; cujus successor Fulcherius, novam, qualis nunc cernitur, eamque praecalam basilicam construxit, a Stephano ejus successore absolutam, ut suo loco videbimus. Falluntur qui putant Fulcherium abbatem esse auctorem libri de expeditione Jerosolymitana, quam a Fulcherio Carnotensi Balduini ducis capellano, scriptam fuisse constat ante Fulcherii abbatem.

LXI.
S. Sergii & S. Maxentii abbatibus.
a V. lib. 68. n. 99.
b V. lib. 72. n. 82.

Apud Andecavos post Petrum^a S. Sergii abbatem, ejus nominis primum, cujus obitus III. nonas Augusti notatur, electus est Henricus, qui Hugonem de Matefelone, nobilissimum militem, monastica veste induit.

Superstes fuit ad hunc annum Gaufridus^b S. Maxentii abbas, cujus obitus v. nonas Januarii notatur in chronico Malliacensi seu Maxentiano, cujus auctor est Petrus Raimundi, ipsius Gaufridi successor. Hic ex Clufeni sancti Michaelis monasterio postulatus est S. Maxentii abbas, cui loco annis quadraginta praefuit. Ejus tempore, scilicet anno MCL. Grimoardus ex abbate Allodiorum Pictavorum episcopus, pascha apud S. Maxentium celebravit primo suae ordinationis anno, ut idem chronographus tradit, & chrisma feria v. coenae Domini ibidem sacrauit ob amorem S. Maxentii & fratrum ejus loci. Idem abbas hoc anno cum Maria, S. Sulpicii apud Redones abbatissa, paciscitur de decimis, quae cellae Belli-pratelli ab illo parthenone debebantur. Hugonis Belli-pratelli interventu Ulgerius Andecavorum praeful ecclesias Balgeii seu Balgii S. Sergio confert, quarum occasione variae lites ortae sunt cum Roberto de Turre-Landerici abbate S. Albini & Guillelmo S. Mauri abbate. Cella beatae Mariae de Pratello sita est in dioecesi Andegavensi, cujus loci prior Guillelmus Amauricus Herveo post annos sexdecim successit. Alium Hugonem, de Cleiis dictum, auferre molientem, quae ipse, cum adhuc puer esset, a patre donata confirmaverat, datis quadraginta solidis cessare fecit. Hos Hugo & beneficium abbatiae accipiens, deoscalatis ex ordine fratribus calumniam dimisit.

LXII.
Ramirus ex monacho fit rex Aragonum
c V. lib. 68. n. 72.

Hoc anno res nova & omnino insolita in nostro Ordine contigit. Mortuo quippe Hildefonsio seu Alfonso Aragonum rege imperatore dicto, (quod VII. idus Septembris accidit) cum filium non reliquisset, Navarri & Aragonii, in varia distracti studia, tandem Ranimiro seu Ramiro ejus fratri, qui ab annis amplius quadraginta Tomerianensis monachus immo & sacerdos fuerat, regnum deferunt, & uxorem ducere ad excitandum successorem cogunt. Remigium vocat Ordericus,^d qui Hildefonsium, laboribus & arumnis fractum, in morbum incidisse tradit post bellum Fagense, in quo nobiles barones Bertrannus & Rodericus, aliique proceres occubuerunt; & post octo dies initio autumni animam exhalasse; tumque subditos de successore disceptasse. Denique Aragonum, inquit, Remigium sacerdotem & monachum, quia frater regis erat, elegerunt, & regem sibi constituerunt: Navares autem Garfionem satrapam sibi regem praeposuerunt. At veriti^e Aragonii, ne, deficiente Ramiri regis stirpe externo dominatui parere cogerentur; a Romano pontifice impetrarunt, uti Ramirus, quod pene infans votorum damnatus esset, sanctionibus canonicis solveretur, atque uxorem ipsi ducere liceret. Addunt scriptores Hispanici, eum non modo monachum & sacerdotem, sed etiam episcopum primo Burgensem, dein Pompilonensem, ac demum Rotae & Barbastri praefulem fuisse. Tam nova & insolita dispensatio exemplo carere mihi videtur, si forte Casimiri Poloniae ducis exemplum non ita ratum excipies. Unde facile crediderim quod Ganbayus scribit, eam ab Anacleto antipapa concessam fuisse. Ut ut sit, Ramirus Oscae^{*} regia insignia sumit; exstantque veteres tabulae in quibus Octobri mense proximo regem & sacerdotem se dicit. Dein uxorem duxit Agnetem seu Mathildem, Willelmi X. Pictavorum comitis & Aquitaniae ducis sororem, ex qua prodiit Petronilla, quae vix trimula Raimundo-Berengarii Barcinonensi comiti desponsa est: mox ad eum regni administratio devoluta, quam Ramirus abdicavit. Raimundus tamen titulo regis abstinuit, solo principis Aragonensis titulo contentus, quod Robertus^g de Monte & Surita observa-

* Huesca.
f Mariana lib. 20. c. 15.

g Robert. an. 1134.

ANN. CHR.
1134.
a Indic. ver. Aragon. p. 46.

runt. His actis, Ramirus ad pristinum vitae institutum & religionis studia^a se revertisse dicitur, & S. Petri sacra aede Oscae abditum, regali tamen habitu, latuisse. Id tamen admiratione dignum videtur, tam celeri conversione rerum hac peragi potuisse: ut vix trium annorum spatio decurso, is regnum adierit, uxorem duxerit, filiam ex illo matrimonio susceperit, genero nuptui tradiderit, regni administratione cesserit.

Apud Montem-peffulanum habita est hoc anno synodus episcoporum III. nonas Novembris, cui Hugo Rotomagensis, Bernardus Arelatensis, Arnaldus de Leveze archiepiscopi & apostolicae sedis legati; necnon Raimundus Agathensis, & Guillelmus Arausicensis episcopi cum Pontio abbate S. Aegidii, aliisque quam plurimis religiosis viris interfuerunt. In illo conventu actum est de ecclesia Beciani^{*} opidi, de qua Casae-Dei monachi cum Tiberiensibus jam dudum disceptabant. Vocati ad synodum Stephanus de Mercorio Casae-Dei, & Ademarum S. Tiberii abbates. Paruit Ademarum: at Stephanus nec per se, nec per suos responsales adfuit. Investigata causa, patres ecclesiam illam S. Tiberio adjudicarunt. Actum hoc ipso anno apud Montem-peffulanum, quod Hugo Rotomagensis archiepiscopus Ademaro abbati litteris suis testatus est, cum ejus epistola ad Innocentium in Appendice relatis, in quibus totius rei gestae summam exponit. Post annos quinque hac controversia denuo retractata est in synodo Uzeticensi, praesidente Guidone diacono cardinale & apostolicae sedis legato, eoque pacto concordia sancita est, ut Tiberienses pro bono pacis Casae-Dei monachis ecclesiam S. Martini de Valentianis cederent, sicque Beciani ecclesiam in posterum quiete possiderent. Exstant in Appendice acta praedictae synodi Uzeticensis cum Guidonis cardinalis epistola ejusdem argumenti ad Innocentium papam. Sic tandem finita est controversia de ecclesia Beciani, qui locus est dioecesis Agathensis, S. Tiberii monasterio proximus, ubi olim cella S. Tiberii monachorum, nunc ecclesia parochialis. Quod attinet ad Ademarium abbatem, anno praecedente Arnaldo successerat, ad annum circiter MCLX. superstes: cujus successor Willelmus II. quem post annos sexdecim excepit Berengarius-Niger seu Nigreti ad annos fere quinque; successorem fortitus Berengarium de Luteva, Albigenium haereticorum hostem infensissimum, de quo alias.

LXIII.
S. Tiberio ecclesia Beciani afferta.

* Bessan.

LXIV.
Fuldenfes abbatibus.

Ad res Germanicas quod spectat, Bertholdus seu Berthous Fuldenfis abbas veneno vitam finisse hoc anno dicitur in chronico Saxonico; eique Conradus, ejusdem coenobii monachus concessione imperatoris successisse, quod ad annum sequentem differtur in Breviario Fuldenfi, ubi Conradus ex praeposito abbas suavis S. Bernardi electus dicitur, vir pius, sincerus, castus & liberalis, Lotharii imperatoris per Galliam, Italiam, & Germaniam perpetuus comes: quo mortuo ad montem S. Petri secessit, ibique in monasterio finem vitae anno MCXXXVIII. imposuit, sepultusque est. Alholfus ejus successor, ob immite ingenium suis exofus, ab Eugenio III. apud Treviram exauctoratur. Huic suffectus Rutgerus, ejus nominis primus, honores perofus, non nisi a caesare coactus, sarcinae pastorali humeros supposuit. Verum primo statim praefecturae anno ab Eugenio dimissionem in concilio Remensi obtinuit, & in montem beatae Virginis studio rerum divinarum se recepit. [Ita scribunt in Gallia christiana Sammarthani. verum longe aliud de eo fert judicium Wibaldus abbas Stabulensis in epistola CXIV. ad Eugenium papam. Discretio vestra, inquit, iusto Spiritus sancti iudicio Roggerium Fuldenfis monasterii electum ab ejusdem ecclesiae regimine ob canonicam notam removit, &c.] Postulatus ejus loco Henricus abbas Harsfeldensis, cum res monasterii distractas, venditas, donatas & abalienatas reparare non valeret, alium magis gnavum sibi substitui haud invite passus est, scilicet Marcwardum sancti Michaelis apud Babenbergam monachum, de quo alias agendum. Non omittendum quod in chronico Saxonico ad hunc annum legitur, Lotharium scilicet ad Fuldensem abbatiam divertisse; & Fridericum Sueviae ducem, qui Conradi fratris sui partes sectabatur, ab affectis derelictum, necessitate compulsum adisse imperatricem, ibidem cum imperatore degentem, nudisque pedibus ipsius gratiam humiliter flagitasse, & per eam caesari fuisse reconciliatum, & a legato apostolico solum excommunicatione, qua per septem annos continuos ab ecclesiae communione separatus fuerat.

Trithemius auctor est, Herbi-polenfe seu Wirzburgense S. Jacobi monasterium, cujus ille abbas erat, hoc anno ab Embrichone episcopo condi coeptum fuisse in

LXV.
S. Jacobi coenobium Herbi-poli conditur.

ANN. CHR. 1134.
 suburbano; eoque absoluto monachos nostri Ordinis collocatos, quibus praefectus Macarius abbas primus, natione Scottus, vir magna sanctitatis, qui vinum & qualibet ciborum delicias, ut venenum & animae pestem, abhorruisse dicitur. Obiit anno MCLIII. in cujus transitu voces angelorum auditas fuisse tradunt. Humatus est in capella beati Jacobi cum hoc epitaphio: *Hic jacet Macarius primus abbas hujus loci, per quem omnipotens Deus vinum in aquam convertit*, cum scilicet vinum ei propinatum fuisset, quo uti refugiebat. Ejus successor, Christianus nomine, ab antecessoris sanctitate nequaquam declinavit per viginti & sex annos, quibus monasterium rexit.

LXVI.
 Donatio facta Cluniaco.
 a Tom. 1. Anecd. p. 382.
 [Circa id tempus Henricus Anglorum rex insignem Cluniacensi S. Petri monasterio fecit donationem ^a: *Centum marchas redditus singulis annis, scilicet LX. marcharum in firma & redditibus civitatis meae Londoniensis, inquit, & XL. marcharum in redditibus civitatis meae Lincolnensis: ita tamen quod has centum marchas quoque anno reddi faciam ecclesiae Cluniacensi de meo proprio thesauro in omnibus diebus meis.* Post mortem vero suam statuit ut praedictarum civitatum ministri cum aliis redditibus suis has centum marchas deferant ad sacrarium suum, *ibique reddantur nuntio B. Petri.* Hanc auctoritate regia factam donationem precibus ejus confirmavit Innocentius papa *majestate litterarum & sigilli sui, &c. Testibus Willelmo archiepiscopo Cantuariensi, T. archiepiscopo Eboracensi, R. episcopo Sarum, H. episcopo Wintoniensi, A. episcopo Lincolnensi, G. episcopo Londoniensi & cano. &c.* Sequenti anno defuncto Rotomagi Henrico rege, facta commutatione pro dictis centum marchis data est Cluniacensibus fratribus terra. Donationem quoque *de terra praedicta ab imperatrice factam* laudavit & firmavit R. dux Normannorum & comes Andegavorum. *Testes sunt Hugo archiepiscopus Turonensis, Paganus de Claravalle, Guido de Sablolo.]*

ANN. CHR. 1135.
 LXVII.
 Bernardi reditus Claramvallem.
 b Bern. vita lib. 2. c. 5.
 * Besançon.
 Post longam in Italia moram, post triennii absentiam, redditur tandem suae Claravalli, suisque Claravallensibus Bernardus: sed brevis illa quies, brevis ea suorum laetitia fuit. Descendenti ex albis, in ejus occursum concurrunt e summis rupibus ^b pastores & armentarii, atque agreste hominum genus, elatis vocibus ejus benedictionem petentes; eaque accepta, ad suas caulas redeunt laeti & gaudentes, quod sanctum Domini vidissent. Ubi Chrysolim ^a advenit, Lingonas usque sollemniter deducitur. Hinc procedenti delecti fratres Claravallenses optimo & optatissimo patri occurrunt; tum provoluti genibus, mox ad oscula ruunt, eumque Claravallem deducunt. Adfunt ilico fratres omnes, & mira devotione dilectissimum patrem suscipiunt. Agitur sine tumultu cum omni gravitate laetitia. Facies hilaritatem prodebat, sed castigatus actionum & locutionum modus eam temperabat. In tam longa patris absentia nihil novatum, nihil a pristino religionis statu devium repertum. Integer univerforum status, concors societas, vera unitas & sincera concordia. Nempe opus suum vir Dei absens corpore, praesens spiritu, precibus suis muniebat. In his tamen eo humilior & Deo subjectior erat, quo Deum, votis suis sibi magis propitium sentiebat. Nec defuit eo absente cura & providentia Godofridi prioris, propinqui sui, qui Lingonum episcopus erat, cum Ernaldus haec scriberet. Unum tamen Bernardo suggerunt fratres, angustiorem esse monasterii locum, quam ut tot homines, qui ad se in dies catervatim confluebant, commode posset capere: esse paullo inferius aptam planitiem magis spatiosam, & opportunitatem fluvii Albæ praeterlabentis, ubi amplissimum monasterium construi posset. Principio restitit vir sanctus, id in malam partem a saecularibus detorquendum cautus, si post conditas tot laboribus & expensis lapideas domos, post traductos per singulas officinas aqueductus, alias aedes construerent. Si haec fecerint, fore ut homines saeculi male de ipsis sentiant, quod aut leves sint, aut quod nimiae eos divitiae faciant insanire. Denique deesse ipsis pecunias, quibus id operis aggrediantur. Ad haec reponebant fratres: si novos colonos mittere desineret Deus, loco mutando non fore cogitandum: at, cum quotidie gregem augeat, aut repellendos esse quos mittit, aut providendam mansionem, ubi suscipiantur. Nec dubium esse, quin is, qui eos vocat, & mansiones eis, & sumtus ad eas construendas suffecturus sit. His auditis, abbas sanctus eorum fide & caritate delectatus est, ac demum eorum sententiae acquievit. Id ubi rescivit Theobaldus Campaniae comes, multa ad id

operis subsidia contulit, ejusque exemplo episcopi, magnates, & quique locupletes ultro suppetias subministrarunt. Sic inopinata celeritate totus monasterii ambitus perfectus est; &, ut Ernaldi verbis loquar, surrexit domus, & quasi animam viventem atque motabilem haberet nuper nata ecclesia, in brevi profecit & crevit.

Inter ea laborabat ea tempestate ^a schismaticorum factione Aquitania, in primis ecclesia Burdegalensis, cui Gerardus Engolismensium incubabat, favente Willelmo principe, in cujus pectus ille schismatis virus instillaverat. Jam quidem Willelmum ad sanam mentem reducere tentaverat vir Dei, idque effecisse videbatur: sed ubi ab eo recesserat, mox princeps Gerardi suggestionibus iterum depravatus, Anacleti partes aperta vi tueri perseverabat. Frendebat Gerardus, qui diu illis in partibus per Turonensem, Burdegalensem, & Auxiensem provincias legati apostolici auctoritatem exercuerat; quod jam tanto magistratu dejectus esset; nec poterat pati se solius suae ecclesiae episcopum, qui se totius Aquitaniae principem & magistrum viderat. Assuetus itaque praedari provincias, & sub titulo justitiae ex causis emergentibus facere quaestum; non modo auctoritatem, sed & exactionum occasiones sibi perisse impatienter ferebat. Hinc ad partes Anacleti conversus, ut amissa recuperaret, quoscumque poterat, ad eum alliciebat. Aggressus igitur comitem, multis pecunias ejus animum facile corrumpit. Pelluntur e sedibus suis Guillelmus Pictavorum episcopus pius aequae ac catholicus, necnon Rannulfus Lemovicensis; & alii in eorum sedes intruduntur. Haec aliaque refert Ernaldus, quibus fidem conciliat Godofridi ^b Vindocinensis abbatis epistola, scripta ad ipsum Gerardum episcopum, cui Godofridus non inferiora his scelera ante ortum schisma exprobravit.

Tot tantaque mala cum ad notitiam pervenissent Godofridi Carnutensis episcopi, cui Aquitaniae legatio ab Innocentio e Gallia discessuro commissa fuerat; eo se conferre, & periclitanti ecclesiae incunctanter succurrere constituit. Idque ut facilius exsequeretur, Bernardum rogat & obsecrat, ut tam ardui ac difficilis negotii socium & adiutorem se adjungat. Assensit vir Dei, pollicitus se legato adfuturum, statim atque coloniam monachorum ad quemdam locum, quem Namnetum comitissa Ermengardis paraverat, deduxisset. Ivit cum eo legatus, ut infra videbimus; & peracto negotio ad Willelmum comitem ambo pergunt. Principi fere a suis persuasum est, ut eorum colloquium evitaret: sed tandem apud Parteniacum ^a Pictorum opidum una conveniunt. Tum de pace agitur: unam esse ecclesiam probat abbas, quae non in Aquitania sola constabat, sed in aliis orbis christiani partibus, quae Innocentium, ut verum ac legitimum pontificem, agnoscebant. Ad haec respondit comes, se in obedientiam Innocentii facile assensurum; sed ad restitutionem episcoporum, quos expulerat, nulla ratione posse induci, quippe qui ipsum gravissime offendissent, ipseque jurasset, se numquam eos in gratiam recepturum. Tandem abbas sanctus ad efficaciora remedia convertitur. Ad altare sacra facturus accedit. Peracta consecratione & pace data, sacratissimum Christi Domini corpus patenae impositum secum tollit, & progressus ad limina ecclesiae, ubi comes, urpote excommunicatus, tempore sacrificii substiterat, ignea facie & flammeis oculis, non jam supplicans, sed minax, terribilibus verbis eum aggreditur. Rogavimus te, inquit, non semel, tu vero sprevisi nos & contempsisti. Ecce ad te procedit Filius Virginis, judex tuus, idemque caput ecclesiae, quam tu persequeris. Ergone & ipsum spernes? Ad haec verba expavit & dirigit comes, membrisque tremebundis ac metu dissolutis, solo provolvitur. Tum vir Dei ad eum propius accedit, eum pede pulsat, & in pedes stare jubet. Erectus comes ad patris imperium, expulso Pictavorum episcopo, qui praesens aderat, osculum praebet, atque Innocentium agnoscit. Denique cum sancto viro familiariter locutus, paterne admonetur, ne pacem factam violaret. quod ille fideliter praestitit, deinceps ad meliora conversus, ut suo loco dicturi sumus.

Sic Aquitaniae reddita pax, quam Gerardi episcopi mors brevi subsecuta confirmavit. Ernaldus scribit, eum impoenitentem, sine confessione & viatico, repente extinctum fuisse; corpusque ejus in lecto enormiter tumidum inventum, & ab ipsius nepotibus humatum in quadam basilica; sed postea jussu Godofridi episcopi & legati illinc extractum, & alio projectum fuisse, porro nepotes ejus, quos in Engolismensi ecclesia sublimaverat, eliminatos, totamque ipsius progeniem per extera regna exfulasse. Longe aliam opinionem de Gerardi obitu ingerit anonymus scriptor hi-

ANN. CHR. 1135.

LXVIII.
 In Aquitaniam pergit contra schismaticos.
 a *ibid. c. 6.*

b Godofrid. lib. 1. ep. 21. V. Anecd. lib. 75. n. 40.

* Parteniacum.

LXIX.
 Gerardi episcopi Engolismensis interitus.

ANN. CHR.
1135.
a Labb. Bibl.
no. 2. p. 262.

storia^a pontificum Engolismensium. Si enim illi anonymo fides habeatur, Gerardus die proxima mortis suae, ut ille se accepisse ait, in confessione sua sacerdotibus dixit, si partem Petri-Leonis contra voluntatem Dei ignorans tenuerit, se poenitere. Dehinc omnia sua vel ecclesiae, vel pauperibus erogasse dicitur; sabbato missam summa cum devotione & effusione lacrymarum celebrasse, & sequenti dominica anni MCXXXVI. a saeculo migrasse. Verum longe praefenda Ernaldi abbatis, hominis aequalis & sinceri, auctoritas, utpote qui non longe ab illis partibus tunc manebat in Bonavallensi agri Carnutensis monasterio: cum anonymus ille fateatur, se haec ex incerto aliorum relatu accepisse. Certe non dissetur iste auctor, Gerardum extra ecclesiam, quam aedificaverat, sub vili lapide latere. De ejus obitu

b Orderic. lib.
13. p. 908.

Ordericus^b agit, sed mortis ejus genus non exprimit, neque chronographus Mauriniacensis, qui initio libri tertii perverfos ejus mores fuisse asserit, uti & Goffridus Vindocinensis, qui eos ipsi viventi exprobrat.

LXX.
Buzii mona-
sterii fundatio.

Priusquam Aquitaniam adiret Bernardus, ad Britanniam cum Gaufrido legato profectus est, congregationem monachorum deducturus ad novum monasterium, quod Ermengardis Britanniae comitissa, una cum duce Conano filio suo, apud Buzium seu Buzium in diocesi Namnetensi recens construxerat. In illo itinere contigit illud miraculum, quo mulier quaedam incubo daemone liberata est. Illuc reversus post aliquod tempus visitationis gratia vir sanctus, ad cujus abbatiam Buzense cenobium spectabat, eundem locum, non juxta promissionem sibi factam constructum & aedificatum, sed paene desolatum inveniens, vehementer doluit, & Conanum ducem, qui multa ex rebus eidem loco collatis subtraxerat, uti perfidum & mendacem redarguit; ideoque abbati & fratribus, quos ibidem collocaverat, ut locum relinquere, & Claram-vallem redirent, imperavit. qua re conturbatus & pudefactus comes id ne fieret intercessit, & se deinceps abbatiam aedificaturum, multaque bona ei largiturum promisit. quod re ipsa executus est, ut ejus litterae e fidem faciunt, quibus Rotaudus Venetensis, Alanus Redonensis, Johannes Maclovienis, Iterius Namnetensis episcopi, aliique post eos subscribunt. Extant duae Bernardi epistolae^d ad Ermengardem comitissam Britanniae, multam benevolentiam praeferentes, quarum prior inscribitur: *Dilecta in Christo filiae suae Ermengardi, quondam eximia comitissae, nunc humili Christi ancillae.* Haec enim post obitum viri sui Alani Fergentii Jerusalem profecta, in ecclesia S. Annae vitam monasticam exercuisse dicitur in libro de gestis comitum Andegavensium. Sed, cum vitam huic instituto parum convenientem duceret, eam redarguit Goffridus^e Vindocinensis abbas, quod saeculo, a quo semel recesserat, iterum se sociaret. Primus Buzii abbas fuit Petrus: cui successit Adam anno MCLII. quo anno Bernardus Namnetensis episcopus *grangiam fratrum de Buzio*, eorumque terras ab omni exactione liberavit fecit, episcopatus sui anno v. consulatus comitis Hoelli IV.

c Martenemisc.
cell. 10. 1. part.
h. p. 74.

d Bern. ep. 116.
§ 117.

e Goffrid. lib.
1. ep. 23.

LXXI.
Stephanus O-
bazinae prior
factus ut se ge-
rit.
f V. lib. 75. n.
98.

g Baluz. Mis-
cell. 10. 4. p. 87.
§ 199.

Dum Gaufridus Carnutum episcopus & legatus pro sua legationis officio in Aquitaniae partibus versaretur, contigit eum Obazinam^f divertere, ubi inter fratres, qui haecenus Stephano obtemperaverant, humilitatis contentio orta erat, cum alter alteri supponi certaret, ac Stephanus ipse honorem, qui praeter ceteris ei deferendus videbatur, constanter defugeret. Auditis omnium rationibus, legatus piaertercacioni^g finem imposuit, & Stephano prioris officium commisit. Cum nullam adhuc regulam sibi praescriptam haberent, instituta magistri pro lege eis erant. Labor illis fere continuus, rigidum silentium, jejunia quotidiana, quae nullus, nisi die dominico, tam aetate quam hieme, solvebat, nisi aut juniori aetate aut gravi infirmitate excusaretur. Is autem qui haec statuerat Stephanus, etiam dominicis diebus jejunabat: donec tandem majorum consilio tam ipsis, quam quinquaginta post pascha diebus prandia suis indulset; ipse vero de dominicis quidem diebus facile acquievit, sed de quinquaginta diebus vinci non potuit, donec monachus (necdum enim illi tum monachi erant) factus est. Diurno tempore rurale opus exercebant: imbecilliores corpore aut scribendis libris, aut levioribus operibus occupati erant. Hiemis tempore, cum longiores sunt noctes, finito completorio, omnes in unum congregati tam diu statuto operi intendebant, quousque psalterii mediam partem persolvissent. In puniendis culpis severus erat magister. Si quis in ecclesia paullulum oculos atollere visus esset, aut subridere, aut sonum aliquem fecisset, vel quid negligentius egisset, continuo vapulabat. Post primam omnes in capitulum conveniebant,

veniebant, in quo finita lectione culparum correctio fiebat. Si quis verberandus esset, mox exutus ad singulos psalmi quinquagesimi versus singulos ictus excipiebat: si major esset culpa, per plures psalmos id ferebat. Diebus dominicis tam ipse, quam fratres lectionibus & missarum celebrationibus vacabant: sabbatum ob honorem beatae Mariae cum novem lectionibus ac duabus missis celebrari mos erat: nec tamen ab opere cessabatur. Ad Dalonense monasterium, quod proximum erat, frequenter ibat vir Dei: quo cum aliquando pergeret, noctu incidit in latrones, a quibus male acceptus, nocturnum silentium ut violaret, neutiquam adduci potuit.

ANN. CHR.
1135.

Interea de praefigendo sibi instituto anxius, audita fama Cartusienfium, quae tunc praeter ceteris celebris erat, Cartusiam adire statuit. Perveniens ad Cartusiam, humanissime a fratribus illic acceptus est. Erat enim eorum ecclesiae dedicationis festivitas, quae eos in unum omnes coadunaverat. nam ceteris diebus, praeter dominicos & festos dies, quibus in ecclesiam & in refectorium una conveniebant, singuli in suis cellulis manebant. Consultus a Stephano prior, scilicet venerabilis Guigo vir *discretus & religione fundatus*, de eligendo instituto, respondit, Cistercienses nuper exortos regiam viam tenere; eorum statuta ad omnem perfectionem posse sufficere. Nobis enim, ait, & in personis est numerus, & in possessionibus terminus praefixus. Tu vero, qui multos jam sub te habes, & plures adhuc admittere devisti, coenobiticam professionem praefere decet, quae non numero, sed religione; virtutibus, non possessionibus aestimatur. Haec Stephanus grateranter accepit, & consilium prioris securus ad propria remeavit.

LXXII.
Cartusiae prio-
rem consult.

Ubi reversus est, aucto fratrum numero, habitacula quoque monasterii, quae parva erant, amplificare aggreditur. Mox a sanctuario incipiens, ecclesiam in honorem sanctae Dei-genitricis Mariae ad instar Cartusienfium aedificare coepit. Alteram quoque a latere construxit in honorem S. Petri apostoli propter hospites & extraneos, ut fratrum ecclesiam ab eorum importunitate defenderet. Ad haec claustrum & regulares in circuitu mansiones aedificavit, inter quas & piscinam aquae eleganti opere fabricatus est, ad quam immensi ponderis lapidem, quem triginta paria boum movere vix possent, cum maxima tabula altaris, per ardua & invia loca magno labore, non sine miraculo convexit.

LXXIII.
Monasterium
amplificat.

Tunc ad ejus monasterium multi de saeculo, nobiles & ignobiles, viri ac mulieres, confluere coeperunt, & suavi Christi jugo colla submittere. In his unus fuit haud ignobilis, apud suos valde religiosus habitus & justitia insignis, qui cum uxore & omni familia sua utriusque sexus conversus est, animalibus & pecudibus, & quidquid ad victum pertinebat, ad monasterium praemissis. Feminarum ad conversionem venientium non parvus illic erat numerus, ex quibus complures illustrissimae erant, & multorum nobilium dominae, quae sponte se ad hanc humilitatem & paupertatem redigebant: & quae prius fericis, auroque textis vestibus ornatae erant, tunc sparto aut vili panno vestitae vilissimarum muliercularum speciem & habitum praeferebant. Cumque fratres fortioribus occuparentur laboribus, istae vilia quaeque & humilia opera ad se pertinere credebant, olera scilicet ac legumina praeparare, coquina utensilia mundare, domos scopare, & ceteras munditias sollicito exercere. Habebant autem non longe a fratribus, mansionibus separatae, sed religione conjunctae. nec ad eas quisquam absque prioris permisso accedebat. Verum prudentissimus ac religiosissimus pater ratus non decere, eas tam diu prope habitare, eis monasterium construi curavit duobus vel tribus a monasterio stadiis, in ejusdem silva loco saxoso, praeruptis montium scopulis undique obfite: ut illic degentes praeter caelum & circumpositos montes nihil videre possent. Ea porro inter se distantia erat, ut signo pulsato in uno monasterio, sonus ejus in altero audiretur. Interea Obazinenfes nullis adhuc legibus tenebantur, sed instituta magistri venerabilis pro lege habebant: quae tam districta & ardua erant, ut disciplinae asperitati vix quidquam addi posset. Verum, ne deficiente magistro disciplina deficeret; placuit ut cujuspiam Ordinis eorum, qui in ecclesia probati sunt, professionem assumerent. Cumque diu inter sese deliberassent, monachorum an canonicorum regulam amplecterentur; tandem inspirante Deo, sapientum usi consilio, praecipue domni Aimerici Arvernorum episcopi, omnes in monachorum regulam assensum dederunt. Nullum autem regulare monasterium in illa regione tunc habebatur praeter Dalonense.

LXXIV.
Multi utrius-
que sexus ad
eum confluunt.

ANN. CHR.
1135.

nense. Missum est igitur illuc, & illinc magistri ad docendum ordinem assumti: dum adefset dies, quo & ipsi monachorum habitu induerentur, & sanctimoniales feminae in praeprato monasterio collocarentur. quod quo pacto factum sit, inferius exponemus. Dalonenſi monasterio tunc praerat Amelius ſucceſſor Rogerii, ejus quem Girardus de Salis, illius monasterii auctor, primum illic abbatem conſtituerat. Sub alterutro abbate Dalonenſes ritus Ciſterciennes amplexi ſunt, ſub linea Pontiniaceniſi.

LXXV.
Caſalis-benedicti abbates.
a V. lib. 72. n.
38.
* Flexicourt.

Non ſerius hoc anno Radulphus, Caſalis-benedicti apud Bituriges abbas quartus, Ifemberto^a ſucceſſit. Argumento eſt charta Guarini epiſcopi Ambianenſis, qui Radulphi abbatis & Chriſtiani monachi rogatu eccleſiam de Floſſicurve^{*} cum ſuis adiunctis praedicto monasterio donavit hoc anno, *epiſcopatus domni Guarini anno octavo*. Multa eidem loco beneficia hoc abbate contulere toparchae Exoldunenſes: ex quibus Radulphus, Jerololyman profecturus, mediam partem redditus ſalis, qui de Exolduno percipiebatur, monachis anno praecedente, MCXXXIV. accepto pretio ceſſit, annuente matre ſua Arenguarde cum fratribus Saverico & Odone, & fororio ſuo Arnulfo Calderons. Idem in aliis litteris patrem ſuum Gaufridum, Aalim uxorem vocat, filium vero Odonem, qui ei ſucceſſit. Superſtes fuit Radulphus ad annum ſaltem MCLX. mortuus XIV. kal. Februarii, quo die *Radulphus bonae memoriae abbas quartus hujus eccleſiae* obiſſe dicitur. Succeſſor ejus Willelmus *bonae memoriae* abbas poſt annos octo deceſſit XIV. kal. Septembris. De Radulfo abbate quarto, ejuſque ſucceſſoribus vix quidquam obſervatione dignum habetur ante praefecturam venerabilis Petri *Du-Mas*, qui Caſalis-benedicti novam congregationem inſtituit. Hoc vero ordine in domeſtico veteri catalogo recenſentur: *Primus domnus Andreas fundator & adificator hujus eccleſiae, ſecundus domnus Giraudus vir mirae ſimplicitatis, Iſenbertus, Radulphus, Willermus, Arnulphus de ſancto Lupo, Arnulphus de ſancto Benedicto, Rainaldus, Garnerius de Limeris, Petrus Lemovicus, Humbaudus de Caſtellulo, Thomas de Karitato, Stephanus de Condeto decimus-tertius.*

LXXXVI.
Bernardus ſcribere incipit ſermones in Cantica.

Reverſus ad ſuam Claram-vallem ex Aquitania Bernardus, *nactus aliquod quietis tempus*, ut cum Gaufrido loquar, *aliis ſe negotiis occupavit, & ſecedens in caſulam piſcatis torquibus circumſeptam, ſolus meditationibus divinis vacare diſponit. Et repente occurrunt ei in diverſorio humili, quaſi ad Domini praefepo conſiſtenti, amatoriam Cantica, & ſpiritualium ſercula nuptiarum. Multo tempore in harum meditatione rerum animam ſuam effudit; & multipliciter haec exponens, quantum in ſe profecerit; qui in illis quotidie epulabatur deliciis; quantum nobis profuerit, quibus ejuſdem benedictionis reliquias in ſcriptura ſervavit, manifeſtum eſt legentibus eam.* Haecenus Gaufridus, tertius ejus vitae ſcriptor. Ab hoc itaque anno, & quidem a tempore Adventus, vir ſanctus aggreſſus eſt ſcribere aureos illos ſermones in Cantica-canticorum, in quibus totius vitae ſpiritualis arcana patefecit, quae nemo, niſi expertus, tam ſolide & perite explicare poſſit. Hos vero ſermones, numero LXXXV. tametiſi continuis aliquando diebus proſequeretur, non tamen continue, ſed interruptis temporum intervallis compoſuit. Jam ſermones viginti tres abſolverat anno MCXXXVII. & viceſimum quartum delibaverat, cum in Italiam ad componendum ſchiſma ruruſus proficiſci coactus eſt. Illinc reverſus anno ſequenti, intermiſſum opus reſumſit, quatenus ſinebant domeſticarum & eccleſiaſticarum rerum occupationes. Octogefimum ſcribebat poſt concilium Remenſe anno MCXLVIII. praefente Eugenio habitum, in quo damnatus eſt error Gilberti Porretani, prout Bernardus ipſe in eodem ſermone commemorat. Hos porro ſermones ſi non auctore, ſaltem in centore Bernardo priore Portarum compoſuit, ut ex Bernardina epiſtola CLIII. intelligitur. Verum cum ad initium tantum capitis tertii Cantici-canticorum in illa expoſitione perveniſſet, ſicque morte praeventus opus imperſectum reliquiſſet; idem argumentum ab eo loco proſecutus eſt Gillebertus de Hoilandia abbas ejuſdem Ordinis in Anglia, editis ſermonibus XLVIII. ſed nec ipſe opus abſolvit. ſubſtititque in decimo verſu capitis quinti, in haec verba, *Dilectus meus candidus & rubicundus*, reliqua parte illius capitis, & tribus ſequentibus omnino intactis. Res paullo audacior viſa eſt, quod Gillebertus iſtud argumentum tractare voluerit ſecundum Bernardum, quod S. Thomas Aquinas, a fratribus Foſſae novae rogatus, ut ferunt, tentare non auſus ſit: ſed fatendum eſt Gillebertum ad Bernardi ſtilum & ingenium prope acceſſiſſe.

ANN. CHR.
1135.
LXXVII.
Ludovicus rex filio ſuo regnum committit.
a *Ordere. lib. 13. p. 901.*

Inter ea Ludovicus rex Francorum, regni ſui annum viceſimum-octavum agens, alvi profluviſio tabefactus magnopere aegrotabat. Mortis itaque metu de domo rebusque ſuis ſtatuit, & cum Theobaldo Campaniae comite & Radulfo Perronenſi, qui ab eo diſſidebant, concordiam redintegavit. Tum filio ſuo Ludovico-Floro (ſic eum Ordericus^a aliiſque vocant) quem ante triennium regem ab Innocentio Remis coronari fecerat, Galliae regnum commiſit. Regi nihilo minus vita ad tres annos, deſperantibus licet medicis, divinitus protracta eſt.

LXXVIII.
Henrici regis Anglorum obitus.
* Liour.
* *le Vesin.*

Eodem tempore Henricus rex Anglorum, qui tunc in Nortmannia morabatur, VII. kal. Decembris ad caſtrum Leonis ſeu Leonum^{*}, in ſinibus Velocaſſium^{*} poſitum, venationi operam daturus venit: ſed nocte proxima, ob comeſtionem murenarum, quae ſemper ei nocuerat, gravi morbo correptus, primo capellaniſ ſuis reatus ſuos confeſſus eſt: dein Hugonem Rotomagenſem archiepiſcopum, quem primo ex priore de Lewis abbatem Radingenſem, ac demum archiepiſcopum creaverat, ad ſe acceſſit, cum eo de rebus ſpiritualibus & animae ſuae ſalute conſulturus; rebusque diſpoſitis, corpus ſuum Radingas, *ubi cenobium ducentorum monachorum in honore ſanctae & individuae Trinitatis condiderat*, deſerri praecipit. Tandem eccleſiae ſacramentis pie perceptis, kalendis Decembris, dominico die incipiente, anno regni triceſimo-quinto naturae ceſſit. Exſtat apud Willelmum^c Malmesburienſem praeflora de ejus morte epiſtola Hugonis archiepiſcopi Rotomagenſis ad Innocentium papam, quam hic referre ac legere non poenitebit.

b *id. ibid.*c *Willelmus Malmesb. hiſt. nov. lib. 1.*

Domino & patri ſuo Innocentio papa ſervus Hugo Rotomagenſis ſacerdos obedientiae debitum. De domino meo rege, non ſine dolore memorando, pia paternitati veſtra notificandum duximus, quia ſubita praeventus aegritudine nos, miſſis quam-civiliſſime legatis ſuis, aegritudinis ſuae ſolatiis voluit intereſſe. Venimus ad ipſum, & cum ipſo plenum mororibus confeſimus triduum. Prout ei dicebamus, ipſe ore proprio ſua ſatebatur peccata, & manu propria peccus ſuum percutiebat, & malam voluntatem dimittebat. Conſilio Dei & noſtro & epiſcoporum, emendationem vitae ſuae obſervaturum ſeſe promittebat. Sub iſta promiſſione, pro noſtro officio tertio eum, & per triduum abſolvimus. Crucem Domini adoravit, corpus & ſanguinem Domini devote ſuſcepit, eleemoſynam ſuam diſpoſuit, ita dicendo: Solvantur debita mea, reddantur liberationes & ſolidatae, quae debeo; reliqua indigentibus diſtribuantur. Utinam ſic feciſſent, qui theſauros ejus tenebant, & tenent. Tandem illi auctoritatem de unctioe infirmorum, quam eccleſia a beato Jacobo apoſtolo ſuſcepit, ſtudioſe propoſuimus; & ipſius pia petitione oleo ſancto eum inunximus. Sic in pace quievit. Pacem ei Deus det, quia pacem dilexit.

Ordericus unctioem viatico praepoſuit: ſed Hugoni potior fides: tametiſi vix aliud per ea tempora poſtpoſitae viatico unctiois exemplum reperias. Regis corpus, viginti millibus hominum comitantibus, a proceribus Rotomagum delatum, & in majori eccleſia nocte ſervatum: reliquiae interaneorum humatae in ſuburbano beatae Mariae monaſterio de Prato, quod mater ejus inchoaverat, ipſe vero perfeceat. Poſt haec feretrum ejus Cadomum perlatum eſt, & in S. Stephani baſilica, ubi pater ejus jacebat, depoſitum ad quatuor fere hebdomadas, dum opportunum navigio tempus adefset. quo arridente, poſt natale Domini Radingas uſque deportatum, atque in baſilica honorifice humatur.

LXXXIX.
Stephanus in regno ſucceſſit.

Stephanus Boloniensis comes, audita morte avunculi, protinus in Angliam trajecit, & a Londonienſibus & Wintonienſibus in regem acceptus eſt, agente in primis Henrico fratre ſuo Wintonienſi epiſcopo, qui legati apoſtolici munere in Anglia fungebatur, cum Willelmo haec ſcriberet. Sic excluſa fuit Mathildis, Henrici regis filia, Gaufrido Andegavorum comiti nupta, cui pater regnum hereditario jure deſtinaverat, aſſentiente ipſo Stephano, qui poſt Davidem Scottorum regem primus laicorum eidem Mathildi fidem ſuam obſtrinxerat. Coronatus eſt itaque rex Stephanus XI. kal. Januarii, viceſima-ſecunda die poſt exceſſum avunculi, tribus epiſcopis praefentibus, Willelmo Cantuarienſi archiepiſcopo, Wintonienſi & Sareſberienſi epiſcopis, nullis abbatibus, paucis optimatibus. Henrici epitaphium ſcripſit eleganter Arnulphus Lexovienſis epiſcopus his verſibus, quos pro monaſterio beatae Mariae de Prato, vulgo de Bono-nuntio, videtur compoſuiſſe.

*Henrici, cujus celebrat vox publica nomen,
Hoc pro parte jacent membra sepulta loco.
Quem neque viventem capiebat terra, nec unus
Defunctum potuit continuisse locus.
In tria partitur sua jura: quibusque resignat
Partibus, illustrans sic tria regna tribus.
Spiritus calum, cordi cerebroque dicata est
Neustria; quod dederat Anglia, corpus habet.
Hinc patres, animumque trahens, sed forte apud illos
Editus; hic gladium, sceptrum gerebat ibi.
Quem decedentem cum nox extrema Novembris
Solvisset, secuit prima Decembris eum.*

LXXX.
Petrus Venerabilis Adelæ hac de re scribit.
a Petr. Ven.
lib. 1. ep. 15.

Henrici regis obitum ubi accepit Petrus Venerabilis Cluniacensis abbas, eum Adelæ regis forori, uxori quondam Stephani Blefensis comitis, tunc Marciniacensi monachæ, litteris^a significavit, quas hoc loco describere non pigebit.

Venerabili & carissimæ sorori nostræ domnæ Adelæ, Petrus humilis abbas Cluniacensium, salutem & omnem a Domino benedictionem. Quoniam de obitu semper dilecti nostri domini regis Anglorum nihil adhuc dilectioni vestræ mandavimus, causa hæc fuit, quoniam & multum mæror, quo nondum nos expedire possumus, hoc prohibuit, & tanta calamitatis nos primos relatores esse non immerito piguit. Verum, quia si quid scimus, vos scire placuit; noveritis nihil nos aliud adhuc noscere potuisse, quam per octo dies in quadam villa juxta Rotomagum lecto eum decubuisse; domnum Rotomagensis archiepiscopum ei assidue adhæsisse; munitum ab eo omnibus ecclesiasticis sacramentis, in optima penitentia & fideli confessione quarto nonas Decembris de seculo migrasse. Corpus ejus, sicut disposuerat, Rotomagum delatum, & inde a Roberto comite filio suo, apud Radingas tumulandum, Angliam versus deportatum est. Normannia tota civilibus & externis jam bellis fremit. De statu regni transmarini nihil adhuc certi audivimus. nam qui nobis hæc retulerunt, citissime a Normannia auferunt. Misimus tamen jam cursores duos, unum domno Rotomagensi, alium domno Wintoniensi, qui festinanter, quidquid de eis & ab eis cognoverint, nobis in proximo renuntient. Pro regis defuncti æterna salute tanta constituimus, quanta numquam Cluniaci pro alio constituta sunt. Quid vos pro eo agere debeatis, superfluum est, ut nobis videatur, mandare.

Hæc tenus Petri Venerabilis epistola, cui dies regis obitus male relatus fuerat, quem ex Orderico, Willemo, aliisque constat, kalendis Decembris decessisse. Ex hac porro epistola intelligitur, Adelam ad finem hujus anni pervenisse: at quamdiu supervixerit, nobis haud liquet. *Laudabiliter ibidem, Marciniaci, usque ad finem perseverasse scribit Guillelmus Gemeticensis, quam prius Blefensem comitissam, humilem Christi ancillam laudat idem Petrus lib. 1. Miraculorum cap. xxvi. Certe jam ante quam Marciniacum secederet, monachorum amatissima dicitur in quadam charta pro Majori-monasterio. Ei jam a sæculo conversæ haud semel litteris congratulatus est Hildebertus Cenomannensis antistes.*

LXXXI.
Ælredus sit Rievallis monachus.
b V. lib. 75. n.
137.

Sub id tempus Ælredus, nobilis Anglus, in aula David Scottorum regis educatus, eidemque acceptissimus, sæculo relicto ad Rievallense^b monasterium se contulit, ubi processu temporis adeptus est illius monasterii præfecturam, cujus originem in libello de bello Standardii refert. Idem initio libri de genealogia regum Anglorum, relato sancti Davidis Scottorum regis obitu, singularia ejus in se beneficia cum debita animi significatione commemorat. Denique quanta cum difficultate & animi pugna ad conversionem venerit, ipse explicat in libro 1. Speculi, ubi se in sæculo nihil aliud, quam laborem, dolorem & afflictionem spiritus invenisse dicit. Tum Deum alloquens: *Clamasti, inquit, Domine, clamasti, vocasti, terruisti, rupisti, surditatem meam percussisti, verberasti, vicisti duritiam meam, obdulsisti, sapuisti, prodidisti amaritudinem meam. Audivi, sed, heu sero! clamantem, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, &c. Displicebam ipse mihi, quia tu placebas. Volebam fugere a me, & fugere a te; sed retinebar in me. Sed tandem cepti conjicere, quantum in expertus potui, immo quantum tu dedisti, quanta in tui dilectione jucunditas, quanta cum jucunditate tranquillitas, quanta cum tranquillitate secu-*

ritas. Itaque ruptis sæculi & sæcularis amicitiae, quibus ligatus tenebatur, vinculis, ad Rievallenses se recepit in eorum societate experturus, quod jam ante unctione magistra prægestaverat. Illic divinæ contemplationi se totum dedisse dicitur, sed non sic tamen ut sacrarum litterarum, immo nec aliarum scientiarum studium neglexerit. Id probant tum spiritualia ejus opera, quæ separatim & in Bibliotheca Patrum edita sunt: tum historica lucubrationes de genealogia regum Anglorum, liber de vita S. Edwardi regis & confessoris, Laurentio Westmonasterii abbati dicatus, aliaque scriptiones, quas in collectione decem Scriptorum Anglorum videre licet. Ælredo abbati Alexander III. privilegium^a concessit anno MCLX. Liber de ejus vita exstat auctore anonymo, qui ejus obitum anno MCLXVI. contigisse tradit.

In libro 1. Speculi Ælredus refert admirabilem conversionem & mortem cujusdam nobilis adolescentis, qui laboriosum iter, ut Rievallens secederet, absque viatico aggressus, solis herbis tenera membra refecerat, audito, quod servi Christi illic herbis vescerentur. In illius amicitiam apud Rievallens se insinuavit Ælredus, & ad ejus mores ipse suos componere studebat. *Simul quidem, inquit, loqui Ordinis nostri prohibebat auctoritas: sed loquebatur mihi aspectus ejus, loquebatur mihi incessus ejus, loquebatur mihi ipsum silentium ejus. Aspectus pudicus, maturus incessus; gravitas in sermone, silentium sine amaritudine.* Denique Ælredo omnia unus Simon erat, *filius ætate, pater sanctitate, amicus caritate.* Hinc ejus mortem amarissime luget. Plura de eo Ælredus, in quibus religiosa amicitiae specimen videre licet absque dispendio silentii & regularis disciplina.

Ælredo in rerum divinarum contemplatione prævit Rupertus Tuitiensis abbas, quo nemo per id tempus divinis libris meditandis & cum fructu commentandis magis addictus fuit, ut ejus opera restantur. Hic postquam annos quindecim^b Tuitiense monasterium administrasset, pie ac sancte, uti vixerat, decessit IV. nonas Martias, annorum numero non magis, quam meritis gravis. Is in libro XII. in Matthæum non semel ait sibi divinitus prædictum fuisse, quod adhuc octo annos victurus esset; sic enim ille^c scribit. *Maximæ autem dilectionis & fidei est, non patienter vivere in hoc sæculo pleno peccatis; & voluntatem sequi Creatoris cuncta bene disponentis; dum non cito exauditur cupiens dissolvi, desiderans ab ista valle lacrymarum migrare ad gaudium visionis Dei. Igitur condonavi quidem, verumtamen inter cetera, pro quibus adjurasti, pater mi, narabo, quomodo de pena mea riserit, tandemque me consolatus sit. Vir quidam venerando habitu stare visus est, meque intuens familiariter, Adhuc, inquit, octo annos victurus es. Hic Cunonem intelligit Ratifponensem episcopum, a quo se adjuratum fuisse dicit, ut visiones suas scriptis mandaret. Pergit Rupertus: *Cum quasi ludibundum hæc eum dixisse putarem, scilicet senem illum, eundem sermonem repetens: Verum, ait, loquor: adhuc octo annos victurus es. Nox erat illa solemnis & festiva beati Matthæi apostoli, cujus super Evangelii fundamentum ut præsens opus construerem tu exegisti, opus de gloria & honore Filii-hominis. Cum sanctas manus ejus osculari vellem, non admisti; & ab hoc depulsus evigilavi. Quid putas, quomodo subsequentes, & dies, & menses, & annos enumeravi mihi? Sic enim acceperam, & sic eum dixisse volebam, ac si omnino determinasset, atque ita dixisset: Octo annos, & non plus victurus es: Non attendebam, neque attendere volebam præ nimia desiderantis animi festinatione, posse aliquid subesse in quo errarem, salva visionis veritate: neque recogitabam de Cassio Narniensi episcopo, cui a Domino per ejus presbyterum, ut refert beatus papa Gregorius, hoc demandatum est: Age quod agis... natali Apostolorum venies ad me, & retribuam mercedem tuam. Tunc vero Apostolorum natalitius dies imminabat. quod de proximo die interpretatus beatus Cassius, non nisi tamen septimo post anno, ipso die mortuus est. Similiter ego ut ille, inquit Rupertus, sensu sive intellectu properantior fui, quam haberet ipse sermo visionis, quia, sicut illi, non totum hoc dictum est, natalitio die Apostolorum præsentis anni venies ad me: sic nec mihi dictum fuerat, quod statim completis octo annis deberem hanc vitam finire. Verum, cum octavus annus jam volvi coepisset, tunc demum Spiritu-sancto docente intellexit, prædictam visionem, non de sua ipsius morte interpretandam esse, sed de inundatione Spiritus-sancti, quæ in ejus animam infusa est, ut ipse fuse explicat. Et quidem decem circiter annos supervixit Cunoni episcopo, cui suos illos in Matthæum commentarios dicavit. Honorius Augustodunensis ultimo capitulo sui libri de Scriptoribus ecclesiasticis Ru-**

a Monast. Anglic. to. 1. p. 731.

LXXXII.
Simonis monachi mira conversio.

LXXXIII.
Rupertus abbas obitus an ei prædictus.
b P. lib. 73. n. 119.

c Rupert. to. 2. p. 113. col. 2.

ANN. CHR.
1135.
LXXXIV.
Ab errore vindicatur.

pertum nostrum laudat his verbis: *Rupertus Tuitiensis monasterii abbas, a Spiritu sancto per visionem illuminatus, totam pene scripturam egregio stilo exposuit.*

Cum itaque multa scripserit Rupertus, non mirum est, si hominum censuram non effugerit: sed mirum, quod tam facile a quibusdam catholicis traducatur, quasi de sanctissimo eucharistia sacramento male senserit. Quatuor ipsi super hoc errores a nonnullis tribuuntur. Primus est in eucharistia non esse nisi umbram & figuram corporis & sanguinis Domini, quem errorem Wiclefus auctori librorum de divinis Officiis, id est Ruperto, affingit. Secundus, verum Christi corpus non nisi a dignis & fidem habentibus vere sumi. qui error Ruperto a Bellarmino tribuitur. Tertius, eidem ab eodem Bellarmino aliisque imputatus, error est Lutheranorum, panis scilicet ac vini substantiam post consecrationem cum Christi corpore & sanguine superesse. Quartus denique est, panem & vinum Verbo hypostatice uniri, huiusque unionis virtute unum fieri corpus cum corpore Domini, quem errorem Ruperto proprium esse Bellarminus opinatur. Hos omnes errores tam solide & efficaciter a Ruperto depulit noster Gerberonius in Apologia pro Ruperto, ut actum agere viderer, si dedita opera hoc argumentum retractare vellem. Sed tamen ne id omnino intactum relinquere videar, selectiora quaedam Ruperti loca singulis erroribus opponere non superfluum duxi.

Principio fatendum est, ipso statim tempore, quo Ruperti libri de divinis Officiis in publicum prodierunt, quaedam in illis non omnino probata fuisse. Argumento est Guillelmi S. Theodorici abbatis epistola^a ad ipsum Rupertum, in qua ait, videri sibi videre in facie pulcri operis *navum unum, qui est inter nos*, inquit, *interim benevola quadam dissimulatione tegatur, vel coloretur; si opus hoc exierit in manus eorum, qui carpere amant aliorum etiam bene dicta; futurum est in signum, cui a multis contradicetur.* Hic autem *navus* est, quod *vita spiritualis*^b sic esse dicatur in corpore sacrificii absque ejus *vita animali*; quemodo *lux solis absque calore ejus in corpore lunæ*. Ubi explicari cupit Guillelmus, quod dicitur de corpore sacrificii, ne *Verbum* in eucharistia impanatum cenear. quippe in *mensa altaris*, inquit, *solum adest corpus Domini*, in quod *vere mutata est vera panis substantia*, sola remanente specie visibili. *Nam panis substantiam post dominici corporis consecrationem in aliam superesse, semper abhorruit pietas christiana; nuperque damnavit in Berengario Turonensi, ejusque sequacibus. Nam, si hoc admitteretur; jam Verbum non incarnatum tantum, sed etiam, si dici posset, diceretur impanatum, si, sicut ille dicebat, panis sic in corpus Domini transiret, ut tamen panis esse non desineret.* Observandus hic Guillelmi locus, ubi hanc ait Berengarii fuisse mentem, *panem sic in corpus Domini transire, ut tamen panis esse non desineret.* adeoque in ejus sententia, *Verbum non incarnatum tantum*, sed etiam dici posse *impanatum*. quod etiam de Berengario sensisse non paucos, qui ejus sensa penitus introspexerant, Guitmundus testatur. Itaque ad amoliendam a Ruperto figuræ & impanationis in eucharistia suspicionem satis esset ostendere, ipsum abhorruisse, quod non semel fecit, a Berengarii damnato errore. Post hæc subdit Guillelmus: *Corpus igitur sacrificii non aliud intelligo, quam quod mortuum est & resurrexit: quod non corpus sacrificii; sed, sicut vere est, appellatur corpus Domini.* Denique ita concludit: *Ecce hoc est quod in opere vestro me offendit, & nonnullos fratrum nostrorum. tum assert alium ejusdem Ruperti locum in eadem sententiam. Quapropter qui visibilem panem sacrificii comedit, & invisibilem a corde suo non credendo repellit; Christum occidit, qui vitam a vivificato sejungit, & dentibus suis mortuum laniat corpus sacrificii: ac per hoc reus est corporis & sanguinis Domini.* Hæc & similia loca sine dubio sunt ea, quæ concipiendæ de Ruperto sinistra circa eucharistiam opinionis occasionem præbuerunt.

Verum quamquam novos & insolitos ejusmodi modos loquendi merito non probat Guillelmus; sic tamen locutus videtur Rupertus more quorundam veterum catholicorum, qui corpus Christi in eucharistia, quod Rupertus Corpus sacrificii vocat, a Christi corpore naturali quodam modo distinguebant, ita ut idem esse dicerent, & non idem: idem re, natura, & essentia: sed non idem existendi modo & exteriori specie. Similiter cum ait Rupertus, quod is, *qui visibilem panem sacrificii comedit, & invisibilem a corde suo non credendo repellit, Christum occidit, qui vitam a vivificato sejungit*: non sic intelligendus est, quasi vere Christi corpus non accipiat, sed quod rem sacramenti ab effectu sejungat.

^a Bibl. Cist. 10.
4. p. 130.

^b Rupert. lib.
12. de divinis
officiis.

Atque ut ex ipsis Ruperti libris, qui ejus insimulandi occasionem præbuere, fides ejus comprobetur, unicum e pluribus locum afferro ex libri I. capite XVII. ubi veritatem a figura distinguens, ait; *Quod in veteri testamento promissum, præsignatum, & a longe salutatum; in novo autem datum & palam est factum: hic præsentialiter exhibetur, NON IN UMBRA, SED IN VERITATE; NON IN FIGURA, SED IN RE.* quod quidem præstitit Christus Dominus, *quando ferebatur in manibus suis, tenens panem, vinum, & dicens: HOC EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS.* Unde libro VI. in Johannem invictissime probat, sub panis & vini visibili specie illam ipsam esse Christi carnem, quæ in cruce pependit, illum ipsum esse sanguinem, qui in cruce effusus est, hoc operante verbo, quo dixit, *Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus.* Hinc in epistola ad Cunonem, his in Johannem commentariis præfixa, diserte refellit Berengarii errorem, tum subdit. *Ego autem verum corpus Christi, quod pro nobis traditum est; & verum esse decerto sanguinem, qui pro nobis effusus est, sicut ecclesia catholica tenet.* Quid expressius ad asserendam Ruperti fidem de reali Christi præsentia in eucharistia dici potest?

Ab altero errore, quo Christi corpus ab indignis & non credentibus vere non suscipi dicitur; non minus clare & evidenter se purgat libro VI. in Johannem, his verbis: *Non nemo indigne manducare potest: sed nemo indigne manducare debet.* quod quidem sic probat. *Panis namque semel consecratus, numquam postea virtutem sanctificationis amittit, aut Christi caro esse desinit: sed non prodest quidquam indigno, cujus fides sine operibus mortua est.* Quid ad hæc, aliaque a nostro Gerberonio allata, afferent Ruperti indiscreti censores.

Contra tertium, scilicet impanationis, errorem non minus aperta est ejusdem auctoris sententia, maxime libro VI. in Johannem, ubi panem & vinum in Christi corpus & sanguinem *verti, converti, transferri, transmutari*, passim asserit sola panis & vini specie remanente. Hinc capite VII. libri I. in Exodum *Species*, inquit, *utæque panis & vini de terra sumuntur: sed accedens substantiarum ac specierum creator Deus, non superficie tenus inducit, sed efficaciter hæc in carnem & sanguinem ejus convertit, permanente licet specie exteriori.* quibus aliisque verbis nihil expressius ad fidem suam declarandam protulere catholici scriptores, antequam *transubstantiationis* vocabulum inventum esset. Certe non aliis verbis suam fidem explicavit Paschasius-Radbertus, quem nemo dubitat recte de transubstantiatione sensisse: immo nec catholici auctores Lanfrancus, Durandus Troarnensis abbas, Guitmundus, alique, qui primi contra Berengarii errorem scripsere. Non distitit tamen quaedam esse apud Rupertum loca, quæ quiddam paullo diversum præ se ferant. Verum in exponendis catholici scriptoris sententiis hæc æquitatis tenenda regula est, ut quæ duriuscula, aut minus clara videntur, aliis clarioribus & magis expressis explicentur, maxime ubi ab hæreticorum proposito errore se abhorreere testantur, eandemque se tenere sententiam, quam catholica tenet ecclesia, uti deserte Rupertus non semel profiteretur, cujus pietas uti & doctrina, a Friderico archiepiscopo Colonienfi, Cunone Ratisponensi episcopo, & ab Honorio summo pontifice probata, de ejus candore & ingenuitate non sinit nos dubitare.

Ex his consequens est, eum longe abfuisse a quarto illo errore, qui ipsi affingitur, panem scilicet ac vinum in eucharistia Verbo hypostatice uniri. Si enim utriusque substantia in corpus & sanguinem Christi, ut mox vidimus, ex sententia Ruperti vere convertitur & transmutatur: neutra certe substantia, siquidem non superest, Verbo hypostatice uniri dici potest. Nisi dixeris, Verbum hypostatice uniri substantiæ panis & vini, non jam in sua natura persistenti, sed in Christi corpus & sanguinem conversæ & transmutatæ, id est absolute corpori & sanguini Domini, quod a catholica fide abhorreere nemo dixerit. Jam vero ubi Rupertus ait, quod *unitas Verbi unum efficit corpus Christi, ut illud, quod tunc in cruce pependit; & illud, quod nunc ecclesie fides ore sacro conficit, unum corpus sit, una caro & unus sanguis sit*; eodem modo loquitur, quo sanctus Johannes Damascenus, Remigius Autisiodorensis pluresque alii patres, eodemque modo explicandus est: adeo ut nihil aliud velle censeatur, quam demonstrare corporis illius, quod in cruce pependit, & illius, quod in altari conficitur, mediante Verbo, individuam unitatem.

Superest unus scrupulus hoc loco eximendus: an scilicet Rupertus, ut putat Bellarminus, is esse censendus sit, quem acriter refellit Algerus, uti novæ hæresis au-

ANN. CHR.
1135.

^a Alger. lib. 1.
2. 6.

ANN. CHR.
1135.

ctorem, qua asseritur, *Christum ita personaliter in pane impanatum, sicut in carne humana personaliter incarnatum Deum. quæ hæresis, inquit Algerus, quia nova est, rationibus & auctoritatibus, prout Deus aspiraverit, radicitus est extirpanda.* Verum hæc Rupertum non spectant: tum quia forte necdum libros de divinis officiis scripserat, certe necdum errores, si qui fuissent in illis contenti, disseminati esse poterant, cum Algerus libros suos de corpore & sanguine Domini composuit; tum quia relata ab Algero novorum illorum hæreticorum argumenta a Ruperto non afferuntur, ubi agit de sanctissimo eucharistiæ sacramento, ut Gerberonius demonstravit. Ad primum quod attinet, certum est Algerum, jam multum ætate pro-
a 7. lib. 73. n. 146.
b Guitmund. lib. 1.

ductum, anno MCXXI. Cluniacum a se recepisse, cum longe ante libros de eucharistia composuisset: Rupertum vero anno MCXI. scripsisse libros de divinis officiis, in quibus primum de eodem argumento agere coepit. Necdum ergo ejus errores, si qui eis inessent, Algero noti esse poterant; aut certe in apertam hæresim & sectam prorupisse poterant, qualis erat illa, quam Algerus refellit. Quinam ergo illi hæretici? Vix dubitem quin fuerint Berengariani, quorum nonnulli, teste Guitmundo, *rectis ecclesiæ rationibus cedentes, nec tamen a stultitia recedentes, ut quasi aliquo modo nobiscum esse videantur, dicant ibi corpus & sanguinem Domini re vera, sed latentem contineri, & ut sumi possint, quodam modo, ut ita dixerim, impanari. Et hanc ipsius Berengarii subtiliorem sententiam aiunt.* Ita certe de Berengario sensit Guillelmus S. Theoderici abbas, ut paullo ante vidimus. Vix dubitem, inquam, novos illos hæreticos eos esse, quos Algerus loco mox allato refellit. Sed hæc satis pro nostro proposito ad purgandum Rupertum, cujus doctrina suo tempore non ab ullo episcopo, tamen multis communicati sint ipsius libri; non ab ipso summo pontifice Honorio, cui libros de glorificatione Trinitatis & processione Spiritus-sancti cum catalogo suorum operum direxit, non ab Innocentio II. ejusve successoribus ut suspeta notata est.

LXXXV. Post discessum Willelmi S. Theoderici abbatis Signiacum, fere biennio expectatum est, si forte ad suos rediret, priusquam de successore eligendo ageretur. At, cum in proposito persisteret, tandem in ejus locum successus est hoc anno Hellinus seu Heslinus, ut vetera monumenta probant. Unum est Rainaldi Remorum archiepiscopi, qui monasterio sancti Nicasii lubens confirmavit *quasdam res, quas venerabilis frater noster, inquit, Joannes abbas beati Nicasii, vir pro sanctitatis merito omnibus bonis imitabilis, suo monasterio ad sustentationem fratrum Deo ibidem famulantium, partim emtione, partim dono acquisiverat.* Actum Remis hoc anno, indictione XIII. archiepiscopatus Rainaldi anno XI. His litteris post Odonem S. Remigii, & Ingelramnum S. Petri Altrivillarensis abbatem, apponitur *signum Hellini abbatis S. Theoderici*, deinde Ursionis abbatis S. Dionysii, tamen hic ordinatione longe antiquior esset. Hellinus ex priore S. Amandi in Pabula ad regendam S. Theoderici abbatiam postulatus est. Multas subinde lites habuit, uti & ejus antecessores, super aqua Vidulæ cum Gerardo Roceiensis comite, qui a Bartholomæo Laudunensi episcopo diris suppositus, tandem culpam agnovit, & S. Theoderico fecit satis. Eidem Hellino Rainaldus archiepiscopus altare de Puteolis * anno MCXXXVIII. in subsidium pauperum & peregrinorum contulit. Huic chartæ apposita sunt signa Josleni Suesficnum episcopi & Alvisi Atrebatensis; tum Odonis abbatis S. Remigii, Ingulranni seu Ingelranni Altrivillarensis, Richardi Mosomensis, Hiflini S. Theoderici, Albrici S. Basoli, Ursionis S. Dionysii, & Fulconis Sparnacensis. quorum duo postremi abbates sunt canonicorum regularium S. Augustini. Eodem anno Simon Tornacensium & Noviomensium episcopus eidem Hellino, quem Helluinum vocat, altare de Dotennis cum suis adjunctis sub omnimoda libertate attribuit. Post canonicos adscripta sunt signa Abfalonis abbatis S. Amandi, Gualteri S. Martini, Otgeri S. Medardi & Theoderici S. Eligii Noviomensis abbatum. Plura de Hellino inferius.

LXXXVI. Ad hoc institutum fuere quondam in monasteriis advocati, ut ea protegerent, & eorum lites & causas prosequerentur. Verum, quod bono consilio inceptum est, postmodum in perniciem vertit. nam nullas fere graviore & frequentiores lites & vexationes sustinere monasteria, quam ab ipsis advocatis, qui eas compescere & reprimere debuerant. Hujus rei exemplum occurrit nobis in monasterio sancti Michaelis, ubi non semel agitata controversia de jure advocati in villa Condato, quam tandem

ANN. CHR.
1135.

tandem Raynaudus Tullenis comes, consilio illustrium virorum composuit in hunc modum. *In cunctis locis, quorum advocatiam advocatus tenet, quidquid abbas & præpositus suus per se & per familiam suam atque ministeriales suos emendare potuerit, nihil ad advocatum attinebit. Si vero causa fortitudine egerit, abbas nullam externam vim, nisi advocatum, se ire velit, ad discutiendum conducet. Si autem clamor exoritur, qui necesse sit ut duello diffiniatur; abbas vel præpositus suus cum ministerialibus ecclesiæ totum placitum sine advocato deducet, fidejussores pro summa duelli persolvenda suscipiet: ad extremum, si ad concordiam rusticos revocare non poterit, advocato renuntiabit ut veniat, & eos ad duellum deducat; & sic tertiam partem summæ & disstrictum suum accipiat, id est duos nummos.* Multa alia prætereo, quæ in Appendice legi possunt, ubi integræ comitis litteræ relatæ sunt ad mores illius temporis illustrandos.

Virdunensi S. Mauri parthenoni tunc præerat Ida abbatissa, cui Adelbero Virdunensis episcopus, hoc anno moletrinam in suburbio juxta ecclesiam sanctæ Crucis donavit. His litteris subscribere Laurentius S. Vitoni, Robertus S. Mauricii seu Belli-loci, Richardus S. Agerici & Rogerus S. Pauli abbates. Rogero S. Pauli abbate translatum est S. Pauli monasterium ad Præmonstratenfes, ut inferius dicturi sumus. Idæ abbatissæ, haud scio an proxime, successit Elizabeth abbatissa, quæ locum rexit fere ad finem illius sæculi: cui altera Elizabeth procedente saculo sequenti successit, quo desinente altera Ida abbatissæ officioungebatur. Tempore prioris Idæ abbatissæ id oneris sanctimonialibus impositum erat, ut *lobiam* seu facticiam porticum redeunte festo nativitate beatæ Mariæ construerent episcopi ministerialibus, ut sub ea justitiam exercerent. At Henricus episcopus agnoscens id illis sanctimonialibus grave & molestum esse, Idæ abbatissæ gratia id oneris sic levat; ut, in ceteris manente ministerialium jure, *pro mutanda & delenda lobia*, domus fieret mansura, in qua ministeriales suo tempore justitiam tenerent. His minutis subinde immorari cogor defectu rerum meliorum, ne locorum incolæ sua monasteria a nobis prætermissa, aut insuper habita conquerantur.

In chronico Saxonico Lodewicus seu Lodovicus Augiensis abbas in ecclesia occisus fuisse dicitur a suis ministerialibus per insidias, ut tum vulgabatur, Othelrici, Friderici comitis, de Zolre fratris, qui ei successit; sed ipse eodem anno veneno interiit, justo male partæ præfecturæ supplicio.

Ex eodem chronico ad hunc annum, congregatio sanctimonialium canonicarum in Luttera a Lothario imperatore in regularem vitam S. Benedicti commutatur, & Eberhardus de monasterio sancti Johannis-Baptistæ illuc cum monachis missus, primus ibi ordinatur abbas. Eodem anno ab imperatore & imperatrice novum monasterium a fundamentis inchoatum. Id explicat Trithemius in chronico Hirsaugiensi, ubi ait, monasterium illud in dioecesi Halberstadeni pro sanctimonialibus nostri Ordinis a quodam comite ante multos annos conditum, ejusque filiam eidem loco primam abbatissam præpositam fuisse. Verum sanctimonialibus a recto tramite prolapsis substitutos ab imperatore Lothario monachos e cœnobio Bergensi prope Magdeburgum sub Everhardo abbate: quo ex tempore monasterium Luttera dictum sit a novo conditore Lotharii monasterium.*

[Inter factas Herbipolensi S. Stephani cœnobio donationes, ab erudito Friderico Schannatio vulgatas, a duæ extant ad hunc annum pertinentes: una, qua Gozwinus & Jutha conjuges vineam pro impetranda delictorum venia & pro filii Richalmi animæ salute ad altare S. Petri & S. Stephani ea conditione tradunt, ut dum hac luce fruuntur in Anniversario ejus xxx. similes xv. nummorum pretio comparatas, & quinque vini metretas fratribus persolvant. *Acta sunt hæc anno Domini MCXXXV. indictione XIII.* Altera, qua Wolvold quamdam vineam suam ad pedes apostolorum Petri & Pauli & S. Stephani offert pro delictorum expiatione, hac passionis conditione, ut urnam vini dimidiam in festo S. Martini fratribus illic Deo militantibus impendat. *Facta est hæc iraditio anno Domini MCXXXV.*]

[Est autem cœnobium S. Stephani in suburbio civitatis Herbipoli situm, ab Heinricho episcopo ad canonicorum collegium fundatum. Eo defuncto, & canonicis in civitatem translatis, Adelbero ejus in sede Herbipolensi successor, volens ecclesiam hæcenus celebrem divinis celebriorem servitiis reddere, triginta fratres monachicæ professionis ibidem instituit, constituens ut ulterius ibi monachica conversatio & monastica professio sub abbatis regimine semper in divino permaneat famulatu. Ad fundationis

Annal. Bened. Tom. VI.

L I

LXXXVII.
S. Mauri abbatissa & abbates Virdunenses.LXXXVIII.
Res Germanicæ.* Konigstern.
LXXXIX.
Monasterium S. Stephani Herbipolensis.
a Vind. litt. to. I. p. 76.

Ejus fundatio.

ANN. CHR. 1135. supplementum præter ea quæ eidem loco Henricus episcopus donaverat prædia; novem mansos in villa *Hettingesfelt*, quos hæreditario jure possederat, monachis assignavit; quæ omnia videre licet in charta foundationis in Appendice. *Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis MLVII. indictione XV. nonis Martii, regnante domino Henrico IV. anno ordinationis Adelberonis episcopi XII.* Post aliquot annos Emehardus Herbipolensis præsul, volens abbatiam S. Stephani relevare, *nostrosque confratres*, inquit, *Jesu-Christi pauperes, inopes, egenes, fame, siti, & nuditate afflictos, inibi degentes consolari, parochiam Hocheim cum omnibus pertinentiis illis attribuit, ut prædictis confratribus nostris, in præfata ecclesia consistentibus in subsidium & stipendium temporalis vitæ perpetualiter subserviat, quorum numerus hac beatissima ope sufful-tus in ordine monastico crescat & conversatione religiosa florescat.* Veratque ne in prædicta parochia abbas constituat advocatum, qui, ut solent, *ejus bona velut ventus exurens excedat, devoret, & absumat, populumque angaria & proangaria, millenisque precariis insatiabiliter atterat & opprimat.* Sed ipse abbas justitiam, si opus est exerceat. Præterea pauperum xenodochium infra muros monasterii construendum fundavit, fundosque illi assignavit, cura illius abbati commissa. *Acta anno dominicæ incarnationis MCXVII. Henrico IV. regnante, indictione VII.]*

XC.

Casini ingentes turbæ a Lothario cancellario excitatæ.
a Chron. Casin. lib. 4. c. 97. & seqq.
b V. lib. 75. n. 2. & 3.

Hoc anno Lotharius Imperator, collecto immenso exercitu, una cum Richisa imperatrice Italiam ingressus dicitur apud Petrum a diaconum, quod Peregrinus ad annum sequentem rectius refert. Lothario suspectus erat Seniorectus Casinensis abbas, qui Anacleto^b favere videbatur. Hinc Guarino imperatoris cancellario injunctum ut abbatem ad se adducat. Guarinus vero Canzolino Capuæ præfecto mandat ut abbatem specie habendi cum baronibus consilii, Capuam accersat, & venientem comprehendat. Abbas infirmitate se impediri respondit. Iterato mandato, iterata excusatio. Tum cancellarius, adjuncto sibi Canzolino & electo Aquinensi, qui abbati infensus erat, Casinum adit, & in opido S. Germani se sistit. Justus eo descendere abbas, abnuit, infirmitatem causatus. Montem demum subit cum suis cancellarius, & ut monasterium ipsi cedatur imperat, tribus tantum aut quatuor fratribus dimissis ad divinum officium peragendum. Abbas id se facturum constanter negat. quod fratres habito consilio confirmant, pro loci defensione vel propriæ vitæ dispendio tueri se paratos esse contestati. Post multa, ubi obfirmatos in hac sententia abbatis & fratrum animos vidit cancellarius, sexcentis in eos jactis conviciis, e monasterio ad S. Germani opidum discessit, omnibus extrema quæque ac sacri loci ruinam comminatus. His minis exterriti fratres, duodecim e senioribus deputant, qui excalceatis pedibus cancellarium supplices adeant, si quo modo eum flectant, ut saltem spatium convocandi fratres, qui in cellis erant, sibi concedat, ut habito cum illis consilio, congruum ei responsum dare possent. Interim ceteri fratres ad supplicationes & preces effusi, cum cruce & sacris reliquiis monasterium & oratoria ejulantes circumveant. Ubi vero duodecim illi seniores ad locum, ubi olim sanctus pater Benedictus & Scholastica conveniebant, processissent, eis occurrens decanus, qui a cancellario revertebatur, eis auctor fuit ut redirent, asserens cancellarium ex hoc magis ad iram provocatum iri. Post preces Landulfus de sancto Johanne in auxilium a fratribus advocatur. quod ubi rescivit cancellarius, Minianum perrexit, ubi morbo correptus, notario litteras scribere præcepit, quibus omnes, qui in regno Rogerii erant, ad expugnandum Casinense monasterium convocarentur. quod cum ille exsequi parat, subita morte interiit; cancellarius quoque non multo post Salerni vita decessit. In his perturbationibus & angustiis, quia fratres silentium ad regulæ præscriptum servare non potuerant, decreverunt, ut triduo psalterium post completorium recitarent. Insuper abbas in capitulo de suis in regulam erratis veniam petiit, idemque fratres præstitere, quibus abbas indulgentiam impertiit. Utinam ad hanc normam silentii nostri religionem componeremus.

c Chron. lib. 4. c. 1.

d ibid. c. 100.

Guarini cancellarii mors Salerni contigit *septimo-decimo die, postquam huc, ait Petrus, id est ad Casinense monasterium, in vigintiis epiphaniæ pervenerat, & quidem anno MCXXXV.* Sed non bene cum hoc calculo convenit id, quod paullo ante d scribit idem auctor, certe parum accuratus, Landulfum de sancto Johanne à Seniorecto abbate auxilio accersitum, ejusque milites, factis ex utraque parte sacramentis, in monasterium inductos fuisse *tertia die post festivitatem epiphaniæ, feria sexta.* Prædicto quippe anno MCXXXV. qui littera F præditus erat, epiphania in diem do-

minicam incidebat. adeoque feria tertia post epiphaniam feriæ tertiæ, non sextæ conveniebat. Confimilis ejusdem auctoris error est in designando die obitus Seniorecti abbatis, ut suo loco videbimus.

IN chronico Saxonico ad annum insequentem MCXXXVI. Lotharius imperator, natali Domini Spiræ celebrato, Aquisgrani pascha peregrisse dicitur, pentecosten Merseburgi, natalitia apostolorum Petri & Pauli Goslaræ, ubi Anselmus Havelbergensis episcopus ex legatione Constantinopolitana reversus, eum adierit. Dein assumptionem beatæ Mariæ Wirziburgi celebravit; indeque iter suum in partem Italiæ direxisse traditur. Hucusque chronicum Saxonicum a Leibnitio editum: at nostrum varias insuper cæsaris in Italia expeditiones commemorat, quas singillatim recensere nostri non est instituti: tandemque hoc anno Parmæ substitisse dicitur, cujus cives illum devote susceperunt, ob idque castrum quoddam & præsidium contra Cremonenses illorum adversarios eis concessit. In illa expeditione Lotharium comitati perhibentur Bruno Colonienfis, Adalbero Trevirensis, Conradus Magdeburgensis archiepiscopi cum multis aliis episcopis & abbatibus.

In castro Bassani versabatur hoc anno imperator, cum ipsum adit Ogerius Venerabilis abbas ecclesiarum sanctorum Hilarii & Benedicti *de partibus Venetiæ in finibus Rivoaltensium juxta flumen Unæ*; & ab eo confirmationem omnium sui monasterii possessionum adeptus est. Hoc præceptum Erphurdus vice Brunonis archicancellarii recognovit, datum hoc anno, indictione XIII. regni Lotharii undecimo, imperii quarto. *Actum apud castrum sancti Bassani*, aliis castrum Bassani, * quod celebre opidum est agri Vicentini, ad Maduacum * fluvium, tredecim passuum millibus Vicentia distans versus boream. Hoc diploma mihi pro sua humanitate communicavit clarissimus abbas Justus Fontaninus. Prædictum monasterium sanctorum Hilarii & Benedicti, situm in insula Rivi-alti prope Venetias, aliquando vocatur sanctorum Hilarii, Georgii, & Benedicti, cujus loci abbas Hilarius^a ad Corphiensem archiepiscopatum anno MCCCCIX. promotus est. Porro apud Bassanum modo memoratum olim erat abbatia S. Fortunati, quæ a Martino V. congregationi S. Justinæ unita, ordine tertia, postmodum extincta fuit, ejusque bona S. Justinæ monasterio unita.

Non prætermittenda hic occasio agendi de Anselmo Havelbergensi episcopo, quem ex legatione Constantinopolitana hoc anno reversum fuisse ex chronico Saxonico modo referebamus. Havelburgum urbs est episcopalis sub archiepiscopo Magdeburgensi in ducatu Brandeburgico, quam Otto^c Babenbergensis antistes, adeundo secundo Pomeraniam, petiisse memoratur. quæ urbs tunc paganorum incursionibus ita destructa erat, ut christiani nominis vix tenues in ea reliquiæ remanserint. Tunc absens fuisse videtur Anselmus episcopus, haud dubie tunc in urbe regia detentus, qua a Lothario cæsare missus fuerat ad Johannem Comnenum imperatorem, quem idem Anselmus Kalo-Johannem vocat. Dum in illa urbe moraretur Anselmus, cum Nechite Nicomediæ archiepiscopo complures habuit collationes, quas ipse postmodum Eugenii III. jussu tribus libris vulgavit. Ediri sunt hi libri a nostro Acherio in tomo XIII. Spicilegii, in quibus multa scitu digna referuntur. Ex his pauca, quæ in rem nostram faciunt, seligere visum est.

In primo libro, in quo de unitate ecclesiæ & fidei sermo instituitur, capite XI. agitur de auctoribus & instauratoribus religionum Ordinum, Augustino, Norberto, Benedicto, & aliis. S. Augustini vestigia secutus fuisse dicitur vir religiosissimus de S. Rufo in Burgundia tempore Urbani II. isque collectis in eadem professione fratribus totam illam provinciam primo illuminasse, & paulatim eandem religionem in diversas regiones disseminasse. Deinde laudatur S. Norbertus, Præmonstratensium institutor, cujus institutio ubique terrarum diffusa dicitur.

Surrexit quoque, ait Anselmus, in monastico ordine beatus Benedictus post multos patres monachorum in Aegypto commorantium, vir Deo dignus, Spiritu sancto plenus. . . Iste in religione ferventissimus, regulam suis Spiritu-sancto dictante præscripsit, & ordinem monasticum, jam tunc vacillantem, renovavit & firmavit: qui etiam tum per se, tum per regulam suam post se, multa monachorum monasteria in diversis regionibus instauravit. Tum laudatur Camaldulensium auctor Romualdus, Johannes mendose dictus; & post eum nova congregatio monachorum Vallis-Um-

Annal. Bened. Tom. VI.

Lij

ANN. CHR. 1135.

ANN. CHR. 1136. XCII. Lotharii cæsaris res gestæ.

XCII. S. Hilarii monasterio privilegium ab eodatum.

* Bassano. * Brenta.

a Ital. sac. 10. s. p. 435.

b V. Lubin. p. 43.

XCIII. Anselmi episcopi Havelbergensis legatio & collatio. c Ottonis vita lib. 3. c. 3.

XCIV. Ordines religiosos laudat.

ANN. CHR.
1136.

brofæ valde religiofa, qui a ceteris monachis novo ordine & novo habitu differre dicuntur, & multos habere fua formæ fequaces. Sub hæc laudatur alia nova monachorum congregatio, a ceteris quoque monachis ordine & habitu differens, fcilicet Ciftercienfium, qui quoniam virtute patientiæ, & abjectione habitus, & regulæ diligentiflimâ observatione, & sanctæ paupertatis amore, & ardentiffima religione alios præeminere videntur & excellunt, innumeros fua religionis & formæ imitatores habent. Inter quos noftris, inquit ille, temporibus, apparuit quidam abbas in loco, qui dicitur Clara-vallis, nomine Bernardus, vir religiofiffimus, virtute miraculorum infignis, ab occidente ufque in orientem pro fui fanctitate famofofiffimus: quem venerabilis papa Eugenius, quondam fui monafterii monachus, in conciliis multorum epifcoporum condigna reverentia plerumque honoravit. Postremo agit Anfelmus de militibus Templi recens exortis, & de monachis Græcis, ex quibus fe Constantinopoli vidiffe ait in monafterio, quod dicitur Pantocrator, feptingentos ferme monachos, fub regula S. Antonii militantes; & in alio monafterio, quod dicitur Philoantropon, non minus quam quingentos monachos, fub regula beati Bafilii militantes; & quamplures congregationes fub regula beati Bafilii magni. Hæc de primo libro.

In fecundo habita fuiſſe dicitur collatio de proceſſione Spiritus-sancti in vico, qui dicitur Piſanorum, juxta eccleſiam Ageirene, id eſt ſanctæ Pacis, menſe Aprili die decimo: cui adfuere non pauci Latini: inter quos fuere tres viri ſapientes, in utraque lingua periti, Jacobus ſcilicet, ortu Veneticus; Burgundio Piſanus; & Moyſes Italus ex civitate Pergamo, ab univerſis electus collationis interpres. Principio Anfelmus præfatur, ſe non ad contentiones veniſſe, ſed ad conferendum ſimul de Græcorum fide & ſua. Ad quod Nechites archiepiſcopus Nicomediæ dixit: *Placet quod dicis, & humilitas tua nobis placet. nam in colloquendo & humiliter conferendo citius elaceſcit veritas, quam ſi ſuperbe & ad vincendum avidi contendamus.* Tota hæc collatio modeſte & civiliter peragitur. In fine ait Nechites, verba hæc Spiritus-sanctus procedit a Filio, quoniam in eccleſiis Græcorum inſolita ſunt, non ſubito poſſe induci abſque ſcandalo: ſed ad hoc aliquod generale celebrari oportere concilium occidentalis & orientalis eccleſiæ auctoritate ſancti Romani pontificis, ubi id aliaque definirentur. quod iterum in libro tertio repetit.

Altera collatio, quæ tertio libro continetur, habita fuit in eccleſia ſanctæ Sophiæ: ubi actum eſt de diverſis ritibus utriuſque eccleſiæ in ſacramentis, in primis de uſu azymi & fermenti in ſacrificio. Nechites Anfelmo objicit decreta Melchiadis & Siricii Romanorum pontificum de fermento: quod Anfelmus non de fermentata hoſtia, ſed de eulogiis interpretatur. Denique Nechites optat, ut tollatur de medio utriuſque gentis pernicioſum diſcordiæ hæc de re ſcandalum, cum nullum in offerendo azymo ſive fermento ſit fidei periculum. In quaſtione de baptiſmo Anfelmus cenſet, Conſtantinum, prius in Lateranenſi baſilica baptizatum a Silveſtro, denuo ab Eufebio epifcopo Nicomediæ rebaptizatum fuiſſe. Sed ſatis ſuperque ſatis de illis collationibus Anfelmi epifcopi, qui eas Eugenii III. jufſu in ſcripta redegit occasione cujuſdam epifcopi Græci ab imperatore ad ſedem apoſtolicam miſſi, qui de ſuis ritibus contra Romanos diſceptabat.

Ejuſdem Anfelmi præclara mentio habetur in libro de miraculis S. Bernardi per Germaniam editis, auctore Philippo monacho, ubi Anfelmus epifcopus Havelbergenſis, faucium graviffimo dolore afflictus, ita ut vix aliquid guſtare poſſet aut loqui, Bernardum Spiræ morantem rogaffe dicitur, ut ipſum ſanaret. Ad quem vir Dei: Si eandem, inquit, haberes fidem, quam habent mulierculæ, poſſet tibi forte prodeſſe. At ille. Etsi ego, inquit, talem fidem non habeam, ſalvum me faciat fides tua. Tandem ſignavit eum pater, & tetigit; & continuo dolor, omnifque tumor abſceſſit. Non mirum ſi ad tantæ fidei virum tot inſignes homines confluabant; non mirum, inquam, ſi tot monaſteria pro ejus diſcipulis condebantur, aut vetera eis ſubjicerentur.

XCIV.
Albæ-ripæ, Balerna & Alpenſe monaſteria conduntur.
* Auſterive.

Exemplo ſunt complura tunc ædificata ſive Clara-valli, adjuncta cœnobio, ex quibus quatuor tantum commemoranda nobis videntur. Alba-ripa ſcilicet, Balerna & Alpenſe virorum, atque Monſteriolum virginum. Albæ-ripæ* monaſterium ad Albæ ripam, uti & Clara-vallis, in Lingonenſi diœceſi poſitum, conſtruxit paullo ante obitum Guilencus ſeu Wilencus epifcopus, qui hoc anno deceſſit kalendis Auguſti, apud Claram-vallem humatus: cui ſubrogatus poſt duos vacationis annos

ANN. CHR.
1136.
a Bern. lib. 4.
vite c. 4.

Bernardi propinquus Godefridus prior Clara-vallenſis. In illo monaſterio Bernardus a cuidam monacho amiſſum vocis uſum reſtituit, aqua cum vino a ſe benedicta, & in potum ei data.

Balernæ abbatia in diœceſi Veſontionenſi poſita eſt, cujus primus abbas Burchardus, a Bernardo in epiſtola CLVI. laudatus, qui primo libro ejus vitæ ſubſcripſit. His adde Alpenſe monaſterium, pro noſtris Moſimienſibus, ab Humberto Sabaudia comite ſub finem ſæculi præcedentis conditum, ad lacum Lemanum, & Clara-valli adjunctum a venerabili Garino abbate. Quam ob rem eum magnopere laudat Bernardus in epiſtola CCLIV. Garinoque aſſumpto ad Sedunenſem epifcopatum ejus filios aliis litteris^b conſolatus eſt.

Sed inſigne in primis hoc anno ſurrexit virginum monaſterium in diœceſi Laudunenſi, Monſteriolum dictum, quod Bartholomæus epifcopus, novem monaſteriorum in ſua diœceſi fundator magnificus, in confinio Teoratiæ & Hannoniæ prope Capellam opidum hoc anno ædificaffe traditur. Illic brevi ultra centum excrevit puellarum numerus, quibus venerabilis Guiburgis abbatiffa præfecta eſt. Hermannus^c monachus hoc uno monaſterio Laudunenſem eccleſiam omnibus aliis debere præferri exiſtimat. In nulla enim orbis parte, inquit, antea vel lectum in codicibus, vel auditum fuiſt auribus, hujſcemodi religionis abbatiam feminarum exiſtiſſe. Hæc ſiquidem non ſolum ſæculum, ſed ipſum quoque ſexum vincere geſtientes, ordinem Ciſtellenſem, quem multi virorum & robuſtorum juvenum aggredi metuunt, ſponte & alacriter aſſuſerunt. Depositis quippe lineis indumentis atque pelliciiis, ſolis tunicis laneis utebantur; & non tantum nendo vel texendo, quod muliebre opus eſt, ſed etiam in agris fodiendo, & ſecuri & ligone ſilvam ſuccifam exſtirpando, ſpinas & vepres evellendo, manibus propriis aſſidue laborantes cum ſilentio, victum ſibi hoc modo comparabant; alios ad ſæculi contemptum exemplo ſuo accedentes. Hoc monaſterium ob bellorum procellas, quæ illis in partibus frequentes ſunt, ad radices montis Laudunenſis tranſlatum eſt; in quo effigies vultus Chriſti Domini, vulgo ſancta-facies^d dicta, religioſe aſſervatur & colitur, ex dono Jacobi de Treſcis archidiaconi Laudunenſis, & Innocentii IV. papæ capellani, poſtmodum ſummi pontificis nomine Urbani IV. qui eam ad exemplum Romanæ, ut vocant, Veronica depingi curavit, pro ſacris illis virginibus, ut ab eo enixe poſtulaverant.

In Ordinem Ciſtercienſem cum primis optime affectus erat Hugo de Montacuto Autifiodorenſis epifcopus, qui hoc anno deceſſit, alterum Hugonem ſucceſſorem ſortitus abbatem primum Pontiniaceniſis monaſterii, quod paullo ante ſuam promotionem inchoatum fuerat. Illud in primis de eo laude^e dignum prædicatur, quod cuidam nepoti ſuo præbendam in eccleſia ſua numquam dare voluit. In morbo extremo divini officii recitationem non intermiſit. Sub horam nomam fratres circumſtantes ad recitanda reliqua illius diei officia adhortatus eſt, quibus perſolutis requieſceret. Et quidem his finitis in pace quievit IV. idus Auguſti. Corpus ejus humatum eſt in capitulo monaſterii S. Germani, ubi abbatis officio functus erat ante pontificatum. Hugo ejus ſucceſſor apud Ferrarias circa feſtum S. Vincentii conſecratus eſt a Gaufrido Carnutenſi epifcopo & apoſtolicæ ſedis legato, propter ſuſpenſionem Henrici archiepiſcopi Senonenſis, qui in matrimonio Archembaldi Soliaceniſis domini cum Mathilde Balgentiaceniſis reſtes de parentela, non obſtante ad ſedem apoſtolicam appellatione, admiferat. Hic, quamvis miræ patientiæ fuerit ex ordinis ſui inſtituto, vigorem tamen patientiæ admifcuit adverſus eccleſiæ pervatores: quos inter Willelmum Niverneniſem comitem, qui poſtea Cartuſianus factus eſt, ad res eccleſiæ ſuæ reſtituendas adegit. Sedit in epifcopatu annis quatuordecim, cui poſt unum vacationis annum Alanus Ripatorii abbas ſucceſſit.

Vix ante hunc annum Stephanus epifcopus Ædueniſis, ejus nominis primus; ſecceſſit ad Cluniaceniſe monaſterium, ubi, ſuſcepto habitu monaſtico, poſtmodum inter manus Petri Venerabilis piiffime ſpiritum exhalavit, ut ex ipſo Petro mox dicturi ſumus. Magna auctorum varietas in aſſignando tempore, quo uterque Stephanus vixit. Bellarminus, aliique non pauci poſt eum, Stephanum I. cui librum de Sacramentis, in Bibliotheca Patrum editum tribuit, ſæculo decimo vixiſſe ſcribit. Alii cum Norigaldo ſeu Nerigaldo, quem nonnulli mendose Merigaudum vocant, anno MCXIII. ſucceſſiſſe probant, quæ ſententia vera eſt: aſt, quod alii eum anno MCXXIX.

b Bern. ep. 142.
Monſteriolum virginum.

c Herman. lib. 3. de mnac. c. 17.

d V. Iter Italic. noſtrum p. 88. & 89.

XCVI.
Hugoni Autifiodorenſi epifcopo ſucceſſit alter Hugo. c Labb. Bibl. 10. 1. p. 463.XCVII.
Stephanus epifcopus Ædueniſis ſecceſſit Cluniacum.

f V. Baluz. Reginon. not. p. 651.

ANN. CHR.
1136.

secessisse Cluniacum, alii anno sequente decessisse aiunt; utrumque refellitur ex quodam instrumento ecclesie Avalonensis, mihi communicato a viro pio æque ac erudito D. Bocquillot, ejusdem ecclesie canonico, cujus hæc clausula: *Hæc autem acta sunt anno MCXXXIII. Ludovico rege Francorum regnante, Stephano episcopo cathedra Eduensis presidente.* adeoque non ante hunc annum, immo paullo serius, hic Stephanus, abdicata dignitate, Cluniacum se recepit. Eidem instrumento subscribit Humbertus archidiaconus, ejusdem Stephani nepos, quem ad sequendum avunculi exemplum, uti præ se ferre videbatur, Petrus Venerabilis^a in epistola ad eum scripta hortatur in hæc verba. *Addat tibi stimulos veniendi venerabilis ille & cum honore nominandus, dominus Stephanus Eduensis episcopus avunculus, ut audiat; qui spretis parentibus, nobilitate, fastu, divitiis, ipsis etiam episcopalibus infulis abiectis, pauperem Christum pauper secutus est; & in sancta devotione toto mentis affectu perdurans, atque inter manus meas extremum Deo spiritum reddens, cum veneratione tanto sacerdoti congrua, tam a me, quam a fratribus, Cluniaci conditus est. Sequere igitur ejus vestigia, qui cum, ut nosti, predicabilis homo sapientie esset, nequaquam sibi ac salutis suæ præ ceteris monasteriis Cluniacum elegisset, nisi magis sibi expedire vidisset.* Hactenus Petrus Venerabilis. In brevi chronico S. Benigni^b Robertus filius ducis Burgundie, qui Stephani successor ponitur, anno MCXL. Augustodunensis episcopus ordinatus fuisse dicitur, quo admissio fortasse Stephani nostri secessus Cluniacum tantisper differendus est. at sine dubio successoris electio aliquamdiu dilata est, si forte Stephanus a proposito resiliiret. Ceterum Humbertus avunculi exemplum secutus non est; utpote factus episcopus Eduensis, post Robertum, ipsius avunculi successorem; idemque multas lites habuit cum Pontio Vizeiliaci abbate, Petri Venerabilis germano, ut inferius videbimus.

XCVIII.
Stephanus alter
item episcopus

Fuit & Stephanus alter eodem sæculo Eduensis episcopus quem anno MCLX. Henrico successisse quidam perperam opinantur: cum in vivis adhuc fuerit post novem annos Henricus, ut acta probant relata in Gallia christiana. adeoque non ante annum MCLXX. collocandus est Stephani secundi pontificatus, cujus obitus iv. kal. Junii anno MCLXXXIX. consignatur.

XCIX.
Liber de sacra-
mentis altaris
utricribendus

Exstat in Bibliotheca Patrum liber Stephani episcopi Eduensis de variis ecclesie ministris & de sacramento altaris, qui Stephano primo tribuit solet. Huic sententia illud favet, quod *predicabilis homo sapientie* fuisse dicitur a Petro Venerabili, qui eum probe noverat. Hic liber capitulis viginti constat; in cujus capitibus XIII. & XIV. ubi de consecratione eucharistie, *transsubstantiandi* verbo utitur. quo nullus ante eum usus fuisse videtur, si quidem primus Stephanus ejus libri auctor est. nam Petrus Cellensis, Stephani secundi æqualis, eodem verbo usus est in sermone VIII. de cena Domini, sub cujus finem Christus panem & vinum in corpus & sanguinem suum *transsubstantiavisse* perhibetur. Denique idem verbum adhibuit scriptor Exordii^c magni Cisterciensis, qui sub finem sæculi duodecimi vivebat. Ex quibus intelligitur, hoc verbum post medium sæculum duodecimum frequentari cœpisse; adoque longe ante concilium Lateranense sub Innocentio III. in quo illud primo inventum fuisse heterodoxi falso asserunt. Eodem tempore, quo Stephanus primus, id est sub Henrico V. imperatore, floruit Honorius Augustodunensis, qui tamen nullam prædicti libri Stephani episcopi mentionem facit. at fortasse ante Stephanum I. decesserat. quamquam Rupertum Tuitiensem abbatem laudat, quem anno superiore obiisse diximus.

c Exord. mag.
Cisterc. dist. 2.
c. 6.

Apud Aurelianos post mortem Johannis episcopi, dissidentibus de substituendo successore clericis & populo, vacavit aliquamdiu episcopalis sedes; tandemque unanimi consensu hoc anno electus Helias S. Sulpicii apud Bituricas abbas; cujus electionem ab Innocentio papa confirmari petiit Petrus Venerabilis^d his verbis. *Ego sublimitatis vestrae, et si humilis, tamen devotus filius, pro Aurelianensi ecclesia paternam pietatem convenio. Rogo, ut amore Crucis Christi, cujus nomine & vexillo eadem ecclesia singulariter gloriatur, ejus calamitatibus subvenire dignemini: ut, quæ passionibus Christi per patientiam secundum Apostolum communicans, duris & diuturnis calamitatibus fatigatur, vestra jam tandem provisione relevetur. Videtur insuper hoc jam superna dispositio velle, quæ corda cleri & populi, exitiabiliter, ut nostis, hactenus divisi, ut audivimus, sic insperata commutatione univit; ut nec in tanta multitudine reperitur, qui non integro corde domni Helie venerabilis abbatis S. Sulpicii*

c.
Helias S. Sul-
picii abbas fit
episcopus Au-
relianensis.
d Petr. Ven.
lib. 1. ep. 11.

zii, viri equidem religiosi, prudentis & litterati, electionem voluerit, laudaverit, confirmaverit. Nec mora pontifex eam itidem confirmavit, tandemque Helias mense Aprili ordinatus est anno insequente. quo anno Ademaro Floriacensi S. Benedicti abbati indulgit, ut in Solacienti * S. Itherii ecclesia monachi constituerentur; idque se facere dicit^a *pro reverentia corporis S. Benedicti, quod in Floriacensi cenobio Dei providentia & gratia requiescit: quia etiam ipse totius monasticae religionis institutor & pater est.* Non diu pace potitus est Helias, a suis clericis vexatus & calumniis exagitatus, quorum factio sic apud Lucium II. papam prevaluit, ut tandem exauctoratus sit, tamen ejus causam tutarentur Ludovicus Junior rex Francorum, Petrus Venerabilis, & S. Bernardus, ut inferius dicturi sumus.

Helias^b in abbatia Sulpiciana successit Savaricus, Savarico Petrus, tum Rainaldus, quorum prefectura nulla re insignis fuit. De Cadurco Rainaldi successore inferius.

In Bituricensi metropoli Wlgrino archiepiscopo subrogatur hoc anno Albericus, discipulus quondam Anselmi Laudunensis, dein scholarum magister in ecclesia Remensi, qui ante annos decem electus a clero Catalaunensi, non tamen episcopatum obtinuit. Non fuit monachus, ut Manricus opinatus est; nec is fuit, sed Wlgrinus ejus antecessor, qui in reditu e concilio Pisano a prædonibus spoliatus est, uti & Henricus episcopus Senonensis, qui, *suis pæne omnibus amissis, vix ad pontem Tremulum tremuli & anbeli pervenerunt*, teste Petro^c Venerabili. Non integro quadriennio Bituricensi ecclesie præfuit Albericus, cujus successor Petrus de Castra, Haimerici Romani cancellarius, inconsulto rege ab Innocentio ad illam sedem promotus, ægre illam adeptus est.

Cluniacensi monasterio binas hoc anno litteras dedit Innocentius, Petro abbati inscriptas, in quibus perquam honorifice de instituto Cluniacensi loquitur. Prima bulla est de ecclesia^d de Rochabovecourte diocesis Petragoricensis, quam Willelmus episcopus Pontio abbati contulerat, & Callistus Petro, eidemque Innocentius ipse confirmat. Data Pisis III. idus Martii, indictione XIV. Altera eodem die Montis-desiderii ecclesiam cenobio Cluniacensi a Guarino Ambianensi & Simone Noviomensis collatam, eidem Petro abbati itidem confirmat. quippe Deo gratissimum esse ait pontifex, *si Deo dicati religio Cluniacensis monasterii & diversas ecclesias exornet, atque plurimorum mentes disciplinis regularibus instruat, & fide, quæ per dilectionem operatur, inflammet.* Quapropter donationem prædictarum ecclesiarum eidem monasterio factam pontifex ratam habet, memor devotionis, quam erga sedem apostolicam idem Petrus cum sibi commissis habuerat, & honoris & servitii, quod sibi efficaciter fideliterque, maxime tempore schismatis impenderat. Eadem in utrisque litteris elogia. Eundem in Cluniacenses affectum passim testatus est pontifex. quod sequens exemplum in primis probat.

Per id tempus percelebre quondam Luxoviense monasterium ad tam miserabilem statum redactum erat, ut abbas & officiales illi deessent. Id accidit post mortem Hugonis abbatis superius^e laudati, cujus haud scio an incuria tanta prolapsio illuc irrepserat. Hanc gravate ferentes Luxovienses monachi religiosiores, Innocentium II. adeunt, eique monasterii sui statum exponunt, ut pro sua paterna providentia, nobili loco, qui speciali titulo eum spectabat, quantocius subveniret. Eorum precibus ac postulatis annuens pontifex, Petro abbati Cluniacensi mandavit, ut e fratribus suis abbatem & officiales necessarios provideret. Rei difficultatem papæ exposuit Petrus Venerabilis, eo fere modo, ut totidem ejus verbis id referre operæ pretium videatur. sic habet epistola.^f

Summo pontifici & nostro speciali patri domino papæ Innocentio, frater Petrus humilis Cluniacensium abbas salutem & obedientiam. Fratres Luxovienses nuper ad nos venerunt, scripta paternitatis vestrae nobis deferentes: in quibus & destitutio quondam magni Luxoviensis monasterii paterna pietate a vobis desletur, atque ut in eodem loco de fratribus nostris abbatem & officiales necessarios concedamus nihilo minus nobis iungitur, per quos nimirum secundum litterarum tenorem omnipotentis Domino ibidem laudabiliter serviat, & tam nobile monasterium in sui status prerogativam & pristinam integritatem, divina cooperante clementia, reparetur. Quod præceptum debita quidem reverentia suscepimus, sed pro sui difficultate non mediocriter formidamus. Nam sicut novit sapientia vestra, in negotio religionis facilius possunt nova fun-

ANN. CHR.
1136.* de Sully.
a Gall. christ.
20. 2. p. 248.C I.
S. Sulpicii ab-
bates.
b V. lib. 70. n.
45.C II.
Albericus ar-
chiepiscopus
Bituricensis.c Petr. Ven.
lib. 1. ep. 27.C III.
Bullæ duæ pro
Cluniaco.
d Bibl. Clun. p.
1401. § 9.C IV.
Luxoviensis
monasterii in-
felix status.
e V. lib. 75. n.
164.C V.
Petri Venera-
bilis de eo epi-
stola.
f lib. 1. ep. 23.

dari, quam vetera reparari: quia secundum beatum Gregorium, hominibus aliter institutis durum valde videtur in mente veteri nova meditari. Qui enim nova tantum aedificat, cum in veterum destructione non oportet laborare. qui autem vetera reparare nititur duplici cura constringitur: quoniam illi & veterum destructio & novorum incumbit aedificatio. Super hac & vestra Cluniacensi ecclesiae, nos qui rem novimus, valde timemus, ne frequenter, sicut saepe fit, ad alias ecclesias translatis fratribus nostris, quod aliis refrigerium, nobis inferat detrimentum. Postposuimus tamen omnia ista, & fratribus supra dictis ad nos venientibus abbatem & officiales necessarios, juxta quod nobis injunctum fuerat, dare parati fuimus. Sed illi nobis valde damno, sibi parum utilia postulantes, ad quietem nostro consilio noluerunt: & sicut dicebant, die constituta pro eodem negotio ad nos reversuri, ad propria redierunt. Hac idcirco reverentiae vestrae notificamus, ut si ulterius in his instare voluerint, & de Cluniaco abbatem petierint, nequaquam eligant quod ignorant: sed in nobis qui melius vultum pecoris nostri agnoscimus, causam suam constituent. Hoc si fecerint, providebimus nos fideliter tales ecclesiae ministros, per quos omnipotenti Domino in monasterio Luxoviensi, quantum ipse dederit, laudabiliter serviatur: idemque locus, & si non ad pristinam integritatem, ad meliorem tamen statum, divina cooperante clementia reparatur. In hanc sententiam, si placet, & nobis & ipsis rescribite.

a id. lib. 4. ep. 3.

Haecenus Petri epistola, sed quid inde secutum sit, ignoramus. In editis post praedictum Hugonem ponitur Jocerannus abbas, qui haud scio an is sit quem Hugoni abbati Petrus Venerabilis substituendum curavit. Quisquis ille fuerit, non melius sub eo res successit, ut Petrus ipse testatur in epistola ad Innocentium his verbis. *Prater ea notum facio, Luxoviense monasterium, cui anno praeterito per fratres nostros Cluniacenses providere voluistis, & vere, sed brevi tempore providistis, in deteriore statum, quam prius fuerat, relapsum, omni pene monastica religione & observantia destitutum, parum a secularibus differre, in tantum, ut, quod priscis temporibus cuncta Galliarum monasteria antebat, nunc pene universa vix a longe se qui videatur. Additur ad hoc malum hebetudo, ne dicam stultitia, pastoris: qui ita gregi proprio praest, ut jam fere de abbate nihil ei nisi nomen superfit. Quid plura? Omne caput languidum & omne cor merens. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Provideat pater filiis. Cur tam parum profecerit Cluniacensium erga Luxovienses illos cura, id in causa fuisse videtur, quod nulla illic monachorum mutatio facta sit, sed iidem semper remanserint; nec proinde ulla morum facta conversio, quae vetustis & corruptis cordibus & animis universim non facile suaderetur, ut experientia constat. Instituenti ad hoc novi homines, qui a ceteris abstracti, exemplo suo alios ad conversionem inducant. Ex his aliisque patet, quanta fuerit Petri Venerabilis apud papam gratia & auctoritas. Ceterum etsi nullus Hugonem inter & Jocerannum abbas intermedius recensetur in vulgatis catalogis, facile tamen crediderim unum aliquem intercessisse, sub quo res in pejus, uti testatur Petrus, abierint. Certe Joranno Innocentius pontifex hoc ipso anno MCXXXVI. privilegium insigne concessit, quo ei ejusque successoribus inter alia confirmavit monasteria Anagratense, Fontanense, de Grangis, de Molestaco, de Arliaco & de Flacciacia, cum omnibus eorum appendiciis; tum loci fratribus liberam abbatis eligendi facultatem indulget, monasteriumque ut nulli omnino subjiciatur decernit sub specialia sedis apostolicae tutela permanendum, ut fratres ibi liberius ac securius Deo serviant. quae & alia ibidem relata non sane indicant locum tunc temporis a monachis laxioris disciplinae inhabitatum fuisse. Haec omnia subsequentes pontifices Joceranni successoribus hoc saeculo stante confirmarunt, nempe Caesarius II. & Lucius item secundus anno MCXLIV. Stephano abbate; Eugenius III. Gerardo anno MCXLVII. Idem Eugenius alio diplomate dato Laufanae, Fontanenses monachos compressit, qui etiam se praesente, cum Bisuntii versaretur, libertatem eligendi priores, non advocato Luxoviensi abbate sibi arrogare conati fuerant. Hoc decretum cum aliis Luxoviensium privilegiis posteriores etiam pontifices confirmarunt. Exstant ea de re hoc saeculo datae bullae Alexandri III. Burchardo abbati anno MCLXXVIII. Urbani III. alteri Gerardo, anno MCLXXXVI. ceteros omitto.*

CVI.
S. Pauli monasterium Virdunense Praemonstratensibus datur.

Verum quantavis apud Innocentium auctoritate polleret, non tamen impedire potuit, quo minus S. Pauli Virdunense monasterium ex nostris ad Praemonstratenses transferretur; eamque translationem pontifex confirmaret. Exstat hoc monasterium

rium in suburbio Virdunensi, ubi antiquitus condita erat S. Saturnini ecclesia, cui S. Paulus Virdunensis episcopus, saeculo septimo in ea sepultus nomen dedit. Paruit usque ad saeculum decimum haec ecclesia quibusdam saecularibus clericis, quibus Widfridus episcopus instituti nostri monachos substituit, qui longo tempore in religionis fervore perseverantes, & bona ecclesiae dissipata restituerunt, & insuper plurima acquirerunt, ut loquitur Adalbero a de Chifneio episcopus in epistola ad Innocentium II. cui mutationem a se factam approbare conatur. Ait quippe bonis illis ac religionis studio ferventibus monachis pedetentim successisse soliores monachos, qui ab avita religione prolapsi, bona ecclesiae turpiter absumserint, nec ullis admonitionibus a perveris actibus revocari potuerint; eoque rem devenisse, ut religiosi aliorum monasteriorum abbates, eorum emendatione sapius incassum tentata, tandem id est ipsum Adalberonem convenerint, & monachos illos sui ordinis dedecus esse proclamantes, rogavisse, ut illos expelleret, & alios religiosos substitueret. Itaque compulsus precibus illorum assiduis, ait Adalbero, convocatis in capitulo religiosi viris abbatibus, & clericis, illum incorrigibilem abbatem ad causam vocavi; & cum eo multa de sua conversatione causatus, confessus est, quae manifeste negare non potuit; scilicet se & regule suae formam contempsisse, & multa illicita commisisse. Communicato itaque consilio religiosorum, monui eum per obedientiam, ut ad ecclesiam S. Vitoni causa faciendae poenitentiae inter religiosos transiret; & quia fructum in ecclesia, cui praerat, facere non poterat, fructificantes intrare permetteret. Consensit: sed statim ipsa die ad vomitum rediens, quod promiserat facere recusavit. Haec ut audivimus, in crastinum cum clericis & abbatibus, & duobus etiam abbatibus de ordine Clarae-vallensi, abbate Trium fontium & de Caladia ad ecclesiam illam venimus; & querentibus, cur susceptam obedientiam non implevisset, respondit, quod claustrum suum non exiret, nisi per iudicium. Tunc abbates & clerici admirantes tantam impudentiam illius, quod post susceptam obedientiam iudicium quereret: quidam illorum, abbas scilicet S. Vitoni sententiam beati Gregorii de praevicatoribus abbatibus protulit in medium. qua lecta dictum est mihi ab omnibus, ut, etiamsi nollet, in ecclesia recluderem, & ecclesia diu desolata consulerem. Quo recluso sic, paucisque monachis, qui secum male vivebant, inter religiosos collocatis; monachos, qui statum pristinum ecclesiae reformarent, non tantum a nostris, vel vicinis, verum etiam a Cluniacensi ecclesia per nostras, per domini archiepiscopi Trevirensis, verum etiam per domini regis litteras requisivi studiose. quos cum habere non possem, pauperes Christi ecclesiae Praemonstratae, secundum regulam beati Augustini regulariter viventes, in ea posui. Inde commoti, non religiosi, sed qui in simili re timent parti sua contrarios, fremunt quotidie, non tam de expulsiōne praedicti abbatis, cujus vitam plane & ipsi detestantur, quam de mutatione tituli conquereutes. In hoc autem male dicunt. hoc enim titulum non mutamus, sed in forma prima positionis reposuimus. Totam ejus mutationis seriem ipsis Adalberonis verbis referre visum est, ut appareat, quibus rationibus ad id inductus sit.

a Spicil. to. 12.
p. 327.

* Laurentias.

Verum non tantum monachi non religiosi, sed religiosiores quoque contra hanc mutationem reclamarunt: qualis omnium iudicio erat Petrus Venerabilis Cluniacensis abbas, qui hac de re graviter conquestus est in epistola ad Matthaeum cardinalem episcopum Albanensem. Queror, inquit, queruntur fratres nostri omnes, ad quos hoc pervenire potuit; queritur totus monasticus Ordo, & communem injuriam pari querela deplorat: expulsos a sedibus suis monachos Virdunenses; clericos pro eis intrusos sua deseruisse, aliena occupasse sola vi, nullo iudicio; in messem proximorum sulcem misisse & propriis cultoribus esurientibus, eorum avidissime fruges devorasse... Solebant clerici diversorum ordinum, canonici diversarum professionum, & quid de minoribus dicam? ipsa ecclesia cacumina, episcopi, dico, consueverant pontificalem dignitatem pro abjecta monachorum vilitate commutare, & de summis ecclesiasticorum honorum gradibus ad humilem se huius propositi ordinem inclinare... At nunc, nescio quo iudicio praedictum passus, nec sua retinere iam praevaleret, cum aliena sua facere in melius commutando soleret. Contemnitur, expellitur, conculcatur, & jam nec laicali consortio dignus habetur: quodque nec de furibus fit, antequam audiatur, condemnatur; antequam sub iudice de culpa agatur, proscribitur; ante reatum cognitum, ut reus addicitur. Non video quo pacto tam religiosus abbas, tam graves querelas ad Matthaeum cardinalem protulerit, si Adalbero, quod ipse ait, a Cluniacensi ecclesia, cum suis, tum archiepiscopi & regis litteris, religiosos monachos, qui dissolutioribus illis Virdunensibus monachis

CVII.
Petrus Venerabilis reclamat.
a Petr. Ven. lib. 2. ep. 31.

ANN. CHR.
1136.

substituerentur, expetierit. Atmulto minus cum episcopi dictis conciliari possunt quæ in eadem Petri epistola sequuntur. sic enim pergit. *Sed, ut adversarii aiunt, fuerint propter mala sua monachi expulsi expellendi: arrogaverit sibi fama consentiens judiciale decretum: quid etiam personis peccantibus sanctus Ordo peccavit? ... cur malis monachis, secundum quosdam, expulsis, monastica institutio expulsa est? Ut quid saltem malis illis monachis boni non succedebant? An quia nusquam tales inveniri poterant? O quam innumerabilis monachorum turba, per supernam gratiam nostris maxime diebus multiplicata, univ[er]sa p[er] p[ar]te[m] Gallie rura operuit, &c.* Non video, inquam, qua ratione hæc, aliaque cum Adalberonis epistola ad Innocentium conciliari possint. In fine Petrus abbas Matthæum rogat, & cum eo dominus Catalaunensis episcopus, scilicet Gaufridus, ex abbate S. Medardi assumtus, immo & multa aliæ ejusdem Ordinis personæ deprecantur, ut det operam abstergere ab ordine nostro tantæ dedecus ignominie, ne reverentia, semper huic professioni ab apostolica sede conservata, ipso papa assidente deperat; neve tanta, si inulta remanserit, injuria risum inimicis monachici Ordinis præbeat. His querelis & rationibus motus pontifex, hanc causam ad examen denuo revocare parabat: sed tandem Bernardi epistola^a expugnatus prædictam mutationem confirmavit. Totam hanc historiam fuse commemorat Laurentius de Leodio monachus in continuatione historię Viridunensis, confessus^b se multum gravari de facta inibi abjectione monachicæ professionis: nisi quod scio, inquit, nullam aliam viam dignissimo præfati patuisse ad correctionem prædicti cœnobii: quia & abbas Laurentius, & omnes religiosi nostra professionis refugerant curam ejusdem loci suscipere de manu episcopi. quod de Petro Venerabili dici non posse existimo. Ceterum, ubi vix antea viginti solutiores monachi contineri poterant, brevi trecenti fuere servi Dei Ordinis Præmonstratensis, ut idem Laurentius tradit.

CVIII.
Adalberonis
studium in monachos.
c. ibid. p. 323.

Hic in Adalberonem episcopum optime affectus erat, & data quavis occasione, propensum ejus in monachos studium prædicare studet, ut mutati apud S. Paulum ordinis invidiam ab eo amoliat. Hinc idem episcopus sincerus^c ejusdem professionis cultores, quales erant Cistercienses, in sua dioecesi implantare curavit, Maginienfi silva eis oblata, ut illic abbatiam construerent. Sed cum Caladienses fratres fabricando monasterio essent occupati, venerabilis Ranulfus abbas Claustraënsis prædictum locum in abbatiam promovendum ab eodem præfule accepit. quæ res anno MCXLII. incepta, biennio ante quam Laurentius hæc scriberet, eo jam perducta erat, ut Cisterciensium venerabile concilium ibi abbatiam jam esse sanxisset. Hæc autem omnia ut sic procederent, dominus Hugo, inquit Laurentius, monachus noster, vir ferventissimi zeli, cujus hortatu & relatu hoc totum opusculum confecimus, apud omnes & super omnes instituit, monendo & rogando dominum episcopum, ut id ad summum perduceret: ut, sicut notatus est a quibusdam nostri Ordinis, dicentibus, quod ordinem beati Benedicti ab ecclesia S. Pauli expulerit: ita probetur ab iisdem, quod digne S. Benedicti professionem servantibus consulere, auxiliari, & sua largiri paratus sit. His multa idem auctor addit ad probandum ejusdem præfule erga monachos & religiosos viros studium, præcipue erga ordinem Cisterciensem, qui jam tum in ducentas circiter abbatias magni nominis, meriti & numeri accreverat; & erga Præmonstratensem, qui per hos viginti annos, inquit, in abbatias p[er]ne septuaginta adoleverat. Sed maxime ab eodem auctore prædicatur Cartusienfis illa religio, mundo hactenus inaudita, quæ de sanctissima schola reverendissimi Brunonis processit: qui in carne extra carnem insolito mortalibus more vivendo, angelos in terra, Paulum apostolum in paradiso, Johannem Baptistam & Paulum Eremitam in deserto, nobis hodie representat: ut merito hanc religionem florem mundi nomines; ut hanc esse animal simile aquilæ in cælum volanti jure pronunties. quo nullum præclariorum elogium sacri Ordinis Cartusienfis, ab homine sincero & minime fucato.

[Ceterum expulsionem monachorum a S. Paulo cum Laurentio de Leodio aliisque auctoribus ad hunc annum retulit Mabillonius, licet paulo ante facta fuerit. nam Matthæus Albanensis, ad quem de ea Petrus Venerabilis conqueritur, anno MCXXXIV. naturæ debitum solverat, uti paulo ante demonstravit: nisi forte dicamus Petrum Venerabilem ad Matthæum scribentem expulsionem monachorum pro decreto expulsionis posuisse.]

CIX.
Petrus Juliaci
prior obit.
d. V. lib. 7. n. 52.

In Senoniensi Vosagi monasterio ex hac vita migravit Antonius ejus loci merittissimus abbas, & in Juliacensi apud Lingones beatus Petrus^d Juliacensis parthe-

ANN. CHR.
1136.

nonis prior. Dum hic ægrotaret, ad eum cum multis aliis religiosis viris convenit Hatto Molisimensis prior: cui ille injunxit, ut comiti Theobaldo præciperet, quod Angelo sibi revelante acceperat, ne in Angliam trajiceret quali regnum aditus, quippe quod ipsi divinitus prædestinatum non erat. Id proinde accidit statim post mortem Heinrici Anglorum regis, de qua superius diximus. Eidem comiti Theobaldo, qui suum ad virum Dei invisendum capellanum miserat, prædixit, fore ut post paucos annos bellum habiturus esset, (quod post quatuor annos accidit) ex quo tempore victor exsisteret, si ecclesias, resque earumque ab invasione servaret. Extremo vitæ die ejus loci sanctimoniales ad perseverantiam & tentationum tolerantiam adhortatus est. quibus rogantibus, ut vitæ inducias a Deo postularet, respondit, se, si tunc non decederet, ad festivitatem sancti Johannis apud eas non superfuturum. Unde infert Chiffletius, eum proximo die ante nativitatem S. Johannis obiisse. Dein ab Hattone admonitus, ut de more claves prioratus sui ante obitum resignaret, omnino abnuvit. Tum oleo sancto se inungi petiit; quo facto, corporis Domini perceptione munitus ad Deum migravit. Libellum de ejus vita & miraculis, a Chiffletio editum, scripsit anonymus, haud dubie monachus Molisimensis.

Non multo post etiam vitæ cursum explevit Antonius Senoniensis abbas, cum diu & laudabiliter monasterium administrasset. Triginta & octo præfecturæ annos dumtaxat ei tribuit Richerius in^a chronico Senoniensi: at quadraginta quinque anni ab anno MCLI. quo abbatiam iniit, ad hunc annum, quem ejus extremum diserte notat idem auctor, intercedunt. Toto illo præfecturæ suæ tempore nec unum præteritum annum, in quo non aliquid ædificaret, vel acquireret. Sepultus est in medio ecclesiæ sanctorum apostolorum Petri & Pauli ante altare sanctæ Crucis in tumulo lapideo, super quo lapis columnulis lapideis sustentatur, in quo postea ejus imaginem cum baculo pastorali propria manu se sculpsisse ait Richerius. Eiusdem effigies in vitreis fenestris rotundæ illius ecclesiæ etiam nunc cernitur. Ejus obitus in necrologio notatur vi. kal. Novembris his verbis: *Obiit dominus Antonius, venerabilis & piæ memoriæ abbas, totius ecclesiæ Senoniensis restaurator.* Huic successit Galterus, de quo nihil memoria dignum se accepisse testatur Richerius, nisi quod vicimus-octavus illius loci abbas fuerit.

CX.
Antonius quoque abbas Senoniensis.
a Spicil. to. 3. p. 323.

Sub abbatibus sequentibus, Humberto, Bernardo, Gerardo & Theoderico, ejus loci status & religio multum vacillavit, sed amplius sub Conone Theoderici successore. Humberto abbate ibidem ecclesia beatae Mariæ dedicatur: sed in editis^b erratum in anno, quo hæc dedicatio facta est. Humberto successit anno MCLX. Bernardus ad annos novem: quo mortuo, Gerardus militaris generis, ex S. Arnulfi monasterio assumtus, bonis præditus moribus, monasterium bene rexisset, nisi illud propinquis suis onerasset, hominibus vitæ sceleratæ, ob quam in vincula conjecti sunt. cujus rei mœrore pulsatus abbas, qui eos incassum a malefactis avertere tentaverat; dignitate resignata, quam annis triginta tenuit, secessit ad cellam Leonis-montis, ubi paucis annis supervixit. Theodericus ejus successor, vir simplex & honestæ vitæ, vix uno anno abbas, præfecturam itidem resignavit, & ad cellam S. Christophori se recepit: ubi mortuus sepultusque est. De Conone in ejus locum intruso agendum initio sæculi insequentis.

CXI.
Ejus successores.
b ibid. p. 326

His addenda Jutta virgo castissima, filia Stephani comitis Spanheimensis, sororque comitis Megenhardi, fundatoris monasterii Spanheimensis, sororum in monte S. Disibodi reclusarum magistra, quæ hoc anno pridie kal. Januarii in Domino quievit a Trithemio dicitur post Dodechinum, qui eam viginti quatuor annis inclusam fuisse dicit, a kalendis Novembris, eodemque tempore Hildegardem & tres alias cum ea inclusas. Ibidem multæ virgines sub ea vivebant sub obedientia ejusdem loci abbatis, reclusæ seorsim in arta & bene murata custodia, ad quas nulli viro- rum præter abbatem patebat accessus. qui ritus in multis aliis locis, quæ Trithemius^c commemorat, servabatur. Beata Jutta quædam miracula idem auctor refert: post cujus mortem Hildegardis virgo magistra sororum constituta est sub Cunone abbate, revelationibus ipsi factis celebris, quæ postmodum Bingam migravit, ubi cœnobium in monte S. Ruperti pro se sororibusque suis ex fidelium elemosynis construxit, ut suo loco videbimus.

CXII.
Jutta item reclusa obit.

c Trithem. in chron. Spanheim

[Cum floreret gratia apud imperatorem Wibaldus abbas Stabulensis, insigne hoc anno a Lothario obtinuit tuitionis privilegium, in quo sic eum princeps alloquitur: *Nos, venerande abbas Wibalde, fidelitatis tuæ constantiam & labores quos Annal. Bened. Tom. VI.*

CXIII.
Privilegium Lotharii pro Stabulensi monasterio.

ANN. CHR.
1136.

*nobiscum in administratione imperii perferens pensantes, ecclesiam tuam in omnibus defendere, & privilegiis imperialibus munire decrevimus. Quaecumque igitur Stabulensi monasterio a Sigeberto, Hildrico, Clodoveo, & Dagoberto regibus, seu ceteris qui loci constructores fuerunt, sive ab imperatoribus Carolo, Ludovico & tribus Ottonibus, Cuonrado & quinque Heinricis collata sunt, ea confirmat & corroborat. Liberam monachis eligendi abbatis secundum regulam S. Benedicti & formam canonum indulget facultatem, ita ut utraque monasteria, id est Stabulaus & Malmundarium, semper sub unius abbatis regimine consistant, & quia in eorum principali, id est Stabulaus, B. Remaclus sepultura locum sibi elegit, semper apud Stabulaus electio fiat, ea preponderante ratione, ut de conventu Stabulensis ecclesie idonea persona, si inventa fuerit, primo assumatur, &c. Statuitque ut unum tantum habeat advocatum, cui leges prescribit. Omnia beneficia quae Poppo II. abbas dilapidator dedit damnat, & irrita esse juxta Heinrici imperatoris sententiam decernit. Villam Turnines quam Godefridus comes Namurcensis injuste abstulerat, & villam Vilippam quam Warnerus de Kerpenne invaserat, aeterna firmitate restituit. terminos bannileugæ juxta decreta imperatorum, aliaque omnia monasterio collata confirmat. Quae fere omnia in privilegio anni MCXXXI. contenta hic repetere judicavimus. *Data anno dominice incarnationis MCXXXVI. XVI. kalendas Septembris, indictione XIV. anno vero regni regis Lotharii II. XII. imperii III. Actum Werzeborch in Christi nomine feliciter. Amen.*]*

CXIV.
Privilegium
pro Walciodoro-
rensi monaste-
rio.
a Ampliff. col-
lect. 10. 1. p.
747.

Cum Walciodorensi in monasterio sanctum religionis habitum suscepisset Wibaldus, & juxta regulam S. Benedicti & sanctorum patrum instituta professionem fecisset, ejusdem, factus postea Stabulensis abbas, privilegia & jura confirmari a Lothario imperatore curavit, in primis de subjectione vicini Hasteriensis monasterii ad Walciodorensis, ita ut defuncto abbate conveniant Hasterienses monachi Walciodorum, tam ad exsequias defuncti abbatis devote peragendas, quam ad electionem futuri pastoris disciplinate & concorditer celebrandam: hoc videlicet discretionis tenore, ut primus assensus, prima vox, prima denominatio penes Walciodorensium constet arbitrium, & de ipsorum cetera persona, si fuerit idonea inventa, absque contradictione Hasteriensium eligatur, &c. Huic privilegio subscribunt Albero Trevitensis archiepiscopus, Cuonradus Magdeburgensis archiepiscopus, Meingotus Merseburgensis episcopus, Albero Basiliensis episcopus, Albero Leodiensis episcopus, Henricus Tullensis episcopus, Cuonradus Fuldenensis abbas, Henricus dux Bavarie & marchio Tusciae, Cuonradus marchio de Witin. *Signum domni Lotharii II. Dei gratia Romanorum imperatoris augusti. Data anno dominice incarnationis MCXXXVI. XVI. kalendas Septembris indictione XIV. anno regni domni Lotharii regis XII. imperii III. Actum Werzeborch in Christi nomine feliciter. Amen.*]

CXV.
Villam Bovianicam restaurat Wibaldus.

[Villam Bovianicam vestriario fratrum Stabulensium assignatam, in qua tempore persecutionis Danorum corpus S. Remacli quiete latuit, in solitudinem absque habitatore redactam diu eo in statu remanere passus non est Wibaldus abbas, sed eandem ob honorem sanctissimi Patroni sui restaurare & readificare decrevit. Itaque religiosa ejus petitioni & voluntati annuens Stabulensis conventus, eandem villam illi cessit, ut omni vitae ejus tempore secundum propriam utilitatem libere ordinet & disponat. Post obitum vero tuum, inquit, ipsa villa cum omni augmento & melioratione sua, cum omni fructu & presenti & futuro ad nostrum vestriarium, sicut & antea fuit, sine ulla abbatum contradictione revertetur. Cessio illa per volumen regule B. Benedicti manu domni Walteri decani facta est. *Acta sunt haec Stabulaus in capitulo anno Domini MCXXXVI. in dictione XIV.*]

CXVI.
Azoni abbati S. Egidii confert ecclesiam de Heran.

[Eodem anno Wibaldus abbas paupertatem ecclesie S. Egidii in monte Publico miseratus, Azoni primo illius loci abbati ecclesiam de Heran sub annuo censu contulit. *Actum est hoc anno sub incarnatione Domini MCXXXVI. indictione XIV. in presentia domni Wibaldi abbatis, anno ordinationis suae VI. regnante Lothario secundo Romanorum imperatore augusto, Alberone electo in Leodio.* Est autem ecclesia S. Egidii apud Leodium abbatia canonicorum regularium extra civitatem in monte Publico sita, cujus primarium fundatorem Beringerum abbatem S. Laurentii discimus ex epistola 371. b Wibaldi ad Eugenium papam, in qua sic loquitur: *Ecclesiam beati Egidii qua est in monte Publico prae-nominata civitatis Beringerus abbas de monasterio S. Laurentii dedit cuidam Gerico regulari canonico cum quibusdam fratribus ejusdem professionis ad inhabitandum & amplificandum secundum ordinem S. Augustini: ea scilicet*

b Tom. 2. Ampl. Collect. p. 540.

conditionis ratione, ut si prae-nominatus locus consue per divinam largitatem crescendo proficeret, quod pastorem sibi fratres regulariter deberent eligere, electus corporalem investituram a praedicto abbate susciperet, a quo etiam ad suscipiendam episcopalem benedictionem praesentaretur; hac constitutione per omnes successores valitura.]

[Is est autem Beringerus, qui, Wolbodone abbate S. Laurentii judicio episcopi & abbatum ob excessus exauktorato, ex Andaginenfi seu S. Huberti priore ejus in locum subrogatus est. nam cum pauper esset, Dominus illum de pulvere fuscavit; & deposito potente de sede, humilem exaltavit. Ordinatus abbas & pastor, oves dissipatas recollegit, earumque curam suscepit. *Concordabat in eo vita cum nomine, ut legitur in historia S. Laurentii, & erat vir potens in opere & sermone, fuitque Deus cum eo, & in omni negotio, in omni consilio prospere agebat, benedixitque domui huic per illum, & multiplicavit tam in decimis, quam in agris cunctam ecclesiam substantiam. Dei quoque adjutores, qui saeculo renuntiaverunt illi accreverunt, videntes gratiam Dei esse in eo.* in primis Rupertus seu Robertus, qui sub eo factus est monachus. Multas persecutiones ab Otberto episcopo simoniaco passus, qui restituito Wolbodone abbate deposito, illum ejecit, ad S. Hubertum se recepit, ubi Theodericus abbas benigne eum suscipiens & consolans, prioratu Evernicurtis prope civitatem Remensem praefecit, ubi per tres annos & dimidium demoratus, cunctis qui eum noverant gratus & Deo devotus fuit. Tandem exauktorato iterum Wolbodone, fratribus suis Leodiensibus restitutus fuit.]

CXVII.
Beringerus abbas S. Laurentii Leodicensis.

[Inter varia quae gessit abbas laudabilia opera, commendanda in primis venit collegiata ecclesie S. Petri de Ayoncurte erectio ab eo facta. Anno MXXXVI. quidam de Brabantia nobiles, de progenie S. Ragenulfæ descendentes, conveniunt Reginarum Leodiensem episcopum, possessiones suas apud eum deponunt, ut in ecclesia Ayoncurtis duodecim canonicorum collegium erigeret, qui morte praeventus, nam eodem anno quinta Decembris a saeculo migravit, quod sponderat executioni mandare nequivit. Qui ei in episcopatu successit Nitardus nepos, defunctis praedictis nobilibus, easdem possessiones applicuit sibi & jure episcopali retinuit. Similiter qui post eum sedem Leodiensem per annos duos & quadraginta occupaverunt usque ad tempus Henrici pacifici, qui cum Wolbodone, S. Laurentii abbatem, approbante synodo, deposuisset, advocato ejus in locum Beringero S. Huberti priore, & quoniam Wolbodo multa damna intulerat monasterio, dictas possessiones sancto Laurentio obtulit, ut sicut suae dispositioni fuerant subditae, sic sub abbatis S. Laurentii providentia essent & dispositione. cujus donationis sit commemoratio in necrologio S. Laurentii, his verbis: *II. kalendas Junii commemoratio domni Henrici dicti pacifici Leodiensis episcopi, qui dedit S. Laurentio ecclesiam de Ayoncourt & dimidiam partem villa cum omnibus appenditiis suis.* Beringerus autem qui non appropinquavit cor sum ad divitias terrenasque possessiones, mortuo Henrico episcopo, votum praedictorum nobilium adimplere cogitavit, mentemque suam de erigendo collegio XII. canonicorum Otberto episcopo significavit: quo approbante, cuncta quae Henricus pacificus contulerat S. Laurentio futuris canonicis attribuit, reservato sibi & successoribus suis abbatibus jure patronatus. Successu vero temporis collegiata S. Petri Ayoncurtis ecclesia ad parochialem S. Jacobi Lovaniensem translata fuit.]

CXVIII.
Fundat ecclesiam collegiatam de Ayoncurte.

[Porro vir venerabilis & eximia sanctitatis Beringerus abbas cum annis XXXIX. & amplius Leodiensi S. Laurentii monasterio praesuisset, & in statum laudabilem perduxisset, in senectute bona plenus operibus bonis XVI. kal. Decembris migravit ad Dominum anno MCXV. successorem fortitus Heribrandum ex vicino S. Jacobi monasterio assumptum, de quo praclarum hoc elogium in historia S. Laurentii: *Vir fidelis & prudens dominus Heribrandus, in quo canities sensuum caritatis congruebat capillorum. Hic litterarum peritus erat & ad dictandum promississimus, sive etiam ad versificandum. Inde vitam Theoderici junioris abbatis de S. Huberto scripto tradidit. Ipse praecipuus religionis cultor, sub abbate Beringero magister novitiorum multis annis exstitit, & tam in scripturarum scientiis, quam in monasticis disciplinis diligentissime eos instruxit. Consecratus est in abbatem XIII. kal. Decembris anni MCXV. &c. Post hunc anno MCXXX. electus est Wazelinus vir bonus & mansuetus in religione probatissimus. Huic successit alter Wazelinus prudentia & litterarum scientia clarus. Hic domini Roberti quondam hujus loci monachi eruditus magister, scripsit librum de concordia evangeliorum, & expositione eorum, opus multum utile, sed mansit imperfectum. visitur etiam nunc iste liber in bibliotheca*

CXIX.
Abbatibus S. Laurentii.

a Ampliff. Coll. 10. 2. 1080.

ANN. CHR.
1136.

S. Laurentii. Multa alia bona fecisse traditur in gratiam monasterii sui, & tamen diffamatus apud summum pontificem fuisse videtur a canonicis S. Egidii, cujus innocentiam suscepit defendendam Wibaldus abbas Stabulensis in epistola 371. ad Eugenium papam, cujus hæc verba. ^a Porro de innocentia abbatis S. Laurentii nihil vestra discretioni dubitandum fore credimus, cum in eodem monasterio, cui nunc Deo auctore præest, a parvulo sit non solum in regularibus, sed etiam in liberalibus disciplinis, apprime eruditus, qui etiam, & prædictis conventionibus interfuit; & nunc in lege Dei sui die ac nocte meditatur, & horam vocationis sue lampade accensa expectat; quem ut diligere & honorare dignemini devote supplicamus.]

CXX.
Capitulum generale Ordinis S. Benedicti.

[Circa hoc tempus celebratum est alterum capitulum generale Ordinis S. Benedicti, in quo inter alios congregati memorantur, Natalis abbas Resbacensis, Radulfus Lamiacensis, Simon Caziacensis, Hillinus S. Theoderici, Abialon S. Amandi, Johannes Aquicinctensis, W. Letiensis, Lambertus Lobiensis, Parvinus S. Sepulcri Cameracensis, S. Luciani Bellovacensis, S. Eligii Noviomenis & J. S. Nicolai de Salto, &c. quibus scripta ad eos epistola, ^b gratulatur Innocentius papa, quoniam tamquam B. Benedicti discipuli monastica disciplina observantibus inheretis, & de die in diem, in eadem proficere cupientes omnipotenti Deo magis ac magis placere contenditis. Addit Innocentius: Placet equidem nobis, & hoc ipsum apostolica auctoritate firmamus, quod videlicet singulis annis in uno monasteriorum vestrorum, celebrare conventum communiter decreveritis, ratum habiturus quidquid communi decreto de ordine monastico conservando, & correctione fratrum secundum regulam S. Benedicti & aliorum sanctorum patrum regulas constituerint. Denique Innocentius sub finem epistolæ statuit, ut nullus fratrum vestrorum post factam in suo monasterio professionem, absque pralati & aliorum fratrum licentia, ad alium locum audeat convolare, nec alicui liceat eum suscipere & tenere, &c. Data Pisis xv. kalendas Decembris.]

^b Tom. I. Anecdotorum p. 389.CXXI.
Herimanno Tornacensi abbati successit Walcerus. c lib. 75. n. 19. d Spicil. to. 12. p. 475.

In Tornacensi S. Martini cœnobio Herimannus abbas, quem Segardo ante novem annos ^c successisse diximus, paralyti affectus, ultro curam sibi commissam abdicavit, & in manus Simonis episcopi baculum pastorem ^d reddidit. Successit in ejus locum Walterus, domo Tornacensis, abbas ejus loci quartus: quem venerabilis Odo, monasterii instaurator & primus ab instaurato loco abbas, futurum monachum prædixerat. quod quidem ille ad annum ætatis quadragesimum exsequi superferat: sed tandem gravi in valetudine & stomachi morbo percussus, in cœnobio S. Amandi monachum induit. ubi cum biennio laudabiliter vixisset, & pro sua probitate factus fuisset prior; cedente Herimanno, a fratribus monasterii Tornacensis abbas electus, & a Simone episcopo hoc anno ordinatus. vir tantæ apud sæculares etiam homines reverentiæ, ut aliquando a comitissa super quodam negotio ad jurandum tentatus, intercesserit Brugensis præpositus Rogerius, vir religiosus, professus, quod abbas Tornacensis solo verbo diceret, se cum omnibus Flandriæ religiosi viris paratum esse, ut jurejurando confirmarent. De Herimanno ex-abbate sermo postea recurret.

CXXII.
Anselmi Gemblacensis obitus & successor. e V. lib. 72. n. 65.

Ad hunc tantum annum Anselmus ^e Gemblacensis abbas chronicon suum seu Appendicem primam ad Chronicon Sigeberti produxit, eodemque anno obiisse dicitur in Auctario Gemblacensi, cujus verba in Chronico suo Albericus descripsit. Adhuc juvenis erat, sed corpore invalidus Anselmus cum obiit, Gemmelacensis seu Gemblacensis cœnobii abbas octavus. In successore deligendo magna fuit opidanorum cum monachis dissensio. Huic malo aliud non minus funestum accessit, bellum scilicet inter Godefridum Lovaniensem ducem & comitem Namurcensem Henricum exortum: quo rerum omnium in illis partibus deprædationes factæ, homicidia, incendia passim patrata, ita ut ipsum Gemblacense opidum cum parochiali ecclesia igne consumtum sit; adeoque contiguum monasterium grassante incendio jam succendi cœptum, sed divinitus restinctum. Vicini enim fluminis in stagnum collectus abveus, rivo suo omni ex parte est evacuatus, ita ut arena ejus cernerentur a circumcurstantibus & his qui resistebant hostibus; ejusque aqua superfusa monasterio in modum pluvie incendium omne restinxit Dei virtute, ut scribit Auctarii scriptor, quod suo tempore multi qui viderant testabantur. Post tot infortunia, electus est tandem abbas Arnulfus ex monacho S. Nicasii apud Remos. Vix dubitem quin is sit Arnulfus abbas, qui ad Signiacense Ordinis Cisterciensis cœnobium secessit exemplo Guillelmi S. Theoderici abbatis, in Signiacensi charta abbas S. Nicasii

ANN. CHR.
1136.

perperam dictus. In hoc anno etiam desinit libellus de gestis abbatum Gemblacensium, editus in Spicilegii tomo VI. desinit, inquam, in Anselmo abbate, cui haud scio an proxime successit Guibertus seu Wibertus, cognomento Martinus, de quo agendum suo loco.

In Sithiensi monasterio novæ rursus turbæ ortæ sunt super electione Simonis abbatis, qui Johanni abbati, jussu Innocentii papæ exauctorato ante sex annos ^a successus fuerat. Innocentio displicebat hæc electio, propterea quod pendente lite Sithiensium cum Cluniacensibus, qui sedem apostolicam appellaverant, facta fuerat. Contra pontifici acceptissimi erant Cluniacenses, qui ipsum in Franciam venientem hospitio humanissime exceperant. Pulsatus itaque pontifex Cluniacensium querelis, litteras Sithiensibus direxit, quibus Simonis electionem irritam & cassam declaravit, eisque præcepit, ut, Simone deposito, alium sibi abbatem Cluniacensium consilio eligerent. His litteris acceptis, Simon dignitatem ultro cessit, & in nativum locum, Gandavum scilicet, se recepit, ubi fere duodecim annis religiosissime vixit.

Post multas tricas, inconsultis nihilo minus Cluniacensibus electus est Leonius, jam tunc Laubiensis abbas, vir non modo religiosissimus, sed etiam strenuissimus, qualem esse oportebat eum, qui Cluniacensium molitionibus resisteret. Ad hæc ex nobilioribus pagi Furnensis ortus erat, in curia Flandriæ comitis urbanis moribus instructus, ubi patris ac patru sui officio functus erat; anno dein ætatis vicesimo secundo Aquicincti monachus factus sub Alviso tum abbate: qui ad Atrebatensem episcopatum promotus, eum Laubiensi monasterio, ut alias ^b diximus, præfici curaverat. Hic locus tunc ad tantam inopiam redactum erat, ut paucis fratribus vix necessaria suppeterent. Ille vero moribus ante omnia reformatis sic res labefactas restituit, ut earum copia fratribus amplius septuaginta suffecerit. Is erat Leonius abbas, quem Sithienses deposito Simoni substituerunt; sed non ante annum MCXXXVIII. in sede illa abbatiali collocatus: ubi quot & quantas molestias a Cluniacensibus passus sit, inferius exponemus.

CXXIII.
Simone S. Bertini abbate pulso electus Leonius. a V. lib. 75. n. 101.

b lib. 75. n. 139 & 140.

Hoc ipso anno, in quo sistimus, Ancherus ^c S. Richarii abbas, senio confectus, diem clausit extremum VIII. kal. Augusti, plenus bonorum operum, ut videre licet in carmine ad ejus laudem compositum, quod in Appendice relatum est. Huic successit ad sex tantum annos Johannes ex monacho Corbeiensi, vir vitæ laudabilis & honestæ conversationis, Ludovici VII. ut fertur, affinis, qui monasterii ædificia, ab Ancherino inchoata, perfecit, & ecclesiam pro virili instauravit. Gelduinus ejus successor ex abbate S. Walarici, Cisterciensibus de Valeriis * & Præmonstratensibus S. Judoci de Nemore multa beneficia contulit. Jerosolymam profectus est cum Ludovico rege, & in reditu factus episcopus, ut dicturi sumus inferius, ubi de ejus successoribus agendum.

CXXIV.
Ancheri S. Richarii abbatis obitus ejusque successor. c lib. 69. n.

* Valoires.

Post tot nostrorum mortes, quas hoc anno contigisse diximus, agendum de Bofonis Beccensis abbatis obitu qui hoc etiam anno accidit. Ejus patientiam duobus ante obitum annis probavit is, qui flagellat omnem filium, quem recipit. Primo siquidem oculorum lumine orbatu est: sed tamen adhibito remedio visum recepit. Dein paralyti ex parte percussus, in pede nihilo minus intolerabili cruciabatur dolore, qui per totum corpus diffundebatur. Hunc sic ægrotantem frequens invisit Anglorum rex Henricus, qui eum in primis venerabatur; & rigidis statutis accolarum in Beccenses inveteratam insolentiam coercuit. Tandem acutissimis diuturni morbi doloribus confectus abbas piissimus, ecclesiasticis munitus sacramentis, cum a fratribus, si quid in eos deliquisset, veniam petiisset, ad sempiternum refrigerium migravit nocte nativitatis sancti Johannis-Baptistæ, id est VIII. kal. Julii, dum matutinæ laudes canerentur. Obiit porro anno ætatis septuagesimo-primo. Viginti-trium annorum erat cum factus est monachus; annis viginti-sex privatus vixit, novem annis prior; abbas duodecim annis & viginti-duobus diebus. Sepultus est in capitulo ad dextram beati Herluini primi abbatis, ejusque funus curavit Richardus Præcellensis abbas, ejus nominis secundus. Duo ejus epitaphia referuntur in chronico Beccensi, edito ad calcem Operum Lanfranci. Monasticen professus erat cum duobus germanis fratribus, Gilberto natu-maximo, qui eum ad cælum præcessit, & Rainaldo natu-minimo, qui & ipse ultimus decessit. Multos ad professionem admisit Boso abbas, sub quo centum octoginta-duo monachi recensentur: ex quibus nonnulli ad alias abbatias assumti sunt.

CXXV.
Boso abbas Beccensis obitus.

ANN. CHR.
1136.
CXXVI.
Theobaldus
ei succedit.

Post Bosonem totius Beccensis congregationis assensu suffectus est Theobaldus, tunc loci prior, vir non minus genere quam moribus clarus. Ejus electionem pæne absuit quin cassam irritamque faceret Hugo Rotomagensis archipræsul, quod ipso inconsulto facta fuisset: sed tandem interventu Audoëni Ebroicensis episcopi a cœpto desistit. Verumtamen ejus benedictionem ad quatuordecim menses distulit ob professionem, quam Theobaldus ei facere volebat, utpote ab antecessoribus suis numquam factam. Sed tandem rogatu & consilio Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis, qui tunc in Nortmanniam venerat, archiepiscopus solo verbo, absque scripto admisit professionem, & abbatem benedixit, quem deinceps plurimum dilexit. Non diu Beccensem abbatiam rexit Theobaldus, factus post biennium archiepiscopus Cantuariensis.

CXXVII.
Balduinus abbas
S. Quintini
in Insula.

[Cum monasterio S. Quintini in Insula præfset Balduinus abbas, nonnulli ex eodem cœnobio monachi, perfectionis gratia, apud *Boëni*, tamquam in solitudinem ubi ab omni hominum consortio viverent separati, secesserunt. cum autem eo tempore Præmonstratenses vitam quasi angelicam sub regula S. Augustini ducerent, illorum institutum, annuente abbate, sponte susceperunt, & sic dederunt inirium abbatiae Montis sancti Martini in diocesi Cameracensi. Prædictus vero Balduinus abbas, eorum inopiam volens sublevare, totam terram suam quam apud *Brahencourt* possidebat, memoratis fratribus de capituli sui consensu tribuit, excepto quod de silva ad usum necessarium sibi retinuit, & eo pacto ut prædicti fratres suo monasterio modium avenæ & modium frumenti annuatim persolvant. Huic donationi subscripsit Hugo Hummulariensis. Actum anno dominicæ incarnationis MCXXXVI. indictione XIV. concurrente III. epacta XV.]

CXXVIII.
Majori-monasterio
data Basilicarum
ecclesia
* Basches.
* la Veste.

Apud Basilicas* opidum diocesis Sueffionensis, ad fluvium Vidulam* situm, duæ sunt antiquæ ecclesiæ: una major sub patrocinio sanctorum Rufini & Valerii, qui ibidem martyrium passi sunt: altera minor sub titulo sancti Theobaldi confessoris, quæ Majoris-monasterii cella erat. In majori illa ecclesia olim septuaginta-duo canonici, sed temporum injuria ejus loci census ira imminutus erat, ut vix duodecim alendis sufficeret. quod ægre ferens Joslenus Sueffionum episcopus, assensu capituli sui, rege approbante, illam ecclesiam Majori-monasterio contulit sub certis conditionibus, quas in ejus litteris in Appendice videre licet. Verum, ut divinum in illa ecclesia officium decentius celebraretur, eidem ecclesiæ Odo Majoris-monasterii abbas ecclesiam S. Theobaldi cum suis adjunctis, & canonicalem Castellionis super Matronam ecclesiam subjecit. quæ omnia Innocentius II. bulla sua confirmavit. *Data Pisis per manum Aimerici S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii XVI. kal. Julii, indictione XIV. incarnationis dominicæ anno MCXXXVI. pontificatus domni Innocentii papæ II. anno VI.* Modo hæc ecclesia redacta est ad longe miserabiliorem statum.

CXXIX.
Cantogilum
Casæ-Dei sub-
jicitur.
lib. 44. n. 78.

Eodem anno Cantogilense monasterium, de cujus origine in superiori tomo actum est, Casæ-Dei monasterio & Stephano abbati, ejusque successoribus subjicitur a Raimundo abbate, cum assensu & laude Brivatenis canonice. quod Aimericus Arvernorum episcopus, in cujus diocesi tunc locus existebat, nunc S. Flori, anno sequenti confirmavit x. kal. Maii, indictione XV. Willelmo Aquitanorum duce, qui proinde ad S. Jacobum necdum tunc profectus erat. Aimerici litteris subscripsit inter alios *Johannes abbas S. Illidii & canonicus Claromontensis*. Idem etiam ratum habuit Albericus *Aquitanorum primas*, id est Bituricensis archiepiscopus superius laudatus, *præsertim quia locus prædicti monasterii Casæ-Dei religioni aptus & congruus videbatur*. Actum apud Clarum-montem itidem sequenti anno nonis Maii. In illa Cantogilensi ecclesia etiam nunc cella est conventualis nostrorum id est Casæ-Dei monachorum. Prædictus quoque Aimericus Arvernorum episcopus dedit Stephano abbati & monachis Casæ-Dei *ecclesias de Monte-Ferrando, & quæ sunt, & quæ futuræ sunt cum tota parochia*.

CXXX.
Pontii de Larazio
conversio
& monasterium
Salvaniense.
* Salvanet.

Celebris fuit per ea tempora conversio Pontii de Larazio militis Lodovensis seu Lutevensis, auctoris monasterii Salvaniensis*, quod Cisterciensi Ordini hoc anno tributum est. Pontius ille, genere clarus, opibus dives, vitam nihilo minus vitii & prædationibus infamem diu duxerat: sed tandem divina gratia præveniente ad se reversus, tactus dolore cordis intrinsecus, arduum pœnitentiæ genus, sed criminibus suis haud impar aggressus est. Itaque sæculo nuntium remittere animo constituit,

constituit, & quidquid habebat, ad restituenda male parta redigere, cetera in egenos erogare. Sed quia uxorem & duos liberos, unum masculum & unam filiam, habebat: matrem & filiam cum magna suæ portione substantiæ in monasterio virginum, quod Brinonia dicitur, honorifice collocavit: filium vero in monasterio Lodovensi, quod sancti Salvatoris vocatur, monachorum cœtui aggregavit. His vinculis absolutus, per præconem significari curavit, se possessiones suas omnes, tam mobiles quam immobiles, velle vendere. quibus venditis, magnam partem debitis persolvendis restituendisque ablatis: reliquam ecclesiis, monasteriis & egenis impendit. Dominica palmarum apud Lodoveam seu Lutevam post processione lecto evangelio, episcopo cum clericis stante super gradum, qui ad loquendum in platea circumstante populo paratus erat, Pontius cum focis septem, quos jam Deo lucratus erat, nudus & excalceatus, vinculo ligneo collo ejus innexo, tamquam maleficus eo adductus est a quodam, qui eum assidue flagellabat. Tum genibus coram episcopo flexis, chartam ei obtulit publice legendam, in qua universa peccata sua descripta erant. Ægre annuente episcopo, charta legitur: ipse vero interim in summa contritione virgis cæditur, cunctis attonitis, & in lacrymas cum illo effusus. Feria quinta cœnæ dominicæ, cum sol occidisset, idem & focii sui e patria egressuri, intempèstæ noctis silentio, nihil præter simplicem vilemque vestem habentes, ad sanctum Guillelmum, diocesis Lutevensis, quem de Deserto vocant, iter aggrediuntur, crucis lignum, quod ibi ex dono Caroli-Magni asservatur, adoraturi. quod iter nudis pedibus, per salebrosas & difficiles angustias, exorta subito densissima caligine & tempestate, cum summa difficultate conficiunt. Non minori, immo majori labore ad S. Jacobum in Gallicia, tum ad S. Michaëlem in Periculo maris pergunt: indeque reflexo itinere, beati Martini Turonis, sancti Martialis & S. Leonardi apud Lemovices ecclesias Iustrant.

Denique Ruthenensem urbem ingressi, ab Ademaro episcopo & a comite honorifice accepti sunt, eisque oblatus quem vellent locus ad monasterium construendum. Illi vero hominum frequentiam vitare solliciti, ad Arnaldum de Ponte, virum præpotentem ac pium, divertunt, & ab eo locum in diocesi Vabrensi*, a turbis longe remotum, impetrant, Silvanium nomine, quod murato paullulum vocabulo Salvanium appellarunt. Illic brevi conditum extemporaneo opere monasterium, quod non multo post non tantum rebus, sed etiam religiosi viris ita excrevit, ut in abbatiam erectus sit. Tunc facta est inter eos amica contentio, cui Ordini monasterium suum adscriberent. Electi demum communi sententia Cartusenses arbitri. Quam ob rem Pontius ad Cartusiam profectus, priori ceterisque fratribus causam exposuit. Illi vero præ ceteris Cisterciensium Ordinem præferendum censuere. Responso accepto, quasi oraculo, Pontius ad Mansum-Adæ*, quod Cisterciensium cœnobium est in diocesi Vivariensi, in reditu divertit, & Salvaniensem domum Cisterciensi Ordini subdidit sub providentia Mansi-Adæ abbatis. Fratres autem Salvanienses ad se venire præcepit abbas, eosque secundum regulam S. Benedicti per annum probatos monastico habitu induit, benedixit, atque Salvaniacum remisit: ex quibus unum, Ademaram nomine, virum prudentem & litteris eruditum, abbatem constituit. Id factum hoc anno post millesimum centesimo tricesimo-sexto, quo ex tempore illic religio florere cœpit, & proficere in dies: ubi Pontius, omnium dux & antesignanus, humiliorem locum præferens, in habitu laicorum fratrum conversus permansit. Hæc omnia fusc litteris mandavit Hugo Francigena, ejus loci monachus, jussu Pontii abbatis, ordine quarti, cujus hac de re opusculum in tertio tomo Miscellaneorum Baluzianorum editum est.

Antequam hunc annum finiamus, paucis agendum est de obitu quorundam episcoporum, qui tunc e vivis excessere. Tres ab Orderico^a memorantur: nempe Guido de Stampis Cenomannorum præsul, cui *Paganus de S. Karilefo* successisse dicitur, proprio nomine Hugo, *ex castro S. Karileffi* ortus, ut in actis^b episcoporum Cenomannensium legitur, ubi res ab eo gesta referuntur: tum Gislebertus Universalis Londoniensis episcopus ex canonico Autisiodorensi, in cujus necrologio ejus obitus notatur pridie idus Augusti, ut observavi in adnotatione ad S. Bernardi epistolam XXIV. in qua non modo ejus scientiam, ob quam Universalis dictus est, sed ejus parsimoniam laudat, quam Henricus Huntindoniensis, ut varia sunt hominum judicia, avaritiæ imputat. Huic in sede Londoniensi subrogatus ab eodem

Annal. Bened. Tom. VI.

N n

ANN. CHR.
1137.

* al. Vaurenfi.

* Manson.

CXXXI.
Episcoporum
mortes.
a Orderic. lib.
13. p. 908.
b Analeth. to. 3.
p. 346.

ANN. CHR. 1136. Orderico dicitur Anselmus, Anselmi quondam Cantuariensis episcopi nepos, tunc abbas S. Eadmundi, de quo non semel in superioribus dictum est. Ejus tamen electio in Monastico Anglicano^a ad biennium differtur, quo anno sollempniter receptus dicitur in ecclesia Londoniensis: sed quia hæc electio absque consensu decani facta est, inde rejectus est, vixque receptus apud S. Eadmundum, ubi Ordingus prior jam abbas institutus erat, qui post mortem Anselmi ab anno MCXLVIII. ad novem annos S. Eadmundi ecclesiam rexit. Denique tertius ab Orderico defunctus hoc anno ponitur Guillelmus Cantuariensis archiepiscopus, ex ordine canonicorum regularium præter morem assumtus: cujus loco Henricus, frater Stephani regis, tunc Wintoniensis episcopus ex nostris, ad regendam metropolim electus est. Sed, quia hæc translatio absque Romani pontificis auctoritate facta erat, hæc electio non tenuit; tandemque post biennium Theobaldus Beccensis abbas ad sedem Cantuariensem promotus est.

His omnibus addendus etiam Girardus Ecolismensium præsul, & Burdegalenis archiepiscopus infaustus, schismaticorum in Aquitania signifer, cujus interitus hoc anno contigisse superius^b diximus. Huic legitima electione successit Gaufridus de Loratorio,^{*} mendose Oratorio, sic dictus a natali loco, sito in confinio diocæsis Turonensis & Picavenfis. Hic magister seu doctor erat suo tempore nominatissimus, ad quem hoc nomine scripsit Bernardus, scilicet ad magistrum^c Gaufridum de Loratorio, ut eum ad partes Innocentii adduceret. Nihil enim non tentabat vir sanctus, ut non modo episcopos & principes, sed etiam viros doctos, quorum magnam esse sciebat apud populum auctoritatem, Innocentii partibus addiceret. Eidem Gaufrido jam Burdegalenis archiepiscopo scripsit^d Petrus Venerabilis, qui cum magnopere laudat, meminitque itineris sui ad majorem Cartusiam cum eo confecti, ex quo ejus notitiam hauserat.

ANN. CHR. 1137. CXXXII. Lotharii itinera per Italiam.^{*} **N**atali Domini in campestribus Bononiæ celebrato, Lotharius imperator, inde progressus Ravennam, tum Firmam^{*} seu Firmum, in Apuliam contendit. Illic in urbe Trana Bruno Colonienfis archiepiscopus sanguine minutus feria quarta ante pentecosten, tertia post die repente defunctus est, sepultus apud Barium in monasterio S. Nicolai, ubi Innocentius papa, qui Lothario apud Viterbium se adjunxerat, in festo pentecostes præfente imperatore sacrum celebravit, & Hugonem Coloniensem archiepiscopum, qui non multo post itidem ex venæ sectione Melisæ mortuus est, archiepiscopum consecravit. In eodem itinere Adalbero Basilienfis episcopus^e e nostris, qui Lotharium comitatus erat, etiam decessit. Mitto plura alia Lotharii gesta, quæ in chronico nostro Saxonico referuntur, ut ad ea, quæ nostra propius spectant narratio convertatur. Tantum observo ex eodem chronico, quod alibi non legitur, Sutrinum episcopum, Petri-Leonis fautorem, (is Otho erat) a pontifice depositum fuisse, ejusque loco Johannem, abbatis Wldensis seu Fuldenfis capellanum subrogatum fuisse. Erat siquidem in Lotharii comitatu Conradus, Fuldenfis abbas, omnium ejus expeditionum in Campania & Apulia comes. Hinc corrigenda series Sutrienfis episcoporum apud Ughellum^f ubi post Othonem illum Petrum-Leonis fautorem Adalbertus Johanni præponitur: aut si Adalbertum subsecutus est Johannes, alter a Fuldenfi illo monacho dicendus est.

CXXXII. Bernardus in Italiam vocatus, suis vale dicit. Non satis erat ad subigendos in Italia schismaticos eorum urbes & arces armis expugnare, quod Lotharius tum per se, tum Heinricum Bajoariorum ducem strenue præstitit. Alio duce & imperatore opus erat ad expugnandos rebelles animos, qui armis domari non poterant. Non alius ad id aptior inventus est quam Bernardus, qui jam schismaticorum in Aquitania animos ad Innocentii partes pertraxerat. Nec mora in Italiam a pontifice advocatur. *Litteræ apostolicæ virum Dei vocant*, inquit Ernaldus, *& ut ad sit laboranti ecclesiæ, supplicant cardinales. Intermittuntur studia; & quæ modo continua erant, interpolatis discursibus resumuntur. Nulla vacatio superest: servus Dei aut orat, aut meditatatur, aut legit, aut concionatur. Videns igitur excusationes frustra obtendi, convocatos a multis partibus fratres diu, profundeque suspirans affatur. Videtis fratres, in quantis tribulationibus laboret ecclesiæ. Pars quidem Petri, & in Italia, & in Aquitania, auctore Deo elisa, jam non pariturit, sed abortit. Evasati^{*} sunt in his regionibus schismatis defensores. Romæ magna pars nobilium Innocentium sequitur, & favent multi fidelium: qui tamen temerariæ*

^a al. mendose notati.

^b Bern. vita lib. 2. c. 7.

^c Ital. sac. to. 1. p. 196.

^d supra n. 12.

^e supra n. 12.

^f Petr. Ven. lib. 4. ep. 12.

^g Bern. ep. 125.

^h supra n. 69.

ⁱ Monast. Anglic. to. 2. p. 265.

ANN. CHR. 1137. multitudinis impetum formidantes, non audent publice confiteri quem Innocentio firmave consensum. Conjuratores habet Petrus homines perditos, quos corrumpit pecunia; & munitionibus eorum occupatis, non Simonis-Petri fidem, sed Simonis-Magi representat præstigijs. Contra unam gentem, occidente edomito, superest lucta. Orantibus vobis & jubilantibus Jericho ruet; & cum extenderit ad Deum cum Moyse manus, Amalech victus aufugiet. Josue pugnat; & ut ad consummationem victoriae dies sufficiat protelata, soli ut stet, non tam orat, quam imperat: & meretur fides tam solis obedientiam, quam de hoste prostrato victoriam. Nobis igitur pugnantibus vos ferie præsidium, & auxilium de cælo supplicibus animis implorate. Agite quæ agetis, & state in gradu quo statis: & licet nihil vobis conscii sitis, iudicio tamen vestro non aestimetis vos justos: quia solus Deus, quos justificat, judicat, & perfectissimus quisque iudicii divini districtum examen ignorat. Judicari autem ab humano die non multum curetis; neque vestra propria, neque aliena iudicia approbantes, sub timore Dei sic state, ut nec vos quempiam judicantes, aliquando extollamini; nec aliorum curantes iudicia excidatis in nugas; singula vero prosequentes, vos servos inutiles reputetis. Eundem est autem quo nos obedientia vocat; & hujus domus paternitatem, & vestri custodiam Deo, pro quo hunc assumimus laborem, confidentes de ejus clementia, tradimus & commendamus. Hæc oratio tam præclara mihi visa est, ut eam ipsis Ernaldi, immo Bernardi verbis (nam ab ipso Bernardo ita prolata vix dubitem) referre visum sit. His dictis, benedictionem fratribus suis impertitus, flentibus universis, iter in Italiam ingressus est. Sicque sermones in Cantica, quos ad vicessimum-quartum perduxerat, interrupit.

Italiam ingressus vir Dei, primum Pisas adiisse dicitur, ratus se inventurum in illa urbe Innocentium, qui a triennio ibidem demoratus erat. Verum, jam illinc discesserat pontifex & in Beneventanam regionem cum Lothario profectus erat. Iter itaque persecutus Bernardus, Viterbium pergit, ubi ipse frater Girardus gravissime infirmatus est: cui vitæ inducias precibus suis a Deo impetravit, ut ipse in fine sermonis xxvi. super Cantica testatur, in quo ejusdem Girardi obitum luget. Baronius, alique huc etiam afferunt Bernardi epistolam cli. ad Philippum Turonensis ecclesiæ infaustorem, quæ Viterbii ab eo scripta est. Verum hanc epistolam ante quatuor annos, post mortem scilicet Hildeberti archiepiscopi, scriptam fuisse superius^a ostendimus. In chronico nostro Saxonico vir sanctus, haud scio an priusquam Innocentium attingisset, se adjunxisse dicitur Heinrico Bajoariorum duci, quem cæsar ad restituendum in terris suis Eggebertum marchionem, dum ipse in Apuliam pergeret, in Etruriæ partes miserat. In illa expeditione Henricus Widonem comitem rebellem devicisse, & prædicto marchioni reconciliavisse perhibetur, & cum eo Florentiam obsidisse, & ad deditionem compulisse, ejusdem civitatis episcopum, injuste expulsum, in sede sua restituisse. quibus rebus aliisque peractis, Henricus laboriose, ait chronographus, *Lukkam adire tentavit, quam & obsidere paravit: sed mediantibus quibusdam episcopis, & abbate Claravallensi, data magna pecunia ducem placaverunt, cogente etiam ad hoc eos timore Pisenfis, suorum videlicet adversariorum, quos modo, inventa opportunitate, audierant petere ducis auxilium ad destructionem sui & montis sanctæ Mariæ, in quo se refugium habere sperabant.* Cum ad Innocentium pervenisset Bernardus, Romam missus ab eo est, ut eos, qui adhuc Anaclero adhærebant, ad suas partes reduceret. quod feliciter præstitit, eis denuntians ac probans, profanas conspirationes, quantumvis juramento, quo illi se teneri allegabant, munitas, nec posse, nec debere mendacio & injustitiæ suffragari. Rebus itaque Romæ compositis, vir sanctus ad Innocentium revertit, qui tum forte in obsidione Beneventi cum Heinrico duce versabatur, dum imperator Apuliæ civitates & arces expugnabat. Beneventum Henricus x. kal. Junii, teste Falcone, cum apostolico obsidere coepit.

Ante hanc obsidionem idem Henricus, mox ut Campaniam ingressus est, adiitum Montis-Casini obsedit, & ad deditionem compulit, ut in chronico nostro Saxonico legitur. Verum, priusquam id explicemus, quædam præmittenda sunt. Post turbas, in Monte-Casino a Guarino Lotharii cancellario excitatas, Seniorectus abbas Bertulfum mansionarium^c seu æditum & Adenulfum ejusdem cœnobii fratres ad imperatorem miserat, ut ei totius tumultus seriem & effectus explicaret. Sed antequam illi redirent, extincto Guarino abbas ipse morbo correptus vitam^d finivit

^{*} id est abbatialem curam.

CXXXIV. Quædam ejus facta in Italia.

a lib. 76. m. 59.

CXXXV. Casini Seniorecto abbate mortuo turbæ de electione.

b P. supr. n. 90.

c Chron. Casin. lib. 4. c. 104.

d ibid. c. 103.

ANN. CHR. 1137. *quinta feria, idus Februarii*, ut angelus de Nuce textum Petri diaconi restituit, tibi Lauretus edidit, *nonis Februarii*. Verum neutra lectio admittenda, cum neuter dies hoc anno quo Seniorectum obiisse constat, in feriam quintam incidit. Præferenda itaque lectio necrologii, in quo ejus obitus pridie nonas Februarii notatur his verbis: *Obiit dominus Seniorectus sacerdos & abbas hujus loci* qui dies hoc anno in feriam quintam incidebat. Favet huic lectioni Petrus ipse in capite sequenti, ubi sexto die a morte Seniorecti ad festum sanctæ Scholasticæ, quod decimo die Februarii recolitur, fratres undique ad faciendam electionem convenisse referuntur. Sepultus est Seniorectus *ad dexteram partem introeuntium in cæmeterium juxta gradus, ubi quatuor discipuli beati Benedicti requiescunt*, Constantinus scilicet, Simplicius, Vitalis & Bonitus. Accepta morte abbatis, Canzolinus, Capuani principatus camerarius, per milites fratribus denunciavit, ut ne se absente de novo abbate eligendo tractarent. Ubi ille advenit, parvi pendens regulæ & privilegiorum auctoritatem de electione, eam ad regis Rogerii adventum differri jubet: sin vero, sibi traderetur arx Bantrensis, infra monasterium posita: tumque eligerent quem vellent, dummodo electus Rogerio fidem præstaret. quod ubi fratres abnuissent, ille omnia Casinensis monasterii castra invasit. Post sex a morte Seniorecti dies, fratres ad novum abbatem eligendum convenientes, in duas partes scinduntur: alii Rainaldum Colementanum; alii Rainaldum Etruriensem cognomento Senebaldum præferbant. Inter hæc visum est senioribus, mittendum ad regem Rogerium & ad Innocentium papam, adhuc Pisis remorantem, ut de hoc negotio consulerentur. Verum adversæ partis fratres Rainaldum Etruriensem nulla mora interposita apprehendunt, & in abbatis cathedra collocant: alii vero id indigne ferentes, nuntium ad prædictos fratres, Bertulfum, & Adenulfum, a Seniorecto ad Lotharium missos, qui adhuc Ravennæ in curia cæsaris versabantur, cum litteris dirigunt, ut Lotharium de Seniorecti obitu certiozem facerent, rogarentque sibi facultatem concedi eligendi abbatis, secluso Rainaldo Etrurienfi, non canonice electo; ceterum se potius e monasterio abituros, quam eum sibi abbatem præponi paterentur. quibus ad se relatis, imperator Casinensis monasterii privilegia probavit, & prædictum Rainaldum Romani imperii hostem declaravit. Interim ille pseudabbas, agente Canzolino, clam cum Rogerio paciscitur, cui fidem suam obstringit, itidemque Petro-Leonis, qui eum in abbacia confirmavit.

CXXXVI. Richardus papæ capellanus ad eas sedandas mittitur. *ibid. c. 105.*

Interea Henricus, dux Bajaræ & imperatoris gener, imperatoris jussu in Campaniam cum Innocentio profectus, cum in planitie Casino contigua constitisset, Richardum a pontificis capellanum, ejusdemque cœnobii monachum, ad suos Casinates mittit, ut eos ad exhibendam Innocentio obedientiam induceret. quod si facerent, monasterium sub imperatoris tutela & defensione semper quietum cum officio capellanorum habituri essent. At Rainaldus contra, fratres hortatur, ut in fide Rogerii & Petri-Leonis constantes sint; pollicitus adiutorium illis quamprimum adfuturum. Et quidem Gregorius, filius Adenulfi de sancto Johanne ab eo clam submonitus, subito cum militibus advit, & impetu facto, pontificis nuntios in fugam convertit. qui ad urbem S. Germani, quæ monti adjacet, fuga elapsi, ab opidanis fidem exigunt, moxque ad castra se recipiunt. Interim Rainaldus cum Richardo in monasterio conclusus, fata monasterio proxima incidi jubet, & cibaria omnia dissipari, ne quid ad alimentum hominum partis adversæ, & jumentorum superesset. His intra undecim dies actis, dux Henricus Rainaldum ad se evocat, & calice aureo in vadimonium accepto cum obsidibus pro quadringentis libris, abbatiam nomine imperatoris, si in ejus fide persisteret, ei confirmat. quibus ita peractis, ipse ad expugnandam Capuam, inde Beneventum contendit, quæ civitates Innocentio & Lothario se tandem dederunt. Vocatus demum ad imperatoris præsentiam Rainaldus, Capuam perrexit cum aliquot e suis monachis, in his Pandulfo Teanensi episcopo & monacho, & Petro diacono, qui hæc refert. Inde cum multis incommodis, quæ singillarim recensere parum interest, *ad Lacum pensilem**, ubi exercitus imperatoris cum Innocentio castra posuerat, cum suis pervenit. qui jussus cum illis ad papam excalceatis pedibus adire, eique satisfacere, & pro impensa Petro-Leonis obedientia, qualem vellet pontifex, poenitentiam subire; cæsarem appellavit, ejusque appellatio a cæsare probata. Ea de re Innocentius magnopere conqueri cœpit, instititque, ut electus & Casinates, sub jurejurando fidem & obedientiam sibi præstarent, & Petro-Leonis abnegarent. At illi responderunt, lege

b ibid. c. 108. & seqq.

* Lago-pesole. In Apulia dioc. Venusina.

ANN. CHR. 1137. sanctæ regulæ sibi veritum esse ne jurarent. Indignatus ob id pontifex, eos anathematis damnavit. Res ad publicam audientiam delata, a Gerardo cardinale titulo S. Crucis ex parte pontificis, & a Petro diacono & bibliothecario pro Casinatibus quatuor aut quinque actionibus agitata dicitur. Tandem in id conventum est, ut electus Innocentio fidem ad sacra evangelia in manu papæ; fratres vero secundum tenorem chartulæ in manu Ostiensis episcopi, scilicet Matthæi, jurarent. quo facto, anathemate omnes soluti sunt. Rainaldus vero ad imperatorem deductus, ac benigne acceptus, *cum fratribus inter capellanos palatii constitutus est.*

Hæc omnia forte fusius quam par esset a me relata, sed longe prolixiora, & ad nauseam usque referuntur in libro IV. chronici Casinensis a capite CVIII. novæ editionis ad CXV. quæ non a Petro diacono scripta, sed a quodam male-feriato schismatico conficta & chronico assuta Baronio, & post eum Peregrinio videntur: tum quod indignum sit, Lotharium imperatorem, præsentem Innocentio, præfuisse judicem inter cardinales & Casinenses monachos: tum quod hæc ad annum MCXXXVIII. acta dicantur mense Julio ad Aquas-pensiles, cum Lotharius sub finem anni præcedentis obiisset: tum denique quod Robertum seu Norbertum Clara-vallensem abbatem huic disputationi adfuisse dicat auctor, insigni errore pro Bernardo. At nihilominus Angelus de Nuce hæc omnia, uti relata sunt, non assuta chronico, sed a Petro scripta contendit in Excursu historico ad caput CVIII. quem consulat qui volet. Certe ne dissimulem quod sentio, ejusmodi narrationes non omnino abhorrent ab ingenio & indole Petri diaconi, qui gloriolam & ostentationem subinde affectat, nec satis accuratus est in designandis temporum ac rerum circumstantiis, forte quod hæc scripserit aliquanto tempore post res gestas, quibus referendis memoria lapsus sit.

Non diu Rainaldus ille abbas fidem imperatori servavit: sed mox ut ad Casinense monasterium a reverti permissus est, Rogerio denuo fidem asseruit, & milites conduxit, ut monasterium contra imperatorem muniret. quod cum fratres ad imperatorem retulissent, hic, præmissis Annone abbate Lunæburgensi, ad monasterium subiit, papa interim apud S. Germanum remanente, qui Aimericum cardinalem & cancellarium, necnon Gerardum cardinalem sanctæ Crucis cum abbate Clara-vallensi illuc misisse dicitur, ut Casinates ad præstandam sibi obedientiam inducerent. Tunc Rainaldi causa discussa & examinata, ac tandem ille depositus: tum quia ejus electio canonica non erat, utpote ex subdiacono facta contra decretum Eugenii primi, & a plerisque fratribus improbata: tum quia datam imperatori fidem fefellerat. Itaque Casinatibus eligendi alterius abbatis facultate, quam Gerardus cardinalis ad Innocentium devolutam contendebat, ægre concessa, electus est tandem Wibaldus, seu Guibaldus Stabulensis abbas, qui in Lotharii comitatu erat, & navali expeditione ab eo præfectus, ac Neapolim missus: qui eundo ac redeundo ad limina S. Benedicti Casinum accesserat. Verum non diu abbatiam tenere per Rogerium ipsi licuit, ut anno sequenti videbimus. Eidem Wibaldo imperator, priusquam Casino discederet, interventu Richizæ augustæ omnia sacri illius asceterii bona & privilegia confirmavit.

His ita gestis ad *Auream urbem*, id est Romam, reduxit Innocentium papam, cui Romani sacramento fidem suam asseruerunt. De hoc Lotharii Casinum itinere & rebus illic gestis in chronico nostro Saxonico sic legitur. *Imperator a Benevento Capuam & Campaniam transiens, venit in montem Cassinum: cujus abbate reprehensibili deposito, & alio in locum ejus subrogato, plurima ecclesiæ prædia & castella perdita, partim vi, partim judicio requirens, restituit. Ibi quoque episcopus Concordiæ defunctus ac sepultus est.* Inde Præneste adiit imperator, ubi *Giso comes Hæstie* obiisse dicitur; tum, ubi Tiburtinam pertransisset, *Farvam* seu *Farfam* petiisse, cujus abbati castella & prædia multa *violentia Petri-Leonis & aliorum ablata*, restituit. *Post hæc, data & accepta honorifice ab imperatore & principibus licentia, papa remeavit in sua*, id est in Urbem, ut in eodem chronico legitur. at imperator ad Galliam cisalpinam iter direxit, in Germaniam reversurus.

Sic in Apulia & Campania res compositæ esse videbantur, & omnes abjecto Petro-Leonis ad partes Innocentii transiisse. Verum audito Rogerio Lotharii ex Urbe discessu, Germaniam versus, paratas quas habebat copias in Capuanos movet, urbem expugnat, diripit, & sacra quæque violat. Hinc Beneventani, audito ejus

ANN. CHR.
1137.
a Bern. vita lib.
2. c. 7.

accesſu, ei ſe dedunt. Tum idem rex adverſus Rannulfum ducem^a in campum ar-
matas producit acies: cum eo advenit S. Bernardus ab Innocentio miſſus, qui re-
gem in prociñctu conſictus convenit, eumque per multos dies, ne prælium com-
mitteret, impedivit, ei denuntians, fore ut, ſi conſictum iniret, turpiter victus abiret.
Verum ille, auctis ſuis copiis, viri Dei monitis inſuper habitis, pugnam inſtruit.
Bernardus vero Rannulfum & catholicos milites adhortatus, bono animo eſſe juſ-
ſit, eiſque certam victoriam prædixit ac triumphum. quod re vera accidit. Dum
manus utrimque conſeruntur, vir Dei ad proximam villam ſe recepit, ut precibus
inſiſteret. Inter hæc repente fugientium & inſequentium clamor auditur. Ad hunc
clamorem egreſſus frater quidam ex his, qui cum Bernardo erant, uni ex militibus
it obviam, & quid accidiffet percontatur. At ille, ut litteratus erat: *Vidi, inquit,*
impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani; & tranſivi, & ecce non erat.
Dux porro, ut monachum illum vidit, equo deſiliit, & ejus pedibus advolutus:
Gratias, inquit ago Deo, & fideli ſervo ejus: quia non noſtris viribus, ſed ejus fidei
collata hæc victoria eſt. Tum equo inſiliens, hoſtes perſequi pergit.

CXXXIX.
Petrum Piſa-
num Innocen-
tio reconcilia-
t.

Hac clade fuſus eſt Rogerii exercitus: aſt ejus contumacia domari non potuit.
Hic enim recollectis copiis, alacritatem ſimulans, non prius Innocentio ſe velle
ſubjici ait, quam cauſæ ejus æquitatem agnoſceret. Itaque rem diſcuti poſtulat, &
actores utrimque de ea perorare. Hinc Clara-vallenſem abbatem ad ſe mitti pe-
tit: ipſe Petrum Piſanum pro ſe eligit, in cujus eloquentia ſpem victoriæ reponerat.
Hæc congreſſio Salerni facta eſt. Prior Petrus electionem Anacleti canonicam
probare contendit, & dicta ſua multis legum & canonum teſtimoniis munit. At vir
Dei non in ſermone, ſed in virtute Dei poſitam eſſe victoriam certus: Scio, in-
quit, Petre, te virum ſapientem & litteratum eſſe: ſed utinam te patronum cauſa
juſtior & felicior occupaffet! Sine dubio tibi cauſam agenti nulla poſſet reſiſte-
re facundia. Et nos quidem agreſtes & ligonibus porius, quam forenſibus actio-
nibus aſſueti, ſi cauſa fidei non urgeret, inſtitutum ſilentium teneremus: Nunc
autem eccleſiæ caritas & amor Chriſti, cujus tunicam Petrus-Leonis ſcindit &
lacerat, loqui nos cogit. Una eſt fides, unus Dominus, unum baptiſma; una de-
nique arca, in qua nos ſalvari oportet, id eſt una eccleſia. Arca alia nuper fabri-
cata eſt; &, cum duæ ſint, alteram neceſſe eſt eſſe adulteram, & in profundum de-
mergi. Si arca, quam regit Petrus-Leonis, ex Deo eſt; arca, quam regit Innocen-
tius, obruatur. Peribit ergo orientalis & occidentalis eccleſia: peribit Francia, pe-
ribit Germania, Iberi, Angli & ceteræ orbis chriſtiani nationes peribunt. Peribunt
Camaldulenſes, Cluniacenſes, Ciſterciennes, & omnia ſervorum & ancillarum Dei
collegia, quæ Innocentium agnoſcunt. Denique epiſcopi, abbates & principes pe-
ribunt. Unus ex principibus mundi arcam Petri intravit iſte Rogerius; hic ſolus,
ceteris omnibus ſubmerſis, ſervabitur. Sed abſit, ut totius orbis religio pereat, &
ambitio Petri, cujus vita palam eſt qualis exſtiterit, regnum calorū obtineat. Ad
hæc verba univerſi qui aderant acclamantes, & vitam Petri-Leonis, & cauſam ex-
ſecrati ſunt. Abbas vero Petri Piſani prehensâ manu: Tutioſam inquit, ſi mihi cre-
das, arcam ingrediemur. tum privatis illum monitis aggreſſus, ei demum perſuaſit;
ut ad Urbem rediret, ac Innocentio reconciliaretur. At rex necdum obedire voluit,
quia beati Petri patrimonium, quod in Caſinenſi & Beneventana provincia ampliſſi-
mum eſt, occupaverat, quod ſibi obtentu pacis relinquendum ſperabat.

CXL.
Lotharius im-
perator obit.

Dum hæc apud Salernum agerentur, Lotharius Galliam ciſalpinam prætergreſ-
ſus, *Trigentinam* ſeu Tridentum venit, ut in chronico noſtro Saxonico legitur, ibi-
que feſtum S. Martini cum gaudio celebravit. Mox ibidem inſirmari cœpit; at lan-
guore licet in dies ingraveſcente, *amore magno reviſendæ patriæ, nec ob hoc iter
ſuum remorari patiebatur. Sed, prævalente mortali ægritudine deſperatus, cum epi-
ſcopi, qui aderant, exitum ejus unctiōne ſacri olei & vivificis ſacramentis muniffent,
 tandem apud Breduwam villam, in faucibus alpium conſtitutam, ille heu! multis
lamentabilis, utpote pax eccleſiæ, amator religionis & juſtiæ III. * nonas Decem-
bris a ſæculo migravit.* Sic chronographus Saxonicus ejus temporis, qui ſubdit, cor-
pus ejus delatum in patriam ſepultum fuiſſe regio more in hereditate paterna, in
loco dicto *Lutheren* ſeu Luttera, id eſt in monaſterio noſtri Ordinis, quod ab ipſo
conditum fuiſſe ſuperius^a diximus. Centenarius erat Lotharius, ſi Petro diacono
credimus, cum deceſſit. Fallitur vero^b hic auctor, cum ait, Lotharii corpus Mo-

a ſupra n. 64.
b Chron. Caſin.
lib. 4. c. 126.

ANN. CHR.
1137.

guntia ſepultum fuiſſe. Præter Lutterenſe monaſterium idem imperator aliud quo-
que noſtri Ordinis celebre monaſterium, *Kemnitz* vocabulo, in territorio Miſnenſi,
in monte prope illam urbem exſtruxit, & in honorem beatiffimæ Dei-genitricis
Mariæ, & ſanctorum Johannis-Baptiſtæ & Johannis-Evangeliftæ conſecrari curavit.
Floruit in illo monaſterio Leonis X. pontificatu Henricus abbas, plurimum ob lit-
terarum & librorum amorem laudatus a Paulo Langio in chronico Citizenſi, ubi ſe
non ſemel ab eo humaniſſime exceptum fuiſſe dicit tempore exſilii ſui; & cum
Trithemii juſſu Germaniæ bibliothecas perluftraret. Patrum noſtrorum memoria,
reſerato Lotharii maſoleo, inventa ſunt ejus oſſa, panno ſerico rubri coloris invo-
luta; tabulaque plumbea, cui inſculptum erat ejus epitaphium, a Schateno relatam,
in quo ſecundo nonas Decembris obiſſe dicitur.

Petrus diaconus Caſinenſis binas Richizæ auguſtæ litteras ſcripſit, ut eam ſuper
morte Lotharii imperatoris conſolaretur. In prioribus litteris ait, ſe aliquamdiu diſ-
tuliffiſſe ut ei ſcriberet, dum tantisper remitteret dolor: poſtea, cum jam obducta
videretur plaga, optimo ac ſollemni conſolandi genere eam aggreditur. *Hi itaque
ſteant, inquit, gemantque diutius, quorum delicatiſſimas mentes enervavit longa fe-
licitas, effeminavit luxuria, qui ſpem ſuam omnino fixerunt in ſæculo, qui quæ ſunt
bona illa perennia, vel ignorant ex toto; vel, ſi ſciunt, oblectamenti ſopiti mundiali-
bus negligunt. At quorum ſere omnes anni per diverſas curas tranſierunt; quorum,
juxta Apoſtolum, converſatio in calis eſt; qui & vanitates ſæculi, & calis gaudia pru-
denti ac diſcreto corde perpendunt; graviſſima quoque qualibet immobili conſtantia per-
ſerunt. quæ omnia Petrus Richizæ aptat: cui etiam condolet, quod ſtatim a morte
Lotharii imperatoris generum ſuum, Henricum ſcilicet Bajoariorum ducem, ami-
ſerit. In poſteriori ad eandem epiſtola Petrus Lotharii præclaras virtutes comme-
morat, aitque eum paſſim de morte cogitaſſe. *Hanc quotidie præ oculis tantus cæ-
ſar habebat, qui, ſicut vidimus & experti ſumus, dum in ejus verſaremur obſequiis;
 ſub imperiali chlamyde alterius militiæ tirocinium oſtendebat. Prius enim in lucis cre-
pusculo miſſam pro defunctis audiebat; dehinc pro exercitu; poſtremo miſſam diei. De-
mum cibum, potumque viduis, pupillis, ac ceteris pauperibus large diſtribuens, quæ-
ſtiones & oppreſſiones eccleſiarum relevabat: & in ultimo in cura imperii inſudabat.*
Deinde commemorat ejuſdem in Caſinenſe monaſterium devotionem & bene-
volentiam, ubi cum remoraretur, *omnibus noctibus ita clauſtrum & omnes officinas
monaſterii, ac ſi abbas vel quilibet decanus, circuibat, ſcire cupiens, qualiter unuf-
quiſque ſub beati Benedicti magiſterio viverent; factoque mane per omnes monaſterii
eccleſias cauſa orationis diſcalceatis pedibus incedebat. Quo autem affectu, quove
amore Caſinenſem dilexit eccleſiam, oſtendit, cum dixit, prius ſe ſinere omnia privile-
gia & conſeſſiones eccleſiarum convelli, quam aliquid de dignitatibus & privilegiis
Caſinenſis eccleſiæ minui; & prius ſinere electionem omnium epiſcoporum, archiepiſco-
porum & abbatum, qui ſunt in toto orbe Romano, tollere, quam ſolummodo Caſinen-
ſis abbatis. Dicebat enim, abbas ſi ex conſenſu monachorum electus non fuerit, abbas
non eſt: & quicumque electionem monachis tollit, omne monaſterium convellit. In
fine Petrus Lotharii quoque in ſe affectum prædicat, a quo *logothetæ, exceptoris &
 auditoris officio honoratus ſit. Nimius ſim fortaiſſe in his referendis epiſtolis, quas
 in Appendice integras videre licet. Vix quatuor annis Lothario ſupervixit Richi-
za, quæ ad eum in Lutterenſi monaſterio jacet.***

CXLI.
Petrus diacono
imperatori-
cem litteris
conſolatur.

Digeſſo e Campania Lothario, cum Rogerius totius provinciæ agros vaſtaret,
Wibaldus abbas nuntium cum litteris ad imperatorem miſit, ut ejus opem adver-
ſus Rogerii aſſultus imploraret. Verum cum ejus diſceſſus ſpem omnem auxilii ab-
tuliffet, Caſino diſcedere, & abbatiam abdicare conſtituit. Acceſſit etiam alia in-
ſuper diſcedendi cauſa, reſtitus ſcilicet Rainaldi Etruſci, nuper abbatia dejecti, qui
contractis amicorum, propinquorumque auxiliis, S. Germani urbem recepit, &
poſtridie Caſini montem ad occupandam abbatiam ſubiit. Itaque Wibaldus de-
plorata imperatoris ope, legatos ad Rogerium miſit, ut ejus benevolentiam ſibi
conciliaret. Legatis reſpondit Rogerius, ſe nulla ratione adduci poſſe, ut abba-
tem a Lothario conſtitutum in Caſinenſi monaſterio conſervaret, immo eum ſi in
manus ejus veniret, ſe laqueo necaturum. Quæ ubi Wibaldus accepit, metu exter-
ritus, iv. nonas Novembris, inconſultis fratribus e monaſterio^a aufugit, litteris ad
eos ſcriptis, quibus eligendi ſucceſſoris poteſtatem eis faciebat. Exſtant in Appen-

CXLII.
Wibaldus Ca-
ſini abbatiam
abdicat.

a ibid. c. 127.

dice chronici Casinensis novæ editionis hæ litteræ Casinatibus inscriptæ, in quibus hæc leguntur. *Hactenus in agro dominicæ culturæ, id est in vestra fraternitatis prælatione, arbor umbram, & non fructum faciens, terram occupavi, non sine timore vocem audiens Domini dicentis: Succide eam, quæ & ex se fructum non reddit, & sibi suppositam terram fructificare impedit. Quoniam igitur securis ad radicem jam posita est, ut omnis arbor, quæ fructum non faciat, succidatur: nos consilium propheticum diutius dissimulare non potuimus; sed quia propter me periculosa & plena desperationis tempestas orta est, nautis cessantibus ipse me in mare mittere non refugii. Itaque, quia sic a vobis recessi, Deo teste, non metu mortis, sed quod mors mea nihil vobis emolumenti, quin potius multum periculi afferre poterat, ut ultra ad vos non reverti disposuerim: præcipio vobis in virtute sanctæ obedientiæ, ut, postpositis partium studiis, remota omni ambitione & venalitate, absque gratia vel odio, aut acceptione alicujus personæ, secundum regulam S. Benedicti, personam catholicam & regularem de corpore vestrae congregationis, invocata sancti-Spiritus gratia, in abbatem vobis & pastorem animarum vestrarum, servata Casinensis cœnobii libertate sine mora eligatis, In fine monet de Rainaldo invasore & perjurio monacho, Etrusco scilicet illo, qui ante eum abbas fuerat, ut nec mentio apud illos fiat.*

CXLIII.
Rainaldus secundus ejus loco substituitur, a *ibid.* c. 28.
* *Collemexco.*

Post novem a Wibaldi discessu dies, acceptis his litteris fratres in unum conveniunt, & Rainaldum illum Colementanum, qui in priori electione Rainaldi Etrusci æmulus fuerat, unanimi consensu eligunt. Erat is nobilissimo Marforum comite apud Colementum * in Valeria provincia ortus, qui tertio ætatis suæ lustro factus sub Oderisio secundo Casini monachus, magna morum honestate, litterarum scientia & animi constantia præditus erat, qualem eum esse oportebat, ut Rogerii minis & insultibus resisteret, quod ille strenue præstitit. Ejus electione accepta, Wibaldus gratulatorias de ejus electione litteras cum pastoralis anulo ad eum misit, quæ litteræ itidem existant in Appendice chronici Casinensis, in quarum inscriptione Guibaldus se ipse abbatem Stabulensem indigitat, sicque novum electum affatur. *Electum vos communi fratrum conveniuntia, & in ecclesia Casinensi regulariter ordinatum audientes, gaudio gavisi sumus: quippe qui, licet officio eidem ecclesiæ administrare deserimus, affectu tamen & sollicitudine non alteratum animum gerimus. Eapropter vos in nomine Domini per presentia scripta ab obedientia, quam nobis promissis, omnino absolvimus, & qui vobis aliquando indigne præsumimus, vestri subditi & servi & esse, & dici non erubescimus.* Tum decanum, ceterosque fratres ei commendat, eidemque decano peculiarem epistolam scribit, in qua recenset ea, cimelia & ornamenta, quæ ob temporum miserias distracta & opignerata fuerant.

Post hæc Wibaldus ad Stabulense monasterium rediit, eique deinceps præfuit usque ad annum MCLVIII. Præterea monasterii sui privilegia ab Innocentio II. Cælestino II. Lucio item II. & Eugenio III. confirmari curavit. Liber ejus epistolarum in monasterio Stabulensi asservatur. Idem Willibaldus laudatur in chronico Valciodorense, ubi scholis olim præfectus fuerat; idemque Corbeia-novæ abbas fuit, ut superius vidimus. Quin etiam Valciodorensis abbas c post Theodoricum secundum postulatus fuerat: at postulationi minime acquiescere voluit, sed Robertum Stabulensis ecclesiæ decanum subrogari curavit.

b *Spicil.* to. 7.
p. 169.

c *ibid.* p. 572.

CXLIV.
Privilegium aureis caracteribus pro Stabulensi monasterio obtinet Wibaldus.

[Præclarum, dum adhuc in Italia versaretur, obtinuit a Lothario imperatore privilegium aureis caracteribus exaratum, bullaque aurea insignitum, in quo sic loquitur imperator: *Stabulense monasterium, a prædecessoribus nostris regibus & imperatoribus nobiliter constructum, & magnis possessionibus ampliatur, multisque privilegiis magnifice honoratum, & libertate singulari donatum, cum tamquam nostrum proprium arctius diligamus, & in omnibus juste opitulari velimus: præcipue tamen personam domni ac venerabilis abbatis Wibaldi, qui eidem cœnobio regulariter præest, præcipuo amore & familiaritate nostra dignam judicamus, cujus fides & devotio circa stabilitatem & honorem imperii in hac Italica expeditione manifeste satis enituit, qui post multos labores & pericula, quæ pro nobis & nobiscum in administratione nostri imperii in Apulia fideliter pertulit, nobis redeuntibus in monasterio Casinensi, a fratribus ejus loci & universo populo violenta & admirabili prorsus electione in abbatem raptus, & ad honorem & firmitatem nostri imperii remanens, nostram celsitudinem petiit, ut Stabulense monasterium, cujus curam non deposuerat, & res ad ipsum pertinentes nostro imperiali privilegio munire & confirmare dignaremur.* Hæc præfatus

tus

rus Stabulense monasterium cum Malmundario & omnibus prorsus appenditiis sub suam suscipit tutelam, ita ut nulli umquam regum aut imperatorum eandem abbatiam cum omni integritate & advocatia omnium possessionum ejus ullo alienationis modo scindere a regno liceat, vel alium ei dominum imponere, &c. Statuit etiam, ut Malmundarium cum omnibus suis pertinentiis a Stabulensi numquam divellatur aut separetur monasterio, quod jam tertio tentatum est. Defuncto autem abbate, uterque conventus ad Stabulense cœnobium conveniens, liberam habeat eligendi abbatis secundum regulam S. Benedicti facultatem, hac præponderante ratione, ut ex Stabulensi ante omnia persona, si inveniatur idonea, eligatur. *Advocatum a manu nostra, inquit, accipiat, &c. Castellum Longiæ cum toto montis corpore, & utrisque vallibus & comitatu ad indominicatum abbatis manum, & potestatem & ordinationem, &c. pertinere decernimus, & quidquid regum aut imperatorum largitione possidet idem monasterium, id totum confirmat.* Testes fuere qui & adfuerunt *Albero Trevirensis archiepiscopus, Cuonradus Magdeburgensis archiepiscopus, Meingoldus Merseburgensis episcopus, Albero Basiliensis episcopus, Albero Leodiensis episcopus, Anselmus Halvelbergensis episcopus, Henricus Tullensis episcopus, Cuonradus abbas Fuldenfis, Henricus dux Bavariæ & marchio Tusciæ, Cuonradus marchio de Witin, Meinfridus marchio, Fridericus marchio de Aniona, & frater ejus Warnerus, comes Landulfus, Bucca Vitelli, comes Poppo, comes Adulphus, & alii multi barones Romani imperii.*

*Signum domni Lotharii tertii * Romanorum imperatoris invictissimi.*

Ego Ethardus vice Henrici Ratisponensis episcopi & archicancellarii recognovi.

Ego Engelbertus monachus vice Bertulsi notarii scripsi.

Data anno dominicæ incarnationis MCXXXVII. indictione I. X. kalendas Octobris, anno vero regni regis Lotharii tredecimo, imperii quinto.

Actum Aquini in Campania in Christi nomine feliciter, amen.]

Lotharii imperatoris mortem præcessit obitus Willelmi Pictavenfis comitis & Aquitaniæ ducis, eo nomine noni, qui paullo ante, eximium pietatis exemplum edidit. Hic enim non modo Bernardi monitis a schismate resipuit, ut superius vidimus; sed etiam honores ac dignitates hoc anno abdicavit, & Compostellam ad S. Jacobum profectus est, ubi ante aram beati apostoli piissime animam exhalavit. Ante suum e patria discessum filiam suam Alienordem seu Eleonoram Ludovico juniori Francorum regi conjugem dari præcepit, eundemque regem honorum suorum heredem constituit. Ordericus^a de ejus obitu agens, ait, eum memorem malorum, quæ nuper in Normannia patraverat, poenitentia motum ad S. Jacobum peregre profectum esse. *Deinde, inquit, feria VI. parasceve, v. idus Aprilis, sacra communionem munitus est, & ante aram beati Apostoli venerabiliter defunctus est.* Paullo ante obitum Gosfrido seu Gaufrido abbati & monachis Angeriensibus *Concham de Esnenda*^b donavit, eo pacto, ut patris sui & suum ipsius anniversarium facerent. quam donationem se facere dicit *propter enormitatem peccatorum suorum.* Hoc donum fecit *apud Maustiacum in curia Ottonis comitis sub umbraculo, & cum baculo dato ibidem in manu domni abbatis Gaufridi confirmavit.* Gaufridus abbas successerat Hugoni de quo superius^c actum est. Liber vulgatus de vita Guillelmi seu Willelmi comitis, auctore, ut præfertur, Theobaldo nescio quo episcopo, mera fabula est, qua de re consulendus Henschenius ad diem XI. Februarii. In archivo S. Maxentii monasterii apud Pictones, habetur charta de hominio, quod quidam Hugo Sobet Petro abbati præstitit anno MCXXXVII. *Guillelmo comite Pictavensium mortuo apud S. Jacobum, & in loco ejus Ludovico rege puero.* Perinde est quod Sugerius, aliique dicunt, eum *in via seu itinere, id est ante reditum obiisse.* Huic interpretationi favet chronographus Mauriniacensis initio libri tertii, ubi idem Guillelmus apud S. Jacobum decessisse dicitur, & *in eadem ecclesia beati Jacobi tumulatus fuisse.*

Non diu Willelmo duci supervixit Ludovicus Grossus rex Francorum, qui tum gravissimo profluvii morbo laborabat. Is a quadam expeditione redeundo Parisios, cum ad castrum Bestiacum pervenisset, eum subsecuti sunt nuntii Guillelmi Aquitaniæ ducis, nuntiantes, *eundem ducem ad S. Jacobum peregre profectum in via demigrasse: sed, antequam iter aggrediretur, & etiam in itinere moriens filiam nobilissimam puellam, nomine Alienor [Ludovico juniori] desponsandam, totamque terram suam eidem retinendam & deliberasse & dimisisse.* quo nuntio accepto, rex Alienor-

Annal. Bened. Tom. VI.

O o

* *Secundi.*

CXLV.
Willelmi Aquitaniæ ducis extrema facta & obitus.

a *Orderic. lib.*
13. p. 909.

b *Bessy, Comes*
p. 572.

c *lib. 75. m. 1312*

CXLVI.
Ludovicus Grossus moritur.

dem filio suo Ludovico copulari iussit. Mox eundem Ludovicum regio apparatu ad celebrandas nuptias Burdegalam misit cum Theobaldo palatino comite & Radulfo comite Viromandensi, necnon magno virorum nobilissimorum comitatu, quos inter unus erat Sugerius S. Dionysii abbas, qui hæc refert, & mortem regis vere christianam accurate describit. Jam sexagenarius erat, cum post expeditionem contra Theobaldum Campaniæ comitem susceptam ac peractam, in castello novo Montis-Treherii ex ventris profluvio gravius infirmari cœpit: ubi hoc unum præoptare se dixit, ut apud sanctos martyres, protectores suos, Dionysium sociosque ejus quomodocumque deferretur, & ante sacratissima eorum corpora, regni & coronæ depositione, coronam pro corona, pro regalibus insignibus & imperialibus ornamentis humilem beati Benedicti habitum commutando, monasticum ordinem profiteri. Morbo invalescente, facta peccatorum suorum confessione, sacratissimo dominici corporis & sanguinis viatico exitum suum muniri petiit. Tum inopinatè lecto se proripiens, vestitus cameram, cunctis admirantibus, obviam corpori domini Jesu-Christi exit. Mox regem exuens, regnum deponit, peccando regnum administrasse confitetur, filium suum Ludovicum annulo investit, eique ecclesiam, pauperes & orphanos commendat, quibus aurum & argentum ac pretiosa cimelia distribui iussit. *His igitur exoneratus, humillime flexis genibus ante sacratissimum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu-Christi, fidei suæ confessionem de sanctissima Trinitate & incarnatione Verbi protulit, & adjecit: Hanc autem sacratissimi corporis ejus eucharistiam illud idem credimus corpus, quod assumptum est de Virgine, quod discipulis suis ad confederandum, & uniendum, & in se commanendum contradidit. Hunc sacratissimum sanguinem illum eundem, qui de latere ejus in cruce pendentis defluxit, & firmissime credimus, & ore & corde confitemur; hocque sacratissimo viatico decessum nostrum muniri, & contra omnem æream potestatem certissima protectione defendi præoptamus.* Percepto viatico, ad cameram rediit, omnique secularis superbiæ rejecta pompa, sola linea culcitra decubuit. Cumque Sugerium, qui adstabat, flentem videret. *Noli, inquit, carissime amice super me deflere, quin potius exsultando gaude, quod Dei misericordia præstitit me in ejus occursum, ut vides, præparasse.* Postea Parisios delatus, viribus deficientibus, accito venerabili Parisiensi episcopo Stephano, & religioso sancti Victoris abbate Gilduino, cui familiariter confitebatur, & confessionem repetit, & exitum suum viatico dominici corporis denuo muniri devotissime sategit. Post hæc se deferri ad ecclesiam sanctorum martyrum voluit, ut quod votum sæpius sponderat, humillime persolveret: at ægritudinis angustiis præpeditus, quod opere non potuit, corde & animo complevit, quippe præcepit, *tapedum terræ, & cineres tapeto in modum crucis deponi*; ibidemque manibus suorum depositus, signo sanctæ crucis se munivit, ac tandem regni sui anno tricesimo, ætatis fere sexagesimo, kalendis Augusti spiritum emisit. In ecclesia Dionysiana, ante altare sanctissimæ Trinitatis, uti optaverat, sepultus est ad tumulos Caroli-Calvi imperatoris & regis Carolomanni, in loco, quem forte vacuum illic Sugerius cum Herveo priore invenit. Hic desinit liber de vita ipsius Ludovici Grossi, quam Sugerius, qui-cum in monasterio Dionysiano educatus fuerat, composuit. Laudatur hic liber initio libri tertii chronici Mauriniacensis, ubi, si quis Ludovici extremi morbi ac mortis modum ac sepulturæ locum scire cupit; *quasdam lectiones*, ait chronographus, *quæ a Suggestio viro sapienti editæ, in ejus anniversario leguntur, studiose revolvat.* [Has lectiones habes in præfatione ad tomum IV. Amplissimæ collectionis.]

CXLVII.
Sugerius testam-
entum con-
dit.

Rege necdum mortuo Sugerius abbas de sua ipsius morte sollicitus, testamentum condidit, in quo ait, se iniquitatum suarum memorem, ad fratrum suorum *votivas orationes* confugisse, & cum eis in capitulo refedisse; ubi coram eis recolens annos suos in amaritudine animæ suæ, divina erga se beneficia, suamque ingratitude agnovit: quippe quem Domini manus pauperem de stercore erexisset, & cum principibus ecclesiæ & regni confedere fecisset. Unde tactus dolore cordis intrinsecus, fratrum suorum provolutus vestigiis, ut apud verum vitæ protectorem, opem ferant, suppliciter efflagitat; petitque, ut toto vitæ suæ tempore missam de Spiritu-sancto quotidie pro se celebrari faciant, & post mortem anniversarium suum peragant; & singuli sacerdotes sacrificium pro se offerant: reliqui fratres quinquaginta psalmos eadem die recitent: qui vero litteras nescierint, eo quo potuerint modo precibus sibi subveniant. Quapropter capiciario* fratri, sive ædituo hanc cu-

* le Chevencier.

ram injungit, ut ipsa die refectionem fratribus accurate præberi procuret, duas videlicet, *communes, non qualescumque*, sed amplas, *pitantias*, præter generale, quod cellerarius quotidie parare debet. Cetera prætereo, quæ apud Chesnium^a & apud Felibienum nostrum videre licet. *Actum apud S. Dionysium in communi capitulo xv. kal. Julii, anno incarnati Verbi MCXXXVII. indictione XV. epacta XXVI. concurrente IV. luna XXVI. anno vero administrationis nostræ XVI.* His litteris apposita sunt signa domni *Hervei prioris, Tewini subprioris, Bernardi præcentoris, Willelmi chartographi, Stephani thesaurarii, Gaufridi capiciarii, Johannis infirmarii, Henrici cellararii, Alberti quondam abbatis, Vincentii quondam abbatis*, tum octo aliorum sacerdotum, diaconorum decem, totidemque subdiaconorum, ac totidem puerorum; & post eos *Gosleni Successionis episcopi, Gaufridi Carnotensis episcopi, Hugonis Turonensis archiepiscopi, Samsonis Remorum archiepiscopi, Milonis Morinorum episcopi, Guarini Ambianensis episcopi, Odonis Belvacensis episcopi, & Rotberti abbatis Corbeia.* Ex his quidam episcopi post tempus conditi testamenti subscripti sunt, in his Samson Remorum archiepiscopus, qui non ante annum MCXL. federe cœpit, cum fedes Remensis biennio vacasset. nam Rainaldus de Martiniaco ejus antecessor anno sequenti MCXXXVIII. ineunte mortuus est. Qui ultimo loco subscripsit Rotbertus Corbiæ abbas, e Dionysiano cœnobio assumtus fuerat. Hactenus Sugerii anniversarium sollempni ritu in ecclesia Dionysiana celebratur.

Idem anno sequenti collegiata beati Pauli ecclesiæ, quæ principi basilicæ Dionysianæ adhæret, plurima beneficia contulit. Claustrum liquidem canonicorum & officinas claustrum adherentes omnimoda libertate donavit, ecclesiam sancti Johannis, in atrio sancti Dionysii sitam, eis contulit, eidemque refectionem procurari voluit in die anniversarii sui, cui interessè debeant. Ad hæc statuit, ut iidem canonici in obitu singulorum fratrum ad eorum funus conveniant, & missam pro singulis apud S. Hilarium celebrent, & psalterium recitent.

Ipsa die, quæ rex Ludovicus e vita migravit, id est ipsi kalendis Augusti, apud Corbeiam, prædicto Rotberto abbate loco præfidente, S. Petri basilica incendio ex proxima domo exorto exarsit; dum sollempne matutinorum officium de S. Petro ad Vincula caneretur. Abbate fratribusque tanto infortunio consternatis, animos eorum relevarunt duo ejusdem abbatis homines beneficiarii seu clientelares nobiles, Drogo Waudrici filius, Corbeia castellanus, & Bernardus senior seu dominus Morolii, qui ligna ex silva & nemore suo, aliaque subsidia ad instaurandam basilicam statim obtulerunt, factoque compleverunt. Idem de Gallerio Helliacensi; Thiolandi de Ribodimonte primo filio, qui præfens aderat, & proximam Corbeia silvam habebat, expectabatur: at ille ad istorum oblationes surdus obmutuit. Prædictus Bernardus postea Corbeia monachus factus est, quem in cœmiterio fratrum extra ecclesiam ad orientalem plagam, uno pariete interposito, sepeliri curavit Nicolaus ejus filius, ejusdem loci post Rotbertum abbas: cujus tempore, scilicet post quatuordecim abhinc annos, iterum combusta fuit ecclesia, totaque abbatia cum opido adjuncto, & ab ipso Nicolao reedificata. Nonnihil etiam ad priorem illam reparationem contulit Alvisus Atrebatensis, unius quadagesimæ de injuncta poenitentia relaxationem indulgens fidelibus suæ diocesis, qui *ad diem in Corbeienfi ecclesia conditum* seu indictum* convenirent, quo corpora sanctorum inibi quiescentium extra muros ad locum huic officio deputatum cum maxima, ut dignum est, reverentia ac frequentia populorum, illuc e diversis partibus confluentium, deferrentur.

CXLVIII.
Corbeia-veteris basilica incendio consumta.

* le Lendy.

In Sithiensi monasterio florebat tunc temporis inter alios Willelmus monachus Francigena, quem Innocentius II. Beneventana urbe in Lotharii potestatem, ut superius dictum est, redacta, ad S. Sophiæ in illa urbe monasterium transtulit: ubi positus sex sermones ad fratres in capitulo habuit. Primus ex illis fuit sermo de hydropico evangelico, qui cum plerisque fratribus, in primis vero Franconi abbati plurimum placuisset, eidem Willelmo stimulum addidit ad alios componendos, quos Innocentio papæ dicavit, præmissa ad eundem epistola, quæ sic incipit:

CXLIX.
Willelmi monachi sermones Innocentio dicati.

Domino religiosissimo & reverentissimo summo & universali papæ Innocentio secundo, Francigena Willelmus, humilis & indignus monachus de cœnobio S. Bertini, quod in Flandria situm est, salutis & gaudii plenitudinem perenniter possidere. Cum ex præcepto omni sæculo reverendæ & Deo amabilis vestræ paternitatis in cœnobio S. Sophiæ, quod Beneventi situm est, habitarem; stimulante me jamdiu cogitatione, quidam divi-

ANN. CHR.
1137.

nus, ut arbitror, amplius ardor accendit, quatinus ad honorem vestrum & matris utilitatem ecclesie, & parvitas mea pre ceteris emendationem, quidpiam scripturarem. Cumque mecum frequenter, quid id esse posset, totis anima mea nisibus cogitarem, accidit ut inter plura alia, quae sepe fratribus in capitulo exhortationis causa dicere solebam, de hydropico evangelico quadam die facerem sermonem: qui cum quibusdam fratribus, abbati vero Franconi quam maxime plurimum placuisset, instanti & veluti exactorie, pro fraternae caritatis fiducia, ceperunt a me prece postulare, quatinus eundem sermonem, valde posteris, ut aiebant, utilem futurum, non pigritarem litteris commendare. Extimui, fateor domine mi pater amantiſſime: quia nec in his aliquando exercitatus, nec tanta eram scientia. Sed quid esset, quod non vel cum mei pudoris detrimento, blanda fraternae caritatis extorquere posset exactio? Feci ergo ut potui, nec tamen ita breviter, ut in capitulo prius dixeram: sed tripliciter expositum fratribus ostendi, quem cum viderem pluribus placere, mihi quoque, fateor, cepit non displicere. Sumpta majori quapropter audacia, & considerans hominis non esse viam ejus, jaetavi in Domino cogitatum meum, & sacro suffragante Spiritu, alios facere quamplures aggressus sum, non de litterarum seu facundia, quae mihi nulla est, abundantia, sed de conferenda mihi sanctorum meritis & fratrum precibus praesumens gratia. Sermones itaque de diversorum temporum lectionibus LX. complevi, vestroque potissimum nomini sanctissimo dedicavi, &c. Tum subdit, se nonnullos ex his sermonibus domino Guidoni Florentino, Beneventano quondam rectori, nunc autem, inquit, de sancto Grigono cardinali presbytero, legendos communicasse. Integram hanc epistolam ex codice Vallicellano descriptam in Appendice videre licet, cum primo ejusdem Willelmi sermone, ex quo de ejus ingenio & pietate quivis conjecturam possit facere.

CL.

Obitus Odonis
abbatis Majoris-
monasterii.

[Hoc ipso anno obiit vir religiosissimus Odo abbas Majoris-monasterii, qui resolutionis suae tempus ex revelatione facta cuidam monacho suo agnovisse dicitur. Anonymus Majoris-monasterii obitum ejus designat ad XIX. Junii. Verum in necrologio monasterii Pontis-levis die XIII. Aprilis notatur. Successorem habuit Garnerium, virum eximia virtutis, quem anonymus hoc praconio praedicat. *Hic omnium abbatum hujus ecclesiae piissimus fuit.* Is antequam Majoris-monasterii iniret praefecturam, fuisse videtur ille Garnerius qui prior fuit B. Mariae de Rameruco * in dioecesi Trecenti, & S. Thomae de Sparnone * in Carnotensi. Is eodem anno celebravit capitulum generale trigesimo primo die Decembris, cui interfuerunt tres insignis meriti episcopi Gaufridus Carnotensis & apostolicae sedis legatus, Donoaldus Aletensis seu Macloviensis, & Evenus Venetensis.]

* Rameruco.
* d'Esparnon.

CLII.

Guarino abba-
ti Uticensi suc-
cedit Richar-
dus.
a Orderic. lib.
13, p. 910.

Extremus fuit hic annus Guarini abbatis Uticensis seu S. Ebrulsi, qui anno aetatis sexagesimo-tertio, monasticae professionis quadragesimo-tertio, praefecturae quarto-decimo, pie occubuit. Hic XVII. kal. Julii cum missam celebrasset morbo correptus, quinque diebus graviter aegrotavit, & quotidie missae, quam per annos triginta sapissime sacerdos ipse celebraverat, aegrotus interfuit. Cum vero se ad exitum urgeri sentiret, facta peccatorum confessione, oleo sacro se inungi, & sacro viatico muniri expetiit; sicque XI. kal. Julii ad Dominum migravit. Sepultus est in capitulo ad Osbernum abbatem, ejusque epitaphium Ordericus, ejus olim sodalis, composuit. Successor a fratribus electus est absens Richardus de Legrecestra, qui tunc in Anglia pro monasterii negotiis versabatur. Is ante conversionem sexdecim annis canonicus Legrecestrae fuerat, tum in curia Rodberti comitis de Mellento, ut consiliarius & arcanorum conscius, diu commoratus fuerat, vir facundus & multis animi dotibus instructus: sed non diuturna fuit ejus praefectura, quippe qui anno ejus tertio defunctus est.

CLIII.

Floriacensibus
data S. Ite-
rii ecclesia Solia-
censis.
* Sully.
b V. supra n. 100

In pago Aurelianensi ad Ligerim, tribus circiter leucis a Floriacensi monasterio, exstitit jam pridem, exstatque etiam nunc haud incelebre opidum Soliacum *, arx quondam munitissima, ducatus titulo nunc insigne: cujus loci domini advocatae titulo multas olim molestias Floriacensibus intulerunt. Illic ecclesia est sancto Ite-rii confessori & episcopo Nivernensi sacra, quam Helias, anno superiori * creatus Aurelianorum episcopus, suggestu Innocentii papae hoc anno Ademaro abbatum Floriacensi, qui Boloni II. recens successerat, ejusque successoribus contulit, ut monachos in ea collocaret canonicorum loco, qui ibidem tunc residebant. *Notum fieri volo*, inquit Helias, *cunctis fidelibus, tam futuris, quam praesentibus, mihi a domini papae Innocentii reverentissimi patris nostri benevolentia significatum esse, ut*

ANN. CHR.
1137.

in ecclesia sancti Ite-rii Soliacensis religionem, personaeque ad Dei servitium idoneas instituerem. Idcirco pro domini papae sententia & voluntate, communicato cum prudentibus & religiosis viris Aurelianensis ecclesiae consilio, praedictam Soliacensem ecclesiam pro reverentia corporis beati Benedicti, quod in Floriacensi caenobio Dei providentia & gratia requiescit; quia etiam ipse totius monasticae religionis institutor & pater est; praefato abbati Ademaro, ejusque successoribus, & capitulo Floriacensis monasterii universo ad servendum Deo sub religione monastica dono, atque in perpetuum concedo, salvo per omnia jure Aurelianensis ecclesiae, & illorum canonicorum, qui, cum hoc donum factum est, in ecclesia Soliacensi commorantur. Actum Floriaci publice hoc anno, Heliae episcopi primo, Ludovico rege Francorum & duce Aquitanorum regnante. Perfitere in illa ecclesia Floriacenses per multos annos; sed tandem collegium saecularium canonicorum denuo ibidem restitutum est. Ademari abbatis tempore per multos annos valde attrita fuisse dicitur Floriacentium substantia, in quodam fragmento historico apud Chesnium ^a, idque accidisse, tum abbatum ^a Chesn. 10. 4. commutatione, tum mira monachorum ipsius ecclesiae cum Romanis legatis conflictatione, tum vinearum jam per septem annos desertione, & pro hoc vini paene assidua ^a 423. comparatione; at praesens omnibus infortunis, regis ac regiorum ministrorum exactioibus. Quam ob rem Macarius abbas, Ademari post octo annos successor, subsidium conferre jussus ad expeditionem sacram, loci paupertate se excusare, sed frustra, tentavit, ut suo loco videbimus.

Inter varias cellas & ecclesias, quae a Tironensi monasterio pendebant, una erat cella sancta Michaelis apud Lucezium in dioecesi Turonensi, quam Briccius de Chilo, magna discretionis & generositatis vir, fundaverat. Postea eidem visum est, ut illam cellam, quae multorum monachorum erat, in abbatiam erigeret, idque a Willelmo Tironensi abbate impetravit per Hugonem Turonum archiepiscopum, qui ea de re Willelmo abbati & sanctissimo conventui ejusdem caenobii gratias egit, litteris ^b hoc anno datis: in quibus se eorum ecclesiam, & omnia loca ad eam pertinentia paterno affectu amplecti dicit, eisque consilium & auxilium promittit. Praedictus autem Briccius & frater ipsius Adelelmus eandem abbatiam omnino liberam esse voluit, statuitque, ut abbatum ejusdem loci futura electio in providentia & potestate Tironensis abbatis & conventus perpetuo jure maneat; & quando Tironensis abbas ad praedictum sancti Michaelis locum, quem Lucizensem vocari constituit, vel ad quodlibet ejus praedium advenerit, honorifice, ut decet, recipiatur; & ejus loci abbas propria fedem ei cedat. Superest etiam nunc haec sancti Michaelis abbatia, sed nomine mutato abbatia de Bosco-Alberici vocatur.

CLIII.
Lucezii abbatia
erigitur.^b Gall. christ.
10. 1. p. 767.

In Santonensi beatae Mariae parthenone Sibyllae abbatissae, de qua in superioribus mentio facta est, successit Agnes de Berbezillo *, Alienordis Ludovico Juniori nuptae amita, quae ex cellaria monasterii abbatissa hoc anno facta erat, ut patet ex quodam instrumento initae cum Giraudo-Salsa concordiae anno MCXXXVII. primo, quo dominus Ludovicus cepit Aquitanicum populum regendum, & secundo anno episcopatus domni Gaufridi archiepiscopi Burdegalensis. Eidem Agneti rex Ludovicus omnes ejusdem caenobii possessiones triennio post confirmavit, quod Alienordis regina iudem firmavit, teste Aelyth sorore sua, ut in ejus diplomate legitur, in quo Agnetem amitam suam vocat. Alteram Agnetem ei successisse aiunt: sed quo anno, haud facile est divinare.

CLIV.
Sibyllae abba-
tissae Santonen-
si succedit A-
gnes.
* de Berbezillan.

Ejusdem Alienordis amita erat Agnes, aliis Mathildis appellata, primum nupta vicecomiti Toarcensi, quam Ranimirus seu Ramirus, ex monacho Aragonum rex ante triennium factus ^c, secundis nuptiis uxorem duxit. Ex hoc connubio prodiit Petronilla, quae vix bimula Raimundo-Berengarii, Barcinonensi comiti, viro strenuo ac modesto, in matrimonium tradita est cum totius regni integritate, cujus curam & administrationem Ramirus tunc abdicavit. Exstat hujusce matrimonii & traditionis instrumentum in Appendice Marcae ^d Hispanicae, datum III. idus Augusti hoc anno, era MCLXXV. praedicto rege Ranimiro regnante, cujus signum cum A & Ω apponitur; uti & duobus aliis ejusdem argumenti diplomatis. Biduo post, id est pridie idus Augusti, Petronillam in matrimonium accepit praedictus Berengarius, qui tamen titulo regis abstinuit, solo ducis Aragonensis titulo contentus, ut ex Surita ^e eruditissimus Baluzius observavit. Sic regni pondere & filiae suae cura exoneratus Ramirus, ad Oscensem S. Petri ecclesiam secessisse dicitur, quae monachorum an-

CLV.
Ranimirus rex
Aragonum re-
gnum cum filia
sua Raimundo
comiti tradit.
c supra n. 62.^d Marca Hisp.
p. 1284. & seqq.^e ibid. p. 496.

ANN. CHR. 1137. clericorum fuerit, non ita liquet. Quinto-decimo connubii sui anno Petronilla filium procreavit, regni heredem ab ea institutum: qui, quamdiu pater vixit, Raimundi cognomentum postmodum Alfonso tulit. Raimundo patre decennio post apud Augustam Taurinorum, ubi Fridericum imperatorem convenerat, mortuo, & sepulto in Rivipulli monasterio in tumulo majorum, Petronilla regina Alfonso filio, cum annorum duodecim ætatem attigisset, regni administrationem tradit. Sed hæc alios spectant.

CLVI. Guigo prior Cartusie obit. *a supra n. 27. b V. lib. 72. n. 109.* In majori Cartusia, post illud infortunium, de quo superius^a actum est, cum scilicet monachi sex, unusque novitius nivium mole cum cellis obruti sunt, quatuor tantum annis superfuit venerabilis Guigo^b Cartusie prior quintus, qui hoc anno, ætatis suæ quinquagesimo-quarto, conversionis tricesimo, præposituræ vicesimo-septimo, cum ab exordio Cartusie annus quinquagesimus-tertius ageretur, vi. kal. Augusti ad cælum migravit, piorum operum ac laborum præmium percepit.


Ejus scripta & successores. *c ibid.* Ex ejus scriptis quatuor tantum ad nos pervenerunt, nempe Statuta primaria Cartusienfium, quæ ille primus in scripta redegit, quorum specimen alias^c exhibuimus; Meditationum liber, Vita sancti Hugonis episcopi Gratianopolitani, & Epistola ad fratres de Monte-Dei, quæ in postrema editione operum sancti Bernardi ei demum asserta & restituta est. Ex ejus epistolis quatuor tantum supersunt, editæ in Appendice operum S. Bernardi. Prioris post eum officium vix biennio tolerare potuit Hugo ejus discipulus, qui ad parendum promptior quam ad imperandum, Anthelmo præfecturam anno MCXXXIX. resignavit. Anthelmus nobili genere in Sabaudia ortus, cum annis duodecim Cartusie præfuisset, demum Bellicensis episcopus factus est, anno MCLXXVIII. defunctus vi. kal. Julii, dignus habitus, qui in numerum sanctorum referretur. Basilius, Anthelmi in Cartusie prioratu successor, a Petro Venerabili & Petro Cellensi laudatur, de quo inferius.

CLVII. Berthereda Fuldæ religiosa. *d Tradit. Fuld. p. 582.* Jam hoc anno missus est ab Innocentio papa in Germaniam Thietwinus seu Thiodwinus Germanus, cardinalis episcopus Portuensis & S. Rufinæ, cujus tamen legationem Baronius biennio differt, uti & Conradi regis Romanorum electionem, quæ tamen anno MCXXXVIII. facta est in conventu Confluentiæ habito, præsentem Thietwino cardinale qui eum consecravit. Ut autem hujus cardinalis missionem ad hunc annum referamus, persuadet charta^d quædam Fuldensis, in qua Berthereda vidua, paucis annis a morte mariti sui, relicto sæculo Fuldæ se recepit: ubi, facta cujusdam prædii oblatione, præbendam in majori ecclesia *per manum piæ memoriæ domni Conradi abbatis* obtinuit: & aliam in Monte-sanctæ-Mariæ, ubi & se locari petiit, & habitum religionis suscepit. Aderat eodem tempore Thietwinus cardinalis episcopus & sedis apostolicæ legatus, qui ipsam traditionem auctoritate beati Petri apostoli & domni apostolici Innocentii confirmavit; & se quis eam infringeret, in verbo Domini & potestate principis Apostolorum ac domini papæ dispensatione sibi credita, sub ipsis missarum sollempniis, ubi verbum vitæ ad populum habuit, anathematizavit, &c. Acta sunt hæc anno incarnationis Domini MCXXXVII. indictione xv. regnante Conrado glorioso Romanorum rege, tertio anno Conradi Fuldensis abbatis, qui tamen piæ memoriæ abbas in contextu dicitur.

CLVIII. Aliæ res Germanicæ. *e Annal. Paderborn. to. 1. p. 753.* In nostro chronico Saxonico Gerburga Quidelinburgensis abbatissa eodem anno obiisse dicitur; & anno sequenti substituta fuisse Beatrix abbatissa cænobii, quod dicitur Herse. Herisensis tamen parthenonis adhuc abbatissa erat Beatrix anno ejus sæculi tricesimo-nono, quo ejus loci possessionum^e confirmationem ab Innocentio papa impetravit. Ad hæc David Scottus, qui multis annis Herbipoli scholis præfectus fuerat, sanctitate Macarii S. Jacobi abbatis popularis sui permotus, sæculo nuntium remisit, & monasticum habitum in eodem monasterio induisse dicitur a Trithemio ejusdem loci longe post abbate, qui quædam ejus scripta commemorat, in his libris tres de gestis Heinrici V. imperatoris.

CLIX. S. Justinæ abbates. *f V. lib. 73. n. 24.* Apud Venetos, Patavii in cænobio S. Justinæ, Johanni abbati^f morte sublato successus Johannes, quem spectata virtus, uti & ejus antecessorem, Bellino sancto episcopo carum & acceptum reddidit, necnon Eugenio III. a quo apostolicæ sedis protectionem & possessionum confirmationem impetravit. Bellino episcopo impie trucidato non diu supervixit Johannes, anno MCL. mortuus, quem Ardericus abbas excepit. Hic Gerardi episcopi electioni interfuit, quod mirum est Cavacio insolitum videri: cum is mos in omnibus olim episcopalibus ecclesiis obtinuerit,

ANN. CHR. 1137. ut diocesani abbates cum canonicis electionibus episcoporum adessent ac suffragium ferrent. quod etiam in Romanorum pontificum electionibus ante Alexandri III. tempora usu receptum erat. Nec illud saltem apud nostrates insolitum, quod ille primum apud S. Justinam ab Arderico usurpatum tradit, ut agros monasteriorum in beneficium seu feudum laicis darent abbates, improbando certe, sed tamen veteri admodum exemplo. Formulas sacramenti, quo ejusmodi clientes seu feudatarii abbatibus fidem præstabant, idem Cavacius refert.






ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER SEPTUAGESIMUS - SEPTIMUS.

Ab anno Christi 1138. ad annum 1141.

ANN. CHR.
1138.
I.
Conradus rex
Romanorum
creatus.
a lib. 76. n.
149.



LOTHARIO mortuo pridie nonas Decembris, ut superius^a dictum est, Conradus Suevus, Henrici V. imperatoris ex sorore nepos, mox regis Romanorum titulum, (quod post mortem Henrici jam tentaverat) usurpavit, & pro rege a quibusdam saltem habitus est, ut ex præmissa charta Fuldeni intelligimus, data anno MCXXXVII. regnante *Conrado glorioso Romanorum rege*. Anno subsequente Germaniæ principes Moguntiam conventum in festo pentecostes ad regem eligendum indixerunt. At Conradus eorum consilia prævertit, conventu apud Confluentiam* habito quorundam principum, a quibus rex Romanorum die festo cathedræ S. Petri acclamatus est. Favet ejus electioni contra Henricum Bajoariæ ducem Thierwinus cardinalis & apostolica sedis legatus, qui eum dominico die mediæ quadragesimæ Aquisgrani consecravit, ut ex Dodechino discimus, & ex Ottone Frisingensi, quod mirum est a Baronio relatam fuisse ad annum sequentem. Non multo post Henricus Bajoariæ dux, Lotharii gener & Conradi æmulus, invitus regni insignia, quæ socer ejus moriens ei commiserat, Conrado resignavit, eodemque anno interiit. Itaque confirmatus in regno Conradus, ad Bernardum abbatem Claræ-vallensem scripsit litteras querimoniæ, quod Lothario præ ipso favisset. Non abjecit animum ad regis querelas vir sanctus, sed post civilem salutationem respondit in hæc verba. *Querimoniæ regis nostræ sunt, & maxime illa, quam dignanter exprimitis de invasione imperii. Regis decus, regni diminutionem numquam volui: volentes odit anima mea.* Tum Innocentio papæ reverentiam a Conrado exhiberi postulat, sicut ipse sibi vellet eam servari ab universo imperio.

II.
Anacleto obi-
tus.
b Orderic. lib.
13. p. 915.
c Vita S. Bern.
lib. 2. c. 7.

Inter ea Petrus-Leonis seu Anacletus, qui sedem apostolicam septem amplius annis usurpaverat, VIII. kal. Februarii subita morte decessit, inquit Ordericus^b, *atque, ut fertur, a fratribus suis, filiis videlicet Petri-Leonis, quorum in urbe Roma maxima potestas est, ita occultatur, ut, ubi cadaver ejus sepulchrum sit, ignoretur.* Ernaldus^c abbas in libro II. de vita S. Bernardi tradit, Anacleto per triduum datum fuisse poenitentiae locum: sed patientia Dei abusum, in peccato suo desperate mortuum fuisse. Tum miserabili pompa, inquit, corpus ejus effertur; cadaver ejus in laetibus sepelitur; & usque hodie fovea illa a catholicis ignoratur.

Neg

Nec sic tamen omnino fracta concidit schismaticorum factio, qui papam sibi pro Anacleto statuerunt, Gregorium presbyterum cardinalem tit. Apostolorum Victorum dictum, non tam ex pertinacia schismaticis, quam ut per illam moram opportunitas reconciliandi sibi Innocentii daretur. Certe ipse factitius seu fictitius papa notu ad S. Bernardum se contulit: quem vir Dei usurpatis insignibus nudatum ad Innocentii pedes adduxit. Sic per unum fere hominem tota illa schismaticorum factio compressa est. In Anacleto morte desinit continuatio Chronici Casinensis per Petrum diaconum, qui paullo iniquior est in papam Innocentium, cum ait eum imensa in filios Petri-Leonis & ejus asecclas pecunia profligata, eos ad suas partes pertraxisse; sicque cardinales adversæ factionis, omni auxilio destitutos ad Innocentii vestigia supplices se abjecisse, sacramento ab eo accepto, ne illos officiis privaret, bonisve minueret, *sed ad tempus.*

Ex cardinalibus qui Anacleto pertinacius adhaesere, unus fuit Gilo, ex monacho Cluniacensi a Callisto II. creatus episcopus Tusculanus, quem Petrus Venerabilis ante & post mortem Anacleto ad unitatem ecclesiæ revocare conatus est. Prior ex duabus ejus epistolis^a vivente Anacleto inscripta est *Giloni olim Tusculano episcopo*. In hac epistola plurimum se dolere ait abbas venerabilis. Quis enim non doleat, inquit, lugeatque, *carissimum fratrem, & ut sic dicam, uterinum, a visceribus unicæ matris non cum parvo ejus dolore avulsum, sic lapideum permanere, ut nec suæ separationis recordari, nec matris doloribus compati, nec confratrum caritate revocari, nec ad respiciendum quibuslibet incantationibus videatur animari?* Dein Gilonis subterfugia refellit. *Sed forte, inquit, vos ad hæc, nos errare, nos deviare, nos deceptos esse inelamabitis.* Verum id reponit Petrus, quod in simili casu Petro Pisano reposuit Bernardus, scilicet ecclesiam ibi esse, ubi fidelium unanimitas reperitur. Superbæ obstinationis esse paucorum potius, quam devotæ unanimitati multorum acquiescere. Cum majori & saniori parti in omni negotio cedendum sit; qui tantis numero, tantis scientia, tantis sanctitate non cedit, non sapientia, sed infania agi credendum est. Redeat proinde ad matrem ecclesiam, redeat ad suam Cluniacensem ecclesiam, quæ parata sit ipsum piis ulnis excipere, dulcius quam ante fovere; parata ipsam Christo, ecclesiæ, ac domino papæ restituere.

His litteris commotus Gilo, reversionis suæ terminum ad diem pentecostes anno superiori præfixerat; dato anulo suo in arrham fidei datæ. at die præstituta promisso desuit usque ad mortem Anacleto. Unde graves ad eum litteras^b venerabilis Petrus iterum scripsit. *Pentecostes, inquit, illa, quæ in terminum reversionis coram testibus præfixa fuerat, transacta est: & jam anni alterius eadem festivitas in proximo est. Sed forte ea spe, ut tunc innuebas, rem distulisti, qua sperabas ab imperatore Lothario, aut Petrum-Leonis Innocentio papæ præferri; aut, utroque deposito, in apostolica sede alium sublimari. At nunc quid ultra novarum rerum, vel moliri, vel præstolari poteris; quando & Lotharius mortuus est, & Petrus extinctus est, & Innocentius in papam ac summum pontificem, primo ab Urbis parte, postmodum a toto orbe, & tandem a tota Urbe sublimatus est; & tota vanitatis spes divini oris gladio undique circumcisa est? & infra: Moveat cor tuum, saltem sero, fraterna, totiesque repetita admonitio. . . . Lætabimur magis de reddito, quam prius gaudebamus de possessio: & si non abuti hoc verbo volueris, eo eris gratior, quo fuisti tardior.* Tandem Gilo S. Bernardi opera^c ad pedes Innocentii procubuit, a quo vicissim pristinam dignitatem, qua exutus fuerat, recepit. Superstes fuisse videtur usque ad annum MCXLII. quo Ymarus Gallus, S. Martini a Campis monachus & Crispiacensis prior, a Lucio II. creatus est episcopus Tusculanus.

Tempus, quo cardinales omnes, atque adeo Gilo, alique Anacleto asecclæ ad Innocentium redierunt, Bernardus exprimit in epistola^d ad Godefridum Claræ-vallensem, scilicet in octavis pentecostes; ubi & diem sui ex Urbe discessus designat. *In octavis, inquit, pentecostes, ipsa die complevit Deus desiderium nostrum, ecclesiæ unitatem, & Urbi dando pacem. nam illa die filii Petri-Leonis omnes simul humiliaverunt se ad pedes domini papæ, & facti homines ejus ligii, jurarunt ei ligiam fidelitatem. Clerici quoque, qui in schismate erant, simul cum idolo quod erexerant, humilantes se ad pedes domini papæ, obedientiam ei juxta morem promiserunt, & facta est lætitia magna in populo. . . . De cetero jam nihil est quod nos hic detineat. Faciam quod imperastis: Veniam vertimus in Venio. Ecce enim venio cito, etiam &*

Annal. Bened. Tom. VI.

Pp

ANN. CHR.
1138.
III.
Schismaticis finis
per Bernardum.

IV.
Gilonem a
schismate Pe-
trus Venerabi-
lis revocare
tentat.
a Petr. Ven.
lib. 2. ep. 14.

b ibid. ep. 30.

c Ital. fac. 16.
1. p. 264.

V.
Bernardi redi-
tus in Galliam
d Bern. ep. 317.

ANN. CHR.
1138.a Bern. vita lib.
2. c. 7.

merces mea mecum est, victoria Christi, & pax ecclesie. Sexta feria post diem illam erit egressus noster de civitate. Ita schismaticis ad officium reductis, civitas gratuita laetatur, inquit Ernardus a Bonavallis abbas, Innocentio ecclesia redditur, Romanus populus, ut pastorem & dominum, Innocentium veneratur. Abbas Claravallis in mira reverentia habetur, ab omnibus auctor pacis & Pater patrie predicatur. Non diu tantam gloriam tolerare potuit vir modestissimus. Sedatis namque omnibus & compositis, vix quinque dies teneri potuit, qui septem annis & ultra pro resarcienda eadem scissione sudavit. Forte quis putet, Bernardum pro tot tantisque laboribus onustum donis & muneribus Roma discessisse. At ille haud modicum sibi reputavit fructum esse laboris dentem unum beati Cæsarii martyris, quem secum retulit. Exeuntem Roma prosequitur, deducit clerus, concurrunt populus, universa nobilitas comitatur: nec poterat sine mæore dimitti, qui colebatur amore communi.

VI.
Lingonensem
electionem im-
probat.
b Bern. ep. 164.

Dum adhuc Roma versaretur vir sanctus, illuc ierat Petrus Lugdunensis archiepiscopus cum Olrico canonico & aliis, facultatem a pontifice petiturus eligendi b episcopi in ecclesia Lingonensi qua post mortem Willelmi de Sabrano pastore orbata erat. Id archiepiscopo & Lingonensi capitulo concessum, postulante Bernardo, qui apud pontificem id obtinere curavit ea tantum conditione, ut sciret ac certus esset, quod bonam & idoneam personam eligerent. Responderunt illi sibi ita propositum esse, nec aliud se facturos, nisi quod Bernardus consulere, idque archiepiscopus semel atque iterum ei promisit. Quin etiam adductus in testimonium Haimericus cancellarius: immo id quoque auctoritate papæ confirmatum, ut ex duabus personis, de quibus inter sese convenerat, una & non alia eligeretur. His cum multa cautione peractis, discessit ex Urbe archiepiscopus cum suis ante Bernardum: qui transscensis alpiibus quorundam relatu accepit, quemdam Cluniacensem monachum, malæ, ut illi aiebant, famæ, electum fuisse, contra quam inter archiepiscopum & Bernardum convenerat. Conventus a Bernardo archiepiscopus, facti causam retulit ad Hugonem principem, filium Odonis Burgundiæ ducis, qui monachum illum eligi voluerat. quod ipse annuisset pacis intuitu. ceterum se aliam electionem facere paratum esse, si ita Bernardo videretur. Nec electus ipse in speciem obstitisse visus est. Hinc scriptæ ad Lingonensem capitulum litteræ ad iterandam electionem: sed aliæ statim missæ, a principe forte obtentæ, quibus primi illius electi consecratio dilata, non dimissa dicebatur. Nec mora electus Anicium, ubi rex erat, pergit, & ab eo regalia obtinet. Mox indicta futuræ consecrationi dies. Appellatum ad papam a Fulcone Lingonensis ecclesiæ decano, & a Pontio Lingonensi archidiacono alioque canonico, appellatum etiam a Brunone & Gaufrido monachis Claravallis. Hæc omnia Innocentio litteris quamprimum significavit Bernardus.

c id. ep. 166.

Nihilo minus consecratus est ille electus, (exsecrationem Bernardus vocat) ut ex alia epistola c intelligitur; idque præsumsisse dicuntur Lugdunensis, Eduensis, Matifconensis, & amici Cluniacenses. In fraude & temeritate istorum, inquit, heu! quam ingens multitudo sanctorum turbabitur. Quin etiam aurum & argentum his imperasse dicit, leges & canones siluisse. Tum exponit labores, quos pro ecclesia perulerat: in reditu se credidisse, quod evalisset ad requiem: & ecce tribulatio & angustia, inquit, invenerunt me. En lectulo recubantem plus cordis, quam corporis dolor excruciat. Denique papam urget, ut laboranti ecclesiæ, sibi que afflicto succurrat, memor eorum, quæ Deus pro eo fecit. Eiusdem sunt argumenti duæ sequentes epistolæ, una ad ipsum pontificem, altera ad cardinales.

VII.

Petrus Venerabilis
electum
defendit.d Petr. Ven.
lib. 1. ep. 19.

Sed quid inter hæc Petrus Venerabilis, cujus monachus sic infamabatur? Primo scripsit ad Bernardum, ut eum purgaret: dein ad Innocentium. In utrisque litteris admirabilis ubique moderationis specimen præfert. In epistola d ad Bernardum ait, sibi ex Pictavensi pago revertenti Lingonenses occurrisse canonicos, qui monachi sui electionem, Lugdunensi metropolitano id consulente, & annuente principe, concorditer a se factam dicerent; suamque ipsius dimissionem & confirmationem peterent; seque demum vix annuisse. Postea se accepisse, quosdam Lugdunenses canonicos Bernardi voluntatem a communi omnium proposito nescio quibus rumoribus avertisse, & quod factum fuerat irritasse. Se quidem maluisse hac de re cum eo præsentem conferre, quam litteris agere: sed quia locorum intercaedo & sua negotia id non sinebant, se facere quod possit, cum non possit quod velit. Tum ad rem. Non sane miror, inquit, nec mirandum est, si bono viro mala au-

ANN. CHR.
1138.

dita displicuerunt: sed advertendum fuit, quia sicut vera, sic & falsa esse potuerunt. Unde priusquam id cognosceretur, non erant vel tribunalibus iudicum, vel cathedris pontificum inferenda. Cogitandum fuit, (quod tamen apud unanimis amici aures familiari querela depono) hanc, de quo sermo est, vestra Cluniacensis ecclesiæ monachum, & dilecti vobis abbatis esse filium. Attendendum fuit, personas illas, a quibus hoc, quod vos movit, dilectio vestra accepit, jurata adversus Cluniacum bella tanta animositate ex aliquanto tempore suscepisse, ut nec linguas ab injuriis, nec manus a sacrilegiis continere potuerint. Videndum fuit, si fidem prudentiæ vestrae illorum maledicorum verba facere debuerint, quorum os locutum est vanitatem, impudenter mentiendo; & dextera eorum dextera iniquitatis, irreverenter innocentes monachos verberando. Quapropter tantis, tamque manifestis inimicis credere; tantis, tamque manifestis hostibus fidem dare, nec vestrum, nec aliquorum bonorum est. Credite magis domesticis quam extraneis, notis quam ignotis, amicis veridicis quam inimicis maledicis. Credite mihi, qui & domesticus, & notus, & amicus apud vos nomine glorior: qui esse a communi mendacio, quo omnis homo mendax est, immunis esse non possum; absit tamen, ut ibi non caveam mendacium, ubi cavere possum. Deinde ait se accuratissime inquisisse ab illo monacho, an verum esset id, de quo infamabatur, nec quidquam omisisse, quod ad eliciendam veritatem utile occurrere potuit. Eum vero id constanter negasse, & ad dictum sacramento confirmandum esse paratum. Ceterum se probe scire, unde hæc criminatio orta sit, cujus causam & originem, si cum Bernardo sibi colloqui liceret, facile aperiret. Interim rogare & obtestari per eam, quæ ambos in domino Dei unanimes fecerat, dilectionem ut ne hoc mendacii nævo Cluniacensis congregationis corpus deformari pateretur. Porro ne existimaret vir Dei, se ad defendendum monacho suo episcopalem gradum id dicere: quoniam episcopari monachos nostros, inquit, nec novum, nec admirabile nobis est: cum tot, ut ipse nostis, de ecclesia illa, famosa ecclesiarum fulserint, & fulgeant lumina: sed quia malum nomen diffamari super filia Israël, nec verus Israëlita facere, nec verus Israëlita potest sufferre. Denique quid indecens, si religiosa ecclesiæ religiosus, sapiens, litteratus monachus inde in pontificem Lingonensem electus est, unde episcopales, archiepiscopales, & ipsa omnium vertex ecclesiarum apostolica & Romana sedes, patres sibi assumere consueverunt? Postremo, si monachus fuerit Lingonensis episcopus, Cisterciensis & ceteros monachos diligit: nec noster monachus, inquit, aliud audebit, quam quod nos facere diligendo videbit. Hæc summa prolixæ Petri epistolæ ad Bernardum. Brevior est ejusdem ad Innocentium a epistola, in qua electionis libertatem Lingonensi ecclesiæ servari postulat.

a id. lib. 2. ep.
36.

An ad præmissam epistolam responderit Bernardus, incertum: sed id demum evicit apud Innocentium, ut monachi Cluniacensis electio irrita facta sit; ejusque loco electus Godefridus Claravallis prior, Bernardi consanguineus. Non omnino placuit Ludovico regi hæc electio, ad quam se nihil contulisse Bernardus asserit in epistola b ad regem, in qua hæc verba. Veritatem dico, non mentior: quod Lingonis de priore nostro factum est, præter spem, præter intentionem episcoporum & meam factum est. Sed est qui nolentium quodam modo extorquet assensum, & suo arbitrio, etiam adversas hominum voluntates, prout vult, subservire compellit. Quando enim ego periculum, quod mihi timui, illi æque non metuerem, quem diligo tamquam me ipsam? Quando ego illorum consortium non horrerem, qui alligant onera gravia & importabilia, & imponunt humeris; digito autem suo nolunt ea movere? Factum est tamen quod factum est: contra vos nihil; contra me plurimum. Mihi baculus imbecillitatis meæ sublatu est, mihi lumen oculorum meorum ereptum est, mihi abscissum dextrarum brachium meum. In fine tamen epistolæ rogat, ut ne rex diutius factam electionem approbare differat, & regalia electo concedere.

VIII.
Godefridus
Claravallis
prior electus
episcopus

b Bern. ep. 170.

In medio epistolæ regem acriter pungit, quod spei de se conceptæ non omnino respondeat; queriturque, quod Remensi ecclesiæ vacanti pastor non detur, post mortem scilicet Raginaldi seu Rainaldi de Martiniaco archiepiscopi, quæ idibus Januariis hujus anni contigit, ut ex versibus a Marlotto c relatis constat. Eo mortuo, ad biennium vacavit sedes, interimque institutæ urbis communis, ac demum electus Samson ad eam dignitatem, quam pertinaciter Bernardus recusavit.

c Marlot. no. 2.
p. 124.

[Instanti regi, ut episcopatum acciperet, hanc scripsit epistolam, quam ex manu scripto Vedastino eruimus. d Placet, fateor, quod in his quæ Dei sunt, tanta sim-

IX.
Bernardi epi-
stola ad regem.
d Ampliff. Coll.
no. 1. p. 789.

ANN. CHR.
1138.

ceritate versamini. Nam ut alia taceam, nequaquam promotionem miseri hominis tantopere curaretis, si non esset in causa Deus: quo enim alio emolumento id ita placeret, cum sim pauper & inops? Nec sufficit assentire, insuper & rogatis. Exhibetis favorem, largum gratiæ sinum expanditis, & ne onera pusillanimitas reformidem, auxilium de regia protectione promittitis. Quenam hæc in rege dignatio, in adolescentie maturitas? Verum ego optime rex, nullatenus acquiesco mittere manum ad fortia, corde pusillus, fractus corpore, & cui solum superest sepulcrum, non audeo prorsus ad sancta indignus & insufficientis. Hoc considerare debuerant auctores electionis: si dissimulaverunt, ego non quæo, quod lego: Miserere animæ tuæ placens Deo. Aut si idoneum crediderunt ob habitum religionis quo induor; in habitu species est sanctitatis, non sanctitas. Nemo mihi notior, nemini ego quam mihi, non plane me credo contra testimonium conscientie meæ videntibus tantum in facie & secundum faciem iudicantibus. Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus, orantes hic sumus, quamvis peccatores, pro regno vestro & persona vestra; si separatis ab invicem, id quidem difficile & crudele, non ad orandum & plorandum provocatis. Hactenus pro me, jam pro ecclesia quid parturiat animus, dignemini obsecro paucis attendere. Sedet in tristitia domina ecclesiarum, & lacrymæ ejus in maxillis ejus, mutatus est color optimus, defloruit antiqua venustas, pretiosissimus ille ornatus datus est in conculcationem, nobilitas in contemptum, & in servitutem libertas, crucior in hac flamma, nec consilium refrigerii, donec veniat qui consoletur eam. Tangat proinde cor vestrum reverentia sponsi ejus, cujus sanguine redempta, cujus similitudine adornata, cujus hereditate dotata est, & perseveret propositum vestrum, ne tam dilecti unici domini nostri sponsa tali vel nunc ad cumulum malorum committatur, qui displiceat oculis ejus. Dico vobis, & dico ut vere fidelis, quia omnino non expedit vobis. Sic vobis regnum contingat administrare Francorum, ut inde acquiratis regna calorum, optime & illustrissime rex. Redeo ad electionem Lingonensem.]

a Petr. Ven. lib.
4. ep. 28.

Baronius opinatus est, electum illum Cluniacensem monachum esse abbatem illum Vizeliacensem, de quo Petrus Venerabilis scripsit in alia epistola^a ad Innocentium papam. Verum alium esse mihi omnino persuasum est. In superiori enim illa epistola Petrus electum illum simpliciter monachum Cluniacensem ac filium suum dicit: in alia abbatem Vizeliacensem. In illa scribit, Lingonenses canonicos, sibi ex Piclavensi pago revertenti occurrentes, monachi sui electionem renuntiassent: in hac, *rumorem* ad se pervenisse, abbatem Vizeliacensem importunis quorundam apud Innocentium precibus in episcopum Lingonensem deposci. In illa denique monachi sui electionem promoveri & confirmari satagit: in hac Vizeliacensis abbatis confirmationem impedire conatur. Itaque verisimillimum est, Vizeliacensem hunc abbatem fuisse Albericum, superius^b laudatum, ex Cluniaci subpriori factum Vizeliaci abbatem, qui post mortem Wilenci Lingonum episcopi anno MCXXXV. expetitus sit, sed, obsistente Petro Venerabili electio irrita facta, ejusque loco suffectus Willhelmus de Sabrano, in quibusdam Lingonensium episcoporum indicibus post Wilencum positus: cui tandem, rejecto Cluniacensi monacho, Godefridus Claramvallis prior substitutus sit. Certe electus hic Cluniacensis monachus haudquaquam videtur esse Pontius Vizeliacensis post Albericum abbas, germanus frater Petri Venerabilis, qui eum fratrem suum in litteris hac de re scriptis dicitur fuisse. In hac porro controversia, etsi victus fuerit Venerabilis Petrus, non tamen ejus caritas in Bernardum ac Cistercienses superari potuit. Quando enim, ait ille ad Bernardum^c scribens, *extingui, vel obrui poterit sincerus erga vos & ignitus mei pectoris affectus quibuslibet sinistri rumoris rivulis; cum neque aqua multa decimarum potuerit eum extinguere, nec impetus Lingonensium fluctuum obruere? Nostis quod dico, neque ob aliud dico, nisi constantis in amoris proposito erga vos animi mei insignia recolens, stabilem de cetero me esse posse prudentia vestra prasumat.* Et in alia ad eundem: *Ita caritas tua totum me tibi deinceps vindicavit, ita virtutes tue & cogniti mores rapuerunt, ut nihil mihi de me, quod tuum non esset, relinquerem; nihil tibi de te, non meum esse promitterem.* Merito sane Baronius de Petro nostro hoc testimonium tulit, eum Bernardo non impari fuisse ea sanctitate, qua per dilectionem operatur.

X.
Bernardus sermones in Cantica resumit.

Redditus tandem suæ Claramvallis Bernardus, intermissos in Cantica sermones prosecutus est, a sermone vicesimo-quarto, quem ante professionem in Italiam jam delibaverat, sed eundem post reditum, ut a me observatum est, repetiit. Unde

ANN. CHR.
1138.

nata in scriptis codicibus varietas, in quibus hic sermo aliter & aliter inchoatur. Hunc vero post reditum sic orsus est vir sanctus. *Hoc demum tertio, fratres, reditum ab Urbe, sive ex Italia, nostrum clementior oculus e caelo respexit, & vultus tandem serenior desuper arrisit nobis. Quievit Leonina rabies, finem accepit malitia, ecclesia pacem recepit. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, qui eam per hoc fere octennium diro schismate conturbabat. Num vero ego gratis de tantis periculis ero redditus vobis? Vestris desideriis donatus sum: vestris me profectibus paro: quorum vivo meritis, volo vivere studiis & saluti. Quodque dudum cepta in Canticis me exsequi vultis, libenter quidem accipio, & dignum arbitror interruptum potius resarcire sermonem, quam novi ordini quidpiam. Vereor autem, ne dissuetum per ad temporis animum & distentum diu habitum, non solum ad tam diversa, sed etiam ad tam indigna, dignitas materia, prout oportet, non admittat. Sed si quod habeo, hoc vobis do: poterit & fideli obsequio meo Deus etiam quod non habeo dare, ut dem. Si non; culpatur sane ingenium, non voluntas.* Hoc præloquium Bernardi post reditum, qui mox repetit ut dixi sermonem vicesimum-quartum, quem jam ante discessum interrupperat, tum subdit: *Locus autem unde incipere debemus, ni fallor, hic est: Recti diligunt te, &c.*

Antequam vir sanctus ex Urbe rediret, electus est Guarinus Alpenis abbas, assumtusque ad episcopatum Sedunensem. quod cum rescisset, scripsit^a ad Alpenes monachos, ut successorem sibi abbatem eligerent consilio Godefridi Claramvallis prioris, cui vices suas hoc in negotio committit, vel aliorum, quos ille vice sua mitteret, si venire non posset, ipsiusque Guarini. De successore nihil comperti habemus.

XI.
Guarinus abbas fit episcopus.
a Bern. ep. 142.

Alpenes monachos laudat in illa epistola Bernardus, quod scilicet jam parta perfectione haud contenti, ad Cisterciensium instituta convolaverint, ut in superioribus dictum. Tum eos hortatur, ut assumto ad altiore gradum Guarino abbate, stent in ordine suo, quod explicat his verbis. *Ordo noster abjectio est, humilitas est, voluntaria paupertas est, obedientia, pax, gaudium in Spiritu sancto. Ordo noster est esse sub magistro, sub abbate, sub regula, sub disciplina. Ordo noster est studere silentio, exerceri jejuniis, vigiliis, orationibus, opere manuum, & super omnia, excellentiorem viam tenere, que est caritas: porro in his omnibus proficere de die in diem, & in ipsis perseverare usque ad ultimum diem.* Hoc specimen Benedictina perfectionis ad mentem Bernardi; & post hæc, se servum inutilem reputare. Eodem anno Petrus Stamediensis abbas ad Tarentasiensem archiepiscopatum promotus est, qua in dignitate tam præclare se gessit, ut in sanctorum album referri meruerit.

Per idem tempus venerabilis Humbertus, Igniaci in pago Remensi primus abbas, sarcinæ pastoralis pertæsus, inconsulto Bernardo præfecturam abdicavit, & Claramvallem, eo absente, se recepit jam atate provectior, illic mortem præstolaturus. quod cum sancto Patri in Italiam nuntiatum esset, ægre admodum tulit, & acrem ad Humbertum epistolam^b scripsit, ut eum ad resumendam curam pastorem adduceret. *Quid quæso rationis, ait, immo quid non impietatis habet hæc fuga tua, de qua filii lugent, adversarii rident? Miror quod te non terruit Arnoldi Morimundensis abbatis exemplum: cujus similis præsumptio digno, sed pavendo fine; ut bene meministi, in brevi est vindicata. Et quidem ille qualemcumque, ut bene novi ego, habuit causam, tu nullam. Numquid enim aut monachi tuis erant inobedientes imperiis, aut conversi segnes in operibus, aut vicini forte tibi tuisve rebus infesti; aut certe modica & non sufficiens substantia mundi, quatenus relinquere cogereris, quos vel regere, vel pascere non sufficeres? Immo vero quid debuit tibi facere Deus, & non fecit? Et infra. Mirum vero si in hoc morti te bene præparare putas, quod quidem ad me scripsisti, ut in tanto scandalo, & in anathemate domini papæ mori velle non timeas. Deinde, si ita necessarium erat, non potuit aliud tempus considerari, nisi cum necessitatibus universalis ecclesiæ detineor, ut illi misera, quam exponis, non liceat subvenire? Obsecro te per eum, qui pro te crucifixus est, ut satis afflictos amplius cruciari parcas, & tristitiam super tristitiam addere desistas: quia, ut verum fatear, sic pro hac ecclesiæ generali gravique scissura affectus sum, ut radeat animam meam vita mea, etiam te & tuis in pace degentibus. quanto magis iis desolatis & turbatis? Verum, quantumvis acres & urgentes essent hæc Bernardi litteræ, Humbertus nihilo minus in proposito perseveravit, post annos decem mortuus apud Claramvallem, ut suo loco videbimus.*

XII.
Humberto Igniaci abbati suffectus Guericus.

b id ep. 142.

Quapropter in ejus locum Igniaci suffectus est venerabilis Guerricus, apud Claram-vallem sub beati Bernardi disciplina educatus, qui *haud degenerem se tanti patris filium moribus & vita probavit*, ut in magno Exordio Cisterciensi legitur. Factus Igniaci abbas, cum esset debilis & infirmus corpore, magnopere dolebat, quod *pene continuo conventum deserere, & in infirmitorio jacere causa debilitatis suae cogebatur*. Exstant praclari ejus sermones, in quibus Bernardi pietatem & stylum prope affectus est. Hos sermones cum inconsulto capitulo generali, quod prohibitum erat, composuisset, morti proximus eos comburi jussit, ne inobedientiae reus coram Deo haberetur. At feliciter contigit, ut alia eorum transcripta exempla supersessent, ne sancta ecclesia & Cisterciensis ordo hoc thesauro privaretur.

[De eo in vita Hugonis abbatis Marchianensis perhonorifica mentio fit, quam hic propriis auctoris verbis referre operae pretium duximus^a: Guerricus magna religionis & singularis sapientiae, de magistro apud Tornacum, monachus in Clara-valle, & inde assumptus in abbatem apud Hinniacum. Hic & ante conversionem suam quamdam inchoaverat vitam, per quam placebat Deo, factus dilectus, & vivens inter peccatores, domum habens juxta ecclesiam, in ea clausus manebat, sanctis intentus exercitiis, & desideriiis excitatus, semper aut legens, aut scribens, aut meditans; aut orans. Haec erat vita ejus, ut desiderando exerceretur desiderio sancto, absque omni inquietudine seculari, admissis tantummodo, quos sancto illo secreto, aliquando admittere dignabatur, quia digni erant. Qui divertens ad Claram-vallem, responsum accepit ab illo sancto (Bernardo), ut remaneret ibi, ne forte mundi malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio malitiae deciperet animam illius... Quid plura illaqueatur sermonibus ejus, acquiescit consiliis, & qui dumtaxat venerat salutare hominem, non monachari, absque cunctatione & respectu retrorsum monachus de clerico, discipulus efficitur de magistro. Qui probatus inventus est ipsius iudicio qui converterat illum, super omnes qui morabantur in terra quos nosset ipse, dignum illum prima sede contestans, utpote omnibus sanctiorem. Hoc est testimonium quod perhibuit, & apud Hinniacum villicare constituit.]

XIII.
Girardi fratris
obitum luget
Bernardus.

Vix ad Claram-vallem reversus erat Bernardus, cum Girardus, germanus ipsius frater & in illo Italico itinere comes, cui apud Viterbium anno praeterito graviter aegrotanti vitae inducias precibus impetraverat, morte avulsus ab eo est. Tam cari & necessarii capitis iacturam, qui fratris magna ex parte onera portabat, acerbissime tulit sanctus abbas, sed tamen ejus funus sicis oculis ipse peregit. Verum in lacrymas tandem erupit repressus ad horam dolor, quem in sermone XXVI. non minus eloquenter, quam pathetice expressit. Mirum est quam varios in affectus orationem versat; mihiq; videtur se ipse Bernardus in illo funebri sermone, ut in prima sua epistola ad Roberrum dicendo superasse. Principio justum esse dolorem suum probat, quippe quem fidus comes in via deseruit, vigil ad curam, non segnus ad opus, suavis ad mores. *Infirmus corpore eram*, inquit, *& ille portabat me; pusillus corde eram, & confortabat me; piger & negligens, & excitabat me; improvidus & obliviosus, commonebat me*. Deinde explicat, quam opportuna & necessaria sibi fuerit ejus opera. Nimirum in rei familiaris cura, in negotiis, quae cum externis agebant, fratris curam relevans supplebat, ejus linguam a sermonibus saeculi vindicabat, & amico reddebat silentio, se mediis ingerens curis, ut frater vacaret, majorem de ejus quiete sperans fructum, quam si vacasset ipse. Interdum tamen postulabat absolvi, & alteri cedere, quasi melius provisoro. Et certe semper otii quietem optaverat, ut testatus est, cum exitui propinquaret. Deus, inquit, tu scis, quod, quantum in me fuit, semper optavi quietem; mihi intendere, tibi vacare. Sed implicitum tenuit timor tuus, voluntas fratrum, & studium obediendi; super omnia abbatis & fratris germana dilectio. *Ita est*, subdit Bernardus. *Gratias tibi, frater, de omni fructu meorum, si quis est, in Domino studiorum. Tibi debeo, si profeci, si profui. Tu intricabar, & ego tuo beneficio feriatum sedebam mihi, aut certe divinis obsequiis sanctius occupabar, aut doctrinae filiorum utilius intendebam*. Nec tamen in illis exterioribus curis expertus erat Girardus spiritualium studiorum. *Non cognovit litteraturam; sed habuit litterarum inventorem sensum, habuit & illuminantem Spiritum. Nec in maximis tantum, sed in minimis maximus erat, peritissimus in aedificiis, in agris, in hortis, & in artibus, operibusque rusticis. Denique solum pene, ait Bernardus, reliquerat mihi provisoris honorem & nomen: nam opus*

ipse faciebat. Verum eo sublato, jam curae irruunt, jam molestiae hinc inde pulsant, & solus sub sarcina gemo. Postremo ad Girardi mortem veniens amantissimus frater, observat, illum in ipso agonis horrore canendo ad Deum laudandum sanctos provocasse, ad quos ille properabat. *Non enim dubium*, inquit, *quin ad illos ieris, quos circa medium extremae noctis tuae invitabas ad laudem, cum in vultu & voce exultationis subito erupisti in illud Davidicum, stupentibus qui assistebant: Laudate Dominum de caelis, laudate eum in excelsis... Accitus sum ego ad illud miraculi, videre exultantem in morte hominem, & insultantem morti... Cum ergo supervenissem, & extrema jam psalmi me audiente clara voce compleisset, suspiciens in caelum, ait; Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et repetens eundem sermonem, ac frequenter ingeminans, Pater, Pater; conversus ad me, exbilarata quidem facie: Quanta, inquit, dignatio Dei, patrem hominum esse! quanta hominum gloria, Dei filios Dei esse & heredes! nam si filii & heredes. Sic cantabat, ait Bernardus, quem nos lugemus: in quo & meum, fateor, luctum pene in cantum convertit, dum intentus gloriae ejus, propriae fere miseriae obliviscor. Haec ex Bernardo de Girardi fratris obitu, quem locum, sane ad memoriam praclarum & ad exemplum, non licuit leviter praeterire. In kalendario Cisterciensis Ordinis notatur idibus Junii in Clara-valle depositio beati Girardi monachi & cellerarii, cujus laudes frater ipse S. Bernardus commemorat sermone XXVI. in Cantica. Plura de eo in Menologio Cisterciensi ad illum diem. Exstitit tunc temporis quidam temerarius Abaelardi discipulus & apologista, nomine Berengarius, qui Bernardo insultare ausus est, quod in praedicto sermone super Cantica, tristitia laetis miscuerit. Deinde quod quibusdam Ambrosii verbis usus sit, ex funebri ejus oratione de morte Satyri fratris syllabazim depremtis. Sed haec refellere opus non est, quae quidem falsa sunt, ut a me ostensum est in notis ad hunc sermonem: in quibus tamen si quid verum est, non in vituperium, sed in laudem vertit Bernardi, quod Ambrosium imitatus sit.*

Per id tempus contigit, Bernardum adire Paraclitense monasterium, cui Heloyfa seu Heloissa abbatissa praerat, quae eum tamquam angelum Dei suscepit. Dum illic divinis interesset officiis, animadvertit orationem dominicam aliter, quam in aliis ecclesiis recitari in haec verba, *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*, cum aliae quotidianum praerferrent; idque arguit novitatis, cujus auctorem Abaelardum esse credidit. Neque vero diffidetur Abaelardus in epistola, quam hoc de argumento ad Bernardum^a scribit, in qua hanc lectionem Matthaei versione tuetur, ex cujus evangelio accepit ecclesia dominicam orationem, quam Lucae compendio in divinis officiis & in communi usu praetulit. At vicissim Abaelardus Cisterciensis novitates refert, nimirum quod hymnos solitos respuerint, & quosdam, omnibus fere ecclesiis incognitos, introduxerint. Quod per totum annum in nocturnis vigiliis, etiam diebus natalis Domini, paschae, pentecostes, ceterisque sollempnitatibus, semper eundem hymnum, scilicet *Aeterne rerum conditor*, decantent: cum ecclesia pro diversitate feriarum vel festivitatum diversis utatur hymnis. Quod precibus, quae post supplicationem & orationem dominicam ab ecclesia ubique dicuntur, & suffragia sanctorum, immo etiam beatae Virginis omnino a suis fieri interdixerint. Quod sollempnes processiones reseruerint; *Alleluia* in septuagesima non dimittant, sed usque ad quadragesimam retineant; & symbolum apostolorum ad Primam & Completorium omittant. Denique quod in triduo ante pascha in vigiliis invitorium, hymnum, & *Gloria*, contra universalem ecclesiae morem cum tribus tantum lectionibus & responso decantent. quae omnia se rationabiliter facere confidant, quod in his regulae institutioni se conformare dicerent. Neque tamen hac in re Abaelardus, tametsi universae ecclesiae morem praerferendum censeat, eos absolute damnat. nam in divinis officiis, ait, *quis ignoret, diversas & innumeras esse ecclesiae consuetudines inter ipsos etiam clericos? Antiquam certe Romanae sedis consuetudinem nec ipsa civitas tenet, sed sola ecclesia Lateranensis, quae mater est omnium; antiquum tenet officium, nulla filiarum suarum in hoc eam sequente; nec ipsa etiam Romani palatii basilica. Mediolanensis metropolis ita in talibus ab omnibus dissidet, ut nulla etiam suffraganeorum suarum matris institutionem imitetur. Sic & Lugdunensis prima sedes Galliarum sola in suo persistit officio. Et cum tanta in istis facta sit varietas; quicquid una post aliam noviter instituit, nulla reprehensio novitatis incidit, quia nulla fidei contrarietas fuit. Nonnullam enim oblectationem haec divini cultus*

XIV.
Abaelardi ad
S. Bernardum
epistola.

^a Abael. ep. 5:
p. 244. & seqq.

ANN. CHR.
1138.

varietas habet. Hactenus Abaelardus, cujus hac in re sententia non improbanda, immo laudanda est.

XV.
Theobaldus
Beccii abbas
eligitur Can-
tuariae archie-
piscopus.
a Orderic. lib.
13. p. 908.
b X. script. p.
1138.

Interim jam fere a biennio vacabat sedes Cantuariensis post mortem Willelmi archiepiscopi, qui ex canonico regulari contra morem ad illam dignitatem pro- vectus fuerat. Ordericus^a auctor est, Henricum Wintoniensem episcopum e no- stris, fratrem Stephani regis, ad regendam illam metropolim tunc electum fuisse: sed electionis suae confirmationem ab Innocentio papa non obtinuit. Gervasius^b Dorobernensis monachus tradit, id impeditum fuisse per ipsum Stephanum regem & reginam. unde dictus est a nonnullis, ad partes imperatricis, scilicet Mathil- dis, quae Gaufrido IV. Andecavorum comiti secundis nuptiis copulata erat, decli- nasse. Ei tamen ab eodem pontifice confirmata est anno sequenti dignitas & aucto- ritas legati sedis apostolicæ, quam prius habebat, ut tradit Johannes prior Hagu- staldensis. Inter ea missus est in Angliam Albericus Ostiensis episcopus cum apo- stolici legati auctoritate, indictoque ad Westmonasterium concilio, litteras Jere- miae priori & conventui Cantuariensis ecclesiae, clero quoque & populo direxit, a prædicto Gervasio^c relatas: quibus significat, se anxium esse de diuturna desolati- one Cantuariensis ecclesiae, quippe quæ & diadema regni habet, & omnibus eccle- siis Angliæ ordinato pastore futura est exemplum ruinæ vel resurrectionis. Quam ob rem eis injungit, ut, præmissis precibus, jejunio & eleemosynis, idoneum tantæ ec- clesiae pastorem eligant; factaque electione quosdam e suis Westmonasterium mit- tant ad concilium ibidem dominica tertia adventus celebrandum, ut de cuncto- rum assensu in electum testimonium reddant. Huic mandato obsequentes Jere- mias prior & monachi, ceterique, elegerunt Theobaldum Beccensem abbatem, superius^d laudatum, qui ab eodem Alberico legato idibus Januarii insequentis in ecclesia Cantuariensi ad altare Christi consecratus est; Romamque profectus, pal- lium ab Innocentio pontifice suscepit. De ejus successore in abbacia Beccensi anno sequenti agemus.

XVI.
Alberico abba-
ti Vizeliaci fa-
cto cardinali
succedit Pon-
tius.
e V. lib. 75. n.
135.
f X. script. p.
1138.

Jam quando mentio hic incidit de legatione Alberici cardinalis in Angliam, inquirendum est quis, qualisque fuerit, quod hactenus nullus, ni fallor, observavit. Non dubito quin is sit, qui ex subpriori Cluniacensi ante aliquot annos^e ordina- tus est abbas Vizeliacensis. Hujus sententiæ suffragatorem habeo Simeonis Dunel- mensis continuatorem Johannem^f priorem Hagustaldensem, qui de Alberici car- dinalis legatione in Angliam agens, hæc habet. *Directus est ab eodem papa Inno- centio legatus Angliæ & Scotiæ Albericus Ostiensis episcopus, natione Gallicus, pro- fessione monachus Cluniacensis, & in eodem cænobio subprioris officio ad disponendas regulares observationes prælatus monachis cunctis, excellentia virtutis & plenitudine eruditionis instructus.* Certe Albericum fuisse unum e suis monachis aperte probat Petrus Venerabilis in epistola ad ipsum jam episcopum Ostiensem scripta, de qua mox acturi sumus. Alberici cardinalis promotionem ad hunc annum referunt Onu- frius & Gaconius contra Ughellum, qui eam triennio prævertit. Priori sententiæ favet breve chronicon Vizeliacense a Labbeo^g editum in quo ad hunc annum hæc leguntur: *Translato Alberico, nempe ad episcopatum Ostiensem, Pontius abbas Vizeliacensis ordinatur.* Non bene itaque Baronius Alberici nostri legationem ad partes Orientis refert ad annum MCXXXVI. de qua Willelmus Tyrius absque distin- cta temporis nota agit. Hanc enim ad tres aut quatuor annos differendam esse mihi constat ex epistola Petri Venerabilis ad eum scripta, cum ille in procinctu esset ad dis- cedendum: in qua se dolere ait, quod eum amissurus sit, *quem solum ordinis & cordis sui solatium post illum magnæ & piæ memoriæ Matthæum episcopum in Romano palatio habebat.* Ex quo intelligitur, Matthæum Albanensem episcopum, cum hanc epi- stolam scriberet Petrus, jam defunctum fuisse, cujus obitus anno MCXXXIV. contigit, ut suo loco^h vidimus. Celebris fuit per ea tempora noster Albericus, a S. Bernardo plurimi habitus, variaque obivit legationes, de quarum nonnullis in consequentibus acturi sumus. Alberici successor in Vizeliacensi præfectura fuit Pontius, ut jam dixi, Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis & Jordani Casæ-Dei abbatis uterinus frater. Hic Vizeliaci *enutritus* fuerat, & inde translatus ad S. Mi- chaëlis monasterium, uti nos docet Hugo Pictavinus chronographusⁱ Vizeliacen- sis videlicet S. Michaëlis de Clusa, ubi forte abbas erat, cum a Vizeliacensibus ele- ctus est. Sic fere id explicat breve chronicon mox laudatum: *Hic Pontius, frater*

i Spicil. to. 3.
p. 568.

Petri

Petri Cluniacensis abbatis, de Clusino monasterio assumtus est. Ejus ordinatio facta est a Stephano Aduensi episcopo, ut discimus ex chronographo^a Vizeliacensi, ubi ait, se audivisse Stephanum Aduensem episcopum dicentem comiti Nivernenti, quod *vocatione abbatis Cluniacensis Petri & monachorum Vizeliacensium venerat ad benedicendum abbatem Pontium; idque factum in camera abbatis.* Multa de eo dicendi occasio in consequentibus recurret.

Quod attinet ad Alberici cardinalis acta in Anglica legatione, is profectus primo ad regem Scotiae Davidem, honorifice receptus est a fratribus ecclesiae Hagustal- densis; & Adulfum Carleolensem episcopum regi Scotiae reconciliavit, ut tradit Johannes^b ejus loci prior. Tum Johannem Glascentem episcopum, qui, dimisso episcopatu ad Tironense Galliarum monasterium se receperat, auctoritate apostolica revocavit. Reversus in Angliam, amoto Crulanti abbate, Godefridum S. Al- bani priorem loco ejus, & Adamum monasterii de Bello electum abbatem benedi- xit. Post multa concilium apud Westmonasterium habuit idibus Decembris cum episcopis diversarum provinciarum numero septem-decim & abbatibus fere trigin- ta, quo in concilio viginti-sex canones conditi sunt, a Gervasio Dorobernensi re- lati: ex quibus tertius-decimus statuit, ut monachi, qui diu in monasterio morati fuerint, si postea ad clericatus honorem pervenerint, id est ad ecclesiasticas digni- tates, nequaquam a priori proposito deflectant, sed eundem vivendi modum re- tineant. Canone sequenti cavetur, ne sanctimoniales variis seu grisiis, beverinis pellibus aut hereminis, aulisque utantur: secus si fecerint, anathemate percellun- tur. Hic canon spectat potissimum sanctimoniales illas, quæ a monastico instituto & habitu ad canonicalem statum declinabant: quarum pleraque nostro tempore *he- reminis* utuntur. His omnibus actis, Albericus cum Theobaldo Cantuariensi electo post octavas epiphaniæ Romam reversus est.

Apud Ambianos idem Albericus hoc anno versabatur, cum Guarinus, illius ur- bis præsul, ecclesiam S. Gervasii^c de Encra^{*} seu Inkra Theobaldo priori sancti Martini de Campis contulit in *præsentia domni Alberici Ostiensis episcopi & aposto- lica sedis legati, & domni Gauslenni Sueslionensis episcopi & domni Gaufridi Catala- nensis episcopi.* Hæc ecclesia diu in manu laica fuerat, veneratque demum in pote- statem Hugonis Candavenæ, qui religiosorum virorum consiliis acquiescens, illam ecclesiam, ejusque *canonicas* in manus Guarini episcopi reddiderat. Illic decem mo- nachi aliquando existerunt. Inkra opidulum est ad fluviolum cognominem, nunc marchionatus caput, cujus mentio fit in libro secundo de miraculis S. Richarii, ad cujus monasterium olim hic locus pertinebat. Ibidem etiam memoratur *ecclesia in honore beati Gervasii consecrata*, ad quam delata fuerunt S. Richarii reliquiæ cum sup- pellectile sacra *propter imminentem Nortmannorum timorem, quem sine cessatione pa- timur*, inquit illius temporis auctor. quod argumento est, locum illum præsidio mu- nitum fuisse.

Eodem anno Alvisus Atrebatensis episcopus ecclesiam S. Martini de Passu seu Passu^{*} de manu laica eripuit, eamque similiter Theobaldo^d priori S. Martini de Campis concessit hoc ipso anno, Alvisi episcopatus VII. His litteris apposita sunt signa Gofuini Aquicinenis seu Aquicinctensis abbatis, Leonis seu Leonii abbatis S. Bertini, Absalonis abbatis S. Amandi, Hugonis Hasnonensis, Liberti Marcia- nensis, & Gisleberti seu Gisleberti abbatis S. Nicolai, scilicet de Nemore, aliorum- que abbatum Ordinis canonicorum regularium. In illa ecclesia postmodum cella monachorum erecta fuit auctoritate Alexandri III.^e

[Hoc ipso anno Ludovicus rex Francorum & dux Aquitanorum Caritati ad Li- gerim cellæ Ordinis Cluniacensis frumenti quatuordecim modios de suo apud Bitu- rigas frumento concessit, annuatim recipiendos ad *supplendum monachorum victum*, ut anniversarium patris sui & suum singulis annis celebrent. *Actum publice apud Bitu- ricas in palatio nostro anno incarnationis dominicæ MCXXXVIII. regni nostri II. adstanti- bus in palatio nostro quorum nomina subscripta sunt & signa. Dapifero nullo. Signum Wilelmi buticularii, S. Matthæi constabularii, Matthæi camerarii. Data per manum Algrini cancellarii.* Sequenti anno idem rex Joscelino Melodunensis S. Petri monasterii abbati terram de Fossato, quam pater suus eidem monasterio ad faciendam munitionem abstulerat, restituit.]

Cum Lehonenses monachi una cum S. Maglorii corpore in ecclesia S. Bartho-
Annal. Bened. Tom. VI.

Q9

ANN. CHR.
1138.
a ibid. p. 512.

XVII.
Alberici legati
acta in Anglia.

b X. Script. p.
264.

XVIII.
S. Martini a
Campis cellæ
duæ.
* Encra.
c Hist. S. Mar-
tini p. 229.

* de Pas.
d ibid. p. 352.

e ibid. p. 355.
XIX.
Anniversarium
Ludovici regia
apud Carita-
tem.

XX.
S. Maglorii

ANN. CHR. 1138. lomæi apud Parisios a annis fere centum & sexaginta constitissent, demum loci angustia b coartati, ad suburbanam S. Georgii capellam, in vico S. Dionysii sitam, quæ illis pro cœmeterio erat, hoc anno commigrarunt, ubi jam duo monachi ad capellæ ministerium manebant; ibique monasterium construxerunt, quod S. Maglorii dictum est: ac deinceps S. Bartholomæi prope palatium ecclesia parœcialis facta est, sic tamen, ut duo ibidem monachi remanerent, quorum unus prior diceretur. Postmodum anno MDLXXII. cum regina Catharina domum Pœnitentium puellarum ad exstruendas ædes, quas modo Sueffionenses * vocant, delegisset; puellas illas ad Maglorianum monasterium, quod in vico S. Dionysii situm erat, transferre statuit. Quapropter Magloriani monachi loco cedere compulsi sunt, & ad suburbium australe prope ecclesiam S. Jacobi de Passu migrare, ubi non diu subsisterunt. Cum enim abbatia redditus, agente Henrico Gondio cardinale, episcopo Parisiensi anno MDCXXI. Gregorii XV. auctoritate attributi essent; suppresso penitus S. Maglorii monasterio seminarium clericorum ibidem institutum est, cui moderando Patres Oratorii præpositi sunt: & ad qualemcumque damni compensationem monasterium Guillelmitarum, quod in urbe situm erat, Ordini S. Benedicti, id est monachis nostræ Congregationis, concessum est, hæctenus dictum Alborum-mantellorum, ob candidam vestem, quam illi Guillelmitæ gestabant.

Ad hunc locum distulimus agere de puellari beatæ Mariæ monasterio Hederensi, cujus primordia hoc anno in Gallia christiana referuntur. Verum hoc parthenium paullo antiquius esse constat ex vetustis ejus loci monumentis, quæ mox profereamus. Positus est hic locus quatuor fere leucis supra Luteciam-Parisiorum ad fluvium Hederam, qui ad Villam-novam sancti Georgii in Sequanam influit. Hinc monasterio inditum nomen Hedera * seu Edera absque littera aspirata, aliquando Herra seu Erra in priscis etiam instrumentis. In optimæ notæ chartaceo codice, quem mihi religiosissima & illustrissima Susanna d'Ufex abbatissa humanissime commodavit, primam ejus mentionem invenio in litteris cujusdam Philippi-Aniani & Eremburgis ejus uxoris, anno MCXXII. ut præfertur, datis. Sed vereor ut sana sit centesimi nota, ubi potius MCCXXII. legendum puto, tum ex vestigio detritæ notæ, tum ex stilo instrumenti, & ex sigillo prædicti Philippi, quod illi appositum fuisse dicitur, cum nondum sigilli usus, ut puto, in more esset apud privatos. At indubitata sunt chronicæ notæ diplomatis Ludovici VI. Francorum regis, qui terram Amari-bosci *, quam Ludovicus buticularius, & Adam nepos ejus, atque Godefridus tenebant, Deo & beatæ Mariæ ac sanctimonialibus Hederæ liberam ab omni consuetudine & immunem concedit. Actum Parisus publice, anno incarnati Verbi MCXXXIV. regni nostri XXVII. concedente Ludovico Juniore filio nostro in regem sublimato anno III. Data per manum Stephani cancellarii. Jam ergo exstabat ante prædictum annum hoc monasterium, cujus fundatio Stephano episcopo Parisiensi & Eustachia de Corbolio * haud dubie tribuenda est. In necrologio hæc de Eustachia habentur, III. kal. Febr. obiit Eustachia venerabilis matrona, quæ fundavit ecclesiam Ederensem anno Domini MCXXXII. & omnia fere ædificia hujus monasterii ædificavit. Stephanus vero ipse in litteris suis hac de re editis asserit, se ecclesiam sanctæ Mariæ Ederensis suo labore & studio a fundamentis exstruxisse, & sanctimoniales feminas in ea posuisse. Idem quoque in aliis litteris notum facit, quod Eustachia de Corbolio, assensu mariti sui Johannis de Stampis & Federici filii sui, & Balduini de Corbolio generi sui, & Avelinæ filie suæ, multas possessiones eidem monasterio contulerit. quæ litteræ in authentico notis chronicis destitutæ sunt. At prædictæ ipsius Stephani litteræ in quibus se Ederensem ecclesiam a fundamentis exstruxisse ait, anno MCXXXVIII. datæ sunt. unde Hederensis monasterii primordia ad illum annum relata fuere.

In iisdem litteris Stephanus ait, ut jam diximus, se sanctimoniales feminas in illa ecclesia posuisse, & religionis ordinem ibidem perpetuo conservari decrevisse. Sed quia, inquit, femineum sexum fragilem, atque adeo labilem esse cognovimus; idcirco prædictas sanctimoniales artioris propositi disciplina, tam per nos, quam per religiosos viros, ligare curavimus. Habent enim institutiones optimas, ex maxima parte de ordine monachorum Cisterciensium sumptas, partim etiam de observantia aliarum religionum collectas. quod quia consilio venerabilis viri, domni scilicet Hugonis Pontiniacensis abbatis, necnon & industria fratris nostri Willelmi, & consilio etiam

XXI.
Hederensis
parthenonis
initia & institutiones.

* Hierre al.
Terre.

* Amurbois.

* de Corboil.

1138.
monasterii vari-
tutatus.
a Annal. to. 3.
lib. 48. n. 85.
b Hist. Paris.
to. I. p. 551.

* l'Hôtel de
Seissons.

& voluntate carissimæ filie nostræ Hildiardis ejusdem ecclesie venerabilis abbatissæ, ANN. CHR. 1138. zotiusque conventus factum est, volumus, & episcopali auctoritate præcipimus, ut prædictæ sanctimoniales prædictas institutiones, sicut determinatæ vel scriptæ sunt in libris quos consuetudines vocamus, in perpetuum teneant, nec umquam in aliquo eas vel minuere, vel mutare præsumant. Et si vero hæc consuetudines partim ex Cisterciensium institutis desumptæ essent, non tamen hæc sanctimoniales Cisterciensi, sed primitivo S. Benedicti Ordini semper addictæ fuerunt. Tum de electione abbatissæ Stephanus hæc subdit. Obeunte abbatissa, aliam, quæ substituenda est, hoc modo eligendum censemus. In primis Parisiensi episcopo voluntatem & necessitatem suam insinuabunt. Deinde religiosos viros, abbatem sancti Victoris scilicet, & abbatem sanctæ Mariæ de Valle, quorum alter Ordinis S. Augustini canonicorum regularium, alter Cisterciensis erat, in suo capitulo, præsentem episcopo, convocabunt. His autem in unum convocatis, de electione abbatissæ tractabunt, & sine contradictione, quamcumque voluerint, dignamque judicaverint, eligant, &c. Actum anno incarnationis dominicæ MCXXXVIII.

Ex his litteris patet, primam ejus loci abbatissam fuisse Hildiardem, cui Innocentius II. privilegium indulgit, inscriptum, dilectæ filie Hildiardi abbatissæ monasterii sanctæ Mariæ de Hedera, ejusque sororibus, in Appendice ex authentico cum aliis referendum, quo illi monasterio apostolicam protectionem indulget, ejusque possessiones confirmat. Datum Laterani anno MCXLI. Eidem quoque Hildiardi Eugenius III. privilegium concessit, de quo inferius. In iisdem etiam Stephani episcopi litteris sit mentio de Hugone Pontiniacensi abbate, qui anno MCXXXVI. Autisiodorensis episcopus factus est; necnon fratris nostri, inquit, Willelmi, quorum consilio prædictæ institutiones conditæ sunt. In aliis litteris vocatur Prior, iis scilicet, quibus Theobaldus Parisiensis post Stephanum episcopus decimas quasdam sanctimonialibus Hederæ donat rogatu domnæ Hildeardis ejusdem loci abbatissæ, & fratris nostri, inquit, Willelmi prioris, cujus nomen primis dumtaxat duabus litteris expressum est. Falluntur proinde qui hunc Willelmum Stephani fratrem fuisse dicunt ex male intellectis Stephani verbis, quibus etiam Thomas ejus successor utitur. Erat ergo in illo monasterio prior; erant & monachi, qui sacra sanctimonialibus ministrarent. Tres monachos cum priore illic primum exstitisse invenio, quibus paullo post quartus accessit. Ex his unus erat, qui res exteriores procurabat, procurator dictus, quo munere Hugo & Johannes, unus post alium, sæculo insequente functi sunt. Visuntur adhuc ibidem rudera ædificiorum, in quibus illi habitabant.

Multa eidem monasterio beneficia contulit Ludovicus Junior; in his decimam panis, qui in ipsius curia, dum Parisiis esset, expendebatur; necnon reditum capiceriæ Parisiensis ecclesie, vacante episcopatu, ut inferius videbimus. Hoc autem anno omnimodam eidem loco libertatem concessit, cujus rei diploma referre lubet, prout in chartulario Hederensi habetur.

In nomine sanctæ & individue Trinitatis ego Ludovicus Dei gratia rex Francorum & dux Aquitanorum, notum fieri volumus cunctis fidelibus tam futuris, quam instantibus, quoniam omnem possessionem sive in terra, sive in decimis vel vineis, vel in censu, vel in nemore, vel in alia qualibet possessione, quam habent sanctimoniales Hederæ ita liberam ab omni consuetudine & quietam perpetuo habendam & obtinendam concedimus, ut neque nos, neque quilibet alius aliquid umquam juris vel consuetudinis in aliquam earum possessionem habeamus aut capiamus, neque ibi umquam aliquid exigamus, sed prædictæ sanctimoniales omnem suam possessionem ab omni ulterius exactione liberam omnino & quietam perpetuo obtineant, & quæcumque ad omnem earum possessionem pertinent. Præterea omnibus innotescere volumus, quod quidquid prædictis sanctimonialibus de nostro feodo datum fuerit, ab omni consuetudine & servitio liberum concedimus. Quod ut ratum & inconcussum permaneat, scripto commendari, & sigilli nostri auctoritate & nominis nostri caractere subfirmari præcipimus. Actum publice Parisus anno incarnati Verbi MCXXXVIII. regni nostri VI. adstantibus in palatio nostro, quorum nomina subtitulata sunt & signa, d. p. i. f. e. n. u. l. l. o. signum Guillelmi buticularii, signum Matthæi camerarii, signum Hugonis constabularii. Data per manum Algrini cancellarii.

Hoc diploma recognitum cum in Giffensi monasterio reperissent nonnulli, illud-
Annal. Bened. Tom. VI. Q q ij

XXI.
Hildiardis ab-
batissa & mo-
nachi ibidem.

XXIII.
Ludovici VII.
beneficia in
eandem lo-
cum.

XXIV.
Giffensis mo-

ANN. CHR.
1138.
nasterii abba-
tia origo.

que Giffæ convenire opinarentur; *Hede* brevium vocabulum *Heclise* interpretati sunt, d litteram in *cl* dividentes, adeoque Giffense monasterium *Heclise* seu *de Clise* antiquitus appellatum fuisse censuerunt, ut legitur in tomo IV. Gallia Christiana Sammarthanorum. Verum constat hoc monasterium non alio quam Gifi nomine nuncupatum fuisse, *monasterium de Gif* dictum in diplomate Eugenii III. pro Hederensi abbacia, cui illud monasterium cum suis appendicibus subiectum esse dicitur: sed a quo conditum fuerit, & Hederensi abbacia attributum non omnino exploratum. Ex litteris tamen Alexandri III. *Eremburgi abbatis & sororibus de Gif* indultis colligimus, Giffense monasterium Hederensi eo pacto tributum fuisse, ut in abbacia erigeretur: at, cum id infestum esset, & Giffensis domus gravi debitorum onere premeretur, & ædificiorum minaretur ruinam, Mauricium Parisiorum episcopum eam restruxisse, & erexisse in abbacia liberam ab Hederensi sub certis conditionibus, ut suo loco videbimus. Ex his conjicere licet, Giffum monasterium Hederensi antiquius esse: cum ejus ædificia anno a condita Heda circiter tricesimo ruinam minarentur. Alia monasteria Hederensi quoque abbacia subiecta fuere, ut S. Remigii Silvanectense, de quo inferius. Ad Eustachiam de Corbolio quod attinet, plerique eam Ludovici VI. sororem, & Corbolii comitissam fuisse aiunt. Utrumque negat Johannes *De la Barre* in libro de Antiquitatibus a Corbolicis, eo ductus argumento, quod utrumque in vetustis Hederæ instrumentis fileatur. Certe nec Stephani Parisiorum episcopi soror in illis usquam dicitur. Superstes fuit Stephano episcopo, ut inferius videbimus.

a Antiq. de
Corbeil. p. 127.
& seq.

XXV.
S. Faroni quæ-
dam ecclesie
asserat.

* Montyon.
* Tribaldou.

Apud Meldas sancti Faronis monasterio tunc præerat Andreas abbas, uti nos docent duo instrumenta Manassæ II. episcopi, qui Andree abbati sanctæ Crucis sanctique Faronis, ejusque conventui, assensu Theobaldi archidiaconi suorumque clericorum confirmat *ecclesias de Montione*, de Trietico-Baldulsi* & de Corniculo*, sicut eas tempore domni Manassæ episcopi & initio episcopatus antecessoris sui domni Burchardi tenuerant: ita tamen, *ut ecclesie beati Petri de Corniculo sine negligentia serviantur. Actum est hoc in capitulo S. Faronis kal. Augusti anno ab incarnatione Domini MCXXXVIII. indictione I. epacta VII. concurrente V. regnante Ludovico Juniore Francorum rege, anno imperii ejus primo, presente domino Manasse episcopo, Theobaldo archidiacono, domino Andrea abbate, Lamberio priore, &c.* Tres illæ ecclesie prioratu præditæ sunt. Idem Manasses ibidem iisdem anno & die definit, quid unicuique illarum ecclesiarum presbytero persolveri debeat. Has minutias persolvere cogimur, quod meliora & potiora de hoc insigni monasterio nos deficient. Idem Andreas sancti Faronis elevationem procuravisse dicitur. Ejus successorum nomina tantum, nec ea omnino certa, nobis restant.

XXVI.
Simon Cazi-
acensis abbas.

b Camuzat
Prompt. Rec.
fol 267. verso
& seq.

Florebat tunc temporis in Caziacensi S. Petri monasterio diocesis Sueffionensis ad Matronam venerabilis Simon abbas, S. Bernardo maxime acceptus, quem quanti facerent Joslenus Sueffionensis atque Hatto seu Atto Trecentis episcopi, illud argumento est, quod eum cum aliis *notæ discretionis* viris arbitrum & judicem constituerint cujusdam controversiæ, quam super quadam ecclesia b inter sese habebant: ut quod illi definirent, utraque pars ratum haberet. Arbitri illi fuere Henricus archiepiscopus Senonensis, Simon abbas Caziacensis, Guillelmus abbas S. Martini Trecentis, Odo abbas de Bello-loco, Natalis abbas Resbacensis, & Hugo de Creciaco: qui ita censuerunt, ut villa controversa per medium scinderetur, & sua utrique episcopo pars assignaretur. Omnes illi abbates nostri Ordinis erant, præter Guillelmum abbatem S. Martini Trecentis, Ordinis S. Augustini. Hujus concordie IV. nonas Octobris hoc anno initæ testes fuerunt præter alios Guido abbas monasterii Arremarensis, de quo mox agendum, & Nicolaus monachus episcopi Trecentis, quem puto esse illum Nicolaum Arremarensis monachum, qui postea Claravallensis monachus factus & Bernardi notarius, de quo plura inferius.

S. Bernardus
addiditissimus.

Redeo ad Simonem abbatem, de quo honorifica mentio apud Heribertum in libro secundo de miraculis S. Bernardi in hæc verba. *Vir venerabilis Simon, quondam abbas Caziaci, quod est non ignobile cœnobium nigri Ordinis monachorum, magno cordis affectu beatum Bernardum diligebat; adeo ut de consilio & voluntate ejus totus pendere videretur. Huic autem magnum desiderium inerat curam pastoralem deservere, & fieri monachus in Clara-valle. Verumtamen beatus Bernardus sciens viri virtutem & gratiam, qua commisso cœnobio valde idoneus & necessarius erat; quamdiu*

visit in carne, numquam ei voluit super hujusmodi petitione præbere consensum. Cum vero de hac tanta dilatione amice quereretur bonus abbas jam senex, aïens sibi intolerabilem fore dolorem, si extra Claram-vallem moreretur; vir Dei securum & certum esse jussit, quod in Clara-valle moriturus esset. Promisso fidem habuit Simon, mansitque in præfectura non paucis annis securus: sed tandem post Bernardi obitum, dimisso regimine Claram-vallem secessit; ubi septem annis superstes, mirabile in illa ætate & infirmitate fervoris ac devotionis exemplum cunctis exhibuit. Exstant duæ de eo & pro eo Bernardi epistolæ: una a ad Joslenum Sueffionensem episcopum super quodam judicio ab eo in abbatem Caziacensem lato, quod retractari postulat: altera b ad Petrum abbatem de Cella Trecentis de quodam monacho Caziacensi Claram-vallem translato, cujus discessum Simon abbas ægre ferebat, eumque sibi reddi petebat per Petrum abbatem Cellensem. Verum id fieri non posse respondet Bernardus, quippe qui monachum illum, se renitente & Simone permitte ingressum, jam in suam curam recepisset. *Quæ cum ita sint, inquit, vestrum est consolari hominem, delinere tristitiam ejus, excusatum me habere de tam rationabili causa. Postremo ipse quoque, ut scitis, in pendulo est, & sæpe cogitavit relinquere domum suam. Quod si vellet nunc effectui mancipare, non prohiberem, pro eo quod in ea non sine anxietate versetur.* Huc spectat Petri Cellensis quædam ad Caziacenses epistola, cujus hæc verba: *Quamdiu patrem vestrum, immo nostrum, vobiscum retinere poteritis, alium ne cogiteris.* quæ epistola scripta est, cum Simon in procinctu esset migrandi ad Claram-vallem.

Qui testis fuit superioris sententiæ c hoc anno latæ inter Hattonem & Joslenum episcopos Guido Arremarensis abbas, idem ipse cum suis fratribus enixe flagitavit, ut Bernardus officium de sancto Victore confessoris, cujus reliquias possidebant, componeret. Restituisse primo visus est d Bernardus, causatus se non eum esse, cujus descriptiones in ecclesiis lætarentur: nec velle laudare, quem cæli habent laudabilem & laudatum. *Supernis quippe velle addere laudibus, deturberet. Non quod glorificatos ab angelis, homines jam laudare non debeant: sed quia in solemnitate celebrari non novella audiri decet vel levia, sed certe authentica & antiqua, quæ & ecclesiam ædificent, & ecclesiasticam redoleant gravitatem. Quod si nova audire libet, & causa requirit; ea, ut dixi, recipienda censuerim, quæ cordibus audientium, quo gratiora, eo utiliora reddet & eloquii dignitas, & auctoris. Porro sensa indubitata resplendeant veritate, sonent justitiam, humilitatem suadeant, doceant æquitatem: quæ etiam lumen veritatis mentibus pariant, formam moribus, crucem vivis, affectibus devotionem, sensibus disciplinam.* Hæc de littera seu scriptis Bernardus: tum de cantu hæc subdit observatu digna. *Cantus ipse, si fuerit, plenus sit gravitate; nec lasciviam resonet, nec rusticitatem: sic suavis, ut non sit levis: sic mulceat aures, ut moveat corda. Tristitiam levet, iram mitiget; sensum litteræ non evacuet, sed fecundet. quippe non est levis jactura gratiæ spiritualis, levitate cantus abduci a sensuum utilitate; & plus insinuandis intendere vocibus, quam insinuandis rebus. En qualia oportet esse, quæ in ecclesiæ audientiam veniant; qualemcumque horum auctorem. Namquid talis ego, aut talia quæ paravi? Sic modeste Bernardus, qui tamen ob importunitatem flagitantium quod rogabatur exsecutus est, composuitque duos de sancto Victore sermones, cavens, ut nec brevitatis obscuros, nec prolixitas redderet onerosos. Deinde quod ad cantum spectat, hymnum composui, inquit, meiri negligens, ut sensui non deessem. quod utinam imitarentur, qui ut metri regulas servant, sensus contortos & implexos efficiunt, & cantum exasperant, cum verba elidunt. In fine Bernardus pro labore suo mercedem petit, id est Arremarensium orationes.*

Apud Sueffionas in monasterio S. Crispini, quod majus vocant, cum corpus S. Godefridi e Ambianorum episcopi in capitulo ab annis tribus ac viginti jacuisset; visum est Teulso abbati, ut in decentiorem locum, id est in ecclesiam, transferretur. Hoc consilium probavit Joslenus episcopus, a quo *venerabile corpus Deo digni præfulis Godefridi* hoc ipso anno nonis Aprilis translatum est, & ante summam aram sub testudine reconditum, ubi Christus vota supplicum exaudit, inquit Nicolaus monachus, qui ejus vitam litteris mandavit. Processu temporis ita ignoratus est locus, ubi sacrum corpus jacebat, ut a nostris nusquam inveniri potuerit.

Non diu post hanc translationem superstes fuit Teulfus abbas, cujus obitus notatur XVII. kal. Junii. Successor ejus Ernaldus seu Arnaldus rem familiarem non pa-

ANN. CHR.
1138.

a Bern. ep. 263.

b ep. 293.

XXXVII.

Bernardus officium de S. Victore confessoris componit. ac supra n. 26. d Bern. ep. 398. novæ editi.

Qualia in ecclesiis legi debeant.

XXXVIII.

S. Godefridi translatio. e V. lib. 72. n. 102.

XXXIX.

S. Crispini abbas.

ANN. CHR.
1138.

rum auxit, & a Caestino II. papa, necnon a Josleno & Aufculfo Sueffionum episcopis privilegia impetravit. Idem sanctorum martyrum Crispini & Crispiniani reliquias in novam capsam transferri curavit, praesentibus Samfone archiepiscopo & Odone S. Remigii abbate, qui olim S. Crispini abbas fuerat, cujus loci historiam noster Johannes-Elias composuit.

XXX.
S. Theodorico
factae donatio-
nes.
* Puisseux.

Rainaldus Remorum archiepiscopus, Samfonis antecessor, paulo ante obitum, Hissino seu Hellino S. Theoderici prope Remos abbati ejusque monasterio altare de Puteolis * confert in subsidium pauperum & peregrinorum. Ejus litteris adscripta sunt signa Josleni Sueffionum episcopi & Alvisi Atrebatensis; necnon Odonis abbatis S. Remigii, Ingubranni Altivillarensis, Richardi Mosomenfis, Hissini S. Theoderici, Albrici S. Bafoli, Joranni S. Nicasii abbatum e nostris; atque Ursionis S. Dionysii apud Remos & Fulconis Sparnacensis abbatum Ordinis S. Augustini. Actum Remis hoc anno, indictione I. regni Ludovici Junioris anno I. archiepiscopatus Rainaldi anno XIII.

Eodem anno Simon Tornacensium & Noviomensium episcopus eidem abbati, quem Helliunum vocat, altare de Dotennis cum suis adjunctis donat, appositis signis Absalonis S. Amandi, Gualteri S. Martini, Otgeri S. Medardi, & Theoderici S. Eligii abbatum. Actum Tornaci hoc anno, Simonis episcopatus XVII. Ex his aliisque donationibus multum auctus est monasterii proventus.

XXXI.
S. Nicasii ab-
bates.

Hic annus extremus fuit praefecturae Joranni S. Nicasii abbatis, sive hoc anno ad Montem-Dei secesserit, ut quidam opinantur, sive hoc anno decesserit. quod certius mihi videtur. In necrologio S. Remigii ejus obitus notatur x. kal. Junii his verbis: *Obiit Jorannus S. Nicasii abbas*, nulla facta mentione cardinalatus, quem nullo fundamento quidam ei tribuunt.

XXXII.
S. Martini de
Fivis prioratus.
* Fives.

Joranno abbate, S. Martini de Fivis * ecclesia, quae prope Insulas Flandriae opidum sita est, in prioratum erigitur. Hanc ecclesiam S. Nicasio primum dederat hujus saeculi initio Hermannus canonicus Insulensis in usus fratrum assensu Baldrici episcopi Tornacensis: sed cum processu temporis non mediocri bonorum accessio fidelium largitionibus facta esset; eandem ecclesiam in prioratum Jordano erigere, ibidemque monachorum coetum institueret visum est. Theodoricus Elisatius Flandrensium comes in diplomate Insulis dato anno MCXXXVI. ecclesiam beatae Mariae ac S. Martini de Fivia vocat. quod argumento est, monachorum studio ac pietate illic propogatum fuisse beatissimae Dei-genitricis cultum, qui haecenus ibidem, praesertim singulis feriis sextis, perseverat. Ceterum Fiviensis cellae titulus jam pridem Martini IV. auctoritate exstinctus est; cujus bona, cum asperimis saeculi prioris bellis distracta, & Hispanico fisco addicta fuissent; sancita pace recuperata sunt opera & labore domni Guillelmi Marloti sancti Nicasii archiprioris, & doctoris theologi, qui ibidem senio fessus decessit, & sepultus est, multis doctrinae & eruditionis suae relictis monumentis, in primis historia Metropolis Remensis, quae duobus tomis vulgata est.

a Marlot 10.
1. p. 647.
* Chateau-Per-
cien.

Joranno abbati successit in S. Nicasii abbacia Nicolaus, cui Arnulfus quidam a Flandrensium miles, Jerosolymam profecturus, quasdam donationes fecit. Eidem concessum est altare Castrorum Porcensis * ad Axonam, Henrico comite jus suum cedente hortatu Bernardi abbatis Clarae-vallensis, & abdicante, ut ibidem quatuor monachi Nicasiani divina officia persolverent. Hujus prioratus erectioni anno MCXLI. subscripsit S. Bernardus. His abbatibus in S. Nicasii coenobio floruisse disciplinam regularem, probant illustres viri, quos ex eo produsse superius vidimus; & eo usque bonus eorum odor longe resperus est, ut prioratus in Westfalia eidem concessus sit. Unde Alvisus Atrebatensis praesul, altare de Ognies confert ecclesiae beati Nicasii, *quam ab antiquo dileximus*, inquit, *& in vigore religionis florere cognovimus*. Brevis fuit Nicolai abbatis praefectura, qui in prioratu de Fivis prope Insulas anno MCXLIV. defunctus IV. kal. Octobris, ibidemque sepultus est. Guillelmus ejus successor anno sequenti translationi reliquiarum S. Gibriani apud S. Remigium interfuit, ad bjenium tantum superstes. At Johannes post eum annis undecim abbas, in Teorascia jacet. De Guidone ejus successore inferius.

XXXIII.
Blandinii ab-
bates.

Hoc etiam anno e vivis migrarunt Gislebertus Blandinii apud Gandavum abbas, & Rodulfus abbas sancti Trudonis. Annum regiminis sextum agebat Gislebertus, cum vitam morte commutavit. Ejus epitaphium refert Sanderus, in quo inter alia

ANN. CHR.
1138.

tantam ei gratiam lacrymarum divinitus concessam fuisse legitur, ut non tantum orando, sed etiam legendo fleret. Obiit mense Octobri, tertio die, quo sol in scorpium ingressus erat. Gislebertum excepit Sigerus, eo nomine secundus, cujus tempore Notholdus monachus ecclesiam & cellam apud *Elmere* in Flandria, sic dictam ex nomine rivi ibi decurrentis, in honorem beatae Mariae exstruxisse memoratur. quod Simon Tornacensis episcopus confirmavit.

Inter illustres illius temporis abbates & scriptores merito censendus est Rodulfus S. Trudonis abbas, jam saepius a nobis laudatus, qui post multas procellas & persecutiones, quas, ne schismaticorum communione contaminaretur, strenue sustinuit, hoc tandem anno ad aeternam quietem migravit. Annum praecise assignant omnes, diem etiam Fifenus, qui ejus obitum & elogium pridie nonas Martias refert. Multa scripsit Rodulfus, in his chronicon monasterii sui tredecim libris, editum in Spicilegii tomo VII. de aliis ejus scriptis superius a actum est. Ejus successor annis tantum sex clavum tenuit, & post eum Gerardus, qui post annos duodecim regiminis cessit.

XXXIV.
Rodulfi abba-
tis S. Trudonis
obitus & suc-
cessores.a lib. 74. n. 135.
136.

[Qui praecedenti anno a Lothario imperatore pro suo Stabulensi monasterio obtinuerat privilegium aureis characteribus exaratum & bulla aurea insignitum Wibaldus abbas, novum hoc anno a novo imperatore obtinuit, in quo Conradus laudata ejus erga imperium fidelitate, ait^b: *Praecipue tamen personam domni ac venerabilis Wibaldi, qui eidem coenobio regulariter praest, praecipuo amore ac familiaritate nostra dignum judicamus, cujus fides & devotio circa stabilitatem & honorem regni nostri, & in expeditione Italica sub praedecessore nostro imperatore Lothario, & in nostra ad regiam gloriam ordinatione satis enituit*. Deinde protestatus nihil justum negare ipsi velle, suscipit sub sua tuitione Stabulense monasterium, omniaque quae a regibus & imperatoribus praedia & jura collata fuerant, libertatem eligendi abbatis secundum regulam S. Benedicti, modo & loco a Lothario rege praescripto, advocatiamque confirmat. Tum Castellum-Longiae cum toto montis corpore & utriusque vallibus ad indominitam abbatis manum & potestatem & ordinationem cum omnibus beneficiis & casatis, qui ad custodiam ipsius castelli pertinent, semper spectare & pertinere decernit, in cujus valle mercatum & mundinas per chirothecam suam auctoritate regia instituit. Villam *Tornines*, quam a divae memoriae Otone imperatore praefatae ecclesiae redditam Godefridus comes Namurcensis invaserat, sed a Wibaldo abbate *in curia nostra*, inquit, *Coloniensi super hac re proclamatus, judicio principum nostrorum & praecipue Salicorum in manus nostras reddidit & refutavit, nosque in manu abbatis per praesentis privilegii paginam, ad usus fratrum delegavimus. Villam quoque Vilippam tempore avunculi nostri pia recordationis imperatoris Henrici injuste ablatam supradicto monasterio reddimus, & villam Sprimont sicut dux Fridericus pro anima sua ecclesiae tradidit*. Insignis hujus privilegii testes fuere *Theodwinus S. Rufinae cardinalis episcopus & apostolicae sedis legatus. Arnoldus Coloniensis archiepiscopus, Albero Trevirensis episcopus, Albero Leodiensis episcopus, Andreas Trajectensis episcopus, Embrico Wirseburgensis episcopus, Warnerus Monasteriensis episcopus, Udo Osenburgensis episcopus, Nicolaus Cameracensis episcopus, Walerannus dux, Henricus filius ejus, Wilhelmus comes Palatinus, Gaudefridus de Ascha, qui judicium fecit de Tornines, Godefridus de la Rotza, Henricus frater ejus, Theodericus judex Aquensis. Signum Conradi I. Romanorum regis invictissimi. Ego Arnoldus cancellarius vice summi cancellarii Maguntini scripsi & subscripsi. Anno dominicae incarnationis MCXXXVIII. indictione I. Datum Colonia III. idus Aprilis.*

XXXVI.
Wibaldus ab-
bas restaurat
castellum, &
transfert vil-
lam Longiae.

[Eodem anno Wibaldus Dei beneficiorum erga se memor, qui pauperem & indignum ad Stabulensis monasterii regimen promoverat, honori & utilitati ejusdem abbaciae invigilans, sed impediendo malitia temporis & frequentibus regis servitiis laboribus assidue occupatus & fatigatus, propensam, quantum desideraverat in ejus comoda voluntatem ad operis efficaciam cum perducere nequivisset, tandem Castellum-Longiae quod ad tuitionem totius terrae nostrae ab antecessoribus suis aedificatum fuerat, fere totum collapsum & raris inhabitatoribus frequentatum, totum restaurare aggressus est. In ea igitur montis parte quae respicit ad orientem turrim novam propriis aedificavit expensis, quam datis pro annuo beneficio centum solidis cuidam Nicolao ministeriali suo tamquam propriam ad conservandam concessit, prius accepto ab eo sacramento de illa ad voluntatem Stabulensium abbatum reddenda. Et

ANN. CHR. 1138.

quia Villa-Longiæ longius a castello distabat, eam in valle amœna ad radices montis transtulit, instituto in ea ex privilegio imperatoris mercato. Actum est publice in monasterio Stabulensi nonis Junii die dedicationis ecclesiæ, & interposito omnium fratrum nostrorum, multorumque qui ad idem festum convenerant sacerdotum anathemate confirmatum anno dominicæ incarnationis MCXXXVIII. qui est primus ordinationis domni Cuonradi Romanorum regis invictissimi, indictione I. Waleranno duce Lotharingiæ quæ est Mosellanorum, Godefrido de Rupe advocato Stabulensi, Frederico de Asca subadvocato, &c.]

XXXVII. Corbeiz-nove abbates.

In chronico nostro Saxonico Folmarus Corbeienfis abbas, id est Corbeiz-novæ, hoc anno obiisse memoratur, eique successisse Adalbero frater Heinrici ducis, Bajoriæ scilicet ac Saxoniz, electus ex eadem congregatione. Idem legitur in Annalibus Corbeiensibus. Rogerus, doctus monachus claruisse dicitur tempore Alberonis abbatis, qui post annos sex Heinricum successorem habuit: cui post biennium successit Henricus alter: quo statim amoto, Wicpoltus seu Wilbaldus sufficitur, de quo inferius.

XXXVIII. Aliæ res Germanicæ.

In prædicto chronico Saxonico Lambertus ex abbate Ilfneburgensi Brandeburgensis ecclesiæ episcopus electus, Rodolfi episcopi rogatu Romam profectus fuisse perhibetur, & in reditu a latronibus interfectus.

Eodem anno in monte S. Disibodi diocesis Moguntinæ, die parasceves paschæ kalendis Aprilis; a fratribus apertum est sepulcrum S. Disibodi episcopi & confessoris, præsentibus Conone ipsius loci quarto abbate, Gerardo abbate sancti Maximini & Bernhelmo primo abbate Spanheimensi, & e tumulo extractæ reliquiæ, quæ in veteri monasterio olim a Willigiso archiepiscopo reconditæ fuerant. Post annos quinque dedicatum est novum monasterium, & majus altare ab Henrico archiepiscopo consecratum; & ab eodem præfule III. kal. Octobris repositæ S. Disibodi reliquiæ in tumulo lapideo retro majus altare in duobus loculis plumbeis, quorum alter ossa majora, alter cineres continebat.

In diocesi Constantiensi ad Rhenum exstat nostri Ordinis monasterium, olim Piscina, vulgo *Fischingen*, item Augia S. Mariæ appellatum, situm in comitatu Tottenburgensi, non procul ab arce ejusdem nominis, ad radicem montis Hoerlini. Sanctam Ittam illius monasterii conditricem fuisse tradunt. Vacante abbacia electus est hoc anno Waltrammus Petrishusensis monachus, ab Udalrico ejus nominis secundo Constantiensis ecclesiæ episcopo consecratus, qui basilicam novam in honorem beatæ Mariæ a fundamentis ædificare cepit; domicilia tria, fratribus, fororibus & hospitibus ædificavit, & multos libros describi curavit, denique ecclesiam ornamentis sacris instruxit. quæ omnia intra sex regiminis annos perfecit. Ejus obitus IV. nonas Aprilis notatur.

XXXIX. S. Florentini ecclesia S. Germani tributa.

Redeo ad res Gallicanas, ubi quædam adhuc nobis commemoranda restant. Autifiodorensi S. Germani monasterio tunc præsidebat Gervasius abbas, cui hoc anno Innocentius papa diploma indulsit, ut S. Florentini ecclesia diocesis Senonensis ad regularem statum converteretur. Erant tunc in illa ecclesia sæculares clerici, quorum vivendi licentiam cum Henticus archiepiscopus ferre non posset, eam Gervasio abbati reformandam concessit, probante Innocentio papa, cujus hæc verba ad Gervasium abbatem. *Sicut ex quibusdam scriptis agnovimus, venerabilis confrater noster Henricus Senonensis archiepiscopus ecclesiam S. Florentini, in qua propter clericorum desidia ordo canonicus erat imminutus, tibi & monasterio S. Germani provida dispensatione concessit: ut videlicet regularis ordo ibidem tuo studio reformetur, & omnipotenti Domino digne ac laudabiliter servietur. Decedentibus quoque canonicis ejusdem loci, monachos ibi instituas, qui secundum beati Benedicti regulam vivant, ibique deserviant, salvo nimirum jure Senonensis ecclesiæ, ita tamen ut iidem canonici, quamdiu vixerint, de redditibus præbendarum nihil amittant, &c. Data Laterani IX. kal. Aprilis, incarnationis dominicæ anno MCXXXVIII. pontificatus vero domni Innocentii papæ II. anno decimo.* Hujus rei fit mentio in libro de gestis abbatum S. Germani capite x. ubi de Gervasio abbate, cui quædam etiam consuetudines a vicecomite ibidem remissæ dicuntur, assensu Theobaldi Magni Campaniæ comitis, cujus avus Theobaldus III. eandem ecclesiam Odoni abbati jam ante concesserat.

a Labb. to. 1. p. 576.

b Annal. to. 2. p. 579.

X L. S. Launomari

Eodem Theobaldo Magno totius Franciæ regnum post regem ordinante, ædificari cepit apud Blefas nova S. Launomari basilica, ut nos docet inscriptio ad calcem

cem veteris codicis a bibliothecæ regiæ his verbis. Anno MCXXXVIII. ab incarnatione Domini, indictione I. epactis existentibus VII. in mense Aprili, eodem die luna existente XII. XXV. die mensis, id est VII. kalendas Maii, quo scilicet die celebratur festum S. Marci evangelistæ, cepit ædificari ecclesia S. Launomari Blefis, comite Theobaldo totius Franciæ regnum post regem ordinante, & communi totius ecclesiæ utilitati feliciter consulente. Tunc S. Launomari monasterium regebat Rainaldus abbas, quem Gaufridus post annos circiter septem excepit, successorem sortitus Ernaudum, de quo infra.

[Hoc ipso quo sistimus anno mense Augusto in monasterio S. Michaëlis in periculo maris grande accidit infortunium, quod sic representat chronicon manuscriptum ejusdem loci: Eodem anno debacchatione Abrincatenfium furentium combustum est castrum montis, excepta ecclesia & officinis monachorum mense Augusto.]

ANNO ejus sæculi undequadragesimo, qui indictione II. præditus erat, Innocentius papa universale concilium Romæ celebravit in Laterano, cui episcopi ad mille interfuisse memorantur. In eo conditi sunt canones triginta, quorum septimus statuit, ut episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, regulares canonici & monachi atque conversi professi, qui contra sanctum propositum uxores sibi copulare ausi fuerint, ab eis separentur; & ejusmodi matrimonium nullum esse declaratur. Idem de sanctimonialibus sancitum canone VIII. Canone XIV. damnantur detestabiles illæ nundinæ seu feriæ, in quibus milites ex condicto, ad ostentationem virium suarum & audaciæ armis congregiebantur, unde mortes eorum & animarum pericula sæpe oriebantur. Ex his si quis ex illo conspectu mortuus fuerit, quamvis ei poenitentia & viaticum non negatur, ecclesiastica tamen sepultura privatur. Canon XXII. est contra falsas poenitentias, quæ tunc usitatæ erant. Falsa autem poenitentia ea esse declaratur, cum ex pluribus de uno solo poenitentia agitur: item cum poenitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nequaquam potest: aut si odium in proximum in corde teneatur, & offensus non satisfiat; aut si offensus satisfaciendi non indulgeat. Canon vicefimus-sextus est contra sanctimonialia quædam, quæ in privatis domibus habitabant. Denique vicefimo-septimo prohibetur, ne sanctimonialia simul cum canonicis vel monachis in uno choro conveniant ad psallendum. Verum illius concilii decreta, etsi passim per regna divulgata fuerint, tamen à principibus & optimatibus parvipensæ fuisse Ordericus tradit. In chronici Mauriniacensis libro tertio fusc agitur de hoc concilio, cui quod non interfuisset Thomas ejus loci abbas, ab Henrico Senonum archiepiscopo suspensus est, quamvis rex Ludovicus archiepiscopo excusatorias pro illo litteras scripsisset. Qua de re plura inferius. In eodem concilio damnatus est Arnaldus Brixienfis, Abaelardi discipulus, qui clericis aliquid proprii, neque episcopis regalia, neque monachis possessiones habere licere aiebat, ea omnia principum esse. Quibus, aliisque ejusmodi erroneis sententiis cum Brixienfes corrumperet, ab episcopo ad concilium accusatus, atque ab eo damnatus ex Italia discessit, & Turegum* apud Helvetos se recepit. Exstant complures de eo & contra eum Bernardi epistolæ, quarum duæ præcipuæ: una^b ad episcopum Constantiensem ad Rhenum: altera ad Guidonem in illis partibus apostolicæ sedis legatum.

Perfecto concilio, cum Rogerius Siciliæ, ut tum à pontificiis vocabatur, tyrannus, non modo Apuliæ ducatum Rannulfi ducis morte vacantem invaderet, verum etiam sancti Germani opidum, aliaque Casinatis monasterii loca occupata teneret; comparato exercitu Innocentius papa Leonis IX. exemplo adversus eum progressus, eundem omnino exitum habuit. Primo quidem Rogerium ad S. Germanum obviam factum è Casinatium finibus expulit, atque in castrum Gallutii compulsus obfedit: at Guillelmo Rogerii filio cum novis copiis superveniente, profligato exercitu ipse cum cardinalibus IX. kal. Augusti comprehensus, ac Neapolim perductus, Rogerium Siciliæ regem, ducem Apuliæ & Calabriæ, necnon Capuæ principem agnoscere coactus est. Quo facta pax sancita, & pontifex liber Romam remeavit. Tunc Petrus Venerabilis Rogerio de facta pace gratularus^c est; eidemque salutaria monita dedit S. Bernardus^d, [cui rex monasterium in Sicilia construere cupiens, per Alfanum nuntium duos ab eo fratres requisivit, qui præcederent ad videndum locum: sed eorum periculo timens Bernardus, nisi mitteret alios,

ANN. CHR. 1138. ecclesia inchoata. c. eod. n. 5364.

ANN. CHR. 1139. XLI. Lateranense concilium.

a Orderic. lib. 13. p. 913.

* Zurich. b Bern. ep. 195. & 196.

X LII. Innocentius à Rogerio captus cum Siciliæ regem agnoscit.

c Petr. Vena. lib. 4. ep. 37. d Bern. ep. 207.

X LIII. Rogerius construit mona-

ANN. CHR. 1130.
 sterium S. Bernardi discipulis.
 a Amplif. coll. tom. 1. p. 738.

excusavit sese, scripsitque hanc ad Amedeum abbatem Altæ-cumbæ epistolam, quam ex manuscripto Vedastino eruimus: Rogamus ut patrem vestrum, vel aliquem alium nuntium rationabilem & discretum mittatis pro nobis apud Montem-Pesulanum, ita ut ibi sit in octavis assumptionis B. Mariæ. In ipsa enim die & in ipso loco debent esse nuntii regis Siciliæ, qui descendant mare in navibus, ut portent filiam comitis Theobaldi filio domini sui. Si forte ad opus fratrum nostrorum naves adduxerint, & requisierint abbatiam, quam misuri eramus, nuntius vester habeat nos excusatos in hæc verba: Fratres quidem parati erant, & abbatia ordinata, sed dominus Alfannus nuntius domini regis Siciliæ dixit quia rex non requirebat nisi duos fratres, qui præcederent alios ad videndum locum: cum autem placuerit domino regi significabit nobis voluntatem suam de tota abbacia simul mittenda; nam periculum est religionis & ordinis, sicut vestra providentia novit, fratres sine disciplina, sine custodia vel abbatis, vel aliorum suorum fratrum, versari in terra aliena. Desiderabat Rogerius videre ipsum Bernardum, qui scripta ad eum epistola CCVIII. cum fratres in Siciliam misit, excusavit se his verbis: Si me queritis, ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus. Fertur namque mea humilitas invenisse gratiam apud regiam majestatem, ita ut querat videre me. Et quis ego sum ut dissimulem beneplacitum regis? Accurro, & qui querebar, ecce adsum: non in presentia corporis, in qua despexit Dominum Herodes, attamen in visceribus meis; nam quis me separabit ab his? &c. Missis vero præfecit Brunonem abbatem, olim mihi per dies multos, inquit, individuum comitem, nunc autem patrem multarum animarum lætantium in Christo, sed gentium in seculo.]

XLIV.
 Johannes Pulsanensis abbas obit.

Dum in Apuliæ partibus sumus, agendum est de Johanne Pulsanensi abbate, qui hoc anno ad cælestem patriam migravit. Erat is Matera Apuliæ civitate oriundus, qui adultus parentibus inconsultis, vili indutus habitu, ad monasterium situm in insula Tarentina clam secessit, ibique ovibus custodiendis adhibitus est. Inde ad Calabriam pergit, tum in Siciliam, ubi ad vastissimam eremum se recepit; ubi duobus annis perstitit, solis agrestibus herbis, amarisque ficibus & aqua contentus. Postea divino admonitu Genusium*, quod regni Neapolitani opidulum est in provincia Hydruntina, rediit, ibique biennio durissime vixit. Dein servum Dei Guillelmum Vercellensem, Genusii jam dudum sibi cognitum, audita ejus miraculorum fama, in monte Laceno tunc habitantem, adiit, eique suasit, ut alio migraret. Ipse vero ad basilicam sancti Michaëlis in monte Gargano sitam, se contulit: ubi postquam adventantibus aliquamdiu ministrasset, ad quemdam locum diocesis Sipontinæ, Pulsanum* vocabulo, accessit. Illic primo ab urbe Siponto lapide monasterium in honorem beatæ Mariæ ædificavit, multosque congregavit discipulos, quibus aliquamdiu præfuit. Denique, multis editis miraculis, ad beati Jacobi apostoli ecclesiam, quæ Pulsanensi subjecta erat, profectus, illic febre correptus decessit XII. kalendas Julias hujus anni, ibidemque, obsistentibus frustra Pulsanensibus monachis sepultus est. Jordanus ejus discipulus in regimine Pulsanensis monasterii ei successit. Hæc ex Latina ejus vita quæ ab anonymo ejus loci monacho scripta, Neapoli edita est anno MDCXXXIII. in qua sancti Benedicti regula capite XXVIII. laudatur. De hoc monasterio agit Lubinus†, & ante eum Ughellus, apud quem octo monasteria à Pulsanensi abbacia dependentia recensentur. Johanni Pulsanensi abbati quatuor tantum annis supervixit Guillelmus Vercellensis, de quo inferius agendum.

* Genusium

† Apollano.

‡ Lubin. p. 311 c Ital. fac. 200 7. p. 1130.

XLV.
 Malachias vita.

Hoc eodem anno Romam accessit Malachias, Hiberniæ primas, pallium à Romano pontifice accepturus. Annus colligitur ex ejus vitæ capite XV. ubi novem tantum annis supervixisse dicitur, quem anno MCXLVIII. obiisse constat. Res ab eo gestas non minus diserte quam pie scripsit Bernardus, ex quibus summa tantum capita delibare juvat. Malachias in Hibernia e parentibus præpotentibus natus est, matre admodum pia, quæ illi vias vitæ a pueritia aperuit. In scholis litteras, domi timorem Domini edoctus, quotidianis profectibus respondebat magistro & matri. Erat in civitate Ardmacha, ubi alitus est; homo sanctus austeræ admodum vitæ, Imarius nomine, & is monachus & abbas erat, ut infra patebit; ad quem se contulit, & formam vitæ ab eo accepit. Tantum in ejus schola profecit, ut Celso archiepiscopo dignus visus sit, qui ad diaconatum, nec multo post ad presbyteratum promoveretur. Erat autem, cum sacerdos ordinatus est, annorum fere viginti-quinque:

ANN. CHR. 1130.

in qua ejus utraque ordinatione, si quid contra canonum normam processisse videtur, at vere videatur (siquidem infra viceſimum-quintum annum leviticum ministerium, infra tricesimum adeptus est sacerdotii dignitatem) donandum sane tum zelo ordinatoris, tum meritis ordinati. Ego vero, ait Bernardus, nec in sancto redarguendum, nec usurpandum consulo ei, qui sanctus non fuerit. Ad hæc episcopus etiam vices ei suas commisit. Ille vero statim superstitiones evellere, verbum Dei ubique diffeminare, Romanos ritus instituire; usum confessionis, confirmationis, contractum conjugiorum, quæ omnia vel ignorata, vel neglecta erant, restituere institit. Ne autem quædam secus quam par esset agere videretur, subit animum adire Malchum Lestmorenfem in Mumonia episcopum, ut plenius de omnibus informaretur. Hic erat senex, plenus dierum & virtutum, Hibernus quidem natione, sed in Anglia conversatus in habitu & proposito monastico in cœnobio Wintoniensi, ex quo ad episcopatum assumtus fuerat. Tanta vero ei gratia calitus concessa fuerat, ut non modo vita & doctrina, sed etiam signis claresceret, quorum duo Bernardus refert: unum, quo puerum mente captum seu lunaticum inter confirmandum unctione sanavit: alterum, quo auditum surdo restituit. Ad eum exagitatus à germano Cormarcus Mumonia rex, quæ Hiberniæ pars australis est, aliquando confugit; tantumque Malcho doctore profecit, ut, regio nomine & factu deposito, summa vitæ austeritate & modestia, qualem servabat episcopus, contentus fuerit, nec ab alio rege (nam plura in Hibernia tum regna erant) induci potuisset, ut regni clavum resumeret, ni Malchus & Malachias consilio suo ad id impulissent. Post hæc dives & potens, qui locum Benchor famosum quondam monasterium, & possessiones ejus tenebat, in manus Malachia, cujus avunculus erat, omnia & se quoque dedit. Hoc olim destructum à paganis, ob insigne dignitatis antiquæ, & corpora sanctorum illic quiescentium, libenter suscepit. Erat quidem ingens loci illius possessio: sed Malachias solo contentus loco sancto, omnes possessiones reliquit ei qui illas tenebat. Nam & illic adhuc constituebantur per electionem abbates, servantes nomine, etsi non re, quod olim in usu fuerat. Cumque suaderent multi non alienare possessiones, sed totum simul retinere sibi; non acquievit paupertatis amator: sed fecit eligi juxta morem qui eas teneret, loco, ut prædiximus, retento sibi & suis. Et fortasse consultius, subdit Bernardus, ut post apparuit, integrum retinisset, si non magis suæ prospexisset humilitati, quam paci. Itaque ex mandato patris Imarii, assumtis secum decem circiter fratribus, locum instaurare, oratorium ex lignis lævigatis ædificare, in quo servitum est Deo simili quidem, ut olim, devotione, sed non pari numero. Præfuit, Malachias loco illi aliquanto tempore, patre Imario ita constituyente, ipse rector, ipse regula fratrum. Inde assumitur invitus, ætate fere tricenarius, ad Conneretensem episcopatum jam dudum vacantem, in quo sacra omnia neglecta erant, confessio, poenitentia, legitima conjugia: quæ omnia vir sanctus restituit. Inter ea illam urbem à rege aquilonaris partis Hiberniæ destrui contigit unde Malachias necessitate compulsus ad regem Mumonia, suum quondam exulem, cum suis, numero centum-triginta fratribus se recepit: à quo perhumane acceptus, Ibracense monasterium constraxit. Hic locus brevi crevit possessionibus & personis: ubi vir sanctus legem & disciplinam quam aliis imponebat, magis ipse portabat, episcopus & magister.

a V. Annual. 20. 1. p. 209. seqq.

Dum hæc ita agerentur, contigit infirmari Celsum archiepiscopum, qui Malachiam diaconum, presbyterum & episcopum ordinaverat. Is se morti proximum esse sentiens, velut testamentum Malachiam successorem designavit. Hoc præsentibus, hoc absentibus, hoc speciatim duobus Mumonia regibus præcepit ea præcipiendi auctoritate, quæ Armachanæ sedis archiepiscopis ob sanctum Patricium patriæ apostolum, ibique sepultum, concessa est. Verum mos illic pessimus inoleverat ab annis ferme ducentis, ut sancta illa sedes hereditaria successione possideretur. quæ execranda consuetudo eo usque processerat, ut, etsi interdum defecissent ex illo sanguine clerici, conjugati succederent. Hinc octo ante Celsum uxorati sedem illam tenebant, unde nata est dissolutio totius ecclesiasticæ disciplinæ, sæva subintroducenda barbaries, immo paganismus quidam inductus sub nomine christiano. Hæc ratio movit Celsum, ut moriens Malachiam successorem designaret. Obstitit per quinquentium Mauricius ex Celsi progenie: sed tandem Malchus episcopus mox laudatus, & Gillebertus apostolicæ sedis per Hiberniam legatus effecere, ut Malachias tandem in illam sedem induceretur. Obedivit ille spe martyrii, professus se ad ami-

XLVI.
 Armachanæ ecclesiæ miserabilis status.

ANN. CHR.
1139.

cam paupertatem reversurum, si res in melius reformare potuisset. Verumtamen civitatem non ingressus est, dum ille incubator vixit, ne cui mortis occasio præberetur. Mortuo invasore, successit alter ex eadem progenie, nomine & re Nigelus, qui cum suis affectis Malachia necem non semel molitus est. Sed tandem Deo protegente servatus vir Dei, & adversarius aut victis, aut sublati e medio cum tota illa progenie, in civitate omnia rite disposuit & ordinavit.

XLVII.
Malachias Dunensis factus episcopus.

Sic libertate Armachanæ ecclesiæ intra triennium restituta, reformatis ubique moribus, videns omnia in pace esse, & ipse de sua pace cogitare cœpit. Hinc memor propositi sui, constituto illic Gelasio successore, viro bono & digno tali honore, ad priorem suam parochiam rediit, quam in duas episcopales sedes pro antiquo more dividerat. Et quia in Conneretensi jam alium episcopum ordinaverat, ad Dunensem se contulit, alteri cedens potiorem: in qua clericos regulares constituit.

Romam adit per Claram-vallem.

Omnibus in illa parochia bene ordinatis, visum est ei, ut ecclesiæ Armachanæ, pro qua tantum laboris insumerat, & alteri metropolitæ sedi à Celso erectæ, honorem pallii compararet. Ejus rei causa Romam proficisci constituit. quod ubi innotuit, intolerabilis cunctis visa est ejus absentia, nec prius illi assensere, quam forte contra voluntatem ejus ter missa, Dei voluntatem explorarent, & sic eam se habere convicti essent. Oceano transmissa, Bernardus ait sibi in hac via datum fuisse ut eum videret, & ex eo tempore se invenisse gratiam in oculis ejus. Ipse etiam ad Claram-vallem divertere dignatus est: ubi visis fratribus punctus fuisse dicitur; & fratres non mediocriter ædificati in præsentia & sermone ejus. Romam ubi pervenit, cum multis lacrymis ab Innocentio flagitavit, ut ipsi in Clara-valle deinceps vivere & mori permitteretur. Verum abnuvit pontifex, lucris uberioribus occupandum decernens. Nam post unius mensis in Urbe moram, nova metropolitica sede confirmata, & pallio utrique sedi promisso, ubi coacto concilio ab episcopis petatum esset; legatum illum per universam Hiberniam constituit vice Gilleberti superius laudati, qui præsenio & debilitate corporis hoc munus amplius sustinere non poterat. Tum, mitram suam ejus capiti imposuit pontifex, eidemque stolam cum manipulo dedit, ac demum salutatam in osculo pacis eum dimisit. In reditu Malachias denuo Claram-vallem invisit, magnopere dolens, quod illic remanere sibi non liceret: sed quatuor e suis ibi dimisit, qui probati, dignique inventi sunt qui monachi fierint, uti & alii, quos postea istuc misit. qui omnes in monastica disciplina recte exercitati, adjunctis aliis de Clara-valle, in Hiberniam reversi sunt a cum sancto fratre Christiano, & in nova Mellifontis abbatia constituti, quæ paullo post filias quinque peperit. Reversus in patriam Malachias, totum se curæ pastorali & reformandis moribus impendit, multaque signa patrat: in his mulierem absque sacramento extremæ-unctionis defunctam excitavit, & clericum quemdam de sanctissimo Eucharistiæ sacramento male sentientem ad ejurandum errorem adduxit. In Benchorensi monasterio oratorium ex ligneo lapideum, quod nusquam in Hibernia visum, construi cœpit instar eorum, quæ in aliis regionibus viderat. Mirantibus ceteris rem novam, contra rerum ejus loci invasor indignatur, cujus filius primo clam detrahere tum conviciari palam; novitatem horrere, Scotos se esse non Gallos dicitare; sumtus exaggerare; cunctos denique ad impediendum opus instigare. Ad quem Malachias: Miser, inquit, opus, quod in choatum vides & invides, sine dubio perficietur; sed perfectum non videbis, quod re ipsa accidit. nam ille brevi cælitus poenas tulit, uti & pater: sicque ad Berichorense monasterium rediit possessio.

XLVIII.
Richardo Fontanensi abbati successit Henricus.
B lib. 75. n. 170.
c Bern. ep. 320. § seqq.

Actum est superius de Ricardo Fontanensis in Anglia monasterii secundo abbate, qui hoc anno Romæ decessit, quo eum Turstanus Eboracensis archiepiscopus legatum miserat. De ejus obitu Bernardus *Alexandro priori & conventui de Fontibus* consolatoriam epistolam scripsit, eosque hortatus est ad eligendum unanimi consensu dignum successorem cum consilio Henrici abbatis Vallis-clare, quem cum fratre Gualtero brevi missurus erat. Eidem Henrico abbas sanctus sequenti epistola præcipit, ut, si in eum convenerit electio fratrum cum consilio abbatis Rievallis, non eam refutet, sed obediat in caritate. *Et ne timeas*, inquit, *pro domo, quam regendam suscepisti. Ego enim, Deo volente, utilem providebo dispensatorem. Illa mihi namque vicinior est.* Prævidebat sine dubio Bernardus, eligendum a Fontanensibus Henricum, utpote Anglicum, & eximiis præditum moribus; & fortasse ejus rei

causa illum eo direxerat. Et re quidem vera electus est a fratribus abbas, isque primus Fontanenses *ad perfectam ordinis puritatem* a redegit, teste Serlone. Erant siquidem ante ejus adventum quædam *levitatis* pristinae relicta vitulamina, quædam scilicet res peculiare apud nonnullos præter licitum, secundum consuetudinem, quam a prima matre traxerant, Eboracensi videlicet sanctæ Mariæ monasterio, unde egressi erant. Verum hæc aliaque refecuit Henricus abbas, qui post septem circiter annos, amoto Willelmo Eboracensi archiepiscopo suffectus est. Cetera, quæ Fontanensem abbatiam spectant, apud Serlonem legere licet.

Hoc ipso autem anno Walterus de Lacy abbas Glocestrensis obiisse traditur, cui successit Gilbertus, qui anno MCXLVII. mortuo Roberto Herefordensi episcopo subrogatus, Hamelinum in abbatia successorem habuit, ut ex Annalibus Wigorniensibus discimus, qui tamen in consequentibus non bene sibi constant. Hamelinus ad annum MCLXXIX. Glocestriæ præfuit.

Electus anno superiori, ut diximus, Theobaldus Becci abbas ad Cantuariensem archiepiscopatum, idibus Januarii insequentis Cantuarie ad altare Christi a Balduino sedis apostolicæ legato, ut in actis abbatum Beccensium legitur, aliis ab Alberico, consecratus est, Romamque non multo post profectus, pallium accepit. Eodem anno Hugo abbas suburbani S. Augustini monasterii ab Innocentio confirmationem impetraverat privilegii a Callisto II. indulti, quo monasterium jurisdictioni sedis apostolicæ cum suis possessionibus speciatim asserbatur, & prava quædam & turpis consuetudo, arietum scilicet, panis & vini ab Augustinensibus exactio, Cantuariensibus archiepiscopis interdicta erat. Hujus occasione privilegii Theobaldus in Augustinenses summopere indignatus, eos multis modis infestavit, in eorum ecclesias violenter irrupit, & in illis presbyteros, invito abbate & monachis, constituit, insuper eosdem ad sua placita sub gravibus poenis evocavit. Super his aliisque molestiis & gravaminibus Augustinenses apud Innocentium conquesti sunt: qui hac de re Theobaldo scripsit, ut a cœptis desisteret; sin minus, coram Henrico episcopo Wintoniensi & apostolicæ sedis legato causam dicturus se sisteret. Eiusdem argumenti litteræ eidem Henrico, Stephano regi ejus fratri, & Augustinensibus a pontifice scriptæ, quas Willelmus Thornus refert. Verum mandatis apostolicis cum non pareret archiepiscopus, immo novas prioribus injurias superadderet; iteratas apud summum pontificem querimonias Augustinenses deponere coacti sunt. Quam ob rem causæ cognitio Henrico Wintoniensi, aliisque episcopis commissa, secundum Augustinenses definita est: cui ad tempus cedere visus Theobaldus: sed denuo ab eo agitata, demum a Lucio II. eo pacto absoluta, ut quædam ei prædia in compensationem a monachis darentur: sicque sancita concordia est. quæ omnia fusa a Thorno referuntur. Tantam Henrici Wintoniensis episcopi potentiam moleste admodum tulit Theobaldus, ut in consequentibus videbimus.

Ubi Theobaldus consecratus est archiepiscopus Cantuariensis, tunc primum de novo Becci abbate eligendo tractari cœpit. Electus statim Letardus, natus in ipso Becci opidulo, olim apud Pontifaram, tunc beatæ Mariæ de Prato apud Rotomagum prior, qui a venerabili Willelmo Beccensium tertio abbate monastico habitu indutus fuerat, & eximia virtutis & regularis disciplinæ exempla semper ediderat. Fuit is sextus Beccensis abbas, benignus & humanissimus in omnes; quos vitæ honestas commendabat, at severus eorum censor, qui quidvis contra honestatem commisissent. Ut vero ejus virtus & patientia probaretur, non multo post oculorum lumine orbatus est: sed nequiquam ob id tristis existit, nec a fratrum consortio in choro, capitulo & refectorio abstinuit usque ad mortem, quæ decimo sui regiminis anno accidit. Letardi abbatis anno primo inchoata fuit Beccensis capituli fabrica, quæ post annos septem absoluta est, suppetias conferentè Roberto de Novo-burgo, totius Nortmanniæ vicecomite, qui Beccenses; in primis Letardum abbatem impense colebat.

Cum Romam pallii causa peteret Theobaldus Cantuariensis archipresul, ad suum Beccense monasterium divertit. In ejus comitatu erat Henricus Huntindoniensis, qui jam tunc de historia regum Anglorum scripserat. Hic Robertum de Torinneo, tunc Becci monachum, convenit, & cum eo hæc de re collocutus, volumen quoddam de antiquis Brittonum regibus ab eo legendum & describendum accepit, cujus excerpta ad Varinum quemdam Brittonem; qui ab eo quaeserat, cur

ANN. CHR.
1139.
a Monast. Anglic. to. 1. p. 746.XLIX.
Glocestrenses abbates.
b Anglia sacra. to. 1. p. 475.L.
Theobaldi Cantuarie archiepiscopi ordinatio & lia cum Augustinensibus.
c supra n. 15.
d V. lib. 74. n. 77.LI.
Letardus Becci abbas electus.LII.
Robertus de Torinneo Becci monachus.
* de Torigny.

ANN. CHR.
1139.

a Julio cæsare historiam suam orsus fuisset, misit cum epistola, in qua de Roberto monacho honorifice loquitur in hunc modum. *Hoc anno, qui est ab incarnatione Domini millesimus centesimus trigessimus nonus, cum Romam proficiscerem cum Theobaldo Cantuariensi archiepiscopo, apud Beccum, ubi idem archiepiscopus abbas fuerat, scripta rerum prædictarum stupens inveni. Siquidem Robertum de Torinneio ejusdem loci monachum, virum tam divinorum quam secularium librorum inquisitorem & coacervatorem studiofissimum, ibidem conveni. qui cum de ordine historiae de regibus Anglorum a me editæ, me interrogaret, & id quod a me querebat libens audisset; obtulit mihi librum ad legendum de regibus Brittonum, qui ante Anglos nostram insulam tenuerunt: quorum excerpta, ut in epistola decet, tibi, dilectissime, mitto.* Hæc epistola in Appendice ^a ad Guibertum edita est cum illis excerptis, quæ nihil fere quam fabulas continent. Robertus de Torinneio postea factus est Becci prior post Richardum, quem hoc anno priorem fuisse discimus ex litteris Galeranni comitis de Mellento, quibus ecclesiam S. Nicolai de Mellento Beccensibus dedit. Hæc donatio facta est apud Bellum-montem in manu Richardi prioris ecclesie S. Mariae de Becco, hoc anno, dominica die ante caput jejunii III. nonas Martii per cultellum super altare positum. Processu temporis Robertus de Torinneio factus est abbas sancti Michaelis-de-Monte, ut inferius videbimus. Dum adhuc Becci monachus esset, res ab Heinrico primo, Angliæ rege & duce Nortmannorum, historiae ducum Nortmannorum superadjecit, ut ipse testatur in epistola ^b ad Gervasium priorem S. Serenici apud Cenomannos, qua eum hortatur ad ea scribenda, quæ in Nortmannorum provincia evenerunt post excessum prædicti Heinrici regis usque ad mortem Gaufridi ducis Nortmannorum & comitis Andegavensis, summam delibando nomina & gesta comitum Andegavensium & Cenomannensium.

a. Guib. p. 736.
c. 149.b. ibid. p. 715.
c. 149.LIII.
Sithiensium liscum Cluniacensibus definita.
c. 146. 76. n. 123.

Vix annus erat, ex quo Leo seu Leonius abbas Sithiense S. Bertini monasterium regendum ^c acceperat, cum a Cluniacensibus rursus de subjectione sui monasterii exagitur, & cum Alviso Atrebatensi episcopo, cujus apud Aquicinctum fuerat monachus, Romam causam dicturus evocatur. Illuc profectus anno superiori post festum S. Martini, ibidem perstitit usque ad mediam hujus anni quadragesimam, cum generale concilium celebrandum erat. Tunc Romæ adfuit Petrus Venerabilis Cluniacensis abbas: sed cum de lite, quæ inter Cluniacenses & Sithienses orta erat, omnino fileret; Leonius causam ad concilii audientiam retulit. Hinc, auditis utriusque partis rationibus, lectis utrimque privilegiis, Paschalis secundi hac de re judicium in gratiam Sithiensium jam prolatum confirmatur, & S. Bertini coenobium a Cluniacensium ditione omnino liberum in posterum fore declaratur. Sed ne ulla rancoris inter partes remaneret suspicio, discedentes ambos abbates pontifex ad pacis osculum reconciliavit. quod non difficile fuit Petro Venerabili, viro, si quis alius, placabilitate & lenitate insigni. Præter privilegium pontificium hac de re Leonio abbati concessum, litteras Innocentius scripsit Theoderico Flandriæ comiti & Sibyllæ comitissæ, atque alias Miloni episcopo & capitulo Morinorum; neque confirmes Willemo castellano & opidanis S. Audomari, quibus pontifex ad tuendum Sithiensium libertatis privilegium hortatur. Hæc omnia Johannes Iperius fuisse commemorat. Non dubito, quin multum ad hanc concordiam contulerit Bernardus, scripta ad venerabilem Petrum ^d epistola, qua eum monet, ut a monasterio S. Bertini tam operose sibi vindicando desistat. *Nam etsi hoc vobis, inquit, in pace subficere, & absque omni contradictione possatis, ne tunc quid vestra referre quidem video. Neque enim crediderim vos delectari honore cum tanto onere. Nunc vero cum nec absque magno labore vindicare vobis præfatum monasterium, nec in pace, ut aiunt, queatis possidere; honesta vobis, ut mihi videtur, præbetur quiescendi occasio, timor inquietandi.* Et hic finis fuisse videtur diutina illius controversiæ.

d. Bern. ep. 149.

LIV.
Restitutio villæ Turnines Stabulensi monasterio restituta.

e. Ampliss. coll. tit. tom. 2. p. 209.

[Non tam cito Stabulensi monasterio facta est restitutio antiquissimæ possessionis villæ Turnines, quam licet Otto I. imperator ad jus monasterii, ut *victui & quotidianis expensis Stabulensium fratrum deserviret*; imperiali auctoritate pertinere declaraverat, Godefridus nihilominus comes Namurcensis invasam pertinaciter retinebat; adeo ut pluries a regibus & imperatoribus cogi ad restitutionem necesse fuerit. His hoc anno accessit pontificalis auctoritas Alberonis episcopi Leodiensis, qui suo diplomate restitutionis feriem; exponit his verbis: *Domnus Wibaldus abbas Stabulensis avunculum nostrum Namurcensem comitem Godefridum, qui eandem villam in-*

ANN. CHR.
1139.

juste habebat, in curia domni nostri Cuonradi II. serenissimi Romanorum regis proclamavit, & prænominatam villam, judicio curiæ recepit. Aliquanto vero plus tempore germanus noster Eustachius Leodii advocatus saepesatam villam Turnines per vim occupavit, hoc scilicet rationis prætextens, quod Wigerus de Woronna, cujus filiam uxorem duxerat, à prædicto avunculo nostro Namurcensi comite eandem villam in beneficium acceperat. Verumtamen nos evidentis justitiæ ratione commoti, tum ex admonitione reverendissimi patris nostri papæ Innocentii, & jussione piissimi regis nostri Conradi II. annitentibus sedulo pro Stabulensi ecclesia domno metropolitano Arnolde sanctæ Colonienfis ecclesie archiepiscopo, necnon Alberone Trevirensi archiepiscopo & apostolica sedis legato, non peperimus carni & sanguini, sed eosque fratrem nostrum ecclesiastica auctoritate coëgimus, ut villam Turnines cum omnibus inde ablati Stabulensi monasterio restitueret, facta insuper coram nobis promissione, quod de eodem bono nullam deinceps violentiam inferret, &c. Huic rei interfuerunt prælati & canonici majoris ecclesie, Fridericus præpositus & archidiaconus, &c. Renzo decanus & abbas civitatis, Elbertus abbas S. Jacobi, Wazelinus abbas S. Laurentii, Gilbertus abbas S. Hugberti, Theodericus abbas Walciodorensis, Waltherus abbas Flonensis. Interfuit confrater noster Albero Virdunensis episcopus, Odo abbas S. Remigii Remensis, nobiles & liberi homines comes Lambertus, Henricus de Rupe, &c. Actum est hoc publice Leodii in capitolio S. Mariæ sanctique Lambertii anno dominicæ incarnationis MCCCXIX. indictione III. regnante domno Cuonrado II. anno regni ejus II. ordinationis autem nostræ III.]

In brevi chronico ^a S. Vitoni Virdunensis Laurentius abbas hoc anno obiisse dicitur, & Segardus successisse. Ejus obitum notat, & præcipua facta perstringit Laurentius de Leodio his verbis. *Anno nono, inquit, episcopatus domni Alberonis, venerabilis Laurentius post quadraginta annos & tres menses, ex quo abbas feliciter huic monasterio præfuerat, beato excessu obiit. Hic & genere linguaque Teutonice & magnæ scientiæ & industriæ gratia præditus, à prima indole apud S. Agericum in palæstra monachicæ professionis exercitatus claruit. Inde cum Rodulfo abbate Burgundiæ cenobii prior sub abbate sanctæ memoriæ Gerentone seu Jarentone, multa superflua traditionis ibi inventa deleuit, vel mutavit, aliaque inseruit honestiora. Inde cum nostris reversus, & post mortem prædicti Rodulfi ex priore in abbatem promotus, in omnibus sancte, pie & juste præstitit; & ideo multum profuit tam in augmento rei, quam religionis.* Hactenus Laurentius de Leodio, qui his subdit donationes, quas multi nobiles Laurentii tempore monasterio fecerunt, in his Theodericus & Widericus fratres comitis Frederici, Rainaldus eorum vitricus, & Chunegundis uxor Manfridi seu Manfredi, quæ multa prædia S. Vitono contulit. In necrologio kalendis Julii domnus & venerabilis abbas Laurentius obiisse dicitur. Quanta hic à schismaticis pertulerit, ex aliis ejus factis superius relatis patet.

LV.
Laurentio abbati S. Vitoni succedit Segardus.
a. Labb. tom. 1. p. 401.
b. Spicil. tom. 12. p. 328.

Laurentio mortuo venerabilis Segardus, ejus consanguineus & monachus, pietatis ac religionis, uti & dignitatis, successor fuit. Cum prioris officium gereret, cœmeterium fratrum muro cinxit, & claustrum reparavit: abbas autem magni pretii scrinium ad reponendas S. Vitoni reliquias multo sumtu fabricari curavit. Majora parabat, cum eum Deus post duos aut tres annos felicitis regiminis ex hoc mundo abstulit.

Sub eo prior fuit venerabilis Rodulfus, ejus consanguineus, conterraneus & ætate compar. Ambo una die monasterium ingressi, & una die simul monasticam professi vitam, ambo itidem una die ab episcopo abbates consecrati sunt, Rodulfus quidem S. Agerici, Segardus S. Vitoni: sed longe dispari fortuna. Segardus enim, quia bene morigeratis & obedientibus præerat, in cunctis bene & prospere egit: Rodulfus vero, quia contumaces & rebelles monachos habuit, etsi recte se gerebat, nihil profecit. nam illi salutaria quæque pietatis & religionis monita spernebant, res sibi procuratas dilapidabant, monasticæ vitæ candidatos molestius & injuriis discedere cogeant; denique abbatem ipsum multis in dies modis impetebant & divexabant. Quam ob rem ille exemplo beati Benedicti perverfos illos monachos deseruit, & se a pastoralis cura per episcopum absolvi curavit, agente Segardo, qui eum S. Vitoni priorem constituit. Hinc illa domus desolata remanebat usque ad tempus, quo Laurentius hæc scribebat; jactitantibus illis monachis, quod quodam

LVI.
Rodulfus S. Agerici abbas ejus propinquus.

ANN. CHR.
1139.

fato ita damnati sint, ut ex quo locus fundatus est, nullus ex omnibus abbatibus eorum inter eos, sed alias ab eis pulsus obierit: quorum hodie, inquit Laurentius, tres vivunt ita pulsi. Quidam tamen viri pietate & religione insignes ex illo S. Agerici monasterio primis illis temporibus prodire, quales fuere Godefridus abbas sancti Quintini-de-Monte prope Perronam, & Fulgentius Affligemienſis abbas, de quibus in superioribus actum est. Hinc suspectum quodam modo redditur illius chronographi testimonium, qui sui monasterii alumnum monachis S. Agerici non probari ægre ferebat, quem ob eam causam rejectum aiunt, quod homo extraneus invitit ab episcopo Adalberone obtrusus esset post mortem Richardi abbatis, quæ hoc anno vel inſequenti accidit. Excluse itaque Rodulfo, electus e gremio Ægidius, cum vix annis novem monasterio præfuiſſet, ſucceſſorem fortitus est Henricum: quo mortuo quinque ſubſequentes abbates ex grege S. Vironi assumpti ſunt. Horum nomina & ſucceſſorem in verſione Gallica romi ſexti chronicorum Benedictinorum videre licet.

LVII.
S. Remigio facta reſtitutio, a Marlot. 10. 2. p. 324.

Ad hunc annum pervenit Godefridus Barbatus dux Lotharingiæ inferioris & Lovaniensis comes: qui anno præcedenti alodium Littam a pagi Leodicenſis, quod Gerberga Francorum regina S. Remigio contulerat, a ſe inſulte abstractum, facti poenitens eidem reſtituit, ob quam inſationem ab episcopis Leodicenſi & Cameracenſi, necnon ab eccleſia S. Remigii excommunicatus fuerat. Hæc abdicatio & reſtitutio ab ipſo, duobuſque ejus filiis, Godefrido & Henrico, facta est in præſentia Conradi imperatoris, teſtibus ex parte S. Remigii Odone S. Remigii abbate, Waltero abbate S. Martini Tornacenſis, Simeone abbate de Parco, & aliis. Obiit Godefridus VIII. kalendas Februarias hujus anni, ſepultuſque est Affligemii, cui multa beneficia contulerat. Henricus ejus filius ibidem monachum induit, nec multo poſt mortuus ad patrem ſepultus est. Godefridus Barbati filius natu major principatum conſecutus est aſſentiente Conrado II. imperatore, qui ei Lutgardem ſuæ conjugis ſororem nuptum dedit. Ex his corrigendus chronici Affligemienſis b continuator, qui Godefridi patris obitum novem annis prævertit.

Godefridi Barbati obitus.

b Spicil. 10. 10. p. 612.

LVIII.
Thomas Mauriniaci abbas abdicat.

Prædictus Odo S. Remigii abbas auctor fuit Thomæ abbati Mauriniacensis prope Stampas monasterii, cujus ipſe monachus erat, ut abbatiam abdicaret, & ad S. Martinum de Campis ſe reciperet. quod qua occasione factum ſit, exponendum. Cum ad Lateranenſe generale concilium omnes episcopi & abbates convocati fuiſſent, ab eo tamen abſuit Thomas quorundam negotiorum neceſſitate impeditus. Hinc captata occasione Henricus Senonum archiepiscopus, qui forte jam illi inſenſus erat, eum ab officio ſuſpedit, nulla habita ratione litterarum, quas rex Ludovicus in ejus excuſationem ſcripſerat. Paulo poſt tamen, agente Bartholomæo Veterum Stamparum priore, in officio reſtitutus ab eo est. Verum, tum recentis injuriæ memoria, tum inſurgentium negotiorum & vexationum moleſtia fractus, Odonis abbatis conſilio, inſultis episcopo & conventu, paſtoralem curam abjecit, & ad S. Martinum de Campis, quæ eccleſia rigore ordinis tunc famoſiſſima erat, privatæ vitæ & ſpiritualis otii ſtudio ſeceſſit circa mediam quadrageſimam anni inſequentis.

c Cheson. 10. 4. p. 384. & ſeqq.

Macarius ei ſucceſſus.

Hoc accepto, rex Odonem ſancti Remigii & Joſcelinum Milidunenſem abbates Mauriniacum miſit, ut quem illi ex monaſterio S. Martini a Campis eligendum abbatem ex ſe indicarent, ipſi eum electum approbarent. At reclamant Mauriniacenses, ne indulta ipſis electionis libertas convelleretur. Opportune etiam allata ſunt eis Henrici archiepiscopi litteræ, quibus nova eiſdem electio interdicebatur, propterea quod Thomas ſe inſultato & conventu abbatiam deſeruiſſet. Sed rex novos illuc nuntios ſpectabiles dirigit, nempe Natalem cancellarium Reſbacenſem abbatem, Alviſum Atrebarenſem episcopum, & magiſtrum Hugonem de S. Victore, in litteratura magiſtros etiam plurimos excedentem, gravi præceptione interminans, ut ad eorum nutum abbatem eligerent. In his anguſtiis fratres Macarium priorem Longi-pontis, quæ cella est Cluniacenſium in pago Pariſienſi, abbatem eligunt, regi non ingratum fore opinati, quippe qui nepos eſſet Alberici Oſtienſis episcopi, quem rex & optimates ob probitatem & ſapientiam plurimi faciebant, & familiarem habebant. Verum non prius electo benedictionem impertiri voluit archiepiscopus, quam Thomas per baculum, non per librum, curæ paſtoralis miniſterium ipſi redderet; & nova Macarii electione facta, abbas Cluniacenſis electum emanciparet.

Hinc

ANN. CHR.
1139.

Hinc nova ſit electio: tum miſſus Cluniacum Robertus Brugerienſis monachus cum nuntiis regis, Petro regis capellano, & magiſtro Simone de Piſſaco; quos rex pro quibuſdam negotiis Romam dirigebat; obtentaque Macarii emancipatione, Macarius tandem ab archiepiscopo benedictus est. Non multo poſt Macarius abbas Romam profectus, privilegium apoſtolicum retulit, ut clerici Veterum Stamparum, qui monachos paſſim inſtebant, eliminarentur; multaque alia bona monaſterio præſtitit, Cluniacenſis ordinis diſciplina ibidem inſtituta. Denique idem Macarius poſtmodum ad reſtituendam in Floriacenſi monaſterio regularem normam tranſlatus est.

In Vindocinenſi monaſterio deceſſit hoc anno Fromundus bonæ memoriæ abbas XII. kal. Octobris, cum vix annos ſeptem hunc locum poſt Goſfridum a rexifieret. Ei ſucceſſit domnus abbas b Hubertus, vir morum honeſtate & ſanctitate præditus; ſed brevior ejus præſectura: quippe qui eam tenuit annos tantum quinque, & menſibus ſex non omnino integris, mortuus XIV. kal. Aprilis. Fromundo abbate recruduit controverſia, Goſfridi abbatis tempore exorta cum episcopo Andegavenſi de eccleſiis c & oblationibus, quæ tandem inter Ulgerium episcopum ita coram Innocentio II. compoſita eſt, ut abbas oblationes baptiſteriorum in eccleſiis episcopi Andegavenſis remitteret: episcopus vero abbati oblationes purificationum nuptiarum, & alias, ſicut antea obtinuerat. Huberti ſucceſſor Robertus annis decem Vindocinenſibus præfuit.

LIX.
Vindocinenſes abbates.a V. lib. 75. no. 161.
b Labb. 10. 1. p. 287. & ſeq.

c V. Sirm. in Goſfrid. p. 66.

Exiſtat in diœceſi Andegavenſi abbatia apud Aſnerias * ſita non longe a ſiniftra Toedi * ripa, qui in Ligerim infra Salnturum inſluit. Hæc primitus cella fuit monaſterii Tironenſis, a Girardo Berlaio in honorem ſanctæ Dei-genitricis fundata; ſed paullo poſt ab eodem in abbatiam erecta, aſſenſu Willelmi Tironenſis abbatis, eo pacto, ut abbatum ejus loci futura electio non niſi providentia & poteſtate abbatis & capituli Tironenſis fieri poſſet. Quod ſi abbas prædicti loci a Tironenſium habitu & religioſis inſtitutionibus deſecteret; Tironenſis capituli nutu & imperio removeretur, & alter, qui dignus eſſet, ſubſtitueretur, ſalvo ubique jure episcopi Andegavenſis. Porro electus in præſentia Tironenſis abbatis fratrumque conventus matri eccleſiæ Tironenſi ejuſque reſtoribus obedientiam & ſubjectionem cum monachis, qui cum ipſo futuri eſſent, promitteret. Ad hæc ut ſingulis annis ad capitulum Tironenſe, cum aliis abbatibus conveniat ad recipienda ſtatuta, ſi quæ pro ſtabilitate & confirmatione ſuæ religionis edita fuerint. Denique cum Tironenſis abbas ad prædictum locum ſanctæ Mariæ de Aſneriis, quem mutato nomine Clarifontis abbatiam deinceps vocari vult Willelmus, aut ad quemlibet locorum ei ſubjectorum venerit, omnis prærogativa honoris & conſeſſus ei tribuatur. Hanc vero abbatiam Girardus de Berlaio cum uxore ſua Ada ab omni ſæculari poteſtate liberari eſſe conſtituit.

LX.
Aſneriarum cella in abbatiam converſa * Aſneres-Bellay. * Le Tonſ.

Cormaricenſe apud Turones monaſterium tunc regebat Willelmus abbas, ejus nominis primus, cui Innocentius papa protectionis apoſtolicæ privilegium hoc anno indulſit, dato diplomate XIV. kal. Maii, indictione II. Conſimile privilegium eidem conceſſit Goſfridus Andegavenſium comes. Willelmo ſucceſſiſſe Johannem abbatem cenſet Perionius, idque probant litteræ, quibus Cormaricenses, rogatu Anſelli Triagni caſtri domini, quaſdam decimas anno MCXCVI. cedunt ſanctimonialibus, quæ prope muros Triagni commanebant. Poſt Johannem primus invenitur abbas Rogerius, memoratus in litteris concordiæ anno MCLXIV. inſitæ inter Cormaricenses & prædictum Anſellum. Rogerium excepit Sulpicius, cujus tempore Pontius Claromontenſis episcopus de mandato Alexandri III. controverſiam compoſuit, quæ inter archiepiscopum Turonenſem & abbatem Cormaricenſem de ſubjectione excitata erat, ut ſuo loco videbimus.

LXI.
Cormaricenses abbates.

Poſt Radulſum abbatem, Henſionenſi S. Jovini apud Piſtones monaſterio præerat hoc anno Simon, eo nomine ſecundus, quo anno Guillelmus d Thoarcenſium vicecomes, qui Aimerico Arberti filio ſucceſſerat, pro anima patris ſui Aimerici in eccleſia S. Jovini ſepulti, & vicecomitis Aimerici, qui & ipſe in eadem abbatia ſepultus eſt, & pro ſalute omnium propinquorum ſuorum, donat Deo & ſancto Johanni-Evangeliftæ, ac beatis confeſſoribus Jovino & Martino, necnon monachis eis ſervientibus & pro ſalute vivorum & defunctorum jugiter Deum exorantibus, totam conſuetudinem frumentagii, id eſt penſionem annonæ, quæ ipſi ab omnibus a

LXII.
S. Jovini abbates & inſignes ſepulture. d Beſſy, Comptes p. 454.

ANN. CHR.
1138.

hominibus S. Jovini debeatur, sicut jam olim *adhuc puerulus* concefferat *jussu matris* suæ Agnetis & avunculi sui Guillelmi præcelsi ducis Aquitaniæ, cum pater meus, inquit, in eadem abbatiâ sepeliretur. Hanc autem donationem fecit ipse Guillelmus, & fratres sui Guido & Goffredus sollempniter in manu abbatis Simonis secundi, ipsa die, qua corpus prænominati vicecomitis, cujus heres & successor exsisterat, sepeliendum ad abbatiâ deferebatur, &c. Data anno ab incarnatione Domini MCXXXIX. Ludovico rege Francorum simul & duce Aquitanorum, Guillelmo II. præfule Pictavorum, Simone II. abbate Hensionensium monachorum. Ad has litteras Bellius observat, Aimericum vicecomitem Thoarcensem subscripsisse chartæ Guillelmi IX. ducis Aquitanorum, ubi dicitur maritus sorotis ducis. Ex quo intelligitur, Guillelmum hunc, cujus est præmissa donatio, patrem habuisse Aimericum, qui duxerat Agnetem sororem Guillelmi IX. Aquitaniæ ducis. In prædicta vero donatione mentio injici videtur duorum Aimericorum, quorum unus forte tantum titulo tenus fuerit vicecomes Thoarcensis. Bernardus abbas, Simonis II. successor, Goffredo vicecomiti ægrotanti sacri olei, extremam-unctionem modo vocamus, benedictionem impertit.

LXIII.
Guillelmi Gellonenfis elevatio.

* Anno 1679.

In Gellonenfi Septimanæ monasterio e tumulo levatum est hoc anno corpus beati Guillelmi confessoris, ejus loci conditoris, & ex duce monachi, & quidem tempore Raimundi de-duabus-Virginibus abbatis, uti discimus ex veteri inscriptione in ejus scrinio nuper* reperta, cum sacræ ejus reliquiæ in novam thecam transferendæ erant. Inscriptio sic habet.

† ANNO AB INCARNATIONE DOMINI M^o C^o XXXVIII^o. TERCIO KAL. MARCH FERIA II. LEVATUM EST CORPUS BEATISSIMI CONFESSORIS CHRISTI GUILLELMI ET RECONDITUM III. NONAS EJUSDEM MENSIS PER MANUS DOMNI UGONIS ALBIENSIS EPISCOPI ET RAIMUNDI GELLONENSIS ABBATIS, ET RAIMUNDI NANTENSIS ABBATIS, TEMPORIBUS INNOCENTII PP. II. ET ARNALDI NARBONENSIS ARCHIEPISCOPI, ET P. * LUTEVENSIS EPISCOPI, ET FRANCOR. REGE LUDOVICO.

* Petri.

Annus incarnationis MCXXXVIII. in hac inscriptione veteri stilo, referendus est novo stilo ad annum insequentem littera A dominicali præditum, quo anno feria secunda in tertium kalendas Martii incidebat. Jam biennium erat, ex quo Raimundus abbas, cognomento de-duabus-Virginibus, post Willelmum abbatem Gellonenfi asceterio præsidebat. Anno abhinc secundo idem Raimundus Ermengaudum de-duabus-Virginibus patrum suum Gellone sepelivit ad annum MCLV. superstes.

LXIV.
Juncellenses abbates.

Juncellensis S. Petri monasterii abbas Guillelmus tunc temporis controversiam cum Psalmodiensi abbate habuit, quæ studio Guillelmi Nemaufensis, Everardi Uzetensis episcoporum, necnon Petri S. Ægidii & Petri Massiliensis abbatum hoc anno composita, eodem anno ab Innocentio papa pontificio diplomate confirmatur, dato Laterani kalendis Maii indictione II. per manum Aimerici diaconi cardinalis & cancellarii: quo in diplomate omnes monasterii possessiones enumerantur, uti & in alio ejusdem pontificis diplomate, quod ante quatuor annos impetraverat Berengarius abbas, Guillelmi antecessor. Bernardus abbas post Guillelmum Juncellis præerat anno MCLX. qui triennio post litem motam inter Richardum Gellonensem & Geraldum Geraldum super quibusdam rebus composuit. Post Bernardum Deodatus anno MCLXXX. eligitur, incertum an idem cum Bernardo de Magalatio, qui in eunte sæculo sequente Juncellis præerat.

LXV.
Eldiardis abbatissa S. Cæsarii & aliæ.

In Arelatenfi S. Cæsarii parthenone obiit hoc anno Eldiardis seu Aldiardis abbatissa, eo nomine prima, quæ sepulta est in medio basilicæ cum hoc honorifico epitaphio.

Anno Domini MCXXXIX. VI. idus Maii, obiit venerabilis abbatissa S. Cæsarii domina Eldiardis bonæ memoriæ, speculum patientiæ, humilitatis norma, libra consilii, moribus honesta, virtutum amatrix, pacis discipula, parca in verbis, opere fecunda, & monasterii quasi fundatrix secunda. Ejus anima requiescat in pace.

Post eam occurrunt abbatissæ Aisefina ab anno MCXLII. ad quindecim saltem annos; tum Jordanna annis MCLXXII. & sequentibus. Non multo post electa Aldiarda seu Aldiardis, sed ab Alexandro III. rejecta, uti nos docent tum ipsius litteræ pontificiæ, tum Lucii III. ut puto, Arelatenfi episcopo inscriptæ, quibus aliam personam convenientem eligi uterque mandat. Occurrit tamen ejus loci abbatissa Aldiardis anno MCLXXXII. & sequentibus laudata in necrologio parthenonis S. Lau-

ANN. CHR.
1139.

tentii Avenionensis, in quo notatur VIII. kal. Decembris Aldiardis abbatissa S. Cæsarii. Legimus Cælestini III. litteras ad archiepiscopum Arelatensem, v. idus Maii, anno ejus pontificatus v. datas, quibus valde improbat, quod abbatissa & sorores passim per urbem vagarentur, infirmos visitarent, & mulieres per seipsas velare præsumerent. quæ omnia, utpote religioni & honestati contraria emendari præcipit. Vidimus quoque alias litteras Honorii papæ, ut puto tertii, ad archiepiscopum Arelatensem, qui prohibebat, ne sanctimonialium capellanus ultimam eis unctionem impertiret, volebatque ut ad ecclesiam cathedralem ejus rei causa accederent, quod pontifex deinceps fieri vetat.

Quod attinet ad res Germanicas, Otto Babenbergensis episcopus, ex Pomeraniæ sacra expeditione secundo reversus, sancti Michaëlis monasterium, alumnos sibi carissimos visitaturus, adiit, ubi sanctæ recordationis monachum Adalbertum, sibi familiarissimum, recens mortuum invenit, ac luxit. Huic servo Dei pauperum cura delegata erat, quibus tanta caritate ministrabat, ut etiam quibusvis morborum generibus pressos, qui absque horrore videri non poterant, propriis ipse manibus balneis & unguentis foveret. Adalberto non diu supervixit venerabilis Otto. nam vehementissimo licet sanguinis fluxu afflictus, non nisi tamen extremo vitæ suæ die lecto decubuit: sed quotidie in sella residens, precibus insistebat, ita ut etiam oleo infirmorum, quod rarum est, non jacendo, sed sedendo perungeretur. In festo sanctorum apostolorum Petri & Pauli, cum diem migrationis suæ instare sentiret, Egilberto majoris ecclesiæ decano, qui ei in episcopatu successit, in primis sancti Michaëlis cœnobium, ubi sepeliri volebat, & monachos in hæc verba commendavit. Locum requietionis meæ, montem videlicet patroni mei beati Michaëlis, quasi viscera mea fovete, & tam in spiritualibus quam etiam temporalibus, profectui ejus, in consolationem animæ meæ, omnimodis invigilate. Scitis enim, quam tenuis & exiguus, omnique monastica religione destitutus hic locus a me inventus; & quomodo, cooperante Deo, per ministerium meum, ad tantum spiritualis vitæ cultum profecerit, ut speculum & gemma omnium in hac regione monasteriorum a cunctis censeatur. Præstat Deus, ut nomen hoc inviolabile usque ad finem obtineat, cunctisque fidem ei & reverentiam servantibus, pax & benedictio hic & in æternum a Deo recompensetur. Dein adstantibus benedictionem impertitus, summo mysterii salutari viatico, in precibus horam vocantis Domini pervigil præstolabatur. Noctæ vero, qua festivitas S. Pauli apostoli agebatur, in extremo spiritu constitutus, clericis matutinale coram eo persolventibus officium, ad singulas lectiones, qua voce poterat, Deo gratias respondebat. Tandem feria sexta, hora diei prima, spiritum Deo reddidit. Sacrum ejus corpus, a religiosis viris curatum & aromatibus conditum, per singula monasteria deportatum, ac solitis ecclesiæ precibus ac missarum sollempniis honoratum; postremo ad Montem sancti Michaëlis defertur: in cujus ecclesiâ quarto ejus obitus die solemni ritu humatum est, funere curante Imbricone Herbipolensi episcopo, qui funebrem de eo concionem habuit. Res ab eo gestas primitus litteris mandarunt quatuor auctores ejus æquales, nimirum Sifridus, Ebbo monachus sancti Michaëlis Babenbergiæ, Tiemo seu Thimon & Herbordus: ex quorum scriptis Andreas ejusdem monasterii abbas tricesimus-sexus sub finem sæculi quinti-decimi quatuor libros dialogi more contexuit, quos Johanni-Macario, Seraphici ordinis in eadem urbe guardiano inscripsit. Dodechinus, alique passim post eum auctores, Ottonis obitum differunt in annum insequentem: at certum est hoc anno reponendum esse. Mortuus quippe est feria sexta, hora diei prima, qua festum S. Pauli apostoli agebatur, adeoque pridie kal. Julii, quæ dies coincidebat cum feria sexta hoc anno MCXXXIX. cui littera dominicalis A competeat. Certe hoc ipso anno chronographus noster Saxonicus, qui in eo desinit, Ottonis obitum collocat his verbis: Otto sanctissimæ memoriæ Babenbergensis episcopus obiit. Merito in nostris Annalibus locum habet sanctus præful, quippe qui in monachos impense affectus, tot monasteria, quot forte nemo alius, instauraverit, aut de novo condiderit, ex quibus sub finem vitæ, superiori scilicet anno, Deckingenfe in extrema Ratiæ ora restituisse, & quasi de novo fundasse ac dotasse perhibetur. Ottonem in sanctorum classem anno ab ejus obitu quinquagesimo. retulit Clemens III. anno pontificatus sui secundo.

LXVI.
Otto Babenbergensis episcopus obiit.
a 1. lib. 74. n. 166.

ANN. CHR.
1140.
LXVII.
Abaelardus in
Senonensi
concilio dam-
natus.

Inter ea Abaelardus toties correptus, sed minime correctus, nec corrigi patiens, errores suos passim divulgare pergebat: sed Bernardum sibi cum primis adversantem erroresque suos resellentem impatienter ferebat. Quapropter, homo fervidus & disputando assuetus, spem illius revincendi haud incertam, si cum eo congrederetur, sibi promittens, apud Henricum Senonensem archiepiscopum faris egit, ut in frequenti episcoporum & abbatum concilio dicta & scripta sua contra Bernardum propugnandi facultas ipsi daretur: certus, uno illo adversario prostrato, ceteros deinceps ne mutire quidem adversus ipsum ausuros. Itaque archiepiscopum, in cujus vicinia, haud longe a Paraclitensi monasterio tunc degebat, acriter urget, ut episcopos, abbates & viros doctos undequaque convocet, ac Bernardum adesse compellat. Haud ægre convenere episcopi & abbates. at Bernardus facultatis suæ viribus diffusus, & ecclesiæ causam in discrimen adducere veritus, aliquandiu restitit: sed multoties provocatus, tandem ad conditum diem ac locum, non propria, sed Dei virtute confusus, vel invitus accessit. Res acta est apud Senonas præfente rege, in conventu multorum pontificum, abbatum, virorumque religiosorum. Prolata dogmata ex Abaelardi scriptis excerpta: ut ea vel abneget, si non sua: si sua, abjuret. At ille sive animo turbatus & loqui impotens, ut Gaufrido Autifiodorensi visum est, sive populi seditionem timens, ut tradit Otho Frisingensis, sedem apostolicam appellavit, securius fore existimans, causam suam agere in Romana cūria, ubi discipulos non paucos & fautores habebat. Et fortasse non ob aliam rationem episcoporum concilium convocari fategit, quam ut causam suam ad Romanam curiam traheret, ubi eam diu indiscussam, adversariis procul remotis, & indefinitam fore sperabat. Verum nihilo minus in illo concilio damnata sunt capitula ex ejus scriptis prolata, quæ Bernardus mandato patrum ad Innocentium papam cum sua refutatione^a misit, ut pontifex synodi judicium auctoritate sua roboraret. quod ab eo præstitum est.

^a Bern. ep. 190.

LXVIII.
Bernardi de
hoc concilio
scripta.

^b id. ep. 189.

In alia quoque ad Innocentium epistola^b Bernardus commemorat, quo pacto ad illud concilium invitatus pettractus sit. *Stulte mihi*, inquit, *dudum requiem promittebam, si quidem Leonina rabies quievisset, & pax ecclesiæ redderetur. Nam ecce illa quievit, sed non ego. . . Leonem evasimus, sed incidimus in draconem, qui non minus forsitan noceat sedens in insidiis, quam ille rugiens de excelso. Quamquam non jam in insidiis, cujus virulenta folia utinam adhuc laterent in scriniis, & non in triviis legerentur. Volant libri; & qui oderant lucem, quoniam mali sunt, impeerunt in lucem, putantes lucem tenebras. . . Novum cuditur populis & gentibus evangelium, nova proponitur fides, fundamentum aliud ponitur præter id quod positum est. De virtutibus & vitiis non moraliter; de sacramentis ecclesiæ non fideliter; de arcana sanctæ Trinitatis non simpliciter nec sobrie disputatur: sed cuncta nobis in perversum, cuncta præter solitum, & præterquam accepimus, ministrantur.* Tum Abaelardum comparat Gollia, qui cum ipsius armigero Arnaldo de Brixia exprobraret agminibus sanctorum, eo nimirum audacius, quo sentiret Davidem non adesse; denique, ipso sollicitante, ad se scripsisse archiepiscopum Senonensem, & diem statuisse congressionis, quo ille in præsentia ejusdem archiepiscopi & coepiscoporum suorum vellet, si posset, statuere prava dogmata sua, contra quæ Bernardus mutire ausus esset. Abnuï, ait vir Dei non minus modeste, quam prudenter, *tum quia puer sum, & ille vir bellator ab adolescentia: tum quia judicarem indignum, rationem fidei humanis committi rationibus agitandam, quam tam certa ac stabili veritate constat esse subnixam. Dicebam sufficere scripta ejus ad accusandum eum; nec mea referre, sed episcoporum, quorum esset ministerii de dogmatibus judicare.* Sed tandem, insistente & quodammodo insultante Abaelardo, cessit Bernardus consilio amicorum, qui videntes quomodo se quasi ad spectaculum omnes pararent, timebant ne de ejus absentia & scandalum populo, & cornua crescerent adversario. Aduit ad conditum locum & diem, imparatus quidem & immunus, confusus Deum sibi futurum adiutorem & daturum ei illa hora, quid loqueretur. Convenerunt autem apud Senonas in octavis pentecostes, præter Henricum Senonensem ejusque coepiscopos, Samson Remorum episcopus recens electus & cum eo comprovinciales episcopi, Joslenus Sueffionensis, Gaufridus Catalaunensis & Alvisus Atrebatensis. Aduere quoque abbates non pauci, & plurimi viri religiosi, & de civitatibus magistri scholarum, & clerici litterati multi; & rex præfens erat. Itaque in præsentia omnium, adversario stante ex adverso, producta

sunt quedam capitula, de libris ejus excerpta, quæ cum capissent legi, nolens audire exiit, appellans ab electis iudicibus, quod non putamus licere. Porro capitula iudicio omnium examinata, inventa sunt fidei adversantia, contraria veritati. Hanc epistolam Romam detulit Nicolaus tum Arremarenis monachus, postea Claræ-vallensis, ut inferius videbimus: tamen Bernardus eum in fine epistolæ suam jam vocat. *quod melius Nicolaus iste meus*, inquit, *immo & vester, viva referet voce.*

ANN. CHR.
1140.

Prædicta capitula retulit Bernardus in alia proluxiori ad Innocentium^a epistola, quæ eorum censuram & refutationem continet, & ipsius Bernardi nomine itidem scripta est, relata ob prolixitatem inter ejus opuscula. Principio ait, oportere ad papam referri apostolorum pericula & scandala, emergentia in regno, ea præsertim, quæ fidem contingunt. *Dignum namque arbitror*, inquit, *ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum.* In progressu notat Abaelardi errores circa Trinitatem, fidei definitionem, quam ille *estimationem* vocabat; circa mysterium redemptionis: ubi Bernardus solidissime de Christi passione loquitur, eo sane modo, quo nemo forte melius post apostolum ante ipsum. Ad hæc scripsit abbas sanctus ad eumdem Innocentium^b nomine Samsonis Remorum archiepiscopi & trium ejus coepiscoporum, quos modo laudavimus: tum ad magistrum Guidonem de Castello, ipsius Abaelardi olim discipulum, qui post Innocentium ad summum pontificatum sub Celestini II. nomine promotus est; & ad magistrum Ivonem cardinalem S. Laurentii in Damaso ex canonico regulari S. Victoris, ut Abaelardo favere desinerent. Ad superiores litteras rescripsit Innocentius Samsoni Remensi, Henrico Senonensi archiepiscopo & Bernardo Claræ-vallis abbati, ut Petrum Abaelardum & Arnaldum de Brixia, perversi dogmatis fabricatores & catholicæ fidei impugnatores, in religiosis locis, ubi eis melius visum esset, separatim recluderent.

^a id. ep. 190.

^b id. ep. 191.
& seqq.

Varie editæ sunt pro Abaelardo apologiæ. Unam pro se ipse composuit, in qua fatetur se scripsisse fortassis aliqua per errorem, quæ non oportuit: *sed Deum testem*, ait, *& iudicem in animam meam invoco, quia in his, de quibus accusor, nil per malitiam aut superbiam præsumsi.* Et quidem id facile de eo crediderim; mihi que persuasum est, ex levitate potius animi, quam ex malitia eum errasse. At non capio, quo pacto negare possit, quod tamen negat, se scripsisse, quod *Pater plena potentia, Filius quadam potentia, Spiritus-sancti nulla potentia sit*; idque sibi per malitiam ab adversariis affingi dicat: cum ipse in sua Introductione ad Theologiam^c id de Filio diceret, & de Spiritu-sancto satis aperte doceat. Unde anonymus ille quondam ejus discipulus, sed postmodum impugnator, editus in tomo quarto Bibliothecæ Cisterciensis, Abaelardum hoc loco mendacii^d arguit.

LXIX.
Apologiæ scri-
ptæ pro Abae-
lardo.

^c Abael. p.
991. & 1085.

Secundum pro Abaelardo apologeticum libellum^e composuit temerarius quidam ejus discipulus, Berengarius scilicet scholasticus Pictaviensis, juvenili levitate lasciviens, qui multa in Bernardum & in patres concilii Senonensis, qui Abaelardum damnaverant, prorsus relatu indigna, evomit: quæ ille postmodum modestior factus, si potuisset suppressurus fuisset, ut ipse scribit in epistola^f ad Guillelmum II. episcopum Mimatensem, qui eum, quod in Bernardum contumeliose scripsisset, acriter objurgaverat. qua in epistola illustre de Bernardi sanctitate testimonium reddit, immo & in apologetico, ubi ejus miracula agnoscit. Promiserat ille, se pro magistro editurum alterum apologeticum: at percontanti cur illum non ederet: *Quia processu temporis meum*, inquit, *sapere crevit, & in sententiam abbatis pedibus, ut dicitur, ivi. Nolui esse patronus capitulorum objectorum Abaelardo: quia, etsi sanum saperent, non sane sonabant.* Dein interrogatus, cur primum non suppressisset: *Fecissem hoc*, ait, *nisi cassa esset industria. Remanerent enim viva exemplaria, quæ jam per totam Franciam & Italiam concurrerunt.* Denique se damnare ait primam illam apologiam tali, inquit, *conditione, ut, si quid in personam hominis Dei dixi, joco legatur, non serio.*

^d Bibl. Cist. 106.

^e p. 239.
^c Abael. oper.
p. 302.

^f ibid. p. 320.

Verum majoris ponderis sunt ea, quæ Otho Frisingensis, qui Cisterciensis erat & vir gravis, pro Abaelardo scripsit, cui favebat. Hic Bernardum ex christianæ religionis fervore zelotypum, & ex habituali mansuetudine credulum fuisse dicit: *adeo ut magistros, qui humanis rationibus & seculari sapientiæ confidenter nimium inhaerebant, abhorreret, & si quidquam ei christianæ fidei absonum de talibus diceretur, facile aurem præberet.* Verum hoc testimonium in Bernardi gloriam cedit: cum nihil magis ad catholicum doctorem pertineat, quam ejusmodi homines, qui philo-

ANN. CHR. 1138.
 phonicis ratiunculis, ubi de fide agitur, plus iusto tribuunt, quamprimum reprimere, maxime ubi nova cudunt vocabula, novosque loquendi modos, qualis est hic, *Filius est quaedam potentia*, &c. qui in errorem inducere possunt incautos. Denique Otho ipse, quantumvis Abaelardo faveret, nihilo minus fatetur, eum tres personas sanctæ Trinitatis *nimis attenuasse, non bonis usum exemplis*; ob idque in Suedionensi concilio *Sabellianum hereticum iudicatum*. Quid igitur mirum, si iterum eadem recantans, rursus damnatus sit in concilio Senonensi?

LXX.
 Apologia pro Bernardo.
 a Bibl. Cist. 10.
 4. p. 242. col. 2.
 b ibid. p. 112.
 c ibid. p. 239.
 d ibid. p. 239.
 Non immerito itaque Apologiam pro Bernardo tribus libris scripsit quidam abbas anonymus contra Abaelardum, cui olim *strictissima familiaritate* a conjunctum se fuisse fatetur. Hugoni Rotomagensi archiepiscopo dicati sunt hi libri, quos Guilelmo S. Theoderici abbatu quidam viri docti perperam tribuunt, quem Abaelardo familiaritate conjunctum non fuisse constat, immo Bernardo semper addictissimum. Scripsit quidem ille contra Abaelardum, sed librum singularem, inscriptum, *Reverendis in Christo dominis & patribus, Gaufrido Carnotensium episcopo, & Bernardo Clara-vallis abbati*, qui liber in tomo I v. Bibliothecæ b Cisterciensis editus est. In primo libro abbas ille anonymus Petrum mendacii c arguit, cum negat se dixisse, quod *Filius sit quaedam potentia, Spiritus nulla potentia*. quod ab eo diserte dictum relatis ejus verbis probat. Sed hæc satis superque satis ad vindicandum Bernardum, cujus hac in re causam qui cum Abaelardo comparant, lucem cum tenebris conferre mihi videntur. [De Petro Abaelardo, varia ejus fortuna & doctrina plura diximus in observationibus præviis ad ejus christianam theologiam tomo v. Anecdotorum, ex quibus excerpta de ejus doctrina in Appendice referre visum est operæ pretium.]

LXXI.
 Abaelardus Cluniaci demoratur.
 d Petr. Ven. lib. 4. ep. 4.
 Cum Abaelardus in concilio Senonensi ad sedem apostolicam appellasset, Cluniacum divertit, ubi a Petro Venerabili humanissime acceptus est. Illic a Rainaldo Cisterciensi abbate conventus, perductusque ad Bernardum, pacem cum eo & concordiam farsivit. Eidem postea Petrus Venerabilis auctor fuit, ut ab appellatione desisteret, & Cluniaci secum remaneret. Assensit ille haud illibenter, qua de re Petrus Innocentium papam admonuit scripta epistola d in hæc verba. *Magister Petrus, sapientiæ vestrae, ut credo, optime notus, nuper a Francia veniens, per Cluniacum transitum fecit. Quæsumus quo tenderet. Gravatum se vexationibus quorundam, qui sibi, quod valde abhorrebat, nomen heretici imponebant, majestatem apostolicam se appellasse, & ad eam confugere velle respondit. Laudavimus propositum, & ut ad notum & commune refugium confugeret, admonuimus. Venit interim dominus Cisterciensis abbas, & de pace ipsius & domini Clara-vallis, cujus causa appellaverat, nobiscum & cum ipso pariter egit. Dedimus & nos operam paci ejus, & ut ad illum cum ipso iret, hortati sumus. Addidimus hoc monitis nostris, ut, si qua catholice aures offendentia aut scripsisset, aut dixisset, hortatu ejus & aliorum bonorum & sapientium, & a verbis suis amoveret, & a libris abraderet. Et factum est ita: iit, rediit: cum domino Clara-vallis, mediante Cisterciensi, sopitis prioribus querelis se pacifice convenisse reversus, retulit. Interim a nobis admonitus, magis autem a Deo, ut credimus, inspiratus, dimissis scholarum & studiorum tumultibus, in Cluniaco vestra sibi perpetuam mansionem elegit. Quod nos senectui ejus, debilitati ejus, religioni ejus congruere putantes, & scientiam ejus, vobis ex toto non incognitam, magnæ fratrum nostrorum multitudinî proficere posse credentes, voluntati ejus assensimus, & si sic benignitati vestra bene placitum esset, benigne & cum gaudio nobiscum, vestris, ut no- stis, per omnia, remanere concessimus. Hactenus pacificus abbas ad Innocentium, cui haud dubie pergratum fuit, Abaelardum tandem quietum esse, & Cluniaci permanere, ubi religiose deinceps se gessit, ut inferius videbimus.*

LXXII.
 Cartusiani a Berengario remere accusati.
 c Abail. oper. p. 325.
 Cartusianos quoque adversarios habuit Abaelardus. quod in causa fuit, ut virulentum in eos etiam stilum exseruerit Berengarius ille Abaelardi apologista. sic enim ille scribit e in epistola, quæ *fratribus Cartusie professionem juratis* inscripta est. *Rapuit manus illa inexhaustæ clementiæ lutum de luto, & in diademate Salomonis, quo coronavit eum mater, fecit vos aureos de luto. Sed nescio quo pacto nunc aurum rediit in lutum, & in ferri vilitatem aurei sæculi moneta degenerat. Levastis corpora vestra in montes, sed mentes in vallibus remanserunt.* Hinc eos arguit violati silentii, quod scilicet in Abaelardum ejusque errores loquerentur. *Quæ enim fora, inquit, quæ pratoria tanto ardent litigio causarum, ut montanæ Cartusie claustrum? Ibi non ac-*

ANN. CHR. 1140.
 casator objicit, non advocatus objecta detergit; & non de vestra sententia fasque nefasque uniformiter damnat, nec absolvit. Super nubes volatis aquila, & penna tandem remissione ad vestrum cadaver carpendum rostra deponitis. Abstinetis a carnibus pecudum, & sine sale carnes hominum devoratis. Non tulit temerariam hanc accusationem Guillelmus Mimatensis episcopus, eo nomine secundus, quem idem Berengarius in sua ad eum epistola a ita loquentem inducit. *Cartusianos eremitas, genus electum, populum acquisitionis, quare inquietastis? quare invectione perunxistis? cur a cellulis suis abstraxistis?* Ad quod ille: *Hic placide purgationem meam audite. Improperat propheta eis, qui congregant merces, & commendant eas sacco pertuso. Congregabant sancti anachorita Cartusiani merces justitiæ, sed sacculum pertusum habebant. Curavi obstruere foramen sacculi, ne farina sacculi patentibus rimis exiret. Vultui refecare in eis immoderatam licentiam linguæ, qua, velut quidam geometrae, totum orbem mensurabant. Cur hic mea pietas crudelitatis arguitur?* At longe aliam de sanctis illis anachoretis opinionem suggerunt illorum temporum auctores, in primis Petrus Venerabilis, qui eorum instituta egregie describit b ac prædicat, ubi eorum habitu modestiam, vitam a cupiditate alienam, silentium aliaque virtutes laudat. Denique arguitur a Mimatensi episcopo Berengarius, quod Massiliensem quemdam monachum lacefferet: sed quis sit ille Massiliensis monachus, nobis incompertum.

[Vixerant hæctenus sub episcoporum jurisdictione majoris Cartusie monachi, in suis cellis visitati ab eis, & prout libebat emendati, Sed cum in illis magis quid mirarentur, quam quod corrigerent, deprehendissent, sponte se sua jurisdictione in sanctissimos eremitas exuerunt, eamque in manus capituli generalis & prioris Cartusie deposuerunt, plena eis quoad regiminis disciplinam libertate concessa. Hanc dudum libertatem optabant alii ejusdem instituti priores, scribentes Anthelmo majoris Cartusie priori, ac instantes ab eo in generali capitulo, ad quod præfixo tempore convenirent, emendari. Pium illorum propositum laudavit Anthelmus, consulitque Hugone II. Gratianopolitano episcopo, qui fuerat monachus Cartusianus, rescripsit ut jure hoc in negotio procederent, & episcoporum in singulis domorum suarum diocesis, fratrumque omnium in conventibus suis consensum expeterent. Quo facile obtento, Portarum prior Bernardus, Soffordus Excubiarum, Lazarus Durbonis, Stephanus Majorevi, Johannes Alverie convenerunt ad majorem Cartusiam, & cum Anthelmo miræ sanctitatis viro primum capitulum generale celebrarunt. cujus acta & statuta & quorundam aliorum capitulorum vide in Appendice.]

Sub hæc tempora festum Conceptionis beatissimæ Dei-genitricis in quibusdam ecclesiis institutum cœptum est: sed quem auctorem habeat hæc institutio, & ubi primum cœpta sit, non satis exploratum. Quidam ejus originem sancto Anselmo Cantuariensi archiepiscopo tribuunt, ob libellum quemdam *de conceptu virginali*, & quemdam ejusdem argumenti sermonem, qui ejus nomine vulgati sunt. Verum neutrum esse S. Anselmi, ex stili & sententiæ dissimilitudine, aliisque rationibus invictissimis probat noster Gerberonius in censura ejusmodi scripturum, quæ novæ Anselmi operum editioni præmissa est. Ibidem etiam obelo configitur alia fabulosa narratio de Elfino Ramesiensi abbate, cui ex Dania revertenti & in mari tempestate jactato & periclitanti, invocata beatissima Virgine, revelatum fertur, fore ut imminens periculum evaderet, si diem Conceptionis beatæ Mariæ vi. idus Decembris sollempniter celebrari curaret. Quæ quidem scripturuncula, aliaque similes confictæ videntur, ut festo jam celebrari cœpto quamdam auctoritatem conciliarent. Ex his vero scriptis in publicum sparsis, persuasio hæc maxime apud Anglos demum invaluit, Anselmum hujus institutionis esse auctorem, quam ei tribuit synodus Londoniepsis anni MCCXXVIII. ex quibus id colligi posse videtur, hujus festi institutionem ex Anglia ortam fuisse post Anselmum, indeque in alias ecclesias sensim propagatam.

In Gallia inter nobiliores ecclesias Lugdunensis hanc festivitatem prima, aut inter primas adoptavit. Id autem sibi mirum videri ait S. Bernardus c, quod scilicet tam insignis ecclesia, quæ in officiis ecclesiasticis haud facile umquam novitatibus acquiescere visa est, novam induxerit celebritatem, *quam ritus, inquit, ecclesie nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.* Quod antequam fieret, consulenda erat prius apostolicæ sedis auctoritas, & non ita precipitanter atque inconsulte

ANN. CHR. 1140.

a ibid. p. 323.

b Petrus Ven. lib. 2. de mirac. c. 28.

Incipiunt celebrare Capitula generalia.

LXXIII. Conceptionis B. Mariæ festum institutum cœptum.

LXXIV. Bernardi hæc de re epistola & scripta aliorum.
 c Bern. ep. 174.

ANN. CHR. 1140.

paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Et ante quidem, inquit, apud aliquos errorem compereram: sed dissimulabam, parcens devotioni, quæ de simplici corde & amore Virginis veniebat: verum apud sapientias, atque infamosa nobilique ecclesia, & cujus specialiter filius sum, superstitione deprehensa, nescio an sine grandi offensa etiam vestri omnium dissimulare poteram. In fine testatur, se hæc dixisse absque præjudicio fanus sapientis, & Romanæ præsertim ecclesiæ auctoritati atque examini totum hoc, sicut & cetera ejusmodi reservare, ipsius, si quid aliter sapiat, paratum judicio emendare.

Contra hanc epistolam & Bernardi ea de re sententiam duo per id tempus auctores scripserunt: unus anonymus, alter Nicolaus, S. Albani in Anglia monachus, qui statim post S. Bernardi canonizationem, id est anno MCLXXII. ejus sententiam impugnavit, quam Petrus Cellensis tunc vindicavit, ut suo loco videbimus. Interim observare licet, Nicolaum Anselmi auctoritatem, quæ certe ejus proposito perquam opportuna erat, nec ulla scripta Bernardi sententiæ opponere. quod argumento est, nullum hæcenus in Anglia scriptum de hujus festi institutione editum esse, nec Anselmum ejus auctorem creditum fuisse. Ad prædictum anonymum quod attinet, ejus liber in nova Operum S. Anselmi a editione existat, in quo Conceptio priscis temporibus frequentiori usu celebrata fuisse dicitur, ab eis præcipue, in quibus pura simplicitas, & humilior in Deum vivebat devotio: sed ab eis, quibus major scientia & censura inerat, eadem sollempnitas, sprete pauperum simplicitate, de medio sublata. Unde idem anonymus queritur, quod quidam hoc festum sua, qua se polere gloriabantur, auctoritatis ratione abolere non timuerunt. Hos summos viros vocat; alios simplices de tanti gaudii amissione gementes. Ubi sine dubio notatur Bernardus, a quo paucorum simplicitas imperitorum hoc festum in usum induxisse perhibetur. Hanc porro novitatem cum Bernardo etiam ante Petrum Cellensem, in monasteriis introduci coeptam, impugnavit Potho Prumiensis presbyter & monachus, Bernardi æqualis, qui in fine libri tertii de statu domus Dei, conqueritur, quod vita monastica, quæ erat columna & firmamentum religionis, in ecclesiasticis officiis, repentinis visa est novitatibus acquiescere, admittendo scilicet festa sanctæ Trinitatis & Transfigurationis Domini; necnon (quod magis absurdum ipsi videtur) festum quoque Conceptionis sanctæ Mariæ. quod sensim in plerisque ecclesiis receptum est, & tandem ubique auctoritate concilii Basileensis & Sixti IV. De Pothone plura inferius.

a Anselm. oper. p. 498. § seqq.

LXXV. S. Dionysii nova Basilica constructa a Sugerio.

Inter ea crescebat in dies Sugerii abbatis pietas, & apud regem auctoritas, qui nihil fere quantivis momenti eo inconsulto faciebat. Pietatem ejus probat nova basilica, quæ ejus cura & impensis magnifice constructa est. Cum enim vetus ecclesia capiendæ immensæ populorum multitudini, qui maxime in festo beati Dionysii & in indicto undequaque istuc confluebant, impar & angustior esset, ita ut promiscuæ turbæ homines sese conculcarent; ejus fabricam renovare & amplificare aggressus est, multis apud Deum precibus cum per se, tum per suos flagitans, ne virum sanguinum, ut de se ipse modeste loquitur, ab edificio templi refutaret, qui hoc ipsum toto animo magis, quam Constantinopolitanas gazas obtinere præoptaret. Hoc autem opus tam arduum ortus est ab ipso valvarum primo introitu: ubi, disjecto quodam augmento, quod a Carolo-Magno factum perhibebatur ad includendum Pippini patris sui tumultum, qui extra valvas seu portas pro peccatis patris sui Caroli Martelli se non supinum, sed prostratum sepeliri voluerat; Sugerius primo manum apposuit, & inde corpus ecclesiæ amplificavit, tres portas & valvas extruxit, turres refecit, & altius erexit. Deficientibus columnis marmoreis, quæ ad novam illam fabricam fulciendam necessariæ videbantur, Sugerii animo insedit, ut ex urbe Roma tales adveherentur, quales olim in palatio & thermis Diocletiani viderat. At divina providentia contra spem omnem & opinionem locum quadrariæ seu lapicidinæ prope Pontisaram ei suppeditavit, operam certatim conferentibus piis hominibus, qui brachiis & lacertis immensas columnas ex illis antris vice animalium extrahebant. Peracto magna ex parte opere, cum longissimæ trabes ad complendam fastigium desiderarentur, perlustrata silva Capreolensi*, cujus mediam partem Milo ejus loci castellanus a monachis cum alio feodo habebat, duodecim tandem trabes (tot enim necessariæ erant) forte fortuna reperit, quas novi operis operaturæ superponi fecit. Inferiori itaque basilicæ parte sic absoluta, & fusilibus valvis ornata, ad eam dedicandam Hugonem Rotomagensis archiepiscopum, Odonem Belvacensem, Manassen Meldensem, & Petrum Sylvanestensem episcopos invitavit. quæ dedica-

b Chron. to. 4. p. 342.

c Ibid. p. 352.

* de Chevreuse.

ANN. CHR. 1140.

rio sollempni ritu hæc anno facta est. Tam felici operis successu recreatus Sugerius, instigantibus optimatibus, ad instaurandam quoque basilicæ superiorem partem animum admovit, assignata in singulos annos summa ducentarum librarum ad fabricæ expensas: ex quibus centum-quinquaginta libræ ex oblationibus ad altare & reliquias tempore indicti factis erogabantur. Jacta ædificii fundamenta hoc etiam anno, pridie idus Julii, die dominica, præsentem rege, qui primum lapidem posuit. Tanta porro celeritate grandis illa & insignis fabrica exædificata est, ut trium annorum spatio omnino perfecta fuerit & absoluta.

Apud Meldas, in suburbano sanctæ Crucis monasterio, corpus sancti Faronis episcopi & loci conditoris e veteri loculo extractum, populo publice exhibitum est. Tunc monasterio præerat Andreas abbas, cui venit in mentem, ut patroni sui reliquias reviseret. Peracto itaque quadragesimali jejunio, ipso sacro-sancti paschatis sabbato, ea hora, qua Maria Magdalene unguenta ad condiendum corpus Domini cum præparaverat, prædictus abbas, uno tantum comitatus monacho, loculum, in quo sacra membra quiescebant, reseravit, invenitque corpus mundissima involutum sindone omnino integra & incorrupta, cum per trecentos amplius annos in ea repositum fuisset, ab eo scilicet tempore, quo forte Nortmannorum tempore illo in loculo compositum fuerat. Ubi fratres id rescire, abbatem interpellarunt, ut thesaurum sibi revelatum populo manifestaret. Id sollempni pompa factum assentiente Manasse episcopo ejus nominis secundo post paschalia festa: cujus rei annua hodie quoque celebritas recolitur dominica secunda post pascha: quo die ad sancti Faronis ecclesiam cathedralis ecclesiæ canonici conveniunt, & cum monachis, caput sancti Faronis deferentibus, procedunt extra monasterium ad Crucem, quæ S. Faronis appellatur. Andreas ille abbas obiit die tertio Aprilis ex necrologio domestico.

LXXVI. S. Faronis corporis manifestationis.

Hoc item anno, qui Samsonis Remorum archiepiscopi post biennii vacationem primus erat, Hugo Roceii comes, qui ob diversas S. Remigii ecclesiæ molestias & injurias illatas, a Rainaldo archiepiscopo anathematis sententia percussus fuerat, factorum tandem pœnitens, in curiam archiepiscopalem venit, ibique in præsentia Samsonis archiepiscopi, atque Josleni Suestionum præsulis, necnon abbatum & procerum, præsentem quoque Odone sancti Remigii abbate, rapinas & prædationes emendavit, viginti solidorum censu apud Alemannorum-curem assignato, assensu conjugis & filii sui Guiscardi. Testes præter supra dictos Bartholomæus Laudunensis & Joffridus seu Gaufridus Catalaunensis episcopi, alique complures. Hoc fere tempore Venerabilis Petrus Cluniacensis abbas assensu capituli societatem suam & communionem bonorum spiritualium Odoni abbati & Remigianis concessit.

LXXVII. S. Remigii thronificavit comes Roccensis. a Mart. to. 2. p. 333.

Tunc temporis simulata orta est inter Alvisum Atrebatensem episcopum e nostris & Marcianenses monachos, qui Romam ejus rei causa profecti, Alvisum apud Innocentium papam traduxerunt. Id ubi rescivit episcopus, S. Bernardum rogavit, suam apud pontificem ut innocentiam tueretur. Id facile præstitit Bernardus, scripta ad Innocentium honorifica pro Alviso epistola, in qua hæc verba: Marcianenses monachi venerunt ad vos in spiritu mendacii & spiritu erroris adversus Dominum, & adversus christum ejus... Quare, domine, irasceris in filium tuum? quare letificasti inimicos ejus? Forte pontifici Marcianenses suggererant, Alvisum de Romana ecclesia non bene locutum fuisse. Ad quod Bernardus: Auribus nostris, inquit, audivimus, quam fideliter, quam constanter locutus sit in conspectu regis & principum pro fidelitate Romanæ ecclesiæ. Veniet ad vos Alvisus in innocentia sua in die vocationis suæ. Interim præmisit ante filium suum archidiaconum præsentium latorem, cujus personam & mores vestre mansuetudini commendamus. Quæ fuerit causa, quive exitus ejus simultatis, anno sequenti videbimus. In fine sinistre omnino loquitur de abbate S. Vedasti, scilicet Gualtero, Romam itidem profecto, qui in vacuum nomen abbatis accepisse dicitur. Haud dubie & ipse cum Alviso rixas habebat. Guericus quoque abbas, Gualteri successor, nonnihil simultatis habuit cum Godescalco Alvisi successore, quem idem Bernardus Eugenio commendavit.

LXXVIII. Alvisi episcopi famam tuetur Bernardus.

b Bern. ep. 339.

Belgii partes haud dubie Bernardus eo tempore peragravit, & novam prolem hoc anno prope Audomaropolim edidit. Theodericus quippe Flandriæ comes cum Sibylla conjuge locum in paludibus illius urbis ad construendum monasterium viro Dei concessit, quod a vulgari vocabulo marisco Claromariscum appellari placuit. Primus novæ coloniæ abbas ab Imperio vocatur Gonfridus monachus Claræ-vallis: cui

c id. ep. 284.

LXXIX. Claromarisci monasterium conditur.

ANN. CHR.
1140.

a id. ep. 383.

LXXX.

S. Bertini monachis de studio perfectionis gratulatur Bernardus.

b id. ep. 385.

post annos circiter octo subrogatus Guillelmus, annis viginti monasterium rexisse dicitur, qui ecclesiam, claustrum, & ceteras regulares officinas a priori loco, qui ob id *Vetus-curia* dicitur, ad locum, ubi nunc monasterium situm est, transtulit. Leonio S. Bertini abbati gratias ^a agit vir sanctus ob beneficia Claromariensis praestita. *Gratissima*, inquit, *habeo illa officia humanitatis, quae fratribus nostris impenditis, qui habitant juxta vos. Quod illis facitis, mihi facitis: immo sic magis mihi facitis, quam si mihi faceretis. Obsecro ergo, ut perseveret haec sollicitudo vestra pro eis, quoniam longe facti sunt a nobis, ut non possimus eis, prout oportet, assistere. Sit ergo vestrae benignitatis vicem nostram supplere, ut vos ipsi in patrem, & ipsi sint vobis in filios.* Eodem tempore Dunense monasterium, quod ante aliquot annos pro nigris monachis conditum fuerat, transiit quoque ad Cistercienses sive Clare-vallenses.

Leonio abbate, monachi S. Bertini ejus monitis & exemplis ad religiosam perfectionis studium praeter solitum excitati sunt. qua de re Bernardus ^b eis gratulatur insigni epistola, eosque ad majorem in dies profectum accendit, proposito secularis cupiditatis exemplo, quae numquam satiatur. *Quem enim ambitiosum, ait, vidimus aliquando contentum adeptis dignitatibus ad alias non anhelare? Sic curiosi cujusque non satiatur oculus visu, nec auris auditu. Quid? eorum qui avaritiae serviunt, aut amatores sunt voluptatum, seu vanas hominum sectantur laudes, nonne & ipsorum insatiabilia desideria arguant nos negligentiae & tepiditatis? Pudeat certe spirituum nos honorum minus cupidos inveniri. Erubescat anima conversa ad Dominum, minori affectu sectari justitiam, quam iniquitatem antea sectaretur.* Atque ut eos ad subeunda quaeque ardua reddat alacriores: *In via vitae, inquit, quo citius, eo facilius curritur; & leve Salvatoris onus, quo crescit amplius, eo portabilius est. Nonne & aviculas levat, non onerat, pennarum seu plumarum numerositas ipsa? Tolle eas, & reliquum corpus pondere suo fertur ad ima. Sic disciplinam Christi, sic suave jugum, sic onus leve, quo deponimus, eo deprimimur ipsi: quia portat potius quam portatur. Et infra. Bene ergo fecistis, delectissimi, addere aliquid ad priorem silentii regulam, quod nimirum, praedicto attestante propheta Isaia, cultus justitiae est. Bene fecistis alienando vos magis ac magis ab actibus saeculi hujus, quae est munda & immaculata religio... Quid enim insipientiae, immo quid insaniae est, ut, qui majora reliquimus, minora cum tanto discrimine teneamus? Si mundum contempsimus universum, si abrenuntiamus affectibus propinquorum, si monasteriorum carceri mancipaverimus nosmetipsos; si denique non venimus facere voluntatem nostram, sed imposuimus homines super capita nostra: quid non oportet fieri, ne forte contingat haec omnia nobis insipientia nostra & negligentia deperire? Agite ergo, dilectissimi, & in his quae cepistis solliciti estote perseverare, & abundare magis, ut augeantur in dies incrementa frugum justitiae vestrae.* Utinam haec Bernardi adhortamenta ita convalescerent in animis nostris, ut saltem servaremus praescriptam nobis silentii regulam, & nos magis ac magis a saeculi actibus alienos exhiberemus: ne forte mundi contemptus, quem exterius profiteamur, & cetera regularis vitae instituta, nobis ob negligentiam nostram, quod Deus avertat, omnino deperiant.

LXXXI.

Henricus de Solliaco fit abbas Fiscamnen- sis, & successores.

c V. lib. 71. n. 32.

* de Sully.

d Orderic. lib. 13. p. 920.

e Arnul. ep. 15.

f id. ep. 56.

g id. ep. 64.

Vacante per id tempus Fiscamnenfi abbacia post decessum Rogerii ^e abbatis, eidem praeficitur Henricus de Solleio ^{*} seu Solliaco, Cluniacensis monachus, Stephani Anglorum regis & Henrici Wintoniensis episcopi ex sorore nepos. Hunc ad Salisburicensem episcopatum ^d promovere tentaverat Henricus episcopus: sed cum id pro voto non successisset, iratus e curia excessit: rex vero Fiscamnensem abbatiam, ubi quatuor praecedentium abbatum tempore *magna religio* floruerat, juveni Henrico de Solleio concessit. Exstant ad eum sive de eo tres epistolae Arnul. Lexoviensis episcopi, qui Johanni anno sequente mortuo successus est. Una ^e est ad Hugonem Rotomagensis archiepiscopum super quadam similitudine quam cum Henrico abbate habebat de praesentatione sacerdotis ad quamdam ecclesiam dioecesis Lexoviensis, quae juris erat Fiscamnenfis. Altera ^f ad ipsum Henricum, qua equum sibi ab eo dari rogabat, propterea quod ipsius amici, Jerosolymam profecturi, ex equite se peditem fecerant, quibus scilicet equos suos dederat. *Et quia indignum est, inquit, hominem opinionis meae per manus humilium in equitem reformari, in vestram id gloriam duxi referendum: quem non solum equestri ordinis dignitas, sed etiam regis sanguinis excellentia sublimavit.* Dein eundem laudat, haud scio an sincere, quod *amicam parsimoniam in ipsa largiendi liberalitate servaret.* In tertia epistola ^g

ANN. CHR.
1140.

eundem hortatur Arnulfus ad solvendum cuidam pauperi debitum, quod ex auctoritate apostolica sibi commissum ei adjudicaverat. Fiscamno praesuit Henricus annis quadraginta-novem, cujus tempore Richardi primi & secundi Nortmannorum ducum corpora e tumulis sublata, in honestiorem locum, post altare sanctae Trinitatis, translata sunt; & ecclesia Fiscamnenfis conflagravit. Sepultus est Henricus abbas in capella S. Petri. Hunc excepit Radulfus, tum Richardus primus: cui substitutus Richardus secundus, de quo alias.

Hoc ipso quoque anno Richardus Uticensis seu sancti Ebrulfi abbas defunctus est. Hic paulo postquam e Romano ^a concilio, scilicet Lateranensi, rediisset, exigentibus causis in Angliam trajecit, & plurimis laboribus fatigatus, in quadragesima febres incurrit. quibus per multos dies vexatus, post pascha letali a medicis portione accepta oppressus, vii. idus Maii, tertio regiminis sui anno interiit. Corpus ejus in Torneienfe monasterium delatum, in ecclesia beatae Mariae ante Crucifixum a domno Rodberto ejusdem coenobii abbate sepultum est. Exstat in codice Tironensi prolixum de eo carmen, in quo tota ejus vitae series & virtutes describuntur. Ex canonico ^b factus apud Uticenses monachus, tum prior, quo in munere

LXXXII.
Richardus Uticensis abbas obiit.
a Orderic. lib. 13. p. 920. & seqq.

b Annal. lib. 76. n. 151.

Sic dominatur eis, ut credas esse ministrum:

Sic venerantur eum, quod in hoc patet esse magistrum.

Postea tamen quidam fratres, quibus forte ejus censura gravis erat, in eum conspirasse dicuntur, ejusque famam lacesse, quam tamen obscurare non potuerunt. Interim, mortuo Lyrae abbate, ad supplendum ejus locum postulatur: at, cum se exorari non facile sineret, contigit Guarinum Uticensem abbatem ex hac vita migrare; & conversis omnium ad eum votis, eidem quantumvis repugnanti vacantem honorem deferri, quem religiose & strenue rexisse perhibetur, ac demum ad caelum migrasse.

Ejus obitu Uticum nuntiato, fratres Rannulfum Nogionis priorem, qui in monachatu annis quadraginta honeste se gesserat, abbatem eligunt: qui cum litteris Hugonis archiepiscopi & Johannis Lexoviensis ad Stephanum regem in Angliam profectus, abbatiae & ecclesiasticarum rerum confirmationem adeptus est; & ex Anglia reversus viii. idus Novembris a Johanne episcopo abbas consecratur.

Rannulfus successit.

Post mortem Roberti Aduensis episcopi, quae xv. kal. Augusti hoc anno accidisse dicitur, electus est Humbertus de Balgiaco, ejusdem ecclesiae archidiaconus, Stephani Roberti antecessoris ex fratre nepos, qui Stephanus abdicata dignitate, ut superius ^c dictum est, ad Cluniacense monasterium secessit. Patri exemplum sequi velle videbatur Hubertus; at, proposito mutato, episcopus Aduensis hoc anno, ac demum post annos octo Lugdunensis archiepiscopus factus est. Principio cum Aduensi praesert ecclesiae, Pontius ^d Vizeliacensis abbas Heliam Aurelianensem nostris episcopum rogavit, ut sacros ordines in suo monasterio ^e celebraret. Hic non prius roganti acquievit, quam de illius monasterii immunitate, perspectis Romanae auctoritatis privilegiis, ipsi constitisset. Ubi factum rescivit Humbertus episcopus, cujus parochiae limitibus Vizeliacum continebatur, indignatus, clericis ordinatis suorum officium interdixit: at Innocentius papa suspensos suis ordinibus restituit. Ubi res tam male successit, episcopus coepit poenituit, sed tamen Pontium abbatem lacesse non destitit: dum tandem in manu Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis, qui Pontii uterinus frater erat, & prudentium virorum liti renunciavit.

LXXXIII.
Vizeliaci rixae ob ordines collatos.

c lib. 76. n. 97.

d V. supra n. 16.
e Spicil. to. 3. p. 507. & seqq.

Eo assumpto ad Lugdunensem metropolim, in Aduensi ecclesia successus Henricus, Odonis II. Burgundiae ducis germanus frater, veterem discordiam renovavit, & ea qua pollebat auctoritate Vizeliacensem ecclesiam in suam potestatem vindicare modis omnibus institit. Re ad Eugenium III. delata, diem utrique parti statuit, quo in ejus praesentia causa ageretur. Aegre assensit Pontius; causatus, se non debere subire actionem nec judicium, cum de sua ecclesiae perpetua libertate constaret: sed tandem acquievit; probavitque, Aduensi episcopo nihil juris in Vizeliacensi ecclesia competere, quippe quae ex proprietario jure & antiqua perpetuae possessionis investitione praedictam libertatem semper obtinisset. Auditis utrimque testibus, quos chronographus Vizeliacensis singulos commemorat, cum ad judicium ferendum paratus esset pontifex, judicii aleam subire veritus Henricus, causa co-

Annal. Bened. Tom. VI.

T t ij

ANN. CHR.
1140.

gnitionem in Gallia retractari petiit. Pontius supervacaneam comperendinationem caufatur: sed tamen Eugenius iudicium distulit, & caufae cognitores episcopum Lingonenfem Godefridum, necnon Petrum Trenorchienfem & Stephanum Regniacenfem abbates assignavit; sed tamen ad cautelam testium allegationes in tribus fchedulis defcribi curavit: quarum unam epifcopo, alteram abbati dedit; tertiam in fuis fcriniis refervavit. Aduenfis optata dilatione potitus, procrastinare, & tempus redimere conabatur: dum tandem Eugenius viam univerfae carnis ingreffus eft. Substituto in ejus locum Anaftafio IV. ad eum quantocius fcripsit Pontius, ut diutinæ liti finis tandem imponeretur. Admiffis precibus supplicantis, pontifex renovandæ coram fe caufæ diem post pascha quintam-decimam utrique parti præfcribit, nifi forte ex mutuo confenfu concordia reformetur. Concordiam prætulit epifcopus, de qua in confequentibus agendum.

LXXXIV.
Similis quoque
apud Carita-
tem.

Confimilis omnino controversia oriri cœpit inter Attonem Trecentem & Hugonem Autifiodorenfem epifcopos ob ordinationes, quas Atto in monasterio Caritatis ad Ligerim fecerat. Expofitavit ea de re Hugo epifcopus, recens ex abbate Pontiniacenfi ad Autifiodorenfem promotus epifcopatum, cujus diocefi Caritas continebatur. Atto Petrum Venerabilem confultit, quid ad Hugonis querelas refponderet. Ad hæc Petrus: *Mandafis, inquit, quid de Ordinibus apud Caritatem factis, novo homini, nova verba loquenti, respondere deberetis. Ad quod respondeo, non debere veterem & expertum vereri inexpertorum novitatem verborum. . . Durandum est idcirco, & novitatis levitas constanter ferenda: quia, qui adhuc recenti spiritu fervens, putat omnia sibi licere, cum exhausto pectore nihil potuerit, discet nunc loquax aliquando filere. Proferentur suo tempore nova loquenti de thesauro Romanæ gazæ privilegia nova & vetera: quibus, ut monachi Cluniacenses a quo malaerint catholicis epifcopo sacros ordines suscipiant, apostolica auctoritate decernitur; & omnis contradicens, nisi admonitus resipuerit, anathematis vinculo innodatur. Misiffem sanctitati vestrae exemplaria eorum: sed, quia ille, de quo agitur, nostrum se amicum huc usque aut exhibuit, aut dixit; non est ledendus amor: qui, si est, apparebit; si non est, non latebit. Eapropter proposui ei scribere, & de his alterum experiri. Qui, si amator est, amici gratia querelam deponet: si non, non vobiscum, sed nobiscum de his aget.* Addit Petrus, sibi hæc fcribenti nuntium supervenisse, Trecenti cum Autifiodorenfi convenisse, quod an verum fit, sibi rescribi postulat. Respondit Atto rem ita habere. *Homo ille, inquit, ante bellum arma deposuit; & qui se sibi leonem reddiderat; ad nos se agnum mansuetissimum destinavit, & ante tempestatem navem submergens, quidquid erat querelæ in pace dimisit. Cognovit, quia ratione caret, ut novi antiquis, imperiti magistris, rudes præferantur emeritis. In fine salvere eum jubet nomine Nicolai Arremarenfis monachi, qui in dilectione vestra, inquit, nullam ponit mensuram. . . Hic adiutor noster est, & vestri gratia præcipue nos diligit, & diligendo nos custodit.* Ex quo intelligitur, Nicolaum illum tunc adhæfisse Attoni Trecenti epifcopo, qui post quinque annos ad Claræ-vallense monasterium se recepit.

LXXXV.
Luxovii & S.
Apri lis a S.
Bernardo de-
cisa.

Tunc temporis controversia emerfit inter Luxovienses & S. Apri monachos super ecclesia Galdonis-curtis: quæ demum ad Innocentii papæ tribunal delata est. Ejus vero cognitionem & iudicium pontifex commiffit Bernardo Claræ-vallensi abbati, ad quem tunc majora quæque ac minora negotia dijudicanda referebantur. Tanta erat unius viri apud omnes auctoritas. Controversiam composuit vir Dei, data sententia, quam totidem ejus verbis, ob tanti viri dignitatem, tametsi res in speciem minor est, ex authentico S. Apri proferre placet.

Hæc est compositio inter Luxoviensem & sancti Apri abbates de ecclesia Galdonis-curtis. Ego Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, cui dominus papa causam Luxoviensis & sancti Apri abbatum commiffit decidendam, eidem causa per concordiam hoc modo finem imposui. Statutum est, ut illi de sancto Apro universam decimam Galdonis-curtis habeant, ipsam vero ecclesiam & omnia præter decimas ad eam pertinentia Luxovienses possideant, remittentes si quid juris habuerunt in ecclesia Bolonis-villæ, quam tenebant illi de sancto Apro. Omnes autem annuales census, quos ecclesia Galdonis-curtis debet tam epifcopo quam ministris ejus, illi de sancto Apro singulis annis ex integro persolvant. Hoc autem factum est consilio venerabilium Godefridi Lingonenfis & Hattonis Trecentis epifcoporum, & aliorum religiosorum virorum, qui ad hoc ipsum acciti sunt a nobis, quorum nomina sunt hæc: Guillelmus abbas sancti Martini

ANN. CHR.
1140.

Trecentis, Balduinus abbas Castellionis, Stephanus abbas Trium-fontium, Balduinus abbas Cristæ, Guido abbas Cari-loci.

Appensum erat chartæ sigillum, sed contritum est. Non exprimuntur abbatum nomina, qui tunc Luxoviensi & S. Apri monasteriis præerant. Luxovio præfuisse videtur Jocerannus superius^a laudatus; cui anno MCXLIII. successerat Stephanus eo nomine primus: monasterio autem S. Apri Petrus, an Durandus.

Medianum-monasterium tunc regebat Milo abbas, qui hoc anno ampliffimum apostolicæ protectionis privilegium ab Innocentio papa impetravit, datum Laterani pridie idus Decembris, indictione IV. Superstes fuit ad annos sex Milo abbas, mortuus IV. idus Julii, anno regiminis tricesimo-primo: cui Hermannus abbas successit. Ultra hunc abbatem non procedit Johannes de Bayone, tametsi historiam suam produxit usque ad mortem Philippi Augusti regis Francorum.

Superius^b actum est de Ayberto recluso Crispiniensi in Hannonia, qui hoc anno ad cælum migravit. Hic, in monastico proposito quinquaginta fere annis, partim in monasterio, partim in solitaria vita cum Johanne monacho peractis, paucis ante pascha^c diebus, letali morbo pulsari cœpit. Mox Ingelbertum Crispinii priorem accersivit, a quo *sacro-oleo perunctus est, & participatione dominici corporis & sanguinis confirmatus.* Dein ipso sacri paschatis die, qui tum VII. idus Aprilis accidebat, circiter horam diei nonam ex hoc mundo transivit ad Deum, ab eo perenniter beandus. Corpus ejus biduo inhumatum, tercio die a Crispiniensi & S. Amandi abbatibus honorifice sepultum est. Librum de ejus vita fcripsit Robertus archidiaconus Ostrevandensis, auctor æqualis, eumque Alviso Atrebatensi epifcopo relegendum & probandum direxit ante annum MCXLVIII. quo Alvisus decessit. S. Ayberti memoria consignatur in variis martyrologiis. Eo adhuc vivente Arnoldus seu Arnulfus comes, frater Balduini II. Hannoniæ comitis, cum gravi febre correptus esset, facta ad ejus cellulæ fenestram confessione, aquæ ab ipso benedictæ hausto poculo sanatus est.

[Non cessabat Wibaldus abbas, ut pius pater domui suæ Stabulensi benefacere, ut probant tot imperatorum ab eo obtenta privilegia. Novum hoc anno impetravit a Conrado, quo confirmantur ecclesiæ suæ varia jura & immunitates. ^d Hujus confirmationis testes adhibuit Adelbertum Maguntinum archiepifcopum, Alberonem Trevirensis archiepifcopum apostolicæ sedis legatum, Alberonem Leodiensis epifcopum, Stephanum Metensem epifcopum, Sigefridum Spirensis epifcopum, Bucconem Wormatiensem epifcopum, Embriconem Wirceburgensem epifcopum, Udonem Cicensis epifcopum, Bernardum Paterbornensem epifcopum, Udonem Osnaburgensem epifcopum, Fridericum Suevorum ducem & Alfatia, Adelbertum ducem Saxonie, Godefridum ducem Lovaniensem, Willhelmum comitem Palatinum, Hermannum marchionem, Tibaldum marchionem de *Voborch*, Gebehardum comitem de Sulcebach, Henricum comitem Namurcensem. Anno dominicæ incarnationis MCXL. indictione III. regnante Conrado Romanorum rege secundo, anno vero regni ejus II. *Data Wormaciæ v. idus Februarii in Christo feliciter, amen.*]

[Eodem anno in generali synodo, quam Colonia celebravit Arnoldus archiepifcopus, decimas novalium in villa Bullenga Wibaldo abbati & successoribus concessit, confirmavitque eas, quas olim ecclesiæ ejus felicis recordationis sanctus Heribertus archiepifcopus donaverat: cujus rei testes fuerunt Gerardus abbas S. Pantaleonis, Rodulfus abbas Tuitiensis, Amelius abbas Brunvillarensis, Theodericus abbas de Campis, Fulcoldus decanus de S. Cuniberto, &c. *Actum Colonia publice in majori ecclesia anno dominicæ incarnationis MCXL. indictione III. Cuonrado Romanorum rege II. regni sui III.* Eodem anno, in eademquæ generali synodo, idem præful Wibaldo dedisse videtur diplomæ de auctoritate & potestate abbatis Stabulensis in Malmundarienses, quo præcipit ut Malmundarium monasterium quod in sua parochia situm est, nunquam a Stabulensi separetur, obeunte autem abbate, successoris electio in Stabulensi celebretur, primamque vocem in electione habeant Stabulenses, ita ut si apud eos persona idonea reperiatur, Malmundariensibus præferatur. *Electum abbatem Leodiensis epifcopus ad quem pertinet, inquit, sine nostra vel successorum nostrorum contradictione benedicat, & ei curam animarum ex more injungat, habeatque ordinatus plenam potestatem ordinandi, nutriendi, transferendi Malmundarienses monachos, nec ullus successorum nostrorum obedientiam, vel subjectionem ab abbate exigat, &c.]*

a lib. 76. n.
105.LXXXVI.
Medianenses
abbates.LXXXVII.
Ayberti reclusi
Crispiniensis
obitus.
b lib. 75. n. 141.
c Bulland. to. 1.
April. p. 679.LXXXVIII.
Privilegium
Conradi pro
Stabulensi mo-
nasterio.
d Ampliff. col-
lect. to. 2. p.
110.Aliud ab Ar-
noldo archie-
pifcopo Colo-
niensi.Malmundar-
ium ei subje-
ctum.

ANN. CHR.
1140.
LXXXIX.
Mindenses
episcopi &
abbates Wer-
thinenses.

Apud chronographum Saxonicum Leibnitianum obiisse hoc anno dicuntur, Siwardus Mindensis episcopus, Godeboldus Misnenfis episcopus, & Bernhardus Werdingensis abbas. Dein pro Siwardo electus est Heinricus abbas Insulæ S. Mauricii: pro Godeboldo Reinwardus ejusdem ecclesiæ præpositus: & Bernharo abbati suffectus Lambertus monachus ejusdem cœnobii. Siwardi Mindensis episcopi tempore sacerdos quidam apud *Leveren*, pius & opulentus, ecclesiam parochialem in monasterium sanctimonialium Ordinis S. Benedicti commutasse perhibetur in chronico Mindensi, quod Christianus-Paullinus typis vulgavit.

X C.
Insulæ mona-
sterium, &c.

In eodem chronico Henricus ex Bursfeldensi asceterio assumtus fuisse dicitur abbas a fratribus Insulæ monasterii, quod in honorem S. Mauricii Bruno Mindensis præsul in ripa Visurgis extra Mindæ muros anno MXLII. de suo patrimonio extruxerat, cujus primus abbas Meinwartus, vir bonus & doctus, cum primis ejusdem loci monachis ex Bergenfi sancti Johannis monasterio, eductus fuerat. Mortuus Bruno episcopus anno MLV. die festo S. Scholasticæ, in cara sua Insula honorifico tumulo conditus jacet. Illic abbas erat Henricus, cum post mortem Siwardi seu Sigewarti, ob pietatem, prudentiam, & agendi dexteritatem omnium votis episcopus Mindensis electus est, qui omnium votis bene respondit. Sub eo duo insignia monasteria in illa diœcesi trans Wisuram constructa sunt, Schinna scilicet nigrorum monachorum, quod a comitibus de *Hallermt* in honorem S. Viti martyris anno MCXLVIII. fundatum fuisse tradit Hermannus Lebeccius in chronico episcoporum Mindensium; & Lucca ad Leynam Cisterciensium. Unum id Henrico episcopo vitio vertit, quod clericum quemdam coram se oculis multari passus sit. quam ob rem a Gregorio & Bernardo Eugenii III. legatis depositus, ad suum Bursfeldensē reversus est monasterium, ubi in pace quievit anno MCLIII. in crastino S. Potentianæ, postquam Mindensi ecclesiæ duodecim annis cum laude præfuisse.

Quod attinet ad Bernhardum Werdingensem seu Werthinensem abbatem, ei hoc anno Lambertus monachus successisse dicitur in chronico Saxonico, cujus auctoritas præferenda videtur indici ejus loci abbatum vulgato a Bucelino, in quo Bernhardum inter ac Lambertum duo abbates interponuntur. Exstat apud eundem Bucelinum diploma Conradi II. imperatoris, Lamberto abbati anno MCXLVI. indultum, confirmantis privilegium a Conrado I. concessum Geroldo abbati de immunitate navigii a Rheno in Ruram usque ad monasterium Werthinense. Lambertus abbas anno MCLII. obiisse dicitur XIII. kal. Novembris: cujus successor Wilhelmus magna librorum copia bibliothecam auxisse dicitur.

a Bucelin. to. 2.
p. 315.

XCI.
Bernardus Pi-
sanus fit abbas
ad Aquas Sal-
vias.
b Vita lib. 3.
c. 7.

Per id tempus Adenulfus abbas Farfensis a S. Bernardo abbate b coloniam monachorum flagitavit, quibus monasterium ædificare constituerat. Id ipsum quoque Innocentius papa scriptis ad eum litteris exegit. Missus in Italiam ejus rei causa cum sociis Bernardus alter, ex vicedomino Pisano factus Claræ-vallis monachus. Ubi hic Farfam adiit, prohibitus est ab Innocentio papa, quo minus monasterium Salvatoris, Farfæ proximum, quod illi ejusque sociis Adenulfus abbas destinaverat, acceptaret. Graves ea de re litteras c ad pontificem scripsit Bernardus Pisanus in hæc verba. *Coartor e duobus, quoniam & pudor silentium imperat, & necessitas jubet loqui. Loquar ergo ad dominum meum, cum sim pulvis & cinis: loquar autem in amaritudine animæ meæ. Conquerimur, domine, de te, sed apud te: & querela quidem in umbra est: sed causa querelæ jam in sole posuit tabernaculum suum. Factum ut imperasti: venimus ad monasterium Salvatoris, sicut mandaveras in litteris tuis servo tuo, Patri nostro, id est Bernardo. Ubi est ergo nunc expectatio mea, & tua promissio? ... Litteris tuis, domine, extracti sumus de sinu Patris nostri, & ad unius jussionis vocem, relictis fratribus & patre, in odore præceptorum tuorum cucurrimus. Ad hæc labores itineris sui exaggerat Bernardus, aitque crudelissimum videri, Adenulfum abbatem fraudare a desiderio suo, qui nos, inquit, prius cepit amare quam nosse; qui nos patris affectu in filios adoptavit, adeo ut, si fieri potuisset, oculos suos eruisset, & dedisset nobis.*

c Bern. ep. 343.

Verum alia pontifici mens erat, nempe ut Bernardum ejusque socios in monasterio S. Anastasii ad Aquas-Salvias via Ostiensis collocaret. quod & statim præstitit. His præfectus est Bernardus, coloniarum dux, qui hac de re querelas in litteris d suis apud S. Bernardum deposuit. *Non ego reprehendo, inquit, domine, vel opus, vel intentionem vestri operis, quod in digito Dei esse creditur: sed plango paullulum dolorem*

d ibid. ep. 344.

meum. Ecce enim postquam projectus sum a facie oculorum tuorum, defecit in dolore vita mea, & dies mei in gemitibus. Heu mihi! quia perdidisti formam, cui imprimebar, speculum compositionis meæ, lumen oculorum meorum! Jam non sonat vox illa dulcis in auribus meis, nec facies illa decora meis aspectibus apparet, quam mei errores erubescere solebant. ... Quid, domine, quid in me placuit considerationi meæ, quod me posuisti ducem ac præceptorem gentibus, quod me posuisti principem populi tui? Numquid conversatio mea in seculo? sed illa fetida fuit. Numquid illa in monasterio? sed illa tarda & tepida fuit. ... Quid faciet homo, quem de præteritis urget dolor, de presentibus labor, & timor de futuris? Sic Bernardo scribebat Bernardus alter, qui vix quatuor annos in illa præfectura exegerat, cum ad aliam longe graviorem, nempe ad summum pontificatum, evehctus est. Verum in illa etiam abbatiali dignitate, etsi discipulos obsequentes ac dociles habuit, non tamen ei defuit vexatio a falso fratre, ut inferius videbimus.

ANN. CHR.
1140.

In hunc modum frustratus expectatione sua bonus abbas Adenulfus, nec sic tamen a pio proposito ædificandi Claræ-vallensibus monasterii destitit. Hic enim summam sexcentarum fere a marcarum argenti, quam extruendo prope Farfam monasterio seposuerat, sub chirographo deposuit, & Bernardo chirographum obtulit, ut, quod in partibus suis exsequi non potuerat, saltem citra alpes novum illius instituti cœnobium construeretur. Missus est pro argento; sed totum prorsus amissum hi, qui missi fuerant, invenerunt. Nec respondit aliud vir Dei cum id rescivit, quam, Benedictus Deus, qui nobis pepercit ab onere: illis vero, qui abstulere, indulgendum. nam Romani sunt, & vehemens fuit illa tentatio. Ubi miranda sane tum Adenulfi abbatis pietas ac liberalitas; tum Bernardi voluntas omnino cupiditatis experta, qui nec ablatis motus est, nec ad ablata recipienda lites movit adversus raptos.

XCII.
Adenulfi abba-
tis liberalitas
in S. Bernar-
dum.
a Bern. vite lib.
2. n. 24.

[Non possum hic non referre Bernardi epistolam integram in gratiam Adenulfi scriptam, cum quia brevis est, tum quia singularem viri sanctissimi erga eum amorem & benevolentiam demonstrat. Ea est vigesima septima ex Bernardinis a nobis aliàs b editis: *Virum nobilem & genere & moribus abbatem Farfensem apostolicæ sedis cardinalem vobis commendamus, ut eum honorifice & amicabiliter suscipiatis. Descendit a latere domini papæ ad curiam regis, ab ipso vocatus, habens ad ipsum verba secreta de communi negotio regni & ecclesiæ. Suscipite honeste hominem, & hominem bonæ voluntatis, & in eo excellentiores principes mundi; eum videlicet a quo venit, & eum ad quem venit, papam & imperatorem pariter honorate. Temeritatis quidem est quod ego tantillus talem virum vobis audeo commendare: sed humilitas ipsius hoc petentis excludit pudorem, & si factus sum inspiens, ipse me coegit.] Plura de Adenulfo c supra.*

XCIII.
S. Bernardi
epistola pro
Adenulfo.
b Tom. 1. Ampl.
Cillest. p. 738.

Tunc temporis Casaurienti seu Piscariensi monasterio præerat Oldrius abbas, quem ejus adversarii Rogerio Sicilia regi, Calabria & Apuliæ principi, invisum reddere d moliebantur. Venit ille hoc anno ad monasterium v. kal. Septembris: at fratres precibus suis ad Deum fuis eum sibi propitium, contra quam eorum inimici speraverant, reddiderunt, rexque ipse se eorum tutorem ac protectorem adversus eorum adversarios exhibuit, maxime in Boamundum comitem, quem rex, nuper in comitatu Manuplulli instituerat. Hic, adjuncto sibi Roberto regis cancellario, abbatiam sibi subicere machinabatur. Id ubi rescivit Rogerius, scriptis litteris ejus molitiones repressit: quas ab illo ipso Casauriam portari jussit, & legi in capitulo, ut audiantur a cunctis, & cognoscatur, inquit, ab omnibus super ecclesia sancti Clementis & habitatoribus ejus, quanta sit mea devotio. Multa fecit Oldrius abbas laude digna per duodecim annos, quibus superstes fuit, & totum fere monasterium renovavit. Erga defunctos etiam quammaxime sollicitus fuit, instituto centenario pro unoquoque fratre defuncto hoc modo, ut a die cujusque obitus quotidiana ejus annona pauperibus præberetur, & quædam de eo preces quotidie fierent.

c lib. 75. n. 130.
XCIV.
Rogerius rex
Casauriense
monasterium
adiit.
d Spicil. tom.
5. p. 493. &
segg.

Postero anno, ejus sæculi quadragesimo-primo, magni motus in Gallia & in Anglia oriri coepti. Horum origo in Gallia nata est post mortem Alberici Bituricensis archiepiscopi, cujus loco Innocentius papa Petrum de Castra, inconsulto rege, substitui voluit. Ea re commotus Ludovicus Junior, juravit se numquam Petrum pro archiepiscopo habiturum, factaque Bituricensi clero eligendi archiepiscopi facultate, Petrum exclusit. Electus nihilo minus Petrus, Romamque profectus a pon-

ANN. CHR.
1141.
XCV.
Magni motus
in Gallia & in
Anglia.

ANN. CHR. 1141. tifice ordinatus; dicente, regem puerum instruendum, & cohibendum ne talibus as-
 20 suesceret; adjecitque veram non esse libertatem, ubi quis excipitur, nisi coram ec-
 clesiastico iudice probetur, eum eligi non debere. Reversum ex Urbe Petrum rex
 admittere noluit, at eum Theobaldus comes in terris suæ ditioni subiectis recepit.
 Indignatus ob id rex, bellum Theobaldo indixit, eoque res progressa est, ut, ter-
 ris comitis vastatis, Victoriacum castrum cum magna promiscui sexus multitudine
 flammis assumeret: Quin etiam electiones, ordinationesque episcoporum in suo
 regno fieri vetuit, qua de re graviter conquestus est S. Bernardus in epistolis, tum ad
 a Bern. ep. 222. Jossenum^a Sueffionensem episcopum & Sugerium S. Dionysii abbatem quos regis
 & segg. consiliarios vocat; tum ad Stephanum Prænestinum episcopum, tum denique ad
 ipsum Ludovicum regem, quas indicare satis est, utpote nostro instituto non omni-
 no convenientes. Hinc Franciæ regnum interdicto supponitur. Scripsit pro rege
 b Petr. Ven. ad Innocentium Petrus^b Venerabilis, suadens mitius cum eo agere. *Pro domino rege*
 lib. 4. ep. 3. *Franciæ, inquit, nobili & speciali filio vestro, benignitatem vestram deprecor; ut,
 quia non solum rex est, non solum magnificus rector populi Christiani est; sed etiam quia
 opus est manuum vestrarum, quem ad regnum provexitis, quem sacris manibus vestris
 inunxistis, quem Gallis nostris potentioribus patribus regem designastis; si quid forte ad-
 huc, ut etate juvenis, inconsulte egit, ei condescendatis, & ejus errorem sapientiæ ve-
 stræ velamine contegatis. Est enim patris, ut filii, & maxime tanti, & errorem emen-
 det, & honorem conservet. Ita scribebat vir insignis prudentiæ & moderationis. Du-
 ravit nihilo minus hæc simultas ad annos fere quinque, nimirum usque ad pontifi-
 catum Eugenii III. qui ei finem imposuit obtentu sacræ expeditionis, ad quam rex
 se adstrinxit. Sic Petrus archiepiscopus dignitatem retinuit usque ad mortem.*

Angliam quoque hoc tempore dira tempesta ac diuturna turbavit. In Step-
 hanum quippe regem rebellionis vexillum extulere Rannulfus Cestræ comes & Guil-
 lelmus uterinus ejus frater, occupata arce, quam rex Lincolnæ habebat. Procef-
 sit ipso die purificationis beatæ Mariæ rex in rebelles: sed a suis desertus, cum exi-
 mia fortitudinis exempla edidisset, captus tandem & in vincula conjectus est. Tum
 Mathildis imperatrix, Heinrici Anglorum regis nuper defuncti soror, quæ Gaufrido
 Andecavorum comiti nupserat, in Angliam profecta, regnum sibi olim a fratre de-
 stinatum occupat, agente in primis Henrico Wintoniensi episcopo, qui Stephanum
 fratrem deseruit. Ea re accepta, Gaufridus comes Nortmanniam invadit. Interim
 Nortmanniæ principes Moritoniæ conveniunt, communique consilio Angliæ re-
 gnum & ducatum Nortmanniæ Theobaldo comiti, Stephani fratri, deserunt. at
 ille Gaufrido comiti regium jus cessit, modo ut Turonicam urbem, quæ de ejus
 feodo erat, sibi dimitteret, fratremque suum vinculis absolveret. Eo liberato, nou
 statim pax in Anglia tenuit, dum tandem, post multa inter Stephanum & Mathil-
 dem bella, in id conventum est, ut Stephanus, quam diu viveret, regno frueretur:
 Henricus vero, Gaufridi comitis ex Mathilde filius, Normanniæ ducatum posside-
 ret, & post obitum Stephani ad eum Angliæ regnum, tamquam verum & genui-
 num heredem devolveretur.

Dum Stephanus in vinculis erat, finem historiæ suæ imposuit Ordericus-Vitalis,
 Uticensis monachus, nobilis per ea tempora historicus, qui in fine libri tertii-deci-
 mi & ultimi vitæ suæ compendium retulit. Natus est anno MLXXV. ^c in Anglia apud
 c Orderic. lib. Mercios, in vico Attingeshamo, ad Sabrinam fluvium sito, ibidemque sacro fonte
 S. initio. regeneratus ab Ordrico presbytero, qui nomen ei suum imposuit. Quinquennis
 apud Scrobesburiam urbem scholis traditus, Signardo præceptore litteris informa-
 tur, & prima ibidem clericatus insignia suscepit in basilica beatorum apostolorum
 Petri & Pauli, super Molam fluvium sita, quæ Odelerii ipsius patris erat: quam Ro-
 gerius comes in cœnobium convertit. Forte Rainaldus Uticensis monachus ad Ode-
 lerii domum divertit, petiitque sibi dari Ordericum, quem ille plorans plorantem
 Rainaldo tradidit. Paternis votis acquievit puer, ea spe ductus, quam pater ingessit,
 pollicitus ei nomine Dei, fore ut, si monachus fieret, paradisum cum innocentibus
 possideret. Decennis itaque ex Anglia in Nortmanniam abductus, a venerabili
 Mainerio Uticensi abbate ad monachatum undecimo ætatis suæ anno admiffus
 est, & XI. kal. Octobris, die dominica, clericali ritu tonsura insignitus, eidemque
 pro Anglico nomine, quod Nortmannis absonum videbatur, Vitalis nomen indi-
 tum. Hunc cum sexdecim esset annorum, Gislebertus Lexoviensis præsul subdiaconum;

XCVI.
 Ordericus hi-
 storiam absol-
 vit.
 c Orderic. lib.
 S. initio.

ANN. CHR. 1141. num; & post biennium Serio Sagienfis diaconum, quod mirere, ordinavit. quo in
 gradu annis quindecim altari ministravit, anno ætatis tricesimo-tertio presbyter a
 Guillelmo Rotomagensi archiepiscopo ordinatus. Jam triginta-quatuor annis sa-
 cerdotio functus erat, cum historiam suam absolvit, cum in Uticensi monasterio
 quinquaginta-sex annos exegisset. quibus conficitur, eum anno Christi MCXLII. hi-
 storiam absolvisse. In fine Deo gratias agit, quod in omnibus locis, ad quæ missus
 est, ejus munere ab omnibus amatus sit. Pietatem ubique suam, præsertim in illo
 historiæ epilogo prodit.

Hoc ipso anno Hugo Rotomagensis archiepiscopus privilegium Beccensi eccle-
 siæ & Anselmo abbati a Willelmo quondam archipræsule indultum, renovavit. Le-
 tardo abbati, ejusque fratribus, testatus, sui muneris esse, eos abundantioris carita-
 tis affectu diligere ac fovere, quos in sancta religione viderit Deo constanter inhæ-
 rere. *Eapropter, inquit, monasterium sanctæ Mariæ situm apud Beccum, cui Deo au-
 ctore, carissime fili Letarde abbas in Christo, præsides, quia virtutum odore pro obedi-
 tiæ meritis circumquaque refulget, jure debito conservandum specialiter amplectamur,
 tuendumque pro nostri viribus officii devote suscipimus, & quacumque eidem monaste-
 rio a fidelibus collata sunt, tamquam Deo oblata confirmamus. Insuper autem & has
 in nostra diœcesi ecclesias seu capellas more canonico possidendas concedimus; ecclesiam
 videlicet sancti Andreæ, quæ apud Beccum est, liberam & quietam, cum ipsius vestri
 monasterii, cui adjacet, libertate, cui omnia concedimus, exceptis illis, quæ non possunt
 haberi, vel administrari absque officio episcopali, &c.* Biennio post Rotocus Ebroi-
 censis præsul, intuitu caritatis & religionis, quas in Beccensi monasterio vigere no-
 verat, eidem confirmat donationes ab antecessoribus suis factas.

Tunc temporis Ragenfridus S. Audoëni abbas, præfectura ultro abdicata, ad S.
 Michaëlis in monte Rotomagensi monasterium secessit, prioris ibidem officio con-
 tentus ad decem annos, quibus supervixit. Suffectus in ejus locum Fraternalis seu Fræ-
 herius monachus Cluniacensis, post annos sexdecim regiminis, abbatiam etiam ul-
 tro abdicavit propter infirmitatem, eamque cessit Rogerio de Aquila, monacho iu-
 dem Cluniacensi, qui *vir summæ religionis*, a Roberto de Monte appellatur. Hugo
 Rotomagensis archiepiscopus quædam donavit ad usum infirmorum tempore Fraternalis
 & Rogerii abbatum. Idem Hugo Letardo abbati & conventui Beccensi eandem li-
 bertatem eorum navibus impertit, qualem habebant ecclesiæ Fiscamensis, Fon-
 tanellensis, Gemericensis & S. Audoëni de navibus suis in portu Weriflonæ. Actum
 anno MCXLIV. His litteris subscribitur cum Hugone archiepiscopo, decano & quin-
 que archidiaconis, Fraternalis abbas S. Audoëni, Galterius seu Walterius abbas S.
 Wandregisili, Serlo abbas S. Luciani Belvacensis, Natalis abbas S. Martini Albar-
 marlæ, & Willelmus prior S. Barbaræ. Quæ, tametsi minutiora, notare juvat ad de-
 signandum saltem tempus, quo illi abbates vixerunt. Willelmo S. Barbaræ priori
 successit Daniel, ad quem extat epistola Arnulfi episcopi Lexoviensis, qui Johanni
 hoc anno in episcopatu successit.

Johannes quippe Lexoviensis præsul, senectute gravis, facta pace cum comite
 Andecavensi, ante pentecosten^a ex urbe Cadomo reversus Lexovium, morbo
 corripitur, & post unius hebdomadæ ægrotationem, tricesimo-quarto anno episcopa-
 tus sui, XII. kal. Junii moritur. Funus ejus curarunt Rotocus Ebroicensis episco-
 pus mox laudatus, Rannulfus Uticensis abbas, alique ejusdem diœcesis abbates,
 & in basilica S. Petri eum sepelierunt. Electus est a clero & populo Arnulfus Johan-
 nis nepos, Sagienfis archidiaconus, vir morum integritate & doctrina illustris: cujus
 electioni cum obfisteret Gaufridus Andecavorum comes, pro electo cum insigni
 elogio^b scripsit Petrus Venerabilis ad Innocentium papam, ut ejus electionem con-
 firmaret, & ne comitis Andegavensis oppositum admitteret: quippe qui nomine
 appellationis vellet *nequitia suæ moras lucrari, ut, pastore absente, non esset qui lupos
 resisteret.* Petri Venerabilis præces admisit pontifex, & Arnulfi meritis præsulis
 electionem & ordinationem confirmavit. S. Bernardus pro eodem Arnulfo electo^c
 ad Innocentium itidem contra Gaufridum comitem scripsit. Petrus in prædicta epi-
 stola exponit meritum Arnulfi in apostolicam sedem, quod probat ejus liber de schi-
 smate orto inter Innocentium & Petrum-Leonis, in Spicilegii tomo secundo edi-
 tus, quem Arnulfus ante episcopatum composuerat. Sic intentus erat Petrus Vene-
 Annal. Bened. Tom. VI.

XCVII.
 Beccensis mō-
 nasterii privi-
 legium reno-
 vatum.

XCVIII.
 S. Audoëni
 abbates, & aliq.

XCIX.
 Johanni Lexo-
 viensi episcopo
 succedit Ar-
 nulfus.
 a Orderic. sub
 finem lib. 23.

Petri Venera-
 bilis zelus pro
 ecclesia.
 b Petr. Ven. lib.
 4. ep. 7.

c Bern. ep. 348.

ANN. CHR.
1141.

rabilis, ut Bernardus alter, ad omnes non modo sui Ordinis, sed etiam totius ecclesie causas & necessitates.

C.
Natalis abbas
Resbacensis fit
Cluniaci monachus.
a *ibid.* ep. 9.

Argumento est alia ejusdem ^a ad Innocentium epistola, pro rege Hispano scripta, ut electionem Salamantini episcopi in archiepiscopum S. Jacobi, ab omni clero & populo factam, comprobaret. Hanc epistolam Natalis, nuper Resbacensis abbas, qui, deposito prefecturæ onere Cluniacum se receperat, Romam perferre iussus est, ut apud pium patrem legati contemplatione ipsa posset juvari legatio. Magnæ enim tunc dignitatis & auctoritatis fuerat Natalis abbas, utpote regis cancellarius, & pontifici optime notus: quem quia a Mariæ otio, inquit Petrus, quod apud nos elegit, invitum & reclamantem nostris viribus non potuimus, ad hoc suscipiendum negotium, cui resistere non potuit, obedientiæ vinculo compulimus. Unde, si placet, quem nos exasperavimus mittendo, vos letificate effectum precibus annuendo.

C I.
Hugo quoque
archiepiscopus
Turonensis.
b *ibid.* ep. 10.

Non modo abbates, sed etiam episcopi, abdicata dignitate tunc temporis ad Cluniacenses convolabant. Ex his unus fuit Hugo Turonensis archiepiscopus, qui Romam ad Innocentium pergens, in ipso devotionis ^b suæ itinere apud Caritatem morbo correptus est, quo ingravescente, cum jam de vita desperaret, monachicam ibidem indumentum suscepit, & per manum prioris de Caritate religionis habitu suscepto, Cluniacensis monachus effectus est. quod ut Turonos nuntiatum est, ad eum missi sunt ab ecclesia Turonensi unus archidiaconus, & Hugo Nuceriensis abbas cum aliis, flagitaturi, ut ad ovile suum pastor rediret. Noluit ille, nec mulierum & magnorum virorum precibus reditum persuadentibus acquievit. Instantibus illis hoc demum respondit, nihil se horum prius facturum, quam res pontifici innotuisset, & ab eo quid sibi faciendum esset, resciret. Quam ob rem Petrum Venerabilem obsecrarunt legati, ut hac de re ad Innocentium scriberet. Fecit ille quod rogabatur, Turonensis ecclesie nomine supplicans pontifici, ut eum ad sedem ipsius redire juberet, utpote qui jam de bono melior, de clerico monachus, qui de communi schemate cleri ad Martini sui nigrum habitum conversus est, adepta prius pontificali dignitate non indignus judicandus. Non obstat ergo ei, inquit, vel ecclesie suæ (quod tamen superflue loquor) quod se totum dispositioni apostolicæ proprio consilio, non alieno submisit: quod Martini, ut dictum est, habitum induit: quod tandem vester, & ut sic dicam, magis proprie vester, Cluniacensis monachus factus est. Placuit sanctitati vestræ in quibusdam aliis, quos nominare possem, episcopis, quod de communi clericorum vestitu ad canonicalem habitum transferunt: placeat, & placebit, ut credo, quod magnus Turonensis ad humilem monachorum habitum se convertit; & sic habitum & vitam in melius commutando, pontificali dignitati nihil, melior factus, detraxit. Hactenus Petrus, qui nominare poterat quam plures alios, qui ex episcopis monachi facti ad sedes suas redierant: qualis fuit Hugo Gratianopolitanus, qui Casæ-Dei monachus factus, ad ecclesiam suam reverti iussus est a Gregorio VII. Idem quoque contigit prædicto Hugoni Turonensi, jussu Innocentii papæ, ut patet ex rebus ab eo gestis in episcopatu post Innocentii obitum. Hugo iste, Carnotensis dictus sive de Stampis, pactum quoddam inter monachos Pontilevienses & S. Florentii Ambazienses clericos in initum confirmavit ^c, approbatum per Fulcherium abbatem in pleno capitulo, præsentibus Arnulfo priore, Guarino priore sancti Thomæ, Fulberto qui fuit abbas, & Wlgrino elemosynario ex parte monachorum; præsentibus etiam quibusdam ecclesie Ambaziensis canonicis, qui pro capitulo interfuerunt, quod pactum Fulcherius abbas, mutuo concessionis osculo, unus pro omnibus confirmavit. Actum est hoc in nativitate beatæ Mariæ anno a passione Domini MCXLI. regnante Ludovico rege in Gallia, ipsoque ducatum Aquitanie obtinente, Gaufrido Andegavorum consule, ubi annus a passione Domini cum anno ab incarnatione confunditur. Tunc ergo Hugo apud Cluniacenses non versabatur.

c Gall. christ.
p. 1. p. 767. &
seq.C II.
Milo episcopus
Cluniacensis
destraxisse
dicitur.
d *Petr. Ven. lib.*
4. ep. 8.

Non sic erga Cluniacenses affectus erat Milo Morinorum episcopus, si vera sunt quæ Petro Venerabili de eo relata fuere, ut Petrus ipse ^d testatur in epistola, quæ venerabili domino, domno Miloni Morinorum episcopo inscribitur. Petri hæc verba sunt. Relatum nobis est, si tamen ita est, non a paucis, non a quibuslibet, sed a pluribus & magnis personis; vos, quod salva fraterna pace dico, ordini monastico derogare, data qualibet vel levi occasione frequenter lacerare, in publicis inde conventibus etiam declamare; ejus bona, etiam maxima, extenuare, leves excessus, qui adhuc ut hominibus, non angelis, aliquando subripiunt, sermonibus rhetoricis aggravare. Dicitum est & hoc, in synodo vestra, coram cleri & populi multitudine, imprecatum vos esse, ut

ANN. CHR.
1141.

Cluniacensium superbiam Deus destrueret; populoque a vobis injunctum, ut hinc Dominum exoraret. Ad quod Petrus: Et utinam misericors Salvator in nobis & nostris, atque in omnibus suis, non solum superbiæ, sed & omnes usque ad solum satanæ parietes destruat; muros in eis Jerusalem spiritualis construat; indeque omnium bonorum preces exaudiat. Sed si hoc erat dicendum, non erat deridendum: si erat admonendum, non erat prædicandum: si erat orandum, non erat declamandum. Nam esto: superbi sumus, rei sumus, peccatores sumus. Sed non tamen erant peccata fratrum in ecclesia prædicanda, non erant delicta monachorum in exemplum populo proferenda: ne monachos superbos, & maxime Cluniacenses, populus audiens, ad imitandum traheretur: ne superbiam, quam in monachis audiebat notabilem, ideo in se minus damnabilem credere doceretur. Non satis idonea ad evitandam superbiam persuasio est, propositum exemplum superbiæ. . . Oportuerat sapientiam vestram hoc non in Tarvanensi populo, sed in Cluniacensi capitulo prædicare; & ad humilitatis viam fratrum nostrorum superbiam, ut pontificem decet, sacris persuasionibus revocare. Fecerat hoc ingerendum, sine populis, auribus ipsorum; non sine illis, auribus populorum, ut eos exhortatio corrigeret; non derogatio diffamaret. Non enim de tam diversis & remotis partibus terrarum Cluniacenses fratres audire, nedum exaudire poterant apud Tarvanam episcopum de eorum superbia disputantem: cum fortassis obtemperassent, si eum audissent se de talibus in capitulo suo, cui bis aut ter interfuit, admonentem. . . Non ita episcopus Augustinus vera vel falsa fratrum mala populo prædicavit, vel in scriptis suis prædicari mandavit, cum dixit: Ubi oritur peccatum, ibi moriatur; nec ad plures ejus correctio; quam notitia extendatur. . . Sed unde tamen hæc superbia? cui episcoporum Cluniacenses fratres resistunt? cui non obediunt? cui non serviunt? cui non obedientiam justam, non obsequium pro viribus, non reverentiam præ cunctis pene aliarum congregationum monachis impendant? Nescio, nescio: Deus scit. Si scirem, non paterer; si nossem, corrigerem. . . Sed quia per gratiam Dei universos pene Latine ecclesie sacerdotes amicos habemus; precamur, ut vos quoque inter reliquos propitium habeamus. Hactenus Petrus: quæ tam præclara sunt, & ad formandos omnium mores idonea, ut ea præterire mihi religio fuerit. In fine etiam queritur, quod canonicæ Abba-villæ donationi, quam episcopus Ambianensis, scilicet Guarinus, Cluniacensibus facere voluerat, ceteris episcopis in synodo Remensi assentientibus, Milo solus obstitit: ac demum rogat, ut, quod nobis, inquit, de amicitia vestra promisit benignitas vestra, observet veritas vestra.

C III.
S. Salvio Monasterolensi
donatio.

Melius affectus erat Milo Morinorum episcopus erga Monasterolense S. Salvii monasterium, cui partem altaris S. Mariæ de Darnefal conferri curavit. Hanc tenebat Guarinus Ambianensis ecclesie præpositus, a quo eam obtinuit Milo, ut prædicto monasterio conferretur. Annuit Guarinus Ambianensis episcopus, in cujus diocesi illa beatæ Mariæ ecclesia posita erat, concessitque, ita tamen, ut singulis annis tres marcas argenti ad majus pondus, in festivitate sanctorum marcam, in nativitate Domini marcam, in pascha marcam, Guarinus præpositus, quandiu in seculari habitu vixerit, ab ipsa ecclesia beati Salvii inrefragabiliter in censum habeat, cumque obierit, anniversarium suum eadem ecclesia perpetuo faciat, ut legitur in authenticis litteris Guarini episcopi Ambianensis, in quibus hæc donatio interventu domni Milonis Tarvanensis episcopi, multorumque religiosorum virorum facta dicitur. His litteris adscripta sunt ex parte Guarini Ambianensis episcopi post ipsum signa multorum ejusdem ecclesie canonicorum, & Adæ abbatis de S. Judoco; ex parte Milonis episcopi post ipsum Philippi Teruanensis archidiaconi, & Henrici abbatis de Nemore sanctæ Mariæ, & canonicorum Teruanensis ecclesie. Actum anno dominice incarnationis MCXLI. indictione II. feliciter. sic distincte in authentico, cum tamen huic anno indictio IV. conveniat. Ex quo intelligitur, in ipsis etiam authenticis aliquando errata subrepere in chronicis notis.

C IV.
S. Nicolao datæ
ecclesie S. Germani de Ribodimonte

Hoc tempore Yvo seu Ivo cardinalis legati apostolici munere fungebatur, versabaturque hoc anno Latiniaci ad Matronam diocesis Parisiensis. Id nos docent litteræ Bartholomæi Laudunensis episcopi, quibus ecclesiam S. Germani de Ribodimonte attribuit Willelmo abbati & monasterio S. Nicolai petitione in primis & mandato Yvonis cardinalis, ut ipse testatur his verbis. *Nostri juris esse, & ad communem religionis professionem attinere decernimus, earum, a quibus digne & sanabiliter, quantum datur intelligi, Deo servitur, loca studiose regere, beneficiis ampliare: eorum autem*

loca, a quibus divinum vel prorsus negligitur officium, vel, si quolibet modo sit, non sit idonee, ad meliorem statum redigere & divini cultus reverentiam super omnia, & in omnibus querere. Eapropter, dilecte fili Willelme abba sancti Nicolai de Ribodimonte, petitione atque precepto magistri Yvonis cardinalis presbyteri & apostolica sedis legati, & pia & frequenti authenticorum virorum, Radulfi quoque Viromandensium comitis & Godefridi de Ribodimonte interpellatione libenter evicti, concedimus, & concedendo precipimus, ut in ecclesiam sancti Germani de Ribodimonte, qua in vestram possessionem per donationem Godefridi & predecessoris mei Hugonis Laudunensis episcopi venit, quam inhabitant clerici, de quorum conversatione inordinata non parva frequenter ad aures nostras perlata est querimonia, cum hoc etiam obnixè a me petat fieri de predicta ecclesia sanior pars capituli, monasticam religionem inducere nullatenus differatis, &c. His litteris appositae sunt signa Yvonis cardinalis, Bartholomæi episcopi, Bartholomæi archidiaconi, Anselmi abbatis S. Vincentii, Gilleberti abbatis S. Nicolai de Silva, Balduini abbatis S. Johannis Lauduni, Parvini abbatis S. Sepulcri Cameraci, Ernaldi prioris S. Vincentii, & aliorum. Actum Latiniaci anno ab incarnatione Domini MCXLI. indictione IIII. epacta XI. concurrente II. Ab eo tempore monachi inducti fuere in illam S. Germani ecclesiam, & ab Innocentio III. confirmati contra quorumdam molitiones, qui eos illinc expellere volebant. Nunc ibidem simplex est prioratus cum ecclesia parochiali.

CV.
Latiniacense
concilium in
causa Marcia-
nensium.

Ad eundem annum revocandum est Latiniacense concilium in causa Marcianensium monachorum adversus Alvisum episcopum Atrebatensem, quod anno sequenti consignatur in editione Labbeana. Agebatur inter eos de eligendo novo abbate post mortem Lietberti abbatis. Ei successorem substituere volebat Alvisus diocesanus episcopus, contra quem reclamabant Marcianenses, obtinentes monasterii sui in eligendo abbate libertatem. Hanc cum isti constanter propugnarent, eo res devenit, ut eos episcopus excommunicaret. Illi missos suos ad Innocentium pontificem dirigunt, a quo episcopi sententia rescissa est. Tum pro Alviso S. Bernardus pontifici scripsit, ut anno superiori dictum est, Marcianenses monachos ad eum venisse in spiritu mendacii & erroris adversus Atrebatensem episcopum, cujus conversationis & vitæ bonus odor fuerit hæcenus in omni loco. Desineret proinde pontifex irasci in filium, ejusque inimicos lætificare. Dein rogat eum, ubi pontificem adierit, benigne suscipi. Interim præmittere archidiaconum, quem Bernardus pontifici commendat. Non videtur tamen Romam adiisse Alvisus, sed ejus causa Ivoni cardinali adjudicanda commissa, qui hoc anno legatus in Galliam missus est. Ubi is advenit concilium indixit Latiniacum, haud dubie in ejus loci monasterio celebrandum, in quo multa correctione digna discussa & rescissa. Huic concilio adfuit, ut modo vidimus, Alvisus episcopus, isque injuriam sibi factam conquestus est. Ad hæc legatus inquit, cur Marcianenses non adessent. Tum episcopi ministri, illos, tamquam refugas justitiæ, numquam venturos responderunt. Dum hæc agerentur, monachorum missi ex Urbe reversi insperato adsunt. Eorum præsentia legatus, qui eos Romæ noverat, recreatus, eos causam dicere jubet. Illi, quæ Romæ acta pro se fuerant, legato exponunt, qui eorum probe jam conscius erat. Inducias petunt episcopi ministri, ut cum consilio respondere possent: at negavit legatus. Itaque episcopus a negotii prosecutione destitit, modum se excessisse confessus. Tum legatus Bernardum abbatem, qui præsens aderat, arguisse dicitur, cur tam acerbas ad papam litteras scripsisset. Hic vero se a nuntio episcopi deceptum fuisse fassus est. Tandem episcoporum, qui aderant, suafu mutua utrimque venia data, & reconciliatio facta est. Patribus tamen postulantibus, ut abbati ab episcopo suspecto cura pastoralis committeretur; restitit legatus, & monachis eligendi abbatis libertatem asseruit. Hæc post Labbeum retulimus ex fide illius anonymi, qui librum secundum de miraculis sanctæ Rictrudis scripsit.

CVI.
Scriptis Inno-
centius judi-
cium in Alvi-
sum profert.
b Ampliff. Gall.
to. I. p. 719.

[Nec mirum si legatus pro monachis adversus episcopum constanter protulit judicium, quod a summo pontifice ante prolatum sciebat: scriptis namque ad Marcianenses litteris Innocentius in Alvisum episcopum sententiam pronunciat his verbis: Quia ergo præfatus frater noster electionem vestram secundum regulam S. Benedicti, & predecessoris nostri papa Callisti bona memoria & nostri etiam privilegii tenorem, a vobis communiter celebratam, omnimodis impedit, & ad majorem suæ malitiæ evidenziam, post appellationem ad sedem apostolicam factam, monasterium vestrum a divinis in-

terdicere presumpsit officii, nos idem interdictum irritum esse censuimus, & vobis divina celebrare officia apostolica auctoritate precipimus. Si vero mutationem aliquam vel constitutionem in eodem monasterio vel locis sibi pertinentibus post appellationem ad sedem apostolicam fecisse cognoscitur, totum evacuamus, & omnia in eo statu, in quo tempore appellationis fuisse noscuntur, revocari precipimus. Vobis autem precipiendo mandamus, quatenus secundum B. Benedicti regulam & sedis apostolicæ privilegia, religiosam & idoneam personam vobis in abbatem communi & sanioris partis assensu eligatis, per cujus nimirum prudentiam & religionem idem monasterium tam temporaliter quam spiritaliter, auxiliante Domino proficere valeat. Datum Lateranis kalendis Novembris. Alvisum vero episcopum de illatis Marcianensibus gravaminibus arguit, quæ ordini & religioni tuæ, inquit, sunt valde contraria, & his quæ a B. Gregorio de monasteriis & religiosis locis statuta sunt, probantur adversa, cum eorum abbas tuis gravaminibus monasterium ipsum relinquere compulsus sit. Is erat Odo ex priore S. Martini a Campis, qui post duorum annorum Marcianensis monasterii administrationem, ad suum revertit. Mandatque quatenus prædictum monasterium & fratres in pace dimittat. De contentu autem sedis apostolicæ & aliis multis proxima dominica qua legitur, Ego sum pastor bonus, ad suam eum præsentiam responsurum citat. Quem abbatia Marcianensi Alvisus præficere volebat videtur esse Hugo S. Remigii apud Remos monachus, qui XII. tantum dies eam tenuisse dicitur, postmodum S. Remigii ex priore factus abbas.

[Porro Latiniacensi concilio non tam illata ab Alviso episcopo Marcianensibus gravamina, causam tribuisse videntur, quam Radulfi abbatis Latiniacensis in conditi mores, monasterii dilapidatio, & sedis apostolicæ contentus, quæ sic exprimit Innocentius papa in scripta ad eundem Radulfum epistola: Tu vero sicut litteras & nuntium recipere contempsisti, & alias, quas dilecto filio nostro preposito ex apostolica sedis benignitate indulgemus, ei violenter auferens, ad majorem B. Petri & nostram injuriam, disrumpere presumpsisti. Domos quoque, terras, & vineas commisti tibi monasterii parentibus tuis illicite contulisti, & fratres ipsius monasterii in captivum ponere contra regulam & officium tuum minime formidasti. Quapropter precipiendo ipsi mandat, ut proxima dominica qua legitur Ego sum pastor bonus, suo se conspectui repræsentet, de his & aliis responsurus.]

Radulfus Viromandensis comes anno sequenti ab Ivone cardinali excommunicatus est ob repudiatam Alienordem uxorem, Theobaldi Campaniæ comitis fororem, aut saltem consanguineam, & ob superductam Adelidem Guillelmi X. Pictavorum comitis filiam, & Alienordis reginæ fororem, suspensi quoque Bartholomæus Laudunensis, Simon Noviomensis, & Petrus Silvanectensis episcopi, qui hoc divortium probaverant. Id factum agente in primis pro Theobaldo S. Bernardo, qui complures ea de re epistolas scripsit. Hinc Ivo Latiniaci morabatur, qui locus erat sub dirione Theobaldi Magni Campaniæ & Briegii comitis, cui rex Ludovicus tunc infensus erat, tum ob illud divortium, tum ob causam Petri de Castra electi ad archiepiscopatum Bituricensem.

Willelmus seu Guillelmus S. Nicolai prædictus abbas ex S. Vincentii Laudunensi monasterio assumtus fuerat, uti & Parvinus sancti Sepulcri apud Cameracum abbas, alique, omnes numero novem, qui ex Anselmi S. Vincentii abbatis disciplina prodierant. Cujus Anselmi probitas, inquit Hermannus monachus, in hoc uno potest evidenter adverti, quod in diversis ecclesiis ex ejus monachis electos novem hodie videmus abbates florere, viros probatissimos. In cœnobio namque Orbacensi domnus Balduinus, in Maurimontensi Guillelmus, in sancti Sepulcri Cameracensis Parvinus, in sancti Andrea de Novo-castello Adam, in Hanoniensi Fulco, in Fidemensi Girardus, in Virtutensi Robertus, in S. Nicolai prope Ribemontem Guillelmus, in sancti Michælis Terraciensis Johannes, venerabiles hodie consistunt abbates: qui omnes Laudunensem ecclesiam suam matrem; Bartholomæum vero episcopum appellant patrem suum atque pastorem. Hæcenus Hermannus monachus, qui eidem Bartholomæo addictus erat, ut alias videbimus. S. Bernardus in epistola quadam ad Haimericum cardinalem, laudat Parvinum, ipsius cura in locum Fulberti destructoris in monasterio Cameracensi substitutum, qui omnium, inquit, testimonio fidelis est servus & prudens. De omnibus illis, quæ modo commemorata sunt, monasteriis actum est in superioribus, præterquam de Virtutensi, quod monasterium est modo congregationis S. Vitoni in diocesi Catalaunensi, cujus origo & eventus nobis haud constant.

CVII.
Querela de
Radulfo abba-
te Latiniacen-
si.
a Ampliff. Gall.
to. I. p. 763.

b S. Bern. ep.
216. & seqq.

CVIII.
Abbatibus vario-
rum locorum
ex S. Vincentio
assumpti.
c Herman. lib.
3. de mirac. c.
20.

d Bern. ep. 464

ANN. CHR.
1141.
CIX.
S. Faræ corpo-
ris delatio per
Galliam.

In Briegio S. Faræ monasterium hoc tempore incendio conflagravit: ad cuius instaurationem ejus loci sanctimonialia corpus S. Faræ virginis & primæ abbatissæ, & caput sanctæ Agnetis virginis & martyris per varia Galliæ loca, ut stipem colligerent, hoc anno detulerunt. De aliis locis conjecturam facere licet ex Turonensi S. Martini basilica, ad quam deportatæ sunt sacræ illæ reliquiæ, ubi patrata ad eas miracula, quæ Martinianæ basilicæ canonici litteris mandari curarunt, eaque testimonio suo comprobantur. Hujus argumenti libellum olim invenimus in Tornacensi S. Martini bibliotheca, quem *universis sanctæ ecclesiæ prælatis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, presbyteris, omnibusque ubique terrarum catholicis, beati Martini Turonensis ecclesiæ conventus* inscribit. Libellus sic incipit. *Rarus est nostris in temporibus, in deteriora semper labentibus, divinæ ostensionis & miraculorum eventus. Unde divinitatis opus nostri temporis, & nostros ad oculos presentatum, silentio non intelligimus occultandum. quod igitur vidimus & audivimus, hoc testamur. Farenensis monasterii sanctimonialia Fara virginis corpus, martyris Agnetis caput, sacræ pignora, deferentes, beati Martini ecclesiæ intraverant, ut ad concremati loci sui restaurationem beneficium populi postularent. Tum miracula duodecim illic patrata referuntur, & in fine libelli hæc additur clausula: Prætaxatorum miraculorum facta est evidentia sub oculis populi, sub presentia religiosi viri Simonis, sacerdotis Ogerii, virginum Elisabeth, Berta, Lamberge, quæ indubie Farenenses monachæ erant; sub attestatione Bernardi, qui ea oculis accepta miracula dictata conscripsit, quæ sigilli sui attestacione canonici Martiniani confirmant. Facta sunt hæc Ludovico Aquitanorum duce, Francorum rege dominante, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo primo.*

Id factum est tempore Risendis abbatissæ, quæ litem habuit cum Manasse Meldensi episcopo, ejus nominis secundo, super presbytero Farenensis ecclesiæ rectore, quam litem Hugo Autifiodorensis & Gaufridus Catalaunensis episcopi composuerunt in hunc modum.

Hugo Autifiodorensis episcopus & Gaufridus Catalaunensis ex præcepto Innocentii papa II. super controversia abbatissæ Farenensis, quæ versabatur inter Manassem Meldensem episcopum & Risendim abbatissam Farensem, adstante Josseno Snessionensi episcopo, cum abbatibus Simone Casiacensi, Natale Resbacensi, Guillelmo S. Martini de Trevis, Raynero quoque magistro & Gaudio Snessionensi archidiacono, statuunt, quod sacerdos Farenensis monasterii, populum rectorus, de manu Meldensis episcopi curam parochiæ suscipiet; christi & aquam reconciliationis ecclesiarum, si violata fuerint, ab ecclesiâ Meldensi requiret. Si sacerdos ille aliqua culpa fuerit notatus, prima vice episcopus mandabit abbatissæ, ut consilio clericorum suorum corrigat eum: si autem postea crebuerit eadem infamia, tunc episcopus per abbatissam statuet diem, quo veniens episcopus in capitulum S. Faræ, per se sacerdotem illum judicabit, & si visum ei fuerit, deponet. Quod si culpa sacerdotis per penitentiam & per pecuniam debeat puniri; episcopus imponet sacerdoti penitentiam, sed ecclesiâ Farenensis retinebit pecuniam. Sic de omnibus parochianis statutum est quoad pecuniam.

Caret chronicis notis hoc instrumentum, quod Manasses episcopus confirmavit. Instauratione basilicæ, post annos quatuor, scilicet anno ab incarnatione Domini MCXLV. Albericus Ostiensis episcopus, & apostolicæ sedis in toto Galliarum regno legatus, adiit Farense monasterium, ubi Deo famulari cernitur, inquit, religiosarum congregatio feminarum, centenarium excedens numerum; quod monasterium gravissimo incendio cum omnibus officinis suis fuerat ante aliquot annos destructum: ejusque basilicam, præsentibus episcopis Parisiensi, Meldensi & Trecenti, dominica die passionis sollempniter dedicavit. *Et quia in eodem loco, tam de dominicæ passionis insignibus, quam etiam pretiosissimis multorum sanctorum pignoribus inestimabilis conservatur thesaurus; omnibus fidelibus, qui per singulos annos in ramis-palmarum eundem locum orationis causa visitaverint, & ad sustentationem ancillarum Dei, vel restaurationem monasterii aliquid gratia impertierint, quadraginta dies indictæ suæ penitentia, consilio & consensu prædictorum pontificum, indulget. Eiusdem Alberici cardinalis rogatu Eugenius III. Risendi abbatissæ amplissimum privilegium eodem anno indulget, in Gallia christiana editum, in quo concordia, cum Manasse episcopo per Hugonem & Gaufridum episcopos facta, confirmatur. Risendis abbatissæ superstes fuit usque ad annum MCCLIV. quo anno Luciana, de qua inferius, ei successit. Risendis obitus v. idus Aprilis in necrologio notatur.*

CX.
Risendis abbatissæ concordia cum episcopo Meldensi.

CXI.
S. Faræ basilicæ dedicatur.

Jam a triennio Theobaldus seu Theobaudus Senonensis S. Columbæ monasterii abbas Roscelino successerat, cum novam basilicam construere aggressus est, cujus fundamenta hoc anno die annuntiationis dominicæ jacta sunt. Erat is filius Hugonis primi magistri templi Jerosolymitani, cui cognomen Paganus, vulgo *de Pabens*, qui per monachos de Caritate Cluniacensium disciplinam in suo monasterio stabilire curavit, ut Petrus Venerabilis testatur in epistola ad eum scripta, in qua eundem magnopere præ aliis laudat his verbis. *Legi nuper litteras tuas, carissime frater, in quibus adverti, magnum inter te, aliosque pene omnes tui ordinis ch.ios esse firmitatem; longe te ab illorum studiis esse d. visum. Nam cum, ut dictum est, illorum fere omnium corda, omnium verba, omnium scripta, ea quæ mundi sunt sapiant; cor tuum lingua tua, litteræ tuæ longe diversa sapere, & sentire videntur. Indicant hoc illa, quas, ut præfatus sum, mihi pridem misisti: quæ, ut quod verum est fatear, nil mortale sonabant; nil eorum, quæ in frequentissimis aliorum litteris legere soleo, præcedebant. In illis litteris Theobaldus Petrum Venerabilem rogabat, primo ut fratres de Caritate, qui S. Columbæ monachis veram philosophiam, hæc est Cluniacensem disciplinam, tradiderant, ibidem remanere, & vices suas illic exsequi concederet, nimirum se absente, quod argumento est, Theobaldum illam epistolam scripsisse paullo ante, quam Jerosolymitanum iter, de quo inferius, aggredere. Secundo quærebat, cur unctio infirmorum sola, & hoc apud Cluniacum solummodo, reiteraretur. Tertio postulabat, ut consolatoria verba, quæ ipsi iter Jerosolymitanum aggressuro, præsidio futura essent, suggereret. Fecit venerabilis abbas quod rogabatur, ut ex prædicta epistola manifestum est, in qua probatur iteratio unctio infirmorum, quam Theobaldus extra Cluniacum haud factam eo tempore fuisse innuere videtur. Eidem Theobaldo Innocentius papa II. privilegium indulget, quo universæ monasterii possessiones confirmantur, datum Laterani per manum Gerardi S. R. E. presbyteri cardinalis ac bibliothecarii VII. kal. Martii, incarnationis dominicæ anno MCXLII. secundum veterem calculum, indictione VI. pontificatus anno XIII.*

Apud Pictavos post mortem Guillelmi Adelelmi episcopi, quæ pridie nonas Octobris anno superiore accidit, electus est Grimoardus Alodiorum abbas, vir religiosissimus, VI. kalendas Februarias anni insequentis ordinatus, qui pascha in monasterio S. Maxentii celebravit, ubi christi sacramenta ferat quinta in cœna Domini, testante chronographo Maxentiano seu Malliacensi, qui locum illum ab eo præceteris electum fuisse dicit ob amorem & reverentiam almi confessoris Maxentii, & fratrum ejus loci. Hic post consecrationem suam prohibitus est a rege Ludovico, ne sedem suam iniret usque ad pentecosten: sed non diu eam tenuit. nam Gislebertus, cognomento Porretanus, ex eadem urbe oriundus eodem anno illi successisse dicitur. Hic famosus magister ante pontificatum fuerat, & in diversis Galliæ locis philosophiam docuerat, qui ad episcopale fastigium proventus, ex ingenii subtilis magnitudine, ait Otho Frisingensis, ac rationum acumine, multa præter communem hominum morem, etiam de rebus divinis cœpit dicere; ob idque in judicium vocatus est in concilio Remensi, ut suo loco videbimus. Exstat insignis ejus epistola ad Matthæum S. Florentii abbatem, a nostro Acherio in notis ad Guibertum edita, ubi consultus super facto sacerdotis, qui super calice vacuo verba sacra protulerat, in hunc modum responderet.

Gislebertus Dei gratia Pictaviensis episcopus, dilecto in Christo Matthæo eadem gratia abbati S. Florentii, salutem in Christo. Placuit vobis nostram consulere parvitatem super cujusdam oblivionis casu, qui nuper in ecclesiâ vestra dicitur contigisse: quod videlicet super altare pane posito in eucharistiam consecrando, & calice vacuo, presbyter omnia verba, quæ sacramento panis & vini pertinent, usque ad panis infractionem dixerit: quando discooperio calice se cognoscens errasse, positis in calicem vino & aqua, non modo super calicem, verum etiam super panis hostiam consecratam sacra consecrationis verba iteravit. Pro quo facto vobis, quid illi presbytero, quid de illa hostia faciendum sit, quaeritis. Nos autem, non ex sensu nostro novum aliquid, sed quid a prudentibus viris super simili casu consilium olim audivimus, hac a vobis quaesita responsione commemoramus. Cum enim simile factum ad aures quorundam prudentium pervenisset, presbyterum de negligentia corripiendum judicaverunt, & conventum pro ipso oraturum providerunt. Hoc igitur exemplum securi consulimus, ut presbyter vester ad tempus oblationis hostia abstinere; & interim quibus providebitis, sive juniorum, sive aliis corporis castigationibus,

ANN. CHR.
1141.
CXII.
S. Columbæ
abbates, nova
basilicæ & varii
eventus.
a Petr. Ven. lib.
5. ep. 6.

CXIII.
Grimoardo
episcopo Picta-
vensi succedit
Gislebertus.

Gisleberti episcopi insignis epistola.

ANN. CHR.
1141.

Et non tantummodo suis, verum etiam vestris, totiusque conventus orationibus expletus, mereatur offerre. Cui tamen, non de erroris conscientia, que cum est contumax, heresis dicitur; sed ex illusionibus, qua saepe recte credentium lumbos implent, huius oblivionis contingit casus; brevior tempore, mitior passione, castigationis huius pena poterit esse. Quoniam vero in altero, sive panis, sive calicis sacramento, post illas, qua ex more sunt, per presbyterum confectiones totus est Christus; a iam consecrati panis reconfectione omnino debuit abstinuisse, & a vini & aqua in calice, prius vacuo, infusione satisfacere potuit: & sine illa sacrarum verborum iteratione in sacramento panis Christo communicasse: quoniam & pueri baptizati in solius calicis, & infirmi in solius panis sacramento saepe communicant, & nihilo minus quantum ad rem ipsam, & ad incorruptionis future sacramentum, accipiunt quantum illi, a quibus in utroque, panis scilicet & calicis sacramento in ecclesia de ipsa mensa dominica Christus assumitur. Hæc ad inquisitionem vestram, & si minus plene, tamen fideliter respondemus, de vestra caritate confisi, qua, quod parum est, reputat multum; & quod mutilatum, perfectum. Addentes quod nos ipsi, ne huiusmodi oblivionibus, sive ministrorum nostrorum sive nostris possimus decipi, facere consuevimus. Cum enim ministri nostri vinum in calicem oblaturi infuderint, de miscenda vino aqua non eis credimus, nisi iam oblato nobis pane & offerendo calice, vel ipsi prae oculis nostris aquam infundant, vel nobis aquamanili tradita, eam calici miscemus. Sic enim & minister sacerdos manet indubius, & sine oblivionis cuiusdam casu incemnis.

a S. Bern. ep.
1159.

Hactenus Gisleberti Porretani epistola, cui aliam fere consimilem Guidoni a Triumfontium abbati scripsit S. Bernardus, de qua superius actum est. Hanc autem Gisleberti epistolam integram referre visum est, quod quaedam observatio digna contineat, tum super facto prædicti sacerdotis & poenitentia illi injuncta; tum super communionis sub una specie infantium & infirmorum, qualis eo tempore in usu erat. De Matthæo S. Florentii abbate superius actum est. His consona de communionis infantium docet Hugo Victorinus, celebris ejus temporis theologus. Pueris recens natis, inquit, idem sacramentum in specie sanguinis est ministrandum digito sacerdotis, quia tales naturaliter fugere possunt. Alia ejusdem temporis hanc in rem afferre necesse non est.

b lib. 76. n. 21.
c Hugo Vit. de
Sacram. lib. 1.
c. 10.CXIV.
Petri Venerabilis
itineraria in
Italiam & in
Hispaniam.
d lib. 76. n. 38.

Duo per id tempus itinera confecit Petrus Venerabilis: unum in Italiam, alterum in Hispaniam. Primum aggressus est ad reconciliandos Pisanos & Luccenses post septem annos a morte venerabilis Matthæi cardinalis episcopi Albanensis, quem tunc anno M C X X I V. obiisse superius ostensum est, cujus tumulum devotionis causa tunc adiit. Audiendus hac de re Petrus ipse in libro II. de miraculis, capite XXIII. Septem deinde exactis annis a Matthæi obitu, cum ad Urbem proficisceretur causa reformandæ pacis inter Pisanos & Lucenses, specialiter tamen ejus tractus pia recordatione, Pisas adii. Secunda dehinc adventus mei ad illam urbem die, cum sociis ad carissimi mei sepulcrum accessi, ejusque sacros cineres, ut dignum erat, visitans & honorans, salutarem pro eo hostiam obtuli. Et licet ejus meritis multo magis me juvari posse considerem; omnipotentii tamen creatori ac benignissimo Redemptori unanimum mihi, dum viveret, hominem, quantis tunc datum fuit, precibus & fletibus commendavi. Hæc Petrus de priori illa in Italiam profectio ad reconciliandos Pisanos & Luccenses, quorum bella memorat Albericus anno sequenti.

e Petr. Ven. lib.
4. ep. 12.

De posteriori illo in Hispaniam itinere mentionem facit in epistola, quam præcordiali amico suo domno Ganfrido Burdegalsi archiepiscopo scripsit. Ejus familiaritatem & amicitiam sibi conciliaverat, ex eo tempore, quo ad Cartusiam cum illo profectus erat. Eidem in Hispaniam profecturus, Cluniacensis instituti monasteria, abbatias, prioratus & cellas commendaverat, & postea reversus gratias agit, quod omnia illa fidelissime conservasset. Dein excusat, quod in reditu eum non inviserit. Redire, inquit, per provinciam vestram prius quidem disposueram: sed fortuitus rerum eventus, immo, quod verius est, Dei dispositio permutavit. Tum de itineris sui successu hæc subdit. Illud quidem præteritum iter nostrum plus honoris quam personam, non dico ecclesiam, decet, habuit: quia etsi non decuit personam, decuit ecclesiam. Profectus vero temporalis, non quantum cupiditas voluit, sed plus tamen quam meritum exegit. Quod vero ad personam spectat, utinam sospitatem corporis incolumitas spiritus emularetur! Quod autem ad ecclesiam respicit, pace super omnia, & mutua, & generali fruimur. In fine rogat, ut de universis Cluniacensibus negotiis, non solum ut legatus, sed ut ipse Cluniacensis abbas, secure disponat. In eadem epistola nescio quid inistri insinuat de Angeliacensi

Angeliacensi ecclesia, quod secretum esse inter eos conditum erat. De suo in Hispaniam itinere differit etiam Petrus in libro I. de miraculis capite XXV II. & sequenti.

Non otiosa fuit illa Petri Venerabilis in Hispaniam profectio. Unum ei propositum fuisse videtur, ut sui Ordinis in illo regno monasteria perlustraret: at, cum illis in partibus moram faceret, Sarracenorum seu Arabum illic habitantium impia dogmata explorare studuit, ut ea postmodum data opera refutaret. Ad hæc impii Muhammedis vitam ex Arabico in Latinum transferre curavit, ut ipse in fine brevis summula, quam contra eorum sectam composuit, testatur a his verbis. Nam hæc tota causa fuit, qua ego Petrus, sanctæ Cluniacensis ecclesiæ minimus abbas, cum in Hispaniis pro visitatione locorum nostrorum, qua ibi sunt, demorarer, magno studio & impensis totam impiam sectam, ejusque inventoris execrabilem vitam de Arabico in Latinum transferri, ac denudatam ad nostrorum notitiam venire feci: ut, quam suspecta & frivola hæresis esset, sciretur, & aliquis Dei servus ad eam scripto refellendam sancto inflammante Spiritu incitaretur. Ad id operis aggrediendum piissimus abbas excitavit S. Bernardum, ad quem misit libellum quemdam in illam sectam ex Arabico translatum in Latinum, scripta ad eum epistola in hæc verba. Mitto vobis, carissime, novam translationem nostram contra pestimam nequam Machumet hæresim disputantem: qua nuper, dum in Hispaniis morarer, meo studio de Arabica versa est in Latinam. Feci autem eam transferri a perito utriusque linguæ viro magistro Petro Toletano. Sed quia lingua Latina non ei adeo familiaris & nota erat, ut Arabica; dedi ei coadjutorem doctum virum, dilectum filium & fratrem Petrum, notarium nostrum, reverentiæ vestræ, ut æstimo, bene cognitum: qui verba Latina, impolite vel confuse plerumque ab eo prolata, poliens & ordinans, epistolam, immo libellum, multis, ut credo, propter ignotarum rerum notitiam perutilem futurum, perfecit. Tum de Alcorano, ipsius cura itidem translato hæc subdit. Sed & totam impiam sectam, vitamque nefarii hominis, ac legem, quam Alcoran, id est Collectaneum præceptorum, appellavit, sibi que ab angelo Gabriele de cælo collatam miserrimis hominibus persuasit, nihilo minus ex Arabico ad latinitatem perduxit; interpretantibus scilicet viris utriusque linguæ peritis, Roberto Retenensi de Anglia, qui nunc Pampilonensis ecclesiæ archidiaconus est; Hermanno quoque Dalmata, acutissimi & litteratissimi ingenii scholastico: quos in Hispania circa Hiberum astrologiæ arti studentes inveni, eosque ad hoc faciendum multo pretio conduxit. Specialiter autem vobis ista omnia notificavi, ut & tanto amico studia nostra notificarem, & ad scribendum contra tam perniciosum errorem illam vestram, quam nostris diebus vobis Deus singulariter contulit, doctrinæ magnificentiam animarem. Hactenus Petrus, in quo vix scio utrum amplius mirer, piissimi abbatis studium in christianam religionem, quo ad hæc præstanda excitabatur; an modestiam, qua ipsum ad deferendum Bernardo honorem refellendi impii erroris impellebat. Porro, cum Bernardus, variis occupatus negotiis, id exequi non potuisset, illud ipsum per se ipse præstitit, editis duobus libris in impiam illam sectam, [quos ab Andrea Duchesne multum frustra que quæsitos, tandem reperimus in optimæ notæ codice Aquicinctensi auctoris ævo exarato, edidimusque in nostræ Amplissimæ Collectionis tomo IX.] Edita est prædicti Retenensis præfatio ad eundem Petrum in versionem a se factam Alcorani, quam, veluti superfluum, vulgare noluit editor Bibliothecæ Cluniacensis, offensus forsan duritie stilliculatoris, qui omnino scabrosus erat, ut ex edita ejus epistola intelligitur. Albericus in chronico hanc translationem anno M C X L I I I. factam fuisse dicit, quod etiam in Bibliotheca Cluniacensis notatur. Ceterum eadem mente, qua Petrus Venerabilis, impulsus est piæ memoriæ eminentissimus cardinalis Barbadius episcopus Patavinus, qui Alcorani versionem & refutationem, a Ludovico Maraccio Innocentii XI. confessario factam, typis Seminarii sui Patavini anno M D C X C V I I I. fieri curavit

Veteres Cisterciensium cum Cluniacensibus similitates hoc etiam tempore necdum sopitas fuisse testis est Petri nostri proluxa epistola ad Bernardum, in qua Cisterciensium objectiones, qua vestium ac rituum diversitatem spectant, exponit, ac refellit. Sub finem ait, se Bernardo prædictas misisse versiones, qua Muhammedicam sectam spectant; & ad calcem epistolæ se ante quatuor vel quinque annos scripsisse contra hæreticorum Provincialium capitula epistolam, quam Bernardo missurus fuisset, si eam ad manum habuisset. Sed a quodam fratre nostro

CXV.
Mahumedis
vitæ & Alcorani
versionem
fieri curat.a Bibl. Clun. p.
1115.

b ibid. p. 1107.

CXVI.
Idem scribit
contra Petro-
brulianos.

ANN. CHR. 1141. inquit, nuper in Arverniam delata, & ante annum in alio volumine contra ipsos hæreticos a me in Provinciam missa, mitti vobis non potuit. Hæc intelligenda sunt de ejus libro contra Petrobrusianos hæreticos, cui præmittitur præfatio^a inscripta, *Domini & patribus, magistris ecclesie Dei, Arclatenſis, Ebredunensſis archiepiscopis, Diensſis & Wapincensſis episcopis*, quæ sic incipit. *Scripti nuper epistolam reverentiae vestrae, contra hæreses Petri de Bruis disputantem: sed innumeris & magnis negotiis a dictando animo, a scribendo stilum retardantibus, huc usque mittere distuli. Mitto nunc tandem eam prudentiae vestrae: ut per vos hæreticis, contra quos scripta est, & etiam catholicis, quibus forsitan prodesse poterit, innotescat. Vobis eam mitto, quoniam in partibus vestris, aut circa easdem, stulta illa & impia hæresis more pestis validæ multos interfecit, plures infecit: sed, gratia Dei concitante & adjuvante studia vestra, a vestris regionibus sese paululum removet. Migravit tamen, sicut audivi, ad loca satis vobis contigua, & a Septimania vestra, vobis persequentibus, expulsa, in provincia Novempopulana, quæ vulgo Gasconia vocatur, & in partibus sibi adjacentibus, sibi foveas præparavit. Ubi mirum est a Petro regionem prædictorum episcoporum qui in Delphinatu erant, dici Septimaniam, quæ Gallia Narbonensi continetur. In eadem epistola Petrus noster agens de illius hæresis origine, ait, prima erronei dogmatis semina a Petro de Bruis, per viginti fere annos sata & aucta, quinque præcipua virgulta produxisse, id est capitula quinque, de quibus infra. Hæc verba, per viginti fere annos, non ita mihi accipienda videntur, quasi ante annos viginti, quam hic liber a Petro scriberetur, Petrobrusianus error spargi cœpisset, quo sensu ea intellexit Baronius; sed quod per viginti annos disseminaverit Petrus, antequam rogo combustus fuisset, qua de re venerabilis abbas ita in consequentibus scribit. *Post rogum Petri de Bruis, quo apud S. Ægidium zelus fidelium flammam dominicæ crucis ab eo succensas, eum concremando, ultus est; postquam plane impius ille de igne ad ignem, de transeunte ad æternum, transitum fecit: heres nequitiae ejus Henricus, cum nescio quibus aliis, doctrinam diabolicam, non quidem emendavit, sed immutavit; & sicut nuper in tomo, qui ab ore ejus exceptus dicebatur, scriptum vidi, non quinque tantum, sed plura capitula edidit.**

cxvii. Petri Brusii & Henrici hæreticorum chronologia expenditur.

Antequam de illis Petri de Bruis & Henrici capitulis agamus, operæ pretium videtur distinguere tempora, quibus illi hæretici errores suos spargere cœperunt. quod ut accuratius fiat, juvat præmittere, quo anno prædictæ Petri epistolæ scriptæ sint. Prima ad Bernardum, quæ est libri iv. epistola xvii. in qua objectiones Cisterciensium in Cluniacenses refellit, scripta est post ultimum Bernardi reditum ex urbe Roma, & post subsecutas & compositas altercationes super electione episcopi Lingonensis, quæ anno mcccxxxviii. exortæ sunt, ut ex ipso epistolæ contextu patet.

b Bibl. Clun. p. 1010.

Sub finem ejusdem epistolæ, ut jam dixi, mentionem facit idem Petrus de versione & refutatione Alcorani, quæ in Bibliotheca^b Cluniacensi facta dicitur anno mcccxlvi. quod si certum esset, sequeretur, prædictam epistolam contra Petrobrusianos, quam ante quatuor vel quinque annos scriptam fuisse ibidem asserit, anno mcccxxxviii. vel insequente editam fuisse. In illa quidem contra illos hæreticos epistola, verius libro, ait, totam^c pæne orientalem & Africanam regionem ab illo nequam Mahomet deceptam, per quingentos & quinquaginta fere annos ejus superstitionibus inservire. At hunc calculum non esse accuratum clarius est, quam ut demonstrari opus sit. Si enim admitteretur, annis viginti ultra Petri ætatem extenderetur. Siquidem hegira Arabica ab anno dcccxxii. exordium ducit. Nihil itaque certi ex hoc loco ad designandum prædictæ epistolæ tempus elici potest; adeoque standum videtur in illo anno mcccxlvi. quo Alcorani versio & refutatio facta dicitur in Bibliotheca Cluniacensi. His præmissis, illorum hæreticorum tempora sic distingui posse videntur, Petrus Brusius, nescio undenam ortus, sub annum m c x. ad viginti annos in Septimania spargere cœpit suos errores, & circiter annum mcccxxx. apud S. Ægidium a populo in rogum conjectus est, ut de Clementio & Ebrardo hæreticis a populo Sueffionensi factum tradit Guibertus^d abbas. Brusius presbyter erat, nec tantum in Septimania, sed etiam in Provincia errores suos sparsit, ut ex Petro-Abaelardo discimus in libro ii. introductionis ad Theologiam. Ante annum mcccxxv. quo Hildebertus ab ecclesia Cenomannensi ad Turonensem translatus est, Brusio expago Cenomannensi ab eodem præfule fugato successit Henricus, ejus nequitiae heres, ut Petrus Venerabilis loquitur, novosque errores Brusianis addidit. Plura de eo infra.

d Guibert. lib. 3. de vita sua. 17.

Petri Brusii quinque errorum capitula erant. Primo negabat parvulis ante rationis usum baptismum prodesse ad salutem. Secundo ecclesias & basilicas construi non debere, constructas subruere oportere. Tertio cruces sacras confringendas. Quarto veritatem corporis & sanguinis Christi Domini in eucharistia negabat. Quinto denique sacrificia, preces, eleemosynas, ceteraque bona opera fidelibus defunctis prodesse itidem negabat. Hæc omnia fuisse refellit Petrus Venerabilis in libro contra Petrobrusianos, quem prædictis archiepiscopis & episcopis dicavit. Ad Henricum quod attinet, idem Petrus sub finem præfationis ad librum suum contra Petrobrusianos ait, se vidisse romum, qui ab ejus ore exceptus dicebatur, in quo non quinque tantum, sed plura capitula edidit, contra quæ doctissimus abbas agere paratus erat. Sed quia eum ita sentire, inquit, vel prædicare nondum mihi plene fides facta est, differo responſionem. Hæc provincia S. Bernardo reservata erat, qui ad debellandos Henricianos ad Tolosanas partes missus est, & impia Henrici dogmata commemorat in epistola cccxli. ubi Henricus itidem parvulis baptismum denegasse dicitur, clericis detraxisse, sacramenta & festa abolevisse, præter muliercularum conventicula, quæ impostor ille frequentabat.

Quenam fuerit perversæ ejus vitæ series, in primis discimus ex actis^a Cenomannensium episcoporum, ubi de Hildeberto episcopo agitur. Henricus ille, quem Bernardus monachum apostatam appellat, in prædictis actis pseudo-eremita vocatur. Hic in partibus Cenomannensium errores suos disseminare cœpit, & sub ementita sanctitatis & scientiæ specie, intonsus barba, turpia flagitia exercens, omnium mortalium excessus, ceteris incognitos, ex solo adpectu se cognoscere jactitabat. Missi ad Cenomannos duo ejus discipuli, die cinerum suburbia ingressi, magistri sui exemplo baculos ac vexillum crucis gerentes, colore & exteriori habitu penitentiam prætententes, a Cenomannis tamquam angeli suscepti sunt. Eos etiam blande exceptit Hildebertus episcopus, qui Romanum iter aggressurus, eos suis commendavit archidiaconis, eisque sermones ad populum habendi facultatem permitti jussit. Duos illos prodromos brevi subsecutus est Henricus, moxque vulgus solito more applausit novitati. Quin etiam plerique clericorum eidem alimenta ministrabant, & tribunal ad concionandum homini, qui magnopere facundus fuisse dicitur, studiose præparabant. Eo audito, plebs clericos præ illo aspernari cœpit, & in eos furere, eosque habere tamquam ethnicos & publicanos; eorum domos evertere, bona diripere, immo etiam illos lapidibus obruere & patibulo affigere parati; idque re ipsa præstitissent, nisi princeps & optimates restitissent. Hoc ferius licet animadverso, clerus Cenomannensis Henrico, ejusque sociis prædicandi facultatem interdixit. Quam ob rem Henricus, Hildeberti quoque reditu ex Urbe intellecto, in castrum S. Carileſi secessit, ubi pejora solito patravit. Reversus ex Romano itinere Hildebertus, indigne habitus est a populo, hæretici sermonibus corrupto, qui ab ipso interrogatus, cujus ordinis esset, se diaconum esse respondit. Demum ex illa regione discedere jussus, clam aufugisse dicitur. Interim duo ejus discipuli, Cyprianus & Petrus, ubi ejus turpitudine^b in vita, & error in doctrina illis innotuit; respicientes, ad Hildebertum se receperunt, cujus ille diæcesim sic infecerat, ait Hildebertus ipse, ut renitens ei clerus vix inter parietes ecclesie suam tueretur libertatem. Hinc Hildebertus ferius agnovit, quantum periculi ecclesie imminere ex incauta novorum doctorum approbatione, qui sub larvata pietatis specie fidelium animos non raro corumpunt.

Exinde ad Tolosanas partes profectus hæreticus, non minus facilem illic aditum, quam apud Cenomannos, invenit, ipsumque S. Ægidii comitem Hildefontem cum aliis decepit, ut S. Bernardi ad eundem comitem epistola^c nos docet: *Quippe de tota Francia, inquit, pro simili effugatus malitia Henricus, has solas sibi invenit expostas partes, quibus fiducialiter sub tuo dominio in gregem Christi toto furore bacchetur. quod tuone honori congruat, princeps illustris, ipse judicatio. Nec mirum tamen, si serpens ille callidus decepit te: quippe speciem pietatis habens, cujus virtutem penitus abnegavit. In eadem epistola vir sanctus hæreticum vivis coloribus depingit in hunc modum. Homo apostata est, qui relicto religionis habitu (nam monachus exstitit) ad spurcicias carnis & seculi, tamquam canis ad suum vomitum, est reversus. Præ confusione autem habitare inter cognatos & notos non sustinens, vel potius non permissus ob magnitudinem criminis, succinxit lumbos suos, & iter qua nesciebat arripuit, factus*

Annal. Bened. Tom. VI.

X x ij

ANN. CHR. 1141. Eorum errores.

cxviii. Henrici acta & itinerum series. a Analeſt. tom. 3. p. 312. & seqq.

b Hildeb. ep. 77.

c Bern. ep. 247.

ANN. CHR.
1141.

gyrovagus & profugus super terram. Cumque mendicare cepisset, posuit in sumtu evangelium (nam litteratus erat) & venale distrabens verbum Dei, evangelizabat ut manducaret. Si quid præter victum elicere poterat a simplicioribus populi, vel ab aliqua matronarum; id ludendo aleis, aut certe in usus turpiores turpiter effundebat. & infra, Inquire, si placet, vir nobilis, quomodo de Lausana civitate exierit, quomodo de Cenomannis, quomodo de Pictavi, quomodo de Burdegali: nec patet ei usquam reversionis aditus, utpote qui sæda post se ubique reliquerit vestigia. Hæc tota esse videtur series itineris illius apostata, qui ex Lausana Helvetiorum civitate ad Cenomannos venit; indeque fugatus, Pictavos, Burdegalam & loca circumposita peragravit, ac demum pervenit ad Tolosanas partes, ubi suos errores & facinora vulgavit. quæ causa fuit mittendi in illas regiones S. Bernardi, ut ejus commenta dissiparet. Fortasse Lausanam venerat ex Italia, unde ejusmodi pestes in Gallias effusæ sunt, Manichæorum reliquiæ: quales fuere Cameracenses illi hæretici, qui anno MXXV. damnati sunt in synodo Atrebatensi; quales itidem illi, qui apud Aurelianos paullo ante igni perierant. Certe Manichæi dicuntur Henriciani ab Hereberto in libro II. de miraculis S. Bernardi, ubi papæ legatus, aliique episcopi pro confutanda hæresi Manichæorum ad partes Tolosanas cum S. Bernardo profecti fuisse perhibentur. Sed de his inferius.

CXIX.
Petri Venerabilis secessus in eremum.
a supra n. 117.

Cum talis esset Henricus ille apostata, admirari subit moderationem Petri Venerabilis, qui licet *tomum*^a illius errorum vidisset, ab ejus ore, ut ferebatur, exceptum; in eum tamen scribere distulit, quia eum ita sentire necdum certo ipsi constabat. Vir sane magnus, & inter primos sui temporis viros, tum ob virtutes, tum ob doctrinam comparandus, & paullo minus Bernardo inferior, qui summis, ut ille, negotiis subinde adhibitus est. Ubi a negotiis tantisper respirabat, ad quamdam solitudinem, quam sui Cluniacenses incolebant, aliquando secedebat. Testes ejus aliorumque hac de re epistolæ^b, quarum una est Petri monachi ad ipsum, qui Prudentium ab eo sibi describi petierat: in cujus fine epistolæ Petrus ille: *Valeant coeremita vestri*, inquit, *& socii omnes domini mei, qui vobiscum silvas incolunt.* Eidem rescribens venerabilis abbas, sic epistolam orditur. *Scribenti omnino mutus esse non debeo. Silvas incolimus; pertæsi urbium, rura amamus: & ut aliquid poeticum addam,*

b Petr. Ven. lib. 4. ep. 29. & seq.

Eremitæ Cluniacenses.

*Jam non mihi turbida Roma,
Sed vacuum Tibur placet, ac imbelle Tarentum*

*Emeriti jam sumus, & juvenibus tibi, tuisque similibus, bella reliquimus. Armare igitur, & quia per Dei gratiam, ut scripsisti, pes tuus convaleuit, ad prælia procede, pugna viriliter, viribus hostes subige: & quia jam totus mundus in arma conjurat, tu quoque armorum numero adjungere. nam ea de causa coeremita nosse fieri noluisse. Forsan hæc epistola scripta est, cum innumeri homines ad expeditionem sacram cruce signarentur. In eadem epistola idem venerabilis abbas ait, se composuisse hymnum de magno patre Benedicto loco alterius, qui non modo impolitus erat, sed falsa quædam continebat; atque alium hymnum de ejusdem beatissimi patris translatione & illatione edidisse: quibus hymnis hodie quoque utimur. Primæ illius epistolæ scriptor erat Petrus Pictaviensis, cui Arnulfus eremita novitius sequentem epistolam ita inscribit: *Carissimo seni, societatis nostræ, id est Cluniacensis, priori, frater Arnulfus eremita novitius, coeremitarum suorum minimus.* sic vero epistola incipit. *Salutatio vestra, quam patri novorum incolarum eremi, domno abbati, nobis exhibendam misistis, mihi sociorum ultimo novissime pæne innotuit. . . . Gratias vobis, quod amore nostri tractus, tam sublimia de nobis existimatis, ut eremitarum nos vocabulo dignemini; & quod studio tuendæ utcumque sospitatis timidi assumsumus, religioni imputetis. Nos enim, tamquam rudes eremita, adhuc de crastino cogitamus; nec parum nos religiosos credimus, si de periculo instantis temporis vivi evadimus. Vos vero magis philosophantem eremitam dixerim, qui metum mortis intrepidus, juxta morientes securus vivitis.* His verbis designat Arnulfus tempus mortalitatis, qua multi Cluniacenses sublatis sunt, ut mox videbimus. Sequens epistola est alterius eremita, nomine Roberti, ad eundem Petrum priorem, in qua Robertus ait, tricripitem esse Parnassum suum, non tantum bicripitem, ut olim apud veteres poetas. Primum occupabant cucullati poetas, colorati nigro monachi, religionis, orationis, lectionis amatores. Hi montem medium incolebant. Reliqua duo Parnassi capita occupa-*

ANN. CHR.
1141.

bant alii, perpetuo silentio addicti, qui numquam nisi vocati vel excitati respondebant. Quo in loco posita fuerit hæc eremus, incertum. Quanta porro fuerit illius eremi fama & celebritas, testatur illius eremi alius alumnus, nomine Gislebertus, qui Petro itidem Pictaviensi, quem sancti Johannis, supple priorem, vocat, gratias agit, quod eremitarum nomine se suosque honoraverit. *Sed numquid sic dicere possim, inquit, quod & eremitam me fore * cognoscam? Re vera, sicut scribitis, silvas incolimus, & sæpe plus sunt nobis frondea recta arborum, quam lapidea seu latericia domorum. Nondum tamen illo modo eremitico facti sumus sicut passer solitarius in lecto. Illum etenim non tantum circumfusa nemorum opaca densitas, quantum ipsa longe remota mortalium societas solitarium faciunt. Nos autem quomodo solitarii sumus, qui postquam hujus eremi vastam solitudinem intravimus, tantam post nos hominum frequentiam traximus, ut magis urbem quam eremum struxisse videamur? Nam, ut illam turbam tumultuosam taceam, qua de tota circumposita regione pro litibus suis, aut sine concordia dirimendis, aut sententia judiciaria limitandis, catervatim confluit: tantam nobis tum transmarinus Oriens, tum transalpinus Occidens legatorum copiam mittit, ut vel cujuslibet magni regis amplissima cura vix responsa dare sufficiat. Unde igitur eremitarum nomen nobis imponitur?*

CXX.
Reclusus monachus dat Petrus.

a Petr. Ven. lib. 1. ep. 20.

Hæc & alia plura Gislebertus, qui tandem harum turbarum, quas in illa etiam eremo patiebatur, impatiens, in remotam cellulam se recludit, petiitque a Petro Venerabili, ut ipsi congrua reclusionis instituta præscribat. Eximia est hanc in rem illustri abbatis epistola^a ad Gislebertum, quæ, nisi prolixior esset, hic integra referri mereretur. Cellam ei proponit ut sepulcrum. *Hæc te mortali huic vitæ*, inquit, *non tantum mortuum, sed etiam sepultum sui conclusionem tibi ipsi assidue repræsentat. . . . Esti plurimi carnalibus actionibus moriuntur, nullus tamen ante carnis mortem, carnis sepulcrum ingreditur. Tu autem, ut vere te mundo ostendas mortuum, ipsum adhuc vivens intraisti sepulcrum. Sed attendendam tibi est, carissime, & omnimodis satagendum: ut, quod de te humana opinio existimat, hoc in te divinus oculus agnoscat.* In primis eum præmunit contra dæmonis tentationes, qui solitarios, & maxime reclusos bello persequitur. *Ingerit eis ex singularitate superbiam, ex otio desidiam, ex taciturnitate multiloquium, ex paupertatis timore avaritiam.* His tentationibus congrua ei proponit antidota, quæ vir Dei non minus pie, quam solide explicat. Non vult ut reclusus fiat alienorum bonorum dispensator, qui possessionem abjuravit propriorum. Oratione, tamquam præcipuo remedio contra omnia mala utendum esse dicit; sed longum esse non posse tempus orantis. Orationem meditatio sancta sequatur: cui lectionis divinæ suffragium adhibeatur. His omnibus succedat opus manuum: ut, cum spiritualibus rebus defatigata, cunctisque pondere a summo in ima dejecta mens labitur, non ad vaniloquia hominum; sed ad beatum corporis exercitium convertatur. Denique quod laboris genus recluso conveniat, explicans: *Plantari non possunt arbuscula*, inquit, *rigari nequeunt sata, neque aliquid ruralis operis exerceri, reclusionem prohibente: sed, quod est utilius, pro aratro convertatur manus ad pennam; pro exarandis agris, divinis litteris pagina exarentur.* Sic professio te eremitam, devotio faciet evangelistam. *Sic tu nec mortuus morieris, nec a vita deficiens a bono opere cessabis, quando operibus tuis ad vitam mortuos revocabis: tantoque tempore etiam post mortem tuam, apud Deum extendetur lucrum operum tuorum, quanto, ut ita dicam, durare potuerit vita librorum tuorum.* Quod si forte aut oculorum læsio, aut capitis dolor, aut tædium assidui laboris hunc interrumpere cogat: parvis aliis manuum exercitiis eum alternare & interpolare suadet. Nimius sum in his referendis: sed præstantissimi abbatis pietas & doctrina me rapit extra metas.

Ex superioribus^b intelligitur, multos tunc temporis Cluniacenses morte sublatis fuisse; idque testatur Petrus Venerabilis in epistola^c Cluniacensibus scripta, cum ipse foris versaretur, *Audivi, inquit, carissimi, & hoc antequam a vobis nuper recederem, ex parte videram, quod flugellum inundans per vos transitum habuit, quod plurima & pretiosa corporis nostri membra, peccatis nostris hoc promerentibus, iudicii divini gladius amputavit. . . . Ruunt super mortuos vivi, & super sepultum sepultor ipse procumbit. Nulla in qualibet ætate vitæ fiducia: mixti senibus juvenes, decrepitis adolescentibus corrumpunt, ipsique pæne pueri centenarios moriendo prævenerunt. Dolendum quidem omnibus de his est, sed super omnia mihi. Dein eos consolatur, & ad sollicitam salutis suæ curam hortatur: mortuos autem Deo, beatæ Deiparæ, & sanctis apo-*

CXXI.
Cluniacensibus complures mortui.
b supra n. 119
c Petr. Ven. lib. 4. ep. 39.

ANN. CHR.
1141.

stolis Petro & Paulo Cluniaci patronis commendat. Hanc epistolam scribebat Petrus, cum ad dominum papam certis de causis, ut ipse ait, festinaret.

CXXII.

Petri Pictavensis scripta.
a Bibl. Clun.
p. 607. & seqq.

Petrus ille Pictavensis, cujus mentio superius facta est, prior erat Monasterii-novi apud Pictavos, sancto Johanni-Evangelistae nuncupati; Petro Venerabili valde familiaris, ut mutuae utriusque epistolae testantur. Exstat laudatorium ejus carmen^a de Petro Venerabili, eidem oblatum, quando primum venerabilis abbas ad Aquitaniam secundam profectus est. Huic panegyrico praemittitur epistola ad eundem abbatem, ad cujus honorem versiculos illos adhuc juvenis se composuisse dicit eo tempore, quo se *de luto facis & de lacu miseria* eduxerat: quos tandem emendatos in capite epistolarum Petri Venerabilis se posuisse dicit. In hac epistola id excusat, quod nomen suum scriptis suis praefixerit, quod non arrogantiae studio, sed ex obedientia se fecisse ait: *praesertim cum sciam*, inquit, *multos probatae religionis & humilitatis viros hoc idem de quibuslibet scriptis olim studiose fecisse. Quos certe magis in hoc quantulumcumque opusculo nostro imitari affecto, quam quosdam nostri temporis scriptores: qui nescio qua vel cautela, vel imperitia, nomina sua supprimunt, incurrentes apocryphorum scriptorum vecordiam: qui sive de falsitate, sive de haeresi, ut fertur, sua omnia fermentabant, redargui fugientes, nusquam propria vocabula praetulerunt.* In fine Petrum abbatem valere jubet, qui ipsum *Christo Domino in secundo baptismo*, id est in monastica professione, genuerat. Sunt tamen aliquando causae probabiles, cur nomina sua reticeant auctores. Ad calcem panegyrici se purgat contra calumniatores, qui eum arguere poterant, quod viventem laudasset; idque multis sanctorum exemplis licere probat. In fine argumentum affert ex libro Tullii de re publica, ubi ait, *principem civitatis gloria esse alendum, & tam diu stare republicam, quamdiu ab omnibus honor principi exhiberetur.* cujus sententiae prima pars in philosopho ethnico toleranda, christiano minus convenit. Hunc porro Petrum Pictavensem tanti faciebat venerabilis abbas, ut ei scripta sua nonnumquam legenda & examinanda dirigeret. Id patet ex ipsius Petri epistola^b ad Petrum abbatem, in qua ejus libellum a se studiose lectum & relectum fuisse dicit, eumque ad scribendum hortatur: *cum scribendi studium speciali prerogativa*, inquit, *Cluniacenses abbates obtineant.* Ex his tamen excusatur Heimardus cum utroque Hugone, quibus illa eruditionis perfectio defuit; excusatur Mayolus, quia fortassis ad hoc vacuum tempus non habuit. *Vos autem*, inquit, *quam excusationem affertis, qui, si istis compareremini, solus inter eos linguam habetis?* Et re quidem vera Petrus Venerabilis ea praeditus erat dicendi facultate & copia, ut ejus comparatione multi ejus temporis scriptores elingues dici posse videantur. Unde in epistola^c ad Aimericum cardinalem & cancellarium, excusata epistolae prolixitate, queritur de feignitia modernorum, qui superfluum vocabant, quidquid cum eorum desidia non concordabat.

^b *ibid.* p. 607.
& seqq.

^c *Petr. Ven.*
lib. 1. ep. 34.

CXXIII.

Petrus alter
Cluniaci monachus.

^d *id.* lib. 2. ep.
54.

Alius a Pictavensi fuit Petrus ille, ad quem venerabilis abbas prolixam epistolam^d scripsit, conquerens, quod se deseruisset, & extorta permissione, ad quemdam montem, silvarum densitate circumseptum secessisset. In illa vero epistola testatur, quanta sibi cum illo familiaritas fuerit, quam frequens de rebus divinis confabulatio, quanta denique morum sibi cum illo convenientia. Sub finem epistolae ait sibi haec scribenti luctuosum supervenisse nuntium de obitu Gerardi, mirae in sacram eucharistiam devotionis monachi, cujus elogium ipse venerabilis abbas fuisse persequitur in libro II. de miraculis cap. VIII. ex quo nonnulla superius delibavimus. Fuerat is prior Nivernis in monasterio Salvatoris, tum apud Altum-jugum prope Cluniacum.

CXXIV.

Caritatis cellae
Radolium &
Pontis-fracti
monasterium.

Librum secundum de miraculis scribebat Petrus abbas post mortem venerabilis Humberti cardinalis episcopi Albanensis, quo vivente primum scripserat. In illo secundo libro mentionem facit capite xxxii. de secundo suo in Angliam itinere, deque regressu per Radolienae Briegii monasterium, quod ad Caritatem pertinet: ubi Bernardum Radolii priorem lecto decumbentem invenit, quem confessione facta absolvit, oleo sacro inunxit, & Christi corpore ad aeternam vitam refecit. De origine Radolienae monasterii actum est in tomo I.

^e *Pontis-fracti.*
^f *Monast. Angl.* no. 1. p.
648. & seqq.

Longe minus antiqua est ejusdem Caritatis cella Pontis-fracti^e in Anglia, quam Robertus^f de Laceio, nobilis Anglus, Willelmo II. regnante, in agro Eboracensis, in praedio suo *Byrkebi* sub patrocinio S. Johannis-Evangelistae condidit, & monachis de Caritate, propter bonum odorem & famam Ordinis Cluniacensis subjecit. Tunc Ca-

ritatis prior erat venerabilis Wilencus, qui praedicto Roberto monachos ad domum illam regulariter custodiendam transmisit, & sigillo suo Ordini Cluniacensi, & eidem ecclesiae de Caritate confirmavit.

ANN. CHR.
1141.

In eadem cella Turstinus Eboracensis archiepiscopus monasticum habitum sub finem vitae induit. Hic, ubi vitalem in se virtutem tepescere sensit, res domus suae disposuit, ut tradit Simeon^a Dunelmensis; convocatisque in sua capella Eboracensis ecclesiae sacerdotibus, facta coram eis sollemniter confessione, coram altari nudus humi expositus, corporalem disciplinam profundis lacrymis ab eis accepit. Tum, memor voti, quod juvenis olim apud Cluniacum fecerat, ad monasterium Pontis-fracti, deducuntibus eum ecclesiae suae primoribus, profectus, die conversionis S. Pauli, habitum & benedictionem monachi sollemniter suscepit, & residuis vitae suae diebus, de animae suae salute serio cogitavit. Ibidem vero perstitit usque ad octavum idus Februarii, qui eo anno in feriam quintam incidebat. quo die, circumstantibus eum ecclesiae suae majoribus, virisque religiosis, imminente exitus sui hora, ipse vigiliis profunctis celebravit, nonam lectionem ipse legit, versum responsi subjunxit; finitisque laudibus, convocatis monachis & orantibus, reddidit spiritum, anno archiepiscopatus sui vicesimo-sexto cum mensibus sex, & in ecclesia sancti Johannis-Evangelistae ante majus altare condigno honore sepultus est. Ejus obitum referunt veteres scriptores Anglici omnes ad annum MCXL. itidemque recentiores. Sed referendus est ad annum sequentem secundum novum calculum, quo anno feria quinta cum octavo idus Februarii coincidebat, & Turstini pontificatus annus viciesimus-sexto cum dimidio effluxerat. Post ejus mortem toto anno de eligendo successore disceptatum est. Electus est primum, persuadente legato Henrico Wintoniae episcopo, Stephani regis nepos Henricus de Coilli: sed quia praefuit abbatiae Cadomensis, ait Simeon, ejus electioni Innocentius papa consentire noluit nisi priorem honorem abdicaret. Quid inde consecutum sit, anno sequenti videbimus. Henrici de Coilli nulla mentio in serie Cadomensium abbatum, in qua tunc Alanus abbas, ex Fontanella assumtus, S. Stephani monasterio praefuisse memoratur.

CXXV.
Turstinus archiepiscopus illic monachus obit.
^a *X. Script. p.*
267.

Tunc temporis prior Caritatis erat Theotardus, Oldrici successor, qui officii sui dimissionem a Petro Venerabili anxie flagitavit, causatus infirmitates suas, quae ipsum exsequendo muneris, ut aiebat, omnino imparem reddebant. Egregia est Petri abbatis ad eum^b responsio, optimo patre digna. *Audito quidem te*, inquit, *de difficultate pastoralis officii conquerentem: sed video te ipsum tibi causas ipsius difficultatis inferentem. . . Dum enim etati non parcis, dum assiduo labore te conficis, dum corpus morbis innumeris conquassatum magis ac magis indiscrete vivendo conteris; universa haec, quae a me tibi sunt objecta incurris.* Tum, proposito Apostoli exemplo, qui Timotheum discipulum admonebat, ut ad exsequendum praedicationis officium corpori sobrie provideret; haec subdit pius abbas. *Posse & tu, qui de impossibilitate causarum, injunctum officium implere, si, ut discipulus Veritatis, acquiesceres obedire. Si, inquam, precepto patris obedire, si fratrum caritati velles obtemperare, & crimen inobedientiae effugeres, & impositum regimini, quantumlibet grave, onus ferre praevales. Nec mireris me crimen inobedientiae nominasse. . . Mandavi quippe saepius, ut propter nimiam, quam ipse fateris, morborum incommoditatem, a conventu, aliorum infirmorum more, paululum secedens requiesceres; nec fecisti. Jussi, ut paullo remissionibus alimentis utereris, nec obedisti. Praecepisti, ut dispositioni fratrum, quantum ad infirmitatis tuae levamen pertinebat, obtemperares; nec audisti. In quo fraternae caritatis contemtu non parum te deliquisse, si bene perpendis, recognosces. . . Jam hoc non est servum Domino servire non posse, sed nolle.* An ex tam piis monitis profecerit Theotardus, incertum. Exstant duae^c ejus ad Petrum Venerabilem epistolae, quae hanc praecedunt. Rainaldo ejus successori Adrianus IV. monasterii bona & privilegia confirmavit anno MCLVI. De Rodulfo Rainaldi successore inferius agendum.

CXXVI.
Theotardus Caritatis prior & alii.
^b *Petr. Ven.*
lib. 2. ep. 6.

^c *ibid.* ep. 4.
& 5.

Mirum est quanta fuerit primis illis temporibus Cisterciensium circa regularium institutorum puritatem teneritudo. Monasterium S. Anastasii ad Aquas-Salvias prope Romam, cui Bernardum Pisanum anno superiore praefectum fuisse superius^d diximus, in loco magnopere insalubri positum erat. unde factum est, ut primi ejus loci monachi frequentibus morbis obnoxii essent. Nemo, quantumvis religiosus, dubitasset, utendum esse medicinae remediis. Verum ea Bernardi Pisani religio erat, ut consulendum hac de re S. Bernardum censuerit. Quis non putasset, virum Dei sta-

CXXVII.
Bernardus sententia de usu medicinae.
^d *supra n. 21.*

ANN. CHR. 1141. Bern. ep. 345. tim responsum id licere? Ast longe alia fuit sancti Doctoris sententia. Huc spectat ejus epistola ad fratres de S. Anastasio, quos primum laudat ob eorum in religiosa disciplina studium, eosque hortatur, ut solliciti sint circa custodiam ordinis, id est institutorum Cisterciensium, ut Ordo, inquit, custodiat vos. Tum ad propositam quaestionem sic respondet. *Ceterum unum quidem a me petiit venerabilis abbas vester, quod mihi minime bonum videtur. Credo autem quod & ego spiritum Dei habeam, & consilium Dei in hoc. Scio equidem quod in regione habitetis infirma, & multis aliqui ex vobis laborant infirmitatibus. Sed mementote quis dixerit: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. &, Cum infirmor, inquit, tunc potens sum. Compatior utique, & multum ego compatior infirmitati corporum: sed timenda multo magis, ampliusque cavenda infirmitas animarum. Propterea minime competiit religioni vestrae medicinas quaerere corporales; sed nec expedit salutem. Nam de vilibus quidem herbis, & quae pauperes deceant, interdum aliquid sumere, tolerabile est, & hoc aliquando solet fieri. At vero species emere, quaerere medicos, accipere potiones; religioni indecens est, & contrarium puritati, maximeque Ordinis nostri, nec honestati congruit, nec puritati. Haec communem mortalium captum adeo superant, ut homines caelestes fuisse oporteat, qui sic se gesserint. At, inquis, Bernardus ipse medico usus est, atque medicinis. Verum id factum urgente Willelmo de Campellis Catalaunensi episcopo, qui hanc facultatem a capitulo Cisterciensi extorserat. At bone Deus! quali medico, qualibus remediis! iis certe, quae brutis magis quam homini convenissent. Denique da mihi alterum Bernardum, & sicut ille de Timotheo dixit, ego cibo eum, si vis, etiam auro, & poto balsamo.*

CXXVIII. Monachi indisciplinati fuga. Tales cum essent illi Bernardi Pisani monachi, inventus est tamen unus ex illis, si tamen unicus, qui multum molestiae ei attulit. Dissimulavit aliquamdiu, & patienter tulit piissimus abbas hominis pravos mores, & factas sibi injurias: sed tandem, cum ejus petulantia ultra modum cresceret, eam regularibus poenis reprimere conatus est. At nihil illi adhortationum fomenta, nihil correptionum remedia profuere: ac demum e monasterio recessit, confessus impudenter, se non amore propagandi ordinis, sed Romae contemplandae studio illuc profectum fuisse. Digna lectu est Bernardi Pisani hac de re ad S. Bernardum epistola, Bernardinis in nova nostra editione subiecta: in qua indisciplinati monachi initia, progressus, mores denique omnes; necnon pii pastoris erga morbidam ovem caritas & patientia egregie describuntur.

CXXIX. Lerino & Rivipullo factae donationes. Hoc anno Josephus abbas insulae de Albenco seu de Gallinaria, ejusdemque loci monachi concesserunt Deo & S. Honorato Lerinensi & Fulconi ejusdem loci abbati, sub annuo censu decem solidorum S. Leontii ecclesiam, sitam in territorio Calliani, quam praedicto insulae Albencae monasterio quondam donaverat Gaufridus episcopus Forojulienensis. Eidem Fulconi abbati se beneficos quoque exhibuere Bertrannus Forojulienensis tunc episcopus & Imbertus Glandatensis, necnon Ansoffus seu Hildefontus comes Tolofanus.

Insignem quoque munificentiam ac devotionem in Rivipullense Cataloniae monasterium praebuit Raimundus Barcinonensis comes & regni Aragonum administrator, is, cui Ranimirus ex monacho rex filiam suam Petronillam conjugio copulavit. Hic enim praecipuum hoc anno edidit de sepeliendo corpore suo in illo monasterio, cui ob eam causam contulit alodium suum in parochia sanctae Caeciliae de Mallo sive in villa *Mulnars*, in comitatu Bisuldinensi, cum suis adjunctis. Actum est hoc XVI. kal. Martii, anno ab incarnatione Domini MCXLI. quarto autem regni Ludovici junioris. quo in praecipuo Raimundus non se regem, sed principem tantum Aragonensem dicit. His litteris adscripta sunt signa Berengarii-Raymundi comitis Provinciae, multorumque procerum, qui fratris ejus filius erat; Raymundi-Aufonensis episcopi, Arnaldi Barcinonensis, & Berengarii Gerundensis episcoporum. Obiit anno MCLXII. Raimundus rex ille Aragonum, & in Rivipullensi, ut praecipuerat, monasterio sepultus est. Successit in patris honores Hildefontus seu Hildefontus ejus filius, qui eidem praecipuo seu testamento post mortem patris jam rex Aragonum subscripsit. Rivipullensibus praerat saltem anno MCXLIV. Petrus abbas, quo anno Berengarius ille Gerundensis praeful ecclesiam S. Mariae de Moione dedit.

CXXX. Fiscamno subiecta Blangia- [Circa annum MXXXI. Rogerius comes castri quod dicitur S. Pauli, cum conjugue sua quae dicebatur *Hadais* & filiis *Manasse* & *Roberto* Fiscamneni monasterio donum

ANN. CHR. 1141. cenfis S. Berthae abbatia. c Tom. I. Anecl. p. 153. 395. 1302. donum fecit abbatiae S. Berthae in loco qui dicitur *Blangiacus*, ea videlicet ratione, ut qui eam administraret abbas ex Fiscamneni coenobio assumeretur. Consequenter Johannes, qui Willelmo sanctissimo abbati primo Fiscamni successerat, accepto dono, precibus venerabilis comitis Rogerii acquiescens, abbatem ex suis instituit, ea videlicet ratione, ut praedictus comes eundem locum, quem diu destructum atque desolatam pro sua suorumque salute iterum cepit instaurare, non negligat: sed quantum, Deo annuente, valuerit, ad laudem Dei nobilitet & componat, & quamdiu locus ita duraverit, & Fiscamnense coenobium a regulari tramite non exorbitaverit, hic quem modo elegimus, nullum habeat successorem, nisi quem ex seipsis Fiscamnenfes fratres elegerint juxta canonicam & apostolicam ordinationem. Anno vero MCXLI. Hugo Caudavena comes S. Pauli, domini Henrici Fiscamnenfis abbatis amici & cognati sui petitionibus admonitus, ecclesiae Fiscamnenfis in Blangiacensi ecclesia jus antiquum & pristinam dignitatem, quam praedecessores sui temporibus antecessorum meorum, inquit, habuerunt recognovi & concessi. Actum est hoc apud Blangiacum anno incarnationis Domini MCXLI. Ludovico rege Francorum, Milone episcopo Tarvanensi. Subsistebat adhuc anno MCCXCVII. illa Fiscamno abbatiae S. Berthae Blangiacensis subjectio, quo Hugo S. Pauli comes eam confirmavit.]

Ab eo tempore celebris esse coepit Hildegardis virgo, tum ob ipsius sanctitatem, tum ob revelationes, quas ab hoc anno per subsequentes decem annos caelitus sibi factas fuisse ipsa scribit. Haec in villa *Bikelheim* dioecesis Moguntinae in Spanheimensi pago exeunte saeculo praecedente nata, quinquennis Deo a parentibus oblata est. Necdum annos quindecim attingerat, cum in monte sancti Disibodi, ubi monachorum coenobium erat, cum aliis duabus inclusa est sub disciplina beatae Juttae, quae illas sanctis institutis informavit. De his omnibus agit Dodechinus ejusdem loci exeunte saeculo duodecimo abbas ad annum MCXXXVI. his verbis *Obiit divinae memoriae domina Jutta, quae viginti-quatuor annis in monte S. Disibodi inclusa, soror Meginhardi comitis de Spanheim. Haec sancta mulier inclusa est kalendis Novembris, & aliae tres cum ea, scilicet Hildegardis, & suimet vocabuli duae, quas etiam, quoad vixit, sanctis virtutibus imbueret studuit.* Post mortem beatae Juttae, Hildegardis permissu Cononis abbatis ad locum, qui Binguia dicitur, cum sociabus se recepit, ibique monasterium juxta Nahum fluvium e regione Binguui opidi construxit, ubi octodecim virginibus praefuit. Hoc autem anno MCXLI. cum esset annorum quadraginta-duorum & septem mensium visis caelestibus jam ante assueta, amplius illustrari coepit; & cum litterarum expertus esset, solumque psalterium ante didicisset, repente intelligentiam sacrorum librorum affecta est, ut ipsa testatur in libro suarum revelationum, quem *Scivias* appellavit. *Factum est, inquit, in millesimo centesimo quadagesimo-primo filii Dei Jesu Christi incarnationis anno, cum quadraginta-duorum annorum, septemque mensium essem, maxime coruscationis igneum lumen, aperto caelo veniens, totum cerebrum meum transfudit, & totum cor, totumque pectus meum, velut flamma nec tamen ardens, sed calens, ita inflammavit, ut sol rem aliquam calefacit, super quam radios suos ponit, & repente intellectum expositionis librorum, videlicet psalterii, evangelii, & aliorum catholicorum, tam veteris quam novi testamenti, voluminum sapiebam. Non autem interpretationem verborum textus eorum, nec divisionem syllabarum, nec cognitionem casuum aut temporum habebam: virtutem autem & mysterium secretarum & admirandarum visionum a puellari aetate, scilicet a tempore illo, cum quinquennis essem, usque ad praesens tempus, mirabili modo in me senseram, sicut adhuc, quod tamen nulli hominum, exceptis quibusdam paucis & religiosis, qui in eadem conversatione vivebant, quae & ego eram, manifestavi.* Has porro visiones non in somnis, sed sibi vigilanti factas fuisse asserit; easque propter malam hominum opinionem scribere recusavit, quousque flagello Dei in lectum ex aegritudine depressa, suasu cujusdam nobilis ac pie puellae & religiosi cujusdam viri, eas litteris mandare compulsus est. Mox viribus receptis, opus istud decem annis absolvit. *In diebus autem Henrici Moguntinensis archiepiscopi, inquit, & Conradi Romanorum regis, & Cononis abbatis in monte S. Disibodi pontificis, sub papa Eugenio haec visiones & verba facta sunt.* De his inferius.

In Laureshamensi Spirensis dioecesis monasterio hoc anno Baldemarum a Blidentadensis abbas privatur Laureshamensi praefectura, quam simoniace invaserat. In eum sententiam tulit Theotwinus seu Theodewinus, S. Rufinae episcopus cardinalis. *Annal. Bened. Tom. VI.*

CXXXII. Lis de Laureshamensi abbatia. a V. lib. 74. m. 140.

lis & apostolicæ sedis legatus, relatum in chronico Laureshamensi. Interjecto dein unius circiter anni spatio Folcmandus ex præposito *Aldenmunster* abbas a fratribus postulatur. Hunc apud apostolicam sedem infectatus est Baldemarus, qui post multas in Romana curia conflictationes, a Laureshamensi abbacia tandem exclusus, & a Blidenstadeni ad tempus suspensus est. Folcmandus vero, quem ille simoniæ insimulaverat, causam suam dicere jussus est coram Folmaro Hirfaugiensi & Adamo Eberacensi abbatibus, quibus eam Cælestinus II. discutiendam commiserat. Interim, defuncto Cælestino, expurgatorias ad Eugenium III. litteras pro Folcmando scripsere illi abbates: in quorum præsentia, simulque abbatum Ottenheimensis & Gotesaugiensis, necnon legatorum Spirensis episcopi, cum nullus objectum crimen probaret, ipse Folcmandus abbas *in quinta manu fratrum suorum probatissimorum se expurgavit*. Accessit etiam testimonium legatorum Conradi regis, qui per eos litteris attestatus est, se nihil unquam præmii a Folcmando accepisse. Quam ob rem prædicti abbates ab Eugenio petunt, ut ille in abbacia confirmetur, quod & factum est. adeo ut Folcmandus ipse privilegium ab Eugenio III. in Remensi concilio impetraverit.

CXXXIII.
Ufnaugie deditio.

Idem qui supra Theodewinus cardinalis & legatus, cum forte Einsidlam religionis causa adiisset; precibus Wernheri abbatis fratrumque ejus loci, proxima post assumptionem Dei-genitricis die, Ufnoviæ ædem, quam Regulinda ante aliquot annos extruxerat, in honorem sanctissimæ Trinitatis, sub patrocinio Deiparæ virginis, sancti Michaëlis, & apostolorum Petri & Pauli sollempni ritu dedicavit, concessis indulgentiis iis omnibus, qui ad illam die festo sanctissimæ Trinitatis in posterum convenirent. Wernherus abbas postero anno e vivis excessit.

CXXXIV.
Chiemensi parthenoni datum privilegium.
a lib. 25. n. 40.
b Hund. 10. 2.
p. 241.

Actum est in secundo tomo^a nostrorum Annalium de Chiemensi beatæ Mariæ puellari monasterio, quod Tassilo dux Bajoariæ in episcopatu Saltzburgenfi condidisse traditur. Huic loco tunc præerat Mathildis abbatissa, quæ apostolicæ tutelæ privilegium^b ab Innocentio II. adepta est, datum Laterani XIII. kal. Maii hoc anno, indictione IV. Mathildi abbatissæ successit Walpurgis, cui Otto Frisingensis episcopus quasdam ecclesiarum portiones, quas illius parthenonis monachæ in suo episcopatu possidebant, anno MCLVI. confirmavit. Ejus hac de re litteris subscribitur cum aliis Guntherus abbas *de Munster*, & Lotharius abbas *de Rothe*. Sequentium abbatissarum nomina videtis apud Hundium.

CXXXV.
Monasterii Rotenses & Rotenses abbates.
c lib. 42. n. 26.
d Hund. 10. 2.
p. 519.

Guntherus hic laudatus, abbas *de Munster* dictus, videtur præfuisse illi cœnobio Ratisponensis diocesis, quod proprie *Monasterium* vocatur, de quo in tomo tertio^c egimus. Hoc cœnobium religione, rebusque destitutum instauravit Otto Babenbergensis episcopus, eique præficiendum curavit Richardum abbatem, ex Pruevingensi monasterio educum, cui Innocentius II. amplissimum diploma^d indulgit, datum Laterani VII. kal. Martii, anno incarnationis dominicæ MCLXI. secundum veterem calculum, pontificatus anno XIII. indictione V. non VI. ut fallunt editi. Ad hoc impetrandum privilegium plurimum contulere litteræ, tum Conradi^e Saltzburgenfis episcopi, tum Theodewini cardinalis ad Innocentium: quibus pontificem obsecrant, ut fratrum ejusdem loci preces benigne audiat, & apostolicæ tuitionis gratiam implorantibus concedat: ut monasterium, religione quondam & opibus illustre, ab interitu resurgere valeat, & a prædonibus ablata bona recuperare. Richardo abbati^f ab instauracione primo successit, haud scio an proxime, Guntherus superius laudatus: de quo nihil invenio in monumentis ab Hundio relatis: in quibus habetur pontificium diploma Lucii III. *Hartvico abbati S. Petri, siti in loco, qui vocatur Monasterium, ejusque fratribus*, datum anno MCLXXXIV. pontificatus ejus anno IV. Nec plura de hac abbacia. Ad Rotense monasterium quod attinet, de ejus origine & abbatibus nonnullis in superioribus^g actum est, ubi de Lothario abbate mox laudato, cui Eugenius III. privilegium concessit.

e ibid. p. 523.
f seq.

g lib. 64. n. 48.

Per id tempus Vicelinus, Sigisbergenfis primus monachus, dein Aldenburgenfium^{*} in Holfatia episcopus, idolorum reliquias apud Sclavos & Wandalos evertisse dicitur, & incolas ad fidei veritatem reduxisse.

* Aldenborg.
ANN. CHR.
1142.

CXXXVI.
Cistercienses Eboracensi electo obfistunt
g supra n. 125.

Post mortem Turstini Eboracensis archiepiscopi, rejecta electione Henrici *de Coilli*, ut superius^g dictum est, anno sequenti ejus sæculi quadragesimo secundo ineunte de nova electione tractatur, & in Willelmum thesaurarium plurimi con-

sentiant: cujus electionem rex Stephanus confirmavit. Obstitere nihilo minus haud pauci, in his Willelmus abbas Rievallis, Richardus abbas Fontanensis secundus ordinis Cisterciensis, alique, a Simeone Dunelmensi memorati, propterea quod pecuniæ sponfione viam sibi ad honorem fecisse insimularetur. Favebat electo Henricus episcopus Wintoniensis, a quo ille Romam ad papæ audientiam perducitur. Illuc etiam pergunt ejus adversarii Rievallenses seu Fontanenses, quos S. Bernardus litteris^a pontifici commendavit. Causam in partibus dirimendam Innocentius commisit Henrico episcopo, qui eum post biennium purgavit, & consecravit. quæ de re Bernardus^b Willelmum Rievallensem abbatem consolatur, spiritum consilii & fortitudinis ei apprecatur. *Audivi*, inquit, *quod factum est de archiepiscopo illo, de quo plurimum doleo. Propterea sciens zelum vestrum, ne forte plus justo ferreat, temperamentum scientiæ non admittens, quod nec ordini nostro convenit, nec domui vestræ necessarium est; dignum duxi consolatoria scribere vobis: quoniam satis equanimiter portanda sunt cetera, quandoquidem non nos arguit propria conscientia... Restitistis quoad potuistis: jam secundum Augustini sententiam, non vos inquinat alienum malum, quandoquidem non consensistis corde, & ore redarguistis.* Ceterum de ordinibus & sacramentis ab illo archiepiscopo conferendis Willelmum abbatem admonet vir sanctus ea valere, *quoniam qui baptizat, ipse & sacrat Christus Dominus, pontifex animarum nostrarum.* Non diu tamen dignitate potitus est Willelmus, qui demum ab Eugenio III. in ordinem redactus est, ut suo loco dicturi sumus, & ejus loco substitutus Henricus *de Muldach*, tunc abbas Fontanensis post Willelmum.

a Bern. ep. 346.
b id. ep. 355.

Ad hunc annum pervenisse videtur Gilo cardinalis-episcopus Tusculanus ex monacho Cluniacensi, qui Anacleti^c partes sectatus fuerat. Quidam opinantur, Hugonem canonicum regularem S. Victoris apud Parisios, virum doctrina & pietate insignem, post Gilonem electum fuisse episcopum Tusculanum: at desunt veterum testimonia, quibus id probetur: certumque est Hugonem absque ulla ecclesiastica dignitate in suo monasterio decessisse, ut mox videbimus. Giloni itaque subrogatus est ab Innocentio papa Imarus seu, ut alii scribunt, Ymarus, monachus primum apud S. Martinum de Campis sub Matthæo priore, dein Caritatis ad Ligerim prior, tum Monasterii-novi apud Pictavos^d prior; ac demum Tusculanensis episcopus, qui a Lucio II. in Angliam missus, prædicto Willelmo Eboracensi archiepiscopo pallium detulit, ut tradit Simeon Dunelmensis, a quo Hicmarus vocatur, Igarus a S. Bernardo dictus, ad quem tres^e exstant ipsius Bernardi epistolæ, cum Alberico Ostiensi & Stephano Prænestino communes: quarum una est pro Metrensi ecclesia, altera pro Radulfo Latiniacensi abbate, tertia pro abbate S. Theotfredi. Verum priora religionis & dignitatis decora sœdavit Imarus, Victorem antipapam secutus contra legitimum pontificem Alexandrum III. in cujus tamen gratiam rediisse dicitur ante obitum, qui anno MCLXVI. contigit, testante Johanne Sarisburiensi in epistola CLX. ad episcopum Exoniensem. Hic in reditu ex Italia in Galliam a prædonibus Placentinis spoliatus, Cluniacum se recepisse, ibique mortuus ac sepultus fuisse traditur.

CXXXVII.
Giloni Tusculano episcopo successit Imarus.
c supra n. 4.

d V. lib. 73. n. 51.

e Bern. ep. 219.
f supra n. 232.

Ibidem Petrus-Abaelardus biennio vixit post concilium Senonense, in quo damnati^f fuerant ejus errores. Illic, cum Romam appellatione facta tenderet, a Petro Venerabili retentus, pristina vitæ errata religiosis exercitiis expiavit, & famæ damnæ insigni modestia & pietate reparavit. Præclarum de eo testimonium reddit idem venerabilis abbas in epistola^g ad Heloissam Paracliti abbatissam scripta, in qua ejus obitum illi nuntiat, eumque sic laudat, ut, vir alias eximie probitatis & fidei, modum excessisse videatur his verbis. *Nisi enim fallor, non recolo vidisse me illi in humilitatis habitu & gestu similem, in tantum, ut nec Germanus abjectior, nec ipse Martinus bene discernenti pauperior appareret. Cumque in illo magno fratrum nostrorum grege, me compellente gradum superiorem teneret, ultimus omnium vestitu incultissimo videbatur.* Mitto alia ejusdem elogia, quæ idem venerabilis abbas prosequitur, jugitatem in oratione, in lectione & sacro missæ sacrificio. tum hæc subdit. *Tali nobiscum vir simplex & rectus, timens Deum & recedens a malo; tali, inquam, per aliquantum temporis conversatione ultimos vitæ suæ dies consecrans Deo, p. usandi gratia (nam plus solito scabiæ & quibusdam corporis incommoditatibus gravabatur) a me Cabillonem missus est. nam propter illius soli amœnitatem, qua cunctis pæne Burgundiæ nostræ partibus præeminet, locum ei habilem, prope urbem quidem, sed tamen*

CXXXVIII.
Abaelardus obit apud S. Marcellum.
f supra n. 67.

g Petr. Vener. lib. 4. ep. 21.

ANN. CHR.
1142.

Arari interfluente, provideram, nempe in monasterio S. Marcelli, quæ cella est Ordinis Cluniacensis. Ibi, juxta quod incommoditas permittebat, antiqua sua revocans studia, libris semper incumberebat: nec, sicut de magno Gregorio legitur, momentum aliquod præterire sinebat, quin semper aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut diceret. Tandem, ad solvendum commune mortalium debitum, morbo correptus, eoque ingravescente in brevi ad extrema perductus est. Tunc vero quam sancte, quam devote, quam catholice, primo fidei, dehinc peccatorum confessionem fecerit; quanto inhiantis cordis affectu Viaticum peregrinationis ac vitæ æternæ pignus, corpus scilicet redemptoris Domini acceperit; quam fideliter corpus suum & animam hic & in æternam ipsi commendaverit, testes sunt religiosi fratres, & totus illius monasterii, in quo corpus sancti martyris Marcelli jacet, conventus. Sic Abaelardi obitum describit Petrus Venerabilis, qui ejus epitaphium itidem scripsit, in quo ait eum obiisse

undenas Maio revocante kalendas.

quo die in necrologio Dionysiano notatur, uti & in Paraclitensi, in quo anno ætatis sexagesimo-tertio decessisse memoratur.

Hic vivens petierat, ut suum ipsius corpus post obitum in Paraclitensi cœmeterio humeretur. Ita enim ille scribit in epistola III. ad Heloissam. *Quod si me Dominus in manibus inimicorum tradiderit, scilicet ut ipsi prævalentes me interficiant, aut quocumque casu viam universæ carnis absens a vobis ingrediar; cadaver, obsecro, nostrum, ubicumque vel sepultum, vel expositum jacuerit, ad cimiterium vestrum deferri faciatis: ubi filia nostra, immo in Christo sorores, sepulcrum nostrum sæpius videntes, ad preces pro me Domino fundendas amplius invitentur.* Et quidem ejus corpus Petrus Venerabilis ipse deferri curavit, immo ipse gerulos comitatus est usque ad Paraclitense monasterium, uti Heloissæ^a ad eum epistola nos docet. In hac epistola

» Heloissa Petro abbati gratias agit quod ad suam parvitatem ejus magnitudo descendit; quod XVI. kal. Decembris apud Paraclitum missam celebraverit, & in capitulo sermonem habuerit: quod corpus Magistri (sic Abaelardum hætenus vocant Paraclitenses) ipsis dederit: quod se tam scripto quam verbo sororem vocare dignatus sit: quod denique tricenarium sibi defunctæ in Cluniacensi conventu pollicitus sit. In fine postulat ut aliud sibi sigillum, id est alteram epistolam sigillo obsignatam, mittat, quo in sigillo Magistri absolutio litteris apertis contineatur, ut sepulcro ejus suspendatur; meminertque Astralabii sui (id Abaelardi & Heloissæ filio nomen) ut aliquam ei vel a Parisiensi, vel alio quolibet episcopo præbendam procuraret. Ad has litteras respondit Petrus sub hac inscriptione: *Venerabili & carissimæ sorori nostræ Deique ancillæ Heloissæ, ancillarum Dei ductrici ac magistræ, gavissus, quod ipsius ad eas adventus non fuerit transitorius, & quod ipsius verba, quasi cælestia oracula exceperint ac memoriæ commendaverint. Forte, inquit, moverunt vos, ad illa sic retinenda, verba communis Regulæ, hoc est tam nostræ quam vestræ, quæ de hospitibus præcipit, ut Christus in eis adoretur, qui & suscipitur.* Tum tricenarii donum scripto sigillato confirmat, mittitque magistri Petri absolutionem, in charta similiter scriptam & sigillatam. Addit se Astralabio, etsi res difficilis sit, procuraturum præbendam, mox ut facultas data fuerit. Absolutio Petri Abaelardi his verbis concepta est. *Ego Petrus Cluniacensis abbas, qui Petrum Abaelardum in monachum Cluniacensem recepi, & corpus ejus furtim delatum Heloissæ abbatissæ & monialibus Paracliti concessi, auctoritate omnipotentis Dei & omnium sanctorum absolvo eum pro officio ab omnibus peccatis suis.* Sepultus est Abaelardus in crypta subterranea, & in eadem quoque humata est Heloissa, cujus obitus in necrologio Dionysiano sic notatur: XVII. kal. Junii Heloissa abbatissa. Nugas loquuntur, qui ex chronico Turonensi afferunt, Heloissam in ipso Abaelardi tumulo sepultam fuisse, & maritum ejus, qui multo ante eam defunctus fuerat, elevatis brachiis illam recepisse. Nugæ, cum non in eodem, quo ille tumulo, sed tantum in eadem crypta fatis ampla humata sit.

Ad Abaelardi scripta quod attinet, præter ea quæ in editis habentur, duo ejus opuscula præ manibus habemus, nimirum liber in Hexaëmeron Heloissæ nuncupatum; & liber, qui Sic & non inscribitur, in quo diversæ de unoquoque argumento sententiæ ex scriptura & patribus afferuntur. Insuper S. Bernardus præter librum ejus Theologiæ, qui vulgatus est, duos alios ejus libros memorat in epistola^b ad

CXXXIX.
Ejus corpus
in Paraclitensi
cœmeterio hu-
matur.

^a Abaelard. ep.
24.

CXL.
Ejusdem scri-
pta nondum
edita.

^b Bern. ep. 188.

ANN. CHR.
1142.

episcopos & cardinales curiæ. *Legite, inquit, si placet, librum Petri Abaelardi, quem dicit Theologiæ... Legite & alium, quem dicunt SENTENTIARUM; necnon & illum qui inscribitur, SCITO TEIPSUM; & animadvertite, quanta & ipsi silvescant segete sacrilegiorum atque errorum.* Negat tamen Abaelardus in Apologia sua, ullum a se librum compositum Sententiarum; ideoque hoc contra se per malitiam vel ignorantiam prolatum causatur. quod etiam a Bernardo ignoranter dictum Chesnius in notis asserere non dubitat, quasi libros Sententiarum editos ab alio Petro Lombardo qui Magister Sententiarum vulgo dicitur, Petro Abaelardo tribuerit. Verum Chesnius ipse ignoranter hoc dicit, cum libri Sententiarum a Petro Lombardo necdum compositi fuerint, cum hæc scriberet Bernardus, qui Petrum Lombardum probe noverat, utpote sibi a Lucensi episcopo commendatum; & quem ipse causa studii^a Parisius commorantem Gilduino abbati S. Victoris commendavit. Denique utrumque Abaelardi librum, quem Bernardus memorat, invenimus in codice Ratisponensi, quorum primus sic inscribitur, & sic incipit: INCIPIUNT SENTENTIÆ MAGISTRI PETRI ABAELARDI. *Tria sunt, ut arbitror, in quibus humanæ salutis summa consistit, scilicet fides, caritas & sacramenta, &c. constatque capitulis XXVII. quorum duo ultima sunt, de confessione peccatorum, & de operum satisfactione.* Alter vero hanc habet inscriptionem & hoc exordium: INCIPIIT LIBER MAGISTRI PETRI ABAELARDI, qui dicitur, SCITO TEIPSUM. *Mores dicimus animi vitia vel virtutes, &c.* Argumentum totius operis habes in Appendice cum quodam præludio duobus hisce libris præmissis, in quo ratio redditur, cur Petrus dictus sit Abaelardus. quod etsi forte non satis feruim quibusdam videri possit, tamen omittendum non esse existimavi. Ceterum Abaelardum monasticæ professioni maxime addictum fuisse probat ejus epistola contra quemdam canonicum regularem, qui monasticum ordinem deprimebat, & suum illi anteferebat. Idem etiam præstitit Rupertus abbas Tuitiensis.

Paullo ante id tempus Hugo de sancto Victore canonicus regularis apud Parisios, magister & doctor celebris, S. Bernardum consuluit super quibusdam questionibus, a quodam anonymo assertis & vulgaris, quæ sanæ doctrinæ adversari videbantur. Ubi suspicienda Hugonis de se modestia, & reverentia in Bernardum, quem consulit de dubiis, quibus ipse satis facere poterat. Hujus autem anonymi sententia erat, I. Baptismi præceptum obligasse, ex quo primum Nicodemo a Christo Domino dictum fuerat, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* II. Neminem absque baptismo, vel saltem ejus vice martyrio, posse salutem consequi. III. Patres veteris testamenti tam claram de incarnatione cognitionem habuisse, quam Christianos. IV. Nullum esse peccatum ex ignorantia. V. Bernardum errasse, cum scripsit in homiliis super *Missus est*, Dei consilium de incarnatione angelos latuisse. Ad hæc omnia accurate respondet^b Bernardus. Ad primum negat baptismi obligationem coepisse statim ab ejus propositione Nicodemo facta, sed tantum post sufficientem ejus ubique promulgationem. Ad secundum, in necessitatis articulo sufficere posse baptismum fide & voto susceptum, sicut & martyrium, quantum ad salutis spectat obtentum, non autem ad meriti cumululum, quo indubitanter martyrium antecellit. Ad tertium negat, patres veteris testamenti tam claram de incarnatione notitiam habuisse quam Christianos, quibus Christus ipse eam explicavit. Ad quartum peccatum ex ignorantia dari probat. Ad quintum denique suum de angelorum cognitione dictum explicat. Quis fuerit ille anonymus, incertum.

Hæc Bernardi epistola, quæ inter tractatus ejus seu opuscula relata est, scripta fuit ante hunc annum, quo Hugo a sancto Victore ex hac vita ad immortalem migravit, uti nos docet vetus codex^c Aquicinctensis ex quo ejus patriam etiam discimus, in hæc verba: *Anno ab incarnatione Domini MCLII. obiit dominus Hugo canonicus sancti Victoris III. idus Februarii, qui ex Iprensi territorio ortus, a puero exulavit, & hæc & plura alia sui ingenii monumenta reliquit.* Lothariensem eum vocat Robertus de Monte. Hugonis obitus hoc anno itidem refertur in chronicis Normanniæ ad calcem Orderici historiæ vulgaris. Si tamen constaret, eum obiisse feria tertia, & quidem III. idus Februarii, ejus obitus consignandus esset anno præcedente, qui littera E præditus erat. Præclara sunt quæ de ejus obitu refert Osbertus, qui ei ægrotanti & morienti adfuit. Post factam peccatorum confessionem, adorata cruce, quæsitum ab eo est, *utrum dominicum corpus vellet accipere. hoc quippe jam*

CXLI.
Hugo a S. Vi-
ctore Bernar-
dum consulit

^b Bern. ep. 190

Ejus obitus:

^c V. Analeth.
to. 1. p. 263. &
seq.

ANN. CHR.
1142.

nudius tertius sumserat. Ille vero sub admiratione respondit: Pro dolor! Salvatorem meum queritis, an velim accipere! Ite cito, & asserite mihi. Cumque dominicum corpus allatum fuisset, ceperunt adsistentes dubitare, ne forte, quia valde debilis erat, dominicum corpus non posset accipere. At ille in praesentia dominici corporis roboratus, cum hoc sacerdos tanti sacramenti bajulus aspexisset, ait ad eum: Ecce Deus vester; adorare, & recognoscite eum. Tunc fidelissimus Hugo tota Spiritum-sanctum mente concipiens, & in adsistentes respiciens, utraque manu elevata, & protensis prout poterat brachiis, coram nobis omnibus ait: Adoro eum ut Dominum, & accipio ut Salvatorem meum. Quod ejus dictum adsistentibus clericis mirabiliter placuit, eosque in fide dominici corporis plurimum confirmavit. Cetera praetereo, tamen maxime conducibilia excitandae pietati: sed haec ad alios pertinent. Eidem Hugoni vulgo tribuitur liber de claustrum animae: at librum hunc esse Hugonis de Folieto inferius demonstrabimus. Fuit & alter Hugo canonicus de sancto Victore, quem Eugenius III. Sugerio abbati commendat.

a Suger. ep. 67.

CXLII.

Gaufridus episcopus Catalaunensis obit.

b Petr. Ven. lib. 2. ep. 43.

c supra n. 35.

CXLIII.

S. Wlframni ecclesia Cluniaco data.

CXLIV.

Roberto abbati Corbeienfi succedit Nicolaus.

* Morolii.

CLXV.

Morolienfe monasterium conditur.

In Belgica secunda mortuus est hoc anno Gaufridus seu Jofridus Catalaunensis e nostris, cum annis duodecim Catalaunensem ecclesiam recte administrasset, laudatus in necrologio S. Remigii Nensis vi. kal. Junii his verbis: *Obiit Jofridus Catalaunensis episcopus, qui dedit nobis altare Curtis-auforum.* Hunc praecipuo affectu colebat Petrus Venerabilis, ut patet ex epistola b ad eum scripta, in qua eum laudat uti *Cluniacensis, immo divini ordinis per totam Franciam primum disseminatorem, auctorem, provectorem; inveterati draconis de tot monasteriorum cubilibus expulso-rem, ac diurni somni & longi monastici torporis excitatorem. Quid & illud, inquit, quod cum tantae urbi non solum episcopum, sed & principem necessario vos esse oporteat; nihil de monacho pontifex vindicet, nihil de religione princeps usurpet, nihil de prisco ordine mandus furetur? Hoc est dicere, Gaufridum in illo pontificali culmine nihil de monacho detraxisse. Electus post eum Guido, cujus electioni non ante biennium assensit rex Ludovicus ob diffidia, quae habebat c cum Theobaldo Campaniae comite. qua de re Bernardus saepe conquestus est.*

Unus quoque ex praecipuis Petri Venerabilis amicis fuit Guarinus Ambianorum praeful, qui S. Wlframni collegiatam Abbatis-villae ecclesiam Cluniacensi monasterio concessit, ut in ea monachi canonicorum loco substituerentur, probante Innocentio II. qui id a Guarino factum ait *precibus & assensu illustris viri Guidonis comitis de Pontivo. Datum in monte Tiburtino per manum Girardi S. R. E. cardinalis ac bibliothecarii xiv. kal. Junii indictione v. hoc anno, Innocentii pontificatus anno XIII.* Ea res tamen effectu caruisse videtur. nam in hac ecclesia hodie quoque infigne est collegium canonicorum. Huic tamen concessioni biennio supervixit Guarinus, habuitque successorem Theodericum S. Eligii Noviomensem abbatem, quem huic mutationi contrarium fuisse parum veri simile est.

In veteri Corbeia Robertus abbas ineunte hoc anno, abbatialis dignitatis decimo-nono, rebus gestis clarus, mortalem cursum absolvit xi. kal. Februarii: cui Nicolaus de Morolio statim successit, sacri illius loci ex praeposito abbas tricesimus-secundus. Erat is ex praenobili stirpe ortus, patre Bernardo seniori, Morolii * dynasta, qui locus est Corbeiensis monasterii olim clientelaris, modo opidum, quatuor leucis Corbeia distans versus austrum ad fluvium cognominem. Inita praefectura, Nicolaus abbas statim privilegium amplissimum impetravit ab Innocentio II. aliudque post annos quinque ab Eugenio III. qui ambo omnes Corbeiensis monasterii possessiones & praerogativas confirmarunt. Idem abbas hoc ipso anno concordiam inuit cum Serlone abbate S. Luciani Bellovacensis super altari de Maneriis, de quo inter utrumque coenobium lis erat. Anno praefecturae Nicolai decimo Corbeienfe monasterium magna ex parte incendio conflagravit cum principe ecclesia, claustrum & palatio abbatis, cum vix anni quindecim ab ultimo ejus incendio effluxissent. quae omnia Nicolaus instauravit.

Bernardus senior Morolii dominus, Nicolai abbatis parens, pietatis suae argumentum non vulgare dedit, tum extruendo in honorem S. Vedasti dotandoque monasterio apud Morolium, tum amplectendo religioso instituto apud Corbeiam, ubi sub filio suo Nicolao claruit. Illud S. Vedasti monasterium principio tributum a conditore Britulienfi abbatiae cellae nomine, non multo post in abbatiam erectum fuit, aegre assentientibus ea lege Britulienfibus, ut ex eorum gremio Morolienfes

ANN. CHR.
1142.

abbates semper assumerentur. quod ut facilius permitterent, Bernardus ipse, loci conditor, primus abbas fuisse dicitur. In necrologio tamen Corbeienfi locum non habet inter Morolientes abbates, sed quatuor tantum alii nempe Petrus abbas *pie memoriae* vi. nonas Martii, Aegidius x. kal. Junii, Firminus v. kal. Augusti, & Stephanus, dictus Barba-Dei viii. kal. Octobris.

Redeo ad Nicolaum Corbeiae abbatem, quo petente, societatem cum monasterio Corbeienfi renovavit & confirmavit dominus Petrus *Silvae majoris abbas octavus, ad honorem & reverentiam venerabilis ac Deo dignissimi patris nostri, inquit Petrus, domni Geraldii hujus ecclesiae primi abbatis, quem de Corbeia novimus natum & monachum, nobis veneramur a Deo donatum & patronum.* Petrus iste, Silvae majoris octavus abbas, de Didonia cognominatus, successerat post annum MCXLII. Petro de Ambasia, de quo Silvae majoris necrologium haec habet xiv. kal. Maii, *Obiit dominus Petrus, hujus ecclesiae septimus abbas, beati Geraldii discipulus & capellanus. Facet in capitulo ex parte abbatis.* Ejus successori Petro de Didonia Alexander III. Silvae majoris bona & privilegia confirmavit, uti & Henricus II. rex Angliae & dux Aquitanorum cum Alienorde regina.

Apud Lemovicas in monasterio S. Augustini sub hoc tempore Philippo abbati subrogatur Petrus de Barri, sextus-decimus ab instauratione monasterii abbas, e Cluniacensi asceterio assumtus. Ad eum extat praefata Petri Venerabilis epistola, in qua eum a magnopere laudat, quod contra morem quorundam, qui de Ordine Cluniacensi ad ecclesiasticas dignitates promoti erant, Cluniacenses amare & honorare pergat. *Non estis securus, inquit, quosdam nostri temporis homines, qui de congregatione nostra, aut in abbatias assumti, aut episcopatus decorati, ut corpore, sic & mente, a nobis diffugiunt, ab amore suorum statim resiliunt, & velut abjecto gravi, quantum ad ipsos, monastici ordinis jugo, exultant. Ostendunt quo animo, dum humiles viderentur, Deo servierint: qui, data occasione ecclesiastici regiminis, totos se, quantum audent, Deo subtrahunt, mundo dedicant, & non sicut servi Dei, sed quasi velamen habentes malitiae libertatem, effrenes & praecipites, velut jam adepti quod diu optaverant, ubique discurrunt. Suos postponunt, alienos sectantur, nec jam, vel quo primum venerint, vel ubi manserint, vel unde exierint, recordantur. Non sic tu, ut audio, carissime, non sic plane tu facis, qui nostra tuis negotia semper anteponis: qui pro causis Cluniacensibus terminandis huc illucque discurras, & ad nutum nostrum vel nostrorum, republica nostra impugnatoribus te ubique audacter opponis. Unde gratias tibi multas agentes, pro certo noveris, quod plenam vicem dilectionis tibi rependimus, & locum tibi in recessibus animi nostri optimum conservamus.* Haec tenus Petrus Venerabilis de Petro S. Augustini abbate, qui claustrum marmoreum & fontes aedificasse dicitur in brevi chronico ejus loci abbatum, quod in Appendice referemus.

Idem postmodum translatus est ad abbatiam S. Martialis, quam tunc temporis rexere abbates religiosissimi, Amblardus scilicet, anno MCXLIII. denatus post regiminis annos viginti-octo; Albertus abbas per annos tredecim, & Petrus de Tiviers, cui successit Petrus de Barri mox laudatus. Horum aliorumque ejusdem loci abbatum commemoratio habetur in tomo secundo Bibliothecae novae Labbeanae.

Quanta fuerit tunc religio sancti Martialis monachorum, idem Petrus Venerabilis nos docet in epistola b *Venerandis & dilectis fratribus nostris apud Lemovicas Deo & sancto Martiali ejus & suo apostolo servientibus* inscriptam. Tanti viri libenter ipsa verba usurpo, utpote quae longe efficacius delectant ac movent quam mea. sic autem loquitur. *Exultavit cor meum in Domino, non quidem nunc videns, sed audiens conversationem vestram, & famam ord. nis Deo & hominibus caram. . . Nam, ut opinio mea fert, a Cluniaco nostra usque ad Pyrinos illos, qui Gallos ab Iberis dividunt, nullum Cluniacensis, vel cuiuslibet antiqui ordinis monasterium novi, ubi tam firmiter, tam constanter, tam inconcussa, traditus a patribus ordo hucusque vigerit, & inter frementes Lemovicini territorii bestias, earumque feroces ructus, indiffesse instituta servaverit. Ea de causa, ut dixi, de bono nomine vestro magis, quam de quorundam aliorum gaudeo. . . De cetero, carissimi, sincero affectu precor ac moneo vos in Domino, ut bona, quae de vobis dicuntur, melioribus incrementis adaugere curetis: quia numquam servis Dei deesse debet affectus proficiendi, quos semper sollicitos in Dei ore reddere debet timor deficiendi. Nam, ut magnus Leo papa ait, Humanus animus, sicut semper potest habere quo recidat, ita potest habere quo crescat. Pudeat vos, vestrique ordinis om-*

CXLVI
Silvae majoris
societas, & ab-
bates.CXLVII.
Petrus abbas S.
Augustini Lem-
ovicensis.
a Petr. Ven. lib.
5. ep. 1.CXLVIII.
S. Martialis ab-
bates.CXLIX.
Ejus loci mo-
nachorum flo-
rens religio.
b id. lib. 6. ep.
13.

ANN. CHR. 1142. nes, in religionis monastica observantia quibuslibet novis inferiores videri: ne contra Domini verba sit, quod absit, discipulus super magistrum; ne, de fonte vestro alii haurientibus, vos sitiatis; ne de mensa vestra alii saturis, vos jejuni permaneatis. Noctis enim, quod fere quidquid religiosi propositi nostri sæculi novi homines, id est Cistercienses, alique habere videntur, a vobis principium sumsit, a vobis materiam, formamque suscepit. Currite igitur non segnus quibuslibet viam mandatorum Dei. Nemo vos in currendo præveniat; nemo bræviam bene currentibus propositum vobis subripiat. Hæc tam præclara mihi visa sunt, ut ab iis saltem carptim illa epistola referendis abstinere non potuerim.

CL. Cluniacenses arguuntur ob esum carniū. id. ibid. ep. 15. Longe alia Petri Venerabilis mens fuit de quibusdam sui Ordinis monachis, qui carnis impune vescabantur; nec paucos tunc id genus, sed quamplurimos fuisse satis innuit inscriptio illius argumenti epistolæ, quæ sic habet: *Venerandis & dilectis fratribus nostris, tam Prioribus, quam custodibus Ordinis ubicumque constitutis.* Hoc argumentum tanti momenti est in rem nostram, ut potiora illius epistolæ fragmenta omittere nefas duxerim. *Relatum est mihi*, inquit piissimus & monasticæ disciplinæ studiosissimus abbas, & hoc non a vilibus vel levibus personis (quod non absque intimo cordis mærore dico) nullam jam distantiam esse, quantum ad esum carniū pertinet, inter fratres nostros & laicos, inter seculares & religiosos; immo, ut expressius loquar, inter scurras & monachos. *Dixi nullam distantiam esse inter hos & illos: sed multa, heu! perverso ordine est. Abstinent causa Dei ipsi mimi vel lixa a carnibus omni sabbato; abstinent insuper plerique laicorum omni quarta; abstinent quidam ex ipsi etiam omni secunda feria. At fratres nostri, sancti ordinis, celestis propositi monachi, & hoc Cluniacenses, spreto Deo, abjecto pudore, totum, ut dicitur, annum, nulla prater sextam excepta feria, in absumentis carnibus continent; nec hoc saltem occulte, sed palam & publice facientes, peccatum suum, juxta prophetam, quasi Sodoma prædicant. Faba, caecus, ova, ipsi etiam pisces jam in nauseam versi sunt. Sole olla Ægyptio um placent. Assus aut clixus porcus, . . . gallina, & prorsus omne quadrupes aut volatile domesticum, sanctorum monachorum mensas operiunt. Sed viluerunt jam & ista: assiduitas multa fastidium ingressi. Ad regales & peregrinas delicias transitus factus est; . . . Lupranda sunt nemora venatoribus opus est. Aucupum arte fasciani, perdices, turtures capiendi sunt, ne servus Dei fame pereat. . . . Quid ergo restat, quando quidem non nisi sexta feria per omnem hebdomadam ab his epulis excipitur, addatur & ipsa; nec illa christianorum quadragesima convivia continuata interpolet. Abscedat de medio veris, æstatis, autumnii, & hiemis jejunia. Torus & integer annus epulis & gaudiis contuetur: ne forte talium hominum deus offendatur, de quo & de quibus Apostolus ait: Quorum deus venter est, & gloria in confusione eorum. . . . Et, o quicumque es talium conviviorum carnifex: hoccine est quod monachum profitens Deo vivisti? Hoccine est quod coram abbate tuo & fratribus promissisti? Hæccine est regula secundum quam te vivere promissisti? Tum adductis regulæ verbis, quibus carniū esum monachis interdicitur, hæc subdit: *Si ergo monachus es, ubi est quod professus es? Professus es certe obedientiam secundum regulam S. Bened. &c. . . . Quid igitur prævaricaris? . . . Verba tua te condemnant.* Et ne quis recurrat ad exceptionem, quasi hoc capitulum, sicut & alia nonnulla, certa ratione mutationi obnoxium sit; ait longe discrepantem hujus capituli esse rationem, quod illa certa & rationabili causa mutata sint. *At hujus capituli prævaricatio qua ratione excusabitur? Qua causa sospes & integris viribus monachus, carnis utens, reus non esse monstrabitur?* Denique opponit vir Dei statuta sancti Odonis, monastici ordinis in Gallia reparatoris; & poenas, quas ejus tempore a quibusdam ejusmodi comedonibus carniū Deus exegit: ac demum sic concludit: *Si te ista non terrent, nec plura, ut puto, ierrent.**

CL I. Nalgodus vitæ S. Odonis scriptor. Annal. 10. 3. p. 462.

CL II. Stephanus Obazinæ fit monachus cum suis, & abbas. c. V. lib. 76. n. 71. d. Baluz. Miscell. 10. 4. p. 108

Hoc loco quando incidit mentio de sancto Odone, ejus vitam hoc tempore exposuimus, & in ordinem redegit Nalgodus Cluniacensis monachus, quod se præstitisse dicit annis fere ducentis post obitum Odonis, ut suo loco diximus. Nec plura de hoc auctore ad nos pervenerunt, qui *vita simplicis & honestæ* fuisse dicitur. Liber ejus de vita sancti Odonis a nobis editus non impolite scriptus est.

Tunc apud Lemovices proficiebant in dies Obazinæ novi alumni sub disciplina Stephani eorum præpositi, necdum tamen monachi usque ad hunc annum, quo Stephanus ipse cum lociis, cum utcumque monasticis institutis a Dalonenfibus informati essent, monasticen professus est, & abbas creatus. Ita enim de eo scribit anonymus in libro secundo de ejus vita. *Igitur anno ab incarnatione Domini MCLXII. dominica*

ANN. CHR. 1142. dominica ante pascha, quam ad Palmas vocamus, presente domno Geraldo Lemovicensi episcopo, multisque religiosis viris, venerabilis pater Stephanus a quodam abbate, qui cum episcopo venerat, monachus est effectus; statimque in abbatem promotus, & ab episcopo consecratus, omnes quos habebat clericos fratres in monachos benedixit; ceteros in pristino habitu manere constituit.

Feminas etiam ibidem aggregaverat vir Dei, quæ necdum reclusæ erant ante id tempus, sed tunc perpetua eas clausura continuit in monasterio, quod eis in loco remotiori extruxerat. *His ita peractis*, subdit idem anonymus, *præcedente episcopo cum clericis, abbate novo cum monachis novis & fratribus laicis, subsequente sanctimonialium religiosa caterva, comitantibus etiam multis populorum agminibus, qui ad tam gloriosum spectaculum eo die convenerant, processionem palmarum a monasterio virorum usque ad monasterium feminarum cum magno psallentio peregerunt. . . . His ita gestis, & cunctis ad propria remeantibus, communis pater Stephanus cum quibusdam senioribus ibi remansit, & cum ancillis Dei in refectorio ipsa die comedit; cisque qualiter conversarentur omni deinceps tempore, & verbo docuit, & exemplo monstravit, ac viva vocis sententia promulgavit. Inde egressus ante solis occasum, perpetua eas clausura munivit, firmissimum sanciens mox edicto; ut nulla earum cunctis diebus vitæ suæ, quacumque occasione vel necessitate seu quolibet modo, monasterii claustrum egrediantur.* quod de Marcinianensibus nostris sanctus Hugo Cluniacensis abbas olim statuerat. Post non multum tempus in illo Obazinensi parthenone sanctimonialium numerus usque ad centum quinquaginta excrevit: quarum ecclesiam, leges, assiduitatem in divinis officiis, in silentio, in disciplina & labore describit idem anonymus. In summa eas se habere ait pro modulo suo ut monachos, *excepto quod foras nunquam egrediuntur, & quia summissè cantant, immo nec cantant, sed quasi legendo cum summa devotione horas diei concelebrant.*

Obazinenses itaque, ex eremitis facti monachi, a Dalonenfibus nostris in disciplina monastica erudiebantur, sed duriuscule, ita ut turbarentur, & gravate ferrent: at Stephanus eorum animos erigebat, arguebatque, *dicens, non debuisse eos graviter ferre eruditionem disciplinam, quæ magistra pedagoga est sanctitatis; & magistrorum duritiam disciplinam censuram nominans, religionisque vigorem: quem sicut remissus tepor exstinguit, sic fervor intensus accendit.* His aliisque monitis vacillantes roborabat, & instruebat: magistris vero ut ceptis insisterent, commonebat. Sed tandem Stephanus se suosque Cisterciensibus postea subjecit, ut inferius videbimus.

Carrofenfium apud Pictones abbatia subiectum fuerat ab origine Andrense apud Morinos monasterium, quod Petrus abbas ad hoc fere tempus per annos tredecim rexerat. Hujus subjectionis pertasi Andrenses, & Carrofenfium dominationem graviter ferentes, utpote qui propter idiomatis ac morum diversitatem alieni videbantur; assentiente Manasse comite, & Petro abbate contradicere non audente, communi consilio domnum Gregorium, Andrensis cœnobii professum, ejusdemque comitis nepotem, Carrofenfium mittunt, ut ibidem professionem firmaret; sicque data occasione, tamquam Carrofenfium ecclesiæ professus, Andrensi monasterio præfici posset. Post aliquot annos reversus Carrofenfium Gregorius, avum suum Manassem comitem in extremam agentem, & monastico habitu insignitum invenit, qui eum Petro abbati commendavit. Post mortem comitis Manassis, qui & Robertus dictus est a Roberto Flandrensi comite, Petrus abbas ex equi non bene domiti dorso in terram dejectus, collisis, confractisque membris non multo post magno suorum desiderio, extinctus est. Post eum annis fere quatuor abbatia vacavit, dum quidam ex monachis prædictum Gregorium adhuc juvenem & illiteratum, ejus propinquis potius assentari quam religioni consulere volentes, eum sibi præfici contendebant. At eorum consiliis obstiterat venerabilis Milo, Morinorum episcopus, juvenilem ejus ætatem præterdens, & propinquorum illius catervam pauperi loco magis nocituram metuens quam profuturam. Tandem anno inssequente electus est vir religiosus Gosfridas, & Boloniensi oriundus territorio, monachus Carrofenfium, quem Milo episcopus confirmavit & benedixit. Hic tamen verbo & exemplo prodesse studeret, multaque tum pro religionis incremento, tum pro loci ornamento facere studeret; quorumdam tamen, qui in vitiis enutriti erant, odium & calumniam incurrit. Unde primo ad beatæ Mariæ capellam Ghisnensem secessit: sed nihilominus ab eisdem exagitatus, ad S. Bertini cœnobium se recepit. Illic a Leone seu Leonio abbate benigne susceptus, & loci prior factus; cum a quodam

Moniales ibidem reclusæ.

V. lib. 76. n. 74.

CL III. Andrensis monasterii status & abbas. b. V. lib. 75. n. 169. c. Spicil. rom. 9. p. 430. segg.

ANN. CHR.
1142.

Rorico, qui ante prior extiterat, gravi crimine perperam accusatus fuisset, illinc discessit, & ad Carrofenſe monaſterium rediit: ibique a Jordane abbate & toto conventu honorifice receptus eſt. Itaque poſt annos fere quatuordecim, quam Andrenſe monaſterium per illas turbas rexerat, eligitur tandem unanimi conſenſu prædictus Gregorius, ejuſque electio à Carrofenſibus probata & confirmata: ſed poſt quatuor annos ob prodigalitatē aliaque vitia amotus eſt ſubſtitutusque Petrus, de quo inferius.

CLIV.
Reſtitutio facta
priori S. Thomæ
de eccleſia
S. Geneſii de
Palatiolo.a Amplif. coll.
tom. I. p. 771.

[Cum Bernardus Umberti epifcopus Gerundenſis dedicaret eccleſiam S. Thomæ Fluvianenſis, quæ cella eſt Maſſilienſis monaſterii S. Victoris in pago Impuritanenſi ſita, eccleſiam S. Geneſii de Palatiolo eidonavit; quam per multos annos pacifice poſſedit: ſed tandem pluribus evoluitis annis quidam clericus nomine Bernardus Sucharade voluit eam intrare abſque conſilio & voluntate prioris S. Thomæ, aſſerens præfatam eccleſiam obtinuiſſe a bonæ memoriæ Berengario Dalmatii Gerundenſis. Re ad epifcopum Gerundenſem delata, & cauſa diſcuſſa, coram Berengario abbate S. Felicis & archidiacono aliſque pluribus clericis & laicis, prædicta S. Geneſii de Palatiolo eccleſia adjudicata eſt Gaufrido priori S. Thomæ. Actum anno MCXLII, ab incarnatione Domini, regni Ludovici regis Junioris XII, idus Decembris. Subſcribit Berengarius ſanctæ Gerundenſis eccleſiæ epifcopus, Berengarius archidiaconus, Arnaldus de Navata, Guillelmus Gerundenſis eccleſiæ caput ſcholæ, Berengarius abbas S. Felicis & archidiaconus, &c. Ubi Ludovici Junioris regis anni computantur a tempore quo vivente adhuc patre unctus eſt in regem ab Innocentio II.]

CLV.
Fundatio cellæ
S. Johannis de
Fontibus.

[Idem Berengarius Gerundenſis epifcopus exemplo & auctoritate prædeceſſorum Berengarii & Bernardi, dedit laudavitque Petro abbati Maſſilienſique monaſterio S. Victoris eccleſiam S. Stephani & S. Johannis de Fontibus inferioribus, ut ibi monachorum ſit ſemper cœnobium Dominum timentium & regulam S. Benedicti ſervantium; eique plures tradidit eccleſias, confirmavitque alodia & poſſeſſiones quæ Adalardus vicecomes & Ermenſendis ejus conjux fundatores hujus nominati cœnobii, aliique fideles donaverant.]

CLVI.
Adelais duciſſa
ſit monacha
Tartenſium.
b lib. 74. n. 123.
* de Tarti.
c Bern. ep. 119.
§ 120.d Chifflet de
gener. S. Bern.
p. 446.

Actum eſt ſuperius^b de origine monaſterii Tartenſis* prope Divionem, quod primum eſſe creditur puellarum ordinis Cifterciënſis. In illo parthenone tunc temporis monacha erat Adelaidis duciſſa Lotharingiæ, S. Bernardi monitis & litteris a ſolutori vitæ genere primum ad caſtigatores mores, dein ad religioſam vitam converſa poſt mortem ducis Simonis mariti ſui, qui anno MCXXXI. ineunte deceſſit. Triennio poſt jam ad Tartenſe monaſterium ſe receperat, uti nos docet Matthæus Lotharingorum dux & marchio ejus filius litteris^d ſuis, quibus notum facit, quod inſpirante gratia Spiritus-ſancti, ob ſincera affectum & amorem venerabilis duciſſæ Athelaidis matris ſuæ que mutatione dextera Excelsi, pauper rebus & ſpiritu ſanctæ converſationis propositum & habitum ſuſceperat in eccleſia & congregatione Tartenſi; laudē & conſeſſione uxoris ſuæ Berthæ, conſenſu quoque fratris ſui Baldvini & Agathæ ſororis, quinque ſeſſes, id eſt certam falis menſuram apud Vicum, Eliſabeth abbatiffæ & ſororibus Tartenſis eccleſiæ in perpetuum donaverit per manum venerabilis Stephani epifcopi Mettenſis. Actum imperante feliciter Conrado rege, Innocentio papa, indiſtione v. quæ huic anno reſpondet, epacta XXII. Hæc in Tartenſi parthenone Deo ſerviebat in humilitate & paupertate multa, cum Gaufridus monachus Clara-vallenſis vitam S. Bernardi ſcriberet, ſeque eam eſſe non modo fatebatur, ſed etiam gloriabatur, de qua Pater ſanctus ſeptem dæmonia ejecerat.

CLVII.
Ulfenſe
monaſterium
Corbeienſibus
datur.
* al. Ullesheim.

Ad res Germanicas quod attinet, hoc anno Diemarſus Verdenſis ſeu Fardenſis epifcopus monaſterium apud Ulfen* quod Bruno ejus antecelſor, ex Corbeia-novæ monacho epifcopus, in eccleſia beati Johannis-Baptiſtæ, ex præcepto Ottonis imperatoris olim pro puellis conſtruxerat, ad monachos Corbeia-novæ tranſtulit hoc anno, pontificatus ſui ſexto-decimo, ut legi in litteris, quas ea de re edidit, in quibus primum ejus loci abbatem Sigfridum & fratres, qui cum illo e Corbeienſi monaſterio miſſi erant, Henricum, Hildeboldum & Sigfridum commemorat, laudatos etiam in Annalibus Corbeienſibus.

CLVIII.
Ibungenſe parthenium
in Gerden tranſfertur.

Ante octo annos Bernardus Patherbrunenſis epifcopus Iburgi puellare noſtri Ordinis monaſterium exſtruxerat: ſed cum ob loci ſterilitatem & horrorem virgines Deo ſacræ, inopem illis vitam traherent, eas in opportuniorem locum tranſferre ſollicite cogitabat. Id animo agitanti intervenit ejuſdem diœceſeos vir nobilis ac prædives Henricus Gerdenenſis, eique donum ac fundum Gerden ad Netam amnem & am-

ANN. CHR.
1142.

plam bonorum poſſeſſionem in ſtructuram & dotem novi cœnobii liberaliter obtulit, quod ſub patrocinio beatiffimæ Virginis & S. Petri erigi voluit. Conſilium mirifice approbavit piiffimus epifcopus, conditoque novo parthenone, Ibungenſes ſanctimoniales illuc tranſtulit, quibus alias aliorum cœnobiorum virgines adjunxit, conceſſa eidem loco omnimoda immunitate. Exſtant apud Schatenum^a ad hunc annum ipſius Bernardi litteræ, quibus inter alios ſubſcribunt Conradus abbas de S. Paulo, item Conradus de Helmwardeshufen, Boldewinus abbas Leſbornenſis, & Daniel abbas Herſetehufenſis. [Hoc monaſterium duplex fuiſſe virginum ac virorum, qui eas regerent, conſtat ex diplomate Bernardi epifcopi Paderbornenſis de tranſlatione monaſterii Ibungenſium, in quo ſic loquitur: *Ordinamus ut prædictæ ſores cum fratribus ſuis ſub abbatis regimine ſecundum regulam B. Benedicti viverent & abbatem ſui Ordinis eligendi habeant poteſtatem.* Floruit in eo pietas & obſervantia tanta, ut Bernardus eo nomine tertius epifcopus Paderbornenſis, ſuo diplomate anni MCCXXII. confirmans prædium Burch ſacris virginibus, hoc eas efferat præconio, *Sperantes, immo pro certo ſcientes eccleſiam Paderbornenſem nullo laicorum miniſterio tantum poſſe juvari, quantum indefeſſis virginum Chriſti orationibus defendi.* Florent etiam nunc regulari obſervantia ſub congregatione Bursfeldenſi, quibus tres ex Marienfeldenſi cœnobio monachi earum curam habentes ſunt præpoſiti.]

In Garſtenſi ſuperioris Auftriæ monaſterio ad ſuperos^b hoc anno Berchtoldus abbas migravit VII. kal. Auguſti, in Sanctorum album, teſte Stengelio relatus, cujus feſtus dies poſtridie ob feſtum ſanctæ Annæ, ſolemni ritu quotannis celebratur. Sepultus olim erat in media eccleſia, erecto ſublimi tumulo, qui modo ſolo æquatus, elegantiori porphyretico lapide inſtratus eſt, columellis inclufus, & ara decoratus.

Eodem etiam anno deſunctus eſt Wernherus^c Einſidlenſis abbas pridie nonas Martii, cui unanimi fratrum conſenſu ſuffectus eſt Rudolſus II. ex comitibus Lupoduni, abbas loci duodecimus. Ejus electionem ægre tulit Rudolſus comes Raperſvillenſis, monaſterii advocatus, quod ſe non præſente & inconſulto facta fuiſſet. Hic iraque armata manu monaſterium invaſit, Rudolſum abbatem eique adherentes fratres expulit, ſœdis vulneribus ab eccleſiæ adytis raptos atrociter multavit. Hinc Rudolſus abbas cum paucis, qui comitis manus evaſerant, Conſtantiam ad Conradum caſarem, tunc forte illic comita celebrantem pergit, vim & tyrannidem comitis exponit, ſuam contra electionem, ſuam innocentiam. Conradus non modo electionem approbavit, ſed Theodewino cardinali & legato auctor fuit, ut electum conſecraret. Quod apud Augiam majorem pridie idus Aprilis ſacra Palmarum die factum eſt. Cæſar vero extremum de comite ſupplicium ſuſſiſſet, niſi quorundam principum, ipſuſque Rudolſi abbatis interceſſiſſet ſuplicatio. Hujus abbatis flagitatu Conradus rex Romanorum litem de limitibus, Einſidlenſes inter & Suitios moram, compoſuit dato ampliffimo diplomate idibus Julii anno MCXLIV. cui poſt epifcopos teſtes adſcripti ſunt Berchtoldus Murbacenſis, Wibaldus Stabulenſis, & Fridelo Augienſis abbates. At nihilominus eadem rixa denuo excitata, repetitaque eſt, ut in Annalibus Eremi videre licet.

Inter Ordinis noſtri propagatores cenſendus eſt beatus Guillelmus, congregatio-nis Montis-virginis inſtitutor. Is Vercellis apud Inſubres natus, mortuis parentibus, cum vix quartum-decimum ætatis annum atigiſſet, monaſtico habitu ſuſcepto, duplici ferreo circulo ad cutem conſtrictus, in Hiſpaniam ad S. Jacobi templum proſectus eſt. Illinc reverſus in Italiam, Jerofolymam adire conſtituit. Verum, cum in urbem Apuliæ Melphim appuliſſet, in monte Solicolo biennium commoratur. Dein audita fama cujuſdam magni nominis abbatis, ſcilicet Johannis, qui monaſterium juxta Genuſium exſtruxerat, ad eum divertit, qui eum ab itinere Jerofolymitano fruſtra revocare tentavit. Itaque poſt quindecim dies ab eo digreſſus, Tripaldum pervenit haud procul a Virgiliano monte, ubi aliquam diu conſedit cum Alberto monacho, qui ſeſe illi adjunxit. Viſtus ejus fabæ tantum & caſtanæ cum pane hordeaceo: habitus lorica ferrea cum galea, quas ſibi apud Salernum fabricari curaverat. Illuc convenere complures diſcipuli, quibus cellas conſtruxit cum eccleſia, quam Abellinenſis epifcopus in honorem beatiffimæ Dei genitricis ſacro die pentecoſtes dedicavit. Interim viro Dei, quem miracula celebrem in illis partibus reddebant, multa dona offerebantur, in auro & argento, aliſque, ex quibus, ubi fratribus neceſſaria tribuerat, cetera egenis erogabat. At quidam preſbyteri, ab eo facti monachi, hac de re conqueſti ſunt,

Annal. Bened. Tom. VI.

Zz ij

a Annal. Paderborn. p. 758.

CLIX.
Bertholdus abbas
Garſtenſis
obit.
b V. lib. 71. n. 116.CLX.
Einſidlenſes
abbates.
c V. lib. 77. n. 99.CLXI.
Guillelmi Vercellenſis vite
compendium.

ANN. CHR. 1142. rati satius esse, ut ea in futuras necessitates reconderentur. quorum querelas cum vir Dei reprimere non posset, ab eis recessit, Alberto illic præposito substituto, & ad montem Lacenum secessit, ubi sibi sociisque singula tuguria extruxit. Illuc vir quidam magnæ auctoritatis, Johannes nomine, qui postea in loco, qui Pulfanus dicitur, monasterium condidit, ad eum visitandum accessit, & apud eum aliquamdiu devote conversatus est. Verum inde admoniti ut discederent, in monte Cuneato paucis diebus simul confident. at Johannes illinc secessit ad montem Garganum, ubi monasterium construxit: Guillelmus vero in illo monte cum focis permanfit, ibique monasterium ædificavit.

CLXII. Congregationis ejus institutio. Cum ibi aliquantum temporis substitisset, præposito illic ordinato, ad vallem Compfanam ad fluvium Aufidum secessit, ubi duo monasteria, in territorio scilicet Guleti prope Nuscum, unum virorum, alterum mulierum, condidit. Illic multæ virgines Deo consecratæ, districtissime vivebant. Nulla earum, ne quidem in infirmitate, vinum noverat: carnes vero, caseum & ova nec nominari apud eas fas erat. Victus eis ternis in hebdomada diebus panis tantum & poma cum crudis herbis: reliquis diebus unum tantum ferculum oleo conditum. A festo omnium Sanctorum usque ad nativitatem Domini, & a septuagesima usque ad resurrectionem panis tantum & aqua. Nonnullæ etiam pane abstinebant, pomis & leguminibus contentæ. Tunc temporis Rogerius Sicilia & Apuliæ dominabatur, cui vir sanctus idem talem salutaria monita dabat: at Georgius regis *ammiratus*, seu maris præfectus, viro Dei detrahebat, eumque hypocritam esse regi persuadere conabatur. quod ut perficeret, puellam ad eum tentandum conduxit. Verum rejecta meretriculæ impudentia, rex in tantam post hoc Guillelmi venerationem adductus est, ut Panormi contiguum palatio suo monasterium, quod Eremitarum dictum est, ejus discipulis erexit, multique bonis ac privilegiis decoraverit. Denique cum apud Guletum vir Dei octo annis substitisset, multis utriusque sexus monasteriis exædificatis, prænuntiato mortis die, ibidem piissime decessit VII. kal. Julii hoc anno, in monasterio virginum de Guleto, ubi ejus corpus honorifice reconditum fuit sub altari marmoreo in ædícula, ad sinistram partem ecclesiæ, erecta post ejus mortem ab Agnete abbatissa.


CLXIII. Ejus vita & discipuli. Liber de ejus vita & miraculis ex relatu Johannis de Nusco ejus discipuli scriptus est jussu Jacobi abbatis Salvatoris de Guleto; editus Neapoli anno MDC LII. cum actis Johannis de Mathera abbatis Pulfanensis, S. Amati episcopi Nuscani ex Guillelmi discipulis, & S. Donati a Ripa-candida ejusdem congregationis monachis. Librum de Guillelmi vita a Johanne de Nusco scriptum fuisse perperam ait editor. Ejus enim auctor in capite XI. afferit, se Guillelmi miracula *reverendissimo valde viro Johanne de Nusco, concive suo referente accepisse*. Johannis abbatis Pulfanensis vitæ compendium superius retulimus. Amatus apud Nuscum ortus, ad radicem montis Laceni monasterium extruxit; factusque ab Hadriano IV. Nuscanæ civitatis episcopus, aliud monasterium sub titulo beatæ Mariæ novæ ædificavit. Obiit pridie kal. Septembris anno MCXCIII. miraculis ante & post obitum clarus. Ad S. Donatum quod attinet, in Ripa-candida Lucaniæ opido anno MCLXXIX. in lucem editus, anno ætatis quarto-decimo in monasterio S. Honofrii habitu monastico donatur. Tantæ virtutis fuisse dicitur, ut in clibanum ardentem superioris jussu ingressus, inde illæsus exierit, & in gurgitem gelidarum aquarum, vigente hieme immerfus pernoctaverit. Ejus obitus in illo monasterio contigit XVI. kal. Augusti, anno MCXCVIII. abbate in Virgiliano monte Gabriele; & Paschasio apud S. Honofrium, ubi ejus corpus in magna veneratione habetur. Hæc omnia continenter referre visum est, ut uno conspectu brevis notitia tum de S. Guillelmo, tum de ejus congregatione & discipulis habeatur. Unus ex præcipuis illius congregationis monasteriis post Virgilianum, est illud quod Rogerius Panormi juxta palatium suum construxit, dictum S. Johannis de Eremitis, de quo plura videre licet apud Rocchum Pirrum, qui illud idem esse putat ac monasterium S. Johannis & S. Hermetis, primitus a Gregorio Magno fundatum, quod a Rogerio iustauratum fuerit.



ANNALS ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER SEPTUAGESIMUS - OCTAVUS.

Ab anno Christi 1143. ad annum 1147.



Insequente anno ejus sæculi quadragesimo-tertio duæ res Bernardo Clara-vallis abbati multum molestiæ attulerunt: una publica, eaque gravior: altera ipsi peculiaris, non ita gravis quidem, sed quæ ejus animum, cupiditatis omnino expertem, non leviter lancinavit. Prior causa orta est ex funesto bello, quod rex Ludovicus in Theobaldum comitem ad extremam perniciem urgebat propter ordinationem a Petri Bituricensis archiepiscopi, se inconsulto, immo & resistente factam, cui Theobaldus comes favebat. Hinc regis ira eo usque exarsit, ut Vitricum *, ejus castrum agri Catalaunensis seu Pertensis, a se obsessum, injecto igne cremaverit, quo ex incendio combusta ecclesia; & in ea mille trecenta anima omnis ætatis & sexus igne periisse perhibentur. Hac occasione Bernardo complures scribendæ fuerunt epistolæ: quarum unam b suo & Hugonis Autisiodorensis nomine scripsit ad ipsum Ludovicum regem, in qua meminit colloqui cum eo apud Corbolium de pace habiti, ex quo rex infecto negotio recesserit: alteram c ad Joslenum Sueffionensem episcopum ejusdem argumenti. Adhæc aliam d ad eundem Joslenum & Sugerium abbatem, uti regis consiliarios, scribit, ut regem ad pacis consilia flectant. Verum hæc epistola offensus Joslenus, quasi eum schismatis auctorem dixisset: dure Bernardo rescripsit, *spiritum blasphemie* ei imputans. quod convicium Bernardus e modeste quidem, sed generose repellit; nec minus strenue Joslenum ad schisma reprimendum hortari pergit. His epistolis aliam addidit ad Stephanum Prænestinum episcopum, in qua spem suam de Ludovico Juniori frustratam esse queritur. *Pudet*, inquit, *erroris, & falsæ spei, quam de eo conceperam, & gratias ago, quod pro eo simpliciter supplicans, non fuerim exauditus. Putabam me deferre regi pacifico, & ecce invenio gravissimo hosti ecclesiæ assensisse*. Hæc pro illo temporis articulo Bernardus, cujus longe alia postea mens de rege fuit. Nunc vero queritur, quod rex episcoporum electiones fieri prohibeat: quod germano suo Roberto vices episcopi commiserit in ecclesia Catalaunensi, quæ post mortem Gaufridi episcopi pastore viduata erat: quod Robertus ipse Remensis episcopatus ecclesias invadat, & sanctæ Mariæ, sancti Remigii, sancti Nicassii, sancti Theodorici terras devastet: denique quod rex factam cum Theobaldo comite pacem vano prætextu violare molitur. quæ epistola scripta est vacante Pari-

ANN. CHR. 1143.

I. Bernardi zelus ad bellum extinguendum.

a V. lib. 77. n. 95.

* Vitry.

b Bern. ep. 2.

c id. ep. 225.

d id. ep. 222.

e id. ep. 223.

ANN. CHR.

1143.
11.
Idem Innocen-
tio se purgat
de Ivonis card.
testamento.

siensi episcopatu, post mortem scilicet Stephani episcopi, de qua mox acturi sumus.

Huic publicæ mœroris causæ alia eidem viro sancto peculiaris accessit, amissa scilicet gratia Innocentii papæ apud quem infamatus fuerat, quasi Ivonis cardinalis recens mortui bona relicta in alienos usus temere expendisset. Morti proximus cardinalis duobus, qui ipsi aderant, abbatibus, Bernardo adjuncto qui aberat, legata bona in egen- tes ecclesias & in pauperes eroganda testamento commisit. Bernardo in pacis nego- tiis occupato, duo illi abbates Claram-vallem profecti, cum virum Dei non inve- nissent, rem exsecuti sunt. Id ubi rescivit pontifex, qui bona illa ad se redire debere credebat, dure ad virum Dei scribi iussit, quasi eo agente vel conscio id factum esset; eique non obscure significavit, ut se intra cœnobium contineret, nec alienis se immisceret negotiis. Ad quod Bernardus ^a: *Putabam, inquit, me aliquando ali-*

a id. ep. 228.

quid vel modicum esse; sed nunc, ut sentio, prorsus ad nihilum redactus sum, dum ne-
scivi. ... Cur hoc? quid peccavi? Multum fateor, si pecunia cardinalis Ivonis bona me-
morie meo arbitrio distributa fuit, & non ad nutum ipsius. quod utique ad aures domini
mei fuisse perlatum mihi relatum est. Sed confido, quia nunc hujus rei veritatem cogno-
scetis, & veritas liberabit me. Non sum tam hebes, ut ignorem ecclesia esse, quidquid ille
rerum suarum non dederit. Sed jam audite simpliciter veritatem. ... Quando homo exiit
hominem, absens eram, immo & valde remotus. Audivi autem ab his qui adfuerunt,
quod ipse fecerit suum testamentum, & quod fecit, fecit & scribi, & de rebus suis quæ vo-
luit, quibus voluit ipse dividit: quod residuum fuit, duobus abbatibus assistentibus tunc sibi,
& mihi pariter, qui absens eram, dividendum commisit, eo quod nobis nota essent loca pau-
periora sanctorum. Porro abbates illi domum venientes, & non invenientes me (detine-
bar enim tunc temporis ex vestro mandato pacis querenda negotiis) nibilo minus pecuniam,
sicut eis visum est, dividerunt, me non solum non connivente, sed & nesciente quid fecerint.
Cedat jam, si placet, manifesta indignatio veritati, nec mihi deinceps frons rugetur, aut su-
percilium deponatur; sed solita redeat serenitas blando & benigno vultui, ac suo denuo sole
lata facies induatur. Addit vir sanctus, se posthac temperaturum a scribendis ponti-

fici epistolis, (& hæc quidem ultima est) tamen perpaucas pro se scripserit, ple-

rasque pro amicis. Tolerabilius enim esse, ut offendat aliquos amicorum, quam suis

precibus ac litteris defatiget christum domini. Ideo modo pontifici non scribere de

imminentibus ecclesie periculis & de schismate quod timebat: de quibus sequen-

tem epistolam ^b scripsit ad tres episcopos curiæ, nempe Albericum Ostiensem, Ste-

phanum Prænestinum, Igarum Tusculanum, & ad Gerardum cancellarium, qui

postmodum summus pontifex dictus est Lucius II. post Caëstinum Innocentii suc-

cessorem. Tres illi episcopi nostri ordinis erant, Albericus quidem & Igarus seu

Imarus Cluniacensis, Stephanus Cisterciensis: de quibus jam in superioribus actum

est, & in consequentibus iterum agendum erit.

Obiit Ivo cardinalis XII. kal. Julii, quo die ejus anniversarium notatur in necro-

logio ecclesie S. Victoris Parisiensis, ubi canonicus regularis fuerat: sed ubi mor-

tus sepultusque sit, diu anceps exstitit. Sed tandem ex Browero ^c accepti, eum

apud Treviros obiisse, & in primaria ecclesia S. Petri juxta sacrum ab Alberone

archiepiscopo humatum fuisse cum hoc epitaphio, ex quo ejus patriam discimus.

Roma legatum legatus Adelbero Roma
Presbyter & præsul hoc condidit hospizio me.
Ivo mihi nomen, genuit Britannia, natum
Francia nutrit, promovit Roma vocatum.
Tandem non parcens rapuit mors de medio me.
Corde preces Domino, fratres, effundite pro me.
Sole duodenas Julii vergente kalendas,
Roma secunda mihi dedit exsequias venerandas.

Erat itaque Ivo ex Britannia, haud dubie minori, ortus, ubi celebris sancti Ivonis cultus; & prope fidem est, duos illos abbates, quibus cum Bernardo exsequen- dum testamentum suum commisit, fuisse rectores monasteriorum Treviricæ civita- tis, quæ secunda Roma ob sacras in ea reconditas reliquias vocatur.

In prædicta Bernardi epistola ad Stephanum Prænestinum ecclesia Parisiensis in *tristitia* sedere dicitur, proprio destituta pastore; & nemo esse, qui de substituendo alio *mutire audeat*. Id accidit, ut jam dixi, post mortem Stephani episcopi, quæ in Gal-

IV.
Stephanus epi-
scopus Pari-
sienis obiit.

lia-christiana ad annum MCXL. refertur: at eum saltem biennio ferius vitam pro-

duxisse constat. Certe superstes erat anno MCXLII. ex chartario Hederensi, quo an-

no milites quidam Stephanum Parisiorum episcopum adierunt, & ei quasdam de-

decimas, quas injuste contra sanctorum Patrum instituta tenebant, reddiderunt, ut eas

sanctimonialibus Hederæ conferret. quod quidem præstitit Stephanus rogatu Hil-

diardis ejusdem loci abbatissæ, & Willelmi prioris. *Actum incarnati Verbi anno*

MCXLII. quem annum retinuit Theobaldus episcopus Stephani successor, in litteris

suis, quibus hanc donationem confirmavit. Idem Theobaldus adhuc prior S. Mar-

tini de Campis, necdum episcopus erat anno sequenti MCXLIII. mense Martio, ut

mox videbimus. Eodem modo explicanda est chronologica nota chartæ, qua

Mauricius episcopus, Theobaldi successor, *felicitis memoria* Stephani antecessoris sui

testimonium & *veritatem scriptam & sigillatam* sequens, testatur, quod Guillelmus-

Lupus Stephano episcopo duas partes decimæ Darentii reddiderit quas Stephanus

Hederensi ecclesie donavit. *Actum anno gratiæ* MCXLIII. Hæc enim chronica nota

convenit chartæ Stephani, non Mauricii, qui anno MCLX. sedere cœpit. Itaque ad

annum MCXLIII. pervenisse dicendus est Stephanus, cujus obitus in necrologio S.

Dionysii notatur IV. kal. Augusti, uti & in fastis ecclesie S. Victoris Parisiensis, ubi

sepultus est. Consolatoriam de ejus obitu epistolam decano & ecclesie Parisiensi

scripsit Hugo de Dociaco ^a Senonum archiepiscopus post Henricum-Aprum, quem

anno MCXL. obiisse discimus ex litteris ipsius Hugonis pro Hederensi monaste-

rio, anno MCLXIII. datis, quem annum episcopatus sui vicessimum-tertium Hugo nu-

merat. Hinc emendandi vulgati Senonensium archiepiscoporum indices, qui ad

quadriennium Henrici obitum differunt; emendandi quoque indices Parisiensium

episcoporum, in quibus Stephani obitus triennio prævertitur. Porro hic perperam

confunditur cum Stephano de Garlanda, quem Gaufridus Carnutum episcopus ab

eo manifeste distinguit in epistola ^b ad ipsum Stephanum episcopum de pace com-

ponenda inter eum & Stephanum de Garlanda.

Stephano episcopo mortuo vacavit aliquamdiu Parisiensis sedes, ut superior Ber-

nardi epistola nos docet; nec statim ei subrogatus est Theobaldus S. Martini de

Campis prior, qui hoc officio fungebatur ad hunc annum, quo Innocentius ^c Theo-

baldo ejus loci priori omnes S. Martini possessiones confirmavit. *Data Laterani per*

manum Girardi S. R. E. presbyteri cardinalis ac bibliothecarii x. kal. Aprilis, incarna-

tionis dominice MCXLII. indictione VI. pontificatus vero domini Innocentii secundi papæ

anno XIV. ubi annus MCXLIII. secundum veterem calculum ponitur, qui annus

MCXLIII. censendus est secundum novum, ut patet tum ex indictione VI. quæ huic

anno convenit, tum ex anno quarto-decimo Innocentii pontificatus. Itaque Theo-

baldi electio ad Parisiensem episcopatum ad finem saltem hujus anni, immo ad an-

num insequentem differendus est.

Stephani episcopi tempore duo absque chronicis notis referuntur in chartario

Hederensi, quæ ad hunc locum rejecimus. Unum est de lite Hederensibus sancti-

monialibus mota a monachis de Calmis ob *molendinum*, quod illæ super rivulum

officinas illarum præterfluentem construxerant, non longe a molendino, quod jam

dicti monachi ad fluvium Hederam apud Macerias ab antiquo possidebant. Hanc li-

tem Stephanus composuit sub certis conditionibus, quas referre tanti non est: sed

tandem Mauricii episcopi pontificatu monachi suam moletrinam per commutatio-

nem aliarum rerum Hederensibus cesserunt. Id in Annales nostros referre superva-

caneum foret, nisi hæc prima nobis occurreret mentio monasterii S. Petri de Cal-

mis, mendose de Calamis, de cujus origine nihil certi nobis superest, documen-

tis antiquis fere omnibus bellorum injuria amissis. Calma seu Calmæ* opidulum est

diocesis Senonensis in Briegio haud procul ab Hedera fluvio infra Rotegiacum* opi-

dum. sic illud vocat Fortunatus in libro de vita S. Germani Parisiorum episcopi.

Hoc Calmense monasterium sub prima regum nostrorum stirpe conditum fuisse vo-

lunt; postea destructum a Nortmannis, ac demum instauratum a quodam Hugone,

cujus obitus in Calmense necrologio notatur die nona Aprilis in hæc verba: *Depo-*

sitio dompni Hugonis, fundatoris abbatie de Calmis, quem Turnonii dominum fuisse*

purant, ejusque tumulum eum esse, qui sub arcu lapideo ecclesie in parte aquilo-

nari hæctenus cernitur; & lapidem sepulcralem, qui e regione visitur, esse Roberti

abbatis ab instauracione primi, de quo in prædicto necrologio ad diem vicessimum-

ANN. CHR.
1143.

V.

Theobaldus

ad huc prior S.

Martini.

c. Hist. S. Martini

p. 170.

a. Chetn. to. 2.

p. 446.

b. Bern. ep. 427.

V.

Theobaldus

ad huc prior S.

Martini.

c. Hist. S. Martini

p. 170.

V.

S. Petri de Cal-

mis monasterii

initia obscura.

* Chaume.

* Rozeoy.

* Tournaus.

ANN. CHR. 1143.

quintum Septembris: Deposito gloriosa vita probabilis, & in fine piæ recordationis domini Roberti primi abbatis de Calmis. Alia ejusdem necrologii excerpta cum serie ejusdem monasterii abbatum in Appendice videre licet. Primus illius monasterii patronus fuisse videtur S. Symphorianus martyr, de quo in benedictione aquæ lustralis singulis dominicis jam inde ab omni hominum memoria hæc recitantur in oratione ad Deum: Qui locum istum in honorem sancti Symphoriani consecrasti. Nunc tamen abbatia S. Petri de Calma passim appellatur. Ibidem colitur S. Domnolus Cenomannorum episcopus, cujus reliquiæ ibidem asservari dicuntur.

VII. Macerientes moniales Ad-altaria translatæ.

Alterum, quod tempore Stephani episcopi factum in chartario Hederensi legimus, est translatio quarundam Sanctimonialium a loco, quem Maiserias seu Macerientias vocant, ad locum diocesis Parisiensis, qui Ad-altaria dicitur, testante Ascelino Fossatensis monasterii abbate, ad quem locus iste pertinebat. Ejus rei litteras ex chartario Hederensi ipsis Ascelini abbatis verbis referre juvat.

Ascelini abbatis Fossatensis charta.

Omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis ego Ascelinus abbas & cui præsideo Fossatensium monachorum congregatio, notum fieri volumus, quod quedam sanctimonialia femine venientes a loco, qui Maiserias nominatur, domnum Stephanum Parisiæ urbis episcopum adierunt, ea videlicet causa, ut suo interventu locum eis a nobis obtineret, qui Ad-altaria dicitur, nostræ ecclesiæ subactum a priscis temporibus; & est positus in loco, in confinio videlicet castri Turnonii, vicique Capriaci: qui secum assumptis multis interventoribus, rogavit nos, ut illis sanctimonialibus locum, qui desertus esse videbatur, ad habitandum non prohiberemus. Cujus preces cum non admittere voluissimus, tali tenore præfatis sanctimonialibus locum concessimus, quatinus in festivitate S. Remigii XII. nummos incensum singulis annis ab eis reciperemus; & si ipsa die reddere neglexerint, semel submonita, nec reddentes, postmodum per legem exsolverent. Ipsi vero nummi Parisiensis monetæ erunt. Et si isdem locus ab eis relictus fuerit, ecclesiæ nostræ, sicut prius, subjacebit. Actum est mense Decembris IX. die ejusdem mensis. Hi sunt testes Ricardus prior, Ingelbertus cantor, Nivardus scriptor, &c. sine data.

a V. lib. 71. n. 26.

Ascelinus Fossatensis abbas, præmissi instrumenti auctor, Theobaldo a successerit sub annum MCXXX. Huic successisse dicitur Ascelinus alter, sed quo anno incertum. Nec certius quidquam de Hembardo successore aliiisque subsequenibus. Maiseria seu Maceria, unde venerant prædictæ sanctimonialia, nobis incognita. Plura enim sunt ejus nominis loca; unus vicus super Hederæ monasterium; superius memoratus: alia ejusdem nominis loca apud Remos ad Mosam, in Pontivo, ubi S. Furseus obiit, apud Atrebatas, & in pago Laudunensi ad Isaram. Locus Ad-altaria, quo translatæ sunt illæ virgines, haud alius videtur quam Placitium seu Plesselum-nonnarum* ad silvam Creciacensem diocesis Parisiensis in Briegio, positus inter Turnonium* opidum & vicum Capriacum,* ut in superiori charta legitur: qui locus nunc pertinet ad sanctimonialia Hederenses.

* Plessis-les-nonnains. * Turnan. * Cheury.

VIII. Hederæ monialibus data decima panis regii.

Non omittenda hoc loco pia donatio Ludovici Junioris facta Hederensibus virginibus, quibus decimam panis, qui in regia curia, dum rex in urbe Parisiaca versaretur, expenditur, in perpetuum præberi constituit. En ejus verba ex chartario Hederensi. Quoniam Deo disponente bona, quæ temporaliter agimus, & contra adversarium nostrum arma sunt inexpugnabilia, & æternæ hereditatis indubitanter nobis adquirunt præmia; ratio consult, necessitas exigit, ut, dum tempus habemus, bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei operemur: ut pauperes spiritu nostræ largitatis munificentia necessitati suæ obtineant remedium, & nostra fragilitas, eorum orationibus adjuncta, in districto examine judicem sibi misericordem inveniat & propitium. . . . Hac igitur ratione instructi, volumus & immobili lege statuimus, ut panis, qui ad curiam nostram & successorum nostrorum, quotienscumque Parisius fuerimus, defertur, totus ex integro decimetur; atque eadem decima sanctimonialibus sanctæ Mariæ de Edera ob remedium animarum nostrarum in perpetuum præbeatur. Id etiam regibus posteris nostris denuntiamus, quatinus hanc elemosynam nostram acceptam habeant, manu teneant, & in nullo umquam minui permittant. . . . Actum Parisius publice anno incarnati Verbi MCLIII. regni nostri VII. Data per manum Cadurci cancellarii. Idem rex post mortem Theobaldi Parisiorum episcopi redditus seu oblationes altaris ecclesiæ Parisiensis, ipsa vacante sede tribui solitos, Hederensibus virginibus assignavit.

IX. Innocentio papa successit Cælestinus II.

Ineunte autumno hujus anni Innocentius II. extremo correptus morbo, supremum diem absolvit VIII. kal. Octobris, sepultusque est in ecclesia Lateranensi, ut mox vide-

bimus, non in basilica Callisti, ut Baronius scribit. Huic tertia post die successit Guido de Castello, presbyter cardinalis tit. S. Marci, dictus Cælestinus II. Hic vero prælatione illa dignissimus fuisse dicitur in chronico a Mauriniacensi, utpote quem celebrem magistrum reddiderant nobilitas generis, mentis industria in omni statu æqualis, litterarum quoque scientia multiformis. Ad hunc rex Ludovicus legatos ad pacem ineundam misit, teste eodem chronographo: quibus ille benigne acceptis, elevata versus Galliam manu, ipsam a sententia interdicti absolvit. Idem pontifex more antecessorum electionem suam Petro abbati & monachis Cluniacensibus significavit. Exstant pontificiæ hæc de re litteræ in Spicilegii tomo VI. & in Bullario Cluniacensi, datæ Laterani VIII. idus Novembris, in hæc verba. Caritatem vestram de statu sanctæ Romanæ ecclesiæ matris vestræ sollicitam cognoscentes, quæ circa nos acta sunt, vobis significare curavimus. Notum igitur facimus dilectioni vestræ, quod domino nostro bonæ memoriæ papa Innocentio VIII. kalendas Octobris defuncto, & in Lateranensi ecclesia cum maxima cleri ac populi Romani frequentia tumultato, cardinales presbyteri & diaconi, una cum fratribus nostris episcopis & subdiaconis, clero & populo Romano acclamante pariter & expetente, tertia die in ipsa ecclesia, unanimi voto & pari consensu, me indignum, & prorsus tanti officii imparem nescio quo Dei iudicio; in Romanum pontificem concorditer elegerunt. Ego autem considerans infirmitatem meam ad apostolicæ sedis culmen non posse pertingere, onus hoc malui declinare, ne in pastoralis regimine impari administrationis actione succumberem. Sed quia contraire non est Domini disponentis arbitrio, obedienter secutus sum, quod misericors de me regentis manus voluerit operari. Dein preces pro se poscit a Cluniacensibus, quorum monasterium se velle diligere & fovere, ejusque jura conservare velle asserit. Denique in fine hæc addit. Quod autem A. Clavomontensis episcopus præterita beati Luca festivitate a prædecessore nostro bonæ memoriæ papa Innocentio evocatus non venit, nec canonicam excusationem præterdidit; pro vestra dilectione ad præsens æquanimiter toleramus. Id intelligendum de Aymerico episcopo e nostris, qui nescio qua de causa Romam ab Innocentio evocatus est. De eo intelligenda videtur Petri Venerabilis epistola b ad Eugenium III. in qua gravia de eo refert, quasi exceptis sacramentis pontificalibus, de pontificis officio, ex quo episcopari cepit, scilicet per viginti fere annos, pene nihil impleverit.

ANN. CHR. 1143. a Chesa. 10. 4. p. 387.

Ejus litteræ ad Cluniacenses.

b Petr. Ven. lib. 6. ep. 25.

Ad Cælestini litteras respondit c venerabilis Petrus, cui redditam pacem gratulatur, quam a tempore Alexandri II. Romani pontifices ad id tempus habere non potuerant. quod argumento est, pacem inter Ludovicum regem & comitem Theobaldum jam tum compositam fuisse. In eadem epistola excusat Petrus, quod serius rescripserit, quippe qui certitudinem ejus electionis sero accepisset. Nam diu, inquit, variante fama, vix in vigilia sancti Andrea epistolam vestram mihi & conveni mihi suscepi; atque die ipsa publice in capitulo lectam, tam litteratis, quam illitteratis, quos conversos vocamus, exposui, scilicet vernacule, nam Latinam linguam tunc in vulgari usu non fuisse constat.

c id. lib. 4. ep. 18.

Non satis apparet quo spectet hæc Petri excusatio. Neque enim serius respondisse dici potest ad Cælestini papæ epistolam quæ VIII. idus Novembris scripta erat, si in festo S. Andrea ei rescripserit; immo mirum est, eum tam cito papæ epistolam recepisse. Neque etiam dici potest id ad annum sequentem referendum esse; quo anno Cælestinus longe ante festum sancti Andrea, id est VIII. idus Martii, jam e vivis excesserat.

Ex hac porro epistola manifestum est, ut jam dixi, pacem inter regnum & sacerdotium, inter papam & regem, inter regem & Theobaldum comitem, jam tum compositam fuisse, cum Petrus scriberet. Hæc S. Bernardi potissimum opera conciliata fuit, contra omnium opinionem, qui eam fere impossibile existimabant ob exasperatum supra modum regis animum in Theobaldum. Hinc percontanti sæpius Godefrido d episcopo Lingonensi, & Bernardum consulenti, quidnam sibi Deus super his revelaret; nihil sibi apparere dixit, nisi tribulationem super tribulationem. Sed tandem aliquando rursus sciscitanti respondit, quinto mense pacem futuram. Sane, inquit Goufridus, ultima die quinti mensis reformata est pax, ipso quidem orante & operante: ut non esset ambiguum, ejus potissimum studio & merito piissimum illum principem a tam gravibus, imminentiisque periculis liberatum.

X. Pax regno & sacerdotio redita per Bernardum.

g Bern. vita lib. 4. c. 3.

In castro Porcensi diocesis Remensis ad Axonam, infra Regiteste urbem, major ecclesia beatæ Mariæ in manus laicas, ut plures aliæ, devenerat, eaque ad comites Porcenses quasi hereditario jure transmissa erat. Tunc temporis eam tenebant Henricus Annal. Bened. Tom. VI.

XI. S. Mariæ ecclesia Porcensis S. Nicasio data. * Chateau Pourcien.

ANN. CHR. 1143.
 a Marlot. to. 2. p. 337.
 X I I.
 Sueffionensis abbatissæ.
 b Hist. N. D. p. 148.
 X I I I.
 Valciodorenses abbates & quidam eventus.
 c Spicil. to. 7. p. 566. & 569. § 599.
 d lib. epist. 6.

cus Porcensis & Clarembaldus de Roseto: sed tandem iniquæ possessionis a Samfone episcopo admoniti, eam in ipsius manus *obientu Nicolai abbatis* resignarunt, eo pacto, ut S. Nicasii Remensi monasterio conferretur, & in cellam monachorum erigeretur. Ulro assensit Samfon archiepiscopus, cujus hac de re litteras Marlotus^a refert, datas hoc anno, ejus pontificatus tertio: quibus apposita sunt signa Jossenii Sueffionensis episcopi & Joffridi Catalaunensis seu Gaufridi, qui hoc ipso anno deceffit; tum Bernardi Claræ-vallensis abbatis, Odonis S. Remigii, Hillini S. Theoderici, Albrici S. Basoli, Ursionis S. Dionysii Remensis abbatum. quod Eugenius III. confirmavit. In illa ecclesia quatuor primo instituti sunt monachi, quibus duo alii postmodum adjuncti: sed nunc ad simplex sacerdotium hæc cella redacta est. Plura hac de re apud Marlotum, qui Porcensium comitum hac occasione, necnon Grandipratensium feriem exhibet. Non diu post hæc superstes fuit Nicolaus S. Nicasii abbas, qui anno sequenti post annos sexdecim præfecturæ IV. kal. Octobris mortuus in cella Fivenfi prope Insulas, ibidemque sepultus est: cui Guillelmus abbas ad tres tantum annos subrogatus, Johannem ad decem annos habuit successorem. De altera ecclesia S. Theobaldi, quæ in suburbio ejusdem castri in cellam erecta est, in superioribus agimus.

Apud Sueffionas in parthenone beatæ Mariæ sub finem hujus anni, scilicet XIII. kal. Januarii, ex hac luce subtracta est Mathildis abbatissa ejus nominis prima. Hanc excepit altera Mathildis Tolosana, cujus parentes Raymundus V. comes Tolosanus, & Constantia Ludovici VI. filia exstiter; adeoque Ludovicus VII. ejus patruus, qui eidem monasterio benevolam se præbuit. Hujus abbatissæ tempore delatæ sunt Leodicum usque sacræ ejus loci reliquiæ ad colligendas eleemosynas in fabricam novæ basilicæ, quæ ejusdem Mathildis curis & impensis, qualis nunc cernitur, exadificata est. Hæc quoque ab Eugenio III. Hadriano IV. & Alexandro III. privilegia obtinuit: ex quibus Hadrianus in litteris^b ad Galliæ episcopos ait, eos non ignorare, quod monasterium S. Mariæ Sueffionensis ad jus & proprietatem S. Petri pertineat. His præclare gestis, e vita migravit Mathildis XII. kal. Novembris. Marfilia ei successit, cujus etiam benefacta in necrologio domestico norantur, de qua plura inferius.

Jam sæpius in superioribus libris actum est de Valciodorensi seu Valciodorensi monasterio, quod sæculo decimo ab Eilberto comite prope Dionantum ad Mosam conditum est. Hunc locum rexit usque ad annum præcedentem Widricus duodecimus abbas, cui communi fratrum assensu successit Theodericus eo nomine secundus, Hugonis de Gabelo^c viri nobilis filius: cujus tempore multa memoratu digna gesta fuisse testati sunt Walterus prior & domnus Lietbertus, qui post eum tertius abbas exstitit: sed pauca eorum ad notitiam nostram pervenerunt. Unum est, quod ejus studio corpora sanctorum martyrum Candidi & Victoris ex legione Thebæana, necnon quarundam sanctarum virginum Colonensium in Valciodorensis basilicam translata sunt. *Exstant*, inquit Valciodorensis chronographus, *magistri Richeri penes nos præclari monumenta ingenii in opusculis, quæ de translatione corporum sanctorum martyrum Candidi & Victoris, & sanctarum virginum Colonensium edidit: qui toto vitæ suæ tempore in schola virtutum Christi sub magisterio magis doceri quam docere volens, hic Deo se vocante beato sine quievit.* Legimus duo illa Richeri opuscula in quibus nec stilus, nec narratio chronographi elogio respondent. Candidi & Victoris translatio, procurante Widrico Theoderici abbatis fratre, facta est ex eorum basilica, quæ in loco Hania dicto sita erat sub dominio Rodulfi ejusdem Widrici nepotis; facta est, inquam, *idibus Januarii anno millesimo centesimo quadragesimo tertio ab incarnatione Domini, indictione sexta, anno imperii sexto Cunonradi secundi, Leodio Alberone secundo fasces præsulatus exercente, sub Theoderico abbate, anno sui regiminis secundo.* [Eodem abbate Robertus ejusdem loci monachus vitam & miracula S. Forannani primi Valciodorensis abbatis conscripsit, misitque ad Wibaldum opus suum, ab eo examinandum & emendandum.^d At ille Theoderico abbati & fratribus suis respondit: *Si labores nostri pro ecclesia, si regni quibus obligamur negotia prosperos habeant exitus, & nobis aliquot sepositis curis, aliquando indulgeant otium, id præstiturum, vos interim eo quo cepistis studio B. confessoris miracula amplectimini & memoriæ tradere curate.*] Eodem etiam abbate Johannes Hasteriensis cellæ prior ab eo institutus, novitatum amator, adversus Valciodorenses rixas movit, quas repressit Theodericus, scriptis ad varios episcopos & principes epistolis per Willibaldum magistrum, qui ex Valciodorensi monasterio ad Stabulenses scholas regendas ac demum ad abbatialem

ANN. CHR. 1143.
 X I V.
 S. Maximini Trevirensis urbis & reformatio.
 a lib. 76. n. 9.
 b Bern. ep. 323.
 c id. ep. 179.
 d id. ep. 180.

dignitatem assumptus est. Hic post Theoderici secundi obitum electus Valciodori abbas, *ab hoc onere sese humi prostratus excusavit*; ejusque consilio Robertus decanus subrogatur, qui Valciodorenses ad meliorem frugem revocavit. Hujus tempore in Salemannensi ecclesia, amotis clericis monachi substituti sunt. Ejus successor Petrus, ex Hasteriensis assumptus cella, abbatialem sedem in eam transferre, & Valciodorum ei subicere molitus est, sed non valuit. Petrum excepit Lietbertus seu Libertus abbas sextus-decimus, e gremio electus, qui tamen in Hasteriensis cella electionem suam fieri passus est. Hinc Hasteriensis eum apud se habere ac retinere volebant: at ille Valciodorensis ecclesiam, in qua nutritus & religionis ac scientiæ rudimentis imbutus fuerat, merito præferendam censuit. Hic Leodium profectus in morbum incidit; ibique mortuus, in ecclesia sancti Laurentii sepultus est, Hugone de Petra-ponte jam episcopo Leodiensi; ac proinde post annum millesimum ducentimum, quo Hugo Leodiensem cathedram conscendit. Nunc ad ordinem rerum, quas modo tractamus, revertor.

In Trevirensi sancti Maximini monasterio ingentem perturbationem excitatam fuisse jam vidimus per scordiam & malam administrationem Gerardi abbatis, a quo monachi quidam secessionem fecerunt, cum alii, disciplinæ frenis laxatis, pro libito quidvis agerent. Ad hæc Conradus Luciliburgensis comes, & post illum Henricus ejus gener, advocati nomine vexabant monasterium, cujus facultates abbas ipse decoquebat. Hac occasione usus Albero archiepiscopus, monasterium de manu laica eripuit, sibi que subicere tentavit, & amoto prodigo & malæ famæ abbate, monachorum mores reformare. Inter hæc monachi, pars Alberoni adversus abbatem adhæserunt, pars in Alberonem pro libertate monasterii, steterunt. Conventus ab utrisque Innocentius papa, libertatem monasterii adversus Alberonem tueri pergit. His intervenit sanctus Bernardus, scriptis ad Innocentium epistolis pro archiepiscopo contra abbatem & monachos. In una ex his epistola^b ipse archiepiscopi in apostolicam sedem merita prædicat vir sanctus, tum subinfert. *Quid ergo displicuit in eo paternitati vestra? Numquid quod ecclesiam illam beati Maximini de regia potestate extraxit, ut sacerdotali subiceret? Numquid quod hominem illum qui, ut aiunt, prius dux quam miles, prius abbas quam monachus esse voluit, non suscepit? Si ergo hoc, vel aliquid aliud in eo displicuit, dignum tamen erat, ut apud pium patrem inveterata dilectio non periret, sed operiret gratia culpam, & hominem in paucis reprehensibilem, laudabilem in pluribus, multorum beneficiorum recordatio excusaret. Nunc autem, domine, exaltaisti dexteram deprimentium eum, letificasti omnes inimicos ejus. Hæc pro Alberone Bernardus, de abbate vero hæc subdit. *Mirabile siquidem est in ocalis multorum, quo vite merito, qua opinione boni positus sit in regimine animarum homo, qui accepit in vano animam suam. Quomodo namque poterit regere, qui regi non potuit? quomodo audebit præesse, qui subesse non didicit, vel obedientiam imperare subjectis quam prælatis exhibere non novit? Denique, de monachis loquens, qualis pater, inquit, tales filii, qui matrem suam crudeliter eviscerarunt, ut haberent unde foverent schismata & dissensiones, de quorum tamen moribus & conversatione honestius est silere, quam aliquid loqui.**

His non obstantibus Innocentius Maximinorum libertatem asseruit, qua de re Bernardus graviter conquestus est repetitis epistolis, quarum una^c sic habet. *Quomodo malitia vincit sapientiam? Nosti, domine, nosti Trevirensis archiepiscopum? scio quia nosti. Nosti & illum S. Maximini non sanctum abbatem? puto quia non nosti. Quis dignior honore illo priori? sic nemo confusione dignior isto sequenti. & tamen iste honoratus est: ille opprobrio datus. Tum subdit Bernardus subreptum fuisse Innocentio contra archiepiscopum; quod emendari postulat; idque amplius urget alia^d epistola his verbis: *Iterum supplicatio, iterum preces, & decies repetita non desinent. & infra. Prior vester secure supplicat pro Trevirensi, & sic instat, non quasi in incertum. Ego quippe, ego hominis illius novi merita, causam, intentionem. Propter quod horum eum volunt monachi lapidare? Quia male meruit: sed fideliter adstitit, & multum servavit. Ob causæ injustitiam? Sed injustum nemo, nisi injustus, causabitur, quod de manu laica vindicavit, immo recuperavit sedi episcopali monasterium, tamquam clavam de manu Herculis extorquens in manu fortiori. Ob pravitatem intentionis? Sed pium est reformare religionem in monasterio: quod ille inten-**

ANN. CHR.
1142.

dit. Adsit Dominus cordi domini mei, ne iterum possit ei subripi a monachis, non tam, ut simulant, appetentibus libertatem, quam fugitantibus disciplinam. Hic duo maxime urget Bernardus: unum fatius esse, ut S. Maximini monasterium *sedi episcopali*, quam manui laicæ subjiciatur; alterum, libertatis seu immunitatis privilegia non debere suffragari monachis, *non tam appetentibus libertatem, quam fugitantibus disciplinam.*

Tandem *Adalbertus Trevirorum archiepiscopus*, sic Alberonem vocat Dodechitus, *expulsus prioribus monachis de sancto Maximino, constituit ibi abbatem, Sigerum nomine*: sed unde assumtus sit iste abbas, non dicit. Trithemius ait, Gerardum abbatem in monte S. Disibodi exulem aliquamdiu mansisse, interdum etiam cum Bernhelmo primo Spanheimensis cœnobii abbate, suam haud dubie graviter feientem miseriam. Monachos vero ab Alberone pulsos, venditis clenodiis & ornamentis ecclesiæ, quæ asportaverant, comitem Namurcensem tunc Luxemburgensem, Henricum nomine, mercede conductum concitasse adversus archiepiscopum, qui, collectis in eum copiis, triginta comitis munitiones everterit, tandemque monachos, omni destitutos auxilio, alios ad propinquos suos, alios ad alia monasteria se recepisse. Fuerunt, inquit a ille, qui scriberent hujus reformationis causam non zelum existisse regularis disciplinæ; sed magis fulcimentum avaritiæ. Nos vero, ait Trithemius, *bono zelo motum archiepiscopum non dubitantes, ejus constantiam laudamus. Quid enim sunt cœnobiaz, in quibus non observatur disciplina regularis, nisi quoddam ergastulum omnium vitiorum? Recte igitur, & Deo rem gratam faciunt, qui claustrales ad observantiam sui Ordinis compellunt. Utinam pontifices nostri omnes imitentur istum!* Hæc Trithemius, omnino ad mentem b sancti Benedicti, qui, sicubi perversi monachi vitiis suis consentientem abbatem elegerint, vult pravum eorum consensum & consilium ab episcopis, vel a vicinis etiam christianis prohiberi, & domui Dei dignum constitui dispensatorem; additque eos pro hac re mercedem bonam recepturos, *si illud caste & zelo Dei faciant, sicut e diverso peccatum, si negligant.* Neque id obstat monasteriorum exemptorum privilegiis, quæ cum ad monachorum quietem & profectum concessa sint, eorum vitiis & licentiæ patrocinari non debent. Verum reformatis semel monasteriis sua redit libertas & immunitas. Alias episcopi, non *caste & zelo Dei*, sed cupiditate id facere dicerentur. Unde non immerito Maximini nostri, & pro eis Zillefius, Alberonis archiepiscopi hac in re factum suæ immunitati præjudicare non debere asseruerunt.

[Anno M C X L I I I. Afchawense monasterium in Alfatia regebat Chunegundis abbatiſſa, quæ cum singulari eſſet prædita caritate, concedente Burchardo episcopo Argentoratensi & adſtipulante, communicato conſilio totius congregationis decrevit hoſpitale juxta ſtratam Romanam ædificare ad ſuſceptionem huc conſuentium peregrinorum, atque ad eorum conſolationem aſſignavit decimas omnium reddituum & penſionum ſuarum venientium ad cellarium ſuum, &c. *Acta ſunt hæc anno incarnationis dominicæ M C X L I I I. indictione VI. regnante Chuonrado glorioſiſſimo Romanorum rege III. anno episcopatus II. inquit Burchardus in ſua charta, & anno regni Cuonradi VI.*]

[Tanta per id temporis Puteacensium dominorum potestas & auctoritas erat, ut nostra perſæpe monasteria vim eorum experirentur; in primis Carnotenſe ſancti Petri cœnobium vexabant illicitis exactionibus; quas ut reprimeret Ludovicus rex Francorum d & dux Aquitanorum, ſuo diplomate notum facit, *quia genitor, inquit, venerandæ memoriæ Ludovicus monasterium S. Petri Carnotenſis ſpeciali devotione dilexit & protexit in vita, nobiſque tuendum protegendumque commendavit. Cujus inter cetera beneficia illud maximum præſata eccleſia recognoscit, quod terras & villas quas in Beſſia poſidet, ab omni vexatione & gravamine Puteacensium dominorum*, & ab omni prava conſuetudine jacendi & comedendi, & ab omni penitus exactione liberavit.* Poſt mortem Ludovici regis ejus patris, Ebrardus filius Hugonis Puteacensis domini injuſtas conſuetudines cum repetiſſet, admonitus a Ludovico Juniore rege ſuam agnovit injuſticiam, & ipſi atque *Udoni abbati rectitudinem fecit, & factam ibidem expenſam galgavit*: & ne in poſterum violentiam exercerent Puteacenses domini, privilegium patris ſui confirmavit Ludovicus Junior. *Actum publice Parisus anno ab incarnatione Domini M C X L I I I. regni vero noſtri VII. aſtantibus in palatio noſtro quorum nomina ſubtitulata ſunt & ſigna. Signum Radulfi*

a Chron. Hir-
ſang.b S. Bened. c.
64.X V.
Chunegundis
abbatiſſa Af-
chavenſis con-
ſtruit hoſpitale
ad ſuſceptionem peregrinorum.c Gall. chriſt.
to. 5. p. 482.XVI.
Ludovicus rex
compeſcit vio-
lentiam domi-
norum Putea-
cenſium.
d Ampliſſ. col-
lect. tom. 1. p.
773.

* Du Ruiſer.

Viromandorum comitis dapiferi noſtri. Signum Matthæi camerarii, S. Matthæi conſtabularii, S. Guillelmi buticularii. Data per manum Cadurci cancellarii. Eodem anno prædictus rex omnia quæ prædeceſſores ſui reges Robertus, Henricus, Philippus, & Ludovicus Groſſus eccleſiæ B. Vincentii & S. Germani de Laia contulerant, *videlicet decimam vini & annonæ meæ quæ attinet ad cellarium & granarium Piſſiaci, &c.* confirmavit.]

[Eodem pariter anno Cæleſtinus papa ſcripta ad Alberonem episcopum, clementiam & populum Leodienſem littera, confirmat latam ab eis excommunicationis ſententiam in eos qui Stabulenſe monasterium vexabant, hortaturque ut diſtractiones bonorum a Poppone II. factas reſtitui curent. *Tu vero frater episcopo, inquit, Henricum de Rape ſimiliter commoneas, ut domum Erebti fratris jam dicti abbatis Wibaldi, quam infra treugam in diebus ſacræ paſſionis deſtruxit, & ea quæ de bonis abbatiæ abſtulit, cum integritate reſtituat. quod ſi infra XL. dies poſt tuam commonitionem adimplere neglexerit, canonicam in eum ſententiam proferas, & nec iſte, nec alii de quibus ſupra dictum eſt, abſolvantur, donec eidem abbati digne ſatisfaciant, &c. Datum Lateranis v. kal. Januarii.*]

[Cum Romæ tunc verſaretur Wibaldus abbas, ampliſſimum duobus poſt diebus protectionis privilegium obtinuit a Cæleſtino recens in papam electo, quo ſub ſua & ſedis apoſtolicæ protectione eum & ejus monasterium Stabulenſe ſuſcipit, quæcumque etiam illius poſſeſſiones canonicè adeptas confirmat, in primis *Malmundarium, quod ſicut ab initio foundationis ſuæ fuiſſe diſcoſcit, ſemper ſubditum ſit Stabulenſi loco, quemadmodum cella monaſterio, monachi vero ipſius loci Stabulaus poſſeſſionem faciunt, & ubi abbas providerit benedicantur & ordinentur, nec pro eodem loco Stabulenſis abbas, qui pro tempore fuerit, cogatur Colonienſi archiepiscopo obedientiam promittere, vel animarum curam ab ipſo ſuſcipere, &c. Datum Laterani per manum Gerardi S. R. E. preſbyteri cardinalis ac bibliothecarii, III. kalendas Januarii, indictione XII. incarnationis dominicæ anno M C X L I I I. pontificatus vero domini Cæleſtini II. papæ anno I. Simile privilegium a Lucio II. Cæleſtini ſucceſſore anno M C X L I V. & ab Eugenio III. anno M C X L V I. obtinuit.]*

[Exſtat in diceceſi Moguntina antiquum S. Petri Erfordienſe monasterium pro canonicis primo fundatum; ſed tempore Sigefridi archiepiscopi ſæculum cum ejus pompis ſpernentes, cum aliò ad monachorum conſortium ſe transferre cogerentur, ex conſilio canonicorum, monachorum, laicorum zelum Dei habentium, canonicos qui tunc montem S. Petri inhabitabant, cum caritate & paſtorali diſpenſatione removit, & celebrata ſynodo, omnibus catholicis, qui ibi aderant, unanimiter in ipſum conſentientibus, monachos ibi ſubſtituit, ut in tam celebri loco penitentes invenirent quo conſugerent, & ſæcularium hominum ineptias monachorum orationes & exempla temperarent: quod poſtquam banno & privilegii ſui atteſtatione confirmavit, prædictam abbatiæ, tam ipſe quam ſucceſſores illius prædiis & mancipiis ceterarumque neceſſariarum rerum largitionibus magnifice locupletavit, &c. Hoc vero ipſo anno M C X L I I I. Henricus a archiepiscopus veſtigii prædeceſſorum inſiſtens litterarum ſuarum, & ſigilli ſui confirmatione ſub vinculo anathematis decrevit, ut quidquid ipſe locus habet in prædiis, quorum magnam enumerationem facit, a nullo lædatur, a nullo calumniam maliſioſe patiat, ſit liber ab omni ſæculari exactione, ab injuſto advocatorum & aliorum gravamine, & in eligendo abbate liberam habeat poſteſtatem. Hujus confirmationis teſtes fuere inter alios Burchardus Argentinenſis episcopus, Anſelmus Havelbergenſis episcopus, Hermannus majoris eccleſiæ decanus & S. Stephani præpoſitus, Wernherus abbas S. Albani, Volmarus Hirſſaugienſis, Cuno S. Diſibodi, Henricus electus S. Jacobi. *Acta ſunt hæc anno dominicæ incarnationis M C X L I I I. indictione VI. regnante rege Cuonrado hujus nominis III. Data Moguntia XIII. kal. Aprilis per manum Sigeloi notarii.*]

Poſtero anno, qui ejus ſæculi quadageſimus-quartus fuit, Cæleſtinus papa, ſemestri nondum exacto, pontificatu cum vita orbatus eſt VIII. idus Martii: quem ad breve tempus excepit Gerardus, ex canonico regulari preſbyter cardinalis tituli ſanctæ Crucis in Jeruſalem, Lucius II. appellatus. Forte Romæ aderat Petrus Venerabilis, cum Lucius electus eſt, inviſendi Cæleſtini cauſa, uti optaverat; b aut certe brevi poſt Lucii electionem Urbem adiit. Inde Cluniacum reverſus eſt, allatis ſecum Lucii papæ ad Cluniacenses litteris, quibus pontifex ab eis preces & ſacrificia

ANN. CHR.
1143.XVII.
Cæleſtinus papa confirmat latam excommunicationem in vexatores Stabulenſis monaſterii.XVIII.
Cæleſtini privilegium pro Stabulenſi monaſterio.XIX.
Henrici archiepiscopi Moguntini diploma pro Erfordienſi monaſterio.a Schan. Pind.
to. I. p. 182.ANN. CHR.
1144.X X.
Cæleſtino papæ ſuccedit Lucius II. Petri Venerabilis ad eum epistolæ.
b Petr. Ven. lib. 4. ep. 182.

ANN. CHR.
1144.
a *ibid.* ep. 19.

pro se fieri flagitabat. Tum Petrus Lucio scripsit^a in hæc verba. *Postquam a carissima mihi vestra paternitate recessi, quæ injuncta a patre fuerant, quæ mandata filiis & servis vestris Cluniacensibus, quæque alia a vobis mihi præcepta; non indevotus filius sollicitè, ut decebat, ac studiose cuncta complevi. Sacrificia frequentia, orationes pæne continuas, eleemosynarum multiformes erogationes, tam Cluniaci quam extra, tam per me quam per nuntios, fratribus nostris imposui. Quæ ipsi, auditis litteris vestris, cognito tam ex eisdem litteris, quam ex relatione mea & sociorum, multo erga se vestro affectu libentissime susceperunt, ac devotissime peragunt.* Dein Petrus obsecrat, certiore fieri de pace pontificis, tum cum Arnaldistis, qui Urbem conturbabant, tum cum rege Sicilia, ad quam componendam pontifex ad illas partes profectus erat.

XXI.
S. Sabæ monasterium per Cluniacenses reformatur.
b *ibid.* ep. 20.

c *ibid.* ep. 24.

In fine sibi rescribi postulat, an duodecim fratres cum abbate, ut ipsi a pontifice injunctum fuerat, Romam mittere debeat ad festum sancti Andrea. Ad has litteras respondet^b pontifex, se morbo graviter correptum fuisse, sed jam convalescere; cum rege Sicilia pacem facere non potuisse, sed tantum *treugam* seu inducias; denique sibi placere, ut tredecim ex suis fratres ad se quantocius mittat, quos honeste recipere, & ad honorem Dei & Cluniacensis ecclesiæ collocare in animo habebat, scilicet in quodam Romæ monasterio, ut ex alia^c Petri ad Lucium epistola intelligitur. In hac epistola venerabilis abbas ait, se juxta mandatum papæ de sinu Cluniacensis claustrum mittere dilectos fratres, quos patri communi, immo speciali suo commendat. *Commendamus eos, inquit, apostolicæ pietati, quia valde commendandi sunt. Causa enim Dei, virtute obedientiæ, violenter se sibi met ipsis subigunt; patrium solum deserunt, peregrina adeunt; nec mortem ipsam, quam Romanus aer nostratibus celeriter inferre solet, refugiunt; & ut sic dicam, quantum ad hanc Gallorum nostrorum formidinem, velut agni ad victimam vadunt.* & infra. *Constituuntur, si placeat, in uno ex duobus mihi Romæ a vobis nominatis monasteriis, veteresque coloni alibi collocandi pellantur. nam & juxta Apostoli vocem, MODICUM fermentum totam massam corrumpit; & ut vestra sapientia novit, diversi moribus, usibus, affectibus,*

Non bene conveniunt, nec in una sede morantur.

Et quia juxta Magnum Gregorium, DURUM videtur in pectore veteri nova meditari; resque pæne desperata est, monachum a pravo usu ad meliora instituta posse converti: cavendum est, ne, qui corrigi non possunt, corrumpant. Denique rogat, ut ne tredecim illi fratres ab invicem separentur: *quia per partes divisi, & nihil proficerent; & fructum, quem simul positi ferre possunt, perderent.* Id intelligendum de sancti Sabæ monasterio, ubi religio tunc elapsa erat, & pravorum hominum superabundante nequitia, bona & possessiones distracta, & ab ipso contra justitiam alienata, ut legitur in diplomate^d Lucii II. quo Petro abbati illud Cluniacense monasterium reformandum & ad meliorem statum disponendum committit. *Datum Romæ per manum Baronis S. R. E. subdiaconi XIV. kal. Februarii, indictione VIII. incarnationis dominicæ anno MCXLIIII. secundum veterem calculum; pontificatus vero domni Lucii secundi papæ anno primo.* Eisdem fratres de sancto Saba Eugenio III. Petrus suis litteris^e commendavit.

e *Petr. Ven. lib. 4. ep. 25.*
XXII.
Cluniacenses illustres mortui.
f *ibid.* ep. 41.

Inter hæc Petrus Venerabilis gravi mœrore ob quosdam e suis morte sublato correptus est. Unus ex his fuit Hugo, de cujus obitu eum litteris consolatus est Odo prior S. Martini de Campis, qui recens Theobaldo ad Parisiensem ecclesiam evecto successerat. Rescripsit ad eum Petrus^f, sibi longe majorem præ illo lugendi materiam esse super morte Hugonis. *Ut enim primo, inquit, de propriis loquar, quis jam a viginti & eo amplius annis, de universis qui sub cælo sunt hominibus, tam fideliter, tam constanter, tam perseveranter onera mea, a me sibi imposta, & devote causa Dei & mei suscepta, tulit, toleravit, quantascumque habere potuit vires, ea tolerando & mihi collaborando, consumpsit? Et, ut quæ sunt vestra subjungam, quis illo amplius vel adeo rempublicam vestram dilexit? . . . Hæc omnia breviter dicta. . . admonent nos, ut tam dilecti, tam cari, tam unici, fratris, filii, & amici, etiam post mortem non obliviscamur: sed, si veri amici fuimus, vel sumus, magis nunc mortuo, quam si viveret, ostendamus. Deploremus pia compassione funus ejus; prosequamur magis occultis lacrymis & precibus animam ejus: ut cui jam affectum nostrum ostendere non possumus, conridendo vel collatando, ostendamus orando, sacrificando, ac pie pro anima*

ANN. CHR.
1144.

ejus coram Deo collacrymando. Fiat hoc apud vos specialiter pro ipso, fiat & proprio nostro: fiat, si placet, & pro multis sanctis, religiosis & magnis coram Deo hominibus, nuper apud nos defunctis, quorum memoria, sicut bene novi, in benedictione est. Magnum & insignis meriti virum fuisse oportet illum Hugonem, cujus obitum præ illis sanctis & religiosis viris Petrus tantopere luget.

Non inferioris videtur fuisse meriti alter monachus, Johannes nomine, cujus obitum venerabili^g & carissimo suo domino de Rupibus, ipsius, ut videtur, Johannis priori vel abbati, significat his verbis: *Bonus juvenis, dignus amore, dignus memoria, frater noster, filius noster Johannes, quem mihi benigna dilectio vestra commiserat, quemque diu, ut optaveram, servare non licuit, nuper, hoc est idus Maii, rebus humanis exemptus, vitam præsentem, ut confido in Domino, meliore mutavit.* Tum infra morbum & mortem ejus describit inhunc modum. *Raptus est, ut æstimo, ne forte processu temporis a bono quod cœperat, malitia mutaret intellectum illius; aut ne fictio, quæ quandoque etiam profunde religiosis depravat, deciperet animam illius. Non est oblitus juvenis noster pro carnis incommodo salutis suæ; nec molestia corporis eum ab animæ suæ cura avertere potuit. Nam statim ut sensit gravari se ultra quam sperabat morbo concepto, totum cor, totam operam ad ea, quæ post mortem sequuntur, convertit. Et licet nondum desperaret de vita, adhuc integro sensu vigente, & ratione animi in nullo diminuta; antiquis & probatis in religione senibus nostris cuncta, ut post ipse mihi retulit, quæ de præterita vita sua occurrere potuerunt, meracissime confessus est. Nec his contentus, cum ei illa sufficere potuissent, mittit ad me nuntios, orat ut venirem: precatur ut eum pro officio absolverem. Eram & ego tunc temporis æger, nec ægros pro more nostro facile visitare valebam. Coëgit tandem me ipsum, & licet non adeo, æger tamen ad agrum accessi. Urgebatur ille graviore solito morbi molestia, sensu tamen integer perdurabat. Quid multa? Velut ab initio cuncta demum replicat, nec ipsa quotidiana & puerilia intermittit. Flebat ita de levibus, ac si de gravissimis peccatis, & quantum poterat sincerissima ac lætuosa confessione, animam corpusque suum benigno salvatori affectuosissime commendabat. Quodque nullomodo tacendum est, cum in confessione illa gloriosa Matris Domini occurrisset casu aliquo memoria, jam singultus singultibus, fletus fletibus jungebantur, & confessionis continuatio ad illius nomen, cujus se maxime auxilio salvari sperabat, lacrymosæ devotionis augmento interrompebatur. Item cum morbi importunitas eum contentem aliquando vehementius aggravaret: Sancte-Spiritus, inquit, auxiliare mihi, & si quid de confessione oblitus sum, mihi ad memoriam revoca. Hoc non semel, nec bis tantum, immo sæpe dicens, docebat me quanta cura quis deberet confiteri majora, cum ipse tanto studio confiteretur etiam minora. Deinde a me absolutus, penitentia indicta, confessione fidei & dominica oratione me jubente præmissa, biduo supervixit. Quo toto biduo omni corporis cura abjecta ad divinam tantum clementiam invocandam totum animum, & quidquid virium habere poterat contulit, atque in hac mentis intentione, diem vitæ ultimum clausit. Hactenus venerabilis Petrus, quæ fuscæ, & ipsis ejus verbis referre visum est, quod hæc Johannis mors singulares, piæque circumstantias præferat. Hic porro non erat ipsius Cluniacensis cœnobii monachus, sed Petro abbati ab eo, cui hæc inscripta est epistola, commendatus, ut clare demontant ejusdem epistolæ hæc verba. *Optaveram, inquit Petrus, eum, mihi a vobis bonum commendatum, meliorem remittere: sed, ut credo, melius & mihi, & vobis, ipsique contigit: quia, quem vobis restituere non potui, Deo, a quo eum maxime susceperam, reconsignavi.* Quis autem, qualisve fuerit ille de Rupibus prior sive abbas, non vacat ariolari.*

Tunc temporis Senonensi sanctæ Columbæ monasterio præerat Theobaldus abbas, cujus rogatu Hugo Senonum archiepiscopus hoc anno S. Lupi ejusdem urbis quondam episcopi reliquias populo ostendit; isque post missam & sollempnem processionem aliquam sibi earum portionem dari postulavit. Ejus postulatis annuens abbas, quamdam S. Lupi capitis partem cum aliis ejus ossium particulis eidem concessit archiepiscopo, qui eam in ecclesia beati Lupi de Naudo* reposuit. quod ipse litteris suis testatum facit, in quibus ecclesiam illam ipsius sancti frequentibus miraculis illustratam fuisse dicit. Hinc gravis jurgiorum materia inter illius ecclesiæ parochianos & monachos orta est super possessione corporis S. Lupi, quæ contentio jussu Romani pontificis per Hugonem archiepiscopum, qui eas in S. Columbæ ecclesia populo exhibuit, tempore Odonis abbatis terminata est. Idem Hugo

XXIII.
Johannis monachi pius obitus.
a *ibid.* ep.

XXIV.
S. Lupi reliquiarum miraculis illustratæ.

* No.

ANN. CHR.
1144.

discidium, inter monachos S. Columbæ & sanctimonialia Paracliti, super decima territorii Pomerii, quod de jure S. Columbæ erat, exortum, composuit; idque Helvisa seu Heloissa abbatissa cum conventu Paraclitenſi ratum habuit tempore Theobaldi abbatis, cui Ludovicus Junior omnia monasterii bona & privilegia anno ſequenti confirmavit.

XXV.
Theobaldus
ex priore S.
Martini fit epi-
scopus Pari-
ſienſis.
a ſupra n. 4. §
5.

Post mortem Stephani Parisiorum episcopi, quam anno præcedente a retulimus, vacavit aliquamdiu episcopalis sedes ob discidium regis Francorum cum Romano pontifice: sed tandem pacatis jam rebus, & Petro Castrenſi in ſede Bituricenſi confirmato, Parisienſis eccleſiæ clero conceſſa eligendi facultate, omnium ſuffragia in Theobaldum priorem S. Martini a Campis convenerunt, virum pietate ac religione inſignem, qui venerabilem Matthæum, futurum Albanenſem episcopum, apud S. Martinum admiserat, & regularibus informaverat inſtitutis. Certe ejus electionem hoc anno factam fuiſſe probat Lucii II. diploma S. Martino de Campis sub finem hujus anni ad preces ipsius Theobaldi jam episcopi indultum, ut mox videbimus. Verum dilatam ſaltem ordinationem ad annum ſequentem fuiſſe evincit ejuſdem Theobaldi episcopi authenticum diploma, quo *monachis in eccleſia S. Martini ſanctique Germani prope caſtrum Pontifara Domino ſervientibus* confirmat eccleſiam S. Præjecti apud villam Turnum*, jam olim ab antecessoribus ſuis Gaufrido atque Stephano eiſdem conceſſam. *Actum Parisus anno ab incarnatione Domini MCXLVIII. episcopatus ejus III.* in diſerte in authentico legitur, appoſito ejus ſigillo, in quo ipſe ſacris veſtibus indutus exhibitur. adeoque non ante annum MCXLV. ejus promotio ad Parisienſem episcopatum tranquilla & quieta fuit. Is erga Hederenſe monasterium, uti ejus antecessor, optime affectus fuit, ut inferius videbimus.

* S. Prix au
Tour.

Odo post eum
prior.
b Petr. Ven. lib.
1: ep. 13.

In ejus locum ſuſſectus eſt prior apud S. Martinum Odo, in ferie priorum octavus: cui necdum priori Petrus b Venerabilis acceptis ejus litteris, reſcribit in hæc verba. *Cupio reſpondere litteris tuis, & ecce miro modo agitur, quia inde me ad loquendum provocant, inde magis mihi ſilentium important. Nam quoties, frater carissime, eas lego, toties beata anime tuæ faciem, velut in clarissimo ſpeculo intueor; & quid animi in tranſeuntibus, quid ſtudii in æternis geras, omni clarior luce conſpicio. Video te, velut de ſublimi ſpecula Sion, quid in inferioribus Jericho geratur deſpicere, & mundana omnia ſaſtidentem de crasso ac fumoſo noſtro aère in auras ætheris libertas evaſiſſe.* Is erat Odo Petri abbatis judicio in privata monachi vita. Idem Odo jam prior & Theobaldus episcopus eundem Petrum de morte quorundam illuſtrium Caſinenſium conſolati ſunt.

XXVI.
Theobaldi epi-
scopi quædam
acta.
c Hiſt. S. Mar-
tini p. 176.

Erga S. Martini de Campis monasterium Theobaldus episcopus paternum ſemper gerebat affectum, ut fidem facit Lucii papæ c diploma, quo illius monasterii eccleſiæ, cellæ & poſſeſſiones confirmantur. Id enim pontifex ſe facere dicit precibus inclinatus *dilecti in Domino filii & venerabilis fratris ſui Theobaudi Parisienſis episcopi, qui per Dei gratiam eidem loco utiliter præeſſe diſcoſitur.* Datum eſt hoc diploma nonis Decembris hoc anno, indiſtione VIII. a Septembri inchoata, Lucii papæ primo. Idem Theobaldus episcopus etiam optime affectus fuit, ut Stephanus ejus antecessor, in Hederenſe d virginum monasterium, ut varia ejus diplomata probant. Unum eſt quo teſtatum facit, quod Eufſtachia de Corboilo ſeu Corbolio, monasterii altera fundatrix, Hederenſibus virginibus terram de Cantu-lupi * hoc pacto dederit, ut ejus reditus infirmarum neceſſitatibus inſervirent. Insuper quod eidem monasterio contulerit *vadum de Campo-moroſo*, ut ex ejus reditu toti conventui lineæ veſtes emerentur. Denique quod eadem Eufſtachia & Balduinus de Corboilo ejus gener decimam Ofunvillæ ad alia neceſſaria comparanda donaverint. Hoc inſtrumentum caret chronicis notis, uti & aliud ejuſdem Theobaldi episcopi, confirmantis donationem cujuſdam decimæ apud Silviniacum, quam fecerat Gillebertus vicecomes de Corboilo, in gravi infirmitate conſtitutus, ut ipſi eadem ſanctimonialia precibus ſuis ſuccurrerent. Ex ſuperiori autem inſtrumento intelligitur, Eufſtachiam de Corboilo ad annum ſaltem MCXLIV. perveniſſe, quo anno Theobaldus episcopus Stephano episcopo recens ſucceſſerat. Idem confirmatur ex aliis ejuſdem episcopi litteris, quibus confirmavit quamdam donationem, Hederæ factam ab Odone-Briardo, cum filias ſuas ſacræ ſub religionis norma victuras Hildiardis abbatissa ejus rogatu ſuſcepit, *vidente Eufſtachia Friderici matre.* Hæc ſepulta eſt in Hederenſi eccleſia, ubi nuper ejus tumulus ſuper quatuor columnellas erectus viſe-

d V. lib. 77. n.
21. § 22.

* Chantelon.
XXVII.
Eufſtachie de
Corbolio He-
deræ fundatri-
ci factæ dona-
tiones, & obi-
tus.

batur. In ejus loci neologio laudatur his verbis III. kal. Februarii, *Obiit Eufſtachia venerabilis matrona, quæ fundavit eccleſiam Ederenſem anno Domini MCXXXII. & omnia fere ædificia hujus monasterii ſuis propriis ſumptibus ædificavit.*

Inter ea Sugerius S. Dionyſii abbas, perfecta baſilicæ a anteriori parte, cum per triennium multo ſumtu, innumero artificum numero, æſtate & hieme, ſuperiorem ejuſdem baſilicæ partem ſtupenda celeritate conſtrueret, in ornatum quoque altarium, totiuſque eccleſiæ ſtadium ſuum contulit. Prima ei cura fuit de altari ſanctorum martyrum Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii; cui tabulam auream impoſuit, auri marcis circiter quadraginta-duabus conſtantem, & multiplici gemmarum genere exornatam: ad cujuſ confectionem reges, principes, & episcopi anulos ſuos & margaritas pretioſas certatim contulere. Conſimili etiam magnificentia princeps altare, cujuſ anterior tabula a Carolo-Calvo ex auro & lapillis fabrefacta erat, eo lubentius decoravit idem Sugerius, quod eidem altari *ad monaſticum propoſitum oblatus* fuiſſet. Unde utrique lateri & fronti aureas appoſuit tabulas, *ut totum circumquaque altare appareret aureum*, ſuperpoſitis hinc inde aureis itidem candelabris, quæ Ludovicus-Philippi (ſic Groſſum vocare amabant) ex viginti marcis auri fabricari mandaverat. In hujus rei monumentum dextro lateri hos verſus inſcribi curavit.

*Has aræ tabulas poſuit Sugerius abbas,
Præter eam, quam rex Karolus ante dedit.
Indignos venia fac dignos Virgo Maria.
Regis & abbatis mala mundet ſons pietatis.*

Siniſtro vero lateri:

*Si quis præclaram ſpoliaverit impius aram,
Æque damnatus pereat Judæ ſociatus.*

Ad hæc ingentis pretii crucifixum aureum, quater-viginti circiter auri obrizi marcis conſtantem, fieri curavit: cui exornando cum gemmas anxie perquireret; inopinato adſuere b trium abbatiarum religioſi viri, Ciſtellenſis ſcilicet, & alterius ejuſdem Ordinis, necnon Fontis-Ebraldi, qui omnigenos lapillos, ſaphiros, ſmaragdus, topazios alioſque attulere: quos Sugerius *quater-centum libris*, cum longe pluris valerent, comparavit. Hunc crucifixum Eugenius III. cum in Galliis demoraretur, die ſancto paſchæ conſecravit, dirasque iis interminatus eſt, qui manus in tam pretioſum monile ipſicerent. Verum tam ſacro monumento extremis civiliſium bellorum ſub Henrico IV. procellis, nihilo magis parſum eſt, cujuſ ſolida ex auro Chriſti Domini imago undecies-centum nonaginta-ſeptem c nummis argenteis ſeu ſcutis, ut vocant, Francicis, venalis fuit. Denique altare illud ſanctum antiquitus appellatum, quod tumulo Caroli-Calvi præminebat, renovavit Sugerius, detectis ſanctorum reliquiis, brachio ſcilicet protomartyris Stephani & Vincentii levitæ & martyris brachio, in eo contentis, quas idem Carolus ex theca imperiali acceptas ibidem repoſuerat: ubi crux miræ quantitatis inter altare illud & tumulum ejuſdem Caroli ſuperpoſita erat: in cujuſ medio *nobiliffimum monile Nantildis reginæ, uxoris Dagoberti eccleſiæ fundatoris confixum* eſſe fama teſtatur. Mitto vaſa quamplurima ex auro & pretioſis lapidibus, quæ idem piiffimus abbas in uſus eccleſiæ obtulit. Hæc ſingillatim ille commemorat in libro de rebus in adminiſtratione ſua geſtis, ubi factum ſuum contra cenſorum quorundam judicium excuſat d his verbis: *Abundet unusquique in ſuo ſenſu: mihi fateor hoc poſſimum placuiſſe, ut quæcumque cariora, quæcumque cariſſima, ſacroſanctæ Eucharistiæ amminiſtrationi ſuper omnia deſervire debeant. Si libatoria aurea, ſi phialæ aureæ, & ſi mortariola aurea ad collectam ſanguinis hircorum aut vitulorum, aut vaccæ ruſæ, ore Dei & prophetæ juſſu deſerviebant: quanto magis ad ſuſceptionem ſanguinis Jeſu-Chriſti vaſa aurea, lapides pretioſi, quæque inter omnes creaturas cariſſima, continuo ſamulatu, plena devotione exponi debent? Certe nec nos, nec noſtra his deſervire ſufficiamus.* Hæc & alia plura Sugerius, ut ſuam in res divinas magnificentiam approbaret, quæ ſane talem ac tantam baſilicam, talem ac tantum virum decebat.

Peractis itaque omnibus, quæ tum ad eccleſiæ fabricam tum ad ejus ornatum pertinebant, eximius abbas ejus dedicationem ſolemniſſimo quo potuit modo fieri curavit. Cum autem menſe Junio, quo *pene omnia virtualia cara erant*, de ap-

Annal. Bened. Tom. VI.

Bbb

ANN. CHR.
1144.
XXV III.
S. Dionyſii ba-
ſilica perſicitur
& ornatur.
a V. lib. 77. n.
75.

b ibid.

c Felib. Hiſt. de
S. Denis p. 416.

d Cheſn. co. 4.
p. 346. § ſeqq.

XXIX.
Dedicatio ejus
quam celebris.
c ibid. p. 356.

ANN. CHR.
1144.

paratu proximæ consecrationis cum suis tractaret, & carnes arietinas propter ovium, quæ eodem anno extiterant, morticina, in Aurelianensi pago & in Burgundia quaeritari oporteret; præter spem *quidam de fratribus albis monachus*, a fratribus suis missus, arietum gregem maximum a se adductum obtulit. quod pius abbas miraculo factum reputavit. Tum futuræ consecrationi basilicæ indicta Junii secunda dominica, videlicet III. idus, quo die festum sancti Barnabæ celebratur. Mox invitatoriæ per universas Gallia regiones missæ epistolæ ad archiepiscopos & episcopos, ut tantæ celebritati adesse ne gravarentur. Rex ipse Ludovicus, ejusque conjux Aanor seu Alienordis, & Adela regis mater cum regni optimatibus perendie adventarunt. Adfuere etiam quatuor archiepiscopi, Samson Remensis, Hugo Rotomagensis, Guido seu Wido Senonensis, & Theobaldus Cantuariensis. Ex episcopis Gufredus Carnotensis, Jostenus Sueffionensis, Simon Noviomi, Elias Aurelianorum, Odo Belvaci, Odo Autifiodori, Alvisas Atrebatum, Guido Catalauni, Algarus Constantiarum, Rotocus Ebroicensis, Milo Teruanensis, Manasses Meldensis, & Petrus Silvaneftensis, omnes numero tredecim episcopi, quibus addendus Nicolaus Cameracensis, præter quatuor metropolitanos. Tota nocte dedicationem antecedente in divinis laudibus pernoctatum est. Prima luce archiepiscopi & episcopi, sacris ornati infulis, ex suis hospitibus ad ecclesiam processerunt, eamque aqua lustrarunt. Tum extracta e suis tumulis sanctorum martyrum scrinia, quæ rex ipse cum episcopis humeris suis sustulit, aliasque sanctorum reliquias comites simul & barones deportarunt. Ordinata per claustrum processione, relata sunt sacra martyrum corpora super antiquum altare, dum Samson Remorum archiepiscopus novum consecravit. Eodem ritu consecrata aliæ viginti aræ, quarum mediam salvatori nostro, sanctorum choro Angelorum & sanctæ Cruci Theobaldus Cantuariensis archiepiscopus; aram beatæ Mariæ Hugo Rotomagensis, alii alias episcopi consecrarunt. Hæc omnia, quæ tum de ecclesiæ constructione & ornamentis, tum de ejus dedicatione relata sunt, fusc exposuit Sugerius ipse in libro de rebus in administratione sua gestis, & in altero de consecratione ecclesiæ, in quibus cum nomine proprio loquatur, hi libri non alteri quam ipsi tribuendi videntur: tametsi quidam codices Guillelmum monachum præferant, forte descriptorem.

XXX. Non diu post hanc dedicationem supervixit Guarinus Ambianensis episcopus, cuius obitus hoc anno contigit, in Corbeienfi necrologio notatus VII. idus Novembris. Post eum electus est ad hunc episcopatum Theodericus, ex monacho S. Nicolai de Silva tunc abbas S. Eligii Noviomenfis: quem Samson Remorum archiepiscopus consecravit *sequenti anno*, quam Guidonem Catalaunensem episcopum, qui prædictæ S. Dionysii ecclesiæ dedicationi interfuit, consecraverat. Idem Theodericus episcopus ab expeditione sacra Sugerio se excusavit ob debilitatem virium, quam in obsequio papæ & regis se contraxisse dicit. Hæc epistola tricesima quarta^b est inter Sugerianas. Alteram^c eidem Sugerio scripsit de electione abbatis S. Richarii, de qua inferius. Vitam produxit Theodericus usque ad annum MCLXIII.

XXXI. Eidem in abbacia Eligiana successit Guibaldus seu Wibaldus, cui Simon Noviomenfis episcopus altare Genvriaci donavit anno MCXLVII. testibus Gisleberto S. Nicolai de Silva abbate, Balduino S. Quintini de Insula, Guarino S. Præjecti & Hugone S. Quintini de Monte nostri Ordinis abbatibus, necnon Garnerio S. Bartholomæi Ordinis S. Augustini abbate. Superstes fuit Guibaldus ad annum MCLXVIII. magno suorum desiderio extinctus pridie idus Novembris ex necrologio, in quo monasterium ædificiis decorasse, librisque bibliothecam auxisse dicitur. Rainaldus ejus successor dormitorium ac refectorium ab eo exstructa operuit. Is concilio Romæ anno MCLXXIX. habito interfuit, indeque varia ecclesiastica ornamenta retulisse dicitur. Quadriennio post, ingens & perversa de S. Eligii corporis possessione contentio monachos inter & cathedralis ecclesiæ canonicos emerfit, de qua suo loco agendum.

XXXII. Ubi primum Lucius papa thronum apostolicum conscendit, diversarum ecclesiarum statui consulturus, duos a latere suo legatos nostri Ordinis emisit, Albericum Ostiensem episcopum in Franciam, Ymarum Tusculanensem in Angliam, testante chronographo^d Mauriniacensi, qui hunc *Haimerum* vocat. Hi ambo Floriacensem beati Benedicti abbatiam in *pernicioso statu positam* cum cognovissent; Ademaro abbate deposito, Macarium Alberici nepotem, tunc Mauriniacensem^e abbatem, ei substituunt, ut locum ad Cluniaci instituta, quæ ille in cella Longi-pon-

XXXII. Legati duo nostri Ordinis Floriaco Macarium præficiunt. ^d *ibid.* p. 387. ^e *V. lib.* 77. n. 57.

ANN. CHR. 1144. Thomæ de co-funota epistola. ^a Baluz. Miscell. to. 4. p. 459.

tis professus erat, reformaret. Hic Mauriniacensi monasterio impositus fuerat loco Thomæ abbatis, qui, abdicato sponte regimine, ad S. Martinum de Campis spiritalis otii causa secesserat. At, cum post Macarii translationem ad Mauriniacensem abbatiam, uti cupiebat, obfistente forte Alberico, regredi non potuisset, eum averfari cœpit. Hinc famosam de eo & de Alberico legato epistolam^a ad S. Bernardum scripsit, questusque est, quod Albericus, *cum sub Romana legationis officio Gallias circumiret & perambularet miracula faciendo*, ut ille ironice loquitur, *Macarium nepotem suum, læsæ opinionis hominem, corpore pinguem, corde duplicem, ore bilinguem, de nova parvaque & paupere abbacia in antiquam, magnam & divitem sancti Benedicti abbatiam transposuisset, inaudita hac conventionione interposita, ne Cluniacensis ordo inibi intrmitteretur, neve quisquam de fratribus illis ad aliquem locum Cluniaco subditum mitteretur*. Verum hæc, uti & sequentia, quæ de Alberico & de Lancelino, altero ejus nepote, subdit I homas, rancoris animo dicta & conficta esse patet ex chronographo Mauriniacensi, qui Macarium laudat, eumque ad Floriacensem abbatiam transpositum fuisse scribit *ad illius statum juxta Cluniaci consuetudinem viriliter innormandum*. Non minus commentitium est quod de Alberico addit, quasi alterum nepotem suum Lancelinum, quem multis probris aticit, vi quadam ecclesiæ Mauriniacensi subrogare conatus sit: cum ex prædicto chronographo constet, liberam eligendi successoris facultatem Mauriniacensibus a legatis datam fuisse. Ea ipsa chronographi verba. *Absolventes ergo nos legati ab illius Macarii obedientia, licentiam nobis & facultatem patris eligendi dederunt. Nos vero spiritus confilii, quam super hoc nobis attulerat, intimationem sequentes, elegimus Thevinum Argenteoli priorem, multimoda sapientia laude famosum: de quo sine mendacii ambiguitate possum affirmare, quia in omni tempore suo non est in Francia elegantior & speciosior visa persona. Hanc electionem cum rex & prædicti episcopi confirmassent, domnus Toinus* (sic promiscue Thevinus & Theoinus a chronographo vocatur) *Senonas profectus, & a Gufredo Carnotensi episcopo, qui archiepiscopo absente ejus in officii executione vicarius esse solet, benedictione sollempni sublimatus est*. Nihil in toto illo chronographi contextu ullam Alberici cardinalis super abbatis electione vim aut artem refolet; nulla de Lancelino mentio: immo integra libertate factam fuisse Thevini electionem auctor ille diserte prodit. Qua igitur de causâ tantopere in Albericum exacerbatus erat Thomas? Nempe quod translato ad Floriacensem abbatiam Macario, ipsius Thomæ regressum ad Mauriniacensem abbatiam, ut modo dicebam impediisset, ut ille in sua epistola dicit. In fine Bernardum consulit, utrum ad Majus-monasterium, ubi se monachum juvenis fieri voverat, an ad Columbenfe, ubi monasticen professus erat, redire debeat, cum in monasterio de Campis per Albericum pacem amplius habere non possit. An & quid consulenti responderit Bernardus incertum: at ex prædicto chronographo discimus, eum ad Columbenfe monasterium remigrasse, ubi paullo post *ad diem est pertractus extremum*. Ceterum longe aliam de Alberico mentem & opinionem habuit Bernardus, qui Virduni cum esset, & *ad tumulum reverendissimi viri Alberici episcopi Ostiensis, noviter ante defuncti, pro commendatione ejus sacrificium laudis offerret, collectam similiter*, ut pro Malachia fecerat, *in fine mutavit*, eam scilicet dicens, quæ de sanctis pontificibus in ecclesia recitatur, ut Gaufridus in libro IV. de vita S. Bernardi testatur.

XXXIII. Pontilevii & S. Launomari ab-bates. * n. 36211.

Prædicti cardinales Albericus & Ymarus adhuc Romæ erant XVII. kal. Maii hoc anno, indictione VII. quo Lucius papa omnia bona monasterii beatæ Mariæ Pontileviensis Fulcherio abbati confirmavit rogatu Gaufridi episcopi Carnotensis. Pontificiis quippe litteris, Laterani datis, inter alios subscribunt iidem cardinales, qui proinde necdum ad has partes venerant. Tunc temporis apud Pontilevium litteras floruisse, aut saltem in pretio fuisse habitas colligere licet ex veteri codice annorum circiter sexcentorum, monasterio Pontileviensi, cui tum Fulcherius præerat, donato ab Hugone elemosynario. Hic liber, qui Origenis homilias continet, in bibliotheca regia^{*} modo asservatur, in cujus fine multi habentur versus, ex quibus eos delibare visum est qui ad rem nostram faciunt, & ea probant quæ diximus:

Hunc Hugo donavit, quem de proprio fabricavit
Istum thesaurum quem diligimus super aurum,
Dicitus Eleymonis ex officio pietatis,

Annal. Bened. Tom. VI.

Bbb ij

ANN. CHR.
1144.

*Hunc ideo fecit magnoque labore paravit, &c.
Hic liber illorum possessio sum monachorum,
Ad quos Pons-leuius pertinet ut proprius,
Quo Genitrix-virgo specialius est memorata,
In sibi condigna scilicet ecclesia, &c.
Numquam dissolvatur sed ab his legatur atque revolvatur,
Tempore perpetuo Pontleuique suo,
Cui superesse bonus cognoscitur ille patronus
Quem sua Fulcherium plebs habet eximium.*

Eidem Fulcherio abbati successit Samuel, qui cum Ernaldo S. Launomari abbate societatem iniit. Ernaldus iste, primum Blesensis monachus, dein cellæ S. Launomari de Monasteriolo * in pago Pertuceusi prior fuit, antequam ad abbatialem dignitatem promoveretur. Hic Petri Blesensis, ex patre an matre, nepos fuit, ut Petrus ipse testatur in duabus ^a ad eum epistolis: quarum una Ernaldo tum priori de Monasteriolo, altera jam abbati inscripta est. In priori mentionem facit Petrus de officio quod in Sicilia gessit, ubi *figillarius, & doctor Guillelmi secundi, tunc pueri*, fuerat. eo missus a Rotroco Rotomagenti archiepiscopo circiter annum, ut Guffanvilleus putat, MCLXVIII adeoque nonnisi post aliquot inde annos hæc epistola Ernaldo priori scripta est. Hæc observatio necessaria est ad illustrandam seriem valde obscuram S. Launomari abbatum, & ad statuendum tempus Ernaldi abbatis, quem ad annum MCC. vitam produxisse non dubito, ad quem pervenit ipse Petrus Blesensis. Plura de eodem Ernaldo inferius.

XXXIV.
Ernaldus abbas Bonævallis.
b V. lib. 71. n. 15.
c Petr. Ven. lib. 1. ep. 2.

Ernaldus alter ante eum fama, pietate, & doctrina illustrior fuit, abbas scilicet Bonævallis in pago Carnutenli, S. Bernardi in primis & Arnulfi episcopi Lexoviensis amicus, qui hoc circiter anno ad abbatialem dignitatem proventus est, post abdicationem an mortem Bernerii ^b ejus antecessoris. Hic enim præfecturam abjicere, & Cluniacum secedere cogitabat, cum Petrus Venerabilis scriberet ^c ad Matthæum cardinalem, in hæc verba: *Abbas Bonævallis, quæ juxta Carnorum est, cum quam pluribus honestis & sapientibus viris, ut asserit, Cluniacum venire disponit, si per consilium sapientiæ vestræ licentiam recedendi a domino papa Innocentio impetrare potuerit. Nostis enim causas, quibus irritatus diu a suis retineri non possit.* Mirum est in illo Bonævallis monasterio abbates passim vexatos aut turbatos fuisse, ut de Tedfrido, Gualterio & Bernerio patet, moxque de Ernaldo patebit. Hic ex Majori-monasterio assumtus fuisse videtur ex pacto quodam a Majori-monasterii fratribus cum archiepiscopo Turonensi inito anno M CXLVIII. cui post majorem priorem cum aliis ejusdem loci monachis subscribit jam Bonævallis abbas. Tres ad eum exstant Arnulfi Lexoviensis præfulis epistolæ. In una ^d conceptum ex ejus morbo & perfectionibus mœrorem, necnon de ipsius merito opinionem exprimit his verbis: *Venerabilis frater & amicus noster Philippus abbas infirmitatem vestram cum magna nobis amaritudine nuntiavit, affectum animi lacrymarum testimonio profectus. quod verbum primo statim auditu tanto nobis acerbius existit, quanto proxime de vestra fueramus præsentia gratulati. . . . Occurrebat mihi siquidem caritatis vestræ sanctum illud, dulceque colloquium, quo prævalentis auditorum mentes rerum erudire sollertia, & aures jocundi sermonis suavitate mulcere. Recordabar quantam vobis scribendi gratiam bonitas divina contulerat, in qua nescio an magis quis sententiarum fructum, an dicendi peritiam debeat admirari. . . . Denique dolor in miserationem conversus est, dum incommoda vestra, laboresque contemtor, quibus innocentiam vestram sollicitudo maxima & persecutoris immanitas incessanter affligunt.* Incertum quis fuerit iste persecutor, qui potius externus videtur fuisse, quam domesticus. Ut ut sit, ea fuit vexatio, ut ad Majus-monasterium, abdicata dignitate, tandem se receperit, ut suo loco videbimus. Altera ad eundem epistola ^e idem Arnulfus eidem gratulatur de sua incolumitate & de fausto ipsius itineris proventu; & quod Ernaldus ipsum invisere constituerit. Tertia ^f respondet ad litteras, quas Ernaldus Arnulfo in procinctu cujusdam itineris sui scripserat; atque Arnulfus, se pro eo sacrificium obtulisse, de quo id præclare effatur, magnum illud esse beneficium, quod erogatum alii proficit, ipsumque nihilo minus adjuvat erogantem. *Quoscumque enim, inquit, sacerdos effusa caritatis largitudine complectatur, totum simul omnium, totum unius-*

e id. ep. 17.

f id. ep. 38.

cujusque est singillatim: nec integritatem dividit communicatio plurium, nec soliditatem minuit participatio diversorum. Hæc epistola, quæ de Ernaldi itinere agit, posterior est altera, in qua eidem gratulatur de suæ peregrinationis proventu, gavisus, inquit, quod vestram prudentiam & honestatem honore debito Romana recognovit ecclesia. Id intelligendum de reditu Ernaldi ex Romano itinere ad Lucium II. a quo privilegium suo monasterio impetravit. Hæc summa Arnulfi epistolarum ad Ernaldum, quem alii Arnaldum seu Arnoldum, nonnulli perperam Bernardum vocant. Hic librum secundum composuit de vita S. Bernardi, qui morti proximus extremam ad eum epistolam scripsit. Haud scio, an ejus, an Bernerii abbatis tempore acciderit quod Petrus Venerabilis tradit ^a de quodam Liziniaci presbytero male mortuo, quem abbas Bonævallis & fratres de emendatione vitæ scæpe, sed incassum admonuerant: cui morienti adfuit monasterii prior, isque moribundus se damnatum esse exclamavit.

Memini aliquando vidisse apud Bonamvallem turriculam quamdam erectam prope ecclesiam, cujus rationem & usum diu frustra perquisivi. Consimilis itidem existat in cœmeterio ecclesiæ Sarlatensis, olim monachorum, ut ex litteris venerabilis viri Gerardi, tunc vicarii generalis, ad me olim scriptis intellexi, quam turriculam vulgus *Fanal* appellat. Opinabar id esse factum instar facis ad illuminandos fideles, qui noctu ad ecclesiam conveniebant. Tandem ex Petro Venerabili didici usum ejusmodi machinarum, ex libro scilicet secundo de miraculis capite XXVII. ubi de consimili turricula monasterii Cari-loci diocesis Matisconensis sic loquitur: *Obtinet medium cimiterii locum structura quedam lapidea, habens in summitate sua quantitatem unius lampadis capacem, quæ ob reverentiam fidelium ibi quiescentium totis noctibus fulgore suo locum illum sacratum illustrat. Sunt & gradus, per quos illuc ascenditur; supraque spatium duobus vel tribus ad standum vel sedendum hominibus sufficiens.* Hic igitur usus ejusmodi turricularum, tamen etiam ad illuminandos eos qui ad ecclesiam noctu conveniebant instituta haud temere dici possunt, uti olim conjiciebam.

Sub finem hujus anni Serlo abbas Savignienensis seu Saviniacensis monasterii & congregationis in diocesi Abrincensi privilegium ^b a Lucio II. impetravit, *Serloni abbati sanctæ Trinitatis Savignienensis monasterii* ejusque successoribus inscriptum, quo pontifex locum illum sub apostolica protectione cum suis adjunctis suscipit; statuitque, ut ordinem monasticum secundum beati Benedicti regulam & instituta regula competentia inviolabiliter observent. *Si quis vero ex abbatibus, monachis quoque vel conversis vestra, inquit, congregationis a proposito & ordine exorbitaverit, & secundo, tertiove commonitus incorrigibilis remanserit; abbate absque ulla contradictione retento, juxta providentiam Savignienensis abbatis, qui pro tempore fuerit, loco ipsius alius idoneus substituat: monachus vero, si contumax fuerit, regulariter corrigatur.* Ad hæc ventat pontifex, ne ullus abbas schisma in illo ordine facere ausit, aut commissum sibi monasterium absque assensu communi alterius ditioni subjicere. Denique ut ne in benedictione abbatum ullæ exactiones, cappæ, vestimenti, pastus, seu terreni cuiusvis quæstus fiant. *Datum Laterani per manum Baronis S. R. E. subdiaconi nonis Decembris indictione VIII.* hoc anno, Lucii papæ primo. Quadriennio post idem Serlo se ac triginta suæ congregationis monasteria Ordini Cisterciensi subjecit.

In tertio Annalium nostrorum volumine ^c actum est de primordiis monasterii S. Martini diocesis Caturcensis, in Monte-aureolo positi, quod a S. Theodardo Narbonensi archipræsule ibidem sepulto S. Theodardi, vulgo Audardi seu Auduardi nomen accepit. Locus postmodum dictus est Montalba, quem locum Ildefonsus comes Tolosæ, dux Narbonæ, marchio Provinciæ, & Raymundus de S. Ægidio ejus filius, ad ædificandam *villam sive burgum* illius habitatoribus concessit sub certis conditionibus relatis in instrumento, quod Catellus in libro secundo de rebus Septimaniæ, capite XVI. vulgavit, datum hoc anno *mensis Octobris feria secunda*. Hæc est origo urbis Montalbani, in qua S. Martini seu S. Theodardi abbatia in episcopalem a Johanne XXII. erecta est sub archiepiscopo Tolosano. De Ildefonso seu Hildefonso comite S. Ægidii inferius agendum, ad quem existat S. Bernardi epistola ^d adversus Henricum hæreticum.

In Lerinensi monasterio Fulconi abbati post duodecim annos regiminis successit hoc anno Hugo, qui vix biennium loco præfuit, Raimundum ejus nominis primum sortitus successorem, qui monasterium quatuor dumtaxat annis rexit: sed uno tan-

ANN. CHR.
1144.

a Petr. Ven. lib. 1. de mirac. c. 15.

XXXV.
Turricula instar facis in cœmeterio, ad quid?XXXVI.
Serloni abbati Saviniacensi privilegium datum.
b Spicil. ro. 10. p. 384.XXXVII.
Montalbæ urbs erigitur.
c lib. 40. n. 15.d Bern. ep. 44.
XXXVIII.
Lerinenfes ababates.

ANN. CHR. 1144. tum anno Raimundus alter, de Claverio cognominatus. Hunc excepit Boso, cuius tempore Sarraceni Lerinum magnopere infestarunt.

XXXIX. In Saxonia Corbeia-novæ abbas Adalbero decessit anno præfecturæ sexto. Ejus tumbam hæc ambit inscriptio: *Athelbert. Corb. abbas Dei gratia fuit quod erat, & ejusdem Dei gratia nunc est quod sperat, heres gloria aeterna. Qui me sequeris, vigila fideliter.* Anno MCXLIV. Alberoni successit Henricus, vix integro biennio abbas: post quem electus Henricus alter, ad menses sex. Sub tam brevi horum duorum præfectura Corbeia omnino a recto tramite ad extremam licentiam prolapsa est in scandalum vicinorum. quod ubi rescivit Eugenius III. Conrado regi mandavit, ut frenum injiceret ac capistrum ferocibus illis monachis, qui gementibus quibusdam piis antiqui moris, ad turpia quæque flagitia ruebant impune. Non dubium, quin id Eugenio litteris significaverit Theodewinus cardinalis & legatus, qui postero anno Corbeia adfuit, ut ex chronico Huxovienfi discimus. Sollemnis tunc curia a Conrado rege instituta fuisse dicitur, cui interfuere cum Theodewino cardinali & legato Thomas cardinalis, Bernardus Paderbornensis, Rudolfus Halberstadenfis, Bernardus Hildensheimensis, Philippus Osnabrugensis, Henricus Mindensis, Fridericus Magdeburgensis, Timmarus II. Ferdensis, Anselmus Havelbergensis & Henricus Olomucentis, Wicboldus seu Wibaldus abbas Strabulensis, multi-que duces, comites & optimates. Actum haud dubie de reformatione monasterii, quæ non nisi post biennium fieri cœpit per Wibaldum abbatem Stabulensem.

XL. Existat in diocesi Colonienfi opidum quoddam, quod Sanctum vocant, cum collegiata ecclesia, in qua S. Norbertus principio canonicus fuit. Non longe ab illo opido visitur mons Wrtembergensis, in quo monasterium hoc anno in honorem beatæ Mariæ erectum est. Hic locus tunc pendebat a Sigebergenfi abbacia ex dono Henrici Alpheimensis, ministerialis ecclesiæ S. Petri Colonienfis, qui illum Sigebergenfi abbati consilio Norberti olim contulerat, uti nos docet Arnulfi Colonienfis archiepiscopi notitia in hæc verba. *Notum vobis esse volumus, qualiter monasterium beatae Mariæ in monte Wrtemberg juxta Sanctum inchoatum sit... Ministerialis quidam S. Petri, nomine Henricus de Alpeim, consilio & auxilio Norberti Sanctensis tunc canonici, postea Magdeburgensis archiepiscopi, a domino Friderico Colonienfi archiepiscopo obnixis precibus impetravit, ut aeterna remunerationis obtentu beneficium, quod sibi in predicto monte Wrtembergensi paterna, immo avita transmissione provenerat, monasterio Sigebergenfi legitima donatione contraderet.* Ad hæc predictus Norbertus & frater ejus Heribertus obtulerunt curiam *Aegre cum omni utilitate sua; utque firmior esset concessio, curtiles aliunde donatos aquanimiter fecerunt.* Deinde enumerantur illius curtis reditus & census. quæ omnia Cuno primus Sigebergensium abbas accepisse dicitur. Hactenus notitia Arnulfi archiepiscopi, cujus copia a reverendissimo Luzernæ abbate Johanne Etheardo reformatæ Congregationis Præmonstratensis vicario-generalis, mihi facta est. *Acta in monte Wrtemberg anno dominicæ incarnationis MCXLIV. indictione VIII. anno I. domni apostolici Lucii, regnante Romanorum imperatore Occidentis Conrado III. anno VII. Orientis sub Emmanuele Comneno anno II.* Hoc Norberti studium in Sigebergenfi monasterio inde ortum est, quod vir sanctus ibidem sub Cunone abbate educatus sit, & primis litteris informatus.

XLI. Jam dudum nulla de Cella seu monasterio S. Ghisleni facta mentio est, cujus abbas, qui sæculo duodecimo locum rexere, hic commemorare juvat. Post Alardum^a abbatem, qui concilio Claromontensi sub Urbano II. interfuit, & ab eo privilegium adeptus est, Cellæ præfuit ab anno MCXII. Walbertus, qui post tres annos piissime vitam absolvit, dysentericæ morbo confectus. Sexto ante obitum die sacro Viatico refectus, rogatus ut cibum fumeret, prorsus abnuvit: Absit, inquit, filioli, ut cælestibus deliciis dapes addamus perituras. Tum, mortem sibi imminerentem, aqua benedicta se aspergi jussit, & quia sabbatum erat, pedes sibi ex regulæ præscripto lavari; & dicto completorio, lecta Christi Domini passione, in cinere & cilicio expiravit. Huic subrogatus Oduinus, monasterium in spiritualibus & temporalibus auxit. Ejus dignitatis & probitatis successor fuit anno MCXLII. Egericus, S. Bernardo, ut tradunt, familiaris: idque argumento est, quod Nicolaus Cameracensis episcopus ejus interventu quædam altaria Cellæ concessit. Hoc autem anno Goslenus seu Jossenus Sueffionum antistes Egerico abbati litteras dedit, quibus ea, quæ *domnus Elefans, bona recordationis vir monasterio ejus donaverat in*

ANN. CHR. 1144. villa Alemannis diocesis Sueffionensis, confirmavit, sicut in privilegiis Romanorum pontificum Urbani & Gelasi continetur, aliaque rata habet, quæ Radulfus vicecomes de Lanson & Cæcilia ejus conjux eidem monasterio contulere. *Hinc actioni præter alios interfuit Ernaldus abbas sanctorum Crispini & Crispiniani. Actum est hoc anno incarnationis dominicæ MCXLIV. episcopatus Josseni octavo-decimo.* Septennio post monasterium incendio conflagravit, cui infortunio undecim circiter annis superstes fuit. De Ernaldo seu Arnaldo. S. Crispini abbate superius actum est, iterumque de eo sermo recurret.

XLII. Alulfus monachus Tornacensis obiit. ^{a lib. 69. n. 10.} Ad hunc annum pervenisse videtur Alulfus, S. Martini cœnobii apud Tornacum monachus, de cujus conversione superius^a actum est. Hic in illo monasterio *armarii seu cantoris officium quadraginta-septem annis tenuit.* quo temporis spatio Gregorii Magni libros omnes relegens, imitatus Paterium universas tam veteris quam novi testamenti sententias a sancto Doctore expositas excerptis, & in tres codices redegit, insuper quartum ex diversis moralibus sententiis composuit. quos libros GREGORIALIS nomine donavit; sicque quadragesimo-octavo conversionis suæ anno in bono proposito vitam terminavit, ut scribit Hermannus ejusdem loci monachus in libro^b de restauratione abbatiæ S. Martini Tornacensis. Idem Alulfus in prologo ad librum suum Gregorialem fuse agit de occasione illius operis, quod ab se susceptum dicit, tum suo ipsius in Gregorii libros studio, tum suavis & rogatu Odonis ejusdem cœnobii fundatoris & primi abbatis, postmodum Cameracensis episcopi, qui apud Aquicinctum sepultus requiescit. Existat hic prologus in tomo I. notrorum Analectorum, a nobis descriptus & vulgatus ex codice ejusdem monasterii S. Martini. Alulfi collectio Gregorialis edita est in novissima editione Gregorii Magni operum a nostris adornata.

XLIII. Alulfum imitatus est sæculo insequente Willelmus, ejusdem loci monachus, qui selectas S. Bernardi abbatis sententias in communes locos scite distinxit, opusque suum BERNARDINUM nuncupavit, in editis vulgatum sub titulo, *Flores S. Bernardi*, absque nomine auctoris, quod nobis exhibet codex Cisterciensis sub hoc titulo: *Incipit prologus domni Willermi monachi S. Martini Tornacensis in Bernardino, quem idem excepit & compilavit de libris & dictis S. Bernardi abbatis Clara-vallis.* Tum incipit prologus his verbis: *Cum non essem alicui exercitio magnopere occupatus, &c.* ut in editis.

XLIV. In hoc anno desinit Laurentius de Leodio, monachus S. Laurentii ejusdem urbis, dein a Rodulfo S. Vitoni priore Virdunum deductus, ubi historiam episcoporum Virdunensium, a Berthario presbytero inchoatam, & ab anonymo continuatam, prosecutus est a Theoderico quadragesimo episcopo usque ad hunc annum MCXLIV. Alberonis quadragesimi-sexti episcopi decimum quartum, ut ipse disertè tradit. Hujus porro historię scribendæ ipsi auctor fuit *domnus Hugo monachus S. Vitoni vir ferventissimi zeli*, non confundendus cum altero Hugone, ejusdem loci monacho, dein Flaviniacensi abbate, qui ætate superior fuit. Cave etiam hunc Laurentium confundas cum Laurentio S. Vitoni abbate, cujus obitum ante annos quinque retulimus. Laurentii historiam alter anonymus, S. Vitoni itidem monachus, continuavit usque ad Guidonem de Melloto episcopum, qui cum Innocentio IV. quasdam rixas habuit. Omnes istos auctores Acherius noster typis vulgavit in Spicilegii tomo XII. cum prædicta Hermanni historia de restauratione monasterii S. Martini Tornacensis: quæ, uti & Laurentii de Leodio historia, multa scitu digna continet.

XLV. His auctoribus addendus Rodulfus Tortarius monachus Floriacensis, quem ad hoc usque tempus vixisse constat, sed parum excessisse. Scripsit quippe Petri Abacardi epitaphium, qui paullo ante hunc annum obiit; scripsit quoque elogium S. Bernardi & Petri Venerabilis, dum adhuc viverent. S. Bernardi elogium scribebat post pacem hoc anno factam regem inter ac comitem Theobaldum, cujus auctorem non tam Bernardum quam Christum per eum fuisse dicit his versibus.

*Qui subdit regi comitem, dans regia regi:
Qui regi comitem per verba facit bona miser:
Sic ut rex crescat, comes astat, plebsque quiescat,
Grataque Francorum sit pax, pax ista duorum.*

ANN. CHR. 1144.

XLII. Alulfus monachus Tornacensis obiit. ^{a lib. 69. n. 10.}

^{b Spicil. to. 10. p. 396. & seq.}

XLIII. Willelmus ibidem monachus doctus.

XLIV. Laurentii de Leodio historia de episcopis Virdunensium desinit. ^{c Spicil. to. 10. p. 332.}

XLV. Rodulfus Tortarius poeta & historicus.

Bernardum & Petrum Venerabilem laudat

ANN. CHR.
1144.

*Hæc Clara-vallis pater abbas; hic tibi Gallis:
Turvictor Christi, non hoc equidem potuisti.*

In elogio Petri Venerabilis ait, nullum esse sub caelo eo superiorem; &, ut verbis poetæ rem exprimam:

*Scit bene, scit mundus, quod haberis in orbe secundus,
Sub celi capa * tibi non superest nisi papa,
Et fortasse bonis præcellis cum rationis.*

* sic.

Grandævum fuisse oportet Rodulfum cum hæc scriberet. nam inter proluxa ejus poemata habetur unum de Terræ-sanctæ prima expeditione ad Galonem episcopum primum Belvacensem, dein Parisiensem, qui anno MCXVI. decessit. Præcipuum ejus poema est de rebus memorabilibus, constans libris novem, cum metrica ejus epistola ad Garnerium Burdonem, cui libros illos Mirabilium mittit. Secunda epistola metrica est ad quemdam Bernardum, in qua proluxam refert historiam de duobus amicis, videlicet Amelio Arvernenfi & Amico Vascone, qui mutata veste, pro Amelio vitam duello exposuit. Ambos Vercellis sepultos esse dicit Tortarius. Mitto alias epistolas ad Odonem, Philum & Sincopum. In epistola ad Robertum describit iter suum per Galliarum urbes, Blefas, Cadomum, & Bajocas, quarum situm, commoda & incommoda refert. Est & alia ejus epistola ad Adelphum seu fratrem suum germanum, in qua non obscure innuit, se Giomis & ad Ligerim ortum esse his versibus.

* Giom.

*Nuper eram Giomis: locus hic situs est secus amnis
Litus labentis per Turonos Ligeris.
Dumque meos declino lares, dum visere civis,
Infestant servis dumque meos odiis;
Pectore quero meis quo cum maneat inimicis:
An tibi sint tristes, an tibi sint hilares.*

Præter hæc Tortarius metricè scripsit vitam S. Mauri martyris, miracula patris Benedicti, quæ etiam prosa oratione retulit. Denique Petri Venerabilis elogio subdit Cluniaci elogium. In codice olim Floriacensi, postmodum Christinæ reginæ hæc omnia habentur, quibus præmittitur duplex ipsius Tortarii epitaphium a Franco Beato compositum. Primum sic habet.

*Rodulfus fuit hic decus, ecclesieque columna,
Carmina cujus in hoc corpore, lector, habes.
Imbutus a puero doctrinis grammaticorum,
Sæcli cum vita deseruit studium.
Inde fuit sacra vas legis & historiarum:
Novit quippe novum, quidquid avumque fuit.
Post in hoc monachus fuit & speculum monachorum.
... factis, vestibus, ore Deum.
... dic * talo quod perficit omnia dulce:
Quodque fide petiit, nunc habeat specie.
Sit cum Rodulfo tua portio, France Beate
[Ut similis] fias nocte dieque stude.*

&

* sic.

Aliud Rodulfi epitaphium prætereo.

XLVI.
Monasterio-
rum violatores
caelitus puniti.

In Anglia hoc anno flagrante bello civili in Stephanum regem, divina ultio in violatores monasteriorum & ecclesiarum multis apertisque signis demonstrata est. In his duos notat Rogerius Hovedenus, qui monachis avulsis, eorum ecclesias in castella converterant. Eorum unus fuit Robertus Marmio; alter Gaufridus comes: ille a Coventrensi, hic a Ramesiensi ecclesia monachos abegit. Verum Robertus, vir bellicosus, in illo civili bello, cum in hostes insurgeret, inter ingentes suorum cuneos coram ipso monasterio solus interfectus est; sicque excommunicatus mala morte periit. Similiter Gaufridus inter confertas suorum acies a quodam vili mancipio solus sagitta percussus, paulo post ex ipso vulnere, quod quasi nullius momenti ridebat, pariter excommunicatus interiit. *Dum autem ecclesia illa, inquit Rogerus, Ramesiensis, an Coventrensis, pro castello reperetur, ebullivit sanguis*

sanguis a parietibus ecclesie & claustris adjacentis, indignationem divinam manifestans, sceleratorum exterminationem denuntians. quod multi quidem viderunt, & ego ipse quidem, ait Rogerus, meis oculis aspexi.

[Hoc ipso anno Henricus archiepiscopus Moguntinus ea omnia prædia quæ in Hochstett possidebat Erfordienſe S. Petri monasterium suo diplomate confirmavit, illa in primis quæ olim ei tradiderat quidam Diemo. a Fuit autem Diemo ministerialis domni Conradi marchionis, qui divinitus inspiratus terrena cum celestibus commutare deliberavit, adiensque prædictum marchionem rogavit, ut illius permissu se suaque bona liceret tradere Erpberfurtenſi cœnobio, cujus precibus nobilis marchio annuens, omnia prædia & homines quæ in Hochstett possidebat, liberis manibus duorum comitum, videlicet Syzonis comitis & Lamberti tradidit, ut ipsi nihilo minus super altare prædictorum apostolorum ipsa prædia contradarent: quam traditionem Adalbertus tunc archiepiscopus confirmavit, & prædictus Diemo monastica vite regulam subiit in prædicto cœnobio, in quo dormit feliciter in Domino. Præterea dominus Hermannus de Wocenesberg Jerosolymam proficisci desiderans eidem monasterio quindecim manfos, multis nobilibus adstantibus, contradit, quæ & alia prædictus Henricus confirmavit. Acta sunt hæc apud Erpberfurt anno dominica incarnationis MCXLIV. indictione VII. regnante Conrado rege. Tribus post annis prædictus Henricus archiepiscopus suo diplomate roboravit venditionem duorum manforum in Hochstett, quos Wernherus abbas Erfordienſis emerat a Gonthero de Ditendorff & filiis ejus. Hujus rei testes fuerunt Wernherus abbas Erpberfurtenſis, Hiltene abbas Aldesleybenſis, Bernhardus comes & advocatus ejusdem cœnobii. Acta sunt hæc anno dominica incarnationis MCXLVII. indictione X. regnante Conrado rege hujus nominis tertio, eodem rege in expeditione Hierosolymitana posito. Propensum erga cœnobium Erfordienſe animum Henrici archiepiscopi demonstrat ejus diploma anni MCXLIX. quo venerabili Geltrado abbati & successoribus suis de Erpberfurt auctoritate sua facultatem concedit, ut pueros baptizent, infirmos, si petierint, visitent, mortuos sepeliant, sicut hucusque fecerunt, deinceps faciant, & cum cruce & reliquiis ecclesiam dominicis diebus solito more circumeant, ut quod labor noster, inquit, per absentiam minime potest explere, devotio eorumdem fratrum studeat consummare.]

[Pullulabant per id tempus ubique hæreses, atque hoc ipso quo sistimus anno, Leodiensis ecclesia b novam in ea diocesi detectam Lucio papa defert, ut pro sua paterna providentia & sollicitudine eam extinguere conetur. A Monte Guimari, sive Limarii inquit, quo nomine quidam vicus in Francia dicitur, quadam hæresis per diversas terrarum partes defluxisse cognoscitur, quæ adeo varia & multiplex est, ut sub antuo certo vocabulo minime comprehendere possit videatur. Cujus apud nos sectatores quidam detecti, convicti, confessi sunt: hos turba turbulenta raptos incendio deputavit, sed nos Dei favente misericordia, pene omnes de instanti supplicio, de ipsis meliora sperantes, vix tamen eripimus, quorum hic est quem ad paternitatem vestram sua petitione destinare curavimus. Hæresis hæc diversis distincta est gradibus. Habet enim auditores, qui ad errorem inchoantur; habet credentes, qui jam decepti sunt; habet sacerdotes, habet & ceteros pralatos sicut & nos. Hujus hæresis nefanda blasphemia sunt, quod in baptismo peccata remitti negat, quod sacramentum Corporis & Sanguinis Christi inane reputat, quod per impositionem pontificalis manus conferri nihil asseverat, quod neminem accipere Spiritum credit, nisi bonorum operum præcedentibus meritis, quod conjugium damnat, quod apud se tantum ecclesiam catholicam esse prædicat, quod omne juramentum, velut crimen judicat. Hi tamen qui hujus sceleris sectatores sunt, sacramentis nostris fide communicant, ad nequitiam suam velamentum. Tum subdit, ex eis unum Aimericum nomine, qui apud eos erat auditor, flammis ereptum ad sedem apostolicam mittere, cum ei facturum fatis, tum ut sponſionem quam in vitæ discrimine positus fecerat adimpleret. voverat enim, si meritis sanctorum apostolorum evadere posset, eorum limina devote visitaturum. Ceterum alios hujus erroris participes per religiosa loca divisos esse; quid super eis ad correctionem agendum esset a summo pontifice expectantes.]

XLVII.
Diplomata
Henrici archie-
piscopi Mo-
guntini pro Er-
fordienſi mo-
nasterio.
a Schænat. Vin.
ta. I. p. 183.XLVIII.
Nova hæresis
detecta apud
Leodios.
b Ampliff. col-
lect. to. I. p.
777.

Postero anno, ejus sæculi quadagesimo-quinto, Lucius papa, non integro anno in pontificatu exacto, non tam morbo, quam tædio Arnaldistarum factionis, v. kal. Martii præpropere morte sublatus est in monasterio S. Gregorii ad Clivum-Scauri, & in Lateranenſi basilica sepultus. Statim post ejus obitum ob tumultuan-

ANN. CHR.
1145.
XLIX.
Lucio III. Eug-
enios III. succe-
dit.

ANN. CHR. 1145.

tes Arnaldistas, in ecclesiam monasterii sancti Casarii ad eligendum successorem convenientes cardinales, unanimi consensu Bernardum abbatem S. Anastasii ad Tresfontes, Ordinis Cisterciensis, Pisane ecclesie olim vicedominum, eidem monasterio nuper a S. Bernardo prefectum, elegerunt, & Eugenium III. appellarunt. Hic, cum proxima die dominica apud S. Petrum pro more consecrandus esset; ob turbas senatorum, qui electionem retractare moliebantur, intempesta nocte Urbe egressus, ad Farfense monasterium cum domestica cardinalium familia declinavit, ubi dominica die consecratus est, vacante tunc abbacia post mortem Aduulsi abbatis, quae superiori anno accidit: cui Rolandus post biennium successit. Post Eugenii ex Urbe recessum furentes Arnaldista cardinalium domos depradati sunt. E Farfensi monasterio pontifex Viterbium se recepit: ubi aliquamdiu commoratus, Armeniorum legatos in ecclesia Romanae communionem admisisse traditur. Sed prius civitatem Castellanam adierat, ubi versabatur v. idus Aprilis, cum omnes Majoris-monasterii cellas & possessiones confirmavit. Viterbii adhuc erat xiv. kal. Decembris ejusdem anni, quo die & anno amplissimum Geraldo Molitmenti abbati privilegium indulgit, ut postea videbimus. Inde Verrallam profectus, Kaloni abbati S. Michaelis ad Mosam cellas Asmingiae & Asmantiae, cellam quoque Monciacensem cum capellis castri, aliaque confirmavit. Datum Vetralla idus Decembris indictione viii. anno ab incarnatione Domini mclxv. pontificatus-anno i.

L. Bernardi ad eum epistola. a Bern. ep. 238.

Ubi Eugenii electionem recepit S. Bernardus, aureas plane ad eum litteras scriptas, in quibus ita gaudium suum timore temperat, ut Eugenio maxime de sua exaltatione timendum esse ostendat. Exultavi, fateor, inquit, sed cum tremore. Exultavi, sed in ipso exultationis meae articulo timor & tremor venerunt super me. Ego enim etsi nomen patris deposui, sed non timorem, sed non anxietatem, postremo nec affectum, nec viscera patris. Considero gradum, & casum vereor: considero fastigium dignitatis, & intueor faciem abyssi jacentis deorsum. . . Itaque ascendisti in altum: noli altum sapere, sed time; ne forte contingat sero miserabilem illam emittere vocem: A facie ira & indignationis tua elevans allisisti me. Alioquem quippe locum sortitus es, sed non tutiorem, sublimiorem, non securiorem. Terribilis prorsus, terribilis est locus iste, &c. Sic Eugenium minime palpabat, sed serio terrebat bonus pater, ut eum in sublimi illo gradu non altum sapere admoneret. In fine pontificem monet de negotio archiepiscopi Eboracensis, de quo mox agendum; opratque Eugenii animum a cupiditate prorsus alienum esse. Quis mihi det, inquit, antequam moriar, videre ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis, quando apostoli laxabant retia in capturam, non in capturam argenti vel auri, sed in capturam animarum! qua in re Bernardi voto Eugeniis optime respondit. In alia epistola ad cardinales vir sanctus conqueri videtur, quod Bernardum abbatem ab otio & solitudine ad totius ecclesiae curam rapuerint; eoque hortatur, ut ipsi collaborent in opere ad quod assumtus erat.

LI. Eugenius qualis in pontificatu. c Bern. vitae l. 2. c. 8.

In pontificatu Eugenius eandem, quam ante modestiam retinuit. Mirabantur omnes, testante Ernaldo nostro, tantam in tanta altitudine humilitatem, & in tam sublimi fastigio propositi sancti immobilem permanere virtutem: ut altitudini focciata humilitas pro officio exterius splenderet, & pro virtute nequaquam interius inanis fieret. Adhaerebat cuti ejus lanea tunica, & interdum ac noctu cuculla semper indutus erat. Lectus ejus pallis opertus cortina ambiebatur purpurea; at sub operimentis laneis non nisi complosa stramina & paleae conglobatae latebant. Fratres suos in comitatu habens, se inter eos fratrem ac socium, non dominum vel magistrum exhibebat. Denique quam alienus a forde avaritiae fuerit, prodit Bernardus ipse, Eugenii virtutis minime palpator, aitque apud eum Germanicos viluisse succos, & argentum instar foeni reputatum fuisse, quod exemplis probat.

LII. Willelmo Eboracensi amoto sufficitur Henricus. c lib. 77. n. 236.

Prima ejus zeli occasio & materia fuit in Willelmum Eboracensem archiepiscopum, quem simoniace in illam sedem intrusum fuisse in primis contendebant Rievallis & Fontium Ordinis Cisterciensis abbates. Haec causa Innocentii II. pontificatu agitata fuerat, & ad iudicium remissa Henrici episcopi Wintoniensis, qui Willelmum purgaverat. Verum Lucio II. mortuo, cum Eugenium e suis summum pontificem creatum viderent Fontanenens & Rievallenses, Willelmi exauctorationem apud eum urgere coeperunt, muniti litteris Bernardi abbatis ad Eugenium & ad Romanam curiam, in quibus tota facti historia describitur. His litterae additae aliqae, ad acuendum pontificis zelum: qui tandem expugnatus Willelmum deposuit. Ele-

f Bern. ep. 235, & 236. g id. 239. 240.

ctus in ejus locum Henricus de Muldach seu Murdach Fontanenens abbas: quo mortuo, restitutus Willelmus, sponse Anastasio papae facta, se per omnia Fontanenens ecclesiae satisfactorum de injuriis & damnis, quae per se, vel sui causa monasterio illata fuerant. Fecissetque satis, nisi eum mors immatura sustulisset. Quae fuerint illa damna, quive post Henricum Fontanenens monasterii abbates & eventus, accurate tradit Serlo monachus, cujus historia in tomo i. Monastici Anglicani edita est.

ANN. CHR. 1145. a Monast. Anglic. to. 1. p. 748.

b ibid. p. 733. & seqq.

Initio pontificatus Eugenii Petrus Venerabilis Romam adiit paulo ante adventum Domini, ut ipse discrete scribit, ad visitandum tam ipsum, quam communem matrem Romanam ecclesiam. Illic, dum apud cardinalatum, id est titularem ecclesiam, sancta Maria-nova, quae juxta antiquum Romuli templum constructa est, hospitaretur, in somnis visus est sibi aditare Guillelmus Cluniaci prior recens mortuus, qui ipsi tum auctorem suae necis, (nam veneni poculo extinctus fuerat) tum quaedam de statu suo, de visione Dei, & de certitudine christianae fidei, semel & iterum revelavit. quae omnia Petrus fuisse retulit, eaque pro certo habuit. Fuit hic Guillelmus, teste ipso Petro, secundum carnem nobilis, sed spiritu longe nobilior, a primis adolescentiae annis ad mortem usque religioni perquam addictus, factus melior in dies, angelica puritate, misericordia in pauperes insignis, sed zelo in primis contra negligentes & delinquentes totus igneus, quod ipsi necem attulit. Fuerat is multis in locis prior, tum abbas Moisiacensis, sed tandem Cluniaci prior. Hujus porro visionis veritatem idem Petrus Cluniacum reversus investigavit: ubi quae de morte sancti viri addiderat, ipsius nefarii parricidae publica confessione vera fuisse comprobavit. Quem gehenna dignissimum, inquit, quia gladio, laqueis, ignibus, vel extremis nefandorum suppliciis, ecclesiastica pietate prohibente, punire non poteram; exilio perpetuo, quod pane solum licuit, infernale proditorem damnavi. Nam, sacrosanctis evangeliiis adhibitis, compulsus est in publico Cluniacensi capitulo, me presente, jurare, quod transactis tribus sibi a me praefixis mensibus nunquam deinceps intra terminos universam Galliam concludentes maneret: sed extra illos locum salutis suae aptum requireret, & in invento loco Deo pro peccatis suis digne satisfaceret. Ex quibus intelligitur, apud Cluniacenses tunc in usu non fuisse carcerem perpetuum, quo certe dignus fuisset ille parricida.

LIII. Petro Venerabili visio facta Romae. c Petr. Ven. lib. 2. de mirac. c. 25.

Quantae commiserationis fuerit idem venerabilis Petrus, & quam sincera dilectione dilexerit Cistercienses, & ab eis dilectus sit, manifeste declarat ejus epistola ad Rainardum Cisterciensem abbatem. Hic quemdam suae familiae abbatem apud Arvernos ab officio, incertum quam ob causam, removerat. Ejus depositionem gravate admodum ferentes ejus monachi, numero duodecim, Petrum nostrum die festo pentecostes Cluniaci convenerunt, rogaturi, ut abbati exauctorato apud Rainardum abbatem Cisterciensem veniam & redintegrationem pro ea qua pollebat apud eum auctoritate conciliaret. Fecit Petrus quod in se erat ut id obtineret, scripta ad Rainardum epistola, quam hic integram referre videtur operae pretium.

LIV. Petrus ipse intercedit pro quodam abbate Cisterciensi deposito. d Petr. Ven. lib. 4. ep. 26.

Venerabili & in Christo plurimum amplectendo domno Rainardo Cisterciensi abbati, frater Petrus humilis Cluniacensium abbas, salutem & plenum caritatis affectum. Grex domini, oves pascuae ejus, destituta pastore, per alta montium, per devexa vallium, per aspera viarum, multo sudore pastorem requirentes, in sollempni sancti-Spiritus die, nuper ad nos Cluniacum venerunt. Compassi sumus, ut justum erat, religiosa peregrinationi, & multo fatigatos itinere, triduo apud nos hospitari coegimus. Vidi eos, quod paucorum est, monastici ordinis virorum, non equis, non mulabus, non ipsis saltem asinis vectos, sed pedites & peregrinos: summa animi devotione, pro dando, immo si fieri potest, pro restituendo sibi amisso pastore, ad vos tendere: eaque de causa nullum laborem refugere, nulla pericula devitare. Non sufficit eis, unum vel duos de suis hoc animo vestra reverentia mittere: sed eum, qui contemni non possit, apostolicum numerum praeferentes, nihil negari, maxime cum non nisi justa postulent, credunt. Suscipiendi ergo sunt, si placet, benigne a vobis; & prout mihi videtur, audiendi & exaudiendi sunt: quia, juxta Domini verba, alienum pastorem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia nesciunt vocem alienorum. Ago quidem ego, & intercedo pro eis, tractus eorum sancto studio: sed specialiter ad hoc me compellit singularis, quam habeo erga ipsos & locum in quo morantur, dilectio. Nam fratres, nepotes, & pane tota consanguinitatis meae linea, locum illum a primo fundationis lapide, multo affectu coluerunt: nonnulla etiam de suis, ne dicam multa, vestri

ANN. CHR.
1145.

ordinis ac religionis intuitu contulerunt. Prosequor ego eorum devotionem, etsi non beneficiis, tamen sincera dilectionis affectu. Fuerit in removendo abbate ipsorum severa, & ceteris terrorem incutiens austeritatis vestra sententia: sit, si grave non est, in restituendo discreta providentia. Nam nec capitale, nec peremptorium fuit, unde accusatus est: nec tot in ipso, quæ ex parte bene novi bona, quod amicabiliter suggero, condemnanda sunt. Restituitur ergo si placet, bonis ovibus bonus pastor, & quia iustitiæ satisfactum est, misericordie quoque satisfiat: ut quæ multo cum labore & humilitate vos adeunt, multo cum gaudio, atque in Paracleti sollempnibus diebus, ad ovile proprium plena cum consolatione redeant.

Hactenus Petri epistola pro abbate illo deposito, cujus restitutionem an obtinuerit, incertum. Nec magis exploratum, cujus loci abbas ille fuerit apud Arvernos, quem locum Petri fratres, nepotes & consanguinei multo affectu coluerant, & beneficiis affecerant. Montem-Petrosum* suggerit Manricus, Bonavallis Viennensis filiam, quæ in Arvernis sita, & de linea Cistercii erat: sed asserere non audeat, propterea quod annuæ visitationes per matres tantum ex more fieri, non per matrum parentes consuevere. Penes alios esto iudicium.

* Montperoux.

LV.
Nicolaus monachus apud Claram-vallem admittus. a Petr. Vener. lib. 2. ep. 36.

Degebat tunc temporis in Arremarenfi diocesis Trecentis cœnobio Nicolaus monachus, litteris humanioribus pro tempore plurimum excultus, qui Petrum Venerabilem plurimum colebat, & ab eo non minus redamabatur, antequam ad Claram-valles migraret. Testis in primis epistola a Attonis Trécentis episcopi, qui de Nicolao ita scribit. *Salutat vos Nicolaus servus vester, qui in dilectione vestra nullam ponit mensuram, sed specialius omnibus vestram assidue representat memoriam. Hic adiutor noster est, & vestri gratia præcipue nos diligit, & diligendo nos custodit.* Hic virorum illustrium favorem aucupari sollicitus, Bernardi, toto orbe tunc celebris, scribendi modum imitari studuit, ut se in ejus familiaritatem insinuaret. Hinc eum sæpe tentavit, ut se apud Claram-vallem admitteret: at sæpe repulsus est, sine ejus ingenium odoraretur Bernardus, sive eum Arremarenfi monasterio utilem ac necessarium putaret, sive denique ejus translationi Guido abbas obfisteret. Tandem vero captata occasione, cum Bernardus absens esset, Rualeno Clara-vallis prioris & consilio suo scribit, Clara-vallensium religionem dilaudat, eisque sese adjungendi studium multis explicat. *Quale mihi gaudium erit, inquit, qui in tenebris sedeo, qui lumen cali, lumen Clara-vallis non video! O lumen descendens a Patre luminum! ubi lucent luminaria in firmamento cali, unde assumptum est, videlicet Eugenius papa, luminare majus, quod illuminet terram.* Itaque hæc epistola, quæ inter Nicolai epistolâ septimâ, scripta est anno primo pontificatus Eugenii; cui Rualenus non multo post in S. Anastasii abbatia successus, Nicolao jam in Claram-vallem recepto. Non una contentus est epistola Nicolaus, sed alias ad alios etiam Clara-vallenses scripsit, unam ad fratrem Gaucherum, cujus in amorem irreperat; alteram ad Fromundum hospitem Clara-vallis. In priori ait, se tanto concepti propositi desiderio teneri, ut diem pro anno computet: multa passum a suis Arremarenfibus, at ex eorum manibus sine pannis, sine numis, vix apud Aripatorium*, quod Cisterciensium monasterium est in agro Trecentis, appulisse; sed tandem illinc extractum in fines terra ablegatum, forte in quamdam cellam monasterii Arremarenfis, unde hanc epistolam ad Gaucherum scripsit. Tandem concordia cum Guidone abbate suo inita, in Claram-vallem admittus est cum Theobaldo priore, quem postea illinc egressum revocare frustra conatus est epistola vi.

* P. Aripoir.

De hac Nicolai ad Claram-vallem transmigracione non minus, quam Nicolaus ipse, latati sunt Cistercienses. Hinc Brocardus seu Burchardus Balernensis abbas Ordinis Cisterciensis in epistola ad ipsum Nicolaum, quæ est nona inter Nicolai epistolâs: *Gratias ago Deo, inquit, nova facienti omnia pro novo mirabili de immutatione nova innovati Nicolai. Qui fecit album de nigro, novam quid fecit & mirabile: sed hoc mirabilius est inter omnia nova, & novo novius, quod de tali nigro tale album factum est. Hæc mutatio dextera Excelsi. Benedicamus illi conflatario, in quo sic conflatum est & purgatum, ut ad albedinis claritatem perveniret cum nova admiratione & novo gaudio. Sed quid ad me de hac novitate? Multum per omnia. Etenim novam gratiam noviter me accepisse glorior in hac novitate, de nova notitia & nova familiaritate & nova dilectione, nova inventione novi thesauri, de novo amico noviter invento.* Hi erant Cisterciensium plausus de suscepto Nicolao.

Vix in Clara-vallensium societatem hic admittus erat, cum Bernardus eum sibi

ANN. CHR.
1145.
Bernardi notarius.

notarium cum Gaufrido adoptavit. quo de munere sibi imposto ipse, nescio an finire, conqueritur in epistola ad quemdam Arremarensem, quod a custodia matutina usque ad noctem nihil aliud faciat. *Non illis imputetur, inquit, qui mihi hoc oneris imposuerunt, & posuerunt me multa scribere & rescribere multis.* Idem negotia sibi credita venditat in epistola XLIX. ad Petrum Cellensem, quasi vix otium ipsi fuerit ad istam epistolam scribendam. *Hæc tibi, inquit, amicorum dulcissime, saltem saluatim dictavi, qui continuatim non potui, trahentibus & retrahentibus negotiis multis: sed & manibus meis scripsi. Omnes enim, qui habent negotia, veniunt ad nos: sed & ego solus cum sancto Jacob dicere possum: In me hæc omnia mala reciderunt.* Verum non modo scribendis epistolis & negotiis transigendis vacabat Nicolaus, sed etiam codicibus exarandis, & communicandis cum amicis.

In illis Nicolai epistolis, quas tum post suam ad Claram-vallem translationem scripsit, duæ sunt in primis hoc loco notandæ. una ad Walterum nobilem juvenem, in qua de scriptoriolo suo agit: altera ad Odonem Pultariensem abbatem, ubi de tunica ad se ab eo missa. In epistola illa ad Walterum, quæ est tricesimaquinta, scriptoriolum suum describit in hunc modum. *Est mihi scriptoriolum in mea Clara-valle, vallatum undique officinis celestibus & celantibus illud. Ostium ejus aperitur in cellam novitiorum, ubi frequens numerofitas tam nobilium, quam litteratorum, novum hominem in novitate vite parturiunt. . . . A dextra parte claustrum monachorum excrevit, ubi floridior ille convexus obambulat. . . . Ibi divinarum eloquiorum libros sub castigatissima disciplina singillatim aperiant, non ut eventilent thesauros scientiæ suæ, sed ut dilectionem, compunctionem eliciant & devotionem. A leva prominet domus & deambulatorium infirmorum, ubi corpora, disciplinis regularibus lassata atque quassata, cibis lautioribus refoventur: donec vel sanata, vel meliorata revolent ad laborantium & orantium gregem, qui vim faciunt regno calorum, & violenter rapiunt illud. Nec contemnendam putes domunculam meam: quia & desiderabilis est ad affectum, & delectabilis ad aspectum, & reclinabilis ad secessum. Plena est libris electissimis & divinis: ad quorum jocundissimam inspectionem, despectionem mundana hujus vanitatis agnosco, considerans, quia vanitas vanitatum, & omnia vanitas; & quia nihil est vanius vanitate. Hæc mihi tradita est ad legendum, ad scribendum, ad dictandum, ad meditandum, ad orandum & adorandum Dominum majestatis. Hæc de scriptoriolo Clara-vallensi, quale unum Cistercii videre memini, referre visum est ad res nostras illustrandas.*

LVI.
Scriptorioli Clara-vallensis descriptio.

Nec prætermittere lubet ejusdem Nicolai epistolam tricesimam-septimam ad Odonem Pultariensem abbatem de tunica sibi ab eo missa, quam eidem remittit, quia nimis pretiosa & speciosa erat. *Nec volo, inquit, nec valeo, immo non debeo induere illam. Inter eos, qui panniculis & semicinctiis vestiuntur, nec purpuratus, nec non tunicatus incedam. Absit, absit, ut peccatrici carni vestis iterum splendida coarctetur, ne rapietur ad ineptias suas. Propter ea remitto eam vobis, cum non sit inter nos, qui vel audeat, vel debeat illam induere. Vos induite illam, domine & pater, cui & ex ordine licet, & ex dignitate. Cum enim tunicam induitis, ultra consuetudinem & ordinem vestrum facitis. Sed satis quis dixerit: Si quid superogaveris, ego cum rediero, reddam tibi.* In his verbis tria observatione digna. Primum est de semicinctiis, quibus usos fuisse Cistercienses ex hoc loco intelligitur, si in voce non lusit Nicolaus. Quid sit autem semicinctium, docet Herbertus in libro i. de miraculis Cisterciensium capite vi. ubi de Schocelino agri Trevirensis eremita agens, ita rem explicat. *Habebat quoque vir ille locupletissimus circumligatam renibus semicinctiam vilem atque brevissimam, quæ verecundas solummodo corporis partes operire vix poterat, cum cum hominibus apparere compelleret illa tam inevitabilis causa.* Lumbarium veteres appellabant. Et quidem Cistercienses ejusmodi semicinctiis principio usos fuisse veri simillimum est, quippe qui brevem tantum tunicam cuti adhærentem gestabant; idque necessarium videbatur ad honestatem, cum deposita cuculla, labori manuum vacarent. Alterum in illa epistola notatu dignum est, cur tunicam induere Nicolaus dicat esse ultra consuetudinem & ordinem abbatis Pultariensis, cum professus esset S. Benedicti regulam, quæ singulis monachis non tantum cucullam, sed etiam tunicam concedit capite LV. Verum Nicolai temporibus in usu erat apud monachos nostros toga talaris, non tunica, quæ vix ad mediam tibiâ defluebat, qualem gestabant Cistercienses. Plura hac de re videtis in præfatione nostra ad tomum tertium operum S. Bernardi novæ editionis.

LVII.
Cisterciensium tunica & vestes.

ANN. CHR.
1145.
LVII.
Petri abbatis
Cellensis pri-
ma facta.

Eodem fere tempore, quo Nicolaus ad Claræ-vallenses migravit, Cellensis apud Treclas monasterii abbas erat Petrus, Cellensis ab ipso loco dictus, ad quem Nicolaus epistolam XLIX. scripsit, in qua negotiorum suorum apud Claram-vallem impedimenta exaggerat. Non leviter pratereunda est tanti viri commemoratio, de quo quam-plura in consequentibus dicenda occurrent, utpote qui non modo Cellensis, sed etiam S. Remigii abbas fuit, ac demum Carnutensis episcopus: quibus in dignitatibus multa præclara fecit, ac scripsit. Petro patrum solum haud dubie Gallia, natale Campania fuisse videtur. Eum nobili genere ortum esse testantur ejus propinqui. Neptem^a habuit Hawidem, cujus connubium cum Petro de Tornella ab incestus criminatione vindicat, tum apud Hugonem^b Senonensem archiepiscopum, tum apud Alanum episcopum Autifiodorensis. Idem Hugonem canonicum Remensem *cognatum & amicum*^c suum appellat; & in epistola^d ad Berneredum S. Crispini apud Suesionas abbatem meminit cujusdam *domina cognata* suæ. Cetera de ejus genere ac parentibus incomperta.

Quo in loco vitæ monasticæ rudimentis informatus sit, non facile dixerim. Veri simile est id factum in Cella Trecenti, cujus & abbas fuit. Eum tamen adolecentulum in monasterio S. Martini de Campis aliquantum temporis egisse satis innuit in epistola^e ad Cluniacenses, quos vitæ remissioris arguit. Ita enim de pristina eorum religione scribit. *O domini, o fratres, o filii Cluniacenses! Ego ipse apud S. Martinum de Campis adolescentulus verissimis experimentis quod dico gustavi, & vidi ubi erat locus, in quo conflagratur. Pro dolor! insepuit & consenuit tantus fervor.* & in epistola ad Theobaldum Cluniacensem, cujus electioni gratulatur: *Nam & ipse, inquit, servus & filius sum Cluniacensis ecclesiæ.* An vero ejusdem ordinis profectus fuerit, non liquet. Immo primos juventutis annos in Cella Trecenti eum exegisse aperte dicit in epistola^f ad magistrum quemdam, in qua sacri otii, quo tunc fruebatur, cum dolore meminit iis lane verbis, quæ hic referri merentur. *Memor temporis illius, quo fervente non minus studio quam ætate in Cellensi monasterio simul commorati sumus, attendo plurimum detraxisse cursum interlabentem a corpore valetudinis, ab animo lectionis & meditationis. Inexplibili squidem desiderio nec oculus visulibrorum, nec auris satiabatur auditu lectionum. Harum extremitatum Deus erat & medius, & primus, & ultimus. Salvo namque ordine, salva divina laudis debiti pensione, legebam leges, nec amittebam vel omittebam consuetas orationes. Nunc autem, amice bone, curæ & sollicitudines, quæ me a juventute decerpere non destiterunt, quotidie accrescunt, & ut mihi videtur, obsidionem perpetuam contra me firmaverunt. Si quidroris gratia, si quid pinguedinis misericordiæ raptim, & quasi furtim de divinis cellariis interdum attraxit spiritus meus; derepente subitus & intempestivus totum absorbet nimius æstus.* Hæc scribebat Petrus jam S. Remigii abbas, ex quibus ejus animi status agnosci potest. Quis sit ille magister, ad quem prædicta epistola scripta est, non facile est augurari. Inscriptio sic habet: *Magistro presbytero carissimo amico suo.* Fortè legendum *Magistro Petro*, id est Comestori, qui patria Trecentis erat, & in natali urbe presbyter & decanus, ac demum cancellarius ecclesiæ Parisiensis, doctrina & scriptis suo tempore clarus.

Una ex primis epistolis, quas Petrus Cellensis abbas scripsit, ea est quæ nomine conventus S. Mevennii^g scripta est ad Eugenium papam, ut abbatem ab se electum confirmaret. Exstabat in diœcesi Maclovjensi hoc monasterium, de cujus origine in primo Annalium nostrorum volumine actum est. Illic tunc *religionis disciplina & fervor monachici ordinis*, tam sua, ut monachi ipsi fatentur, quam abbatis negligentia multum intepuerat. Id ubi rescierat Lucius papa, Eugenii antecessor, ordinem ibidem & disciplinam reformari ac renovari Johanni Maclovjensi episcopo mandaverat. Hinc abbas negligens depositus, & alter loco ejus electus, quem Hugo Turõnum archiepiscopus primum probaverat; sed postea quorundam malignantium machinationibus seductus rejici volebat. Gravamen itaque sibi imminere attendens electus abbas, Eugenium appellavit. Quam ob rem quidam de archiepiscopi familia eum insectari coeperunt, ita ut unum ex monachis, & unum ex clericis abbatis comprehensos turpiter tractaverint. Ideo Eugenio supplicant monachi, ut ne hæc causa in archiepiscopi audientia, sed in alia tractetur. In fine excusant abbatem, quod, obstanti infirmitate, ad papam ipse non confugerit. Quid inde secutum sit ignoratur, uti & nomen abbatis, cum depositi, tum electi.

LIX.
Ejus epistola
pro monachis
S. Mevennii.
g id. lib. 1. ep.
6.

c id. lib. 8. ep.
23.

f id. lib. 7. ep.
7.

a Petr. Cell. lib.
4. ep. 11.
b id. lib. 1. ep.
9. § 22.
c id. lib. 3. ep. 4.
d id. lib. 5. ep. 1.

Inter complures Petri nostri amicos unus e præcipuis fuit Johannes Maclovjensis episcopus, assumtus ex ordine Cisterciensi, de Craticula cognominatus, ad quem sex minimum epistolas scripsit. Una^a est, qua opem ab eo postulat ad instaurandam nobilem, ut ipse vocat, sancti Aigulfi ecclesiam apud Pruvinum a Cellæ abbatiâ pendentem, quæ illis diebus *cum appendiciis suis proventus ita combusta fuerat, ut nihil præter libros & sanctorum reliquias ab incendio servatum fuerit. Præter ea & domos*, inquit, *quam-plures in cineres redegit, ut sic appareat in oculis nostris tamquam gallina depilata, nec pennas habens, quibus pullos suos protegat, nec cibos, quibus alat. Non aliquid exigimus a vobis, nisi compassionem, orationem & consilium.* Ad perquirendas ad hanc instaurandam suppetias, S. Aigulfi reliquiæ, pro more illorum temporum, non modo per Galliæ provincias, sed etiam in Angliam delatæ sunt. Unde Petrus noster in eadem epistola Johannem episcopum rogat, ut, si venerit S. Aigulfus ad ejus partes, *illum, tamquam illum*, id est sanctum, recipiat.

Eandem S. Aigulfi conflagrationem spectat ejusdem Petri epistola^b ad Johannem Saresberiensem, quem ipse tum in Cella, tum apud S. Remigium exulem humanissime exceperat, & diu apud se detinuerat, & tamquam unicum amicum habebat. Cum ille in Angliam, unde ortus erat, reversus esset; illuc quæstiones suos misit Petrus cum S. Aigulfi reliquiis, ad perquirendas, ut jam dixi, S. Aigulfi instaurandæ ecclesiæ suppetias. *Ecce in cineribus*, inquit, *beati Aigulfi cum beato Job lugens & dolens, debetone studere verborum elimatis splendoribus, exquisitis facibus? Quin immo, juxta viscerum commotionem, ut sic dicam, & fumoso sermone afflictum represento animum. Mi carissime, curro & discuro, quasi vagus & profugus, si forte dispersos cineres a quatuor ventis recolligere possim. Hinc est quod non cineres, sed fruges pretiosas, etiam ubi non seminavi, videlicet de Anglia, metere volo. Manipulos etenim elemosynarum gentis illius ut metat beatus Aigulfus, injungo.* Tum sibi objicit ipse Petrus, quo jure eo falcem extenderet, ubi numquam vel arasset, vel feminasset? *Sed non usquaquaque absurdum est*, inquit Petrus, *quod facere propono: quia etsi terram illam non colui, te tamen quasi areolam aromatis pro tempore concessi bonis speciebus, cum tecum fuisset, cum tecum habitavi, cum te amavi, cum te retinere promerui.* & infra: *Dies illa sit benedicta, hora numquam pertranseat, qua Johannem meum feci, qua talem ac tantum amicum in filiis hominum apprehendi.* tum in fine: *Ut ad rem accedamus, scito amice, quia pretiosum martyrem Aigulfum in vase non vili ecce ad peregrinandum in egestate sua destinamus. De manu mea in manum meam (amicus quippe alter ego) illum depono. Quodcumque volueritis, quodcumque disposueritis de nuntiis ratum habeo.*

Eidem Johanni scriptæ sunt sequentes VII. Petri nostri epistolæ, in quibus eximium & singularem in eum amorem quam-tenerimis loquendi modis explicat, cum adhuc Cellensis abbas esset. *Tu*, inquit, *c pars magna deliciarum mearum, in te opes meæ: tu capitis mei reclinatorium aureum. utinam corporum eadem semper, mediante Christo, propinquitas esset, quæ animorum.* In alia epistola^d Christo gratias agit, quod sibi talem dedit amicum: qua in epistola ait, se postera die quam hæc scriberet, repositurum in decentissimo tumulo, *videlicet capsula nova, sacratissimum corpus beati Aigulfi*, cujus caput & corpus se habere dicit. Ejus cineres a Petro postulavit Johannes, quas ille quod mittere distulerit, alias^e excusat. Quanto porro affectu Petrum nostrum redamaverit Johannes, testantur ipsius ad eum epistolæ, quas recensere ac referre prolixius foret. Ceterum Johannem Petri nostri munificentia in scholis Parisiensibus alitum fuisse colligere licet ex epistola decima libri IV. quam urbem ab eo insuper haberi miratur Petrus. *Quis præter te alius sub celo*, inquit, *Parisius non æstimavit locum deliciarum, hortum plantationum, agrum primitiarum? Ridendo tamen verum dixisti: quia ubi major & amplior voluptas corporum, ibi verum exsiliium animarum, &c.* Nec omittere licet, quibus modis Petrus suas ad Johannem epistolas inscribat, nempe passim absolute *Suo suus*; aliquando, *Suo clerico suus abbas*; tum *Suo Johanni suus Petrus*; nunc, *Frater Petrus magistro Johanni*; denique, *Amico suo Johanni*. quæ quidem compellationes mirum Petri in eum affectum expriment, quales numquam erga alios amicos adhibuit, præterquam erga Nicolaum ex Arremarensi monacho factum Claræ-vallensem, id est *de nigro album*, ut ipse ait in epistola ad ipsum Nicolaum, scilicet in epistola prima libri IV. quam, uti & alias tres sequentes inscribit, *Suo suus*, aut *Nicolao suo Petrus suus*, & quidem ante lapsum

ANN. CHR.
1145.
L X.
S. Aigulfi cella
combusta.
a id. lib. 1. ep.
18.

LXI.
Johanni Sares-
berienfi hac de
re Petrus scri-
bit.
b id. lib. 4. ep.
5.

LXII.
Johannes
quam ipsi ca-
rus, uti & Ni-
colaus.
c id. ibid. ep. 6.
d ep. 7.

c ep. 11.

ANN. CHR.
1145.

ipius Nicolai; inmo & post ejus lapsum, de quo mentionem facit Petrus in ejusdem libri epistola IV. Ex quo intelligitur, quam graviter allucinentur illi, qui Nicolaum illum Clara-vallensem eundem esse opinantur cum Nicolao Anglo, qui contra S. Bernardum de conceptione beatæ Mariæ post ejus obitum scripsit: siquidem Petrus Cellensis, qui S. Bernardum vindicavit adversus eundem Nicolaum, eum Anglum fuisse dicit, & sibi facie ignotum, ut suo loco videbimus.

LXIII.
Geraldus Mo-
lismensi abbati
datum privile-
gium.
a V. lib. 75. n.
* 8.

In Molismenses quoque nostros propensissimus erat idem Petrus, ut ejus epistolæ testantur, quas suis locis referemus. Tunc ab annis quinque Molisino præerat Geraldus seu Giraudus abbas; Guidonis^a successor, qui hoc anno amplissimum ab Eugenio privilegium adeptus est. In eo confirmantur, recensenturque omnes monasterii possessiones, ecclesiæ & cellæ, in his quatuor monasteria sanctimonialium a Molisino pendentium; duo quidem in diocesi Lingonensi, scilicet sanctæ Mariæ apud Juliacum, & sancti Sulpicii apud Osam: duo itidem in Catalaunensi, nempe de Andesisis*, & beatæ Mariæ de Valle-Onæ. Datum Viterbii per manum Roberti S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii, XIII. kal. Decembris, indictione IX. incarnationis dominicæ anno MCXLV. pontificatus vero domni Eugenii III. anno I. Qui has litteras scripsit Robertus cancellarius, is est Robertus-Pullus Anglus, doctrina & scriptis celebris, quem præmissum^b ait Bernardus in adjutorium Eugenii ante ejus electionem. Eum Parisiis, cum necdum esset cardinalis, retinuit Bernardus, qua de re offensus Roffensis episcopus; quem litteris^c placavit vir sanctus, qui Roberti sanam doctrinam laudat, & scripta multi faciebat.

b Bern. ep. 362.

c id. ep. 203.

LXIV.
Robertus Pulli
obitus.

Non diu post hunc annum superstes fuit Robertus, cui mox in cancellarii munere successit Guido diaconus cardinalis S. Mariæ in Porticu. Qui Rolandum primis Eugenii diebus cancellarium fuisse opinantur, falsi sunt mendosa inscriptione Bernardinæ epistolæ CCCLXII. quæ ad Robertum-Pullum cardinalem & cancellarium recte inscripta est in codice Cistercienli, non ad Rolandum, ut in antehac editis legebatur. Pulli opera typis vulgata sunt Parisiis a nostro Hugone Mathoud cum libro Sententiarum Petri Pictavenis, paullo antiquioris Petro Lombardo, quem Bernardus Parisiis studentem canonicis regularibus^d S. Victoris commendavit. Redeo ad Geraldum Molismensem abbatem, cujus tempore Gaufridus de Joinvilla, cum uxore sua Felicitate & filio ipsius juvene Gaufrido, sanctimonialibus in Valle-Onæ* sub tutela Molismensis ecclesiæ Christo famulantibus, Giraudus venerabili existente Molismensi abbate, quaedam terras in confinio Onæ, aliaque contulit. qui locus est diocesis Catalaunensis haud procul a Matriona infra Joinvillam. Testes ex parte Gaufridi senis & filii ejus cognominis Guichardus abbas S. Urbani, Hugo ejus prior, &c. ex parte vero monialium Giraudus abbas Molismi, magister Humbertus, Mainardus monachus, Robertus primus pater spiritualis supra dictarum monialium. Desunt in apographo nostro chronica notæ, sed facile supplendæ, tum ex tempore Giraudi seu Geraldii abbatis, qui Guidoni anno MCXL. successit: tum ex bulla Eugenii hoc anno data, in qua monasterii beatæ Mariæ de Valle-Onæ fit mentio. Post tres abhinc annos Geraldus successit Stephanus, quo abbate Rainaldus de Argentolio miles filium suum monasticæ religioni apud Molisimum mancipavit. De Guilenco Stephani successore inferius. Res hujus anni prosequor.

d id. ep. 410.

LXV.
Onæ cella mo-
nialium.
* la Val d'Onæ.

Tunc temporis insolitum pietatis genus inter fideles laicos apud Carnutas, tum in tota Normannia excitari cœpit, ut scilicet in ædificandis ecclesiis homines ipsi animalium vices ad portanda quælibet onera, convehenda plaustra supplerent. Hinc instituta ejusmodi hominum sub uno principe societas, ad quam nulli, nisi prævia confessione, deposito quolibet rancore & odio, admitterentur. Hæc omnia docent nos litteræ Hugonis archiepiscopi Rotomagensis ad Theodericum Ambianorum episcopum, quæ ob rei novitatem referri merentur. sic autem habent.

LXVI.
Normanno-
rum devotio in
fabrica eccle-
siarum.

Reverendo patri Theoderico Ambianensium episcopo, Hugo Rotomagensium sacerdos, prosperari semper in Christo. Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus! Apud Carnotum cæperunt in humilitate quadrigas & carpentia trahere ad opus ecclesiæ construendæ, eorum humilitas etiam miraculis coruscare. Hæc fama celebris circumquaque pervenit, nostram denique Normanniam excitavit. Nostrates igitur, benedictione a nobis accepta, illuc usque profecti sunt, & vota sua persolverunt. Deinde forma simili ad matrem suam ecclesiam in diocesi nostra per episcopatus nostros venire cæperunt, sub tali proposito, quod nemo in eorum comitatu ventret, nisi prius data confessione & penitenti-

tia

ANN. CHR.
1145.

via suscepta, nisi deposita ira & malivolentia, qui prius inimici fuerant, convenirent in concordiam & pacem firmam. His præmissis, unus eorum princeps statuitur, cujus imperio in humilitate & silentio trahunt quadrigas suas humeris suis, & præstant oblationem suam non sine disciplina & lacrymis. Tria illa quæ præmissimus, confessionem videlicet cum penitentia, & concordiam de omni malivolentia, & humilitatem veniendi cum obedientia, requirimus ab eis, cum ad nos veniunt, eosque pie recipimus, & absolvimus, & benedicimus. si tria illa deserunt. Dum sic informati in itinere veniunt, quandoque & in ecclesiis nostris quam-maxime miracula creberrima fiunt, de suis etiam, quos secum deferunt infirmis, & reducant sanos, quos secum attulerunt invalidos. Et nos permittimus nostros ire extra episcopatus nostros: sed prohibemus eos, ne intrent ad excommunicatos vel interdictos. Facta sunt hæc anno incarnationi Verbi MCXLV. Bene vale.

Hactenus epistola Hugonis archiepiscopi de novo illo & ad id tempus inaudito pietatis genere, quod ab ecclesiæ Carnutenfis fabrica, beatissimæ Dei-genitricis amore, fieri cœptum est. Inde ad Divenfis basilicæ constructionem propagatum tanta omnis sexus & ætatis devotione, ut ea omnem fidem superaret, nisi Haimo abbas, testis oculatus, id diserte confirmaret, & nisi his fidem præmissa Hugonis archiepiscopi epistola conciliaret. Ab anno Christi MXL. quo beatæ Mariæ monasterium in opido S. Petri super Divam inchoatum fuerat, basilica necdum absoluta erat ad hoc usque tempus, quo Haimo abbas, Richardi de Aquila successor, supremam ei manum imposuit. Ejus intellectu consilio, Divenfes opidani & circumpositi populi, Carnutenlium pietate animati, non modo plebei, sed etiam nobiles, omnis sexus & ætatis, congestam in carris lapidum, lignorum & arenæ materiam, nulla equorum, boumve ope, ipsi e longinquo summo cum silentio convehabant. Audiendus hac de re Haimo abbas, qui operi præsidebat, in libello hujusce argumenti, quem ad fratres suos, Totseberie* in Anglia degentes; scripsit, ut eos ad gratias Deo agendas excitaret, qui in tanta sæculi corruptela novum quoddam pietatis genus, quo quæreretur, instituit, novum, inquam, & sæculis omnibus inauditum. Quis enim vidit umquam, quis audivit in omnibus generationibus retroactis, ut tyranni, principes potentes in sæculo, honoribus & divitiis inflati, nobiles natu viri & mulieres, superba & tumida colla loris nexa plaustris summitterent, & onusta vino, tritico, oleo, calce, lapidibus, lignis, ceterisque vel vite usui, vel structura ecclesiæ necessariis, ad Christi asylum animalium more brutorum pertraherent? Verum id mirabilius videtur quod subdit idem auctor. In trahendo autem, inquit, illud mirabile videre est, ut cum mille interdum, vel eo amplius viri vel femina plastro innexi sint, (tanta quippe moles est, tanta machina, tantum & onus impositum) tanto tamen silentio incedatur, ut nullius vox, nullius certe mussitatio audiatur; ac, nisi oculis videas, adesse nemo in tanta multitudine æstimetur. Ubi autem in via substititur, nihil aliud resonat, nisi confessio criminum, & supplex ad Deum puraque oratio pro impetranda venia dilectorum. Ibi predicantibus pacem sacerdotibus, sopiuntur odia, discordiæ propulsantur, relaxantur debita, & animorum unitas reparatur. Si quis autem in tantum malum progressus fuerit, ut nolit peccanti in se dimittere; aut unde pie admonetur, sacerdotibus obedire: statim ejus oblatio, tanquam immunda, de plastro abjicitur, & ipse cum pudore multo & ignominia, a sacri populi consortio separatur. Hæc porro fidelium devotio in tantum Deo grata & accepta visa est, ut ad eorum preces & beatæ Mariæ invocationem infinita miracula facta sint, & peccatores ad penitentiam conversi. Ibi, inquit Haimo, ad orationes fidelium videas infirmos quosque a languoribus variis debiles in plaustris, quibus impositi fuerant, sanos exsurgere, mutos ad laudes Dei ora aperire, & vexatos a dæmonibus saniores mentem recipere. Videas sacerdotes Christi, plaustris singulis præsedentes, ad penitentiam, ad confessionem, ad lamenta, ad melioris vitæ propositum universos hortari, ipsos humi prostratos, ac toto corpore incumbentes, terram diutius osculari; senes cum junioribus & pueris tantillæ ætatis Matrem Domini conclamare, atque ad ipsam præcipue singultus, suspiriaque ab intimis præcordiis cum voce confessionis ac laudis dirigere. Jam vero quo ordine ad laborem omnes progredierentur, idem auctor sic explicat. Ubi autem fidelis populus, ut ad cæpta redeam, ad clangorem tubarum, ad erectionem vexillorum præcuntium sese via reddidit, (quod dictu mirabile est) tanta facilitate res agitur, ut eos ab itinere nil retardet; non ardua montium, non profunditas interjecta aquarum: sed, sicut de antiquo illo Hebræorum populo legitur, quod Jordanem ingressi sint per turmas suas: ita

LXVII.
Divenfis beatæ
Mariæ basilicæ
mire perfecta.

* Tuttebery.

ANN. CHR.
1145.

singuli, cum ad flumen transmeandam venerint, e regione subito, ducente eos Domino, incunctanter ingrediuntur: adeo ut etiam fluctus maris in loco, qui dicitur sancta Mariae-portus, dum transirent, ad eos venientes stetit, ab ipsis transeuntibus fideliter asseratur. . . . Ubi vero ad ecclesiam perventum fuerit, in circuitu ejus plaustra, velut castra spiritualia disponuntur, ac tota nocte sequenti ab omni exercitu excubia in hymnis & canticis celebrantur. Tum cerei & luminaria per plaustra singula accenduntur: tum infirmi ac debiles per singula collocantur: tum sanctorum pignora ad eorum subsidia deferuntur: tum a sacerdotibus & clericis processionum ministeria peraguntur, populo pariter devotissime subsequente, & Domini simul & beatae Matris ejus clementiam pro restitutione debilius attentius implorante. Hæc omnia tam nova & singularia videntur, ut ea paulo fufius referenda esse censuerim, & integrum Haimonis abbatis hac de re libellum in Appendice exhibere. Hujus sacre institutionis ritus, ait idem auctor, apud Carnotensem ecclesiam est inchoatus, ac deinde in nostra virtutibus innumeris confirmatus; postremo per totam fere Normanniam longe lateque convaluit, ac loca per singula Matri-misericordiae dicata, præcipue occupavit. Nonnihil simile in extrahendis e Pontifarenli lapidina ingentis molis columnis, ad construendam a S. Dionysii novam basilicam, testante Sugerio, factum est. Sic perfecta & ad coronidem usque perducta est Divensis beatae Mariæ basilica, quæ hodie quoque superest, inter patriæ sacras ædes vix ulli inferior. Haimoni in Divensi abbacia successit Warinus monachus Cluniaci, a Roberto de Monte laudatus.

a lib. 77. n. 75.

LXVIII.
Remigiano-
rum caritas
tempore famis.

Per ea tempora, cum gravis fames per Galliam; maxime in Campania grassaretur, Remigiani apud Remos monachi ne rebus quidem sacris pepercere; ut inopia laborantibus succurrerent. Hinc S. Gibriani thecam, quæ sub finem sæculi noni a comite Haberto ex argento fabricata erat, in egenorum & famelicorum usus distrahere, indignum christiano nomine rati, res sacras fulgere auro, dum Christi membra fame pereunt. Verum hanc eorum caritatem brevi Deus multo fœnore compensavit. Ubi enim regno felicior successit aura, tum fideles certatim donaria contulerunt ad reparandam S. Gibriani arcam, quæ eorum causa nuper spoliata fuerat. Post spontaneam hanc erogationem, capsula ex auro, argento ac lapillis fabricari cœpit a peritissimo quodam aurifice, nomine Huberto, qui ob crimen quoddam ipsi imputatum ad S. Remigii asylum confugerat. Absoluta capsula, S. Gibriani reliquiarii sollempnis translatio in eam feria secunda post pascha xvi. kal. Maias hoc anno facta est a Samfone archiepiscopo, adstantibus præter alios plures Odone S. Remigii, Willelmo S. Nicasii & Ursione S. Dionysii abbatibus. quæ celebritas compendiose a Marloto^b refertur, at fufe a Baldewino S. Remigii tunc temporis monacho, uno ex custodibus sacri pignoris, cui ab Odone abbate injuncta fuerat cura describendi miracula S. Gibriani, quæ ille tribus libris digessit, in Maii Bollandiani tomo vii. relatis.

S. Gibriani
translatio.b Marlot. no. 2.
p. 346.LXIX.
Marina S. Remigio
asserita.
* Merser.
c Mir. cod. do-
nat. p. 298.

Eodem anno Odo abbas Conradum imperatorem apud Ulterius-Trajectum convenit, petiitque, ut Marinam* præposituram cum suis adjunctis S. Remigio confirmaret. quod liberaliter præstitit cæsar, nullumque alium in rebus S. Remigii advocatum esse voluit, nisi regem Romanorum. Testes in primis Hartbertus Trajectensis episcopus & Anselmus Havelbergensis. Marinæ præpositura, quæ haud procul a Trajecto-Mosæ* sita est, nostra ætate canonicis regularibus S. Augustini celsit, ejusque prædia Aquæ-curtenfi in Artesia abbatia tradita, commutatione facta aliorum in Francia prædiorum, quæ Remigianis concessa sunt, ut Miræus ad Conradi litteras adnotavit. Jam ante septennium eundem Conradum Odo convenerat, impetraveratque ab eo diploma, quo eadem possessiones a Gerberga regina donatas & ab Ottone I. & II. confirmatas monasterio Remigiano asseruit cum Cossa in pago Vosago ejusque appendiciis, ac quibuscumque in posterum acquirendis. Charta data est Colonia III. idus Aprilis anno mcccxxxviii, cui inter alios subscribere Teduinus sanctæ Rufinæ cardinalis episcopus, Arnoldus Coloniae, Albero Trevirorum ac alii tres episcopi cum Wibaldo abbate Stabulensi & aliis viris nobilibus.

V. Tolner. cod.
diplom. n. 44.LXX.
S. Theoderici
abbates.

Suburbano S. Theoderici monasterio ad hunc usque annum præfuit Hellinus seu Hillinus abbas, qui hoc anno decessisse dicitur kalendis Februarii, præfecturæ suæ decimo, & monasterium interius, exteriusque decorasse, multisque sanctorum reliquiis & ornamentis locupletasse. Huic successit Aldricus e gremio assumtus, qui jura & privilegia monasterii adversus impugnatores strenue propugnavit, multasque pos-

sessiones comparavit. De his inferius. Interim illud hic observandum, eum esse, qui primus omnia monasterii instrumenta in unum corpus redigi curavit, quod ejus successores usque ad annum millesimum trecentimum continuarunt. Hæc majorum nostrorum in concinnandis ejusmodi chartaceis libris diligentia nostri temporis plerorumque monachorum incuriam & focordiam arguit, qui nec chartas suas in ordinem redigere, nec dissipatas in unum volumen redigere curant, magno rei familiaris damno, ex quo res Deo consecratae pessum eunt.

ANN. CHR.
1145.LXXI.
Majorum no-
strum cura de
chartis & libris.

Non minor fuit majoribus nostris cura de libris comparandis & conservandis. Exemplum nobis modo suppeditat Udo Carnutensis S. Petri cœnobii abbas, qui hoc anno statutum^a edidit, ut omnes illius officiales & priores seu obedientiarum cellarum & ecclesiarum, quotannis symbolum quisque suam ad reparandos veteres codices & ad augendam bibliothecam in festo omnium sanctorum conferrent, ut patet ex ejus constitutione, quam in Appendice videre licet. Eandem constitutionem religiose observarunt Udonis abbatis successores Guillelmus II. in primis & Fulcherius, laudati a Guillelmo III. qui & ipse *armarium* seu bibliothecam auxit, ejusque *repertorium*, ut vocat, concinnavit anno mcccclvii. de quo agendum suo loco. Ex hoc solo abbate discimus successorem Udonis Guillelmum II. quo prætermisso, vulgati indices & inediti Fulcherium Udoni substituunt. Verum standum videtur sententiæ Guillelmi III. qui in prologo ad suum repertorium, in quo se *Dei gratia, & apostolica sedis abbatem* dicit, sic de Udonis constitutione loquitur: *Hæc eadem ordinatio seu institutio facta fuit anno Domini mxcxlv. quod profecto statuere non modice virtutis fuit. nam,*

LXXII.
Carnutenses
abbates.
a V. lib. 75. n.
37.

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri.

Post ipsum autem Udonem, ac etiam post dominum Guillelmum ejus successorem, ille bonus pater familias atque scriba doctissimus sollempnis memoriæ dominus abbas Fulcherius, quam plures libros, alios quidem novos fecit scribi; alios veteres innovari: qui per Dei gratiam adhuc una cum aliis in presenti nostro permanent thesauro, qui aliter dicitur Camera seu locus cartarum atque librorum nostrorum. Post Udonem itaque in ferie abbatum S. Petri interponendus est ante Fulcherium Guillelmus abbas, eo nomine secundus, de quo præter hunc locum nihil nobis dicendum occurrit. Brevem fuisse oportet ejus præfecturam, siquidem Fulcherius eam jam adeptus erat paulo post annum mcl. Plura de eo inferius. Udonis abbatis obitus consignatur xvi. kal. Octobris.

Pervenit saltem ad hunc annum Willelmus Tironensis monasterii abbas, quo tempore Gaufridus Carnutum episcopus & apostolicæ sedis legatus Castridunum ob injurias Tironensibus illatas interdicto subjecit, & Gaufridum vicecomitem earum auctorem cum ejus filiis Hugone & Pagano sacris interdixit. Verum Gaufridus tandem resipiscens, Tironii factus est monachus, & non multo post apud Carnutas obiit. Eo mortuo, Helois ejus conjux & prædicti ejus filii hoc anno pactum inierunt cum Willelmo abbate & Philippo priore coram Gaufrido episcopo; Hugo vero mox dictus & Helois ejus mater sepulturam suam apud Tironium elegerunt. Biennio post Willelmus abbas bonorum omnium confirmationem ab Eugenio III. impetravit, sed non diu supervixit. De ejus successoribus Stephano, Gualterio & Lamberto nihil notatu dignum occurrit.

LXXIII.
Gaufridus vi-
cecomes Tiro-
nii monachus.

In Britannia minori, diocesi Trecorensi, exstat ecclesia Salvatoris de Guemcampo*, quæ hoc tempore in abbatiam erecta est, eo pacto, ut ejus loci abbas ex monachis S. Melanii apud Redonas monasterii assumeretur. Legimus hac de re litteras Alani comitis, hoc anno datas, quibus Herveo II. b S. Melanii id concedit rogatu Conani ducis Britannia, & Bertæ ejus filia, prædicti Alani uxoris; additque, ut, quoties S. Melanii abbas ad illas partes declinaverit, illic, ut in propria domo recipiatur, & in signum subjectionis eadem ecclesia quotannis abbati viginti solidos persolvat. Testes post Alanum & Conanum Henricus comes Alani frater, Berta comitissa, Radulfus Corifopitensis episcopus & Guido Leonensis. quæ omnia Conanus dux totius Britannia & comes de Richemont precibus & consilio baronum suorum & assensu matris suæ Bertæ comitissæ triennio post confirmavit. quo tempore Herveo abbati successit Guillelmus de Aurea-valle, cui Eugenius III. Remis existens privilegium apostolicæ tuitionis indulfit.

LXXIV.
Salvatoris de
Guemcampo
ecclesia S. Me-
lanio subjecta.
* Guemcamp.
b V. lib. 72. n.
28.

ANN. CHR.
1145.
LXXV.
Casæ-Dei ec-
clesiæ in dice-
cesi Mimatensi.

Hoc ipso anno Guillelmus Mimatensis cum Stephano Casæ-Dei abbate concordiam inivit in præsentia Petri Bituricensis archiepiscopi super ecclesiis Casæ-Dei in ipsius diocesi positis, de quibus inter eos controversia diu agitata fuerat. Ecclesiæ illæ numero viginti tres in illa charta recensentur, data hoc anno IV. kal. Septembris indictione VIII. Non diu post hæc superstes fuit Stephanus abbas, de cujus obitu agemus anno sequenti.

LXXVI.
Johanni epi-
scopo Valenti-
no succedit
Orilbertus.
a Bern. ep. 249.

Mortuus est hoc anno in cinere & cilicio beatus Johannes, ex abbate Bonæ-vallis Viennensis creatus ante annos septem Valentinus episcopus. In ejus locum communi bonorum suffragio cooptatus est Orilbertus Casæ-Dei prior, cujus electionem S. Bernardus a Eugenio confirmari rogat his verbis. *Audivimus in ecclesia Valentina pari voto cleri & populi electum esse priorem Casæ-Dei. Mirum si bonus non fuerit ad opus, ad quod assumitur. Scire vultis unde id sperem? Boni hoc volunt; nec bonus potest non esse qui bonis placet. Nec minus validum argumentum mihi videtur quod bonus sit; si malis e regione displiceat. Decet sanctitatem vestram votis assentire bonorum: ne, si ab isto sorte resiliere contingat, alium, quem nolletis, studio & consensu pravorum contingat recipere.* Hactenus Bernardus ad Eugenium, qui revera electum confirmavit. Nec eum aut Bernardum facti pœniruit, ut ex alia Bernardi epistola intelligitur, in qua de eodem ex morbo revalescente ita Eugenio scribit. *Dominus Valentinus convalescit; & ubi valet, operatur bona. Propterea amatores boni diligunt eum, & ipse diligit bonos. In hoc apparet quia bonus est. Vestrum est tales diligere, & fovere.* Vix novem annos in episcopatu exegit Orilbertus, cujus facta ignorantur, quæ laudabilia fuisse ex his Bernardi verbis facile intelligitur.

LXXVII.
Ordo Claræ-
vallis.

Ea tunc temporis Claræ-vallis monasterii existimatio erat, ut *Ordo Claræ-vallis* aliquando diceretur ea disciplina, quæ in aliis Cisterciensis congregationis monasteriis observabatur. Hujus rei argumentum nobis suppeditat Guarnerius dux Spoletanorum in litteris, quibus Brunoni abbati Caræ-vallis prope Mediolanum subdit monasterium quoddam in comitatu Camerino, *ad tenendum illic ordinem Claræ-vallis*: sic enim Guarnerius loquitur: *Ego quidem Guarnerius marchio ducatus Spoletanorum, propria mea voluntate, cogitans de Dei misericordia, in remedio animæ meæ, meorumque parentum & conjugis meæ & heredum meorum, tibi domino Bruno abbati de Caræ-valle Mediolani in honorem Dei & sanctæ Mariæ, monasterium, quod ego exposui in comitatu Camerino juxta fluvium Clentis*, dono & offero atque concedo tibi, tuisque successoribus subius ordinem Claræ-vallis, ita ut in tua, successorumque tuorum dispositione semper maneat ipsum monasterium ad tenendum ordinem Claræ-vallis; & abbas, qui pro tempore ibi regulariter fuerit ordinatus, semper accipiat benedictionem suam a manu Romani pontificis sub cuius tuitione semper maneat, &c.* Comes Rodulfus & comes Limprandus & alii rogati testes interfuerunt in hac carta, quæ hoc anno, die mensis Aprilis septima data est. Ubi vides *ordinis* vocabulum pro regulari disciplina usurpari, unde Bernardus ipse in epistola II. *ordinem aut disciplinam* ut synonyma usurpat, agens de novitiis ab Arnaldo Morimundi abbate abductis, qui *nondum ordinem aut disciplinam professi* erant. Idem in alia epistola: *Custodite ordinem & ordo ipse custodiet vos*; & in epistola ad monachos Alpenges: *Ordo noster est studere silentio, exerceri jejuniis, vigiliis, orationibus, opere manuum, &c.* Ex hac Ordinis significatione translatus est ejus usus ad designandum corpus variorum monasteriorum, quæ idem institutum, eandemque regularem disciplinam observant. Quo sensu Samson Remorum archiepiscopus in litteris ad S. Bernardum ait, se ægre a canonicis sancti Dionysii Remensis obtinuisse locum apud Moras in diocesi Lingonensi ad faciendum ibidem *abbatiam ordinis Claræ-vallis*. Pari modo dictus est ordo Cluniacensis, ordo Majoris monasterii, primo quidem pro forma & modo regularis eorum normæ, tum pro corpore multorum monasteriorum sub principe monasterio. Hæc digressio aliquanti momenti est ad propositum nostrum.

LXXVIII.
B. Mariæ de
Flastris mona-
sterium.
* Flastra.

Monasterium illud, quod dux Guarnerius Claræ-vallis abbatia contulit, idem esse videtur quod beatæ Mariæ de Flastris seu Flastra* ab amne cognomine nuncupatum fuisse discimus ex diplomate Ottonis IV. Romanorum imperatoris, quo ad imitationem Henrici VI. imperatoris monasterium sanctæ Mariæ de Flastris & Ottonem venerabilem abbatem cum omnibus rebus suis sua protectione imperiali suscipit; simulque confirmat pacationem seu concordiam quam Bertoldus

in Italia legatus fecerat inter ecclesiam Rambonensem & sanctæ Mariæ monasterium. Ad hæc ratam habet donationem illius possessionis, quæ vulgo *Branca-Ursina* vocatur, quam Guarnerius Marchio eidem monasterio contulit. Quo minus tamen idem sit monasterium, id obstare videtur, quod primum illud ad fluvium Clentis, alterum ad amnem seu torrentem Flastra situm dicitur: qui torrens in Clentem influit. Verum hæc aliis examinanda permitto.

Ad res Alamannicas quod attinet, hoc anno Fredelous Augiensis abbas monasterium sancti Galli adiit, *fraternitatem*,^a seu societatem precum cum Werinhario abbate & fratribus ejus loci renovaturus, prout eam olim Walto Augiensis & Werdo S. Galli abbates instituerant. quæ institutio ab utrisque probata est & confirmata; statutumque insuper, ut quotiescumque utriusque monasterii fratres ad alterum locum irent, consueta fratrum annonæ eis tribueretur; & si quis frater non bene moratus abbatibus sui & fratrum offensam incurrerit, & ad alterum locum confugerit; si errati emendationem promiserit, per ipsius loci abbatem aut seniores abbati suo reconcilietur, & loco suo & ordini restituatur. De Wernhero abbate, ejusque successoribus superius^b actum est.

In secundo volumine nostrorum Annalium actum est de primordiis Ottemburani Sueviæ monasterii, primisque ejus abbatibus Totone, Milone, atque Nirkario, de quorum successoribus nihil comperti habemus usque ad Burdingum,^d quem S. Udalricus Augustensis episcopus, qui abbatiam in beneficium tenuerat, libertatis privilegio restituit ibidem regularem abbatem instituit. A Ruodingo octo numerantur a Bucelino^e abbates usque ad Rupertum, quem sanctum vocat, & ex sancti Georgii in Hercinia monasterio assumtum fuisse dicit. Ejus obitus in brevibus ejus loci Annalibus ad cyclos paschales refertur his verbis. *Anno MCXLV. obiit dignæ memoriæ Rupertus confessor, miraculorum & in corpore & extra magnificus operator, abbas hujus loci annis quadraginta, VII. idus Novembris ordinatus, vita vivens centum viginti ferme annorum.* De eodem in calendario ita legimus: *XVIII. kal. Septembris obiit piæ memoriæ abbas Rupertus, totius loci pater egregius, miraculorum operator insignis.* De Ruperto tamen sit tantum solemne anniversarium in Ottemburano monasterio, uti & de Totone primo abbate, cujus tamen corpus anno MCLXIII. e tumulo levatum est, & in decentiorem locum translatum. Sic enim interpretor hæc calendarii verba ad illum annum: *Toto sepelitur, ac principale altare dedicatur.* In prædictis brevibus annalibus anno sequenti MCLXIV. numeratur *annus quadringentesimus, a quo locus iste fundatur, plus septem ante conditionem Campidone.* qui locus sententiam nostram de anno constructionis monasterii Ottemburani confirmat: sed Hermannus, quem secuti^f sumus duodecim annis Campidonensis conditionem, aut saltem inhabitationem antevertit.

Ruperto abbati in regimine Ottemburano successit Isingrinus, e S. Udalrici Augustano cœnobio postulatus, ait Bucelinus, a quo Johannes Isingrinus vocatur. Hic muros & ædificia monasterii instaurasse dicitur, ecclesiam ornasse, bibliothecam auxisse, haud scio an post annum MCLII. quo monasterium incendio vastatum fuisse traditur. Sub horum abbatum regimine Ottemburanum monasterium pietate floruisse conjicimus ex eo quod Mariæbergensis, seu Mariæ-montis in Tirolensi comitatu, quinque priores abbates ex eo loco assumti fuerint. Conditum primo fuerat illud cœnobium in loco *Schulds* dictum apud Rhætos, quod cum post paucos annos igne cælesti combustum fuisset in vallem proximam, venustam nomine, translatum est, exstructa ibi in S. Stephani honorem ecclesia. At nec ibi diu perstitit, Deo variis signis indicante ut in vicino monte beatæ Mariæ sacrandum monasterium ædificaretur. Id Udalricus de Taraspo præstitit, qui etiam assumto monastico habitu, post aliquot annos defunctus ibi, atque cum Urza uxore sepultus est, ut indicat epitaphium a Bucelino relatam. Is auctor prioris monasterii^g initia ad annum M X C. utriusque posterioris ad MCXLIV. seu XLVI. refert: quo priore anno Albertus in Ottembura assumtus primus abbas creatus fuit. ceteros apud eundem auctorem videtis. Inter hujus loci benefactores laudatur Algotus Curienensis episcopus, apud Claram-vallem S. Bernardi discipulus, vir, uti habet Ernaldus, *h sapientia, etate & gratia reverendus.* Is, uti duo versus indicant, *Cryptam divinis asibus aptam* eo in loco consecravit, & miraculis, uti aiunt, clarus obiit circa annum MLXIV. De Hermannus ejusdem loci abbate ab impiis infaustis occiso, si Deus dederit, initio sæculi XIV. agemus.

ANN. CHR.
1145.

LXXIX.
S. Galli cum
Augia societas
renovata.
a Gold. to. 2. p.
183.

b lib. 74. n.
64.

LXXX.
Rupertus alii-
que Ottembur-
æ abbates.

c lib. 23. n. 74.
d V. lib. 47. n.
87.

e Germania sac.
10. 2. p. 248.

f lib. 22. n. 65.

g Germ. sac. to.
1. p. 217.

h Vita S. Bern.
lib. 2. c. 8.

ANN. CHR.
1146.
LXXXI.
Fuit datio cellæ
S. Imerii.

[Circa hæc tempora accessit Beccensi monasterio insignis cella S. Imerii in diocesi Lexoviensi, eo in loco sita ubi sub finem sæculi XI. Hugo comes de Monteforti collegium canonicorum fundavit & dotavit, in honorem S. Imerii, probante Hugone Lexoviensi episcopo qui anno MLXXXVII. mortem cum vita mutavit, & confirmante Guillelmo II. duce Normanniæ anno MC infeliciter occiso. Post aliquantum vero temporis *Hugo alter de Monteforti filius Gilberti de Gant, concessione Gaufridi Normannorum ducis & filii ejus Henrici, consilioque Hugonis Rothomagensis archiepiscopi & episcoporum Normanniæ Arnulfi Lexoviensis, & Rotroci Ebroicensis, & Philippi Bajocensis, Hælena uxore sua, & filiis suis Roberto & Valeriano concedentibus*, præsentibusque suis baronibus, dedit ecclesiæ B. Mariæ de Becco monachisque ibi servientibus ecclesiam S. Imerii, cum præbendis & omnibus ad eam pertinentibus, ut monachi in ea loco canonicorum constituantur. His multa de suo addidit, quæ aliæque plurima Lucius III. anno MCLXXXII. singulari diplomate postea confirmavit, prout videre est in Appendice.]

ANN. CHR.
1146.
LXXXII.
Eugenius a Romanis vexatus.

Sub finem anni MCXLV. Eugenius papa Tiburtium ope in Urbem restitutus, proxima natalitia in Laterano peregit. Verum, cum Romani ab Arnaldistis corrupti, ab eo, ut Tibur everteret, postulerent, nec pontifex acquiesceret, illis in eum denuo vim facere molientibus, Urbe cum cardinalibus cedere statuit, & trans Tiberim cum eis se recepit. Illic cum versaretur, litteras apostolicæ tuitionis & bonorum confirmationem induisit Stephano Casæ-Dei abbati, qui biennio ante jam consimiles a Lucio II. impetraverat. Eugenii diploma datum est trans Tiberim per manum Roberti S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii kalendis Februarii, indictione IX. incarnationis dominicæ anno MCXLVI. pontificatus vero domni Eugenii III. papæ anno primo. Subscribunt novem cardinales, nimirum Conradus Sabinenfis episcopus, Albericus Ostiensis, Imarus Tusculanensis; tum Gregorius presbyter cardinalis tit. S. Laurentii in Damaso, Jordanus presbyter cardinalis tit. sanctæ Sufannæ, dein Odo diaconus cardinalis S. Georgii ad Velum-aureum, Guido diaconus cardinalis sanctorum Cosmæ & Damiani, Artaldus diaconus cardinalis sancti Eustachii juxta templum Agrippinæ, & Hyacinthus diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmedin. qui omnes cardinales Eugenium trans Tiberim comitati sunt. Ibidem etiam, nempe trans Tiberim, adhuc morabatur Eugenius *idibus Martii*, quo tempore Petro Bituricensi archiepiscopo amplissimum privilegium indulgit, in Patriarchio Bituricensi relatum: ubi Christi incarnationis annus MCXLV. veteri more interpretandus est.

^a Labb. tom. 2.
p. 88. & 89.

LXXXIII.
Bernardi pro eo litteræ & pro Sugerio.
^b id. ep. 243.

Ubi Romanorum ab Eugenio defectionem accepit S. Bernardus, acres ad eos litteras scripsit, in quibus ita loquitur. *Quid vobis visum est, b Romani, offendere principes mundi, vestros autem speciales patronos? Cur Regem terræ, cur Dominum cæli furore tam intolerabili, quam irrationabili, in vos pariter provocatis, dum sacram & apostolicam sedem, divinis regalibusque privilegiis singulariter sublimatam, ausu sacrilego incesse, suoque minere honore contenditis, quam vel soli contra omnes, si oportuisset, defendere debuisset? Sic fatui Romani, non judicantes, neque quod justum est discernentes, caput vestrum atque omnium deturpatis? pro quo magis nec vestris ipsis cervicibus parcendum a vobis foret, si necessitas exegisset. Patres vestri Urbi orbem subjugaverunt: vos Urbem properatis orbi facere fabulam. En Petri heres Petri sede & urbe a vobis expulsus est: en rebus & domibus suis, vestris manibus spoliati sunt cardinales atque episcopi ministri Domini.* Plura in hunc modum in Romanos scribit Bernardus, qui & Conradum regem Romanorum ad defensionem sedis apostolicæ adversus rebelles Romanos aliis litteris c hortatus est. Verum, cum a cœptis Romani non desisterent, Eugenius veterum pontificum exemplo in Franciam venire constituit. Ubi Senas attingit diaconos duos Gisleberti seu Gilberti Porretani Pictavenfis episcopi offendit, qui episcopum suum de fide Trinitatis male sentientem deferebant. qua de re se in Francia ex concilii sententia responsum dixit. Inde Pisas, tum trajecto Apennino per mensem Augustum Brixiam progressus, illuc decimo kalendas Septembris litteras ad Gerardum Bononiæ episcopum dedit, quibus eum monuit, se Regiensibus & Parmensibus præcepisse, ne Mutinensibus adversus abbatem Nonantulanum adessent; se vero Mutinenses ipsos, quod ex mandato suo ab inferenda Nonantulanis injuria nequaquam abstinuif-

^a id. ep. 144.

sent, ex consensu cardinalium, patriarchæ Aquileiensis & plurimorum episcoporum, episcopi dignitate privasse. Hæc fere Sigonius. Addit Ughellus, a brevi postea compositis rebus hanc dignitatem Mutinæ restitutam fuisse. Inde in Franciam progressus Eugenius, a rege Ludovico atque omnibus ingenti honore exceptus est.

Antequam in Franciam veniret Eugenius, ad eum scripsit Bernardus pro Sugerio S. Dionysii abbate, ut ipsi eum, ejusque nuntios commendaret. quod argumento est, Sugerium pontifici necdum probe notum fuisse. sic vero eum b commendat Bernardus. *Si quod magnæ domus magni Regis vas in honore habetur apud nostram Gallicanam ecclesiam: si quis, ut David, fidelis ad imperium Domini ingrediens & egrediens; meo judicio est venerabilis abbas sancti Dionysii. Novi siquidem virum, quod & in temporalibus fidelis & prudens, & in spiritualibus fervens & humilis, & in utrisque (quod est difficillimum) sine reprehensione versetur. Apud cæsarem est tamquam unus de curia Romana, sollicitus scilicet de rebus ecclesiæ Romanæ; apud Deum, tamquam unus de curia cæli.* Eximia sane laus a laudatissimo viro. Rogat insuper Bernardus Sugerii nuntios benigne suscipi a pontifice, eique *verba bona & amabilia* rescribi. Exstat prima inter Sugerianas c Eugenii epistola seu responsio ad Sugerium, in qua super obitu Johannis ejusdem Sugerii nepotis, quem ad pontificem nuntium miserat, paterno ei affectu compatitur; hortaturque, ut religionis ac honestatis propositum constanter teneat, & pro ecclesiæ suæ necessitatibus ad sedem apostolicam recurat. *Nos enim, inquit, eandem ecclesiam & personam tuam sincera in Domino caritate diligentes, parati sumus justas vestras postulationes attendere, & in quibus secundum Deum possumus, exaudire.* Sic Bernardi commendationi pontifex fecit satis.

ANN. CHR.
1146.
^a Ital. sacr. 10.
2. p. 148.

^b Bern. ep. 309.

^c Chesi. to. 42.
p. 493.

^d

Interim Edessa civitate a Sarracenis capta, christianis Jerosolymam & loca sancta incolentibus extrema pernicies imminabat. Quapropter missi ab eis ad Eugenium, ad Conradum imperatorem, ad regem Francorum, ceterosque principes legati, eorum auxilium adversus christiani nominis inimicos implorabant; omnesque ad sacram expeditionem litteris suis Eugenius excitavit. Hinc varii principum & episcoporum conventus habiti ad negotium deliberandum. Primus habitus est apud Biturigas in natali Domini, ubi regem Ludovicum in sollempni conventu Samson Remorum archiepiscopus coronavit. quæ coronatio in quibusdam sollempnibus comitiis fieri solebat. Id in suæ dignitatis injuriam factum conquestus est Petrus de Castra Biturigum archiepiscopus, qui jus Aquitanæ regum coronandi sibi competere contendebat. Hinc ejus querelis præventus Eugenius, Samsonem pallii usu privavit, eumque ad reddendam hujus facti rationem cum suffraganeis ejus episcopis ad proximas sancti Martini octavas coram se citavit. Eugenii litteræ datæ sunt d Satrii VII. kal. Aprilis. Ibidem adhuc erat nonis Maii, cum Conrado abbati Abdinchofensi seu Patherbrunensi hoc anno privilegium indulgit, a Schatenno relatum. Samsonis archiepiscopi causam apud pontificem suscepit S. Bernardus, scriptisque ad eum litteris contestatus est, sibi tolerabilius futurum fuisse, interdici ipsi missarum celebrationem, quam archiepiscopo pallii usum. De hac controversia hic agere non est nostri instituti, de qua consulendæ notæ fusiores in illam Bernardi epistolam.

LXXXIV.
Bituricis conventus pro sacra expeditione.

^d Labb. to. 2.
p. 88.

^c Bern. ep. 247.

In illo Bituricensi conventu alter in pascha indictus est apud Vizeliacum, ubi rex Ludovicus orationem habuit, in qua exposito sacrorum locorum discrimine, magnam super hac expeditione sibi devotionem incumbere testatus est. *Unde & vos, inquit, obnixè deprecor, ut meam studeatis voluntatem vestro comitatu & auxilio roborare.* Hunc conventum accurate describit Odo de Diogilo, Dionysianus monachus, qui ei videtur interfuisse. In sollempni curia apud Bituricas in natali Domini celebrata, episcopis & optimatibus regni ad coronam suam generalius solito de industria convocatis, secretum suum rex, cum esset viginti quinque annorum, primitus revelavit. Tunc Lingonensis episcopus Godefridus Edessæ depopulationem & oppressionem christianorum graviter exposuit, hortatusque est omnes, *ut cum rege suo ad subveniendam christianis Regi omnium militarent. Ardebat & lucebat in rege zelus fidei, contemptus voluptatis & gloriæ temporalis, exemplum omni sermone præstantius.* Statuitur dies in pascha, quo apud Verzelicum seu Vizeliacum omnes unanimiter convenirent, & cruce signarentur. Missis Romam hac de re legatis, Eugenius consilium mire probavit, cruces misit & cruce signatis pec-

LXXXV.
Alter apud Vizeliacum præfente Bernardo

ANN. CHR.
1146.

catorum omnium remissionem, parvulisque eorum patrocinium promisit. Optabat ille tam sancto operi manum primam ipse imponere: at *Romanorum tyrannide præpeditus*, abbati Clara-vallensi Bernardo curam ipsam delegavit. Itaque rex a summo pontifice sibi missum crucis insigne suscepit, multique proceres cum eo. Et quoniam in castro seu opido Vizeliaco locus idoneus non erat, qui tantam capere multitudinem posset, extra castrum *in campo fixa est abbati lignea machina, ut de eminenti circumstantibus loqueretur*. Hanc ascendit cum rege cruce ornato. Ubi loqui cœpit vir Dei, tum omnes conclamando, Cruces, cruces expetere cœperunt. Cum vero earum fascem præparatum seminasset potius, quam dedisset abbas sanctus, vestes suas in cruces scindere & feminare coactus est. Tandem promulgato edicto, ut post annum cruce signati progredierentur, omnes cum gaudio ad sua reversi sunt, ad tam longum iter necessaria paraturi. Abbas, inquit Odo, scilicet Bernardus, *sub tenui corpore, & pene præmortuo, robustum tegens spiritum, ubique circumvolat prædicando, & multiplicati sunt super numerum crucem portantes*. Denique multa in illo conventu miracula idem auctor facta fuisse dicit, quæ scribere consilio prætermisit: ne, si pauca scriberet, non crederentur plura fuisse: vel si multa, materiam seu propositum obmisisse videretur. His ita gestis, Pontius Vizeliacensis abbas, ut Vizeliacus, ubi tanta fidelium multitudo cruce signata fuerat, non nobilis facti memoriam in perpetuum^a retineret, in honorem sanctæ Crucis basilicam extruxit, quæ postea multis miraculis divinitus illustrata fuisse dicitur. Ex innumeris qui Vizeliaci cruce signati sunt, recensentur Herbertus abbas sancti Petri Vivi Senonensis, qui paullo post ab hominibus communia Senonensis interfectus est, & Theobaldus abbas S. Columbæ.

^a Gestis Ludovici Jun. p. 392.LXXXVI.
Carnoti tertius conventus. Eo invitati archiepiscopus Lugdunensis & Petrus Venerabilis.

Nota de Stephanano Viennensi.

^c Petr. Ven. lib. 5. ep. 2.^d Bern. ep. 364.^e Petr. Ven. lib. 5. ep. 18.

Post Vizeliacensem illum conventum, rex Lauduni cum regni optimatibus convenit, ubi tertius Carnotum conventus ad tertiam dominicam post pascha indictus est. Ad hunc conventum Sugerius archiepiscopus Lugdunensem U. scilicet Umbertum seu Humbertum de Baugeio, regis nomine invitavit. Verum ab hoc conventu se excusavit archiepiscopus, scripta epistola quæ exstat^b inter Sugerianas: tum quia Senonensis archiepiscopus primatum suum agnoscere volebat: tum quia lethali morbo Ylionis abbatis, viri in Lugdunensi ecclesia præcipui, detinebatur. Ideo vice sua ad hunc conventum mittit venerabilem, inquit, fratrem nostrum & dilectum ecclesiæ nostræ filium domnum Stephanum, quondam Viennensem archiepiscopum, virum utique religiosum, & in maximis exercitatum, qui illi conventui in causa Dei assistat. Ex hac epistola duo discimus: unum Umbertum jam tum Amedeo in sede Lugdunensi successisse: alterum, in vulgatis catalogis Viennensium archiepiscoporum desiderari Stephanum illum, qui ante hunc annum dignitate cesserat; qui proinde post Guidonem aut Humbertum reponendus est. Insignis est hanc in rem Petri Venerabilis^c ad eundem Stephanum epistola, paullo post ejus abdicationem scripta, quem invitat ut Cluniacum ad se veniat ante dominicam quinquagesimæ: nam exinde, inquit, oportebit me versus concilium iter aggredi. quod de concilio Remensi, in quadragesima anno MCXLVIII. celebrando intelligendum esse non dubito.

Ad eundem Carnotensem conventum Sugerius & S. Bernardus Petrum Venerabilem Cluniacensem abbatem litteris invitarunt. Bernardi^d hæc verba sunt. *Gravem nimis ac miserabilem orientalis ecclesiæ gemitum ad aures vestras, imo ad ipsa etiam penetralia cordis arbitror pervenisse. Dignum quippe est, ut secundum magnitudinem vestram, magnum exhibeatis eidem vestræ & omnium fidelium matri compassionis affectum, præsertim tam vehementer afflictæ, tam graviter periclitanti. Dignum, inquam, ut tanto amplius comedat vos zelus domus Dei, quanto ampliorem in ea locum, ipso auctore, tenetis. Et infra. Patres nostri, episcopi Franciæ, una cum domino rege & principibus, tertia dominica post pascha apud Carnotum venturi sunt, & de verbo hoc tractaturi: ubi utinam mereamur habere præsentiam vestram. Confidimus autem quod magnum huic verbo proventum præsentia vestra præstabit: tum pro auctoritate sanctæ Cluniacensis ecclesiæ, cui Deo disponente præestis: tum maxime pro sapientia & gratia, quam vobis ipse donavit, ad utilitatem utique proximorum & sui ipsius honorem. Has litteras Petro abbati reddidit abbas Fontanelensis, ut ex responso ipsius Petri^e intelligitur, qui prius Sugerii ea de re litteras se accepisse dicit. Prædictam vero epistolam Bernardus in maritimis oceani locis scripsit, ut Petrus abbas nos docet in epistola ad eum scripta, in qua Bernardus,*

ANN. CHR.
1146.

dum, aliosque principes viros de præcipuis membris corporis Christi esse probat, quos adeo movet, quos adeo angit læsio corporis ejus. Apparet inde maxime, inquit, verum esse quod dico: quod, cum in ultimo occidente, immo in ipso pene occidui oceani litore positus sitis, tot interjectis terrarum spatiis, laboranti in oriente christiano nomini, summo, quantoque potestis studio succurrere festinatis. Forte in Caletis tum crucem prædicabat Bernardus, qui suas hac de re litteras ad Petrum perferendas, abbati Fontanella dedit. Cur indicto apud Carnotum conventui adesse non potuerit Petrus, causa duplex erat, videlicet adversa valetudo, quæ eum a natali Domini detinebat, sed maxime conventus priorum sui Ordinis ab se indictus eadem die, qua indictus est apud Carnotum.

Eandem excusationem affert Petrus in responso^a ad Sugerium abbatem, qui ipsum ex archiepiscoporum & episcoporum parte ad Carnotensem conventum invitaverat. Quæ iter hoc meum, inquit, impediunt, multa sunt: sed inter alia, specialia duo sunt. Unum multiplex incommodum corporis mei, quod a natali Domini usque ad hoc tempus pene assidue passus sum. Aliud, conventus magnus priorum, quos antequam de istis quæ mandastis aliquid scirem, in ipso fere initio quadragesimæ, pro consilio inevitabilis rei, Cluniacum ea die, qua conventus vester apud Carnotum indictus est, venire præceperam. Suscipiat ergo, si placet, reverentia vestra, non fictam, sed veracem excusationem meam: & apud se, & apud alios, excusatam habeat absentiam meam. Extraordinarius is priorum conventus erat apud Cluniacum, ob gravem scilicet & inevitabilem causam, & quidem secretam, ut Petrus ipse scribit in prædictis litteris ad Bernardum. Causam ex parte adventus eorum, inquit, scilicet priorum, dixi secreto venerando viro domino abbati de Fontanel, qui mihi litteras vestras attulerat: quam ab ipso, si placuerit, audire poteritis. Tunc Fontanella præerat venerabilis Gualterius seu Walterius, quem pro sancto habent.

^a ibid. ep. 20.

In illo porro Carnotensi conventu Bernardum belli ducem electum fuisse idem ipse testatur in epistola^b ad Eugenium, cui muneri se imparem esse ait, atque ab eo se absolvi rogat. De cetero, inquit, verbum illud, quod jam, ni fallor, audistis, quo modo videlicet in Carnotensi conventu (quoniam judicio satis miror) me quasi in ducem & principem militiae elegerunt, certum sit vobis, nec consilii mei, nec voluntatis meæ fuisse, vel esse, sed nec possibilitatis meæ, quantum melior vires meas, pervenire usque illuc, nimirum ad Terram-sanctam. Quis sum ego, ut disponam castrorum acies, ut egrediar ante facies armatorum? aut quid tam remotum a professione mea, etiamsi vires suppetere, etiamsi peritia non deesset? Sed neque hoc meum est vestram docere sapientiam: nostis hæc omnia. Tantum obsecro per illam caritatem, qua mihi specialiter debitor estis, ne me humanis voluntatibus exponatis: sed, sicut singulariter vobis incumbit, divinum consilium perquiratis, & operam detis, ut, sicut fuerit voluntas in celo, sic fiat. Hactenus Bernardus, cujus excusationem, sane perquam legitimam, admisit pontifex: sed tamen crucem prædicandi per Galliam & Germaniam munus ei imposuit, quod ille subiit, & strenue executus est, ut videbimus anno sequenti.

LXXXVII.
Bernardus bellidux electus, se excusat.^b Bern. ep. 256.

Præter illos conventus, Conradus rex unum habuit Leodii, sub finem anni præcedentis, nimirum III. kal. Januarii, ad quem magna frequentia principum ac procerum convenit, ex tabulis a Miræo^c relatis pro ecclesiâ Cameracensi: ubi de rebus tantum imperium spectantibus, minime de negotio Terræ-sanctæ actum est, aut saltem definitum est, sed in Wormatiensi conventu agente Bernardo, ut inferius videbimus. Inter principes viros, qui illis comitiis interfuerunt, recensentur Arnoldus Colonienensis archiepiscopus, Henricus episcopus Leodiensis, Wernerus Monasteriensis, Philippus Onabrugenensis, Albero Viridunensis & Anselmus Havelbergenensis; ex abbatibus, Wibaldus Stabulensis, Godefridus Prumiensis, Lambertus Werthinensis, & Anno Andensis seu Indensis. Quid vero in his comitiis statutum sit, ignoratur.

LXXXVIII.
Leodienis conventus.^c Mir. not. p. 175. §. seqq.

Priusquam Roma discederet Eugenius, vacanti post suam electionem S. Anastasii ad Tres-fontes abbatia Rualenum, tunc Clara-vallis priorem, sufficere voluit, Virum sibi carissimum ac necessarium ægre ab se avelli passus est Bernardus: sed tandem urgenti papæ obsecutus, eum Romam renitentem ac recalcitrantem mandavit. Verum, ubi ille in Urbem adventit, cælum, non animum mutavit: sed in recusando præfecturæ onere pertinax, Bernardum patrem, ut pro sua missione ad pon-

LXXXIX.
Rualenus S. Anastasii abbas

A N N A L E S

402

ANN. CHR. 1146.
a Bern. ep. 258.

tificem scriberet, perpulit. Insignis est hanc in rem piissimi patris ad Eugenium a epistola, ut ex hoc specimine facile quis intelliget. *In veritate, inquit, comperimus, Rualenum nostrum necdum quiescere in quo positus est; sed nec aliquando requiesciturum confidimus. Quam ob rem opus est maturato remedio, non solum illi, sed & mihi. Uxor, dico vobis, quam ille in scandalo est. Nolite mirari hoc: una anima sumus, nisi quod ego mater, ille filius. nam patris in eo cessi vobis & nomen, & auctoritatem. Solus, qui transfundi non potuit, mihi remansit affectus, qui me excruciat. Mater autem non potest oblivisci filii uteri sui. Id me fuisse quis dixerit? ego adhuc esse sentio. Clamat matrem peccata trise, & continuus dolor cordis mei pro eo. Queritis de quo querar? De me: de vobis nihil queror, sed vobis. Ego, ego scava & pia mater propriis visceribus non peperci, ut castificarem cor meum in obedientia caritatis. Immolaui de sinu meo cari pignoris hostiam. Orat vir sanctus pontificem, ut cedat importunitati, quæ ad id quod oportet, adduci non patitur. Alioquin invitum tenere ad quod invitum tractus est, durum pro illo, fructuosum nemini est. Porro occupare locum, & non facere fructum, nec loco expedit, nec vos decet, nec nos. Obsecramus itaque per viscera misericordie Dei nostri, exhibere viscera patris; & infantem, dum adhuc vivit, remittite ad ubera matris, cujus fortassis hic totus languor est, quod sit præpropere ablatatus. Perstitit nihilo minus pontifex in retinendo Rualeno, oburgavitque Bernardum, quod in eum esset indulgentior. Quapropter cessit tandem vir Dei, professus b, se non modo velle, quod vellet pontifex; sed avide velle; nempe ut Rualenus esset abbas apud S. Anastasium. qua de re scripsit c eidem Rualeno, ut tandem pontifici acquiesceret in demandata sibi præfectura. Paruit ille, sed non diu in proposito stetit.*

b id. ep. 259.
c id. ep. 260.

X C.
Helias Aurelianensis episcopatam abdicat.
d Petr. Ven. lib. 4. ep. 28.

Gravem hoc tempore persecutionem passus est Helias Aurelianorum episcopus, qui ex sancti Sulpicii abbate ad illam dignitatem promotus fuerat. De hac vexatione scripsit hoc anno ad Eugenium Petrus Venerabilis, ex cuius litteris intelligimus, Heliam injuste vexatum fuisse: sic enim de eo scribit d Petrus. *Venerabilis vir & sacerdos Dei, dominus Aurelianensis episcopus, paternitati vestrae devotus filius, a filiis Belial multa perpressus, & cum his qui oderunt pacem, ut ovis mitissima, semper pacificus, ad vos, ut ad pacatum portum & ad tutum pietatis asylum, & nuper consugit, & rursus recurrit: ut virtus & mansuetudo apostolica sit ei turris fortitudinis a facie inimici. Scribit & obsecrat pro eo tota pæne Gallicana ecclesia; & ne pontificalis sublimitas, ab infamibus & vilibus personis mendacibus contumeliis appetita, dishonestari permittatur, supplex implorat. Addimus & nos, si tamen alicujus momenti esse possunt, aliorum precibus nostras: ut, quia non solum episcopali gradu sublimatur, sed & monachili honestate & habitu insignitur, utrumque pro eo ordinem exaudiat. Scripsit etiam Eugenio in Helia gratiam rex ipse, sed non est exauditus. qua de re Eugenio gratulatur e Bernardus, qui Helia non favebat. Itaque cum adversarios suos placare non valeret episcopus; nec se purgandi de objectis, ut Lucius papa præceperat, locum habere posset, sponte episcopatu cessit. Tum vero pro eo Bernardus f Eugenio scripsit in hæc verba: *Tempus est, ut & ego scribam, non jam pro episcopo, sed pro paupere & humili monacho; idque, quod miserabilis est, factu de divite & sublimi. Hic jam non habet adulatio locum: habet miseratio. Multi pro eo scripserunt, ut remaneret episcopus: sed multum hoc erat: non potui adduci ego, ut id auderem. Dein explicat Bernardus, Lucio mortuo spem Helia affulisse ex promotione Eugenii. Impossibilem esse sui purgationem ob defectum comprovincialium episcoporum, qui vel deerant, vel aberant. Vacabant quippe Nivernensis & Trécentis episcopatus; & Autisiodorensis Hugo trans alpes profectus erat. Locum fore proinde clementie apud Eugenium. Verum ille nihilo minus sponte dignitatem abdicavit Bernardi consilio, ne occasione ipsius diutius ecclesia fatigaretur. Hinc pro eo rogat vir sanctus, ut, retento sacerdotis officio, a nota infamia & perpetua inuisionis cauterio immunis sit: *Non rogat, inquit Bernardus, ut gloriosus, sed ne inglorius sit; qui existit gloriosus. Quidquid illud sit quod medium est, eo contentus est. Liceat cadenti a gloria honesto quo poterit mediocritatis sese excipere gradu, solamque non devenire in extremitatem opprobrii. Juvenis est, nobilis est, in sublimitate positus fuit: nec tamen humilem refugit locum, sed probrum. Subdit abbas sanctus, eum premi debitis multis, cum sit pauper & inops; eaque ex rebus episcopalibus solvi postulat. Durum quippe esse, simul & honore privati, & onere premi debito-***

e Bern. ep. 245.
f id. ep. 249.

rum. In Helia locum suffectus est Manasses de Garlanda, qui abbas erat collegiata ecclesia S. Petri Puellaris. Exstat apud Carolum Saussayum a præclara epistola prioris S. Johannis Senonensis ad nostram Heliam, in qua eum ex falsa nominis etymologia Soli comparans, illum hortatur, ut hanc eclipsim, ex calumniantium nubeculis ortam, patienter ferat, eique persuadere conatur, quod hostes ejus, qui velut umbra terræ sive nubecula conglobata, ne sol luceat impediunt, spiritu veritatis a dextera parte flante citius depellentur, & solaris lux in virtute sua exeret claritatem. quæ verba satis innuunt, Heliam illius prioris judicio culpæ ipsi impecta innocentem fuisse.

ANN. CHR. 1146.
a Ainal. eccl. Aur. p. 437.
b 169.

Post sex circiter sæcula, quam Tornacensis ecclesia proprio episcopo orbata, & Noviomensi a S. Medardo unita erat, pristinam tandem dignitatem & eligendi episcopi facultatem ab Eugenio papa obtinuit. Id jam tentatum fuerat Paschalis II. pontificatu, qui hac de re litteras Tornacensibus scripserat: sed re tunc infecta, conficiendi negotii opportuna occasio nata visa est ex diffensione orta inter Innocentium II. & Ludovicum Juniores, cognatosque ejus Simonem Noviomensem episcopum & Radulfum Viromandorum comitem ejus fratrem, pro qua rex cum comite christianitate privatus, episcopus vero ab episcopali officio suspensus est. Hinc enim Innocentius Petrum de Castro, Haimerici cancellarii sui cognatum, Bituricensis archiepiscopum consecraverat, quod rex assentiri volebat: illinc comes Alienordis Francorum reginæ sororem sibi copulari cupiens, uxorem suam legitimam Theobaldi Campaniæ comitis neptem, prætextu consanguinitatis repudiaverat, probante Simone episcopo cum episcopis Laudunensi & Silvanectensi: quam ob causam, agente in primis Theobaldo comite, Radulfus anathemate percellitur, & episcopi ab officiis episcopalibus suspenduntur. Hac, inquam, occasione captata, clerici Tornacenses Herimannum S. Martini abbatem Romam mittunt, qui Paschalis papæ litteris Innocentio ostensis, ab eo litteras impetravit, quibus Tornacensibus data potestas eligendi quam-primum episcopi, electumque Remensi metropoli consecrandum presentandi: quem si ille consecrare noller, pontifex ipse consecraret. Mox electus a Tornacensibus Absalon S. Amandi abbas: at eum consecrare non ausus est archiepiscopus ob metum regis & Radulfi comitis. Quare clerici Tornacenses cum Herimanno abbate Romam pergunt, litteras suas de electione Absalonis proferunt. at subsecutus eos Simon episcopus de injuria sibi facta conquestus est, & de violata sibi debita obedientia. Ad hæc papa respondit, se eos ab obedientia absolvisse, & eligendi proprii episcopi eis dedisse facultatem. Tum jussus loqui Herimannus abbas, nullam se de Simone querelam fecisse dixit, immo bonum de eo testimonium ferre: at Tornacensi ecclesie restituendum esse proprium episcopum vel ex eo constare, quod in illo episcopatu, in quo amplius quam non-genta millia fidelium essent, supra centum millia homines non consecratos oleo de manu episcopi; infinitos etiam homicidio, variisque criminibus implicatos absque poenitentia decessisse. His auditis, pontifex Tornacensium electionem probavit. Verum corrupti pretio curiales papam inducere, ut electionis confirmationem differret, donec consilio episcoporum eam confirmaret.

X C I.
Tornacenses proprium episcopum a papa repetunt.

Interim moritur Innocentius, & duobus ejus successoribus brevi sublati, summum pontificatum fortitur Eugenius, apud quem nec munera, nec aurum locum habitura haud dubia fama erat. Hinc erectis in novam spem animis, Tornacenses per internuntios negotium ei suum exponunt. Respondit pontifex se facturum, quidquid abbas Clara-vallensis hac de re sibi significaturus esset. Verum, dum hæc inter sese tractant Tornacenses, e vivis excedunt negotii præcipui actores, ipseque Absalon abbas ab eis electus repente exstinguitur, & in capitulo S. Amandi sepelitur. Nihilo minus Letbertus præpositus cum litteris S. Bernardi Romam petit, Eugenio ecclesie suæ negotium explicat, postulatque, ut quantocius consummetur. Offerente papa litteras ad faciendam novam electionem, negat ille se reversurum, nisi consecratum de manu pontificis accipiat episcopum, quem Tornacenses cum honore debito suscipere parati essent. Tunc pro monasterii sui negotiis in curia aderat Anselmus S. Vincentii apud Laudunum abbas, vir multæ religionis & probitatis, papæ ipsi notissimus. Hic primum ab ipso pontifice nominatur: statimque a Letberto, ejusque focii eligitur, & papæ consecrandus presentatur. Reluctatur ipse ac resistit, gravem corporis infirmitatem obtendens, quæ se potius de-

X C II.
Anselmus Laudunensis abbas fit episcopus.

ANN. CHR.
1146.

1146. morte, quam de episcopatu sollicitum faceret. At nihilo fecius pontifex in sententia persistens, cum in dominica *Latere Jerusalem*, id est quarta quadragesimæ, sollempniter consecrat, & consecratum cum litteris ad Tornacenses mittit, quibus in posterum proprii episcopi eligendi privilegium impertit. Alias etiam epistolas scripsit, tum ad metropolitanum, tum ad Simonem Noviomensem episcopum, qui, ut erat facilis ac mitis ingenii, pontificis mandato acquievit. Hæc fusc retulimus ex historia Hermanni monachi de restauratione abbatiæ S. Martini Tornacensis, qui auctor tempus notat his verbis: *Acta est consecratio domni Anselmi episcopi Romæ anno incarnati Verbi Dei MCXLVI. quo anno fuit fames gravissima, ita ut Tornaci venderetur sextarius tritici LVI. solidis.* tum addit: *Sicut ergo per sanctum Medardum dignitatem proprii episcopi perdidimus, dum ipse curam episcopii Tornacensis sibi inunctam a clero & metropolitano tenuit: ita etiam per eundem libertatem nostram recepimus, dum Deus proprium nobis pastorem restituens, monachum S. Medardi (hinc enim Anselmus abbas assumtus fuerat) nobis pastorem restituit.* Recte Anselmi consecrationis tempus designat Hermannus Tornacensis, nec ab eo dissentit Hermannus alter Laudunensis monachus, cum annum præcedentem pro veteri caculo præfert: at fallitur ille, cum Romæ consecratum Anselmum dicit, quem Viterbii consecratum fuisse discimus ex ipsius Eugenii litteris, inscriptis, *Venerabili fratri Anselmo Tornacensi episcopo, nostris manibus consecrato, datisque Viterbii IX. kal. Augusti indictione IX.* hoc anno, quas apud Cognatum, Marlotum, aliosque videre licet.

CXIII.
S. Vincentii
& S. Amandi
abbates.

CXIII. Triennio tantum episcopatum rexit Anselmus, cui in abbacia S. Vincentii suffectus Balduinus, nullare gesta insignis. Jam ei successerat anno MCLIII. Guillelmus, cui Galterus episcopus, Bartholomæi successor, ecclesiam S. Juliani in suburbio Laudunensi, in cujus crypta S. Genebaudus, Lauduni primus episcopus, olim penitentiam egerat, aliaque prædiola contulit. Post annos undecim successorem fortius est Guillelmum, qui nihil memoria dignum gessit. At plura in consequentibus nobis dicenda occurrent de Hugone, qui Guillelmum excepit.

S. Amandi.

In Elnonensi seu S. Amandi monasterio post Abalonem, quem biennio vel triennio ante electum fuisse episcopum Tornacensem mox dicebamus, & XII. kal. Octobris ejusdem anni necdum consecratum obiisse legimus, Elnonensem abbatiam ad quinque admodum annos rexit Walterus, vir eximia religionis, qui, abdicata præfectura, S. Bernardum secutus, apud Claram-vallem monachus factus est. In cujus locum suffectus Hugo, eo nomine secundus, tum Humolariensis abbas, de quo plura inferius.

XCIV.
Lauduni S.
Petri ecclesia
suppressa.

XCIV. Dum Balduinus abbas mox laudatus Laudunensi S. Vincentii monasterio præfesset, Balduinus alter regebat sancti Johannis in eadem urbe cœnobium, in quo ante annos fere viginti sanctimonialibus ejectis monachi substituti fuerant. Eidem sancti Johannis basilicæ contigua erat S. Petri ecclesia, in qua primitus monachi, tum canonici degebant, qui sanctimonialibus sacra ministrabant. Deficientibus sanctimonialibus cum id non amplius præstarent canonici, Bartholomæum episcopum interpellavit Balduinus sancti Johannis abbas, ut prædicta S. Petri aboleretur ecclesia, quæ sancti Johannis impensis instaurata erat, & propter nimiam ecclesiarum vicinitatem, divinorum officiorum ordinem turbabat. Balduini precibus annuens episcopus, consilio etiam & exhortatione Bernardi venerabilis abbatis Clara-vallensis, & consensu & unanimi voluntate capituli canonicorum majoris ecclesiæ Laudunensis, statuit, ut canonicis in ecclesia S. Petri decedentibus alii non sufficiantur canonici; sed præbendæ ipsorum in usus monachorum de cetero redigantur; & ad majorem ordinis quietem & silentii tranquillitatem & pacem, abbati facultatem concessit removendi & transferendi prædictam S. Petri ecclesiam post decessum canonicorum, ubi & quando voluerint. Actum anno Domini MCXLVI. indictione IX. His Bartholomæi litteris, quas in Appendice integras referemus, apposita sunt signa Bernardi venerabilis abbatis Clara-vallensis, Balduini abbatis S. Vincentii, Galteri abbatis S. Martini*, Gofzuini abbatis Fusciniacensis, Gisleberti abbatis S. Nicolai de Silva, Guillelmi abbatis S. Nicolai in Pratis prope Ribodimontem, Johannis abbatis S. Michaelis in Terrascia, & Hugonis abbatis Humolariensis. Hugo iste non diu supervixit, mortuus hoc ipso anno vel insequente, quo Guarinus ei successit.

* Ord. Præ-
monst.XCV.
Floriacensismo-

Præfinito, ut superius diximus, tempore ad profectionem in Terram-sanctam,

collectæ per Galliam in belli sacri subsidia factæ sunt, & impositæ per singulas ecclesias & familias certæ pecuniæ pensionationes. In his a Floriacensi S. Benedicti monasterio primum exactæ sunt mille^a marcæ argenti: at Macarius abbas se tantæ summæ solvendæ nequaquam parem esse asseruit, exhausto quippe ecclesiæ thesauro ob urgentem famis necessitatem, propter quam *crucifixum argento vestitum, pondocirciter quadraginta marcarum* denudare nuper compulsi fuerant, atque ipsius Christi tunicam in alimoniam membrorum ejus, videlicet pauperum, distrahere, cujus ope per aliquod tempus quotidie quingenti, aut sexcenti, vel etiam septingenti pauperes pasti & sustentati sunt. Ad hæc opponebat abbas monasterium suum, cum suo, tum Ademari antecessoris sui tempore, variis vexationibus regionum ministrorum, aliorumque attritum fuisse, tum abbatum mutatione, tum monachorum ejus loci cum Romanis legatis conflictatione, tum denique vinearum per septem annos defectione, quæ causa fuerit, ut multo pretio vinum comparari necesse fuerit. His regi expositis, pensionationis summa ad recentas marcas argenti & quingentos auri byzantios redacta est. Ad hanc vero summam persolvendam *duo candelabra mirifici operis*, quorum pretium erat triginta marcarum argenti, ac turibulum octo marcarum auri & trium unciarum data sunt, spondente abbate, se in tertium pascha ab illo, quod tunc imaminebat, aliud turibulum ejusdem pretii refecturum. Verum, cum Floriacense monasterium congruis ædificiis careret, & cunctis Franciæ abbatibus minus ornatum esset, fratribus persuasit satius esse, ut hæc pecunia ad novum ipsi construendum dormitorium expenderetur.

Non ante hunc annum mortem oppetiit Hugo S. Germani a Pratis abbas, ejus nominis primus inter regulares, de quo in annalibus ad cyclos paschales hæc leguntur ad hunc annum: *Obiit Hugo abbas, vir incomparabilis, per quem libertas huic ecclesiæ restituitur, ordo reformatur, veterata domus reparatur.* Ejus obitus contigit ipsa dominica in ramis-palmarum, XII. kal. Aprilis, die natali S. Benedicti. Huic non sua, sed fratrum voluntate substitutus est Gilo, claustrii prior alter, qui anno vix exacto, imbecillitatis suæ conscius, regimen sponte dimisit. Suffectus in ejus locum Hugo II. superioris nepos, Crispeiensis dictus; isque post quinque regiminis annos dignitate cessit, quæ per annum vacavit. Electus post eum Joffridus privilegia monasterii ab Anastasio IV. confirmari curavit, ac biennio elapso, podagra morboque intercute cogente, pastorem curam dimisit. Hunc excepit Theobaldus, ex Vizeliacensi monasterio ob vitæ meritum assumtus, qui ad excipiendum Alexandrum a rege Ludovico missus, in reditu decessit, ut inferius videbimus. Sic per sexdecim annos abbatia S. Germani sex rectores mutavit.

XCVI.
S. Germani a
Pratis abbas.

Exstabat tunc temporis in suburbio Silvanestensi puellare S. Remigii monasterium, censu & regulari disciplina fere destitutum. Hoc in meliorem statum reformare cupiens Petrus episcopus, illud Hederensi monasterio diocesis Paritiensis subjecit, eo pacto, ut monasterium S. Remigii in subjectione abbatissæ Hederensis per omnia permaneat, & ordo ejusdem monasterii Hederensis in prædicto S. Remigii monasterio sub prioratu a sanctimonialibus teneatur, & tam spiritualia, quam temporalia ad monasterium illud pertinentia per manum abbatissæ & prioris inibi constituta rationabiliter disponantur. His Petri episcopi litteris apposita sunt signa Almarici abbatis Caroli-loci* ordinis Cisterciensis, Balduini abbatis S. Vincentii ordinis S. Augustini, & aliorum, sed absque notis chronicis in chartario Hederensi. At eas supplet diploma Samsonis Remorum archiepiscopi hanc ordinationem confirmantis. Actum Remis anno incarnati Verbi MCXLVI. indictione X. regnante gloriosissimo Francorum rege Ludovico anno X. archiepiscopatus autem domni Samsonis anno VII. Ubi, si indictio decima a mense Septembri non computatur, annus MCXLVI. explicandus est secundum veterem calculum, censendusque annus insequens ante pascha, qui annus indictione decima præditus erat. Prædictæ subjectioni monasterii S. Remigii intercessit abbatissa S. Pauli Belvacensis, quæ forte aliquid juris in illud monasterium habebat; ejusque causa ventilata est coram Eugenio papa, qui eam Petro episcopo dijudicandam commisit. Petrus vero hanc litem eo pacto composuit, ut Hederensis abbatissa S. Pauli abbatissæ cederet, quidquid S. Remigii monasterium in villa Bernulia possidebat. Sub initia sæculi insequentis beati Remigii sanctimoniales abbatissam de gremio Hederensis ecclesiæ communi assensu elegerunt, ea lege, ut, si hæc abbatissa cederet, vel decederet, eadem sanctimoniales

XCVII.
S. Remigii Sil-
vanestense par-
thenium Hede-
rensi subjecit

* Charly.

ANN. CHR.
1146.

abbatissam de gremio suo, si inter se concordare possent, eligerent atque assumerent: si vero discordes forent, unam ex Hederensis ecclesiae gremio eligere & assumere tenerentur. quae omnia Garinus Silvanectensis episcopus litteris suis testatum facit. Nunc S. Remigii monasterium intra urbem positum est, nec amplius subiacet monasterio Hederensi.

XCVIII.

Stephano ab-
bati Casæ-Dei
succedit Jor-
danus.

In monasterio Casæ-Dei Stephanus de Mercorio abbas post impetratum ab Eugenio papa kalendis Februarii hujus anni privilegium non diu superstes fuit. Hic senio confectus, ubi finem vitae suae imminere sensit, fratres ad accuratam disciplinae regularis observationem adhortatus est, tam petita ab eis venia, si quid in eos deliquisset, perceptis ecclesiae sacramentis, hoc anno piissime in Christo obdormivit iv. kal. Aprilis. Bernardus monachus Casæ-Dei ac S. Gemmae prior, qui paullo post Stephani obitum scribebat, in prologo ad libros tres de gestis S. Roberti abbatis vitam Stephani abbatis scriptam fuisse testatur; & in libro secundo ait; *Venerabili Stephano administrationem Casæ-Dei agente, ejus famam religionis & locum amplis possessionibus longe lateque excrevisse.* Eandem Stephani vitam seu legendam viderat Petrus Beringerius, saeculo sexto-decimo Casæ-Dei monachus, qui in catalogo abbatum Casæ-Dei edito sub anonymi titulo apud Labbeum^a, agens de Stephano de Mercorio sexto abbate, quem juxta altare sanctarum Virginum ad sinistram partem sepultum esse dicit, hæc de eo subdit: *Is merito dicitur sanctus, cujus sanctitas miraculis effulsit, ut patet in ejus legenda. Obiit iv. kal. Aprilis.* Verum hæc vita seu legenda desideratur.

^a Labb. to. 2.
p. 619.

Stephano abbati subrogatus est communi fratrum assensu Jordanus de Monte-Buxerio, tunc monasterii prior, Petri Venerabilis germanus frater, de quorum stirpe, parentibus & fratribus in superiori volumine^b actum est. Gravem controversiam habuit Jordanus abbas cum Aldeberto Nemausensi episcopo super cella S. Baudilii sita extra muros Nemausenses: qua de controversia inferius agendum.

^b lib. 70. n. 19

XCIX.

Judæi qua oc-
casionem ad ne-
cem quaesiverunt.

Per id tempus gravis in Judæos persecutio, maxime in Germania, excitata, incensore quodam Radulfo eremita, qui prædicatoris usurpato officio, Germanos in eorum necem animavit. Fidelium in eos commotio nata est partim ex innato in gentem odio, partim ex facinore quorundam in Anglia Judæorum, qui, referente Roberto de Monte, puerum quemdam christianum, Willhelmum nomine, apud Norwicum hoc anno cruci affixerant, & extra urbem sepelierant, cujus sanctitatem divina lux super ejus sepulcrum, ut fertur, micans declaravit. Hinc accensi in eos omnium animi, quos Radulfi prædicatio facile in eorum necem inflammavit. Occasionem ille cepit ex prædicatione sacrae expeditionis, quam ille temere usurpavit in illis Galliae^c partibus, quæ Rhenum contingunt, multaque populorum millia ex Agrippina seu Colonia, Moguntia, Wormatia, Spira, Argentina, aliisque civitatibus & opidis ac vicis ad suscipiendam contra Sarracenos crucem induxit. Verum in concionibus suis in Judæos invehens, tamquam in christianæ religionis hostes, in eorum caedem christianos sic accendit, ut plurimi ex illis in Germania & Gallia tumultuosa seditione trucidati sint.

^c Otho in Frid-
ric lib. 1. c. 37.

C.

Bernardi hac
de re epistola.

Id gravate ac dolenter admodum ferens in primis Henricus Moguntinus archiepiscopus ad S. Bernardum litteras dedit, quibus sua, aliorumque episcoporum monita a Radulfo sprete querebatur, rogabatque ut monachum illum a pernicioso cepto revocaret. Mox vir Dei graves ad eundem Henricum & alios Germaniæ epistolas scripsit. In epistola^d ad Henricum in summa hæc habet. *Deposita querela vestrae apud nos signum est & pignus dilectionis, & præcipuae humilitatis indicium. Quis enim ego sum, aut quæ domus patris mei, ut ad nos referatur archiepiscopi contentus, & metropolitani injuria? Verumtamen homo ille, de quo agitur in litteris vestris, neque ab homine, neque per hominem, sed neque a Deo missus venit. Quod si se monachum aut eremitam jactat, & ex eo sibi assumit libertatem vel officium prædicationis; potest scire & debet, quod monachus non habet docentis, sed plangentis officium. Itaque tria sane sunt in eo reprehensione dignissima: usurpatio prædicationis, contentus episcoporum, homicidii approbati libertas. Ad ultimum, ut omnia quæ super his dicenda sunt comprehendam, homo est magnus in oculis suis, plenus spiritu arrogantiae. Verba & opera ejus prætendunt, quod conatur sibi facere nomen juxta nomen magnorum, qui sunt in terris: sed non habet sumus ad perficiendum.*

^d Bern. ep. 365.^e id. ep. 363.

Idem Bernardus in alia epistola^e ad episcopos, clericos & populos Franciæ orien-

ANN. CHR.
1146.

talis, qua eos ad suscipiendam contra infideles arma hortatur, & a duellis revocat, eosdem ab insectandis Judæis dehortatur. *Non sunt persequendi*, inquit, *Judæi, non sunt trucidandi, sed nec effugandi quidem. . . . Vivi quidam apices nobis sunt, representantes dominicam passionem. Propter hoc dispersi sunt in omnes regiones: ut, dum justas tanti facinoris penas luunt, testes sint nostræ redemptionis. . . . Taceo, quod scubi desunt, pejus judaizare dolemus christianos feneratoros, si tamen christianos. Si Judæi penitus conterantur, unde jam prosperabitur eorum in fine promissa salus seu conversio? Plane & gentiles, si essent similiter expectandi, sustinendi forent potius, quam occidendi. Nunc autem, cum in nos ceperint esse violenti, oportet vim vi repellere eos, qui non sine causa gladios portant.* In fine eos monet, ut ne alii alios in sacra expeditione præveniant, sed omnes sub delectis gnaris ducibus simul procedant: ne idem quod in priori expeditione contingat, in qua Petrus Eremita solus cum suis adjunctis progressus, tantis periculis suos dedit, ut pauci ex illis evaserint, qui non corruerint, aut fame, aut gladio.

Petrus Venerabilis cum Bernardo in eo consentit, quod Judæos non esse persequendos etiam doceat: at insuper cenfet, eis imponendam pensionem in subsidium sacrae expeditionis. Huc spectat ejus ad Ludovicum Juniorem^a epistola, in qua ei gratulatur, quod Regis æterni militiam contra inimicos crucis suæ armare disposuit, professus, se, quamvis ad peregrina euntem comitari non valeat, devotione tamen, oratione, consilio & auxilio, quali quantove posset, prosequi magno-
pere cupere. *Sed quid proderit*, inquit, *inimicos christianæ spei in exteris & remotis finibus insequi ac persequi, si nequam, blasphemam, longeque Sarracenis deteriores Judæi, non longe a nobis, sed in medio nostri, tam libere, tam audacter, Christum, cunctaque christiana sacramenta impune blasphemaverint, conculcaverint, deturpaverint? Et infra. Nec ad hoc ista dico, ut regalem vel christianum gladium in necem nefandorum illorum exacuam: quia scriptum de eis in psalmo divino recolo, loquente sic in Spiritu-Dei propheta: DEUS, inquit, ostendit super inimicos meos, ne occidas eos. . . . Non, inquam, ut occidantur admoneo: sed, ut congruente nequitiae suæ modo puniantur, exhortor. Et quis congruentior ad puniendos illos impios modus, quam ille, quo & damnatur iniquitas, & adjuvatur caritas? Quid justius, quam ut his, quæ fraudulenter lucrati sunt, desituantur, quæ nequiter furati sunt, ut furibus, & (quod pejus est) hucusque audacibus & impunitis auferantur? Hæc fusc prosequitur venerabilis abbas, exponitque, quo pacto Judæi pretiosa quæque, etiam vasa sacra, quæ furto ablata sunt, a furibus vili pretio comparant. tum subdit: *Auferatur, ergo, vel ex maxima parte imminuatur Judaicarum divitiarum male parta pinguedo; & christianus exercitus, qui, ut Sarracenos expugnet, pecuniis vel terris propriis Christi Domini sui amore non parcat, Judæorum thesauris tam pessime acquisitis non parcat. Reserve-
tur eis vita, auferatur pecunia: ut per dexteram christianorum, adjutas pecuniis blasphemantium Judæorum, expugnetur infidelium audacia Sarracenorum. . . . Hæc tibi, benigne rex, scripsi amore Christi, tuique atque exercitus christiani: quia & stultum esset, nec offensa, ut arbitror, divina careret, si sacra expeditioni, cui juxta congruentem modum impendenda sunt res christianorum, multo amplius non servirent pecuniæ profanorum.**

C I.
Petri Venerabilis ea de re sententia.
^a a Petr. Ven. lib. 4. ep. 36.

Ita scribebat ad Ludovicum regem Petrus abbas, qui in epistola sequenti^b a Rogerio Siciliae rege suo Cluniacensi monasterio subsidium petit. *Urget hoc*, inquit, *ipsa necessitas, & infinita illius magni ac famosi monasterii; ut notum est cunctis, ex-
pensa: quod a primo foundationis suæ lapide ab omnibus solet colligere, quod possit universis effundere. Factum est a sui principio, non solum externorum hospitium, non tantum confugientium asyllum: sed, ut sic loquar, publicum reipublicæ christianæ ararium, Agit parcius in proprios, profusus in alienos: nec attendit quid possit, sed quid super-
veniens velit. Ea de causa nec sua ei, nec aliena sufficiunt: quia longe major est quantitas erogatorum, quam liberalitas largitorum. Hæc immensa tunc erat Cluniacensium caritas, qui aliena colligebant, non ut ditiores fierent, sed ut profusus erogarent. Hanc epistolam scribebat Petrus, cum recens ex Urbe reversus esset; aitque solum tunc Rogerium esse, qui Cluniaci necessitati subvenire posset. Ceteros quidem reges amare Cluniacum; sed amoris effectum nullum: adeoque rogat, ut, quia ipsi nobis, inquit, largi esse volunt, sed, ut dicunt, non possunt: vos, quia per gratiam summi Regis potestis, oramus ut etiam & velitis.*

C II.
Subsidium pro-
se a Rogerio
petit.
^b ibid. ep. 37.

Interim Bernardus, innumeris in occidentali Gallia, ut Otho^c Frisingensis scri-

C III.
Bernardus Ra-
dulfum eremi-
tam reprimit.
^c Otho in Frid-
lib. 1. c. 39.

ANN. CHR.
1146.

bit, ad transmarinam expeditionem excitatis, ad orientalem Franciam ex Eugenii mandato proficiscitur: tum ut Conradum Romanorum regem, ac Germaniæ principes & populos ad suscipiendam crucem emolliret: tum ut Radulfo eremita qui crebras in urbibus seditiones occasione Judæorum commovebat, silentium imponeret. Primo itaque Moguntiam profectus, Radulfum illic cum magno populi favore morantem offendit; eumque ad se accersitum monuit, ut ne contra monachorum regulam per orbem vagando, propria deinceps auctoritate prædicandi libertatem usurparet; tandemque ad hoc eum induxit, ut promissa sibi obedientia, in cœnobium suum, id est, si bene capio, Claræ-vallense, transiret, populo graviter indignante & seditionem movere volente. Sic tandem repressa est hominis temeritas; & Judæorum saluti consultum, ac publicæ tranquillitati.

CIV.
Crucem prædicat & multa miracula patrat.

Moguntia digressus vir Dei, Wormatiam adiit: ubi, sermone habito, innumerablem populi multitudinem cruce insignivit. Tum Francofurti Conradum imperatorem convenit, eumque primo secreto hortatus est, ut salutem suam accepta cruce consuleret. Cui cum respondisset cæsar, nullum sibi hujus militiæ propositum inesse; dissimulavit vir sanctus, dicens, non esse suæ tenuitatis importunus regiæ majestati insisteret. Verum postea ejusdem Conradi animum ad suam voluntatem flexit, visis auditisque tot miraculis, quæ Deus per Bernardum ad sacram militiam confirmabat. Hæc miracula scripta sunt a testibus oculatis, & in tres partes distributa. Prima pars, auctore Philippo Claræ-vallensi monacho, ea continet, quæ Friburgi, Basileæ, Constantiæ, ac Spiræ patrata sunt a dominica prima adventus usque ad octavam nativitatis Domini, id est usque ad kalendas Januarias anni sequentis: quibus Hermannus Constantiensis episcopus, duoque nostri Ordinis abbates Baldwinus & Frowinus cum aliis interfuerunt: ex quibus Frowinus Montis-Angelorum abbas erat. Præmissa est huic parti epistola Philippi de Clara-valle, ad Samsonem Remorum archiepiscopum, qui Philippus olim Leodicensis archidiaconus fuerat. [Eadem pars seu primus miraculorum liber in codice Alnensi, & si bene memini, in Viconiensi nuncupatur Henrico principi fratri Ludovici regis novitio Claræ-vallensi, cum hac inscriptione, *Domino desiderantissimo & totis visceribus caritatis amplectendo fratri Henrico, vere regio principi, salutem optant qui cum abbate sunt fratres.* In codice vero Clarimarsici hæc narratio inscribitur Samsoni archiepiscopo Remensi ut in editis. Hinc conjicio sancti Bernardi sodales socioque itineris primum hunc librum statim misisse Henrico novitio Claræ-vallensi, ut gratiam præstarent tanto principi, & simul cum eo omnes fratres, qui in cœnobio residebant, consolarentur; eundemque postea Samsoni archiepiscopo Remensi nuncupasse. In ms. Aquicinctensi idem liber inscribitur archiepiscopo Remensi; postea subjicitur epistola Hermannii Constantiensis episcopi ad Henricum fratrem Ludovici regis Francorum Claræ-vallensem monachum.] Secunda pars Bernardi miraculorum, quam Claræ-vallenses monachi, ejus comites, clericis Coloniaensis ecclesiæ inscribunt, ea exhibet, quæ ab egressu viri Dei ex urbe Spira, Coloniae, Leodii, aliisque in locis facta sunt. Tertia pars, quam Gaufridus monachus Claræ-vallensis scripsit & Hermannus Constantiensis episcopo dicavit, de illis agit, quæ in Belgio, Campania, Claram-vallem usque contigerunt, quo regressus est ad breve tempus abbas sanctus feria quinta post purificationem beatæ Mariæ, quæ illo anno in dominicam incidebat. Quo & quali successu crucem ubique prædicaverit, paucis, sed magnam vim habentibus verbis ita explicat in epistola^a ad Eugenium papam pro Samsonem Remensi archiepiscopo. *Annuntiavi, inquit, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Vacuantur urbes & castella, & pene jam non inveniunt quem apprehendant septem mulieres virum unum, adeoque ubique viduae vivis remanent viris.* Sed pro dolor! non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, ut probavit eventus.

^a Bern. ep. 247.C V.
Monasteria ab eo lustrata.

In tam longo itinere varia nostri Ordinis monasteria obiter lustravit Bernardus; in his Brunvillarense, id est Nigrum-villare, quod duobus Colonia millibus distat, ubi in ecclesia S. Nicolai ad altare puero cæco quem abbas Campensis offerebat lumen; item surdo & muto auditum & loquelam restituit. Ex urbe Coloniae digressus, multos in via discipulos traxit. Tum Leodium accessit, ubi juxta beati Lamberti ecclesiam in prato^b quod dicitur episcopi, sermonem habuit, & in ipso palatio in præsentia Henrici episcopi tria miracula fecit. quibus episcopus permotus, abbatiam

^b Alberic. in Chron.

riam de Alna fundasse dicitur. [His concinit Leodiensis S. Laurentii monasterii historia, ^a cujus verba hic referre non pigebit. *Eo tempore S. Bernardus iterato Leodium venit, & in ecclesia Leodiensi missam celebravit, ac post missam in loco qui dicitur Pratum episcopi publice prædicavit. Ibi puerum claudum sibi oblatum, cum tibias ejus signasset & renes protinus erexit, duas quoque manus aridas tangens curavit, cæcum senem per signum crucis illuminavit, & alterum claudum ambulare fecit in conspectu omnium qui convenerant. Postea quinque cæcos in Leodio illuminavit & claudos tres erexit. Hæc videns Henricus episcopus abbatiam de Alna fundavit, & monachos ibi instituit, quæ prius erat abbatia canonicorum secularium.* Hanc S. Landelinus ante mille annos fundaverat pro monachis Benedictinis, quibus successu temporis successere canonici seculares, & his canonici regulares S. Augustini, qui paullo post sub Henrico episcopo locum cesserunt monachis ordinis Cisterciensis. Hactenus nobilis ibidem Cisterciensium abbatia est ad Sabim* fluvium, paullo infra Tudinium castrum, insigni bibliotheca instructa, quam perlustrans olim ad calcem sacrorum bibliorum codicis hanc inveni inscriptionem: *Noverint fratres S. Salvatoris Virtuentis cœnobii, priores & novitii, seniores & pueri, præsentis atque posterius, quod beatæ memoriæ domnus videlicet ac piissimus abbas Girardus, abbatum nostrorum tertius, vir nimirum sanctæ & individua Trinitatis cultor verissimus, vir totius honestatis, scientiæ & religionis thesauro præditus, & ut vera loquar anima sancta Deo placens & hominibus, vas, locus, sedes, templum S. Spiritus, Majoris-monasterii monachus, domnus, inquam, ac memorandus abbas Girardus inter cetera per plurima & quammaxima, quæ huic loco contulit beneficia, non tamen ex rebus hujus domus, sed de foris, immo de superveniente gratia rerum scilicet externarum, Deo largiente, affluentia, ad perpetuam nominis sui memoriam hunc scribi fecit codicem. Quisquis ergo in hoc legeris, & legendo profeceris, lector piissime, ora omnipotentem dominum ut domni mei Girardi nomen scribatur in libro viventium.* Redeo ad sanctum Bernardum.] Quarta feria post octavas epiphaniæ ex opido Huy ad Gemblacense Brabantiae monasterium profectus, illic puero claudum gradiendi facultatem signo crucis facto celitus impetravit. *Novum illis in partibus tunc edificabatur monasterium, cui Villare* nomen est, & ante paucos menses, teste Gaufrido, illuc pater sanctus congregationem miserat monachorum. Voluit ergo plantationem novellam vel in transitu visitare, & peregrinantes filios consolari. Factum est autem, cum monasterio appropinquare cœperat, claudam mulierem tetigit, signavit, erexit & præcepit libere ambulare.* Primus ejus loci abbas fuit Laurentius, qui privatæ vitæ amore paullo post præfecturam abdicavit. Huic successit ad breve tempus Gerardus, qui Anselmo nostro Tornacensi episcopo successit^b anno MCXLIX.

[Insignis hujus monasterii historia edita est in tomo tertio Anecdotorum, ex qua hic ejus originem & primordia delibare juvat. Cum aliquando Brabantiam S. Bernardus causa prædicationis intrasset, cœnobium adiit Affligemiense, duosque ibi sermones habuit, in cujus memoriam baculus quo imbecilles artus sustentare consueverat, ibidem conservari creditur. Sed cum Affligemium ordini Cisterciensi adunare tentasset, nec valuisset, Gemblacum divertit, ubi caritative a fratribus susceptus, casulam suam dimisit. Postea a quibusdam personis rogatus, ut ad Brabantiam conventum unum transmitteret, benigne annuit, & reversus Claram-vallem, sponsonis memor XII. monachos cum decimo-tertio abbate & quatuor conversis illuc direxit. Hi ubi Brabantiam attigere, prima nocte hospitati sunt apud virum honestum, cui non erat heres, sed uxor valde pia. Cœna autem facta, & completorio ibidem decantato, summo cum silentio abbas & fratres sopori se dederunt; & cum modice paufassent, surgentes vigilias regulariter & morose decantarunt. Quod audientes qui eos hospitio receperant, compuncti, se & sua in manibus eorum dederunt. Erat tunc quasi tota terra circumjacens fere usque ad Nivellam, invia, silvestris & nemorosa. Hic constructo monasterio & oratorio quieverunt anno MCXLVI. Eugenii papæ III. anno secundo, Henrici II. Leodiensis episcopi item secundo, quarto vero Godefridi ducis Brabantiae tertii. Cum loco in illo aliquanto tempore steterent, tantam inopiam pertulisse dicuntur, ut Claram-vallem repetere deliberaverint. Quo audito, superveniens S. Bernardus eos consolatus est, benedixit fontem, hortatusque eos ut in vallem descenderent, prædicens plurimos in loco illo horroris & vastæ solitudinis salvandos fore; quod & fecerunt, construentes oratorium ex lapide & contiguum dormitorium atque refectorium.]

Annal. Bened. Tom. VI.

Fff

ANN. CHR.
1146.
a Amplif. coll.
tom. 4. p. 1086.

* La Sambre.

* Villers.

b Spicil. to. 12.
p. 486.
C V I.
a Villariensis
monasterii ori-
go & primor-
dia.

ANN. CHR.

1146.
CVII.An Bernardus
visitaverit Gan-
gam Hildegardem.

Mitro alia miracula S. Bernardi Autisiodori in basilica beati Germani, Molismi quoque patrata, quæ Gaufridus in tertia parte commemorat. In his nulla mentio de opido Bingiorum neque de monasterio S. Ruperti, ubi Hildegardem abbatissam Bernardus visitasse a Trithemio dicitur, cum Francofurtum illuc navigio pervenisset. adeoque quæ de Bernardi cum ea colloquio refert Trithemius, valde suspensa sunt. Certe non ante duos abhinc annos Hildegardis Bernardo nota esse cœpit, cum scilicet Eugenius papa Treviris cum eo existens, ejus revelationes examinari curavit, missis ejus rei causa ad illius cœnobium Aldeberto primicerio aliisque, ut suo loco videbimus.

CVIII.

Corbeia-nova
Wicboldo ab-
bate reforma-
tur.

Per id tempus in monasterio Corbeia-novæ simul laxata regularis disciplina, simul res familiaris labefactata erat. Alberoni abbati ante biennium mortuo successerat Henricus primus, qui ob male administratam abbatiam a Thoma sedis apostolicæ legato in judicium vocatus & convictus, dignitate hoc anno privatus est. Tum a fratribus electus Henricus alter, frater Sigifridi marchionis: sed vix sex menses munere functus decessit hoc anno, vi. idus Augusti. Cum nullus esset in tam celebri olim loco idoneus, qui morbo ab annis fere quinquaginta inveterato remedium afferre posset, unus apud externos Bernardo Patherbrunensi antistiti & Corbeiensibus ipsis aptus ad id visus est, Wicboldus seu Wibaldus Stabulensis abbas, qui ad reparandum Casinensis monasterii statum nuper vocatus, sed a Rogerio tyranno ejectus fuerat. Id Conrado quoque regi gratum erat, cujus legationes ille apud Romanum pontificem scite obierat. Solus huic postulationi oblectabatur Wicboldus ipse, fessam valetudinem per legationes & sexdecim annorum in abbatiali regimine labores obtendens: sed tandem regis aliorumque precibus victus præfecturam subiit, & sub finem Decembris Corbeiam deductus, exceptusque honorifice, in sede abbatibus collocatur. Rex insuper, ut se novo abbati benevolentem ac beneficium exhiberet, duo virginum monasteria, Keminadense & Visbecense, in quibus non sine scandalo corrupta disciplina erat, in præposituras convertenda ei donavit. quæ omnia ut pontificia auctoritate fulcirentur, supplices ad Eugenium papam litteras scripsere Corbeiensis, a Schateno relatas, quas in Appendice integras referre visum est. En earum summa. Corbeiensis ecclesiæ prior & universi fratres Eugenio suggerunt, quod post depositionem Henrici quondam abbatis sui, qui a venerabili legato apostolicæ sedis magistro Thoma pro manifestis culpis & confessis, ad totius monasterii salutem, quod ille multis modis vastabat, destitutus fuerat; ipsi unum e suis, quibusdam ex fratribus minime assentientibus, & multis ex laico ordine reclamantibus, elegerant: qui paucis post suam promotionem mensibus vita functus, ipsos plenos mœrore & sollicitudine non sine aliqua discordia reliquerat. Cum vero per superiorum abbatum negligentiam per annos fere quinquaginta res monasterii & dignitas, tam intus quam extus, summopere imminutæ essent, nec ullus in suis esset, qui sufficere posset ad eas restituendas; se adhibito virorum sapientum consilio, præfente & consulente episcopo suo Bernardo, communi assensu elegisse in abbatem & pastorem venerabilem Wicboldum Stabulensem abbatem, cujus religione & prudentia Corbeienſe monasterium in pristinum statum reformari posset. Cui electioni cum ille assentiri omnino renuisset, nec per legatos suos a Stabulensi monasterio abstrahi potuisset; tandem auctoritate regia in curiam evocatus, cogente Conrado Romanorum rege, Corbeiam venire compulsus sit. quod ab Eugenio confirmari postulant, uti & duo virginum monasteria, quæ Conradus Wibaldo abbati contulerat.

CIX.

Wibaldus quo
modo a papa
exceptus.

[Præter hanc ad Eugenium papam Corbeiensium epistolam, aliam ad Guidonem Eugenii cancellarium scripsere, eadem fere continentem. Accesserat ante has epistolas ad summum pontificem Wibaldus, benigne acceptus ab eo, qui ante omnia exhiberi sibi Corbeiensium testimoniales litteras de ejus electione petiit; uti ipse testatur in epistola sua xiv. ad Corbeienses: *Venientes*, inquit, *ad dominum nostrum papam benigne & honorifice suscepti sumus, tum propter reverentiam domini nostri regis, tum propter antiquæ notitiæ familiaritatem, qua nos hæcenus fovere dignatus est. Cumque in litteris domini nostri regis, ubi nomina legatorum inscripta erant, Bucconis scilicet Vormatiensis & Anselmi Havelbergensis episcoporum, nostrum nomen in titulo Corbeiensis ecclesiæ legisset, quæsit a nobis, ut super nostra apud vos electione vestram ei testimonium præsentarem.* Occurrit autem in opido Divionis tertio kalendas Aprilis anno MCXLVII. rogavitque pontifex ut venienti sibi in Gal-

ANN. CHR.
1145.

lias electionis suæ ordinem & decretum mitterent, quod ei & cancellario ejus per duos Corbeiensis fratres & unum Stabulensem præsentari iussit. Quis fuerit legationis & litterarum exitus, discimus ex Henrici monachi epistola inter Wibaldinas xxv. quæ cum multa scitu digna contineat, hic ex integro referendam esse opera pretium duximus.]

[*Litteras, pater carissime, sinceritati vestræ transmissi, quatenus ea quæ apud dominum papam a nobis audita vel acta sunt vobis significarem attentius, non quod alia vel aliora intellexerim, vel quod plus laboraverim, quam hi qui ad vos revertuntur, qui toti vestri sunt, sed ut illis pro se coram vobis assistentibus, non deesset nostræ ergo vos devotionis affectus. Tertia feria post pentecosten apud S. Dionysium ad dominum papam pervenimus, ubi domno cancellario nos tantum præsentavimus, propter tumultum maximum, qui in exitu domni regis circa dominum papam aderat. In crastino autem antequam dominus papa, qui Meldas ire disposuerat, egrederetur, domno papæ per cancellarium præsentati sumus, & litteras quas deportaveramus dedimus. Inde Meldas in quinta feria pervenimus. In sexta vero feria in præsentia domni papæ & episcoporum & cardinalium tantum evocati sumus, præmoniti tamen a domno Florentino, quid loqueremur, vel quis loqueretur, unus scilicet Corbeiensis, quorum causa agebatur. Sed cum alter impeditoris linguæ, ut melius nostis, esset, & alter eorum satis infirmaretur, ego, qui Corbeiensibus jussu vestro aderam, quasi Corbeiensis una cum ipsis ad dominum papam accessi: ubi cum in præsentia omnium illorum qui affuere, de electione in personam vestram facta esset agendum, ego qui me Corbeiensis modo esse necessitate quam prædixi constiterat, totum ordinem electionis, quem bene noveram, domno papæ, sicut oportebat, enarravi. Papa itaque auditis omnibus necessitatibus, quare vos elegerant, compertis etiam utilitatibus, quas non tacueramus, quæ electionem subsequuta sunt, dixit se communicaturum consilium cum fratribus & ex ipsorum consilio se nobis responsurum. In hac autem suspensione detenti sumus decem diebus, aliquando observantes per dimidiam diem januam domni papæ, qui raro egrediebatur: aliquando ante portam cancellarii jugiter agentes, & aliquando præ nimio tædio usque ad noctem fere cum multis aliis dormitantes. Agebamus etiam interim apud omnes cardinales singulos & singulos in domibus suis, quia alias conveniri neque respondere volebant, ut tam super hoc, quam super privilegio de Keminade & de Visbecke benignum haberemus responsum, qui omnes præter paucos quosdam dulci colloquio suo nos consolabuntur, & omnia nostra prospera, etsi tardius agebantur quam vellemus, futura esse. . . . Interim veris & certis rationibus plura ante adventum nostrum. . . . nescio qui vel a quo missi disseminaverant mendacia, scilicet vos totum thesaurum ecclesiæ domno regi dedisse. Benedictus per omnia Deus, quia sicut constabat eos falsa prædicare, ita constitit eos mox in adventu nostro disparuisse, & commentorum suorum nulli fidem reliquisse. Quid tandem? decima die post auditam causam electionis vestræ vocati sumus, & post multam commendationem persona vestra, sapientiæ quoque & facundia in præsentia episcoporum & omnium cardinalium adjudicavit & concessit ratam esse electionem in vos factam, & hoc magis ex dispensatione, sicut ipse testabatur, Romana ecclesiæ, quam aliqua auctoritate. Et præcepit priori & nobis, qui præfentes aderamus, & per nos omnibus, qui spectant ad Corbeiensis ecclesiæ, ut de cetero vobis obedientes essemus, & sicut ferventes fueramus ad hoc ut vos in patrem haberemus, ita studiosi essemus circa personam vestram reverentiam, nec tunc primum inciperet displicere, quando agere vellet de ordinis reformatione. Ceterum de privilegio nobis responsum est quod res litigiosa erat, nulla ratione se posse vel velle concedere, ut hoc tempore, id quod factum erat auctoritate apostolica confirmaretur: maxime cum querimonia sanctorum scriptis penes ipsum esset reposita. Cum amplius instare vellemus, omnes uno ore, ut hoc tempore nihil amplius quæreremus, hortati sunt, sufficere nobis dicentes, & hoc esse ex magna domni papæ gratia, quod nobis non interdicebat dicta loca, quod sicut non confirmabat, sic nec quod factum fuerat, infirmabat. Cum tandem habere non poteramus, quod voluimus, oportuit nos velle id quod consequi potuimus. Ventum est ad petitiones, in quibus omnibus duas tantum obtinimus, quarum exemplar vobis transmissum est. Cetera si qua desunt, ab his qui ad vos transeunt scire poteritis. Paternitatem vestram ad honorem ecclesiæ suæ Deus incolumem custodiat.]*

Idem Wicboldus abbas anno sequenti duorum illorum monasteriorum donationem a Conrado rege confirmari, & Corbeiensium & Herivordensium privilegia renovari curavit, ut patet ex regis litteris, quas Schatenus retulit.

CX.
Legationis &
epistolarum ad
papam exitus:

ANN. CHR.

1146.

CXI.

Scholæ ab eodem restituitur.

In chronico Huxorienſi, ubi de hac Corbeienſium prolapſione agitur, in tantum probrum monachi deveniſſe referuntur, ut pueri inter ſe rixantes proverbii loco dicerent: Tu non es melior monacho Corbeienſi. Cum ergo apud eos nullus eſſet idoneus ad locum repurgandum, tandem electus Wichboldus Stabulentiſ. quod cum ei nuntiatum eſſet, ingemuiſſe traditur, flensque dixiſſe: Urinam ſubulcus fierem, & non tales monachos regendos & pascendos haberem! Sic autem Corbeie ſtatim reſtituit, ut alter loci fundator habendus ſit. Inter alia Huxori ſcholam reſtituit, quam nudis pedibus quondam ingreſſus eſt. Rogatus a capellano cur id faceret: Tunc, inquit, neſcis, quam ſanctus locus hic, & quam reverenter converſari oporteat cum iſtis parvulis, quorum angeli ſemper ſtant coram facie Domini? Tum ſedens in ſella, recitantes & orantes pueros mira cum voluptate audiebat, aiebatque: Boni paſtoris eſſe agnos bene curare, ut bonas inde oves ſperare liceat. Ad hæc ipſe clauſtralem ſcholam priſtino reſtituit nitore, ex qua ſcilicet ſalus omnis, gloria & auctoritas, immo & opes pendere videbantur.

CXII.

Monasterium Hagenbuſch conditur.

Eo tempore quo pulſis e Keminada ſanctimonialibus earum monaſterium in præpoſituram ſub monaſterio Corbeienſi eſt redactum, aliud pro virginibus in ducatu Clivenſi ſub Werthinenſis abbatis patrocinio excitatum eſt, quod Hagenbuſch, ſeu Campus-Cervorum nomen accepit. Præerat tum Werthinæ Lambertus abbas cui Conradus III. navigium Rheni in Ruram fluvium uſque ad ipſum monaſterium liberum eſſe voluit, uti Conradus I. olim Girardo abbati conceſſerat. Diploma a datum eſt Nünmago die XVII. kal. Novembris anno MCXLVII. Idem Lambertus multa bona monaſterio acquiſivit, illud rexit annis ſex, mortuus anno MCLII. ſucceſſit Wilhelmus de Moers, cujus in litteras affectum teſtantur plerique codices bibliothecæ Werthinenſis ejus tempore conſcripti. Duo etiam ſacrarum virginum e ſodalitio ſanctæ Urfulæ corpora Werthinam eo ſedente tranſlata fuiſſe dicuntur.

CXIII.

Gaufridi abbatis S. Albani pia facta & obitus. b V. lib. 73. n. 125.

Apud S. Albanum in Anglia Gaufridus^b abbas optime itidem monaſterium tunc adminiſtrabat. Inter cetera bene geſta id de eo legitur, quod apud Sopwellam duabus ſanctis mulieribus, quæ illic in tuguriolis ex ramis arborum conſectis in ſumma vitæ aſtueritate vivebant, cellam & opportunas domunculas exſtruxerit: ubi illas, additis aliis more ſanctimonialium velatis ſub regula S. Benedicti victuras conſtituit. Hic trecentos pauperes in feſto tranſlationis S. Albani reſcici mandavit, & feſtum conceptionis beatæ Mariæ feſtive celebrari præcepit. quod argumento eſt, hoc feſtum in Anglia primitus receptum ac celebratum fuiſſe. Maxima eidem abbati fuit de pauperibus cura: quorum gratia non modo hoſpitiuſ inſtituit, ſed etiam ingruente fame argentum feretri S. Albani in eorum neceſſitates non ſemel conſlavit & expendit. *Et factum eſt*, inquit Matthæus Pariſius^c qui hæc refert, *ut, qui pro amore Chriſti id fecerat, ejus cauſa multiplicaret dominus potentiam ſuam, & augetet abbatis facultates: ut, qui prius mendicare videbatur, in omnibus abundaret.* Hinc arridente feliciori tempore feretrum S. Albani multo pretioſius quam ante fabricare aggreſſus eſt. Verum, hoc aliaque pia ejus operâ mors immatura ſuccidit dum adhuc ordiretur. Igitur, cum paſtorale officium viginti ſex amplius annis ſtrenue adminiſtraſſet, v. kal. Martii hoc anno ex hac vita feliciter migravit, mercedem piorum operum a Domino percepturus.

c Matth. de vitis abbatum p. 37. § 99.

CXIV.

Radulfus ejus ſucceſſor.

Mox unanimi fratrum ſuffragio ſubrogatus eſt Radulfus ejus loci monachus, conſecratusque ab Alexandro Lincolnienſi epifcopo, cujus ante & poſt monaſticam profeſſionem *bajulus*, id eſt capellanus, exſtiterat. Hic ex Angliis ortus, primo *anti-quariorum domum*, id eſt armarium ſeu bibliothecam, abbatis juſſu prudenter rexit, librorumque copiam monaſterio contulit. Deinde poſt aliquot annos præcepto abbatis ſui Alexandro epifcopo adhærens, bajulique officium denuo exercens, magiſtri Wodonis Itali in ſcripturarum ſacrarum doctrina auditor fuit. Denique poſt mortem Gaufridi mox laudati renuntiatuſ abbas ejus loci decimus-ſeptimus, id inter alia laudabiliter geſſit, quod abbatiam in multis ornatam & auctam, a debitorum oneribus omnino immunem reddidit. Verum inter ejus vitia illud deputatur, quod ſuſpicioſus & inquietus fuerit. Id prodidit erga priorem ſuum Alquinum, virum commendatione dignum, quem ſuſpicatus eſt ſuam depoſitionem mōliri ob inventum ſigillum nondum inſculptum ſuper menſam aurifabrilẽ Ankerilli monachi, quod in ſuam perniciem paratum eſſe falſo putavit. Quare priorem in expiabili odio perſecutus eſt, priorque depoſitus conſugit ſub alas Laurentii Weſtmo-

ANN. CHR.

1146.

CXV.

Laurentius abbas Weſtmo-naſterienſis.

naſterienſis abbatis, ſibi olim apud S. Albanum familiaris: a quo perhumane exceptus, ibique prior pro vitæ merito, ſtudioque regularis diſciplinæ conſtitutus, pie reliquum vitæ tranſegit.

Hic, quando mentio incidit de Laurentio, Weſtmonaſterii apud Londinum abbate, ejus commemoratio leviter prætereunda non eſt. Erat is natione Anglicus, primum monachus in cenobio Dunelmenſi, unde Dunelmenſis a Pitſeo dictus eſt, tametſi Weſtmonaſterienſis paſſim dicitur ob abbatialem dignitatem, quam apud Weſtmonaſterium geſſit. Vir, ſive pietatem, ſive regularem diſciplinam, ſive doctrinam ſpectes, cum primis illius ſæculi viris, Pitſei judicio, conferendus; in carmine mediocris, in proſa vehemens orator. Dunelmi prior erat, cum Wilhelmus epifcopus obiit; obiit vero anno MCLIII. idibus Novembris. In diſſenſione quæ anno ſequente ſuper electione Hugonis ſucceſſoris cum Henrico Eboracenſi archiepifcopo exarſit, Laurentius prior, qui Hugonis electi partes tenebat, anathemate cum aliis ab archiepifcopo percuſus, ſed agente Theobaldo Cantuarienſi archipræſule abſolutus, ad S. Albani monaſterium ſe recepit: ubi poſtquam aliquamdiu in monaſticis inſtitutis ſe exercuiſſet, poſt paucos annos a rege Henrico monachis Weſtmonaſterii prælatus eſt, amoto abbate Gervasio, filio regis Stephani, qui res illius monaſterii juveniſter diſſipaverat, ut tradit Johannes^a prior Haguffaldenſis in continuatione hiſtoriæ Simeonis Dunelmenſis. Hæc non video quo pacto quadrare poſſint cum iis, quæ de Alquino ſcribit Matthæus Pariſius, cum ait, Alquinum priorem ſeceſſiſſe Weſtmonaſterium ſub alas Laurentii abbatis propter inſanabile odium Radulfi S. Albani abbatis, quem ait abdicata præfeſtura obiſſe anno MCLII. quo tempore vixit Laurentius Dunelmi prior erat. Verum hæc diſcrepantia ex eodem Matthæo forte ſic explicari poteſt, quod Laurentius bis Weſtmonaſterii abbas factus dicatur ab eodem auctore, ubi agit de Roberto S. Albani abbate Radulfi ſucceſſore, qui *Laurentium abbatem Weſtmonaſterii de novo creatum*, omni ſubſidio deſtitutum, quippe qui dilapidatorem habuerat prædeceſſorem, *adeo efficaciter juviſſe dicitur, ut in brevi honorifice reſpiraret.* Verumtamen idem abbas Laurentius, *ſua immemor creationis & recreationis*, contra eundem Robertum inſurrexiſſe traditur: ſed tandem reconciliatus, eidem funebres exequias perſolvit. Itaque veri ſimile eſt, Laurentium primo Weſtmonaſterii abbatem creatum, loco motum fuiſſe a Stephano rege, ut Gervasio ipſius regis filio abbatia cederet, ſed ab Henrico rege, amoto Gervasio, reſtitutum. Multa ei neceſſitudo fuit cum Ælfredo Rievallis doctiſſimo & piſſimo abbate, qui librum de vita S. Edwardi confefſoris, ipſius flagitatu ab ſe ſcriptum, eidem dicavit ſub hæc^b inſcriptione: *Dilecto ac diligendo, & intimis viſceribus amplectendo venerabili patri & domino, domno Laurentio Weſtmonaſterii abbati, frater Ælfredus, &c.* Pervenit Laurentius uſque ad annum MCLXXVI. quo Walterus^c in abbatiali Weſtmonaſterii regimine ei ſucceſſit. Multa ſcripſit cum ſtriſta, tum ſoluta oratione, quorum elenchum apud Pitſeum videre licet

a X. Script. p. 281.

b ibid. p. 370.

c ibid. p. 388.

CXVI.

Domorum monaſterium in Umbria, &c. d ſupra n. 77. * Chiento. * Warnerii.

Quod res Italicæ ſpectat, actum eſt ſuperius^d de monaſterio comitatus Camerini in confinio Piceni & Umbriæ, poſito ad fluvium Clentis, quod Guarnerius dux Spoletanorum Caræ-vallenſi prope Mediolanum monaſterio ſubjecit. Non multo poſt, id eſt hoc ipſo anno MCXLVI. tempore W. * ducis & marchionis, Theodinus Camerinenſis eccleſiæ epifcopus, cum conſenſu archidiaconi & prioris ſeu primicerii, omniumque canonicorum S. Mariæ, decretum fecit *cænobio ſancti Michaëlis archangeli, quod eſt ædificatum in loco, qui Domorum vocatur; necnon Petro abbati ejus loci tertio & monachis Deo ibidem ſervientibus: quo decreto eis contrulit totam curiam, quæ attinet ipſi eremo cum terris, vineis, ſilvis, ceterisque adjunctis, ad utilitatem ſancti Angeli propter vitam monachorum, ſive eremitarum. Quod ſi voluerint abbas & monachi, habeant licentiam ipſius congregationis priorem eligere ſecundum regulam S. Benedicti, qui gubernare poterit conſilio fratrum Deum timentium juxta ſanctæ normæ inſtituta.* Hujus autem eremitorii donatio monaſterio ſancti Michaëlis ea lege facta eſt, ut ſingulis annis Camerinenſi S. Mariæ eccleſiæ candela unius libræ in feſtivitate ſanctæ Dei-genitricis offerretur. Nulla mentio apud Lubinum, ſi non fallor, de hoc monaſterio S. Michaëlis, quod dictum eſt *Domorum* a rivulo Domora, qui in Potentinum flumen decurrit. Nulla item mentio de monaſterio S. Mariani ejusdem diœceſis, cui Tramundus epifcopus res quaſ-

ANN. CHR.
1146.

dam suæ ecclesiæ anno MCXXII. cessit, cum eo, ut ejus loci monachi quolibet anno in mense Augusti, in assumptione S. Mariæ, unam libram ceræ offerrent. Utriusque concessionis litteras habemus, quas in Appendicem referre non visum est operæ pretium. Anno MCLII. prædictus Todinus seu Theodinus Camerinæ præsul, cum Guarnerio marchione mox laudato, *ecclesiæ gloriosissimi sancti Salvatoris sanctique Laurentii, ædificatæ in monasterio juxta castrum S. Severini, * in loco, qui dicitur Planus-Camerini, & domno Altoni seu Attoni abbati donat prædictam ecclesiam sancti Michaëlis, quæ est ædificata in loco, qui dicitur Domora, in valle Gabiana, cum decimis & oblationibus, aliisque ad eam pertinentibus. Hæc charta eruta est ex abbacia Septempedana S. Laurentii, cujus nullam quoque mentionem invenio apud Lubinum. In alia ejusdem abbatiæ charta remissionis, data anno MCCXXIII. mentio fit de Alberico viro venerabili, abbate monasterii de Domora, quod proinde necdum extinctum erat, si tamen jam extinctum est. Ex his supplere licet aliqua ex parte immanem hiatum, qui apud Ughellum occurrit in catalogo Camerinensium episcoporum; ubi post Hugonem episcopum, qui concilio Romano sub Nicolao II. interfuit anno MLIX. *centum a fere annorum spatio, quis in Camertina cathedra sederit, in monumentis ejusdem ecclesiæ haud reperiri* dicitur. At ex præmissis habemus Tramundum episcopum anno MCXXII. & Theodinum seu Thodinum annis MCXLVII. & MCLII.*

ANN. CHR.
1147.CXVII.
Stampense
concilium cui
adest Bernardus.
S. Bernardi
mirac.
c. Odo de Diog.
lib. 1.

ANNO dein MCXLVII. revertenti ex Germania Bernardo, dominica die, qua festum purificationis beatæ Mariæ recolatur, rex Francorum Ludovicus^b ad urbem Catalaunum occurrit: ubi plurimi cum Galliæ, tum Germaniæ principes & legati convenerant, de protectione Jerosolymitana tractaturi. Biduo res agitata, ibique indictus Stampas conventus ad dominicam Septuagesimæ, id est ad sextumdecimum Februarii. Huic interfuit Bernardus post lustratam obiter Claram-vallem, & in frequenti episcoporum & nobilium confesso^c de prospero suæ in Germania prædicationis successu sermonem habuit. Tum auditi diversarum regionum legati, quorum plerique in primis Rogerii Siciliae regis legati, Græcis non esse fidendum consulebant. At rex & sui nullarum gentium vires se timere professi sunt: sed utinam saltem fraudes timuissent. Hæc acta secunda die, sed *non secunda*, inquit Odo, id est non fausta nec fortunata.

CXVIII.
Sugerius regni
procurator cle-
stus.

Tertia die, invocata gratia Spiritus-sancti (*quam pridie utinam invocassent*) post sermonem spiritalem a Bernardo habitum, de regni custodia, dum rex absens esset, agitur. Rex *more suo sub timore Dei suam reprimens potestatem*, prælatis ecclesiæ & optimatibus regni procuratoris eligendi permisit facultatem. Itur ad consilium, factaque communi assensu electione, Bernardus e consilio revertentes præcessit, aitque: Ecce duo gladii hic. Satis est, Sugerium abbatem & Guillelmum Nivernensem comitem monstrans. Hæc electio placuit omnibus præter ipsum unum Guillelmum, qui nec regis, nec omnium repetitis precibus acquievit, votum suum de petenda Cartusia pretendens, ad quam paulo post re vera secessit. Sic uni Sugerio tota regni procuratio imponitur: cui postmodum Samson Remensis archiepiscopus & Rodulfus seu Radulfus Viromandensium comes adjuncti. Post hæc indicitur dies in pentecosten profecturis, & Mettis locus cruce signatis ad conveniendum præscribitur.

CXIX.
Eugenii gesta
Cluniaci & Di-
vionæ.
d. Manriq. 29.
2. p. 81.

Inter ea Eugenius papa in Galliam trajecerat & in Cluniacense monasterium diverterat. Illic versabatur VII. kal. Aprilis, quo die^d Gozevino Bonæ-vallis in pago Viennensi abbati privilegium apostolicæ tutelæ impertiit, & possessiones monasterii, atque exemptionem a decimis confirmavit. *Datum Cluniaci per manum Guidonis S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii VII. kal. Aprilis, indictione X. incarnationis dominicæ anno MCXLVII. pontificatus vero domni Eugenii III. papæ anno tertio.* Illinc Divionem se contulit pontifex, ubi rex Ludovicus eum convenit III. kal. Aprilis, Quadragesimæ dominica quarta; eodemque præfente pontifex postera die S. Benigni ecclesiam consecravit, a Paschali II. ante annos quadraginta dedicatam, quæ anno MCXXXVII. in generali urbis incendio deformata fuerat. Biennio ante Eugenii adventum Petro II. S. Benigni abbati, qui *homo justus & pius* habitus est, successerat Philippus, qui annis triginta locum rexit. Ejus rogatu Ludovicus rex S. Benigni possessiones & inamunitatem anno superiori confirmavit. De Johanne II. & Aymone I. qui Johanni anno MCLXXXII. successit, nihil memoratu dignum occur-

S. Benigni ab-
bates.

rit. Petrus III. Aymonis successor, de Granceyo cognominatus, totius Lingonenfis diocesis vicarius generalis institutus est, dum Godefridus episcopus in Palæstinam proficisceretur.

Divione progressus est Autifiodorum Eugenius: ubi eum convenere duo Pictavenfis ecclesiæ archidiaconi, Arnaldus & Calo, qui Gislebertum seu Gilbertum Porretanum, Pictavorum episcopum, ut perverfæ doctrinæ auctorem, jam Senis apud pontificem detulerant. Verum hi a pontifice in Gallias tendente ad maturius examen in Galliam redire jussi, Bernardum adeunt, eumque *in commodum causæ suæ adversus episcopum inclinant.* quod Otto^a Frisingensis ardentiori christianæ religionis fervori & nimia Bernardi credulitati perperam tribuit. Illi itaque, adscito^b sibi tantæ auctoritatis viro, apud Eugenium citari curant prædictum episcopum: qui *primo Autifiodorum, postea Parisus vocatus est.* Utrum Autifiodori coram pontifice præfens adfuerit, incertum. Veri similis est, eum quidem illuc vocatum, sed primum apud Parisios se stitisse.

Autifiodoro digressus pontifex, Parisios accessit, cui rex & episcopus cum optimatibus & clero venienti festive occurrerunt. Quanta cum humilitate pontificem exceperit rex modestissimus & piissimus, docet nos insigne fragmentum Stephani Parisiensis testis oculati, quod in Appendice referemus. Instabat paschæ sacra sollemnitas, quam pontifex in monasterio S. Dionysii sollempniter celebravit. Tum *bene ordinata*, inquit Otto, *confirmat, enormia multa componit, dum regis promotionem exspectat*, id est professionem, quæ in quartam feriam pentecostes indicitur.

Interim synodus episcoporum, præfidente papa, in urbe habetur, cui Gilbertus vocatus adfuit, magister tunc famosus, Pictavis oriundus, ubi recens episcopus pro vitæ merito & doctrina institutus fuerat. Ciratus consistorio præfentatur, de objectis sibi capitulis responsurus: quorum tria hæc præcipua erant, scilicet divinam essentiam non esse Deum; proprietates personarum divinarum non esse ipsas personas; & divinam naturam non esse incarnatam. Producentur contra eum duo magistri, Adam de Parvo-ponte, vir subtilis, Parisiensis ecclesiæ recenter factus canonicus; & Hugo de Campo-florido regis cancellarius, postmodum Sueffionensis episcopus, qui aliqua ex his capitulis se de proprio ejus ore audisse asseriebant, nec ille omnino diffitebatur; sed dicta sua commode explicabat. qua de re pluribus differit Otto Frisingensis, qui Gilberto plus æquo favebat. Verum ejus causæ amplior discussio ad futurum concilium Remense dilata est.

Post aliquot dies, cum litaniæ majores^c celebrarentur, Eugenius ad basilicam S. Genovesæ, ubi tum sæculares canonici debebant, orationis causa cum rege pergit. In aditu basilicæ pontifici ad orandum tapes subferrunt. Ubi ab oratione surrexit, ejus ministri tapetem auferunt, sibi ex more debitum esse dicitantes. Contra nituntur canonicorum domestici, quibus ipsi canonici suffragantur. A verbis ad verbera itum, fitque tumultuosa inter utrosque concertatio. Rex ad sedandas turbas prodit, sed nulla ejus pontificisve dictis, nulla facto loco habita reverentia: immo inter rixantium manus regem ipsum (quod dictu horrendum est) pugno percussum ferunt. Ea res, ut par erat, pontificis ac regis animum supra modum exacerbavit. Inquisitum in mores canonicorum, qui non admodum probabiles erant; communique consilio statutum, ut eorum loco nigri, ut tum vocabant, monachi substituerentur.

Hujus negotii provincia Sugerio abbati commissa litteris ab Eugenio datis apud Lingonas, quibus ei mandabat, ut priorem Abbatis-villæ in ecclesia S. Genovesæ abbatem, & octo S. Martini a Campis monachos constitueret. Hæc litteræ sic habent.

Eugenius servus servorum Dei dilecto filio Sugerio abbati S. Dionysii salutem & apostolicam benedictionem. Officii nostri nos hortatur auctoritas, ad religionem statuendam diligenter intendere, stabilitam vero exacta diligentia conservare. Inde est, sicut tua novit dilectio, quod cum carissimo filio nostro Ludovico, illustri Francorum rege, contulimus, ut in ecclesia sanctæ Genovesæ religiosos fratres ad Dei servitium poneremus, quod brevitate temporis prohibente, secundum ipsius & nostrum propositum nequivimus effectui mancipare. Verum, quia vices regias in Galliarum partibus dinoscis exercere, & quia de tua plurimum discretione confidimus; per præsentia tibi scripta mandamus, quatinus priorem Abbatis-villæ in abbatem liberum & absolutum ibi statuere, & octo fratres ecclesiæ sancti Martini de Campis ejus societati studeas de-

ANN. CHR.
1147.CXX.
Autifiodori
actum de Gil-
berto Porreta-
no.a Otto in Frid.
lib. 1. c. 47.
b ibid. c. 50.CXXI.
Parisii paschæ
& synodus ce-
lebrata.CXXII.
Tumultus
apud S. Geno-
vesam.
c Math. Paris.CXXIII.
Monachos ibi-
dem substitue-
re statutum.

ANN. CHR.
1147.

putare: ut exemplo bonæ conversationis eorum, qui minus boneſte ſapiunt, ad divinum officium provocentur. Nos vero priori ſancti Martini de Campis per apoſtolica ſcripta mandavimus, quatinus prædictum numerum fratrum, cum tibi placuerit, exhibeat & concedat. Sufſentationi quorum beneficium decanatus & præbendas venerabilis fratris noſtri Silvanectenſis epiſcopi, Gregorii diaconi cardinalis & Autiſſiodorenſis theſaurarii, filiorum noſtrorum auctoritate apoſtolica deputamus. Ad ipſorum quoque uſum omnia beneficia decedentium canonicorum aſſignari volumus & jubemus. Datum Lingonis III. kal. Maii.

a Cbeſn. to. 4. p.
501.

Ibidem, eodemque die pontifex alias ejuſdem argumenti litteras a ſcripſit canonicis S. Genoveſæ, quibus præcipit, ut abbatem & monachos a Sugerio propoſitos benigne recipiant. quod ſi facere detrectaverint, ſententiam ſuper hoc ab illo promulgatam ſe ratam habiturum. Addit pontifex, ſe ad monachorum uſum omnia beneficia decedentium canonicorum aſſignari velle. Datum Lingonis III. kal. Maii. quod ad annum inſequentem referendum eſt, cum pontifex abſoluto Remenſi concilio in Italiam ſe referret.

CXXIV.
Canonicis tamen illic ſubſtituti.

His litteris acceptis, canonici, ægre ferentes ſua beneficia converti in uſum monachorum, nec ipſi monachi fieri vellent; ſatius duxerunt canonicos regulares ibidem ſubſtitui. Quam ob rem miſſis ad Eugenium legatis, qui jam alpes trajecerat, poſtularunt, ut e proximo ſancti Victoris monaſterio canonici regulares probatiſſimæ vitæ in eccleſia S. Genoveſæ loco monachorum conſtituerentur. Annuat pontifex, ſcriptis ad Sugerium litteris^b, quibus ſignificat, ſe præceptum, quod pro religione monaſtica in eccleſia S. Genoveſæ dederat, pro bono pacis immutare, ſi modo regulares canonicos ejuſdem eccleſiæ canonici, ſalvis eorum præbendis receperint. Datum Vercellis XVII. kal. Julii. Pontificis mandatum haud ægre exſecutus eſt Sugerius, & a Gilduino S. Victoris abbate duodecim canonicos regulares cum Odone priore, Manaffe Meldenſis epiſcopus ægre obtinuit. Totius negotii rationem Eugenio reddidit Sugerius ſcriptis ad eum litteris, c quibus in primis curiam Romanam laudat, quæ conſuevit aliquando, quod turpe non eſt, cum re mutare conſilium. tum ait, ſe remiſſius egiſſe in exſequendo priori mandato de ſubſtitutione monachorum in eccleſia beatæ Genoveſæ. Interim, cum designatum abbatem & monachos illic jam collocare propoſuiſſet, prædictos canonicorum legatos, cantorem & alios poſterius papæ mandatum ſibi obtuliſſe, quo ſignificabatur, mutatam pro bono pacis ſententiam in gratiam regularium canonicorum. Nos autem, inquit, æque devote ac gratanter ſecundam, ac ſi primam, recipientes ſententiam, aſſumtis nobiſcum venerabilibus & ſapientibus viris, videlicet abbate S. Germani de Pratis, S. Petri Foſſatenſis, S. Maglorii, S. Petri de Ferrariis, & aliis de melioribus perſonis aſſiſtentium vicinorum, ad eundem S. Genoveſæ locum acceleravimus, & in capitulo eorum, quid ſuper hoc extremo, quid ſuper primo capitulo, ſecundum tenorem litterarum, quas nobis detulerunt, proſequi vellent, conſulte convenimus. Ubi Sugerii modeſtiam & æquitatem mirari licet, qui, cum pro ea qua pollebat regni procuratoris auctoritate ſui ordinis monachos præferre potuiſſet; canonicis tamen optionem dedit exſequendi pro libito prioris an poſterioris apoſtolici mandati. Diverſa fuit canonicorum hac de re ſententia: ſed tandem qui ſenioris erant conſilii & filii lucis, canonicos regulares ſe ſuſcepturos pacifice promiſerunt. Nos autem, ait Sugerius, ſuper hoc ipſo exhilarati, quoniam quidam de melioribus abbatem ſibi conſtitui, & canonicos de ſancto Victore poſtulabant, communicato cum aſſiſtentibus conſilio, tum quia nullam penes nos religioſiorem in ſuo ſtatu novimus eccleſiam; tum quia propinquitate loci ad omnem eorum ſive interiorem, ſive exteriorem, commodior exiſtit neceſſitatem, ad eos divertimus, virumque venerabilem abbatem ſancti Victoris, operibus pietatis approbatum, modo ſeorſum, modo in conventu ſuo, ut his opem ferret, ut adjutor divinitatis evelleret & deſtrueret, adificaret & plantaret, in nomine Domini ſuppliciter eſſagittabamus.

Principio id conſtanter recuſavit Gilduinus, qui ſibi ſenio jam deſecto Odonem priorem abſtrahi non ſuſtinebat; ſed tandem multorum precibus & pontificia victus auctoritate, eundem venerabilem priorem cum duodecim fratribus, viris religioſis & honeſtis Sugerio contradidit: quos ille in feſto S. Bartholomæi ad eandem eccleſiam ſollemniter cum clero & populo civitatis induxit, & a venerabili Meldenſi epiſcopo Manaffe, quem ſecum ad hoc adduxerat, eadem die coram altari ejuſdem ſanctæ Genoveſæ

ANN. CHR.
1147.

Genoveſæ abbatem benedici curavit. Itaque hæc mutatio, quæ hoc anno MCXLVII. decreta fuerat, nonniſi anno ſubſequenti peracta eſt. Ex his emendandum id, quod in libro de vita beati Willelmi Roſchildenſis abbatis legitur, abbatem & canonicos ſancti Victoris primitus interceſſiſſe, ne monachi nigri, uti pontifex ac rex conſtituerant, ſæcularibus canonicis ſubſtituerentur, ut ipſi eorum loco ſuccederent: cum e contrario, poſt mutatam a pontifice ſæcularium canonicorum flagitatu ſententiam, vix adduci potuerit Gilduinus, ut Odonem priorem alioſque e ſuis ad hanc mutationem faciendam concederet. Mitto alias tum Sugerii tum Eugenii de eodem argumento a litteras, quibus tandem extrema huic operi manus impoſita eſt, confirmatique in S. Genoveſæ eccleſia canonici regulares, quæ celebris ejuſdem ordinis congregationis caput evaſit. De hac immutatione Sugerio gratulatus eſt S. Bernardus: cujus beneficii memores quondam illius eccleſiæ canonici regulares, non tantum Eugenii papæ & Ludovici Junioris anniverſarium inſtituerunt, ſed etiam Sugerii, de quo iſtius eccleſiæ necrologium ſic habet: Idibus Januarii, anniverſarium Sugerii abbatis S. Dionyſii, cujus ope atque induſtria, injungente ei ſancta recordationis domno Eugenio papa & illuſtri Francorum rege Ludovico, hæc noſtra eccleſia de ſtatu canonicorum ad regularem ordinem eſt mutata.

a ibid. p. 508.
& ſeqq.b Bern. ep. 369.
& 370.CXXV.
Willelmus abbas Roſchildenſis.

Ex numero veterum illorum canonicorum prodierat vir probatæ ſanctitatis Willelmus Roſchildenſis abbas in Dania, de quo paulo ante mentio facta eſt. Is nobili loco apud Parisios ortus, Hugoni abbati S. Germani de Pratis patruo an avunculo ſuo adhuc puer educandus datus eſt, cujus monitis & curis ad bonos mores & primas litteras informatus eſt. Ubi adolevit, ad leviticum promotus gradum, ſacerdotium in eccleſia S. Genoveſæ obtinuit, dein præpoſituram apud Spinolium, ubi ſe ab aliorum corruptelis immunem ſervavit. Inde facta ordinis, ut mox diximus, apud S. Genoveſam mutatione, ab Odone abbate revocatus, ſtrictiori diſciplinæ ultro ſe ſubjecit. Denique, cum Abſalon Roſchildæ in Dania epiſcopus canonicos regulares ſeverioris diſciplinæ apud ſe habere cuperet, Willelmum apud Parisios quondam ſibi notum in Daniam acceſſit, per quem collegium canonicorum regularium in inſula Eſchilla diœceſis Roſchildenſis inſtituit, ut ſuſe exponitur in libro e de vita ejuſdem Willelmi abbatis, qui Roſchildenſis dictus eſt.

c V. Bolland.
to. 1. April.CX XVI.
Montis-martyrum eccleſia dedicatur ab Eugenio.
d lib. 75. n.
36.

Sed ut ad id, unde digreſſi ſumus, recurramus narratio, Eugenius papa feria ſecunda poſt paſcha, quod apud S. Dionyſium celebravit, ad monaſterium Montis-martyrum, quod Adela Francorum regina, una cum viro ſuo Ludovico VI. ante annos tredecim fundaverat, ſe contulit, novam ſacri illius loci baſilicam, in ſummo monte poſitam, conſecraturus. Tum ſacra miſſarum ſollemnia in ea celebravit, cui duo præſtantiſſima illius temporis lumina, Bernardus abbas Claræ-vallenſis, & venerabilis Petrus Cluniacenſis abbas, alter diaconi, ſubdiaconi alter officium exhibuiſſe perhibentur. Eccleſia hæc duas habebat partes: una, quæ inſimam navis regionem occupabat, in honorem beatiffimæ Dei-genitricis & S. Dionyſii epiſcopi & martyris dedicata fuit; & ipſa parochialis erat: altera, quæ ſuperiorem navis partem & abſidem continebat, & ſanctimonialium propria fuit, S. Petro apoſtolo dicata eſt. Exſtat in declivio ejuſdem montis ſacra beatorum martyrum Dionyſii ejuſque ſociorum ædicula, cujus altare majus idem pontifex kalendis Junii dedicavit. uti idem pontifex in bulla ſua teſtatur, quam die ipſa iduum ejuſdem menſis dedit Meldis; conceſſa iis qui hanc eccleſiam in anniverſario ejus dedicationis inviſerent, aut aliquid de ſuis facultatibus largirentur ſanctimonialibus, multorum dierum indulgentia. Bullam ipſam ex autographo exſcriptam in Appendice habes. Sub ea ædicula, quæ hodie principalis eſt abbatæ eccleſia, viſitur profundiffima ſpecus, in qua ſanctus Dionyſius tempore perſecutionis ſacra feciſſe traditur: Non ita pridem ſanctimonialium coetus in duas turmas diſtinctus erat, quarum una in ſuperiori eccleſia, altera in inferiori divina officia celebrabat: at nuper utraque turma in inferiori eccleſia ſe recepit, relicta ſuperiori in uſum parochianorum. In hac inferiori ſacra ædicula ſanctus Ignatius de Loyola, Soc. Jeſu inſtitutor, ejuſque focii anno MDXXXIV. die feſto aſſumptionis in ſacra ſynaxi, votis religioſe conceptis, Deo ſe in perpetuum conſecrarunt.

Inſtabat demum tempus, quo rex ad ſacram expeditionem profecturus erat. Dies ad profectionem indictus erat in feriã quartã pentecoſtes. Mira ſunt pietatis opera, quæ rex chriſtianiſſimus ad tanti momenti negotii commendandum Deo ſuc-

CXXVII.
Ludovicus rex ut ſe ad ſacrum bellum parat

ANN. CHR.
1147.

cessum præmisit. In primis ad preces Theobaldi Parisiorum episcopi, quasdam consuetudines, episcoporum juribus contrarias, abrogavit; in his perversum morem, quo regii ministri defunctorum episcoporum domos omnes expilabant, eorumque prædiis graves exactiones imponebant. Dein sacras urbis ac religiosas aedes omnes adit, ut sacerdotes ac servi & ancilla Dei fausta ei omnia precarentur. Quin etiam leproforum domos duobus tantum comitibus ingressus, homines tabe infectos alloquio dignatus est, datisque elemosynis, ut pro se Deum precarentur postulavit. quod se præsentem factum Odo de Diogilo testatur. Post hæc, matre ejus Adelaïde, Alienorde conjuge, innumerisque aliis præmissis, ipse ad sancti Dionysii sanum pergit, ubi Eugenium papam, Sugerium abbatem & monachos congregatos invenit. *Tunc ipse humillime prostratus*, ait Odo, *patronum suum*, id est sanctum Dionysium, *adorat: papa vero & abbas auream portulam reserant, & argenteam thecam paululum extrahunt: ut osculato rex & viso quem diligit anima sua, alacrior redderetur. Deinde sumto vexillo desuper altari; & pera, & benedictione a summo pontifice, in dormitorium monachorum multitudini se subducit. . . . Illo die, retentis paucis suoribus, in refectorio comedit cum fratribus; & osculatis postmodum omnibus, recessit, orationibus & lachrymis prosecutus.* Hactenus Odo de Diogilo Dionysianus monachus, qui præfens aderat, & regem in illo itinere comitatus est.

CXXVIII.
Vexillum S.
Dionysii acci-
pit.
a Spicil. to. 3.
p. 348. V. An-
nal. Bened. to.
2. lib. 26. n. 40.

Vexillum illud, quod ex altari S. Dionysii rex accepit, *Auriflamma* vulgo appellatur, quod reges Francorum in bellicis expeditionibus deferri curabant. Id a tempore Caroli Magni primo usurpatum fuisse opinatur Richerius^a chronographus Senonienensis; sed a tempore ipsius Caroli a *secretario regis* numquam expositum fuisse usque ad principatum Philippi Augusti, qui illud in celebri prælio apud Bovinas a Walone quodam gestari jussit. At falli Richerium patet ex mox relato Odonis testimonio, testantis, Ludovicum VII. ipsius Philippi regis patrem, vexillum illud ad sacram expeditionem sumisse. quod non ante Ludovicum VI. factum fuisse Cangius censet, nimirum in bello Vilcaffino, ut ex ipsius Ludovici diplomate^b manifestum est. Hoc vexillum Vilcaffini comites, ut monasterii advocati & clientes, in præliis tum pro regni causa, tum pro conservatione bonorum monasterii, deferre consueverant. Attamen Walo ille, qui vexillum in prælio apud Bovinas portavit, ducis Burgundiæ miles erat. De materia & forma illius vexilli consulendus Cangius.

b Hist. de S. De-
nis p. 154. §
prob.CXXIX.
Regis profectio
& infelix even-
tus.
c Petr. Ven. lib.
5. p. 7.

Vexillo accepto, rex Ludovicus ad conditum Mettis congregando exercitui locum pergit, ubi in tentoriis extra urbem non sui juris, paucis diebus exercitum expectavit. Ex nostris ei comites adjuncti sunt Alvisus Atrebatensis episcopus cum Leonio S. Bertini abbate, & Theobaldus S. Columbæ abbas; cui profecturo Petrus^c Venerabilis salutaria monita dedit, ne levitas, instabilitas, curiositas, quæ frequenter se ejusmodi discursibus ingerunt; ad hæc spoliatorum cupiditas, vel laudis amor, tanti itineris fructum inanem reddat. Inde rex Wormatiam præmittit prudentes & religiosos viros, Alvisum Atrebatensem & Leonium S. Bertini abbatem, ut navigia Rhenum trajecturis præparent, quod optime executi sunt. Illic seditionem nostrorum temeritate ortam sedavit Alvisus. Iter per Germaniam, Hungariam & Bulgariam, Constantinopolim usque, satis prosperum fuit, ubi festum S. Dionysii mense Octobri celebravit. quem diem Græcis quoque celebrem esse Odo testatur. De portis Hungariæ ad Sugerium scripsit epistolam, quæ inter Sugerianas sexta est, petitque pecuniæ subsidium ad profectendum iter, quod hucusque prosperum fuisse dicit. Verum his latis initiis infausta omnia Græcorum dolo & fraude acciderunt, tam regi Ludovico, quam Conrado regi Romanorum, qui Ludovicum præcesserat, primusque pedem retulit Constantinopolim, amissa exercitus sui plurima parte, qui septuaginta millibus equitum constabat, præter innumeram peditum multitudinem. Non impar erat Ludovici exercitus, cui rex Græcorum Manuel cibaria & comæatum pollicitus erat, sed ille nihil præstitit. Ad hæc perfidos viæ duces dedit, qui nostros per deserta & ærentia loca duxerunt, ut fame & siti enecti perirent, & hostium injuriis exponerent. Rex nihilominus cœptum iter persequitur, natale Domini in valle Ephesina peregit. Inde Laodiceam tendit, barbaris e scopulis montium nostros assidue laceffentibus. Illinc digressis occurrit mons præaltus, quem dum rex cum suis superare aggreditur, Turci cum Græcis extremum agmen adiungunt. Multi e nostris cæsi: rex ipse strenui ductis ac militis officio functus, in scopulorum vix subire valuit favente nocte, quæ prælium diremit. Dehinc etiam cum

fame, ex cibiorum penuria, conflictandum fuit. Ægre itaque Attalia & Pamphilia, quam nostri Satelliam vocabant, peragrata, navigio Seleuciam, ac demum Antiochiam ventum est: ubi Raymundus Antiochiæ princeps, Alienordis reginæ patruus, copioso cum exercitu regi obviam occurrit, suadetque ut junctis simul copiis in Turcos procedant. At rex nullis se precibus flecti passus est, quominus Jerosolyman iter proficeretur. Illuc tandem optato advenit a Balduino rege honorifice exceptus, eodemque tempore Conradus rex Romanorum, qui Constantinopoli hiemem egerat. Lustratis sacris locis, actum est de obsidione Damasci, quæ cum infeliciter cessisset, Conradus Germaniam repetit: Ludovicus vero in Palæstina anno integro mansit, & anno MCXLIX. pascha Jerosolymæ celebravit. Postremo in Acconensi portu navem conscendit, & mense Augusto in Galliam appulit. Hæc omnia præter alios fufe, sed impolite, Odo de Diogilo monachus Dionysianus, rerum gestarum testis, libris septem descripsit, quos Sugerio abbati dicavit. Hos libros typis vulgavit Petrus-Franciscus Chiffletius apud Divionem anno MDCLX. eosque operi suo de genere illustri S. Bernardi præmisit.

In his libris insignis emicat Ludovici regis non modo generositas, sed etiam pietas in Deum. Nam, præter ea, quæ in procinctu itineris eum fecisse mox vidimus, *rex^a in tota via, nulla die missam vel horas perdidit, nec inundatione imbrium, nec oppressione hostium. & in fine Odo Sugerium alloquens: Gravia sunt, inquit, quæ pertulit damna & pericula, pater Suger: sed ipso debetis sospite consolari. Illi etiam proderit laborasse, qui scitur in periculis tutus, & post damna lætus, constanter & præcedenter omnia pertulisse. Sola illi gravis erat adversitas subditorum, quibus semper pro posse consuluit: putans esse regis, non sibi nasci, sed utilitatibus aliorum; & sicut regis est habere pietatem; sic ejusdem esse numquam timere paupertatem. Ad probitatem cautelam regiam postponebat, & tutelam primam vel ultimam, & excubias nocturnis vicibus alternis faciens, algorem nocturnum, dierumque fervorem sub lorica tolerabat. In tot laboribus servatus est incolumis sine medicina pro exercitio sanctitatis: quia semper a divinis sacramentis obviabat viribus hostium, & revertens ab hostibus, requiebat vespere & completorium, Deum semper faciens alpha & omega suorum operum.* Hæc tam præclara sunt, & ad commendandam Ludovici pietatem & strenuitatem tam efficacia, ut ea hoc loco præterire nefas duxerim.

CXXX.
Ludovici regis
in illo bello
pietas & stren-
uitas.
a Odo lib. 7. p.
69.

In illa porro expeditione præter gregarios milites & mediæ nobilitatis viros, multi primates interiere, in his Warenensis comes, ejusque frater Evrardus de Britolio, Manasses de Bullis, & Gaucherius de Monte-Gaio, alique qui in ascensu prædicti montis a barbaris, omnes numero fere quadraginta, cæsi sunt. Ad hæc in transitu altissimi fluvii prope Laodiceam, Milo de Nogentico aquis suffocatus periit. Nec desuere etiam ecclesiastici viri, qui eandem sortem pertulerunt. Præ ceteris nobis merito commendandus est e nostris Alvisus episcopus Atrebatensis, qui cum Bartholomæo cancellario, Archembaldo Burbonensi & quibusdam aliis, ex urbe Ratispona Constantinopolim a rege legatus præmissus; apud Philippopolim VIII. idus Septembris anno MCXLVII. in sancta confessione decessit. *Hic post longam ægritudinem, ut Odo^b scribit, dum inter festum S. Bertini, cujus monachus fuerat, & nativitatem beatæ Mariæ acris urgeretur; obortis lachrymis, quarum gratiam semper habuerat, monachis suis & clericis convocatis dixit: Carissimi, festum S. Bertini^c honore debito celebratis: sed quia solemnitati beatæ Mariæ vobiscum non interero, impendite mihi gratiam, quam potestis: ut præoccupantes eam, sanctis libris omne mihi servitium morosus decantarunt. At ille, quotienscumque illud AVE singulare, vel nomen Virginis audiebat, in ipso mortis articulo nisu debili sed devoto surgebat. Post hæc reddidit Virgini animam, cujus ipse tam devote jam tenebat memoriam. Corpus autem ejus extra urbem in ecclesia S. Georgii, ante altare venerandam habuit sepulturam. Ad cujus tumulum rex postmodum veniens, illum obiisse doluit, & cum suis episcopis & abbatibus lugubres ei exsequias iteravit. Sciendum quoque est, ait Odo, quod nos pro certo vidimus febricitantes prius subter feretrum, deinde supra tumulum obdormire, postmodum de sua sanitate Deo & defuncto episcopo gratias agere.* Hæc totidem verbis Odonis, testis oculati, referre visum est ad commendandam Alvisi nostri sanctitatem. Ejus obitus vulgo refertur ad annum insequentem: at eum hoc anno contigisse patet ex serie itineris, quod superius exposuimus. Ex urbe

CXXXI.
Quinam in illa
expeditione
desiderati.Alvisus in his
episcopos A-
trebatensis.b id. lib. 3. p.
29.

c * die 5. Sept.

ANN. CHR.
1147.
r Suger. ep. 22.

Constantinopoli scripsit rex Ludovicus ad Sugerium, cui itineris sui labores & pericula exponit, petitque sibi submitti pecuniæ collectam ad iter profectum; tum sanctis ejus orationibus & ecclesiæ beati Dionysii se commendat. Ad hæc Alvifi obitum ei nuntiat his verbis: *Venerabilis frater vester episcopus Atrebatensis felici con summatione migravit ad Dominum.* Postremo meminit Odonis de Diogilo: *Dilectus, inquit, filius vester Odo monachus vos salutatur, quem pro reverentia beati Dionysii honorifice nobiscum habemus.* Ea erat optimi regis dignatio.

CXXVII.
Bernardus ad
Tolosates per
git contra Hen
ricianos.
b lib. 77. n. 117.
c Bern. ep. 241.

Dum in oriente Sarraceni tantas christianorum strages ederent; in occidente quoque hæretici animas fidelium suis erroribus corrumpebant, sed maxime Henriciani, qui in partibus Tolosanæ impia sua dogmata profeminare pergebant. De Henrico pseudo-monacho eorum auctore superius actum est, deque ejus erroribus, quos Bernardus in epistola ad Hildefonsum S. Ægidii comitem præstringit in hunc modum. *Quanta audivimus & cognovimus mala, quæ in ecclesiis Dei fecit & facit quotidie Henricus hæreticus! Versatur in terra vestra sub vestimentis ovium lupus rapax: sed ad Domini designationem a fructibus ejus cognoscetis illum. Basilicæ sine plebibus, plebes sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reverentia sunt, & sine Christo denique christiani, Ecclesiæ synagogæ reputantur: sanctuarium Dei sanctum esse negatur: sacramenta non sacra censentur: dies festivos frustrantur sollempniis. Moriuntur homines in peccatis suis: rapiuntur animæ passim ad tribunal terrificum: heu! nec penitentia reconciliati, nec sancta communione muniti.* Denique, ut brevi conficiam, parvulis negabatur baptismus: ridebantur preces & oblationes pro mortuis, sanctorum invocationes, excommunicationes sacerdotum, basilicarum ædificationes, chrisimatis & olei benedictio, omnes denique ecclesiasticæ institutiones. Hæc omnia nostri temporis hæreticorum dogmata sunt, quæ S. Bernardus execratur & infectatur. Ad Tolosanæ illas partes sæpe invitatus & vocatus vir Dei, ut hæreticos illos reprimeret; tandem agente & comitante Alberico Ostiensi episcopo & legato una cum Gaufrido Carnutensi episcopo ad illas partes profectus est: ubi non tantum sermonibus, sed etiam miraculis hæreticorum errata confutavit, & errantes ab errore revocavit.

d S. Bern. vita
lib. 3. c. 6.

Apud Tolosam oblatus est ei paralyticus in domo regularium clericorum S. Saturnini. quo viso & benedicto, vir sanctus in corde suo, ut ipse postea confessus est, dixit: *Quid expectas, Domine Deus? Generatio hæc signa querit.* alioquin minus apud eos nostris proficimus verbis, nisi abs te fuerint confirmata sequentibus signis. Mox exiliit paralyticus de grabato, stupentibus cunctis qui aderant. Is vocabatur Bernardus, qui virum Dei Claram-vallem secutus, ibidem monachus factus est, ac demum Vallis-aquæ abbas. At longe illustrius miraculum a Bernardo editum est apud Sarlatum: ubi absoluto sermone, cum panes ei benedicendi de more offerrentur; ille, facto signo crucis, eos benedixit, aitque: *In hoc scieris, vera esse quæ a nobis, falsa quæ ab hæreticis suadentur, si infirmi vestri gustatis panibus istis adepti fuerint sanitatem.* quod dictum venerabilis Gaufridus cum moderari voluisset, nimirum si bona fide infirmi illos panes ederint: Immo, inquit, vir Dei nihil hæsitans, non hoc ego dixerim, sed vere qui gustaverint sanabuntur. Et re quidem vera tanta multitudo infirmorum illic sanata est, ut abbas sanctus per vicina loca egrediens, illo ire timuerit, ne multitudine opprimeretur. Sic tandem repressa est hæretici infania, qui fuga sibi consulere voluit: sed ita impedita sunt viæ & femiæ circumseptæ, ut tandem captus & catenatus episcopo traditus sit, ut Gaufridus testatur. quod haud scio an de Alberico episcopo intelligendum est. Attamen Bernardus in epistola ad Tolosanæ ait, vulpes illas deprehensas fuisse, sed non comprehensas.

e ibid.

f Bern. ep. 242.

CXXXIII.
Bernardi sen
tentia de suis
miraculis.
g S. Bern. vita
per Alanum c.
27.

Tot porro & tanta in illo itinere & reditu miracula patravit Bernardus, ut miraretur & ipse vir modestissimus. Aiebat quippe facta olim fuisse miracula per sanctos, facta etiam per fictos & hypocritas. *Ego mihi, inquit, nec perfectionis conscius sum, nec fictionis.* Scio enim sanctorum mihi non suppetere merita, quæ miraculis illustrentur, confido autem nec ad eorum sortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur, & a domino ignorantur. Sed tandem opportunum sibi visus exitum reperisse, Scio, inquit, hujusmodi signa non ad sanctitatem unius, sed ad multorum spectare salutem; & Deum in homine, per quem talia operetur, non tam perfectionem considerare, quam opinionem, ut in eo commendat in hominibus, quæ illi creditur inesse virtutem. Hæc & alia plura vir sanctus ad temperandam hominum de se, suisque miraculis opinionem.

Eisdem omnino errores in partibus Colonienfibus disseminabant alii hæretici, qui ex Tanchelini Antuerpiensis corrupta schola produsse non sine fundamento videntur. De his commonitus ab Evervino Steinfeldensi abbate Bernardus, eorum errata refellere aggressus est duobus in cantica sermonibus, videlicet LXV. & LXVI. quibus in nova Bernardi operum editione Evervini ad Bernardum epistola, quæ summam perversæ illorum hæreticorum doctrinæ continet, præmissa est. In priori sermone Bernardus præposteram eorum religionem in occultandis suis mysteriis, & in turpi muliercularum consortio graviter infectatur: in posteriori eorum errores de nuptiis, baptismo parvulorum, purgatorio, precibus pro defunctis & invocatione sanctorum acriter confutat. *Quæsti fidem, inquit Bernardus, cum de quibus suspecti videbantur, omnia prorsus suo more negarent; examinati judicio aquæ, mendaces inventi sunt.* De hoc aquæ judicio non semel alias diximus. Evervinus ille seu Herwinus Steinfeldensis abbas cum Theodorico Campensi abbate a Gaufrido Clara-vallis monacho assertur testis miraculorum, quæ Bernardus a Spira usque ad Coloniæm patravit. Non longe ab urbe Colonia posita est illa Steinfeldensis abbatia ordinis Præmonstratensis.

ANN. CHR.
1147.
CXXXIV.
Colonienfes
hæreticos re
vincit.

a V. Annal. to.
4. f. 282.

Non diu post Bernardi reditum e partibus Tolosanæ superstes fuit Albericus episcopus Ostiensis & apostolicæ sedis legatus nostris. Sane tempore concilii Remensis anno sequenti in quadragesima celebrati jam obierat, ut diserte testatur Gaufridus Clara-vallis monachus in epistola de Gilberto, ubi agens de excerptis ex libello Gilberti Pictavenfis episcopi, quæ Godescalcus abbas Montis S. Eligii Eugenio papæ in concilio Remensi obtulit, hæc de Alberico subdit. *Tulerat autem de medio Dominus anno ipso grandem columnam ecclesiæ, domnum Albericum Ostiensem cum omni reverentia memorandum: qui legatione functus in Aquitaniam, super vita pariter & doctrina illius Gisleberti tanta didicerat, ut ipse sibi aliter quam oportuerat conscius, ab ejusdem Ostiensis episcopi ferventissimo zelo præ ceteris ejusdem temporis cardinalibus trepidaret.* Eodem anno profectus erat in minorem Britanniam cum Hugone Rotomagensi archiepiscopo contra quosdam hæreticos, ut mox videbimus, haud dubie contra Eonem, qui in concilio Remensi damnatus est. Tandem Virduni cursum vitæ absolvit, ibidemque sepultus est, uti discimus ex Gaufrido monacho in libro IV. de vita S. Bernardi capite IV. cum ait, Bernardum ad ejus tumulum paulo post ipsius obitum sacra fecisse, & collectam de mortuis in eam, quæ pro sancto episcopo est, ut pro S. Malachia fecerat, mutasse. Gaufridi hæc verba sunt. *Cum beatus Malachias. in Clara-valle beatam cælo animam reddidisset, offerens pro ejus transitu venerabilis abbas hostiam salutarem, gloriam ejus Domino revelante cognovit, & eodem inspirante, sacrificio jam expleto, formam mutavit orationis, & collectam intulit, quæ ad sanctorum pontificum celebritates, non ad commendationem defunctorum ponitur. Modum tamen & seriem visionis nec cuiquam aperire, nec in ejusdem episcopi vita scribere acquievit. . . . Nec sane dubium, plura eum smilia occultasse similiter, quæcumque videlicet passus est Dominus occultari. Nam & Virduni aliquando quæ est civitas Lotharingiæ, cum ad tumulum reverendissimi viri Alberici episcopi Ostiensis, noviter ante defuncti, pro commendatione ejus sacrificium laudis offerret; collectam similiter in fine mutavit: de quo tamen quid vidisset, nec interrogatus est, nec confessus; cum sine certa revelatione id fecisse minime videatur.* Nihil hoc testimonio illustrius ad commendandam Alberici nostri sanctitatem. Ex his aliisque refellitur Thomæ Moriniacensis quondam abbatis famosa de Alberico epistola, de qua superius egimus. Qua occasione Albericus Virdunum adierit, ibique mortuus sit, in fine hujus libri videbimus. Eugenium quippe pontificem Treviros profectum comitatus fuerat; indeque revertentem, ut Remos ad indictum concilium se conferret, secutus Virdunum usque, ibidem morbo correptus decessit.

CXXXV.
Albericus epi
scopus Ostien
sis & legatus
obit.
b Bern. oper.
to. 2. p. 1320.

c supra n. 32.

Paulo ante Alberici obitum Hugo Rotomagensis archiepiscopus ei dicavit libros tres contra hæreses sui temporis, quos ejus hortatu composuerat, postquam cum illo in minorem Britanniam ad revincendum novum hæreticum, profectus esset. Qua occasione hoc opus aggressus sit, Hugo ipse aperit in prævia epistola, quæ sic habet.

CXXXVI.
Hugo Roto
magi archiepi
sul libros de
hæresibus ei di
cat.

Sanctæ Romanæ ecclesiæ filio Alberico Hostiensis episcopo, quam sæpe sedis apostolicæ legato, peccator Hugo Rotomagensis utcumque sacerdos. Reverende pater, tuis
Ggg iij

ANN. CHR. 1147.

obedire mandatis pro tempore disfuli, non tamen illud omisi. Sed præsta petenti veniam, cui soles præstare gratiam. Digna sedet mihi memoria reminisci, qualiter in finibus Galliarum prope mare Britannicum, civitate Nannetenſi, meruimus assistere tibi. Ibi sanctorum corpora martyrum Donatiani & Rogatiani fratrum, multo cœtu præſente fidelium, suscepta præſentasti, præſentata relocaſti cum digno honore & gratiarum actione. Ibi tecum aspeximus cometem præcipiti lapsu in occiduo ruentem, ruinam hæresis, quæ in Armorico tunc scatebat, te protestante signantem. Ibi quidem coram orthodoxa prædicatione tua plebs hæretica stare non poterat. Eorum hæresarches pertimuit, nec apparere præsumsit. Proinde placuit tibi, super hæresibus insurgentibus nos aliqua scribere, quod & suscepimus tuæ iussionis auctoritate, sed succincto opere, sed brevi charactero, &c. Id de Eone fatuo hæretico haud dubie intelligendum est, de quo agemus anno sequente, ubi de concilio Remensi. Editi sunt tres illi libri ad calcem Guiberti operum a nostro Acherio, in quibus Hugo contra sui temporis hæreticos afferit omnia ecclesiæ sacramenta, præcipue baptismum contra eos, qui illum infantibus denegabant; & sacrosanctum eucharistiæ sacramentum, de quo hæc habet in libro 1. capite XIV. Ex hac ergo institutione & præcepto, in altari dominico, & ore sacerdotum & manibus ipsum corpus, ipse sanguis Christi conficitur, non incipit, non nascitur: sed quod totum manet in dextera Dei Patris, totum est in manu sacerdotis, totum in ore sumentis, unum in multis, idem in diversis.

CXXXVII. Alia ejusdem Hugonis opera

Plura alia scripsit Hugo archiepiscopus, præter ea quæ ante pontificatum composuit adhuc abbas Radingensis. Jam senio fessus erat, cum libros tres [editos in tomo IX. amplissimæ collectionis] de Memoria scripsit, hortatu carissimi sui Philippi, cui illos dedicavit. In his de Deo uno & trino, de primi hominis lapsu, & de humani generis per Christum reparatione differit: quæ memoriæ alte infigenda esse probat, ob idque libros illos de Memoria inscribit. Idem in Genesim quædam scripsisse memoratur.

CXXXVIII. Grandis-silvæ abbatis Clara-valli subjecit

Non multo post Bernardi reditum ex partibus Tolosanis, ad eum accessit Bertrandus Grandis-silvæ abbas, ut se, monasteriumque suum Clara-valli subjeceret. Hujus monasterii auctor fuit Gerardus de Salis, ut superius a diximus, primusque ejus abbas extitit Bertrandus, non Bernardus, qui illud S. Bernardo tradidit ad normam Cisterciensium informandum, paratus abdicare ejus præfecturam, quam retinere jussus est. Hujus rei mentionem facit vir sanctus in epistola b ad Tolosanos, scripta post suum ab eis reditum, in qua testatur, se in adventu carissimi fratris & coabbatis sui Bertrandi magnopere lætatum fuisse in his, quæ de illorum constantia & sinceritate fidei eorum in Deum, de perseverantia dilectionis & devotionis in seipsum, & de zelo & odio adversus hæreticos didicerat; se proinde gratias agere Deo, quod ipse ad eos adventus non fuerit otiosus; tamen si mora brevis, sed non infructuosa. Veritate nimirum per nos, inquit, manifestata; manifestata autem non solum in sermone, sed etiam in virtute, deprehensi sunt lupi, qui venientes ad vos in vestimentis ovium, devorabant plebem vestram sicut escam panis, sicut oves occisionis: deprehensa vulpes, quæ demoliebantur pretiosissimam vineam Domini, vineam vestram; deprehensa, sed non comprehensa. Tum eos hortatur ad hæreticos illos persequendos, & ad perseverandum in obsequio episcopi & præpositorum suorum, & in operibus bonis, præsertim hospitalitatis & misericordiæ, monetque ut ne deinceps ullum extraneum sive ignotum prædicatorem recipiant, nisi qui missus sit a summo, seu ab eorum permissis pontifice. In fine eis commendat latorem epistolæ venerabilem abbatem Grandis-silvæ, & domum ejus, quæ & nostra est, inquit, nuper nobis & nostro Ordini ab eo tradita, & ecclesiæ Clara-vallis associata. Ostendite nobis in ipso, & in sanctis qui cum eo sunt, quantum profeceritis in nostra admonitione in operibus misericordiæ, & date in eis experimentum vestræ caritatis & devotionis, quam habetis erga nos. Quidquid illis feceritis, mihi factum reputate. Bertrando abbati successit Alexander Coloniensis, cui ad Cisterciensem præfecturam translato successit Pontius, & ipse translatus ad regimen Clara-vallensis monasterii post Godefridum; ac demum assumptus ad sedem Claromontensem. Hæc satis pro nostro instituto de Grandis-silva, quæ hæcenus perstat sub Ordine Cisterciensi, & linea Clara-vallis. Ejus basilica & regularia ædificia magnifica esse referuntur.

CXXXIX. Eugenii quædam acta in Gallia.

Redeo ad Eugenium papam, qui Parisiis perstitit a paschate usque ad Pentecosten, id est usque ad regis Ludovici discessum. Hic versabatur pridie idus Maii,

ANN. CHR. 1147.

qua die Hugoni Humolariensi abbati privilegium indulſit. In eadem urbe adhuc erat VIII. kal. Junii, quo die litteras apostolicæ tuitionis & confirmationis bonorum Mathildi Sueffionensis beata Mariæ parthenonis abbatissæ concessit, quibus Albertus seu Albericus Ostiensis episcopus post eum primus subscripsit; tum Imarus Tusculanus, alique cardinales, omnes numero tredecim. Datum Parisius per manum Hugonis presbyteri cardinalis, agentis vicem domni Guidonis S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii VIII. kal. Junii, indictione X. &c. De prædicta Mathilde abbatissa, ejus nominis secunda, superius actum est. Ex urbe Parisiaca pontifex Autifiodorum ad Hugonem sui Ordinis episcopum se recepit. Ibi versabatur III. kal. Augusti hoc anno, quo die Nicolao Corbeia abbati novum privilegium impertiit, datum Alzifiodori per manum Guidonis S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii III. kal. Augusti indictione X. &c. Tunc obiit Gervasius, S. Germani in eadem urbe abbas, cujus successor Arduinus eodem anno, & quidem XIII. kal. Septembris ab Hugone episcopo sollempni ritu abbas ordinatus est, qui monasterium incendiis deformatum instauravit.

CXL. S. Germani Autifiodorensis abbas.

In eadem urbe Eugenius Gilliberto abbati Stivagienſis ecclesiæ bona confirmavit, in primis locum Stivagii, in quo fundata est abbatia, quæ ex institutione Karoli quondam imperatoris post decessum Richardis sue conjugis, quæ eundem locum in propriam possessionem tenuerat, Andelacensi monasterio, quod eadem imperatrix a fundamentis construxerat, & præſente jam dicto imperatore Romana ecclesiæ delegaverat, firmitate perenni dinoscitur subjacere: ita quod nulli ecclesiastica vel seculari persona, seu alicui prorsus ecclesiæ, nisi tantum Andelacensi, cui subjecta est, aliquod de jure servitium faceret. quam abbatiam Mathildis ejusdem Andelacensis ecclesiæ abbatissa, consilio & consensu totius capituli, & canonicorum suorum, comitisque Hugonis ejusdem ecclesiæ advocati atque ministerialium, petitione quoque canonicorum secularium, qui ejusdem Stivagienſis ecclesiæ post monachos longo tempore habitatores fuerant; Præmonstratensi ordini & fratribus ibidem Deo servientibus in perpetuum benigne concessit, &c. Data Alzifiodori per manum Guidonis S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii VIII. idus Septembris indictione X. hoc anno, Eugenii tertio.

Ibidem tunc scripta videtur Eugenii epistola a ad Sugerium abbatem, qui nuntium & litteras ad pontificem miserat; in quibus nonnulla de Parisiensi ecclesia emendatione digna ei significaverat, & de quibusdam episcopis, qui pro defensione regni Sugerio opem ferre, & adesse recusabant. quos nominatim exprimi petit pontifex. Porro, inquit, quod loca regni tibi commissa pro voluntate nostra ad celebrandum concilium obtulisti, devotionem tuam in Domino collaudamus: sed, quoniam nostrum firmaveramus consilium, propositum nostrum non duximus immutandum. Id intelligendum videtur de synodo, quam paulo post Treviris Eugenius celebravit. Præter ea de duce Lotharingiæ, scilicet Mathæo, quem excommunicaverat pontifex, justitiam Sugerio se facturum pollicetur. Alia in reditum suum remittit. Datum Autifiodori II. nonas Octobris. Prædicto Corbeienſi privilegio subscriptus est Albericus episcopus Ostiensis, adeoque ad id tempus superstes, quem ante concilium b Remense in quadragesima sequenti anno habitum obiisse constat.

a Inter Sugerii ep. 7.

b supra n. 135.

Hinc emendanda inscriptio apud sancta-Marthanos c, ubi Catalaunensis ecclesiæ dedicatio anno MCXLVIII. ab Eugenio sollempniter facta dicitur VII. kal. Novembris cum sex episcopis, Alberico Ostiensis, Vivaro (lege Imaro) Tusculano, &c. Cum enim huic dedicationi interfuerit Albericus episcopus Ostiensis, hæc anno MCXLVII. haud dubie facta est, siquidem Albericus ante concilium Remense mortuus erat. Id diferte confirmat diploma Eugenii III. pro abbacia Hederensi in Appendice relatam, cui Albericus Ostiensis, alique cardinales subscribere. Datum Catalauni octavo kalendas Novembris, indictione undecima. hoc anno, pontificatus Eugenii tertio.

CXLI. Eugenius Catalaunensem ecclesiam dedicat. c Gall. christ. to. 2. p. 506.

Prædicta inscriptio integra edita est a Petro-Francisco Chiffletio ad calcem librorum Odonis de Diogilo, qui sub finem libri IV. de Ludovici regis professione in Orientem meminit eclipsis solis, quæ anno MCXLVII. ex Auctario Gemblacensi, VII. kal. Novembris accidit: & quidem die dominica, ut legitur in Appendice Roberti de Monte ad Sigbertum, editionis Pistorianæ, ubi mendose VIII. kal. Novembris eo anno facta dicitur. nam iste annus littera E præditus erat; ac proinde dies dominica, non in octavum, sed in septimum kalendas Novembris eo anno

ANN. CHR.
1147.

incidebat. In illa porro inscriptione, post factam ecclesie Catalaunensis dedicationem, Eugenius missam celebrasse dicitur, & *quam cito missa fuit inchoata, eclipsis solis manifeste apparuisse.* quod convenit cum Auctario Gemblacensi, in quo eclipsis illa circa horam tertiam diei facta perhibetur. *Post celebrationem missa, ut in predicta inscriptione subditur, apostolicus perrexit cum episcopis & cardinalibus in Jardum * episcopi, ubi habuit sermonem ad populum de festo presentis diei. Actum publice Catalauni septimo kalendas Novembris, anno ab incarnatione Domini MCXLVII. regnante in Galliis gloriosissimo rege Ludovico, Ludovici regis filio: & ipse eodem anno, inspirante Dei clementia, peregre profectus erat cum uxore sua Helionorde venerabili regina, & maximo exercitu, ad liberationem Hierosolymitanae ecclesie.* In eadem inscriptione Eugenium comitati fuisse dicuntur cardinales episcopi, *Albricus cardinalis Hostiensis episcopus Himarus cardinalis Tusculanus episcopus,* & alii sexdecim cardinales; Bartholomaeus vero episcopus Catalaunensis, Theobaldus Parisiensis, Bernardus Altiisiodorensis, & Hugo Nivernensis, ecclesiam intus & foris aquae benedictae adspersione lustrasse; papa majus altare consecrasset: Bartholomaeus vero episcopus Catalaunensis & Hugo Nivernensis in missa praecentores fuisse. In illa inscriptione mendum irrepfit in nomen Autisiodorensis episcopi; qui tunc Hugo erat, non Bernardus: nec ullus tunc occurrit Hugo in episcoporum Nivernensium indicibus, qui forte non omnino accurati sunt. Apud Rapineum in historia ecclesiae Catalaunensis praeter episcopos interfuisse dicuntur hi abbates, Petrus Cluniacensis, Odo S. Remigii apud Remos, item Odo S. Memmii apud Catalaunum, Theobaldus Dervensis, Ludovicus S. Petri in Montibus apud Catalaunum, Robertus sancti Salvatoris de Virtutibus, & Effrem S. Martini, scilicet de Orione*, omnes Ordinis S. Benedicti praeter abbatem S. Memmii, qui est canonicorum regularium S. Augustini. Mirum est illi dedicationi non adfuisse Samsonem archiepiscopum, nec ullos, praeter Bartholomaeum Catalaunensem, ejus suffraganeos.

CXLIII.
S. Remigio datum altare Novionis.
* Novion.

Hic Samson rogatu Haimonis prioris Montis-Dei & fratrum Deo ibidem militantium, *altare Novionis* * in Portensi territorio ecclesiae S. Remigii perpetuo habendum cum suis appendicibus contulit *pro commutatione terra, quam praedicta ecclesia infra terminos eorum prius possidebat.* Testes Jossenus Sueffionensis episcopus, Odo abbas S. Remigii, Aldricus S. Theoderici, & Ursio S. Dionysii. Actum Remis hoc anno, Samsonis archiepiscopatus septimo. Ex his intelligitur, Haimonem tunc adhuc priorem fuisse Cartusiae Montis-Dei, cujus fundatio Odoni abbati S. Remigii accepta referenda est, ut superius a vidimus.

a lib. 76. n. 47.
CXLIII.
Librum de vita S. Bernardi scribit Willelmus.

Willelmus, olim abbas sancti Theoderici, jam tum senex, sub finem vitae librum de vita & gestis S. Bernardi, adhuc viventis, composuit, *In quo cum ego, inquit, jam olim vellem qualecumque ministerium agere vicis mea, seu timore, seu verecundia prohibitus sum usque adhuc, modo quidem supra me judicans esse dignitatem materiae, & dignioribus opificibus reservandam: modo etiam post obitum ejus, quasi supervicturus ei, melius hoc & competentius deliberans actitandum, cum jam homo non gravaretur laudibus suis; & tutius id fieret a conturbatione hominum, & contradictione linguarum. At ille vicens & valens, quanto infirmior corpore, tanto fortior fit & potens, non cessans agere digna memoriae, & magna majoribus semper accumulans, qua ipso tacente scriptorem requirant. Ego vero jam delibor, urgentibus infirmitatibus corporis mortis hujus, & membris omnibus incipientibus habere responsum vicine mortis, sentio instare tempus resolutionis meae; plurimumque timeo, ne sero me paeniteat tamdiu distulisse, quod, priusquam peressuam, velim omnimodis peregisse. ... Quapropter attendens divina laudis mirificam materiam omnibus se offerentem, neminem vero suscipientem, dissimulantibus eis, qui melius hoc ac dignius poterant; suscepi in ea agere ipse quae potero, non vanitate presumentis, sed fiducia diligentis.* Haec ipsis Willelmi verbis referre visum est, qui in consequentibus ait, se exteriora tantum quaedam vitae Bernardi experimenta referenda suscepisse, vivente ipso, sed non sciente; interiora vero ejus cum exterioribus comparanda aliis relinquere. Hic Willelmi liber capitulis quatuordecim constat, quorum ultimum est de quibusdam ejus miraculis & fuga dignitatum. Hunc librum probavit Burchardus abbas Balernenis, eumque conscriptum esse ait a venerabili Willelmo, pridem S. Theoderici abbate, sed tunc jam monacho Signiacensis monasterii, ad quod desiderio solitudinis & quietis sese contulerat; & usque ad tempus schismatis, adversus Innocentium papam a Petro-Leonis constati, digestum. Verum accidit ei contra desiderium

derium suum, quod in praefatione vereri se ait, quod *morte preoccupatus non explevit, quantum animo conceperat seculo mandandum.* ANN. CHR. 1147.

Dum vitam S. Bernardi persequi vellet Willelmus, ipse morte interceptus est. Cum ad extrema devenisset, frater quidam ejus amicus ab eo postulasse traditur, ut ei post suum obitum appareret; idque Willelmus petenti annuisse. Eo mortuo ille promissi effectum non sine precibus anxius expectabat; sed non statim obtinuit. Evolutum anno, cum morbum incurrisset, decumbenti in lecto & vigilanti apparuit Willelmus, duobus comitatus focis: quo ille agnito, & ex amore concepta fiducia, sciscitatur: *Satne ipsi bene? Ad haec ille: Bene, inquit, cito erit.* Tum ille: *Et de me, ait, quid dicis? Tu vigilas, inquit vir sanctus. At instat frater, quaeritque, quando moriturus sit, & an ex hoc morbo liberandus. Ad haec siluit vir beatus; at focium, qui sibi ad dexteram adstabat, intuitus, velut haesitans quid responderet, vel quasi innuens ut responderet, hoc elicuit a socio responsum: Nondum oportet eum scire, quo dicto, Willelmus cum focis evanuit. Ex illo autem morbo aeger convalescit, & post annos non paucos piissime decessit. Haec aliaque plura se accepisse tradit anonymus ille, forte Signiacensis monachus, qui libellum de vita venerabilis Willelmi scripsit, & ex illa visione infert, quantum nobis imperfectis & ad vitia pronis ex divini examinis distractione timendum sit: cum Willelmus ille, qui cum esset provectioris aetatis & virtutis emeritae, majori nihilo minus perfectionis amore ad strictiorem ordinem se contulerat, & in eo piissime se gesserat, non nisi post annum id affectus sit, cujus gratia tantos & tam diuturnos labores pertulerat. Incertus annus, quo Willelmus obiit: at certum videtur, eum ante Bernardum decessisse. Ejus obitus in fastis Cisterciensibus notatur sub titulo beati pridie idus Januarii. Sepultus est in claustro Signiacensi ad limen capituli: quo ex loco, post annos circiter octoginta ejus ossa, simulque Arnulfi & Gerardi quondam abbatum, qui cum illo Signiacum secesserant, ab Aegidio Signiacensi abbate e tumulis levata sunt, & honorifice collocata intra murum oratorii ad portam ecclesiae, qua patet ingressus in claustrum. Scripta ipse sua recenset in praefatione ad Speculum & Aenigma fidei, quae male loco suo avulsa, perperam confuta est cum ea quam Guigo praemisit epistolae ad fratres de Monte-Dei, excepto libro primo de vita S. Bernardi, quem postea scripsit. Omnia in lucem prodire in tomo iv. Bibliothecae Cisterciensis, eaque ipsius doctrinam spirant & pietatem, quae in ejus Meditationibus & in libris de contemplando Deo & de Amore maxime elucet.*

Multi hoc anno abbates nostri Ordinis obierunt. Inter primos fuere Herbertus abbas S. Petri-Vivi, & Theobaldus S. Columbæ abbas apud Senonas, ambo cruce signati: ex quibus Herbertus, propterea quod *communiam* urbis a rege aboleri curaverat, ab opidanis crudelissime interemptus est. Rex vero ad tanti sceleris ultionem accensus, quosdam homicidarum e turri praecipitari jussit, alios apud Parisios capite multari. Herberti successor Gerardus ab Eugenio diploma obtinuit, datum Altiisiodori vii. idus Octobris, quo monachis S. Petri gratulatur, quod Cluniacensium instituta suscepissent, & abbatem Gerardum, eundemque cum monachis suis & monasterio ab obedientia & subjectione Cluniacensis abbatis absolvit. Idem Gerardus Alexandrum III. sapius in monasterio excepit.

Theobaldus S. Columbæ abbas, cruce suscepta, duo inter alia ex supellectili ecclesiae cimelia discessurus abstulit, videlicet crucem auream, gemmis adornatam, quam Rodulfus rex ecclesiae S. Columbæ moriens dono miserat; & crucem alteram, quam a S. Eligio fabricatam ferunt. Theobaldi obitus notatur vii. idus Aprilis: sed ubi decesserit, non legitur. Suffectus in ejus locum Girardus ejusdem loci monachus, societatem cum Sugerio abbate & monachis S. Dionysii, & cum Thevino abbate Mauriniacensi renovavit. De Odone ejus successore inferius agemus.

Apud Bellovacos superstes fuit ad hunc annum Serlo S. Luciani abbas, cum Johannes Augensis comes mense Junio ecclesiae S. Luciani & ecclesiae S. Trinitatis de Augo, quae sita est in Calceia, ac monachis illic degentibus in perpetuam elemosynam donavit *feriam* seu sollempnes nundinas per singulos annos in octavis pentecostes ab hora nona sabbati usque ad vesperam dominicae diei subsequens. Idem expensas, quae ad refectorem canonicorum in festis S. Luciani aliisque ultra modum excreverant, ad certum censum redigi curavit. Mortuus est Serlo hoc anno vii. kal. Octobris, optime de monasterio meritis. Non parum quoque de eo me-

CXLIV.
Willelmi obitus, apparitio & scripta.

CXLV.
S. Petri-Vivi & S. Columbæ abbates.

a Chesn. 10. 4. p. 392.

CXLVI.
S. Luciani & S. Vedasti abbas.

ANN. CHR.
1147.

ruit ejus successor Petrus II. qui procuracionem episcopi in prædictis festis ab Odone episcopo relaxari fategit. quod Henricus Odonis successor, & Samson Remorum archiepiscopus confirmarunt. Ejus tempore Fulco prior ad abbatiam Albæ-marle post Natalem abbatem provectus est. Fulconi in munere prioris successit Guillelmus, post Petrum factus S. Luciani abbas ejus nominis primus sub annum MCLXXII. ad annos circiter octo.

Tunc temporis Gualterus S. Vedasti apud Atrebatas abbas, post multas lites; quas cum Alvise episcopo habuerat, aliud expertus est infortunium, cum monasterium prope totum incendio periit. His fessus incommodis, jam præcipiti & affecta ætate, humeris gravem præfecturæ sarcinam hoc anno abjecit. Postulatus e Lesciensis monasterio Guerricus abbas, vix adduci potuit, ut invalidi fractique senis onus exciperet, gementibus fratribus optimum sibi patrem abstrahi. Verum, agentibus Vedastinis, Eugenii pontificis iussu, impositam sibi provinciam subiit: quo in munere varias controversias, tum a Gotescalco Alvise successore, tam ab aliis sustinuit, quas ea qua præditus erat prudentia & arte feliciter composuit. Hic ab Eugenio papa diploma consecutus est, quo decernitur, ut in locum demortuorum S. Petri canonicorum monachi substituerentur.

EXLVII.
Lætienses item
abbates.

Translato itaque ad S. Vedasti abbatiam Guerrico, Lætienses Tiescelinum, monasterii sui quartum priorem, abbatem elegere, virum quidem modestum & mansuetum, sed rebus gerendis parum idoneum: qui sibi adversantium impetum sustinere non valens, post quintum ordinationis suæ annum dignitatem abdicavit, & honeste in cœtu fratrum reliquum vitæ absolvit. Accitus e Latiniacensi monasterio Helgotus, domo Avefnesis, Tiescelini vices excepit, sed infeliciter gessit. Huic erat locupletissimus frater Johannes-Deodatus, a quo multa sibi beneficia proventura Lætienses speraverant. At spes eorum fefellit Johannes, immo Deus illorum cupiditatem elusit. Cum rem familiarem male administraret novus abbas, imminutis opibus, solitis elemosynis omissis, omnia in deterius ruere, sæculares in prædia monasterii insilire cœperunt, iusto Dei iudicio, ut, qui bonis sibi cælitus concessis abutuntur, & pauperum curam negligunt, ipsi a Deo neglecti & abjecti, rebus etiam necessariis careant. Huic calamitati accessit pestis, qua undecim e præcipuis fratres intra viginti dies absumti sunt. Huc redactus est Lætiensium status per triginta & octo annos, quibus Helgotus abbatiam tenuit: dum tandem monachorum querelis, sed maxime Remensis archiepiscopi auctoritate adactus, abbatia cessit, eo tamen pacto, ut Simon Latiniacensis præpositus in ipsius locum succederet. At Simon eo nihil melior, post tres præfecturæ annos & quinque menses, a Wilhelmo Remorum archiepiscopo amoveretur. Huic subrogatus Hugo de Hefrus monachus Lætiensis, abbas loci ab instauratione octavus, viginti annis sedem tenuit.

EXLVIII.
Wafelini ab-
batis epistola
de continentia
conjugatorum

Apud Leodium S. Laurentii monasterio ad hunc usque annum præfuit Wafelinus abbas, eo nomine primus, *ecclesiastica disciplina studio insignis*, qui hoc anno a Fisenone vita migrasse dicitur. Huic successit Wafelinus alter, ex eodem auctore, qui *nonnulla ingenii sui monumenta reliquisse* traditur. Utri epistola de continentia conjugatis ante communionem tribuenda sit, non facile dixerim. Exstat hæc epistola in tomo primo nostrorum Analectorum, Flonensi abbati haud nominato inscripta, ex qua intelligitur, quæstionem hanc tunc apud Leodienses ventilatam fuisse. sic enim Wafelinus epistolæ scriptor Flonensem abbatem alloquitur. *Quoniam apud vos eadem, quæ & apud nos, quæstio de animæ consilio agitari noscitur. . . . De conjugatis sermo est nobis. . . . De talibus, inquam, a viris religiosis & discretis non otiose in consilio quaritur, si forte nocte celebri, nocte observabili, propria superati fragilitate se non continuerint; an illis ipsa die pro sollempnitatis reverentia & plebis adstantis frequentia, discretionem aliqua credenda sint divina mysteria: videlicet ne publice confundantur, & minus catholici judicentur.* Ad solvendam quæstionem præmittit Wafelinus, in lege veteri ingressum sanctuarii & sacrificii participationem interdictam fuisse, nisi certo dierum numero continentia præcessisset: quanto magis in nova lege artior exigenda ante sacram communionem continentia observatio? Attamen non improbat auctor, in prædictis circumstantiis communionem præberi conjugatis, qui compuncti, & confessione ac poenitentia expiati iudicio prudentis sacerdotis ad sacram mensam accesserint. Nec forte ab hac regula dissentit Gregorius Magnus in responsionibus ad quæstiones Augustini Anglorum apostoli. Ipsum esse

ANN. CHR.
1147.

puto Wafelinum S. Laurentii priorem, cui duas a Reimbardo canonico Leodiensi scriptas epistolas legi in ms. codice Alnensi, ubi habetur ejusdem Reimbaldi liber de vita canonica, inscriptus, *Venerabili patri suo Richero, ecclesiæ Dei, quæ est in Rode, abbati canonico*, quæ ecclesiæ est diocesis Leodiensis.

[Sub Wafelino abbate in monasterio S. Laurentii vigeat regulæ observantia, quæ multos etiam canonicos attraxit, ibidem monachos factos. Memoratur inter ceteros quidam S. Bartholomæi canonicus & decanus, de quo hæc memoranda leguntur in historia hujus monasterii: *Austeram valde & paucis imitabilem vitam duxit, ita ut nudo pavimento substrata vili mattula quiesceret, loco pulvilli posito ad caput lapide, e pilis camelorum contexta continue ad cuiem toga vestiretur: in triduum autem in hebdomadam tendebat jejunium, & aliquando per totam quadragesimam a potu abstinerebat. Omni tempore a vino se relegaverat; neque infirmitate detentus carnibus vesci aliquatenus consentiebat, & victum quem sibi subtraheret, de voluntate abbatis pauperibus ministrabat. Siquidem monastica religio in hoc monasterio tunc maxime floruit.*]

CXLIX.
Canonici facti
monachi vita
austera.
a Ampliff. Coll.
to. 4.

[Hoc ipso quo sistimus anno fundata est abbatia de Linhano Burdigalensi sanctæ Crucis monasterio subjecta. Nam Ludovicus rex Francorum perpendens regalis esse officii divinum amplificare cultum & loca religiosa fundare, assensu Alienordis reginæ Aquitanorum ducissæ, *pauperum fratrum religiosorum qui in terra de Lainan novellum locum Domino plantaverunt, devotam petitionem benignius attendens*, locum illum dedicari concessit, & sub sua protectione & illibatam manere præcepit. Ad construenda autem ædificia *vel ecclesiæ vel officinarum, vel ad excolendam in usus ipsorum*, de terra contigua quæ sua erat, & ex nemoribus suis quidquid necessarium erat eis & successoribus suis benigne tradidit, ac suo diplomate auctoritate regia confirmavit: *Ita ut postquam locus ille, auxiliante Domino, in tantum excreverit quod in abbatiam poterit promoveri, fratres loci pro sacræ religionis obtentu, seu canonicæ seu monasticæ regulæ se subjiciant, & ejus ordinis quem elegerint abbatem sibi præponant. Actum Parisus anno incarnationis Domini MCXLVII. regni vero nostri XI. astantibus in palatio nostro, quorum nomina subtitulata sunt & signa. S. Radulfi Viromanducorum comitis dapiferi nostri, S. Guillelmi buticularii, S. Matthæi camerarii, S. Matthæi constabularii. Data per manum Cadurci cancellarii.*]

CL.
Fundatio ab-
batie de Lin-
hano.

[Inter cellas Majoris monasterii præcipuas, non inferiore loco tenet cella Fontis Gehardi in diocesi Cenomanensi. Cujus ecclesiæ primum pro quibusdam eremitis, per duodecim circiter eremos ejusdem diocesis dispersis ædificata fuerat. Hi S. Augustini regulam profitebantur, sed revera nullam observabant, nec monasticam nec canonicam, solo nomine eremitarum. Labore manuum suarum aut de pecudibus suis vivere sibi proposuerant. verum animale vitam potius quam spiritualement ducebant, pecudum more hac illacque continuo errantes, semper vagi & nunquam stabiles absque ullo superiore. Hæc illis sapius exprobraverat Bartholomæus Vindocinensis, qui unam ex his eremis Calviniacum dictam fundaverat, nec hortari cessabat ut se suaque Majori monasterio donarent. Tam incompositos mores suos tandem horruerunt, ac divinitus inspirati, statuerunt, ut, annuente episcopo Cenomanensi pastore suo, se suasque eremos ad Majus monasterium transferrent, monastice deinceps victuros. Hanc ut gratiam præmererentur, ad preces suas adhibuerunt & Garnerii abbatis Majoris monasterii, & plurium S. Romanæ ecclesiæ cardinalium deprecationem; quibus flexus Willelmus qui ex archidiacono Remensi recens ad sedem Cenomanensem sublevatus fuerat, tam sancto operi assensum tribuit, & pacta inter eremitas & fratres Majoris monasterii confirmavit. *Hoc Turonis factum est in præsentia domni Engelbaudi archiepiscopi, & Alani Redonensis episcopi MCXLVII. anno ab incarnatione Domini, III. nonas Decembris.* Quatuor post menses Eugenius papa III. celebrato Remis concilio, omnia etiam rata habuit XVI. kalendas martii, & postea Alexander III. Turonis VI. idus Octobris.]

CLI.
Fundatio cellæ
Fontis Gehardi.
Anecd. tom. 1. p.
401.

Celebris olim erat in Tullensi diocesi cultus S. Donati monachi, qui tempestate Wandalarum telis confossus, gloriosum affectus martyrium, *circa Mortensem fluvium, juxta pervium publicum* humatus est, ubi non pauca quondam miracula patrata fuere. His permota religiosa quædam matrona, super ejus sepulcrum *basilicam parvam* propriis sumptibus erexit: quam vir illustri Theodoricus de Donna-Basula, jam præ vetustate prolabi cœptam instauravit, & a Pibone Tullensi episcopo.

CLII.
S. Donati mo-
nachi & marty-
ris ecclesiæ S.
Manufactodata.
* In Memois.

ANN. CHR.
1147.

po dedicari curavit. Sub idem tempus nobiles viri de Domna-Basula venerabili & probatæ vitæ Theotmaro S. Mansueti abbati prædictam ædiculam commiserunt, ut eam ad fratrum suorum usum tam ex iis, quæ sanctus Mansuetus illic possidebat, quam ex donis fidelium augetet, aptaretque. Inter eos, qui illi basilicæ beneficia contulere, memoratur matrona venerabilis, Ida nomine, quæ mortuo Drogone viro suo, assentientibus filiis suis Haimone & Rodulfo, tria jugera terræ & alia eidem ecclesiæ dedit, sic tamen, ut Ida ejus filia, quæ Romarici-montis sanctimonialis erat, aliquid ad vitam retineret. Post hæc accidit, ut clericus quidam, Hugo nomine, ex Jerosolymitano regressus itinere, Rainaldo S. Mansueti abbati exposuerit, se velle sub monastica professione Deo militare, sed prius in solitaria vita se exercere animo constituisse. Mox ei a Rainaldo assignatur S. Donati ædicula, quam ille brevi ex donis fidelium plurimum auxit. Hæc omnia litteris suis fusc commemorat Henricus Tullensis episcopus, cujus authenticum in archivo S. Mansueti vidimus, datum Tulli anno ab incarnatione Domini MCXLVII. indictione x. cui post Henricum adscripta sunt signa Rainaldi abbatis S. Mansueti, Hugonis abbatis S. Apri, & Seibaldi abbatis S. Leonis ex ordine canonicorum regularium.

CLIII.
Mediani-monasterii abbates & chronographus.

Eodem anno in Medianensi monasterio vita functus est Milo abbas vi. idus Julii, anno regiminis sui trecesimo-primo, testante Johanne Bayone, qui Hermannum ei successisse dicit, nec quidquam de eo præter nomen nobis tradit. Nihil deinceps apud eum de Mediano-monasterio, cujus historiam scribere aggressus est rogatu cognati sui Bencelini ejusdem loci abbatis, ut ipse testatur in prologo suo his verbis. *Ego frater Johannes de Bayon, ordinis fratrum Prædicatorum, cum Joseph in exilium relegatus anno Verbi incarnati millesimo trecentesimo vigesimo-sexto, inter pascha & pentecosten, dum penes dominum meum ac cognatum, sedere mihi unicum, reverendum in Christo patrem ac dominum domnum Bencelinum, Mediani-cænobii patrem gratiosum & rectorem, hospitalitatis gratia commorarer, ejus precibus commotus, quæcumque habere ad præsens potui, ... uno volumine texui, &c.* Itaque Johannes de Bayone, sic dictus a quodam vico diocesis Tullensis, hæc scribebat anno sexagesimo post mortem Richerii monachi, qui Senoniense chronicon composuit, quod Johannes passim exscribit.

CLIV.
Wargavillæ monasterium reformatur.
* Wargaville.
* In d'aille.
* Dieuze.

In diocesi Mettensi longe ante id tempus, id est anno DCCCCLXVI. conditum fuerat puellare Wargavillæ * monasterium, situm in archipresbyteratu cognomine ad rivulum, qui in Saliam * ad Duodecimum * (rectius quam Decem-pagos) influit. Hujus monasterii auctor fuit Sigericus comes cum conjuge Berta, uti nos docent litteræ Stephani Mettensis episcopi, qui locum illum, tam in spiritualibus, quam in temporalibus rebus valde imminutum, ad pristinum statum revocare studuit, adjuvante Friderico S. Georgii in Hercinia silva, ut puto, abbate. Stephani litteræ sic habent. *Stephanus, Dei gratia Mettensis episcopus, omnibus tam præsentibus quam futuris ecclesiæ Dei cultoribus, & venerabili S. Georgii Friderico abbati in perpetuum. Pii pastoris & benigni officium est, omnibus dominicis vigilanter curam exhibere, eisque consilium & auxilium Deo opitulante corditer impendere, præsertim illorum, qui religionem sancte ac devote videntur amplecti, & sub ea congaudent Domino servire atque militare. Eapropter destructioni & diminutioni, tam in spiritualibus quam in temporalibus, Wargavillensis ecclesiæ condolentes, communicato ecclesiæ nostræ & religiosorum virorum, ac præcipue venerabilis abbatis S. Georgii atque ejusdem loci fratrum consilio, eandem ecclesiam Domino adjuvante cum sanctimonialibus manere, & in perpetuum consistere, salvo per omnia nostro, quod ad dignitatem nostram specialiter spectat, jure decernimus atque præcipimus; electionem quoque & substitutionem [abbatis] liberam & canonicam præfatæ ecclesiæ sanctimonialibus devote fieri concedimus. Omnia insuper beneficia & possessiones, quas hodie possidet, vel in futurum Deo largiente possit adipisci, auctoritate nostra confirmamus, & impressione sigilli nostri in posterum corroboramus, videlicet in comitatu Saraburg, ubi venerabilis Odacher cognoscitur præfuisse * , quicquid Sigericus comes, fundator prænominatæ ecclesiæ, cum conjuge sua, Berta nomine, dedit in villa Wirstorf octo mansos, &c. ut in Appendice videre licet. Actum Mettis anno ab incarnatione Domini MCXLVII. Post quatuor annos Mathæus dux Lotharingæ a decem jugera terræ, quæ pro advocatiæ jure a parthenone S. Petri Mettensi habebat, assentiente Judith S. Petri abbatissa, monasterio Wargavillæ contulit, ea lege, ut censum duodecim denariorum abbatia S. Petri quotannis persol-*

* f. præfisse.

a. Meurisse p. 415

ANN. CHR.
1147.

veret. Hactenus perstat Wargavillæ parthenium sub regula & ordine S. Benedicti, cujus abbatissarum nuda nomina existant in Gallia-christianæ tomo IV. ubi S. Eustasius abbas ejus loci patronus esse dicitur, cujus in expellendis dæmonibus & amentibus sanandis celebratur virtus.

Per id tempus in Biburgensi Bajoariæ monasterio florebat Eberhardus, a primus ejus abbas, qui parvus in oculis suis, cælestem in corpore vitam agebat. Hinc novella congregatio ejus auspiciis plurimum aucta est, nobilibus ac mediocribus viris illuc confluentibus, quos piissima in primis abbatis conversatio attrahebat. Mira ejus in pauperes caritas, & in egena monasteria, quibus annonam in summa rerum penuria suppeditari sollicitus erat. Præerat tunc^b in vicino monasterio Eppo abbas, probitate insignis, viro Dei maxime familiaris, qui eum fore episcopum, & Alexandro III. contra schismaticos præsidio adfuturum prædixit. Itaque cum Biburgense monasterium annis quatuordecim rexisset Eberhardus, venerabili Conrado Saltzburgensium pontifice e vivis sublato, unanimi consensu illius ecclesiæ pastor electus est. Id ubi rescivit homo Dei, territus fugam meditatur: sed ea frustra tentata, inivitus demum archiepiscopus consecratur. quo in munere pristinas virtutes, caritatem, misericordiam, humilitatem cum dignitate auxit.

Eo sic ad episcopatum assumpto, Biburgensi abbatia lussus est Conradus ejus discipulus, qui fratrum quorundam infestatione ita vexatus fuit, ut e monasterio discedere coactus sit, & Jerosolymam adire constituerit. Litteras ei commendatitias dedit Bambergensis & Ratisponensis episcopi, ut & clerus Ratisponensis ecclesiæ. At cum Romam adisset, ea de re admonitus Hadrianus IV. eum Eberthardo archiepiscopo, & episcopo Ratisponensi litteris^c commendavit, mandavitque, ut eum in abbatia sedem restituerent, fratribusque injungerent, ut eum honeste reciperent, ac benigne tractarent. Addit insuper, ut monachos duos, duosque conversos, qui eidem abbati infestissimi erant, e monasterio amoveant, eosque in quadam ejus obedientia seu prædio remanere præcipiant, quousque correcti & emendati ad suum monasterium revocentur. Sic restitutus in abbatiam Conradus, eam pacifice rexit usque ad annum ejus sæculi quinquagesimum-nonum, quo Henricus ei successit, tertius ejus loci abbas in annos decem. Sub his abbatibus, eorumque post Alberonem successore Ifenrico, multi codices manu exarati fuere, ab Hundio recensiti: quos inter Ulricus archidiaconus Aquileiensis, ex illis partibus oriundus, monasterio Biburgensi dono dedisse dicitur opera Augustini, tum commentaria in prophetas & in epistolas Pauli, in membranis scripta, quæ nobilis quidam miles manu propria exaraverat, appposito hoc disticho:

*Me miles scripsit, cauteque locare rogavit,
Ne cum plebea scriptura ponar in arca.*

De aliis Biburgensi monasterii abbatibus & eventis lege sis Hundium in tomo secundo^d Metropolis Salisburgensis, ubi sicut & Aventinus, non bene calculum subducit de annis Conradi & Henrici abbatum, immo nec etiam subsequenter. Sic Alexandri III. papæ & Friderici imperatoris diplomata duo in gratiam monasterii profert Henrico abbati inscripta, quæ data sunt anno MCLXXVII. & quidem aliæ notæ concordant; tamen Henricus apud Hundium obiit anno MCLXXVIII. & ejus successor Albero MCLXXV. iisque successit Ifenricus ad annum MCLXXIX. quæ vitiosa sunt, nisi ipsum Ifenrici nomen pro Henrico intrusum sit.

Post Catalaunensis ecclesiæ dedicationem, quam vi. kal. Novembris^e factam mox diximus, quid rei egerit Eugenius papa usque ad concilium Remense operæ pretium fuerit investigare. Baronius, Manricus, aliique passim cum Trithemio scribunt, pontificem, absoluto Remensi concilio, Treviros Alberonis archiepiscopi invitatu profectum, ibidem synodum celebrasse. Contra vero Mauriniacensis chronographus, illius temporis gravis auctor, asserit, Eugenium Remis celebrato concilio Parisius venisse. quod quidem certissimum videtur. Quoniam ergo tempore Treviros adierit, modo inquirendum. Haud dubie sub finem hujus anni. Facta quippe Catalaunensis ecclesiæ dedicatione; a domino præfule Virdunensi, Alberone nomine, multa prece evocatus, ut scribit continuator^f historiae episcoporum Virdunensium, nonis Novembris, irripudante tota hac civitate urbem ingreditur. Illic, audita sancti Vitoni opinione, cujus sacræ depositionis sollempnitas vi. idus ejusdem mensis

CLV.
Eberhardus abbas fit archiepiscopus Saltzburgensis.
a. V. lib. 76. n. 10.

b. Cansif. to. 2. p. 297.

CLVI.
Conradus post eum abbas Biburgensis, alii- que.

c. Hund. to. 2. p. 112.

d. ibid. p. 213. & 214.

CLVII.
Eugenius reliqua facta usque ad concilium Remense.
c. supra n. 141.

f. Spicil. to. 12. p. 334.

ANN. CHR. 1147.
S. Vitoni corpus transfert.

celebranda erat, ad ejus cœnobium cum suis cardinalibus & Alberone episcopo accessit; & novo loculo, quem Segardus abbas magnifice perfici curaverat, benedicto, venerandum S. Vitoni corpus in novum loculum cum eodem episcopo transfuit. Mox divina mysteria celebrare adorsus, post lectionem evangelii, ambone consensu de ejusdem Sancti laudibus sermonem habuit, ipsūque diem deinceps sollempni ritu celebrari sanxit. Hæc ex anonymo illius temporis monacho Vitoniano, qui Laurentii de Leodio historiam continuavit.

CLVIII.
Acta apud Treviros.
a Brover. 10.
2. lib. 14. n. 63.
67. i

Virduno Treviros pontifex ab archiepiscopo Alberone invitatus adiit. Tunc in domo S. Petri magister scholarum erat Baldricus, e castello Florinensi diocesis Leodiensis ortus, qui res ab Alberone gestas a litteris mandavit. Is sollempnem pompam, qua Eugenius in urbem acceptus est, describens, nomina cardinalium, qui eum tunc comitati sunt, recenset, in quibus primo loco laudantur *Albericus Ostiensis & Imarus Tusculanus*: ex quibus Albericus ante concilium Remense, ut jam sapius dixi obierat. Ex episcopis nominantur Henricus Moguntinus, Arnoldus Coloniensis, Balduinus Cæsaræ Palestinæ & Henricus Eboracensis, archiepiscopi; Adelbero Virdunensis, Hartwicus Gebennensis, & Amedeus Laufanensis, episcopi. Jam Christi natalia illuxerant, cum Eugenius magno cardinalium & episcoporum comitatu stipatus, ad extramuranam S. Paulini basilicam processit, indeque a clero in urbem deductus est: ubi in æde maxima beati Petri rem divinam pontificio more perpetravit. Dein pridie kalendas Februarias (forte Januarias) S. Paulini basilicam, quæ ante annos quinquaginta incendio deformata fuerat, in pristinum statum restitutam dedicavit, subserviente Balduino Cæsaræ Palestinæ archiepiscopo, qui cryptam S. Paulini tumulo nobilem, arasque adjunctas consecravit. Post hæc idibus Januarii ecclesiam S. Eucharii, Eberardi & Bertulfi abbatum summa cura, multisque impensis sancto Mathiæ apostolo recens erectam absolutamque eodem ritu sacravit, Bertulfi abbatis anno duodecimo, operam conferente Alberone archiepiscopo, qui primariam altare una cum pontifice sanctis Johanni-Evangeliistæ, Euchario, aliisque nuncupavit, cum alii episcopi alias aras consecrarent.

b lib. 78. n. 335.

[His quæ de Eugenii Treviros adventu refert Broverus singularia quædam addit anonymus in gestis archiepiscoporum Trevirensium, auctor coævus & domesticus, quem propriis ejus verbis hic exscribere operæ pretium duximus. *Domnica qua cantatur AD TE LEVAVI*, id est prima adventus, *domnus papa Treverim venit, sicut invitatus a domno Alberone archiepiscopo fuerat, & sabbato ante prædictam dominicam in ecclesia S. Eucharii honorifice hospitatus est. In ipsa autem dominica cum maxima veneratione a clero & populo, cum inconsuetæ processonis ornatu vel armata, atque recordabili solemnitate in templum est introductus, conducentibus eum a dextris domno Alberone, a sinistris vero Arnolde Coloniensi episcopo, præcedentibus vero multis episcopis, Germaniæ, Belgicæ, Franciæ, Angliæ, Burgundiæ, Lombardiæ, Tusciæ, & ex omni natione quæ sub cælo est. Sed nec cardinales enumerare pigebit, qui cum papa domno Eugenio Trevirim venerunt. Episcopi cardinales, Albericus Ostiensis, Imarus Tusculanus, Humboldus presbyter de titulo Johannis & Pauli, Wido de Summa presbyter de titulo S. Laurentii & Damasci, Gislebertus presbyter de titulo S. Marci, Hugo presbyter de titulo S. Laurentii in Lucina, Julius presbyter de titulo S. Marcelli, Wido presbyter de titulo Potentianæ, Odo Bonecase, Heribertus presbyter de titulo S. Anastasiæ, Wido diaconus & cancellarius de titulo sanctorum Cosmæ & Damiani, Octavianus diaconus de titulo S. Nicolai in carcere, Guido Pisanus, Wido Cremensis, Gregorius de titulo S. Angeli, Johannes de titulo S. Mariæ novæ, Jacintus de titulo S. Mariæ in Comedini, Otto de titulo S. Georgii ad aureum velum. His omnibus domnus archiepiscopus per duodecim hebdomadas continue largitus est necessaria in tanta abundantia, quod ipsi quoque fatebantur copiam pleno cornu venisse ad ipsos. Quid referam de supervenientibus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, archidiaconis, præpositis, ducibus, comitibus ad dominum papam Treverim venientibus, quorum ne unum quidem largitatis suæ reliquit immunem.]*

c Ampliss. col. 1. et. to. 4. p. 203.

[Natalis domini sollempnitatem tunc Treviris celebratam, quis ita distis explicare queat, ut tu qui non videris intelligere vel imaginari possis? Quam putas pompam processions in die sancto fuisse, cum domnus papa cum nacco equitans, præcedentibus cardinalibus & episcoporum multitudine in equis albo cooperitis ad ecclesiam S. Paulini processit, indeque revertens missarum sollempnia cum tanti populi frequentia peregit, quod

in tota ecclesia S. Petri nec spatium pedis vacuum reperire posset. Quid si dicerem qualiter in die sancto, sollempni peractio officio, ex una parte domnus papa cum suis cardinalibus, & ex opposita domnus archiepiscopus cum illis qui convenerant episcopis, infulati, in mensis ex adverso oppositis residebant. Qua arte aliquis tot & tantas computare queat expensas? Dicerem quidem, quod ante domni papæ adventum, domum quæ papæ dicitur, tria habentem interstitia secundum altitudinem, infra sex hebdomadas construxit, & domum quæ Jerusalem dicitur fere destructam reparavit.]

[Deinde de ecclesiarum S. Mathiæ & S. Paulini dedicatione sic ait: *In diebus illis domnus apostolicus Eugenius, petente venerando abbate Bertolpho, consecravit ecclesiam S. Eucharii sanctique Mathiæ apostoli, in octava Epiphaniæ hoc est idus Januarii, in honore S. Johannis Evangelistæ. Huic autem consecrationi interfuerunt Albero archiepiscopus Trevirorum, Henricus archiepiscopus Eboracensis, episcopi isti Albericus Hostiensis, Imarus Tusculanus, Hartwicus Gebennensis, Hemedeus Lofitanus, cardinales, quosque supraddiximus abbates, & principes quamplures hujus terræ, sed & populus infinitus, atque cum ingenti gaudio, non solum urbis, sed ut ita dicam, totius provinciæ, hæc dedicatio peracta est. Deinde post duas hebdomadas consecravit ecclesiam S. Paulini domnus apostolicus secundo kalendas Februarii.]*

Per eosdem quoque dies Eugenius Treviris synodum episcoporum habuit, in qua, Henrici Moguntini archiepiscopi in primis hortatu, Hildegardis in monte Bingenio prope Moguntiam abbatissæ scripta & revelationes, de quibus alii & alii varie sentiebant, examinari voluit. Missus ad eam Albero præful Virdunensis & cum eo Adelbertus primicerius, aliique nonnulli viri eruditione & pietate insignes, post accuratum ejusdem virginis ejusque scriptorum ac revelationum examen, nihil in eis a recta fide alienum, immo multa in eis pietati consona & accommoda se deprehendisse testati sunt, eaque scripta pontifici legenda & discutienda obtulerunt. His lectis & expensis, Eugenius ea probavit, missisque ad Hildegardem litteris eam hortatus est, ut revelationes ipsi divinitus factas litteris mandare pergeret. Exstat in fronte Hildegardis epistolarum ea, quæ illi ab Eugenio scripta est, in qua mirari se ait pontifex, quod Deus suis temporibus nova miracula ostendat, cum eam ita spiritu suo perfudit, ut multa secreta videat & proferat: tum divinæ gratiæ eique congratulatur, hoc admonens, quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. In fine ratum gratumque habet locum illum, in quo habitare elegerat, ita quod ibi, inquit, regulariter cum sororibus tuis vivas secundum regulam S. Benedicti sub clausura ejusdem loci. Ad hæc epistolam prolixè respondit Hildegardis, eaque prima est ejus epistolarum, quam his verbis concludit: *Ego autem, o pater, in loco cælitus mihi ostenso, juxta verba benedictionis tuæ, secundum regulam S. Benedicti sub clausura ejusdem loci cum sororibus meis maneo, & hoc me tam vivente quam defunctæ observari desidero. Meminit in quadam epistola hujus pontificiæ approbationis Hildegardis in hæc verba. Scripta mea Eugenio papæ, cum Treberi esset, allata sunt: qui ea gratanter coram pluribus legi fecit, ac per seipsum legit; multumque de gratia Dei confidens, benedictionemque cum litteris mihi mittens, præcepit, ut ea, quæ in visione viderem, vel audirem, scriptis attentius commendarem.*

ANN. CHR. 1147.

CLIX.
Hildegardis scripta & revelationes ab Eugenio probata.

Non solus Eugenius, sed etiam alii pontifices ejus successores, Anastasius IV. Hadrianus itidem IV. & Alexander III. eidem Hildegardi de donis & collatis gratulati sunt. Quin etiam primæ quique dignitatis viri, imperatores, reges, principes, episcopi, abbates, aliique mediis ordinis homines eidem honorifice scripserunt, ut velem congratularent, vel ejus se precibus commendarent. Hæc vero Bernardum Claræ-vallensem abbatem litteris suis prævenit, eique animæ suæ statum exposuit, & ab eo precibus se juvari poposcit. In hac epistola ait, se divinitus accepisse interiorē intelligentiam expositionis psalterii, evangelii & aliorum voluminum, tametsi litteras nesciat præter Teutonicam linguam. Tum ait, se ante duos annos Bernardum in visione conspexisse, sicut hominem in solem adspicere, & esse quasi aquilam adspicientem in solem. Ad quæ Bernardus non palpando, nec laudes laudibus referendo, modeste respondet in hunc modum. *Quod de nostra exiguitate longe aliter, quam nostra sese conscientia habeat, quidam sentire videntur, non nostris meritis, sed stultitiæ hominum imputandum est. Ad dulcedinem autem piæ caritatis tuæ scribere properavi, quamvis id brevius omnino quam vellem, negotiorum multitudo compellat. Congratulamur gratiæ Dei, quæ in te est; & ut eam tamquam gratiam habeas, & toto ei humilitatis & devotionis affe-*

CL X.
Variæ ad eam epistolæ, in his S. Bernardi.

a Bern. ep. 366.

ANN. CHR.
1147.

Et studens respondere, admonemus: sciens quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Alia eidem monita suggerit, seque ejusque precibus commendat.

CLXI.
Horreentium
monialium re-
clusio.

[Ad hoc etiam Trevirense concilium referri potest Eugenii decretum de reclusionatione sanctimonialium Horreentium antiquissimi in urbe Trevirensi nobilium virginum monasterii a sancta Irmina ante annos mille fundati. Cujus quidem decreti meminit Adrianus papa IV. ad eandem sanctimonialia scribens in hæc verba: *Dilecta in domino filia, vestris precibus annuentes, statuimus & presentis scripti decreto sancimus, ut nulla persona magna vel parva, secularis & ecclesiastica, vobis inhibeat, ne sub eadem B. Benedicti regula domino serviat, sub qua tempore prædecessoris nostri sanctæ memoriæ papæ Eugenii ex ipsius præcepto tamquam reclusæ promissis Domino deservire.*]

CLXII.
Litteræ Henrici
Junioris regis
ad concilium
Trevirense.

[Recitatae sunt etiam in eadem synodo Henrici Junioris regis Romanorum litteræ, quibus tria potissimum a pontifice postulat, ut *Henricum venerabilem Moguntinensem archiepiscopum, necnon archiepiscopos, episcopos, abbates, &c.* de regno patris sui ad eum transeuntes *clementi bonitate suscipiat. Ut ducissam Poloniae amitam suam ab excommunicationis, quam in ipsam promulgarat, vinculo solvat. Demum ut Wibaldum abbatem Corbeiensis in omni necessitate sua clementer protegat, & præcipue in duabus abbatibus obtinendis, videlicet Kaminata & Wisbik, quæ quia fere collapsæ erant, tam in religione, quam in possessionibus, mansuetissimus pater noster, inquit, eas Corbeiensis monasterio & præfato abbati jure proprio contulit, quatenus per ejus industriam divinus ibidem ordo reformetur, & possessionibus recollectis, quæ dispersæ sunt, atque conservatis, loca penitus ut cæperunt, non destruantur. Quippe Judita Kaminatensis abbatissa judicio Thomæ sedis apostolicæ legati deposita, impatienter latam in se canonicè sententiam ferebat, nec abbatia Gizekentis, quam illa etiam possidebat, contenta, nihil non moliebatur, ut in Kaminatensi restitueretur, causamque suam Trevis ad pontificem deferebat, ubi protectores malæque causæ defensores reperire sperabat. at spe sua frustrata est. Eugenius causam ducissæ Poloniae & abbatissæ Juditæ ad concilium Remense remisit, confirmataque depositionis sententia in Henricum quondam abbatem Corbeiensis lata, Corbeiensis monachos hortatus est, ut *tamquam boni & humiles filii diligenter & honorarent Wibaldum, atque ut pastori suo condignam reverentiam & obedientiam impenderent, ad recuperandas & retinendas possessiones, & bona Corbeiensis ecclesiæ viriliter assisterent.*]*

CLXIII.
De quibusdam
Fuldensibus
abbatibus.

[Denique si Christophoro Browero credimus, in hac eadem synodo monasterii Fuldensis congregatio nomen abbatis sui Henrici detulit, & apud Eugenium eum accusavit, ceu minus recte & salubriter ecclesiam illam administraret: accusationeque recepta, & causa ab Eugenio cognita, placuit Henricum munere defungi, successore tandem obveniente Marquardo. Verum si quam ad concilium Trevirense querelam deposuit congregatio Fuldensis, ea certe non Henricum abbatem tangit, quem nondum Fuldensi abbatia præfuisse, cum celebraretur, sed neque statim post Remense demonstrari facile potest ex Wibaldi abbatis epistolis non paucis: sed forte Ruggerum, cujus tamen modestiam & integritatem Browerus ipse commendat, vel Aleolphum, quem ob immitte & asperius in suos imperium damnat: quamquam aliud de ipso testimonium perhibet Wibaldus ad Guidonem cardinalem scribens in hæc verba: *Quod de ipso nobis compertum est, vir maturus & gravis est, & in recollendis possessionibus & ædificatione sui monasterii constans, & utilis. De adversariis suis certum est, quod contra propositum veniunt, qui relicta professionis suæ observantia contra regulam sacram, quam manu scripto & viva voce se observaturos sponderunt, litibus vacant propter ambitionem, & propria possident, ex quibus expensas itinerum partiuntur.*]

CLXIV.
Eugenius Tre-
viris egressus
redit Remos.
a Brower. ubi
supra.

Redeo ad Eugenium, qui Trevis digressus, ut ad civitatem Remorum, ubi imminente quadragesima celebrandum erat concilium, se conferret, Viridunum revertit, ubi, cum nimia imbrum intemperies^a spem messium penitus obrueret, delato S. Vitoni loculo ad villam Charniacum, quæ duobus ab urbe milliaribus distat, rediit optata serenitas, & cum ea duplicata messis. Nullus dubito, quia illa in urbe tunc morbo ac morte correptus sit Albericus, qui Trevis Eugenium comitatus fuerat. Hunc enim ante Remense concilium obiisse, ac Viriduni sepultum esse ex dictis^b constat: ad cujus tumulum paullo post S. Bernardus rem sacram fecit.


ANNALES



ANNALIS ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER SEPTUAGESIMUS - NONUS.

Ab anno Christi 1148. ad annum 1152.



AM sensim ingressi sumus annum ejus sæculi quadragesimum-octavum, qui concilii Remensis celebratione insignis fuit. Habitum est media quadragesima, & quidem xi. kal. Aprilis, præsidente Eugenio papa, cui episcopi & abbates mille & centum interfuisse perhibentur. In eo Gilberti Porretani episcopi Pictavenensis sententia de Trinitate & divinitate examinata: Eon hæreticus damnatus, & Henricus in carcerem retrusus. Præmiserat ad Eugenium Gilbertus expositionem suam in Boëtium, ex qua Gotescalcus, tunc in Monte-sancti-Eligii prope Atrebatas abbas, postmodum ejusdem urbis episcopus, suspecta capitula excerpere jussus est. Plura in Gilberti vitam & doctrinam protulisset Albericus^a Ostiensis episcopus, qui eum propius noverat, nisi ante concilium mors eum e medio sustulisset. Prima sessione Gilbertus consistorium ingressus^b, magnorum voluminum corpora per clericos suos afferri curavit, caufatus, decurtata dumtaxat ab adversariis in se patrum testimonia afferri. Ad hæc Bernardus: Quid opus est, inquit, tot verbis & libris? Una est scandali ex te disseminati origo, quod plurimi asserunt te credere & docere, scilicet quod divina essentia vel natura, divinitas ejus, sapientia, bonitas, magnitudo non sit Deus, sed forma, qua Deus est. Hoc palam fatere, vel nega. Tum ille ausus est dicere, formam hanc Deum non esse. Ecce, ait Bernardus, tenemus quod quærebamus. Scribatur ista confessio. Alata charta cum calamo & incausto, confessionem scripsit Henricus Pifanus, ex abbate S. Anastasii creatus presbyter cardinalis sanctorum Nerei & Achillei. Dum id scriberetur: Tu vero, inquit Gilbertus ad Bernardum, scribe quod divinitas est Deus. Mox Bernardus: Scribatur, inquit, stilo ferreo in ungue adamantino. Multis ultro citroque prolatis, intulere cardinales, se mox rem definituros. Commoti hoc dicto episcopi, quod cardinales sibi causæ definitionem tribuerent; Bernardum interpellant, ut Gilberti quatuor capitulis^c alia contraria cum symbolo fidei conderet: ne re infecta (quod complures cardinales Gilberti fautores volebant) concilium solveretur. Fecit Bernardus quod rogatus erat; moxque episcopi confessionem ab ipsis subscriptam per Hugonem Autisiodorensis & Milonem Morinorum episcopos, ac Sugerium abbatem pontifici confirmandam obtulerunt. quod ab eis facile impetratum. Cum hæc confessio sequenti confesso recitata fuisset, hoc Gallicanorum episcoporum factum in suam injuriam rapere cardinales, & apud pontificem contra

ANN. CHR.
1148.
I.
Concilium Re-
mense, in quo
Gilberti senten-
tia reprobata.^a lib. 78. n. 135.
^b Gaufrid. Clari-
ca. 1148.^c V. lib. 78. n.
120.

Annal. Bened. Tom. VI.

Iii

ANN. CHR.
1178.

episcopum, ipsumque Bernardum exostularunt, quod ipsis inconsultis finitivam sententiam protulissent. Verum Bernardus, jussu pontificis ut cardinales placaret accersitus, modeste ac reverenter respondit: se, vel dominos episcopos nihil de prædictis capitulis statuisse: sed, quia Pictavinus episcopus petierat, ut formula fidei, quæ ab eo exigebatur, scripto mandaretur; se committere noluisse, ut solus eam, sed simul episcoporum auctoritate ac testimonio exponeret. qua modesta responsione mitigati cardinales conquieverunt: *ita tamen, ut præfatum scriptum, tamquam inconsulta curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro symbolo in ecclesia non haberetur*: atque ita de tribus capitulis propter præmissam tumultuationem nihil diffiniri potuerit. Ad dit Otto Frisingensis, Gilbertum in quarto ab aliis discordasse episcopis, cum illi profiterentur, naturam incarnatam, sed in Filio: Gilbertus vero personam Filii incarnatam non sine sua natura. De primo tantum capitulo Romanum pontificem diffinivisse, ne aliqua ratio in theologia inter naturam & personam divideret; neve Deus divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantum, sed etiam nominativi. quam summi pontificis sententiam Gilbertus reverenter acceperit, atque archidiaconis suis in gratiam receptis, cum ordinis integritate & honoris plenitudine ad ecclesiam suam remeaverit. Ubi Otto Gilberto plus æquo favit, uti & in Abaelardi causa; nec proinde mirandum, quod in consequentibus addubitare se dicat, *utrum prædictus abbas Clara-vallensis in hoc negotio ex humana infirmitatis fragilitate, tamquam homo, deceptus fuerit*: (quod fortasse prætulisset Otto, si ausus fuisset) *vel episcopus, tamquam vir litteratissimus, propositum astute celando, ecclesie judicium evaserit*. Verum Otto morti proximus, teste Radevico, hoc erratum agnovit, jussitque, ut, si quid pro Gilberti sententia, quod quempiam posset offendere, scripisset, religiosorum virorum consilio corrigeretur. Hanc Gilberti doctrinam refellit Bernardus sermone LXXX. in Cantica, in quo vir sanctus eos, qui Gilberti sententiam asserere pergebant, hæreticos appellare non dubitat.

III.
Eon & Henricus hæretici re-
trusi.

Ad idem concilium adductus est Eon, ex minori Britannia oriundus, homo stolidus ac plebeius, qui se eum esse dicebat, qui judicaturus est vivos & mortuos; multoque nihilo minus rusticos præstigiis dementaverat. Hinc revincendus patribus, visus est fatuus homo, alias ridendus magis quam audiendus, ni multos seduxisset. Robertus de Monte tradit, eum sub custodia Samsonis Remensis archiepiscopi non multo post defunctum, vita pariter caruisse ac memoria. at Otto scribit eum Sugerio custodiendum traditum fuisse. Eo comprehenso & mortuo, cum nihilo minus ejus sequaces, quorum alius Sapia, alius Scientia, alius Judicium ab eo vocati erant, in errore contumaciter persistenter, *ignibus traditi, ardere potius, quam errorem ad vitam corrigere maluerunt*, ut tradit Willelmus Neubrigenis.

In eodem concilio productus est quoque Henricus ille hæreticus, de quo superius non semel actum est: qui cum in Albigeni pago multos infecisset, (quæ hæresis Popelitanorum apud Albericum vocatur) diuque latuisset; *captus tandem a quadam episcopo, & Remos ad papam Eugenium ductus, hæreseosque convictus, vitam quidem & membra, eodem episcopo postulante, retinuit*: sed tamen præcepto papæ in custodiam reclusus, in ea paulo post interiit. Petrus Cantor in Verbo suo abbreviato mentionem facit de isto Henrico, eumque Remis in carcerem Samsonis archiepiscopi solum ait missum fuisse, ne alios corrumperet.

III.
Concilii ejusdem canones.

In eodem concilio septemdecim conditi sunt canones, sed diversi apud Baronium ab editis in conciliis Labbeanis. Apud Baronium canone quarto statutum est, *ut sanctimoniales & mulieres, quæ Canonice vocantur, & irregulariter vivunt, juxta beatorum Benedicti & Augustini regulam vitam suam in melius corrigant & emendent, superfluitatem & inhonestatem vestium recidant, & in claustris sint assidue permanentes; communi refectorio & dormitorio sint contentæ; & relictis præbendis & aliis propriis, earum necessitatibus de communi provideatur. Quod si usque ad proximum Apostolorum festum non adimpleverint, ex tunc in earum ecclesiis, donec hoc mandatum adimpleant, divina prohibentur officia celebrari; &, si qua ipsarum mortua fuerit, christianorum careat sepultura*. Canone septimo itidem apud Baronium statuitur, ut episcopi, presbyteri, diaconi & subdiaconi, necnon regulares canonici, *monachi atque conversi professi, qui sacrum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumserint, separantur*; eorumque matrimonium nullum esse declaratur. Sexto canone apud Labbeum *prava & detestabilis consuetudo abrogatur, qua monachi & regulares canonici,*

post acceptum habitum & professionem factam, sprete beatorum magistrorum Benedicti & Augustini regula, leges temporales & medicinam gratia lucri temporalis addiscunt. [Alios ejusdem concilii canones repertos in duobus antiquis codicibus optimæ notæ uno S. Germani a Pratis, altero S. Michaëlis in periculo maris editos habes in tomo iv. Anecdotorum.]

In codice Ottoboniano archiepiscopi decem eidem concilio interfuisse referuntur, hoc ordine recensiti: scilicet Remensis, Bituricensis, Burdegalensis, Turonensis, Treverensis, Casariensis, Eboracensis, Cantuariensis, Rotomagensis, & Viennensis. Remensi ecclesie tunc præerat Samson, Bituricensi Petrus de Castra, Burdegalensi Gaufridus de Loratorio, Turonensi Hugo de Stampis, Treverensi Adalbero, Casaria Palestine Balduinus, Eboracensi Henricus de Murdac, Cantuariensi Theobaldus, Rotomagensi Hugo, qui postremi tres monachi erant; & Viennensi Humbertus an Hugo. De Casariensi nihil compertum. Theobaldus Cantuariensis, qui petita a Stephano rege, sed non obtenta licentia, ad concilium venerat, offensam regis incurrit, ob idque regno exclusus, quod interdicto a pontifice suppositum est. Hujus simultatis causa fuisse traditur Henricus Wintoniensis, Theobaldo invisus ob sibi concessam legati apostolici auctoritatem, qui regi auctor fuerat, ut Theobaldo negaret ad concilium eundi facultatem, ut, si regno injussu regis exiret, regi inobediens esset; si non exiret, pontifici, qui eum ad concilium cum aliis Angliæ episcopis evocaverat.

De episcopis, qui prædicto concilio interfuere, longum esset singillatim dicere. Præcipui fuere Jossenus Sueffionensis, Bartholomæus Catalaunensis, Milo Morinensis, Theobaldus Parisiensis & nostris, Hugo Autisiodorensis ex ordine Cisterciensi, uti & Johannes Alerensis, Theodericus Ambianensis, & Anselmus Tornacensis & nostris, uti & Lambertus Engolismensis.

Ad abbates quod attinet, interfuere Sugerius Dionysianus, Petrus Cluniacensis, Rainardus Cisterciensis, Bernardus Clara-vallensis, Macarius Floriacensis, Hugo Corbeiensis, Gostinus Aquicinctensis, Robertus S. Vincentii Cenomannensis, qui Guidoni recens successerat, Hugo Præmonstratensis, Folcandus Lareshamensis, qui privilegium ab Eugenio tunc adeptus est, multique alii.

Magistri scholarum, qui præsentibus in synodo illa fuere, in prædicto codice Ottoboniano memorantur, Gauterius de Mauritania, cujus epistolæ habentur in Spicilegii tomo secundo, Gauterius & Gaufridus Eboracenses archidiaconi, Humbertus Bituricensis, Petrus Lombardus, quem S. Bernardus Gilduino abbati & canonicis regularibus S. Victoris commendavit. Theodericus Carnotensis, Robertus de Bosco, Adam de Parvo-ponte, & alii: quos inter censendus magister Stephanus, ex Alberici chronico, Gisleberti discipulus, qui jactitabat se interfuisse Remensi concilio, & Bernardum nihil adversus Gislebertum suum prævaluisse, quod falsum est. *In magistro tamen Gisleberto illud commendat, quod correctus est, & quod fecit minorem glossaturam in psalterium & in epistolas Pauli, securus dicta B. Augustini, & quædam alia, quæ recipiuntur.*

[Agitata est eo in concilio causa ducissæ Poloniæ, de qua jam actum fuerat in Trevirensi, responditque Eugenius papa Henrico regi Romanorum, qui eam in primis commendaverat, missurum se in Poloniam nuntium, qui quantum pro honestate poterit, ei providere curabit.]

[Etiâ Wibaldi abbatis Corbeiensis electionem ratam jam habuisset Eugenius Meldis, Trevirisque dedisset litteras ad Corbeiensis monachos ut reverentiam omnem obedientiamque ei exhiberent; Henricus nihilo minus antiquus abbas a Thoma sedis apostolicæ legato, ob personæ inutilitatem, confessam simoniam, aliaque vitia canonice depositus, cum non vulgaris esset nobilitatis, procerum quorundam auxilio & auctoritate fretus, omnem adhibuit machinam, ut pristina restitueretur dignitati, sed frustra. nam Eugenius & vibratam in Henricum depositionis sententiam, & jam semel & iterum confirmatam Wibaldi electionem in concilio Remensi rursus ratam habuit. Venimus, inquit, ad Bernardum Hildesheimensem scribens, ad synodum Remensem, quæ celebrata est mediante quadragesima, ubi dominus papa paci & tranquillitati Corbeiensis ecclesie providere volens, sententiam quam venerabilis pater noster bonæ memoriæ Thomas presbyter cardinalis & apostolicæ sedis legatus in Henricum quondam ejusdem monasterii abbatem verbo dederat, verbo & scripto confir-

ANN. CHR.
1148.I V.
Concilii pa-
trics.a V. lib. 78. n.
158.V.
Abbatibus quam-
plures & magi-
stri.

b Bern. ep. 410.

VI.
Causa ducissæ
Poloniæ in
concilio Re-
mensi agitata.VII.
In eo Wibaldi
electio in Cor-
beiensem ab-
bat. confirmata

ANN. CHR.
1148.

marit. Idem asserit in epistola ad abbatem S. Godehardi, ubi non modo Henrici abbatis depositionem in concilio Remensi confirmatam docet, sed & a gradu & ordine ecclesiastico *tamquam inobedientem, immo vero aperte rebellem anathematis sententia percussum fuisse.*]

VIII.
Judicæ abbatissæ Kaminatensis depositio rata.

[Eandem cum Henrico Corbeienſi abbate fortunam experta est Judita abbatissa Gizekenſis ejus soror, *quæ nec sacrum velamen per consecrationem episcopi, nec benedictionem abbatissæ a pontifice acceperat*, licet jam duas abbatias *Eskenewege & Kaminatam* occupasset. Huic res erat cum Wibaldo abbate Corbeienſi, cui Kaminata, unde illa Thomæ cardinalis judicio expulſam se dolebat, ad exactam regulæ observantiam reformanda tradita fuerat; Vibaldumque multis coram summo pontifice conviciis & mendaciis Trevisis appetiverat. Utrique diem indixit Eugenius in concilio proxime Remis celebrando. In gratiam Wibaldi scripserunt Eugenio non solum Henricus rex Romanorum, sed etiam Bernardus Hildesheimensis sanctissimus præful,^a qui cum commendat tamquam *virum*, inquit, *boni apud nos testimonii, & in ecclesia catholica bene nominatum, quem ad paries nostras accessisse gaudemus*; Henricus dux Saxonie, Herimannus comes de *Wincenburch* advocatus Corbeie, H. abbas de *Flethorp*, qui non solum ait deperiisse religionem in Kaminata & *Wisbik*, ubi non divina servitia, sed *lupanarium ludibria potius exercebantur*, in tantum ut Kaminatensis abbatissa, femina & conversatione & ætate juvenula, amatoribus suis post sui depositionem de rebus ecclesie illius plusquam ad centum mansos in beneficio concesserit: cum ante depositionem suam pessima conversatione & irreligiosa promotione, qua ad diversas abbatias promotæ, & pro culpis suis amota fuerat, *omnes religiosos viros terræ nostræ contra se excitaverit*. Idem confirmat W. abbas S. Blasii, qui Wibaldum laudat his verbis: *Vir iste in terra nostra tamquam jubar celestis sideris effulsi*; C. abbas B. Mariæ in *Grevenkerken*, & abbas *Hamalungeburnem*. Tot virorum illustrium adversum se testimonia pertimescens Judita non comparuit in concilio Remensi, in quo nos *venimus*, inquit Wibaldus, *illa non venit: laqueus contritus est & nos liberati sumus. Dominus papa depositionem suam decreto confirmavit, & possessiones quas illa alienaverat, monasterio sub anathematis interminatione restituit.*]

IX.
Citatus ad concilium abbas Brunwillarensis

[Citatus etiam ad concilium Remense abbatem Brunwillarensis monasterii prope Coloniam, sed infirmitate detentum ad illud accedere minime potuisse constat. Quid vero criminis illi objectum fuerit, nos latet. Innoxium ab omni culpa fuisse contendit Wibaldus, qui Guidoni cardinali illum commendat his verbis: *Commendamus igitur vobis virum venerabilem abbatem Brunwillarensis, qui sicut certum est, infirmitate detentus ad synodum Remensem venire non potuit, & sicut ab ipso plenius audietis, de hoc quod sibi ab æmulis impositum est, omnem in modum innocens fuit. Vos igitur pro nostræ petitionis intuitu, ipsius pater & patronus eritis*. Præerat tum Brunwillarensi monasterio Amilius de Brabantia oriundus, vir eximie virtutis, qui patri, matri & sorori persuasit, ut spretis mundi illecebris, suavissimo se Christi jugo subderent, monasticam amplectentes disciplinam. Tanta vero sub ipso florebat apud Brunwillarenses pietas & religio, tanta disciplinæ regularis observantia, ut abbates inde assumere sibi aliæ monachorum congregationes certatim conderent. Ita Colonienſes S. Martini Albanum, Gladbacenſes Mechinardum, Gerardum Prümienſes, Sigebergenſes Cunonem, qui postea fuit episcopus Ratisponensis, fratres denique S. Pantaleonis Embricum ex Brunwillari acceperunt abbates.]

X.
Judicium adversus Gemmeticenſes monachos.

[Ad acta etiam concilii Remensis pertinet prolatum in gratiam Cenomanensium S. Vincentii monachorum judicium adversus Gemmeticenſes, qui cum tandem inter se litigassent de quibusdam ecclesiis, Remos ad Eugenium celebrantem concilium accessere. Causam Julio & Johanni cardinalibus examinandam terminandamque pontifex commisit. Illi discussis partium chartis & rationum momentis, secundum Cenomanensium judicaverunt. cardinalium sententiam datam in capitulo Remensi anno dominicæ incarnationis MCLVIII. nonis Aprilis, habes in Amplissima collectione tomo I. pag. 804.]

XI.
Colonienſis & Moguntinenſis archiepiscopi non depositi.

[Si Sammarthanis credimus, Arnoldus Colonienſis archiepiscopus in concilio Remensi cum Moguntinenſi archiantistite inſimulatus deponitur, Romamque profectus reconciliationem impetrare non valuit. Verum ea in synodo Arnoldum a sua dignitate minime submotum, sed ab officio suo dumtaxat suspensum constat ex Conradi imperatoris epistola, qua redux ab expeditione sacra petit a pontifice confir-

ANN. CHR.
1148.

mari Theobaldi præpositi Xantenſis electionem, *quia*, inquit, *Colonienſis archiepiscopus ab officio episcopali a vestra dignitate suspensus est: atque adeo ad vestra manus ordinationem pertinere credimus, quidquid pontificalis & canonici juris in episcopis esse dinoscitur*. Clarius ex ipsius Eugenio litteris ad imperatorem, respondens enim Conrado Arnoldum sibi commendanti, & rationes, quibus a proferenda in eum excisionis sententia in concilio Remensi deterritus fuerat, exponens, hæc habet^a: *Causa fratris nostri Colonienſis archiepiscopi quam gravis sit, longum est enarrare; ab his qui circa te sunt poteris manifeste cognoscere. Si enim quanta circa officium per negligentiam & inobedientiam superbiendo commiserit, magnitudinis tuæ discretio cognovisset, nec etiam verbum, ut credimus, pro ipso movisset. Unde in concilio quod Remis, Deo auctore, celebravimus excisionis sententiam pertulisset, nisi regie parcentes absentie, detrimentum aliquod regno, quod maxime nobis timendum erat, eveniturum exinde putavisset. Et nunc post reditum tuum nobiscum firmiter statuissemus, ipsum sententia digna suis excessibus feriendum, nisi tuæ legatio majestatis prævenisset; sed precibus tuis, quantum possumus inclinati, manum nostram impræsentiarum in ipsius damnatione retraximus, & usque ad dominicam qua cantatur Ego sum pastor bonus, inducias concessi*. Datæ sunt hæc litteræ Lateranis IV. kalendas Decembris; atque adeo inducias indulgebat quinque circiter mensium, quo temporis intervallo Romam se purgaturus Arnoldus perrexisset videtur, cum litteris Conradi commendatitiis, sed frustra. Similis Henricum Moguntinum antistitem fors manebat, si Remensi interfuisset concilio; at futura præsentiens, suam caute subduxit præsentiam.]

[Eodem in concilio ut scribit Radulfus de Diceto, suffraganei Cantuariensis archiepiscopi *suspensi sunt a domino papa, quia, rege prohibente, non venerant ad illud*. e contrario vero Theobaldum archiantistitem summo gaudio susceptum coram universo præfulum coetu laudavit, quod *natando potius, quam navigando ob reverentiam B. Petri & curiæ Romanæ* transfretans, sese synodo exhibuisset. Causam autem regie illius prohibitionis vide apud Gervasium Dorobernensem. Denique Eugenius in concilio Remensi Turonenſis ecclesie primatum in Armoricos præfules confirmavit. Hæc & alia acta in concilio Remensi probant in Eugenio vigorem vere apostolicum in emendandis episcoporum vitiis. Neque vero minus enituit summus ejus zelus in instituendis ad sanctioris disciplinæ leges monasteriis, indignos amovens abbates, ac religiosos amantesque regulæ eorum in locum subrogans.]

[Exemplo est Fuldense, quod nobilissimum ac famosissimum in tota Germania cœnobium est. Non multo ante, Aleolfum^b *ob immite & asperius imperium*, virum aliunde inculpatæ vitæ, petentibus fratribus, in ordinem redegerat, ante omnia præcipiens, alieno ut ex clauſtro talem assumerent abbatem, *c per quem Fuldensi monasterio, quod pastoris incuria tam in spiritualibus, quam in temporalibus fuerat diminutum, grata Deo veræ religionis cultura posset, auctore Deo, restaurari*. At Fuldenses posthabito summi pontificis jussu, Ruggerum quemdam suæ congregationis monachum elegerunt, quem miris Browerus^d effert laudibus, ut pote *qui animi moderatione, & integritate morum, antecessoris desiderium minuit, sui plurimum accendit*. Additque eum ad Remense concilium profectum, ab Eugenio *muneris eximii vacationem* impetrasse, & secessu facto in Montem B. Virginis rerum divinarum studio, Henricum Hersfeldensem abbatem sibi sufficere passum. Verum longe aliam Ruggeri personam exhibent epistolæ Wibaldi. nam primo Eugenius ad Fuldenses scribens illis exprobrat, quod contra mandati sui formam, præsumissent eligere de suo clauſtro abbatem, *qui etiam pro membrorum deformitate ad sacerdotium non poterat promoveri*. Secundo Wibaldus in epistola ad Henricum Juniorem Romanorum regem, restatur, quod *inutilis a plerisque predicatur*, atque adeo *in abbatibus nomen benedicti detrectat*.]

[Hæc ubi ad concilium Remense delata sunt, Eugenius statim rescidit electionem Ruggeri, & ne reluctantes decretis suis experiretur Germaniæ principes, præfertim Henricum Juniorem regem, privatim hac de re cum Wibaldo tractatum habuit. *Non sumus immemores*, inquit Wibaldus ad Eugenium scribens^c, *multitudinis misericordiæ, quam nostræ parvitati in synodo Remensi exhibere dignatus estis, & precipue in causa Fuldensium, quam pro maxima humilitate, qua vestrum pectus sacrum, Deo inspirante, præditum est, consilio nobiscum communicare placuit. Et nos*

XII.
Suffraganei Cantuariensis archiepiscopi, suspensi.XIII.
Eugenii zelus in abbatibus Fuldenses.
^b Brover. antiq. Fuld. lib. 4.
^c Epist. 68, inter Vibaldinas.^d Brover. antiq. Fuld. lib. 4.

c Epist. 112.

ANN. CHR.
1143.

siquidem sicut cum vestra celsitudine condiximus, solliciti fuimus, ne aliquis propter iustitiam vestram motus fieret, &c.]

[Antequam vero Remis discederet Eugenius, tres saltem hac de re dedit epistolas, scriptas VI. idus Aprilis: unam ad Henricum Romanorum regem, (quam ille in castro Nuremberg recepit XVII. kalendas Maii) principis implorans auctoritatem adversus factiosos. Alteram ad Fuldenses, qua declarat irritam Ruggeri promotionem, præcipitque ut alio de claustris consilio Adæ Eberacensis, Eberbacensis, Hersfordensis, & Corbeiensis abbatum *personam religiosam, discretam, litteratam* eligerent in abbatem, *per quem apud eos religionis fervor, qui peccatis exigentibus tepuerat*, valeret reparari. Tertiam ad prædictos abbates, ut Fuldam se transferrent, curarentque ut talis ex altero assumeretur claustris, qui Deo gratum veræ religionis cultum inibi reformaret.]

[Pontificis litteras diu retinere Fuldenses, consentientem vitiis suis pastorem sibi eripi ægre ferentes. quem ut retinere valerent, duobus licet decretis canonice ratione subnixis notatum, novos ad Eugenium legatos misere; sed ut ait Wibaldus *cum Petro petram invenerunt*, hoc est invictum & obfirmatum in pontifice animum. Interim Ruggerus cum nulla sibi spes affulgeret, *de medio eorum evanuit*. Fuldenses vero papæ litteras quatuor abbatibus, quorum in electione abbatis uti debebant consilio, scriptas tandem misere Wibaldo, qui tertia tantum die post natalis B. Virginis festum eas recepit. Quid autem inde secutum sit, disces ex proluxa Wibaldi ad Eugenium epistola CXIV. quam in Appendice integram referemus.]

In illo concilio Gofuinus Aquicinctensis abbas singulari humanitate ac benevolentia exceptus est ab Eugenio, qui *suam illum abbatem* nominabat. Hinc ab eo facile exauditus, privilegia consecutus est, vixque ab eo recedendi facultatem obtinuit. Inter ea pontificem magnopere sollicitabat cura monasterii S. Medardi Sueffionensis, quod tunc post mortem Otgeri abbatis rectore destitutum erat. Multis sese ingerentibus, adhibitus cum S. Bernardo in consilium Gofuinus, pontifici persuasit, ut Ingranum, ex Corbeia priore Marcianensem abbatem, nobilissimæ illi ecclesiæ præficeret. Idem Gofuinus multum contulisse dicitur ad substituendos canonicos monachos in Compendiensi S. Cornelii ecclesia, qua de re inferius agendum. Ingranus vero abbas annis amplius viginti S. Medardi monasterio præfuit, eumque esse non dubito, cui Johannes Saresberienensis, suppresso ejus nomine scripsit, ut in consequentibus videbimus. Ejus tempore S. Medardi præpositus seu prior fuit Rogerius, qui ad Laudunensem S. Johannis abbatiam promotus est, quem puto esse illum S. Medardi priorem, prima dumtaxat littera R designatum, quem Alexander III. a rege Ludovico ^b sibi commendatum esse dicit, eidemque vicissim commendat. Eodem abbate Ivo Sueffionensis comes sancti Medardi monasterium valde infestabat. Quapropter Eugenius Sugerio ^c abbati scripsit, ut hoc monasterium, quod juris beati Petri & ad defensionem ejus, sanctæque Romanæ ecclesiæ speciatim pertinere dicit, a comitis infestatione protegat, & abbatem ejusque fratres, in quibus ejus indigerint auxilio, juvet.

Tunc temporis etiam Vizeliacensi monasterio & Pontio abbati multa gravamina intulere comites Nivernenses, ut ex variis Eugenii epistolis perspicuum est. Prima ex his est tricesima-quinta ad Guillelmum comitem Nivernensem, quem arguit ob molestias & injurias Pontio abbati & monachis factas: cujus rei negotium Samsoni Remensi archiepiscopo, Godefrido episcopo Lingonensi & Bernardo Clara-vallensi abbati discutiendum se commisisse dicit in epistola sequenti, quæ eidem Guillelmo inscripta est. Eiusdem sunt argumenti tres subsequentes epistolæ ad Ludovicum regem, adeoque scriptæ, ut videtur, post Ludovici reditum e Palestina, uti & tres aliæ subjunctæ: quarum quadragesima-secunda scripta est ad Godefridum Lingonensem episcopum, qua ei præcipit, ut comitem post triginta ab admonitione dies, ni respiciat, excommunicet, atque sententiam hac de re suam Petro Bituricensi & Hugoni Senonensi archiepiscopis, necnon Goffrido Nivernensi, Henrico Æduensi, Henrico item Trecenti & Alano Autisiodorensi episcopis ex parte sua observandam denuntiet. Ex quo intelligitur, hanc epistolam scriptam non fuisse ante annum MCLI. quo Alanus Hugoni episcopo in sede Autisiodorensi successit. Omnes itaque illæ epistolæ datæ sunt occasione Guillelmi tertii Nivernensis comitis, qui patris sui Guillelmi II. post ejus in Cartusiam secessum honores adeptus est.

Epist. 114.

XIV.
Gofuinus abbas Eugenio acceptus.

Ingranus S. Medardi abbas

b *Chefn. to. 4. p. 616. ep. 136.*c *Eugenii ep. 31.*XV.
Vizeliaco infesti comites Nivernenses.ANN. CHR.
1148.

Has ergo præcesserat ipsius Eugenii sexagesima, qua eundem comitem increpat, quod mercatores Vizeliacum ire volentes infester, contra quam *Guillelmus comes bonæ memoriæ* in præsentia Hugonis Altisiodorensis episcopi & Bernardi abbatis Clara-vallensis promiserat. *Datum Remis III. nonas Aprilis.* quo die & loco pariter ab eodem Eugenio scripta est epistola quadragesima nona ad Odonem ducem Burgundiæ, qui Vizeliacensibus quoque infestus erat. Porro eo usque Pontium abbatem hæc procella, quam Æduensis episcopus ^a & Vizeliacenses etiam opidani auxere, exagitavit, ut exulare coactus sit; scripseritque pontifex ad Petrum ^b Cluniacensem abbatem, ut Pontio abbati, germano suo, Silviniacense coenobium, quousque ipsa exsulatio duraverit, concedat. Ceterum duæ illæ epistolæ, III. nonas Aprilis Remis datæ, scriptæ sunt post concilium Remense, & quidem sabbato ante dominicam palmarum, siquidem pascha hoc anno in tertium idus Aprilis incidebat. In eadem urbe perstitit pontifex saltem usque ad octavum decimum kal. Maii, quo die scriptis ad Gallicanos episcopos litteris a paribus jura Majoris-monasterii in parochialibus ecclesiis ei subiectis definitivè, ut in Appendice videre licet.

Domnus papa, ut chronographi Mauriniacensis ^d verbis utar, *Remis celebrato concilio, Parisius venit, ibique aliquamdiu demoratus est.* Iste verfabatur adhuc IV. kal. Junii, quo die Balmensem abbatiam in piaculum cujusdam in Osbertum legatum facinoris in prioratum redegit, ut ejus litteræ ad Guillelmum Maticonensem comitem & ad archiepiscopum Bisuntinum fidem faciunt. *Post Senonas veniens, in ipsa urbe diebus aliquot mansit, ibique, ut tantum decebat virum, amplissime procuratus est.* quæ expensæ ut fierent, *Gallicanæ multum ex hoc gravatæ sunt ecclesiæ.* *Nosser quoque abbas in ipsius procuracione viginti libras, submonente archiepiscopo Senonensi attribuit.* In hoc contextu lacunas exemplaris Romano caractere supplere conatus sum; an bene, studiosi lectores viderint. *Post hæc*, pergit chronographus, *domnus apostolicus repatriare in patriam volens, omnes qui regnum ante regis reditum inquietare auderent, anathemati subdidit.* Sic post pauca definit Mauriniacense chronicum, insigne illius temporis historicum monumentum; desinit, inquam, in obitu Thevini abbatis, qui quarto post Ludovici reditum anno mortuus videtur, & quidem VII. kal. Novembris, ut legitur in necrologio S. Dionysii, cujus monachus fuisse dicitur, *ante altare abbatiæ sepultus, tanto majori a Deo donandus & glorificandus munere, quanto in ornanda ejus sponsa studiosus cognoscitur laborasse.* Hactenus chronographus Mauriniacensis anonymus, qui Teulsi libro primo duos alios adjecit. Teulsi liber magna ex parte deest, non levi rei litterariæ damno; & in fine quedam lacunæ habentur.

Paullo ante Remense concilium decesserat Gaufridus, eximius ille Carnutenis præsul eo nomine secundus, & apostolicæ sedis legatus, cujus obitum Gallia-christianæ auctores integro decennio, insigni errore prævertunt. Ejus elogium retuli in tomo secundo ^e *Analectorum* in quo *legatione sedis apostolicæ sub beato papa Innocentio*, ab anno scilicet MCCCXXII. *super Bituricensem, Burdegalensem, Turonensem & Dolensem provincias, per annos circiter quindecim sancte & religiose functus* fuisse perhibetur. Ultima ejus legationis functio fuit anno præcedente, cum ad partes Tolosanas ad debellandos Henricianos hæreticos una cum Alberico Ostiensis episcopo & Bernardo profectus est. Ejus obitus contigit IX. kalendas Februarias hujus anni, quo die cum debito elogio notatur in necrologiis ecclesiæ Carnutenis & Josaphatenis monasterii, *quod anno tertio sui episcopatus in terra patrimonii sui ædificare coeperat, ubi & sepeliri voluit.* Post ejus obitum Sugerius litteras ^f scripsit ad capitulum Carnotenis, cui significat, se *nuntios ex parte domini regis, qui famosam peregrinationem amore Dei suscipiens*, regni curam & administrationem ipsi commiserat, *ad recipienda & conservanda regalia* illuc mittere, donec istam ecclesiam, *tanto & tam glorioso pastore viduatam*, divina misericordia idoneo successore consoletur. Electus est in demortui locum Goslenus ejus ex fratre nepos, de cujus electione exstat decani & capituli Carnutenis epistola ^g ad Sugerium, qua ei significant, quod *accepta* ab eo *regia licentia loco domini regis*, elegerint domnum Goslenum archidiaconum; rogantque, ut electo suo *regalia reddere vice domini regis* dignetur.

Electi assensum præbet Sugerius, litteris scriptis ^h capitulo Carnotenis & Roberto decano, electumque probat *ex parte domini regis, cujus vices agere se dicit.*

a *V. Eugenii ep. 52. § 13.*
b *id. ep. 43. § 44.*
c *id. ep. 55.*XVI.
Eugenius apud Parisios & Senonas moratur.
d *Chefn. to. 4. p. 389.*

Thevini abbatis obitus.

XVII.
Gaufridi Carnutenis episcopi obitus.
e *Analect. to. 2. 559.*f *Suger. ep. 4.*g *ibid. ep. 19.*h *id. ep. 20.*

ANN. CHR.
1148.

De regalibus vero, inquit, sicut in curia dominorum regum Francorum mos antiquus fuisse dinoscitur, cum episcopus consecratus, & in palatium ex more canonice fuerit introductus, tunc ei reddentur omnia. Hic est enim redditionis ordo & consuetudo, ut, sicut diximus, in palatio statutus, regi & regno fidelitatem faciat; & sic demum regalia recipiat. Insignis sane de regalibus locus. Ex his porro litteris nemo non videt, Gaufridi obitum & Gosleni electionem absente rege, & adtransmarinam expeditionem profecto factam fuisse.

XVIII.
Gelduini abba-
tis S. Richarii
donatio facta
abbatiae de Ba-
lancis.
* Valoires.

Eodem anno magna contentio in S. Richarii monasterio facta est super electione abbatis post discessum Gelduini abbatis, qui cum rege Ludovico ad loca sacra profectus erat. Hic paulo ante discessum, ut id obiter notem, Rogero abbati de Balancis seu Valeliis*, alias Valeriis, & toti conventui Ordinis Cisterciensis in territorio de Trofchencurte tantum terræ, quantum duobus aratris excoli posset, anno præcedente sub certis conditionibus concesserat. Hanc abbatiam quadriennio ante apud Valelias fundaverat Wido Pontivi comes, ut ejus litteræ nos docent, quibus *quidquid apud Valelias in terris sive in aquis habebat, totum monachis Cisterciensibus, Balantiis Deo servientibus, ad abbatiam faciendam in elemosynam devote donavit. Præter ea ad opus infirmorum suorum, qui carnes non comedunt, id est qui non ita infirmi sunt, ut carniæ esu indigeant, facultatem piscandi in vicinis aquis, quotiens voluerint, indulgit. Tunc vero apud Cistercienses, qui sani erant, pisces vel nunquam, vel rarissime comedebant. Hæ Widonis comitis litteræ, quas operculo cujusdam codicis Corbeiensis affixas invenimus, datæ sunt Ruæ* in Pontivo anno MCXLIII. dominicæ incarnationis, feria quarta tertiæ hebdomadæ ante adventum seu natale Domini, præsentibus Rainardo abbate Cistercii, aliisque monachis, Ida uxore comitis, Johanne ejusdem comitis fratre, & multis aliis. Hæc in transcurso de illa abbatia, de cujus origine non satis explorata notitia est apud Manricum.*

XIX.
Turbae apud
Centulenses de
electione abba-
tis.
a Suger. ep. 33.

Post Gelduini abbatis discessum, Centulenses pastore destituti, sive Gelduinus ante discessum abbatiam abdicaverit, sive illi diutinam rectoris absentiam non ferentes, de novo pastore eligendo inter sese tractarunt. Primo ab eis electus est Corbeia prior, cujus electionem Sugerio^a abbati litteris significant, eamque ab eo confirmari postulant. Verum hæc electio, incertum quomodo ob causam, non tenuit. Unde, cum abbatia diutius rectore destituta esset, & Centulenses monachi licentius viverent, Theodericus Ambianorum episcopus Sugerium^b monuit, ut quantocius illic religiosum abbatem ordinari curaret, ubi monachi, ut liberius vivere pergant, *diffugia quærunt & protelationes. Unde præmunimus vos, inquit, quia, nisi cogantur in manu valida, personam eligent ad voluntatem suam pravam, utpote homines, qui nunquam ordinem didicerunt. Siquidem monasterium hoc viro cordato indiget & religioso: & ut mihi videtur, aut Bernardus prior de Aquicincto, aut Drogo prior de Lehu- no, ibi necessarius est. Neuter tamen ex his electus est, sed Petrus Bituricensis, sancti Dionysii monachus, cujus electionem a Sugerio gratam ratamque haberi repetitis litteris^c postulant, utpote canonice factam consilio & assensu religiosarum suæ provincie personarum, militum, procerum, clericorum ac burgensum seu opidanorum. quam electionem Sugerius confirmavit. Biennio post necdum exacto, Petrus abbas Romam profecturus, mutuam pecuniam sub impignoratione quorundam prædiorum a Rogero Valeliarum abbate accepit. Ad Gelduinum abbatem quod attinet, is in reditu e locis sacris episcopus de Bellivaux electus dicitur: qui locus mihi ignotus est, nisi sit Vallavensis seu Aniciensis: cujus sedis tunc temporis vacuus in editis locus videtur.*

XX.
Petro abbati
Burgulienfi
succedit Ro-
bertus.
a ibid. ep. 3.

Eodem anno satis concessit VIII. kal. Julii Petrus abbas Burgulienfis: cui Robertus ex ipsius monasterii grege substitutus est. Utriusque elogium facit Ulgerus Andegavorum præful in epistola, qua Sugerio^d abbati illius obitum, hujus electionem significat his verbis. *Nobilis Burgulienfis ecclesia, quæ in nostro episcopatu sita est, in prædio & jure ducis Aquitanorum sedens, & fundata esse, & subnixæ fere solis largitionibus ducunt Aquitanorum constantissime dinoscitur. Hæc autem, disponente Deo, in cuius manu mors & vita hominum sunt, nuper damno infortunio & lacrymabili casu a domno Petro abbate suo, magno & venerabili & præclaro viro, viduata & desolata est. Sane venerabilis & religiosus ejusdem loci conventus, ad solatium tanti doloris, & quia tempora ista, quæ melius tempestates dicerentur quam tempora, nostris in finibus, sacris locis, & maxime illis, quæ patronis carent, incommoda, immo pessima*

ANN. CHR.
1148.

ma incumbunt: congregatis fratribus, qui ad festum loci illius etiam de remotissimis obedientiis convenerant, festinaverunt eligere in patrem & pastorem unum de visceribus monasterii sui, Robertum, virum magnum, cujus mores honesti, vita commendabilis & religiosa prædicatur & habetur, ut credimus. Et nunc quidem veniunt ad pedes majestatis vestræ electus & electores, ut electus præsentetur gratiæ vestræ, sicut præsentaretur regi, se adesset, ad quem ducatus Aquitaniæ translatus est: cujus manibus & thesauro sapientiæ, nobis per plurimum gaudentibus, rex Ludovicus famosam peregrinationem arripiens, sapienti usus consilio, commisit, &c. In fine: Nos, inquit, pro vobis in missa ad Corpus Dei & Domini nostri oramus. Ex hac epistola intelligitur, Robertum ipso die festo loci illius, scilicet beati Petri apostoli, quo die omnes obedientiarum ad principem monasterium convenire solebant, aut die sequenti electum fuisse. Eius electioni, salvo regni jure, assensit Sugerius litteris^a scriptis ad Ulgerium, sed ea lege, ut, si quid in ea contra regiam majestatis dignitatem seu jura minus recte factum fuisset, domino regi, quando Deo volente redierit, judicio curiæ ejus respondeant electus & electores. Non diu hac dignitate potitus est Robertus. Mortuus quippe anno sequenti, locum fecit Aimerico, qui annis triginta-quinque monasterium rexit. Vir religiosus & timens Deum appellatur ab Alexandro III. qui eum contra ejus accusatores defendit, multique alii, ut suo loco videbimus.

a ibid. ep. 5.

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

c

Ferrariense monasterium post Constantium seu Constantinum tunc regere cœpit Johannes abbas, qui privilegium ab Eugenio anno superiore adeptus est, datum Parisius IV. kal. Maii. Hic ex Dionysiano assumtus erat monasterio, ob idque Sugerio familiaris. Hic *taxatione^b domini regis*, quæ ad sacram expeditionem suo monasterio imposita erat, *gravissime confectus*, cum usque ad viginti libras eam persolvisset, reliquum fratribus suis ad tempus differri rogat, utpote gravi paupertate pressis, & messionibus suis occupatis. Unde Sugerium precatur, ut inducias & spatium idoneum ad id persolvendum concedat. Vix quinque annis Ferrariensibus præfuit Johannes, cujus obitus XVIII. kal. Februarii notatur in necrologio S. Dionysii, ejusque loci monachus fuisse dicitur. Ei Raynardus successit, Raynardo Petrus post totidem annos. Hunc excepit Dodo, qui beati Petri basilicam anno MCLXIII. consecrari curavit, & bona ac privilegia monasterii confirmari. Has qualescumque celeberrimi quondam monasterii antiquitatis reliquias omittere mihi religio est, ne intermissa diutius ejus memoria, & velut neglecta a me videretur.

XXI.

Johannes Fer-

rariensis abbas

aliquæ.

b id. ep. 123.

Idem quoque de minoris celebritatis monasteriis similem ob causam observare licet. Cum itaque de Masciacensi apud Bituriges monasterio vix ulla nobis hoc tempore monumenta suppetant; prætermittere nolim Sugerio^c de eo epistolam ad præpositos Bituricensis & servientes seu ministeriales domini regis, quos monet, se P. abbatem Masciacensem de regali investivisse, ea lege, ut cum dominus rex redierit, si quid contra eum fecisse videtur, ad beneplacitum ejus se satisfacturum exhibeat. Interim nomine regis & suo eis mandat, ut prædictum abbatem honorent, & ea quæ ejus sunt, conservare & protegere studeant.

XXII.

Masciacensis

abbas confir-

matus.

c id. ep. 82.

Tunc temporis S. Martini de Campis apud Parisios monasterium tam in spiritualibus quam in temporalibus rebus ob debilitatem Odonis prioris imminutum erat. Quam ob rem Petrus Cluniacensis abbas, *ejus infirmitati condescendens*, eum ab officio removendum censuit, ejusque loco domnum Simonem, quondam ejus loci subpriorem substituit: *quia a nobis, inquit, & fratribus nostris propter honestatem & mores optimos multum diligitur. Ita loquitur Petrus in epistola^d ad Sugerium, quem rogat, ut causa Dei, & amoris sui respectu eum diligat, eique auxilium & consilium impendat. Simon iste, cognomento de Merlo, non diu prioris officium illic administravit, cui jam anno MCLI. successerat Bartholomæus, & Bartholomæo post sex annos Guillelmus I. De Theobaldo ejus successore infra.*

XXIII.

Simon prior S.

Martini de

Campis Odoni

succedens.

d ibid. ep. 127.

c

c

Odonis, an Simonis prioris tempore Odo Belvacensis episcopus secundus, *religiosam^e vitam monachorum S. Martini de Campis agnoscens*, ecclesiam beatæ Mariæ de Insula-Adam, sitam ad Ifaram, in perpetuum eis possidendam hoc anno donavit; idemque pactum Odonem priorem inter & capellanum ecclesiæ de Meruinitum confirmavit. In illa cella beatæ Mariæ de Insula-Adam quatuor monachi olim esse debebant. Ad Eugenium revertor.

XXIV.

Insula-Adami

cella.

e Hist. S. Mar-

tini p. 388.

Quo præcise tempore Claram-vallem adierit pontifex, (nam eum hoc anno eam adiisse constat) definire haud facile est. Ernaldus in libro secundo de *Annal. Bened. Tom. VI.*

XXV.

Eugenius Cla-

ram-vallem

adiit.

K k k

ANN. CHR.
1148.a Eugen. ep. 33.
§ 34.

Bernardi vita scribit, Eugenium *celebrato Remis concilio* Claram-vallem visitasse. Contra chronographus Mauriniacensis tradit, eum post concilium *Parisiense* venisse, ut superius vidimus; indeque ad urbem Senonas (si bene lacunam supplevi) aut certe Meldas profectum *diebus aliquot* moratum fuisse. Sane Meldis erat vi. kal. Julii, quo die Stephano Anglorum regi & Mathildi reginæ singillatim a scripsit, ut eis Robertum Londoniensem episcopum commendaret. Ibidem adhuc erat iii. kalendas ejusdem mensis, ut patet ex litteris ad Theobaldum Cantuariensem archiepiscopum, a Baronio ad hunc annum relatis. Haud dubie Parisios statim post concilium adiit, dein Meldas & forte Senonas; indeque Claram-vallem petiit atque Cistercium, ac demum in Italiam reversus est. Ubi Claram-vallem subiit, *mirati sunt omnes*, testante Ernaldo *in tanta altitudine humilitatem immobilem, & in tam excellenti culmine propositi sancti permanere virtutem: ut altitudini sociata humilitas, pro officio exterius splendeat, & pro virtute nequaquam interius inanescat. Adhærebat carni ejus lanea tunica, diebus & noctibus cucullo vestitus: sic ibat, sic cubabat. Intus monachi habitum retinens; extra se pontificem & moribus, & vestibus exhibebat, rem difficilem agens, diversarum in uno homine proprietates exprimens personarum. Segmentata ei circumferebantur pulvinaria. Lectus pallii opertus, cortina ambebatur purpurea: sed, si revolveres operimenta, invenires surperjectis laneis complosa stramina & paleas conglobatas. Alloquitur fratres non sine lacrymis, miscens sermonibus avulsa a corde suspiria; hortatur, & consolatur: & se inter nos fratrem & socium, non dominum exhibet vel magistrum. Cumque eum ibi morari diutius non pateretur magna eum prosequens comitantium multitudo; salutatis fratribus, iter in Italiam dirigens, abscessit. Ex his postremis verbis manifeste conficitur, Eugenium post concilium Remense prius adisse Parisios, quam Claram-vallem: siquidem ex Clara-valle iter suum versus Italiam direxit.*

XXVI.
Inde Cistercium.
b S. Bern. vita lib. 4. c. 7.

Relicta ægre Clara-valle sua, Eugenius Cistercium, instante capitulo generali, progressus est. Illic abbatibus *juxta morem* congregatis, ut Gaufridus b in vita S. Bernardi testatur, *prædictus papa venerabilis adfuit, non tam auctoritate apostolica præsidens, quam fraternæ caritate residens inter eos, quasi unus ex eis.* Cisterciense capitulum idibus Septembris celebrari mos erat. Tunc etiam Raynardi abbatis rogatu ejus loci cœmeterium amplificatum benedixit pontifex, & surdo puero auditum restituit. Post hæc Eugenius in Italiam remeavit.

XXVII.
Stephanus Obazinam Cistercio subdit.
c Baluz. miscell. to. 4. p. 117. § 17.

Antequam Cistercio recederet, Stephanus Obazinensis abbas, qui jam dudum Cisterciensi ordini monasterium suum subicere cupiebat, *memoratum papam adiit*, ut in ejusdem Stephani actis c legitur, *& quid animo gereret, apostolicis auribus inimitavit, subnixæ deposcens, ut suum desiderium ipsius auctoritate ad effectum perduceretur.* Mox pontifex Rainardum accersit, eique præcepit, ut Stephanum in conventum patrum duceret, sanctoque ordini sociaret. Nec mora ab universis abbatibus in societatem ordinis est receptus, & domui Cisterciensi speciatim assignatus. Unum huic receptioni obitare videbatur, quod Stephanus non modo viros, sed etiam feminas gubernandas suscepisset. *quod Cisterciensium ordo omnino vetabat. Attamen pro Stephani amore cuncta admissa sunt, spontente domno Rainardo, qui eum ut suam animam diligebat, quod cuncta ordini adversantia paulatim aboleret, ne repentinam mutationem novella adhuc domus ferre non posset: ita tamen, ut sanctæ illæ feminæ semper in ordine permanerent.* Stephanus ad hunc modum in societatem receptus, Cistercio discedens, secum duxit *magistros egregios*, qui suum monasterium Cisterciensium ritibus informarent. Inter ceteras mutationes usus carniæ, quem hæctenus minime noverant Obazinenses, infirmis concessus est: quod vir Dei valde improbat, adeo ut nonnihil commotus aliquando dixerit, Cistercienses *carnificinam introduxisse in domum Dei, cum videret propter infirmos aliquod ex animalibus jugulari.* In illo Cisterciensi capitulo *trecentos & eo amplius abbates* interfuisse tradit anonymus Stephani vitæ scriptor, quibus Rainardum Cisterciensem *elegantia personæ, generis nobilitate, humilitatis decore, & religionis fervore præeminuisse* dicit. Mirum quod S. Bernardum non exceperit. Anonymus iste in *quodam monasterio puer traditus fuerat: sed quorundam factionibus inde avulsus, revolutusque ad sæculum, demum a Stephano Obazinensi susceptus est pro amore Dei & parentum suorum gratia, & ab eo Cistercium missus, monasticum habitum a Rainardo susceperat: indeque post duos annos a Stephano abbate Obazinam revocatus, atque ab ipso regulariter in monachum benedictus.*

d ibid. p. 118.

ANN. CHR.
1148.
XXVII.
Serlo abbas Saviniacum aliamque monasteria

In eodem capitulo Serlo Saviniacensis apud Abrincates cœnobii abbas monasteria sibi subiecta, quæ numero circiter triginta erant, itidem Cisterciensi familia per manus Bernardi abbatis Clara-vallensis adjunxit. Hic erat Saviniaci abbas quartus a beato Vitale, qui monasterium anno MCXII. condiderat. Vitali post decem annos Gaufridus successit, religione fervens, qui multa monasteria exstruxit, post sexdecim annos regiminis mortuus anno MCXXXVIII. Huic post Evanum, qui parvo spatio temporis Saviniaco præfuit, successus est Serlo, quartus ejus, ut dixi, abbas. Hic ex Valle-Badonis juxta Bajocas oriundus, prædicti Gaufridi in sæculo discipulus extiterat: tum monachus primum, ut ille, in Cerafensi Bajocensis diocesis monasterio, qui eo relicto, *pro majori religione* Saviniacum expetiit. Verum, quia monasteria illi subdita pro arbitrio suo ipsi non obtemperabant, ea Cisterciensi ordini & se ipse subjecit. Quam ob rem ei *concessus est prioratus omnium abbatum ordinis per domnum Cisterciensem & quatuor primos abbates*, ut scilicet primum post quinque primos abbates in confessu locum Serlo abbas, ejusque successores haberent. Post illam unionem, cum annis tantum quinque abbatis dignitatem retinisset, eam abdicavit, & Claram-vallem se recepit, ubi anno MCLVIII. cursum vitæ feliciter absolvit. Eo ipso anno Richardus de Corceio, ejus in abbatiali munere successor, anno præfecturæ quinto itidem cessit, & locum fecit Alexandro Clara-vallensi monacho, qui prius Grandis-silvæ abbas fuerat. De aliis Saviniaci abbatibus, præter Neustriam-piam, consulendum chronicon Saviniacense, a Baluzio editum in Miscellaneorum tomo IV.

Cum Malachia Hiberniæ primati innotuisset, Eugenium papam in Franciam venisse; eum adire statuit vir Dei, ut pallium, quod ipsi ab Innocentio promissum fuerat, requireret. quod se facile adepturum ab eo pontifice confidebat, qui Clara-vallis peculiaris extiterat alumnus. At varia intercessere impedimenta, quo minus papam assequeretur: in primis trajiciendi ex Anglia in Franciam difficultas, ob simultatem inter summum pontificem & regem Angliæ occasione Theobaldi Cantuariensis archiepiscopi ortam, *quod rex nescio quid mali suspicaretur de bono illo homine si transfret.* quamquam nec alios episcopos transfere sinebat. Ob hoc igitur aliaque impedimenta retardatus ab itinere Malachias, serius in Franciam appulit, quam ut pontificem hic assequeretur. *Fam enim abierat, & erat Romæ, aut prope Romam,* teste Bernardo. Divertit itaque vir sanctus ad Claram-vallem, ubi pro voto suo erat moriturus. Illuc autem accessit quinto aut quarto die ante festum sancti Lucæ, id est ante quintum-decimum kal. Novembris, quo die missam in Clara-vallensi ecclesia celebravit. Ex quo intelligitur, Eugenium statim a capitulo Cisterciensi Italiam repetiisse: siquidem jam Romæ vel prope Romam erat, cum Malachias Claram-vallem attingit. Quanto cum honore ac jubilo illic acceptus sit, explicat ipse Bernardus. Verum lætitia illa brevi in moerorem conversa est. *Fam quatuor aut quinque dies*, inquit, *hujus nostræ sollemnitatis defluerant, cum ecce die sollemni beati Lucæ evangelistæ missa in conventu sua illa sancta devotione celebrata, febre correptus, lecto decubuit.* Mox illa sensit instantem mortem; cumque fratres, qui cum eo venerant, dicerent non esse despondendam vitæ spem, nullaque signa mortis in eo apparere: Oportet, inquit ille, hoc anno Malachiam exire de corpore. Ecce appropinquat dies, quem, ut optime nostis, semper optavi. Non fraudabor, Deo dante, relicto desiderio mei, qui partem jam teneo, nempe Claram-vallem. Qui me sua misericordia perduxit ad locum quem petii, terminum quem æque volui non negabit. Quod ad hoc corpusculum pertinet, hic requies mea: quod ad animam, Deus providebit, qui salvos facit sperantes in se. Nec parum spei repositum est mihi in die illa, scilicet defunctorum, qua mortuis tanta a vivis beneficia impenduntur.

XXIX.
Malachia obitus & sepultura in Clara-valle.

Nec longe aberat ipsa dies, cum talia loqueretur. Inter ea jubet se sacro oleo ungi. Egresso conventu ut id sollemniter fieret, non sustinuit ut ad se ascenderent fratres: ipse ad eos ex solario domus superioris, in quo jacebat descendit. Ungitur, & sumto viatico, ubi se fratrum precibus, & fratres Deo commendasset, ad lectum revertitur. Die festo omnium sanctorum, cum ille in extremis ageret, consummato novo Clara-vallis monasterio, quod ab annis fere quatuordecim inchoatum erat, ossa primorum patrum e veteri monasterio in præparatum locum translata sunt. Sub noctis crepusculum, cum jam festi diei expleta esset celebritas, vir

ANN. CHR. 1148. Deī ad exitum properabat. Mox vocati fratres adfuere. Et ille, sublatis in cælum oculis: Desiderio desideravi, inquit, hoc pascha manducare apud vos. Gratias Deo, non sum fraudatus a desiderio meo. Habete curam mei; & ego vestri, si licuerit, non obliviscar. Licebit autem. Credidi in Deum, & omnia possibilia credenti. Amavi Deum, amavi vos; & caritas numquam excidit. Tum suspiciens in cælum. Deus, inquit, serva eos in nomine tuo; non solum autem eos, sed & omnes, qui per verbum ac ministerium meum in tuo se mancipavere servitio. Dein impositis singulis manibus, iisque benedictis, pausatū ire jubet, quia nondum venerat hora ejus. At circa medium noctis vocati adfunt omnes, abbates quoque multi qui convenerant: quibus omnibus orantibus, & eum commendantibus, vir sanctus in Domino feliciter obdormivit anno ætatis suæ quinquagesimo-quarto, & quidem loco & die, quo optaverat, anno ab incarnatione Domini MCLVIII. IV. nonas Novembris. Sepultus est in ecclesia sub arcu, ibique hætenus in abside ad dexteram tumuli S. Bernardi jacet ejus corpus præter caput, quod in peculiari scrinio in saculario cum ansato ejus calice asservatur. Epistolam^a de ejus transitu Bernardus statim scripsit ad fratres Hiberniæ, quorum hortatu, & maxime Congani abbatis, exitium de ejus vita & gestis librum scripsit. Ad hæc duos sermones ad fratres suos de eodem habuit.

^a Bern. ep. 374.

XX X.
Humbertus
quoque pie
obit.
^b V. lib. 77. n.
12.

Eodem anno in Clara-valle piissime quoque decessit venerabilis Humbertus, olim Igniacensis^b abbas, non triennio ante, ut putavit Manricus. Anno quippe MCCCXVIII. abdicata præfectura se recepit ad Claram-vallem, ubi *decennium* supervixit. Sermonem in ejus obitu habuit Bernardus, in quo ejus vitæ summam retulit. *Quinquaginta & eo amplius annos vixit in servitio illius, cui servire regnare est.* A prima ætate Deo consecratus in monasterio Casæ-Dei, ibidem monachus annis viginti vixit. Inde translatus ad Claram-vallem, triginta illic annos ab ipso pæne monasterii principio degit, computatis annis, quibus Igniacensi præfuit; utrobique conversatus non modo sine querela, sed & cum gratia. Eminebant in eo paupertatis amor, mansuetudo, humilitas. Cum ad decrepitam pervenisset ætatem, & præter incommoda senectutis multis infirmitatibus conficeretur; erat tamen animus victor anorum, & cedere nescius senectuti. *In refectorio, vix communibus utens cibis, si quid forte aliud ei apponeretur, aut non accipiebat, aut moleste.* Decreverat aquam bibere semper, si Bernardus non obstitisset. Vinum si quando bibere cogeretur, ita illud aqua obruebat, ut vinum potius colore, quam sapore videretur. Vix unquam obedientia compellente infirmitatum subiit; vix, cum subiisset, in eo teneri potuit; in hoc solo forte non omnino probandus, quod in necessitatibus corporeis sublevandis minus obediens esset. Mortuum luxit Bernardus, non propter eum, quem beatum reputabat, sed propter seipsum, sibi ademptum dolens *fidele consilium, auxilium grande, virum unanimum, virum secundum cor suum. Non ploro, inquit, Humbertum (neque enim ille plorandus est, qui vocatus est ad mensam divitis) sed super me, & super vos ploro, super domum istam, super ceteros fratres nostros, qui omnes ab ejus ore consilium expectabant.* In fine Bernardus fratres suos hortatur, ut ejus exemplo vanis cogitationibus, otioso sermone, jocis, & scurrilitatibus abstineant, in quibus eos multum de vita & tempore suo perdere queritur. Ceterum mirum est Bernardum in toto illo sermone nullam de abbatiâ Humberti munere facere mentionem, forte quod se invito illud abdicasset. Humberti obitus diem Manricus die septima Decembris, Chalemotus septima Septembris notat. Interim in Igniacensi apud Remos monasterio Guericus abbas, Humberti successor, pietate & doctrina florebat, ut probant egregii ejus sermones, de quibus alias differemus.

XXXI.
Latiniaci abbas
etc.

In brevi chronico Latiniacensi, quod ex Romano codice descripsimus, Radulfo abbati Godefridus, aliis Galfridus seu Gaufridus II. hoc anno in abbatiam successisse dicitur. Varia ejus fortuna in præfectura fuit. Radulfum Perronensem seu Viromandensem comitem infestum passus, Romam profectus est, ut Hadriani IV. tutelam contra eum impetraret. Nec minus adversum habuit Henricum Campaniæ comitem, qui *communione* seu *communiam*, ut tum vocabant, Latiniaci erigere volebat. At longe infestior in eum fuit actio abbatum provinciæ Remensis, qui eum apud Hadrianum papam multum infamarunt, ut suo loco videbimus.

XXXII.
Hugonis abbas
in Marchia-

[Ad res Belgicas quod attinet, hoc ipso anno electus est in Marchianensem abbatem vir eximii meriti Hugo Tornacensis S. Martini monachus. Hic Tornaco urbe

regia natus, puer adhuc iis præditus fuit virtutibus, quæ suæ conveniebant ætati. Adolescens Lauduni sub Albrico archidiacono & magistro philosophiæ operam dedit, ubi socios sibi elegit, qui magis essent magistri quam focii, scholares honestate probabiles, maturitate graves: in his Galterium de Mauritania qui postea ad episcopatum Laudunensis ecclesiæ promotus est. Remos ad S. Remigium transeuntem Albricum sequutus est magistrum, sub quo eum fecit profectum, ut admirationi esset. Erat tunc inter ceteros illic philosophantes vir probis moribus Robertus tunc clericus, post monachus de Clara-valle & abbas secundus, qui adolescentem domi docebat, & magister ei fuit non communi cum ceteris contento lectione: cujus gravitas multum illi profuit in ætate non gravi. Potabat de pectore viri cum aqua sapientiæ lac doctrinæ: cujus affatus & aspectus ad æmulationem virtutis fiebat discipulo non parum salutaris.]

[Mortuo patre, mater ejus vidua plurimis abundans divitiis, suam cuique nato-rum partem dum adhuc superstes esset delegavit; suam quoque Hugoni in patriam reduci de paterna hereditate partem providit, quem præ ceteris diligebat, & ad cujus pendebat consilium. Sed cum parentes & amici suaderent ut aliquod ecclesiasticum beneficium pretio dato sibi compararet; respuit simoniacam labem, & mundus ei magis ac magis coepit vilescere. Crescente desiderio vitæ altioris, ad monasterium S. Martini inscia & insalutata matre cum socio convolvit. Sed quod in occulto fecerat occultum fieri diutius non potuit in populo. Fit rumor Hugonem non tam raptum, quam furatum. Irruit cum gladiis & fustibus parentum fortitudo; multitudo occurrit, effringunt fores, currunt & quarunt per angulos. quod ut ille agnovit, finite me, inquit, exire ad eos, ætatem habeo, ipse pro me loquar. oblatum Christo, confixum cruci, hostiam suam auferre non poterunt. Et procedens, ut viderunt eum in sancto habitu, projectis armis, & lacrymis ora perfusi, dederunt clamorem in excelso. quos ille inflexus ad fletus paucis consolatus, cum obsistere jam non possent, dimiserunt eum in manu Domini.]

[Positus in tirocinio, amator ordinis & sollicitus ne unum quidem apicem regulæ præterivit. Tempore lectioni assignato huic exercitio in primis operam dabat, tamque tenaci gaudebat memoria, ut quod vel semel legerat numquam oblivisceretur. Divinis officiis devotus assistebat, nec cessabat die ac nocte laudare nomen Domini. In mensa adeo parcus erat, ut aliquando matri flenti & interroganti quomodo tam delicate enutritus tam dure vivere posset, veraciter responderit, quod in austeritate illa & paupertate delectabatur sicut in omnibus divitiis. Singularitates nihilominus in omnibus vitavit. Variis probatus tentationibus, verum se ac fidelem Dei servum demonstravit, in cunctis victor evadens.]

[Præerat tunc Tornacensi cœnobio Segardus vir religiosus, qui Odoni primo post restorationem abbati ad episcopatum Cameracensem promotus successerat. qui quidem Odo Hugonem de sacro fonte susceperat, quem Segardus monachum fecit. Videns autem eum quotidie ad interiora tendere, in pascendis ovibus suum constituit adiutorem, multum diligens & fidens in eum. Cumque Segardus infirmitate oppressus sentiret se ad mortem appropinquare, ab apostolicæ sedis legato casu illuc accedente petiit se absolvi, & alium sibi viventi subrogari. qui quidem exauditus est, & alterius electio fieri fratribus imperata. Cum vero unum ex ipsis litteratura & parentela fatis idoneum, sed minus digne Deum quærentem fratres vellent eligere pastorem, Hugo obstitit & pravorum non permisit prævalere consilium.]

[Matri suæ quæ ab ejus consiliis una pendebat, auctor fuit ut venditis omnibus quæ possidebat daret pauperibus, egredereturque de terra & de cognatione sua, & veniret in terram quam monstraret ei, ut ibi quietius vacaret Deo. Acquievit illa. Cumque relictis omnibus, educeret illam, Clementia nobilis comitissa Flandrensis, in loco qui dicitur Falsus-mons monasterium construebat feminarum hoc tempore: auditoque quod mulier virtutis foret, multisque prodesse posset, magnis precibus instans, ad exemplum aliarum profuturam ibi voluit retinere. Sed Hugo filius ejus non permisit, quia prope erat locus cognationi suæ; sed in remotiorem secretioremque locum juxta Noviomum, qui dicebatur *apud S. Amandum*, eam perduxit, & manens cum ea per aliquot dies docuit illam ea quæ & ipse fecit; condiens mentem ejus & ventrem pane doloris & aqua angustia, monebat facere dignos patientiæ fructus, & digne in omnibus conversari.]

[Rediens autem ad suos Hugo, tribulationem & dolorem invenit & nomen Domini blasphemari. Nam & caput erat languidum & omne cor mœrens. Pastore inique agente, disciplinæ totius vigor emarcuerat. Quapropter Hugo frequenter hominem convenire, secreto corrigere, ut se corrigeret, aut liceret sibi egredi foras, & ire quo viveret Deo. Non defecit oratione ad Deum, prece ad omnes qui poterant, consilio apud ipsum, verbis & monitis salutaribus, donec ille cessit, & alter qui dignus erat ejus loco subrogatus est.]

[Latatur in his & delectatur nimis vir religiosus; videns religionem denuo reformatam in formam pristinam, quæ paululum ante tota ibi languebat, & non habebat speciem neque decorem. Et cœpit esse unus ex illis, qui vigilabant pro ea, veterosas consuetudines abolendo, male radicata evellendo plantationes in spiritu vehementi & brachio extendo. Unde & timentibus Deum erat amori, & terrori facientibus mala. Contigit autem ut frater quidam laicus ex hac migrans vita habens duorum solidorum loculum positum in loco ad servandum, contristatus vir Dei valde tam pro defuncti periculo, quam pro scandalo superstitem, licet de recenti febre acuta qua vexatus fuerat adhuc debilis, ipse per se tumulum effodit, extrahit foras jam fœrentem, triduanus enim erat, & ejectum in sterquilinio re collocavit, ubi viderent eum omnes qui prætergredebantur viam, *pecunia*, inquit, *tua tecum sit in perditione.*]

[Quanta apparuerit ejus constantia in morte matris, quam siccis oculis sepelierit, & in cæde fratris, miraculo fuit & stupori. Nunciatur sub nocte occisus, impia quippe prodicione ab hostibus suis præventus est & percussus. Et quid ille? in cymbalis bene sonantibus alta voce & indefessa mox ad vigilias incipit laudare Deum judicem justum, sciens jussu Domini esse factum terribilis in consiliis super filios hominum. Vultus quoque illius non sunt in diversa mutati, sed potius mutavit omnes, & qui imitari non poterant, mirati sunt universi. Repleti sunt extasi qui sciebant esse germanos, & hunc ita absorptum in spiritu, ut viscera sua a se avulsa sciret & non sentiret.]

[Inter præcipuos amicos & familiares, quorum consiliis utebatur, in primis recensendus est S. Bernardus Claræ-vallis abbas, & Guericus Igniacensis, ad quos sæpius veniebat a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Quotiens de mane usque ad vesperam incubati intro erant, pæne obliti quod erant, nisi mente excedentes Deo, etiam cum apostolo sobrii essent? Hinc factum est, ut & propositum eorum & ordinationem & cohabitationem valde desiderans satis votis fecisset, nisi permanere ea in vocatione qua primo vocatus fuerat auctores fuissent. Unde & aliquando ardenti desiderio id implere cogitans, adeo ut nullam requiem dare posset spiritui suo, cum interventu abbatis Igniacensis id perfici imploraret, cum esset in terra sua a Clara-valle responsum habuit, quod datum est amico & de amico dictum: Ire dicite, sanctus ille, dicite illi: Sic eum volo manere donec veniam. Quod cum accepisset verbum, confortatus est, & acquiescens consiliis eorum, sic usque ad mortem permanfit.]

[Per id tempus evocatus a Noviomensis monasterii sancti Eligii abbate, qui postea fuit episcopus Ambianensis, constituit eum subpriorem: quo in munere nemini obfuit, profuit multis. Cumque abbas Romam proficisceretur, vices suas ei commisit totius ordinis & disciplinæ conservandæ. Verum post annum a proprio revocatus abbate, prior Tornacensis monasterii factus est, nec multo post abbas Marchianensis, translato ad S. Medardum Ingranno, eligitur anno Verbi incarnati MCXLVIII. præcognita divinitus dum missam celebraret electione. Anno igitur ætatis XLVI. consecratus, Marchianas venit, ubi sollempniter receptus suscepit pastoris curam. Sciens autem quod non tam venerat præesse quam prodesse; sic præfuit quasi præesse nesciret, homo mitis & humilis corde. Nihil de antiqua conversatione eliquatum est, immo qui illum præfecit, multiplicavit in anima virtutem. non priorem humilitatem abjecit, quanto sublimior, tanto humilior factus est in omnibus. Æqualis omnibus & magnis & minimis erat, nisi quod frequenter minores plus possent apud eum, familiarius loquerentur, asciscerentur frequentius; erat enim cum simplicibus sermocinatio ejus. quippe nec adulari solebat, nec diligebat adulatores. Pater erat pauperum, eorum nemo ab eo abibat indonatus, foris & intus stipem ab eo congruam reportabant. Redeuntem de via chorus puerorum & pauperum se que-

batur intrantem, nemo qui clauderet eis percepti æris annonam de manibus ejus. In vultu, in habitu, in incessu & aspectu formam religionis & pietatis habebat, humilitatis præferebat speculum, notæ scandalum auferebat.]

[Verum ut cumularentur merita ejus, cumulata sunt & flagella. Contigit ut equitante eo hieme juxta præcipitium collis, cadente equo & ipse concideret pariter; & graviter nimis toto corpore contritus est: quibuscumque ei sanando adhibitis remediis, vix credi potest quantos & quam acutos perpeffus est dolores, quos latanter sustinens ad gratiarum actionem conversus, toto corde laudabat Dominum, qui elevans eum alliserat, & universum stratum ejus vertisset in infirmitate. Hoc solo tristari, quod interim sibi quietum jacere, & divinis cum aliis interesse non poterat. Nunc, inquit, dormiens sileo cum fratres mei frigore constricti in vigiliis multis horrida membra gerant tantæ hiemis pressi asperitate. Quadam vero nocte audivit vocem dicentem sibi a Domino esse sanatum. qui evigilans & visionem nocte pertractans, fratribus euntibus ad processionem per claustrum, quia dies solemnis erat, ipse in templo remansit, baculum projecit, & in nomine Domini it solus & rectus exultans ut gigas ab currendam viam a summo chori usque ad summum ejus.]

[Anno ordinationis suæ sexto cœpit ædificare templum. Interim variis tentationibus & morbis probatus tamquam aurum in fornace; sed præcipue quinto ante obitum mense, cum dolor ingravesceret, mirum quanta alacritate illum toleraverit. Abstulit ab eo Deus omnem mundi consolationem, & renuebat consolari anima ejus, ut esset de illis, qui in cælis consolabantur. In omnibus patientiam tenens, numquam stultum aliquid locutus est. Immo operi Dei tam sedulus assistebat, ut non intermitteret quicquam, quin potius dicto fallentes reprehendere, defidiosos corripere, & excitare pigros. Missas aliquando faciebat tam devote, tam sollicitè, ut illi sanctæ & consuetæ suæ devotioni gravis ægritudo nihilum abstulisse, immo plurimum auxisse videretur. Quinto-decimo ante transitum suum die gravari amplius cœpit & anxari. Prævenerat refectione pridiana sacri viatici agonem suum quem habiturus erat, ne deficeret in via, missa cantata de Spiritu-sancto. Ipso Dominica ascensionis die meliusculum haberi cœpit, per se ad templum venit, nec diei & templi Dominus suis sanctis in sollempniis divinis officiis eum fraudavit. quibus expletis, ipsa die confidentibus fratribus enixe petiit a munere pastorali absolvi, & dum adhuc viveret alium ei subrogari. At illis abnuentibus & abeuntibus, flens **Deus**, inquit, tu scis quod semper eos dilexi quantum potui ex dono tuo, & si non rexi ut debui, ex peccato meo. Unum & bonum mihi quod humiliasti me, si ante mortem permisisses & exui honore isto, & onere ad quod indignus accessi, indignus præfui, nec multum profui & mihi & illis; sed forsitan nec tantum hoc bonum provifum mihi ut vivens id facerem, quod forsitan multum & mortuo prodesset mihi. Ita fatigatus diebus aliquot parvissimo & rarissimo cibo sustentatus, sacro inunctus oleo sicut rogaverat, positus est in cinere & cilicio super terram, non molle aliquid sibi supponi sinens; & humilians in jejuniis animam suam, corpore deficiens, virtute potens, priorem constantiam non amisit. Nam Deo & sibi semper intentus, etiam ad illas horas in quibus consuetum & canonicum stare constat, surgens & ipse pedibus suis, ibi stabat super cilicium, & maxime ad illas quæ decantabantur ad honorem genitricis Dei. Et cum a fratribus suis dominus & pater appellaretur; non inquit me patrem, & dominum debetis vocare super terram, sed infelicem, & miserum, sum etenim. Interea dum exesa jejuniis membra duræ terræ attereret, coactus a fratribus re collocatur in lectulo. Ipse vero mortem quidem protractam & non evasam dicens, expectabat diem atque horam.]

[Instabat sollempnitas Spiritus-sancti & sollempnes vigiliæ agebantur. In ipsis vigiliis, quæ magis lugubres quam celebres ante eum agebantur, deficiente præ dolore spiritu suo, cum nihil voce dicere posset, sese lecto excutit, surgit aut stat aut sedet secundum morem & ordinem qui ad opus Dei in ecclesia servari solet. Inde ad lectum revertitur, & tribus diebus sequentibus sic mansit non manducans neque bibens, usque dum quarta nocte factus in agonia prolixius cœpit laborare, quia properabat ad requiem. Et cum jam nulla verba edere posset, aquam benedictam signo innuit sibi afferri. offertur & aspergens se ipsum & fratres, trina vice pectus tundens, quam devote confiteretur Deo in cogitationibus, qui verbis non poterat, omnibus patefecit. Et valde mane orto jam sole cœpit festinare ad transitum, quia

ANN. CHR.
1148.

profecto jam ei aspirabat dies aternitatis, & inclinabantur umbra hujus mortalitatis, se aqua benedicta precepit aspergi, & manibus propriis pectus tundens in signum confessionis, ut poneretur super terram significavit. Quo facto, convocantur omnes, adsunt filii sui, qui muniens seipsum signo & ligno crucis, demumque cum non posset levare manus ad consignandam frontem, pollicem pectori imprimit & consignat, hoc jaculo christianae victoriae hostem communem aggrediens & perturbans de finibus suis. Anno aetatis suae quinquagesimo-sexto venerabilis Hugo, tamquam aurum in fornace probatus, & quasi holocaustum purissimum Deo acceptus, filiis suis astantibus, & inconsolabiliter lamentantibus eum, III. idus Junii migravit ad Dominum, sepultus in oratorio quod ipse construere coeperat cum hoc epitaphio.

*Hugo pater sanctus, humilis, pius atque benignus,
Hoc laet in tumulo, clauditur hoc lapide.
Qui virtute potens, & paupertatis amator,
Hoc templum cepit, quo sua membra jacent.*

*Morum forma proba, lex vitae, vita probata,
Virtus & pietas, virtutum mater honestas,
Tabet in hoc tumulo pater almus, vir pius Hugo,
Cui dedit undena lux Junii lucida regna.*

*Terrea lanugo factus jacet hic pater Hugo
Heu! fons virtutum fit quasi vile lutum.*

XXXIII.
Elnonenses
item & Humo-
larienses abba-
tes, aliique.
a V. lib. 78. n.
93.

b lib. 76. n. 50.

In vicino Elnonensi seu S. Amandi monasterio, cum Galterius seu Walterius abbas, Abfalonis^a successor, annis admodum quinque abbatiam tenuisset, eam abdicavit, secessitque ad Clarae vallense monasterium, ubi nigrum habitum albo mutavit. In ejus locum successit Hugo, ejus nominis secundus, genere Burgundionensis, ut in actis Elnonensium abbatum legitur, sed in Tullensi ortus territorio, ut ex Hermanno Laudunensi monacho superius^b diximus; primum monachus, tum prior S. Johannis apud Laudunum sub Balduino abbate; inde promotus ad abbatiam Humolariensem post alterum Hugonem, qui cardinalis episcopus ab Innocentio papa creatus est. Hugo ille Elnonense monasterium octodecim annis strenuissime rexit, turrim basilicae a superioribus fenestris exaltavit, refectorium & claustrum instauravit, possessiones auxit, amissas recuperavit, vir multae religionis & prudentiae, qui ab omnibus in tota Flandria consulebatur. Ejus tempore Stephanus, villa S. Amandi homo ligius, injustas ab ea consuetudines exigebat: sed tandem eis cessit in praesentia Geraldii Tornacensis episcopi, atque abbatum Gualteri S. Martini Tornacensis, Fulconis Hasnoniensis. Quod Theodericus Flandriae comes litteris suis testatum facit, apud Atrebatum datis anno MCLIV. quibus apposita sunt signa Sibyllae Flandriae comitissae, & Philippi ejusdem Theoderici filii.

Apud Humolarias post Hugonis translationem ad S. Amandum electus est abbas Guarinus, cujus anno primo Robertus de Stabulis monasticum illic habitum induit, deditque monasterio partem decimae, quam possidebat, altaris de Landrecurte. Quod Balduinus Noviomensium praeful confirmavit, uti & donum altaris de Marceio, * quod vir memorandae memoriae Simon, ejus antecessor, Humolariensi ecclesiae fecerat. His litteris adscripta sunt signa Guibardi abbatis S. Eligii, Gilberti abbatis S. Nicolai de Silva, Rainardi abbatis S. Praejecti, Balduini abbatis S. Quintini de Insula, Hugonis abbatis S. Quintini de Monte, & Aldrici abbatis S. Theoderici e nostris; necnon Abfalonis abbatis S. Bartholomaei apud Noviomum, Rainaldi abbatis Hamensis, & Alulphi abbatis S. Mariae Calniacensis ex ordine S. Augustini. Jam abbas erat Guarinus sub finem anni praecedentis, quo tempore pactum iniit cum abbate S. Praejecti seu Praejecti super altari de Moricurte anno incarnationis dominicae MCLXVII. anno videlicet peregrinationis Francorum indicatione X. Cum Hugo abbas paullo ante, id est pridie idus Maias ejusdem anni, privilegium ab Eugenio papa impetrasset. Idem Hugo praedicto pacto cum Guarino subscribit, vocaturque adhuc abbas anno MCLXIX. quod argumento est, eum quamdam auctoritatem apud Humolarias primis Guarini abbatis annis retinuisse.

XXXIV.
Caedes in ec-
clesia S. Quinti-
ni ut expiata.

In monasterio S. Quintini hoc anno caedes hac occasione accidit. Quidam temerarius alium quemdam, quem hostiliter persequeretur, occidit, & ut vitae suae consulere

ANN. CHR.
1148.

consuleret, in ecclesiam S. Quintini de Insula confugit. Tum Balduinus abbas mox laudatus, ejusque monachi facti horrore perculsi, ostia ecclesiae claudunt & obserant. Mox jurati, totaque illius villa communia, furore perciti, & armati, fores ecclesiae confringunt, reumque illum, qui brachiorum complexibus crucis stipiti inharebat, sagittis & lanceis confossum in terram dejiciunt, & multis vulneribus perforatum interficiunt. Verum non multo post ad se reversi, facti poenitentes, Balduinum abbatem conveniunt, & in sceleris piaculum pontes, quibus monasterium Insulae adiri mos erat, se in perpetuum facturos & reparaturos promiserunt, sicque data eis venia est.

[Hoc ipso anno Samson archiepiscopus Remensis praedicto S. Quintini in Insula abbati Balduino Leprosariam concessit, hoc est terram extra S. Quintini castrum, in qua Leprosorum constituta erant mansiones cum capella, ea ratione, ut quidquid a fidelibus collatum fuerit, ipse & successores infirmis & eorum sacerdoti, qui ad eorum arbitrium institueretur, pro voluntate secundum Deum erogarent. Ipse vero presbyter curam ipsius loci ab episcopo Noviomensi accipiat, debitamque obedientiam ipsi exhibeat. Ceterum abbati S. Quintini subiectus sit & obediens in omnibus. Subscribunt Joslenus Sueffionensis, Bartholomaeus Laudunensis, Nicolaus Cameracensis episcopi, Odo S. Remigii, Aldricus S. Theoderici, Ursio S. Dionysii abbates & alii multi. Actum Remis anno incarnati Verbi MCLXVIII. indicatione XI. regnante Ludovico rege Francorum anno XIII. archiepiscopatus autem domini Samsonis anno IX. Drogo cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit.]

Leprosaria da-
ta S. Quintino.

In Hannonia, dioecesi Cameracensi hoc anno conditur Camberonense monasterium ad Harbam fluvium ab Anselmo de Perrona, canonico Sonegiensi*, qui quidquid eo in loco possidebat, S. Bernardo dedit; & a Nicolao Cameracensi episcopo postredie S. Lucae consecratur. Primus ejus loci abbas Fastradus seu Fastredus, cui Hugo secundus Elnonensis abbas, mox laudatus, interventu Geraldii Tornacensis episcopi & Philippi prioris Clarae-vallensis, anno MCLIII. remisit omnes decimas, quas fratres Camberonenses Elnonensibus debebant ob *grangiam*, ut vocant, quam apud Lombisfolam habebant. Decennio post idem Hugo, ad preces Gerardi Camberonensis abbatis, eidem monasterio contulit, quidquid apud Lombisium & Lombisfolam possidebant Elnonenses. De Fastrado abbate plura inferius. Apud Camberonem etiam nunc visitur beatissimae Virginis imago, quam cum Judaeus quidam anno MCCCXXII. telo violasset, Johannes-Fabri Liptinensis hanc injuriam duello ultus est.

XXXV.
Camberonen-
se monaste-
rium conditur.
* de Sognies.

Sub id tempus Wibaldus Stabulensis abbas, de quo in superioribus^a non semel egimus, mortuo Theoderico abbate, ad Valciodorensem praefecturam postulat. quod ubi rescivit, Valciodorum^b venit, & ab hoc onere sese humi prostratus excusavit, quippe qui jam Corbeiensem abbatiam cum Stabulensi administrandam habebat. Non tamen Valciodoro discessit, donec ejus consilio Robertus Stabulensis decanus Valciodori abbas electus esset, & non solum a Valciodorensibus, sed etiam ab Hasteriensibus receptus. Hic utriusque ecclesiae statum, quem deformatum invenerat, in melius reformare studuit non sine quorundam obloquiis, qui de scientia ac genere suo praesumebant. At ille eorum arrogantiam parvi pendens, omnes ejecit, donec, debitis persolutis, rebusque ac redditibus omnibus in pristinum statum revocatis, eos ipsos amicos & sibi addictos fecisset, quos prius obloquentes habuerat. Idem Robertus Falemannensem ecclesiam, quae a primordiis quatuor sacerdotibus commissa, tunc ad unius vicarii ministerium redacta erat, ceteris necdum sacerdotio initiatis, ea conditione adeptus est, ut decedentibus clericis monachi substituerentur.

XXXVI.
Robertus ab-
bas Valciode-
rensis ejusque
successores.
a lib. 76. n.
100. & 101.
b Spicil. tom.
7. p. 572. &
seqq.

Roberto rebus humanis exempto sub annum MCLXXIV. Petrus, ex Hasteriensis domo primus ab utriusque loci fratribus unanimi consensu electus est, necdum tamen monachum professus: quem ob morum probitatem laudat chronographus Valciodorensis, sed in eo reprehendit, quod honoris praerogativam, quae Valciodorensi ecclesiae debetur, ad Hasteriensis transferre tentavit. Hic statura procerus & decorus, nescio quod caeleste ac divinum se intuentibus praetulisse dicitur, precibus insistere solitus, ut gregem suum Deo commendaret. Appositus est ad patres suos in senectute bona post annos circiter quindecim praefectura. De Liberto ejus successore inferius agendum.

Annal. Bened. Tom. VI.

LII

ANN. CHR.
1148.
XXXVII.
S. Pantaleonis
Wolbero ab-
bas doctus.

^a *Chesn. to. 4.*
^{p.} 529.
^{*} *Wolbero.*

^b *Bucelin. topog.*
Germ. to. 2. p.
25.

XXXVIII.
Wibaldus ab-
bas vexans
monasterium
suum comprimit.

Toti regioni
pacem reddidit.

XXXIX.
Instant Cor-
beienfes ut ad
eos revertatur.

Coloniae in monasterio S. Pantaleonis Gerardus Rudolphi successor, magni nominis abbas dictus a Bucelino, post annos decem regiminis, cum senio confectus abbatiam resignasset, hoc anno expiravit vi. nonas Octobris. Hunc excepit Wolbero, religione non minus quam eruditione clarus, qui libros iv. in Cantica canticorum scripsit, in lucem editos Coloniae anno MDCXXX. Exstat ejus ad Sugerium epistola inter Sugerianas, ^a hoc modo inscripta: *Domino & patri suo amantissimo, Dei gratia beati Dionysii abbati Sugerio, W.* abbas S. Pantaleonis in Colonia, quidquid devotius offerre potest corpore & spiritu.* In hac epistola gratias agit ejus excellentiae, quod se pro puero nepote suo, cum Remis esset, exorantem tam benigne exaudisset; atque, si quid per nuntios ejus in urbe Coloniae pro ejus voluntate seu utilitate agendum sit, se & patrem pueri ad ejus obsequia paratos esse. *Valere in Domino*, inquit, *& captum pietatis opus nobis servis vestris in puero ostendite.* Forte puer ille ad studia Parisios missus erat. Non dubito, quin Wolbero Remensi concilio interfuerit, ubi Sugerium pro illo puero rogaverit. S. Pantaleonis monasterio annis octodecim ^b praefuisse, & anno MCLXVII. obiisse dicitur apud Bucelinum, qui ejus successores commemorat.

[Post suum a concilio Remensi discessum, Wibaldus abbas in Stabulensi monasterio propter varias dissentiones & pressuras quae regionem illam infestabant, remoratus est, ac Domino cooperante, conatusque ejus confirmante, in circumjacentibus fere omnibus locis pacem composuit. Anno in primis dominicae incarnationis MCLXVIII. Winandum de *Lemburch*, qui dicebatur de Turri, cum complicibus suis Stabulensem ecclesiam multis rapinis & praedis molestantem, post canonicam ad satisfaciendum evocationem, anathemate innodavit. Ordinante vero divina clementia, & multiplices casus Stabulensis ecclesiae miserante, subito Winandus decessit, nec usquam in toto Leodiensi episcopatu, metu abbatis & excommunicationis more ecclesiastico sepeliri potuit, sed ad omnium infidelium terrorem, vel ad perpetuum Wibaldi abbatis munimentum, *Bailus*, quae juxta *Lemburch* est, extra muros cimiterii sepultus fuit, nec profuit illi quod Henrici Leodiensis episcopi consanguineus, & magnus erat in seculo. At sui non mediocriter dolentes quod sic decessisset, cum magna humilitatis instantia, assumtis secum duobus nobilibus dominis suis Henrico de Rupe & Henrico de *Lemburch*, quorum alter, Henricus de Rupe advocatus erat Stabulensis monasterii, & alterius Henrici amita filius, Wibaldum abbatem adeunt, ut recepta compositione damnorum mortuum suum christiana sepultura non privaret. Post multiplices supplicationes summa ablaturum ad centum marchas supputata est, quas praedicti duo nobiles abbati se daturus promiserunt. Juraverunt praeterea duo dicti nobiles quod nunquam per se vel per summam personam ecclesiam Stabulensem molestant. Juraverunt idem quidam de utrorumque familia, & praeterea homagium domno abbati fecerunt, & ecclesiae Stabulensi fidelitatem juraverunt, &c.

[Praeterea pacem uti diximus in tota patria composuit Wibaldus, ut ipse narrat in epistola LXXXIV. ad suos Corbeienfes his verbis: *Ut autem sciat vestra fraternitas, tempus otiosum non praeteriisse, inter comitem Namurcensem, & comitem de Lon, & comitem de Dalburch, quorum discordia totam terram lacerabat, pacem Deo auctore, usque in festo S. Remigii fecimus. Atque inter comitem de Rupe qui noster est advocatus & comitem de Monte-acuto, qui multorum incitamentis maxima inter se bella movebant, finitivam, & toti terrae salutarem concordiam reformavimus. Adversarios nostros, qui bona ecclesiae nostrae diripuerant divina potentia subegimus, ut nobis nostra cum ingenti satisfactione restituant. Ad sedandam vero ipsam discordiam, quae est inter ipsos & ministeriales nostros, cum diu laboraverimus, paucillum temporis assumimus, in quo omnia, Dei adjuvante clementia, ad perfectum perducere valeamus, & in vigilia assumptionis sanctae Mariae ad vos cum caritatis gaudio pervenimus.]*

[Interea Corbeienfes Wibaldi absentiam impatienter tolerabant, iteratisque ad eum plurimis litteris urgebant, ut omni abrupta mora ad suos reverteretur. *Siquidem dominus Fulcivinus*, inquit, *in quo spem vestram, in magna parte ad tuendas & defendendas res vestras apud nos posueratis, plus omnibus homines vestros de Huxere rebus suis non minus quam ad centum quinquaginta marchas violenter spoliaverit. Villicum vestrum de Immenkufen homines ipsius invaserant & occidissent, &c.* Ad haec respondit Wibaldus tantum dolere de molestiis ipsis inflctis, quantum eccle-

siae quae parvitati ejus credita erat. *Et vos quidem*, inquit, *paucarum rerum amaritudine degustata, de futuris anxie timeris. Sed Stabulensis ecclesia quae nos lacteo pietatis alimento nutrit, & delicta juventutis nostrae & ignorantias nostras non reminiscens, nos, si qua in praelatione existimatur dignitas, ad summum sui regiminis gradum provexit. Interim dum vobis militamus, multiplicibus ac miserabilibus modis in praeda, in incendiis, in quotidiana rapina, in caedibus lacerata est; ad quas contritiones sanandas, ex quo a domino papa recessimus, Deo propitio nobis, ad preces fratrum nostrorum in adiutorium nostrum intendenes non inutiliter laboravimus, & circumstante nos scuto divinae gratiae, inimicos ecclesiae sua prosperitate inebriatos & rebus pauperum nostrorum ditatos, sub jugum ecclesiasticae disciplinae humiliatos vidimus, & quærentes reconciliari ecclesiae quam offenderant, &c.]*

[Anno etiam Domini MCLXVIII. Radulfus Viromandorum comes ad preces Henrici abbatis Vivariensis concedit locum qui dicitur *Javagias* ad construendum oratorium & habitationem congruam ad mansionem sororum suarum, ut ibi remotae a strepitu saeculi valeant deservire. Concedit etiam eis usuarium in nemore tam ad comburendum, quam ad necessarios usus officinarum suarum construendarum per totam forestam, quae ex utraque parte vicina est domui illarum. Testes Petrus episcopus Silvanectensis, Albericus de Roya, Theobaldus de Crispeio, &c.]

In Anglia post mortem Roberti episcopi Herefordensis Guillelmus Glocestriae abbas, Foliotus cognomento, episcopus electus est, anno insequente consecratus. Huic autem ecclesiae cum annos circiter duodecim praefuisset, rege Henrico II. impensius flagitante ad Londonensem translatus est, regi semper constantissime addictus, quod aemulorum invidiam & calumniam in eum concitavit. De illo Johannes Saresberienfis in Polycratico ^a testatum reliquit: *Venerabilis pater*, inquit ille, *G. * Herefordensis episcopus mihi referre consuevit claustralem morem, quem in seipso se fatebatur expertum. Cum enim monasterium ingressus esset, fervens adhuc igne, quem de novo conceperat, magistratum suorum ignaviam arguebat. Nec mora, promtus in modico, miseratione complicitum motus est: nondum tamen pepercit majoribus. Paullo post ad priores ascendit, prioribus compatiens, carpere non cessavit abbas. Factus est & ipse abbas; & propitius in coabbates, episcoporum cepit vitia intueri. Tandem & ipse episcopus episcopis parcat. Nec tamen ipsum invidiae vitio arbitror laborasse: sed vir prudens, quod hominibus quodam modo ingentium est, eleganter expressit. Et forte hoc sibi praefatus pater imposuit, ut sic laborantium turbæ sponte confertus, benignius audiretur.* Optimus sane modus ad curandos morbos aliorum. Excessit e vivis Guillelmus XII. kal. Martii anno MCLXXXVII. quibusdam scriptis posteritati relictis, quae Balæus recenset, sed reticet Pitfeus.

QUAM lætus & gloriosus fuit christianorum exercituum cursus ad loca sacra, tam tristis & infausus fuit anno sequenti eorum reditus, nullo successu, imminutis supra modum copiis & vix ad decimam partem redactis. Tam deploratus eventus contigit partim ex malis nostrorum moribus, partim ex prodicione Græcorum, qui, cum nostris auxilio esse debuissent, occultis contra eos technis se infidelibus sociarunt. Et quidem Conradus imperator maritimo itinere per mare Adriaticum Polam, atque inde Aquileiam appulit: tum illiac profectus tandem in pentecoste Saltzburgum, ac mox Ratisponam rediit, quem Eugenius litteris consolatus est, VIII. kal. Julias Tusculo datis. Ludovicus vero Francorum rex navali itinere domum per Siciliam revertens, a Græcis captus, dum ad Manuelem Græcorum imperatorem Corcyram obsidentem deducitur, a Siculis intervenientibus liberatur: indeque a Rogerio Siciliae rege & ab Eugenio pontifice honorifice habitus, in Franciam circa mensem Augustum revertitur, ut in Appendice Roberti de Monte ad Sigebertum legitur.

Ante christianorum e locis sacris reditum, varias ^b ad Sugerium epistolas scripsit Bernardus, ut eum de variis rebus commonefaceret. Una est, qua eum hortatur, ut se quorundam principum duellis opponat, nimirum Henrici filii Theobaldi Campaniae comitis, & Roberti regis fratris, qui ante alios reverti, *maledictas illas nundinas*, id est torneamenta, ut tum vocabant, post festa paschalia praefixerant, ut irruant & interficiant semetipsos. In sequenti epistola eidem gratulatur, quod ad consilium, tam curiae quam ecclesiae principes convocasset, ut regni

Annal. Bened. Tom. VI.

LII ij

ANN. CHR.
1148.

XLI.
Fundatio monasterii Javagias.

XLI.
Guillelmus abbas Glocestriae fit episcopus.

^a *Polyer. lib. 7.*
^{c.} 24.
^{*} *Guillelmus.*

ANN. CHR.
1149.
XLI.
Christianorum tristis reditus e locis sacris.

XLI.
Variæ Bernardi ad Sugerium epistolæ.
^b *Bern. ep. 376.*
^c *segg.*

ANN. CHR. 1149. gravaminibus mederetur : ut sciant omnes, inquit, qui habitant terram, quia remansit & regno, & regi amicus dulcis, consiliarius prudens, adiutor fortis. tum eundem hortatur ad causam rei publicæ fortiter agendam. In alia epistola ad ipsius Sugerii litteras, in quibus ille de regni malis querebatur, respondet Bernardus, se plurimum dolere, quod mala illa, etsi ejus consilio & voluntate non fiant, ei tamen impurentur. Quapropter ejus zelum ad illa removenda inflammat, ut facile illi, qui hæc committebant, de eo posthac non se pallient, & cognoscant omnes, alienam esse ab eorum numero & consortio ipsius innocentiam. In fine : *Illud autem credatis, inquit, nunquam male me sensisse de vobis. Novi enim vos, & puritatem vestram.* Inigne sane testimonium pro Sugerio a laudato in primis viro.

XLIV. Sugerius regi scribit, reditum suadet. Suger. ep. 57. Prius quam Ludovicus ex oriente reversus esset, scripsit ad eum Sugerius rogavitque, ut quantocius domum rediret, redderet se regno, in quo ejus præsentia desiderabatur: rediisse multos barones, rediisse regni perturbatores: rediret tandem ipse saltem post pascha, ne professionis & sacramenti, quod in coronatione sua regno fecerat, coram Deo reus existeret. Eum tamquam angelum Dei expectari; omnia denique ad illum recipiendum optime parata; domos, palatia vel integra servata, vel diruta reparata: se senem esse, sed in his magis consensuisse & contentum esse nulla cupiditate, nulla alia ratione, quam amore Dei, ipsiusque regis. Forte rex Sugerio aperuerat animi rancorem, quem in Alienordem reginam in illo itinere conceperat. Unde Sugerius de ea prudenter in eadem epistola ei rescribit in hunc modum. *De regina conjuge vestra audemus vobis laudare, si tamen placet, quatinus rancorem animi vestri, si est, operiatis, donec Deo volente ad proprium reversus regnum, & super his, & super aliis provideatis.* Sed tandem regis in reginam suspicio eo utque prorupit, ut divortium cum ea fecerit. quæ res ingentium in regno malorum seminarium fuit.

XLV. Regis ad eum responsio. ibid. p. 94. Ad has litteras benigne respondit Ludovicus, se ex suis desideris ejus metiri affectus. In Calabria partes se primum secure applicuisse iv. kal. Augusti, ubi ab hominibus dilectissimi sui Rogerii regis Siciliae honorifice susceptus sit, & litteris nuntiisque honoratus. Reginam per tres hebdomadas expectatam, tandem Panormum prospere pervenisse. Denique moræ causam quoque fuisse Godefredum Lingonensem episcopum, quem gravis & incerta inter mortem & vitam infirmitas detinuerat: sed demum, habito cum Rogerio rege colloquio, se quantocius reditum suum acceleraturum.

In sequenti ad eundem Sugerium epistola rex addit, se tribus diebus à Rogerio retentum fuisse, & in procinctu discessus reginam infirmari coepisse: sed ea convalescente, statim ad apostolicum tendisse, cum quo per duos dies, & uno insuper Romæ demoratus sit. Ceterum se sanum & incolumem reditum maturare, & mandare, ut uno die secreto citius alii Sugerius ad se venire ne differat, ut de certis rumoribus, qui ad se delati erant, cum eo communicaret: *& hoc tam secreto fiat, inquit, ut quod in presenti scripto continetur, nemo nisi vestra persona cognoscat.* Exstat & alia ad Sugerium Hugonis Senonensis archiepiscopi epistola, qua ei significat, se a quodam puero, quem dominus Belvacensis matri suæ mittebat, ut domini regis adventum nuntiaret, accepisse, dominum regem tantum appropinquasse, quod proxima die Mercurii Cluniaci jaceret. Verum aliis litteris idem archiepiscopus Sugerio scripsit, se de adventu regis certiorum nuntium habuisse per fratrem Galerannum, qui Parisius domum Templi custodiebat, à domino rege redeuntem, qui se eum apud Forum-novum juxta Placentiam reliquisse aiebat. Ad hæc militem sibi dixisse, quod proxima die dominica Cluniaci rex futurus esset. Proinde se Autissiodori Sugerium expectaturum, ut cum eo regi obviam proficisceretur.

XLVI. Henricus ex monacho episcopus Belvacensis. Nullus dubito, quin episcopus ille Belvacensis, qui, ut in superiori Hugonis archiepiscopi epistola legitur, proximum regis adventum matri suæ nuntiabat; nullus dubito, inquam, quin is sit Henricus, Ludovici VI. filius ex Adelaide regina, qui hoc anno ad episcopatum Belvacensem jam electus erat, adeoque ante reditum regis, ut ex illa epistola intelligitur. Fuerat is primum clericus, multique ecclesiæ dignitatibus insignitus, ac demum Clare-vallis sub Bernardo monachus, cujus conversionem refert Gaufridus in libro iii. de vita Bernardi capite iii.

ANN. CHR. 1149. Hic instante professionis suæ tempore ad Bernardum, qui tunc absens erat, scripsit in hæc verba. *De cetero letus & incolumis sum, & expecto videre faciem vestram, sicut faciem Dei. Prope est enim dies desponsationis meæ, quo feriam pactum cum Deo per manum vestram & sub custodia vestra, & serviam ei die ac nocte, & omnibus diebus vitæ meæ.* Hanc epistolam Henrici nomine scripsit Nicolaus Bernardi notarius, pro Johanne Alerenti seu Macloviensi episcopo, qui Claram-vallem profectus erat ad implorandum ejus commendationem apud Eugenium contra monachos Majoris-monasterii, qui litrem cum Johanne habebant. Pro eodem scripsit Nicolaus ipse ad Bernardum: quæ Nicolai epistolæ cum aliis habentur in Bibliotheca Patrum. Professione emissa, cum vix solido anno apud Claram-vallem perstitisset Henricus, invitus ac reluctans ad sedem Belvacensem coopertus est post mortem Odonis III. alterius Odonis successoris: quorum prior S. Symphoriani apud Bellocos abbas, posterior S. Geremari monachus extiterat. Henrici electionem anno superiore factam esse ex Sigeberti Appendice Acheriana colligi potest. De hac electione Petrum Venerabilem consuluit, incertus an ipse assentiret Bernardus, cujus hac de re epistola non exstat. Respondit Petrus, omnia eo tendere, ut Henrici electio a Deo esse credatur: magnum electi meritum; unanimum eligentium consensum; metropolitani assensum; ipsius denique papæ voluntatem. His acceptis, simulque Eugenii in idipsum litteris, Bernardus electioni assensum præbuit. qua de re Henricus scripta ad eundem Petrum epistola queritur, quam a Nicolao Clare-vallensi compositam fuisse verisimillimum est. Certe Petri litteras multum contulisse fratris Henrici promotioni, & ab archiepiscopis & episcopis Franciæ libentissime auditas fuisse idem Nicolaus in epistola ad eundem Petrum testatur. Exstat & alia ejusdem Henrici electi ad Sugerium epistola inter Sugerianas, sub hac modesta inscriptione: *Amantissimo patri & domino Sugerio Dei gratia abbati sancti Dionysii, Henricus indignus monachus Clare-vallensis eternam in Christo salutem.* qua epistola testatur, sibi perquam molestum esse, quod occasione sui ecclesiæ Belvacensis fatigaretur; seque ejus clericis scripsisse, ut personam aliam tanto ministerio idoneam eligerent. quod ut celerius fiat, Sugerium enixe rogat. Obtinuit nihilo minus Henrici electio, qui post nonnullas cum Ludovico fratre diffensiones, demum ad archiepiscopatum Remensem promotus est.

XLVII. Adelaidis reginæ diploma pro S. Martino Pontifarenfi. * Aversis. Absente rege datum fuisse videtur Adelaïdis reginæ ejus matris diploma, quo donationem confirmat, Pontifarenfi sancti Martini monasterio factam a Radulfo milite de Alverii, quando ibi monachus factus est. Hic siquidem mediam partem rerum omnium, quas de reginæ censu apud Alverias ad Isaram supra Pontifaram sitas tenebat, una cum domo ibidem, quæ ex dote uxoris suæ Richeldis erat, prædicto monasterio donavit. *Ego itaque, inquit, Adelaïdis regina, mater Ludovici illustrissimi Francorum regis, præscripti militis devotionem, quam erga prætaxatam beati Martini Pontifara ecclesiam habebat, pio favore amplectens; donum illud, quod pietatis gratia fecerat, pro salute & animæ meæ remedio, dominique mei Ludovici piissimi Francorum regis & filiorum nostrorum; Guillelmi ejusdem ecclesiæ abbatis, amicorumque suorum petitione, cum ceteris quas multoties præfatæ ecclesiæ concessi elemosynis, in perpetuum confirmavi, præsentemque cartam, ne ab ullo successorum nostrorum infringi, vel impediri valeat, sigilli proprii impressione signari & muniri præcepi, &c.* Data per manum Thomæ ejusdem reginæ tunc notarii absque chronicis notis. Appensum est reginæ sigillum, quod eam stantem exhibet cum veste talari, sub inscriptione in circulo, *Adelaïdis Francorum regina*, cujus effigies fere detrita est.

XLVIII. Bernardus ob sacri belli eventum male audit, sed purgatur. Post infelicem illum transmarinæ expeditionis successum, varia, ut fit, hominum fuere de ea judicia. Alii quippe ejus eventum infautum christianorum militum corruptis moribus imputabant: plerique ex eventu, ut fit, rem æstimantes, ipsum propositum criminabantur. At linguarum jacula in Bernardum, tamquam ejus auctorem & quidem præconem, recidebant; factumque est, ut ex his conviciis viri Dei existimationi non parum apud multos detractum sit. Eum tamen quoddam modo excusavit Otto Frisingensis, unus ex peregrinis illis, vir alioqui Bernardo parum favens, sicque post multa de eo loquitur. *Si dicamus sanctum illum abbatem spiritu Dei ad excitandos nos assatum fuisse, sed nos ob superbiam, lasciviamque nostram salubria mandata non observantes, merito rerum personarumque*

ANN. CHR.
1149.a Bern. vita l.
3. c. 4.

dispendium deportasse, non sit a rationibus, vel antiquis exemplis dissonum. Quamquam & spiritus prophetarum non semper subsit prophetis. Non tacuit in vita Bernardi Gaufridus^a varia in eum obloquia, ex prædicatione itineris Jerosolymitani, ex qua *grave contra eum quorundam hominum vel simplicitas, vel malignitas scandalum sumit, cum tristior securus esset effectus.*

Verum Bernardum facile purgavit idem auctor, sed non tam facile detrahentium linguas compefcere potuit. Ea pro Bernardo faciebant, quod in gravi orientalis ecclesiæ necessitate a rege expetitus, quod apostolicis non tantum litteris monitus, sed iustus, sacram expeditionem prædicaverit, ejusque prædicationis infinitis miraculis, quæ nemo in dubium revocare possit, confirmata sit. Denique, ut manifeste declararetur, virum Dei non nisi Dei spiritu animatum id fecisse; cum post illam christiani exercitus dispersionem filium suum oculorum lumine orbatum quidam pater ei illuminandum obtulisset, multisque precibus vicisset excusantem; tandem vir sanctus imposita puero manu Deum precatus est, ut, si ejus spiritu & instinctu crucem prædicasset, puero cæco lumen reddere dignaretur. quod subito factum sit coram multis non modo fratribus sed etiam sæcularibus, qui hoc miraculo magnopere recreati, Deo gratias excelsa voce retulerunt.

Verum, quia *contumelia*, ut ait Sapiens, *conturbat justum*, nonnihil ex his vituperiis commotus & contristatus est Bernardus. quod ubi rescivit Johannes Casemarii in Italia abbas, consolatoriam ad eum epistolam scripsit, asserens, Deum ex hac via multum fructum retulisse, sed non eo modo & ordine, quo ipsi viatores arbitrati erant. Et quidem si hoc quod cœperant, iuste ac religiose, ut christianos decet, persecuti essent, Deum per eos magna effecturum fuisse: sed, quoniam ad mala devoluti fuerant, eis immisisset persecutiones & afflictiones, quibus purgati ad cæleste regnum pervenisse possent. Certe eos qui reversi sunt confessos esse, se multos ex illis vidisse morientes, qui libenter se mori dicebant, nec velle reverti, ne denuo in peccata reciderent: denique idem abbas sub sigillo confessionis Bernardo, ut patri spirituali, testatur, Casemarii patronos, beatos Johannem & Paulum, sibi revelasse, angelorum lapsorum multitudinem ex illis peregrinis qui ceciderant, restauratam; eosque Bernardi memores fuisse, ac finem ejus cito venturum prædixisse, quod probavit eventus. siquidem illi infortunio non integro quadriennio Bernardus supervixit. Non deerant, teste Roberto de Monte apud Pistorium, qui censerent instaurandum esse bellum, novas ad secundam expeditionem cogendas copias; bellique ducem eis præficiendum Bernardum, quo duce fausta sibi omnia fore promittebant. Habiti per Franciam hac de re conventus annuente etiam Eugenio, ut abbas Claræ-vallis Jerosolymam ad alios provocandos mitteretur. Verum oblitere Cistercienses, sed in primis Claræ-vallenses, qui Bernardum sibi abstrahi non sustinuerunt. sicque corrumpit totum illud novæ expeditionis consilium.

XLIX.
Libros de consideratione scribit.

Libros de Consideratione ad Eugenio hoc anno scribere cœpit sanctus doctor, quo nullum hoc de argumento in tota antiquitate illustrius monumentum. Hoc opus aggressus est petente ipso Eugenio, *matris* in eum, ut ipse loquitur, *liberatus officio, sed non deprædatus affectu.* Eugenio itaque monet, *non ut magister, sed ut mater*: tamen eum tam graviter monet, ut nonnihil paternæ, maternæ in eum auctoritatis retinere videatur. Principio eum monet, ut ne nimis credat affectui, quem tunc sentiebat, quippe qui facile ex amaro in dulce converti possit. *Primum tibi*, inquit, *importabile videbitur aliquid: processu temporis, si assuescas, judicabis non adeo grave: paulo post & leve senties; paulo post nec senties: paulo post etiam delectabit.* Ita paulatim in cordis duritiam itur. quo sane malo nullum homini christiano, nedum religioso, exitabilius ac perniciosius; sed tamen vix evitabile his, qui exteriora & tumultuosa negotia tractant. *Hinc prorsus*, subdit Bernardus, *hinc tibi timui semper & timeo: ne, dilato remedio, dolorem non sustinens, periculo te irrevocabiliter immergas.* Nemo pater magis serio filium admonerit: sed longe plura in consequentibus urget, ubi cor durum, ejusque horrendos effectus describit; sed his referendis superfedeo.

Totum opus tribuitur in quinque libros. In primo demonstratur considerationis necessitas & utilitas: in secundo consideratur pontifex ipse; quis qualisve sit, qualis esse debeat: in tertio quæ sub ipso, nimirum orbis universus: in quarto, quæ circa ipsum, domestici, cardinales, episcopi: in quinto denique quæ supra ipsum,

ANN. CHR.
1149.

Deus & angeli. quæ omnia tam solide, tam pie, tam eleganter pertractat, ut mirum sit, hominem in silvis & in solitudine educatum & adultum tot & tanta tam presse, tam apte eloqui potuisse.

Non uno tenore hos libros composuit Bernardus, nec omnes simul Eugenio misit, sed singulos singillatim: primum quidem anno MCXLIX. secundum paulo post composuit: tertium quarto anno post concilium Remense, ut diserte sub finem libri scribit. Denique duos posteriores editos ab eo fuisse, postquam tres alii ad Eugenio missi fuerant, patet ex initio libri quarti, ubi ait, se ob locorum distantiam incertum esse, quo animo tres priores acceptasset Eugenio. quod si ipsi plenius innotuisset, secundum hoc vel fidentius in reliquum processurum fuisse, vel cautius; vel certe substiturum omnino.

Librum secundum quasi abrupte orditur vir sanctus ab infelici eventu sacræ expeditionis, cujus propositum, & consequens ex eo infortunium ipsi imputabatur. Ex hoc incidisse se ait in tempus grave, quod & ipsi pæne vivendi usui, nedum studiis, indicere videbatur cessationem, cum scilicet Dominus, provocatus peccatis nostris, inquit, ante tempus quodam modo visus est judicasse orbem terræ, in æquitate quidem, sed misericordiæ suæ oblitus. Non pepercit populo suo, non pepercit nomini. Unde dicunt in gentibus: Ubi est Deus eorum? Nec mirum: ecclesiæ filii, & qui christiano censentur nomine, prostrati sunt in deserto, aut interfecti gladio, aut fame consumti. Quam consuli pedes annuntiantium pacem, annuntiantium bona! Diximus, Pax, & non est pax: promissimus bona, & ecce turbatio. Hæc vir sanctus de malo successu: sed quid pro se? *Quasi vero*, inquit, *temeritate in opere isto, aut levitate usi sumus! Quare ergo jejunavimus*, aiebant illi, *& non adspexit? humiliavimus animas nostras, & non respexit? Ad hæc aliaque Bernardus: Et quidem judicia Domini vera, quis nesciat? At judicium hoc abyssus tanta, ut videar mihi non immerito pronuntiare beatum, qui non fuerit scandalizatus in eo.*

Jam vero arguit vir sanctus humanam temeritatem; quæ audet reprehendere, quod minime comprehendere valet. Tum opponit antiquorum temporum divina judicia in Israëlitas, & in undecim tribus contra Benjamitas: quorum illi potiundæ terræ sanctæ promissione a Deo facta ex Ægypto discesserant; nec tamen eam præter duos attigerant: hæc vero ob scelus in uxorem levitæ a Benjamitis patratum divinitus accinctæ ad ulciscendum facinus horrendum, semel atque iterum superatæ sunt, nec nisi tertium commisso prælio superiores factæ. *Quid putas de me*, inquit Bernardus, *facerent isti, si meo hortatu iterato ascenderent, iterato succumberent? Quando me audirent monentem tertio repetere iter, repetere opus, in quo semel jam & secundo frustrati forent? Et tamen Israëlitas, unam & alteram non reputantes frustrationem, tertio parent, & superant.* Dein objicit sibi Bernardus incredulos dicentes: *Unde scimus quod a Domino sermo egressus sit? Quæ signa tu facis, ut credamus tibi? Non est quod ad ista ipse respondeam*, ait Bernardus: *parcendum verecundiæ meæ, ne scilicet ipse proderet signa, quæ Deus per eum ad probandam ejus prædicationem operatus erat. Responde tu pro me*, ait ad Eugenio, *& pro teipso, secundum ea quæ audisti, & vidisti: aut certe secundum quod tibi inspiraverit Deus.* Non poterat modestius Bernardus causam tueri suam. Sed vide quam fortiter causam Dei! *Mihi pro minimo est*, inquit, *ut ab illis judicer, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem: &, si necesse sit unum fieri e duobus, malo in nos murmur hominum, quam in Deum esse. Bonum mihi, si dignetur me uti pro clypeo. Libens excipio in me detrahentium linguas maledicas, & venenata spicula blasphemantium, ut non ad ipsum perveniant. Non recuso inglorius fieri, ut non irruatur in Dei gloriam.* Sic causam Dei præ sua, ut decebat tantum virum, tuebatur.

Hoc anno vir Dei novam apud Hispanos habuit litem, sed multo leviolem, occasione scilicet Toldanensis monasterii, quod in regno Legionensi ab Elvira Infante non ita pridem extructum fuerat, & Carracetensi abbati subjectum. Post decessum Florentii abbatis Toldanensis, Ferdinandus ejus successor Carracetensis ecclesiæ jugum excutere volens, Claræ-valli suum monasterium mancipavit absente Bernardo. quod Sancia, Alfonso imperatoris soror, quæ Carracetense monasterium in primis diligebat, moleste ferens, Bernardo litteras direxit, ut ne prædictum monasterium contra fas reciperet. Unde Bernardus factum confit,

L.
Purgat se de infelici eventu belli sacri.LI.
Ejus epistola de Toldanensi monasterio.

ANN. CHR. 1149
a Bern. ep. 301

mare distulit, dum Carracetenses consensissent. Interim Bernardus ad Sancieriam scribit, quod factum erat de receptione Toldanos monasterii, se absente & ignorante factum esse per suos, sed consilio multorum religiosorum, episcopi diocesanis assensu; nobilis quoque dominæ, quæ locum illum in propria possessione fundaverat, petitione & voluntate; idque publice, non clanculo factum. Porro suos Claræ-vallenses existimasse, se libere posse locum suscipere, quem ipsa fundatrix sine alterius ecclesiæ subjectione a se fundatum assererat. Ceterum, quia Carracetenses factam sibi in hoc injuriam, ut Sancieriam scripserat, conquerebantur, se ad ejus consilium causam remittere, ut injusta calumnia conquiescat, & ordo in domo Dei receptus ad Dei gloriam & ipsius Sancieriæ salutem deinceps in pace remaneat. Certe fratrem Nivardum confidere, Sancieriam id facturam, uti promississe dicebatur, propter suam erga Bernardum peculiarem devotionem. Quod si ejus monitis & consiliis non acquiescant Carracetenses, tunc duorum episcoporum, ad quos duo illa loca jure parochiali pertinent, judicio definiatur. In summa non patitur impediri tantum bonum, nec bonam illam mulierem frustrari desiderio, nec fratres illos suæ devotionis fructu, nec Deum denique *accepto sibi reformati ordinis sacrificio* defraudari. Non statim hæc causa omnino decisa fuit: sed tandem Claræ-vallensibus Toldanos cessit.

LII.
Spinæ monasterium.

In fine ejusdem epistolæ Bernardus Sancieriam obsecrat pro novella ipsius plantatione seu colonia monachorum de Spina, ut eis viscera misericordiæ exhibeat: *quatenus vestro, inquit, beneficio sustentati, in servitio Dei & suo ordine perseverent.* Hoc monasterium in diocesi Palentina ab eadem Sancieria conditum erat, eoque missa colonia duce Nivardo Bernardi natu minimo fratre. [Præter hanc ad Sancieriam S. Bernardi epistolam, exstat & alia ejusdem Sancti eodem de negotio ad materteram imperatoris Hispaniarum, in optimæ notæ codice Aquicinctensi, quæ quia inter illius opera edita non compareret, integra in Appendice refertur.]

LIII.
Soloperæ & Vallis-Richerii cœnobium.
* Solvere.
* Val-richer.

Idem Nivardus quadriennio ante in Neustriam missus fuerat ad ordinandum novum Soloperæ* seu Soleuvriæ monasterium, qui locus in diocesi Bajocensi, haud procul ab opido Virio positum est. Algarus episcopus Constantiensis confirmavit donationem quamdam *Deo & beatæ Mariæ de Soleuvria, & fratribus ibidem Deo servientibus* a quodam Willelmo-Silvano factam *in manu Nivardi fratris domni Bernardi Claræ-vallensis abbatis.* quo ex loco inferunt nonnulli, haud scio an recte, Nivardum tunc ejusdem loci fuisse abbatem. Paulo post, scilicet anno MCL. idem monasterium ob loci exiguitatem & incommoda translatum est in Vallem-Richerii*, quæ de feodo ecclesiæ Bajocensis & parochia erat. Plura de hac abbacia in superioribus notis ad præmissam Bernardi epistolam & in Neustriam pia.

LIV.
Letardo Becci abbati succedit Rogerius.

Prædictus Algarus episcopus Hamensem suæ parochiæ ecclesiam, ubi olim virginum monasterium fuerat, concedente Willelmo buticulario, beato Petro & omnibus Carnotensis cœnobii monachis suis litteris confirmavit, mortuus anno sequenti, testente Roberto de Monte.

Dum in Neustria sumus, commemorandus nobis est obitus duorum illius provincie abbatum, Letardi scilicet Beccensis, & Bernardi Montis sancti Michaëlis. Venerabilis Letardus, Becci sextus abbas, præter multa senectutis incommoda, sub finem vitæ oculorum cæcitatem incurrit, communia tamen exercitia non deseruit, nisi quod in dormitorio non jacebat, & in claustro cum aliis non sedebat. Extremo correptus morbo, in domum infirmorum delatus, ad æternam lucem migravit vi. nonas Julii hoc anno, ætatis sexagesimo-quinto, monasticæ vitæ quinquagesimo, postquam Beccense monasterium annis decem & uno fere mense rexisset. Vir fuit multæ religionis, *senex virgo* dictus Roberto de Monte, qui tunc Becci monachus erat. Monachos ad monasticam professionem centum & quatuordecim sub se habuit Letardus, hos inter Rogerium, qui ei successit, tunc Becci prior secundus, sacris & sæcularibus litteris apprime instructus. Hic in octavis apostolorum a toto conventu electus, ab Hugone Rotomagensi archiepiscopo apud Fontanellam die festo S. Jacobi ordinatus est abbas, ordine septimus; & ab eodem in sede abbatiali collocatus: qui super gregem sibi commissum strenue invigilasse perhibetur. Is Letardi antecessoris sui corpus in capitulo ad pedes Herluini abbatis decenter componi curavit, inscripto epitaphio, quod Robertus de Monte refert.

LV.
S. Michaëlis

Eodem anno post pascha, ex eodem auctore scilicet viii. idus Maias, Bernardus

ANN. CHR. 1149.
de Monte abates.
* de la Mouche.
* Hardy.

us abbas Montis-sancti-Michaëlis ex monacho Beccensi, qui monasterium intus & extus multum emendasse dicitur. Eo mortuo electus est, inconsulto Stephano rege, Gaufridus, eo nomine primus, a prædicto Hugone archiepiscopo in ecclesia S. Georgii de Bauchervilla benedictus, qui infensum in se regis animum nonnisi magna pecuniæ summa placavit. Verum non diu hac dignitate potitus est, non integro biennio post extinctus mense Januario. Anno circiter ab ejus obitu elapso electus est Richardus de Musca*, Abrincatenis episcopi Richardi II. consanguineus: cujus electioni refragatus Henricus II. pulso Richardo Normanniæ duce, clericos duos, totidemque sæculares gerendis abbatiæ rebus adhibuit: a quibus sacra suppellex magna ex parte direpta, prædiæque dilapidata sunt. His incommodis ut occurrerent monachi, favente rege, Robertum Audacem*, Fiscamni cellerarium, eligunt. At ex eo aliud nascitur incommodum. Richardus enim ab Eugenio III. confirmatus, ab episcopo Abrincateni in ecclesia cathedrali pedo pastoralis donatur, unaque cum episcopo Romam petit, ut Roberti-Audacis, qui illuc pergebat, molitionibus obsisteret. Verum ambo in illo itinere confecti, morte sua sacro Monti pacem, quam viventes turbaverant, reddiderunt. sicque eorum in locum successus est Robertus de Torinneio, Becci monachus tum bibliothecarius, ac demum prior factus post Rogerium, cum hic abbas renunciatus est. De Roberto plura inferius.

LVI.
Corbeie monasterium incensum.
Corbeie sigillum.

Vix duodecim anni a conflagratione Corbeiensis monasterii effluerant, cum idem monasterium magna ex parte, videlicet major basilica, claustrum & abbatibus palatium, incendio rursus deformatum est. quod ad hunc annum refert Robertus de Torinneio mox laudatus. Hinc novæ Nicolao abbati curæ & impensæ ad instaurandum monasterium, quod vix dum ex ultimo incendio resurrexerat. Nicolaus iste, qui ejus nominis secundus fuit, primus abbatum Corbeiensium sigillo usus est, quod Corbeie fieri curavit. Ante id tempus; cum ecclesiæ prædia colonis excolenda tradebantur, chirographis uti mos erat, quæ duo ejusdem instrumenti exempla continebant in eadem membrana cum *chirographi*, aliove vocabulo in medio: qua membrana secta & divisa per medium, unum uni, alterum alteri parti exemplum tradebatur. qua de re in libro primo de re Diplomatica, capite secundo fuisse actum est. Postea tempore Hugonis abbatis eo nomine primi, cum ille in regimine abbatiæ multa innovasset; deputati contra eum monachi Romam ad Alexandrum III. primum attulerunt sigillum de Romana curia in ecclesiam Corbeiensis, quæ prius numquam sigillum habuerat, uti nos docet vetus instrumentum. quæ res multorum jurgiorum & malorum seminarium exstitit.

LVII.
Hugo de Folieto an Corbeie monachus.
a Spicil. to. II. ad an. 1140.

Jam locus postulat, ut de Hugone de Folieto agamus, viro per ea tempora celebri, de quo mirum est quam variæ circumferantur sententiæ; nec quid de eis statuentium sit, hæcenus sat compertum sit. Gabriel Pennotus, more suo delirans, ait, Hugonem de Folieto Cordubensis ecclesiæ provincie Hispanensis canonicum regularem fuisse. Ciaconius Hugonem cardinalibus accenset, scribitque eum esse Gallum, canonicum regularem monasterii S. Petri Corbeiensis in Saxonia. Tot verba, tot errata. Ad veteres quod attinet, Guillelmus de Nangiaco eum vocat monachum, & ex aliorum sententia canonicum regularem Vincentius Bellocensis, & ex eo S. Antoninus Hugonem de Folieto S. Petri Corbeiensis canonicum afferi dicunt. Alii propius ad veritatem accedentes, eum S. Petri Corbeiensis monachum in cella S. Laurentii de Helliaco fuisse opinantur. Denique plerique cum Ciaconio eum cardinalem faciunt. De his quid certo statuendum sit, inquirere juvat.

Hugo de Folieto, sic dictus a suburbio cognomine antiquæ Corbeie, ubi natus est, haud dubie canonicus regularis ordinis S. Augustini fuit in monasterio S. Laurentii de Helliaco, qui locus tertio amplius a Corbeia milliari abest. Hic locus primo concessus fuerat monachis S. Johannis de Angeriaco, ut in superioribus diximus; sed paulo post datus clericis, qui regulam S. Augustini in magna paupertate sectabantur. Id factum sub initia sæculi duodecimi, pontificatu S. Godefridi episcopi Ambianensis, assentiente abbate Corbeiensis, de cujus feodo erat terra Helliacensis, adeoque locus, in quo hæc S. Laurentii ecclesia sita erat.

LVIII.
S. Laurentii de Helliaco priores & status.

Eadem regula ibidem perseverabat hoc anno, quo anno Eugenius III. apostolicæ tutelæ privilegium indulgit *dilectis filiis, Olrico priori ecclesiæ S. Laurentii, quæ juxta Corbeiam sita est, ejusque fratribus canonicam vitam professis; & quidem secundum beati Augustini regulam*, ut in diplomatis contextu legitur. Hæc bulla data est, Vi-
Annal. Bened. Tom. VI. M m m

terbii v. idus Martii anno præcedente secundum veterem calculum, Eugenii quinto. Idem ordo canonicus ibidem perseveravit usque ad annum MCCV. quo ejus loci canonici regulares, assensu abbatis Corbeiensis, monachis Lehenensibus in Sanaterra, ordinis Cluniacensis sese dederunt. Sed tandem hic locus, a Lehenensibus desertus, ad Corbeiensis fundi dominos rediit. Illic in loco inculato, solitario & arido una superest S. Laurentii adicula cum aliquot veteris monasterii vestigiis. Eo in loco sub Olrico priore canonicam, & quidem pauperem vitam agebat Hugo de Folieto, factus anno MCLIII. post Olricum prior, quo in munere decessit, ut mox videbimus. Certe anno MCLII. quo Guarinus S. Vedasti abbas cum illis canonicis de decimis Dodonis-villæ diocesis Ambianensis transegit, testes ex clericis nominantur *Olricus prælatus, Hugo de Folieto, Rorgo subprior*. At idem Hugo anno sequenti prior erat, quo anno Theodericus Ambianensis præful Balduinum * vulgo *Dours*. & Beatricem ejus uxorem ab excommunicatione, quam ob damna ecclesiæ Ambianensi illata incurrerant, absolvit *per manum domni Hugonis venerabilis ejusdem loci S. Laurentii prioris*, facta prius modica satisfactione ecclesiæ Ambianensi. Anno MCLXXIV. Simon prior Hugoni successerat. quo anno Theobaldus Ambianorum episcopus, petente Simone S. Laurentii priore, confirmat conventionem, inter ejus ecclesiam & Balduinum *de Dors* tempore Theoderici episcopi factam ad obtinendam prædictam absolutionem. Octennio post Milo ejus loci prior erat, ut patet ex litteris Hugonis abbatis Corbeiensis suo loco referendis. Eodem tempore Theobaldus Ambianensis antistes *Miloni priori S. Laurentii ejusque fratribus regularem vitam professis* ecclesiam S. Nicolai de Regniaco ad turnam eorum institutionum ordinandam committit. Post hunc Milonem nullus alius occurrit S. Laurentii prior in Corbeienfi archivo, ex quo hæc omnia accepimus. In necrologio Corbeienfi notatur *vii. idus Septembris Hugo prior S. Laurentii*. Haud scio an idem sit *Hugo de Folieto* notatus in necrologio S. Petri Carnutenfis vi. nonas Octobris. Ut ut est, ex his satis intelligitur, Hugonem illum de Folieto, S. Laurentii priorem, cui libros de Claustro animæ tribuendos esse mox videbimus, non fuisse Romanæ ecclesiæ cardinalem.

Id autem in primis ad Hugonis de Folieto commendationem facit, quod postulatus abbas a canonicis regularibus S. Dionysii apud Remos, postulationi acquiescere noluit. Id contigit post mortem Ursionis abbatis, quem hoc anno Marlotus^a dicit obiisse iv. kal. Martii. Tunc electus fuit, agente Guerrico Igniacenti abbate, Hugo de Folieto, uti discimus ex ejus epistola necdum edita, digna certe quæ hic integra referatur ad illustrandam piissimi & doctissimi viri modestiam. Sic autem habet in membrana quadam Corbeienfi.

Domino H. frater Hugo de S. Laurentio, salvari ab eo, qui salvos facit rectos corde. Electio, quæ de nobis a canonicis beati Dionysii assensu Samsonis venerabilis Remorum archiepiscopi facta perhibetur, ex radice consilii domni Guerrici Igniacensis abbatis, sicut audivimus, prodiit in publicum. Miramur super hujusmodi negotio viri prudentis discretionem, qui me fratribus tam diversi propositi sociare nititur. Sacrum serico consuit, & quasi posterioribus vulturis, pavonis inserit caudam. Ut iterum figurate loquar: Hircocervum fingit; nec tantum fingit, sed etiam pingit. Hircocervum pingit, si existimet aliquis de me supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Hircocervum pingit, qui personam meam adornat diversarum virtutum nominibus, quasi diversis coloribus. Quare tam hirsuti velleris animal, animali pilis obfuso delicatis jungere desiderat? Illud natura non genuit, hoc usus prohibet. Si de persona quarat, de homine parum habeo; si mores inquiruntur, turbulentus sum inter fratres; si dubitatur de opere, pusillanimis sum in magnis. Locus ille sublimis est; sublimis ei persona debetur. Propinquus est curiæ, præmunitum consilio, discretum & eloquentem requirat virum; in me autem nihil horum reperiet. Proposita nostri. Fratres divitiis abundant; nos paupertati subjicimur. Si renuntiaveram paupertati, factus sum opprobrium vicinis meis valde. Si divitiis proximaveram, in ascensu lapsus timeo, in sublimitate ruinam. Coartor nimis. Si discessero; multi de fratribus nostris se discessuros affirmant. Si divitiis occurrero; paupertatem in me præteritam populus accusat; factus sum scandalum fratribus; opprobrium populo. Angustiæ mihi sunt undique: quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu. Dicunt aliqui: Abbas esse renuit; episcopatum desiderat. Testis est Deus: Pereat anima mea de populo Dei.

LIX.
Hugo de Folieto postulatus abbas S. Dionysii Remensis a Marlot. to. 2. p. 153.

si a juventute mea usque ad hanc diem primarium in ecclesia concupiivi. Causa queritur, Deus est in causa. iterum non sum tanti. Vix mihi soli sufficio: & si voluntas adesset, infirmitas negaret. Lassescentis stomachi vomitu multo tempore laboravi. Aliquantulum cessat inundatio vomitus; sed ex levi quandoque commovetur occasione. Rem notam refero. diversi infirmitatum generibus affligi consuevi; & tamen metropolitani nostri amica coactione sollicitor; amica, ni fallor: quia & ignotam personam familiarem sibi fieri, sublimari vilem, pauperem ditari compellit. Gaudeo plane, quia personæ tanti nominis familiaris effici merui: sed timeo valde, ne, si recusem quod postulat, tanto gravior apparuero. Rogo te, habe me excusatum. Excusationis causa conveniens est. Habeo enim patrem senem & infirmum, domnum videlicet Olricum priorem nostrum. Infirmumne deseram, & seni servire recusabo? Ipse enim diligit me pater, & ego diligo eum; & apud eum manebo, quoad ipse vixerit, si potero. Suggere igitur domno Igniacensi, ne turbet aquam pauperis, quæ cum silentio currere consueverat. Timeo enim, ne, si Remis veniam, remissius vivam.

Hactenus Hugonis epistola, in qua ubi ait se mirari, quod Guerricus abbas ipsum fratribus tam diversi propositi sociare niteretur; id non ita intelligendum est, quasi aliam ab illis regulam sectatus sit: sed quod illi curiæ archiepiscopi propinqui essent, hi in horrida solitudine positi: illi divitiis abundarent, hi in summa paupertate degerent, quam Hugo absque scandalo se commutare non posse dicit.

Jam vero, quando huc devenimus, de ejus scriptis, si qua sint, inquirendum superest. Hugoni de Folieto in multis quos vidimus codicibus tribuuntur quatuor libri de Claustro-animæ, qui inter opera Hugonis de sancto-Victore editi sunt. Ad calcem tamen Thomas Garzonius canonicus regularis observat, se hos libros sub nomine magistri Hugonis de sancto-Victore impressos comperisse: sed, quia tamen a phrasi ejus & professione nonnihil dissident, se potius accedere illis, qui eos Hugonis a Folieto esse censent. Quod vero addit idem editor, Hugonem, cum hæc scriberet, a regula canonica divi Augustini ad artioremem divi Benedicti, cujus passim meminit, uti & S. Augustini, transiisse, etsi libenter ob tanti viri meritum admitterem ad Ordinis nostri honorem; tamen, ut sincere loquar, falsum esse ex ipsi Hugonis verbis mox ostendam, cum ejus esse hos libros demonstravero.

Diu de nomine auctoris, etiam apud veteres, dubitatum est; idque inde accidit, quod auctor in prologo ad fratrem anonymum, cujus rogatu hos libros scribere aggressus erat, nomen suum reticere jufferit. *Nulli ergo, inquit, nostrum, frater, patefacias nomen, ne ex insipientia auctoris & personæ vilitate, operis nostri labor vilescat.* Hinc in codice Cheminonenfis monasterii diocesis Catalaunenfis libris illis hic titulus apponitur; *Incipit prologus auctoris sine nomine in opus subditum de claustro animæ.* Dicunt tamen operis existisse auctorem Hugonem de Corbi, canonicum S. Laurentii atque priorem. Verum in codice Fulcardi-montis diocesis Rotomagenfis habetur libellus domni Hugonis de Folieto ad amicum volentem nubere; & in eodem codice post duos sermones S. Bernardi & epistolam sequitur, *Item Hugonis canonici & prioris de Folieto, de duodecim abusionibus claustris*: quod argumentum est libri secundi de Claustro-animæ. Ad hæc in codice olim Thuaneo, nunc Colbertino: *Incipit prologus magistri Hugonis de Folieto, prioris canonicorum S. Laurentii in pago Ambianensi, in libro de claustro corporis & animæ.* Denique in Elencho mss. Belgii *Hugo de S. Laurentio* tribus in locis auctor illorum librorum dicitur. Guillelmus quidem de Nangiaco Hugonem de Folieto, qui librum de claustro corporis & animæ scripsit S. Petri Corbeienfis monachum vocat: at mox subdit, alios dicere, istum Hugonem in pago Ambianensi fuisse canonicum regularem. quod quidem ex ejus operis contextu facile probari potest.

Præclarum est istud opus, & religiosi viri lectu maxime dignum, cujus aliquod specimen hic dare visum est. Hoc opus distinguitur in quatuor libros. Primus claustralium tentationes & religionis commoda explicat. Secundus claustris materialis ordinationem & dispositionem. Tertius animæ claustrum ordinat. Quartus claustris non manu-facti, id est calii, habitationem appetendam commendat. In primo quatuor claustralium tentationes aperiuntur, scilicet loci amoenitas, ut civitates & opida; loci opulentia, pretiosus ornatus, & mulierum conversatio. Tum auctor commoda religionis explicat.

In secundo agens de numero recipiendorum fratrum, ait tot esse admittendos; *Annal. Bened. Tom. VI.* M m m ij

LX.
Librorum de claustris animæ quis auctor.

LXI.
Eorum divisio & æconomia.

ANN. CHR.
1149.

qui ordinate vivere possint, ne vel prætextu paupertatis irregulariter vivant, vel pro multitudine cohabitantium necessitati eorum illicita quærant. ubi non probat, quod per cellas duo vel tres, vel etiam quatuor aut quinque habitent; laudatque quosdam monachos, haud dubie Cistercienses, quos *heredes beati Benedicti* esse dicit, qui non minus quam duodecim fratres ad nova monasteria transmittunt: *ne religionis opus paucitatis negligentia corrumpatur. De cibis ita statuit. Fructibus arborum, & terræ nascentibus utantur: butyro, aut oleo, seu lacte, non sagimine eorum pulmenta condiantur. A carnibus abstineant, nisi aut necessitate, aut dispensatione extra conventum alicubi concedatur. Vino licet uti fratribus in conventu: sed tamen vitandum summopere nobis esse credimus, (quod cum verecundia dicturi sumus) æ scilicet, quod misericorditer conceditur, ut a quibusdam fieri solet, quasi ex debito requiratur. Non enim promittimus, sed concedimus. Si autem locus aut paupertas quod concedimus negaverit; iis, quæ regio, aut possessio ministraverit, sine murmure utantur. Nemo igitur nostri propositi abhorreat abstinentiam, quæ de omnibus ciborum generibus solum carnis excludit usum; cetera vero concedit, & benigne subministrat. Ubi de numero ferculorum agit, duo cocta singulis assignat, & tertium crudum ex terræ nascentibus ad mentem S. Benedicti in diebus juniorum, ceteris vero diebus in prandio duo fercula cocta; in cœna unum crudum, vel coctum pro voluntate præsentis. Ad vestes quod attinet, sufficere ait unicuique fratrum tunicas duas, pelliceam unam, superpellicium, pelles sive pallium, cappam, femoralia, caligas, pedules, & propter laborem scapulare. quæ omnia de canonicis regularibus manifeste intelligit. Dein agit de duodecim abusibus claustrum, in quarum septima, quæ est de habitu pretioso: *Juxta regulam*, inquit, nempe S. Benedicti, quod *vilius occurrerit, non quod carius fuerit emendum puto: ut sit diversitas inter indumentum palatii & monachi. Tum subdit: Loquor qualicumque canonicus de monachis. Sed quid dici debeat de quibusdam nostri ordinis canonicis, & mens, & facies vehementer erubescunt. Lectuli eorum culcitris fulciantur plumeis, linteis, & lodicibus accurate parantur, &c. Ex his luce clarius patet, Hugonem fuisse canonicum regularem cum hæc scribit infra. Inter illos etiam, qui tunicis induuntur, id est monachos, voluptas pedem posuit: non quod camisis utantur, sed quodam delicato panno, qui vulgo saia dicitur. In ostensione igitur laneæ vestis asperitatem conversationis ostendunt: sed in delectatione delicati panni, suavitatis molliem querunt. Vidi & ego, inquit, ni fallor, monachum camisiam indutum, jocantem & dicentem: *Carior est staminæ, quam camisia: tunica vero vestiri magna est difficultas. Sed forsitan dices, quod infirmus fuit hujusmodi. Immo sanus & petulans, & pingui residens equo; abundans rebus, & curias frequentans: qui tamen ante conversionis habitum pedes ire consueverat, nec semper lineis induebatur. Cetera prætereo, ne longior sim, qui forte jam longior fuisse nonnullis reputabor.***

In prologo libri tertii ait Hugo, quod ea quæ de ordinatione claustrum materialis in superiori libro dixerat, non solum scripta, sed etiam pro loco, & tempore, & personis esse ordinata, & executioni mandata in loco, ubi degebat; nullum recessisse, omnesque huic ordinationi consensisse, *exceptis quibusdam laicis seu fratribus conversis, qui adhuc, inquit, jugum portant, & murmurant; & tales, qui in sæculo pauperiores vixerunt, quam nunc vivunt; & nunc in monasterio querunt, quæ nec foris habere potuerunt. & infra. Nullus clericorum, carissime, modo discordat, sed unusquisque pondus religionis benigne portat; & quibus prius fuit gravior, nunc est gratior. Pro hoc igitur laboro, ut cum ipsis semper quietus vivam, & cum ipsis in pace moriar, cum ipsis & sub ipsis frater conservus. Et certe id factis præstitit Hugo, cum abbatiam sancti Dionysii apud Remos constanter recusavit. Hæc in specimen librorum de Claustrum animæ sufficient, auctore Hugone, quem non dubito in monasterio Corbeienfi educatum, & litteris informatum fuisse, priusquam ad S. Laurentii solitudinem secederet. Unde regulam S. Benedicti passim in illis libris laudat, immo & in multis secutus est.*

L XII.
Alia Hugonis
scripta & Tho-
mæ.

Alia quoque scripta composuit idem auctor: qualis est libellus *ad amicum volentem nubere*, qui *domni Hugonis de Folleio* nomine inscribitur in codice Fulcardimontis, ut jam superius observavimus. Ad hæc in codice Alnensis monasterii in Belgio, ordinis Cisterciensis, legimus aliquando librum magistri Hugonis de S. Laurentio *de medicina anime*, cujus prologus sic incipit: *Cogis me, frater carissime, &c.*

ANN. CHR.
1149.

Legimus denique ibidem alium prologum *magistri Hugonis prioris S. Laurentii in libro de pastoribus & ovibus* sub hoc exordio, *Tibi, frater, qui in grege, &c.* Hæc sunt quæ nobis de hoc eximio viro in evolendis bibliothecis occurrerunt. In eodem S. Laurentii monasterio tunc vivebat Thomas canonicus regularis, cujus duas epistolas habemus, unam ad avunculum suum Bernerum, cujusdam ecclesiæ pastorem: alteram ad Lisiardum, sodalem quondam suum, qui apud Selincuriam Præmonstratensium habitum induerat.

Dum venerabilis Gosuinus Aquicinctensi monasterio præesset, multæ *conversa* pro more illorum temporum eidem loco sese devoverunt. In his Mathildis, mater Theoderici clerici *de Ursel*, qui locus est diocesis Laudunensis, cum in ecclesia sancti Salvatoris de Aquicincto *se conversam* reddidisset, assensu filiorum & filiarum suarum, ceterorumque propinquorum & amicorum suorum, totum mansum suum prædictæ ecclesiæ in eleemosynam donavit. Præter ea Theodericus de Ursel consul, *redditus* in eadem ecclesia, tres portiones vineæ ei assignavit consensu uxoris suæ Herfelinæ, & liberorum, amicorumque suorum. Ejusmodi *redditi* dicebantur fratres laici, qui abdicato sæculo in monasteria secedebant, eisque in habitu laico serviebant, quales modo apud nos *Commisso* seu *Donatos* vocamus. Ad hæc Ohalda, facta ibidem *conversa*, quidquid apud *Ursel* habebat, assensu filiorum suorum Hugonis & Ernaldi eidem ecclesiæ dedit. Hæc aliaque litteris suis rara habuit Bartholomæus Laudunensis episcopus, litteris hoc anno apud Laudunum datis, quibus apposita sunt signa Galteri abbatis S. Martini, scilicet Tornacensis, Hugonis abbatis Humolariensis, & aliorum. Et tamen Guarinus Hugoni ad Elnonensem abbatiam translato jam anno superiore successerat, ut superius diximus; sed primis annis proabbatis tantum vices agebat.

Quadriennio post Gosuinus abbas possessiones illas, quas apud *Ursel* adeptus erat, Humolariensi ecclesiæ, cui magis competebant, pretio CXL. librarum Pruviniensis monetæ assensu capituli sui vendidit, & in manus Guarini abbatis tradidit. Ejus hæc de re litteris apposita sunt signa Ingranni abbatis S. Medardi Sueffionensis, Hugonis abbatis S. Amandi, Walteri, alii Galteri, abbatis Tornacensis mox laudati, Fulconis abbatis Hafnoniensis, Hugonis abbatis Marciniensis, Adam abbatis S. Andree de Novo-castello, Rainardi abbatis S. Projehti, & multorum aliorum. *Actum & recitatum Aquicincti* in capello * ab incarnatione Domini anno MCLIII. Eodem anno Galterus Laudunensis episcopus hanc venditionem litteris confirmavit.

Galterus iste anno MCL. successit Bartholomæo episcopo, qui, abjecta pastorali sarcina, ad Fufniacense monasterium se recepit. Ante ipsius secessum Hermannus monachus libros tres de miraculis B. Mariæ Laudunensis composuit sub hoc titulo: *Venerabili patri & domino suo, domno Bartholomæo, Dei gratia Laudunensis urbis episcopo, frater Hermannus, omnium monachorum peripsema, summis pontificibus in caelesti sociari curia.* In codice Corbeienfi, in quo hæc miracula cum multis aliis aliorum locorum beatæ Mariæ miraculis referuntur, initio prologi ad Bartholomæum episcopum pingitur ipse Hermannus librum eidem offerens Bartholomæo, indutus cuculla monastica nigri coloris: sed cujus loci monachus fuerit, ignoratur. In illo prologo ait, Bartholomæum episcopum dudum in Hispaniam ad videndum gloriosum regem Hildefontem, Feliciæ materteræ suæ filium, profectum fuisse, eique ab eodem rege promissum, quod, si secundo ad ipsum reverteretur, corpus beati Vincentii levitæ & martyris ei daret, necnon pretiosissimam casulam, quam beata Deigenitrix S. Hildefonto Toletanæ civitatis archiepiscopo dederat in præmium trium libellorum, quos de sua virginitate composuerat. Tum subdit Hermannus, Bartholomæum ab ipso quæsisse, utrum illos libellos alicubi vidisset; & præcepisse, ut eos perquireret: se vero eos in urbe Catalaunensi reperisse, eosque jussu ejusdem præfulis transcripsisse, qui in prædicto Corbeienfi codice cum vita S. Hildefontis continentur. Ex quibus conjicerelicer, Hermannum Bartholomæo episcopo sese addixisse.

In tribus libris de miraculis beatæ Mariæ Laudunensis Hermannus multa refert observatione digna de episcopis ecclesiæ Laudunensis, in primis de nece Gualdrici episcopi, & incendio principis ecclesiæ, & aliarum inde consecuto; de Bartholomæo episcopo, & decem monasteriis ab eo constructis, necnon de aliis ejusdem diocesis cœnobiis; sed præcipuus ejus scopus fuit agere de miraculis, a beata Deigenitricæ in Francia & Anglia patris *per reliquias suas, quæ in Laudunensi servantur*

LXIII.
Aquicincti con-
versa & reddi-
ti.LXIV.
Abbatibus vario-
rum monaste-
riorum.LXV.
Hermannus
monachus scri-
bit libros de
miraculis B.
Mariæ.

ANN. CHR.
1149.a Hermann. lib.
3. c. 6.LXVI.
Bartholomæi
confobrinus
Alfonfus rex
Hispaniæ.LXVII.
Alfonfi régis
donatio facta
S. Johanni Bur-
genfi.LXVIII.
Eugenii litteræ
pro Cafæ-Dei.

ipſius eccleſiæ. Hi libri a noſtro Acherio editi ſunt cum operibus Guiberti : quibus in libris Hermannus loquitur ſub nomine canonicorum ejus eccleſiæ, qui reliquias illas, quæcumque demum illæ ſint, per Franciam & Angliam detulerant ad faciendam collectam in reparationem cathedralis eccleſiæ. Porro librum tertium ſcribebat iſte auctor, cum a necdum triginta anni tranſiſſent, ex quo dominus Norbertus per ſupradictum episcopum Bartholomæum adductus erat Præmonſtratum. quod contigit anno MCXX. Et tamen intra tam breve tempus tot exinde monaſteria pullulaverant, ut fere centum abbates in feſto S. Dionyſii ex eis ibi conveniſſe tunc inveni ſint, non ſolum ex Francia vel Burgundia, ſed ex ipſa quoque Alemannia, Saxonia ſeu Waſconia.

Ex præmiſſo Hermanni prologo diſcimus, Hildeſonſum ſeu Alfonſum Hispaniæ regem, quem Bartholomæus episcopus inviſit, Feliciæ ejus materteræ filium fuiſſe. Id amplius illuſtrat idem auctor in capite II. libri I. ubi Bartholomæi profapiam explicat. Ejus avus Hilduinus comes Roceienſis ex Adela germana Manaffæ II. Remorum archiepiſcopi genuit mares duos, ſeptemque filias, quarum unam, nomine Feliciam, duxit conjugem Sancius rex Arragonenſis, & ex ea genuit Hildeſonſum, regem potentiſſimum, qui patri ſuccedens in regno, fortiffimas urbes & caſtella paganis violenter præliando abſtulit, & chriſtianiſ tradidit, Caſarauguſtam ſcilicet, beati Vincentii martyris archidiaconatu famoſam; Teraſſonam quoque & Tudelam, Barbaſtam & Burgiam cum aliis multis : totaque pene Hispania ſibi ſubjugata, adeo nominis ſui opinionem dilatavit, ut ab aliis aliter Julius, ab aliis ſecundus Carolus vocaretur, ob memoriam illius præclari Caroli Francorum regis, qui quondam Hispaniam victor ſubegit. Hanc Alfonſi expeditionem contigiſſe anno MCXVIII. Hiſpanici ſcriptores tradunt. Hic locus Hiſpanis, ut puto, haud ingratus erit ad illuſtrandam ſuæ gentis hiftoriam. Mortuus eſt anno MCXXXIV. prædictus Alfonſus, Hiſpaniæ rex eo nomine VII. Pugnatoris titulo inſignis.

Huic in regno Hiſpaniæ ſucceſſit Alfonſus VIII. Raymundi Burgundi ex Urraca filius, cognomento Bonus, dictus Imperator, cujus conjux Berengaria ipſo anno, quo hic ſumus, deceſſit. Unde idem Alfonſus Deo & eccleſiæ S. Roberti de Cafæ-Dei, & eccleſiæ ſancti Johannis de Burgis, juxta caminium ſeu viam extra villam fundati, & Bernardo ejusdem prioris eccleſiæ, ac omnibus monachis Deo ibidem ſervientibus, donat quamdam villulam, nomine Villam-butur, in territorio Burgenſi, & in rivo Caine ſitam, pro ſalute mea, inquit, & avi mei regis Adefonſi, qui locum, in quo ſancti Johannis prædicta fundatur eccleſia, dedit, & pro ſalute uxoris meæ imperatricis Berengariæ noviter deſunctæ; donat, inquam, una cum filio ſuo Sancio & Fernando ſpontanea voluntate, aliaque in ejus charta memoratis, facta Burgis IX. kal. Aprilis, era MCLXXXVIII. prædicto imperatore imperante in Toletis, Legionis, Saragocia, Nagera, Caſtella, Galatia, Bætia, & Almaria. Hanc donationem præter Adefonſum, ejuſque filios Sancium & Fernandum confirmant Victor Burgenſis episcopus, Johannes Exomenſis & Raymundus Palentinus episcopi; comes Pontius major-domus, comes Amalricus, comes Lopelez & comes Urgelli, alique.

Burgenſe illud ſancti Johannis monaſterium ſubjectum erat Cafæ-Dei apud Arvernus, cui tunc Jordanus, Petri-Venerabilis germanus præerat. Hujus rogatu Eugenius exemplo Calliſti II. monaſterium ſanctæ Liberatæ, ab Hildeberto Aginnenſi episcopo beati Roberti cœnobio conſeſſum, litteris ſuis confirmavit. Datum Laterani v. idus Martii, indiſtione XII. anno incarnationis dominicæ MCXII. S. Liberatæ monaſterium modo eſt noſtræ Congregationis, ſitum in diœceſi Aginnenſi.

Cafæ-Dei itidem ſubjectum erat monaſterium S. Marini in civitate Papienſi; ejuſque ordinatio a Paſchali II. & Calliſto II. Cafæ-Dei abbati commiſſa fuerat. Id autem litteris ſuis ratum habet Eugenius, inſcriptis Fraulando abbati monaſterii S. Marini, quod in Papienſi civitate ſitum eſt; ſtatuitque, ut ripaticum fluminis Ticini ab Aſtulfo Longobardorum rege eidem monaſterio conſeſſum, omneſque ejus poſſeſſiones eidem abbati, ejuſque ſucceſſoribus firmæ & inviolatæ permaneant, eo pacto, ut ad indicium acceptæ ab apoſtolica ſede tuitionis, marbotinum ſingulis annis Romano pontifici perſolvant. Datum Laterani idibus Martii, anno & indiſtione prædictis. Hanc S. Marini abbatiam primitus conſtruxerat Aſtulfus pro ſanctimonialibus in gratiam duarum ipſius filiarum, Euphraſiæ & Febronæ, quæ ibidem ſepultæ ſunt. Hæc duo Eugenii diplomata impetravit Jordanus abbas, cum Romam proſectus eſſet pro confirmatione datæ ſententiæ ſuper Nemaufenſi S. Baudilii eccleſiæ, de qua modo agendum eſt.

ANN. CHR.

1149.
LXXIX.
Lis de cella
S. Baudilii.Petri Venerabilis
hac de re
epiſtola.a Petr. Ven.
lib. 5. ep. 4.LXX.
Sententia de ca-
lata ab Eugenio
probatum.b id. lib. 6. ep.
11.

Exſtat hæc eccleſia extra muros Nemaufenſes, jam dudum Cafæ-Dei monachis ſubjecta, quam ad ſummam egeſtatem redactam acceperant, ſuiſque expenſis in nobilem ac locupletem cellam erexerant. Tunc Nemaufenſi eccleſiæ præerat Aldebertus episcopus, qui primis ſuis episcopatus annis cum Cafæ-Dei monachis illic reſidentibus pacifice ſe geſſit, ſed poſtea multas eis moleſtias & injurias intulit obtentu juridiſtione, quam in illos uſurpare moliebatur. His acceptis, Jordanus litteris humaniſſimis ac modeſtiſſimis episcopum obteſtatus eſt, ut a cœptis abſtineret. Verum ille adeo non deſtitit, ut etiam Jordanum non modo apud vicinos, ſed etiam apud Eugenium papam infamare conatus ſit. Quin etiam eo uſque prorupit ejus in abbatem & monachos animi impotentia, ut effractis foribus monaſterium ingreſſus, obvios quoſque monachos ad fidem & ſubjectionem ſacramento ſibi præſtandam adegerit. Id ubi reſcivit Eugenius, Raymundo archiepiſcopo Arelatenſi & Petro Vivarienſi electo rem examinandam commiſit, reſervata ſibi decretoria ſententia. Verum, cum hi delegati ob graves cauſas Cafæ-Dei monachis ſuſpecti eſſent; Jordanus abbas Petrum Venerabilem fratrem ſuum, cujus magna erat apud pontificem auctoritas, perpulit, ut cauſas illas Eugenio exponeret. Scripſit itaque Petrus ad Eugenium, merito ſuſpectos eſſe alteri parti hos examinatos. quippe Arelatenſem archiepiſcopum natum eſſe in diœceſi Nemaufenſi, eique eccleſiæ oblatum a patre, dum puer eſſet, ibidem nutritum uſque ad juvenilem ætatem, ejuſdem eccleſiæ canonicum fuiſſe; factum dein Agathenſem episcopum & poſtmodum archiepiſcopum Arelatenſem, ſemper propugnante negotia eccleſiæ Nemaufenſis. Ad Vivarienſem episcopum quod attinet, licet quantum ad propoſitam religionis ſpectat Cluniacenſis monachus ſit; videri tamen iis qui eum norunt, magis eum propendere in Nemaufenſem episcopum, utpote non tantum loco proximum, ſed etiam affinitate & conſanguinitate ei conjunctum. Denique examinatos illos jam tranſgreſſos eſſe mandati apoſtolici tenorem, tempus & locum maxime incongruum abbati & monachis ad dicendam cauſam præſigendo; locum quidem in urbe, in ipſa domo adverſarii; tempus vero totius anni occupatiſſimum, quando metendis & colligendis fruſtibus quilibet paterfamilias, maxime hi qui pauperiores ſunt, occupantur: de quorum numero, licet magni nominis ſit, ex plurima parte abbas Cafæ-Dei excipi non poteſt. Paruit nihilo minus abbas, & ad indiſtum ſibi tempus & locum adſuit coram examinatos. Queſtus eſt coram eis de loco & tempore: ſed nihil profecit. Assignata eidem altera, ſed non minus iniqua dies, assignatus idem locus. Unde; quia ſe videt aperte gravari, rogat ut hos examinatos merito ſuſpectos removeat pontifex, vel ipſe cauſam diſcutiendam ac terminandam aſſumat.

His litteris acceptis, Eugenius cauſæ cognitionem aliis arbitris commiſit, videlicet Raymundo de Poſqueriis Uticenſi ſeu Ucerienſi, & Petro-Raymundi Lodevenſi episcopis, qui, auditis utrimque partibus, S. Baudilii monaſterium ab episcopi jure liberum & immune eſſe pronuntiarunt. Hinc pacem & concordiam redintegravit cum abbate Aldebertus episcopus, qui in teſſeram amicitie Cafæ-Dei eccleſiam S. Juliani tunc dirutam donavit. Quin etiam non modo Petrus Lodevenſis præſul, ſed etiam Aldebertus ipſe ſcriptis ad Eugenium litteris poſtulavit, ut apoſtolica auctoritate confirmaretur ſententia, quæ amica compoſitione data erat. Has litteras Romam pettulit Jordanus ipſe, cum epistoſta Petri fratris ſui, qui eum pontifici commendavit in hunc modum.

Summo pontifici & noſtro ſpeciali patri domino papæ Eugenio, frater Petrus, humilis fratrum Cluniacenſium abbas, cum filiali amore debitam obedientiam. Præſumens de pietate paterna, ſoleo vos ſape, pater, rogare pro aliis. ſed nunc pro illo, qui mihi præ cunctis aliis cordi eſt, velut pro me altero, majeſtati apoſtolice ſupplico. Eſt autem hic dominus Jordanus, Cafæ-Dei abbas. Commendarem eum ſecurius apud vos, quia commendabilis eſt, niſi notari timerem, quia frater eſt. Hoc tamen breviter & veraciter dico, non eum egere commendatione mea apud vos, ſi mores ejus, ſi ſcientiam ejus, ſi famam ejus veſtra ſapientia agnoſceret, ſicut agnoſcimus nos. Adit præſentiam veſtram, nullo, ut ab ipſo accepi, negotio tractus, niſi ſola cauſa videndi & viſtandi vos. Suſcipiat eum benigne, ſi placet, benignitas veſtra, mihi non ſemel tantum experta: ſuſcipiar & ego in ipſo, ſi quid apud vos, quod non diſſido, locum gratiæ habeo. Deleatur, ſi placet, ſi quid unquam nubilum fuit adverſus eum in mente veſtra; & redeat ad eum illa, pro qua ſola uſque ad vos peregrinatur, gratia veſtra.

ANN. CHR.
1149.

Quia pro ipso paucis supplico, credo quod non miramini. Caro enim & frater noster est.
Hæc Petrus pro Jordano fratre, a quo removeri rogat, si quod nubilum pontificis animo sinistri de eo Aldeberti episcopi rumores impressissent. Quod vero ait, Jordanum nullo negotio tractum, sed sola visitandi pontificis causa Romam proficisci; forte quis inde inferat, præmissam epistolam alia occasione scriptam esse. Ut ut est, S. Baudilii ecclesiam pontifex Casæ-Dei brevi rescripto asseruit, dato Laterani iv. idus Martii, hoc anno: quo item anno & die generali diplomate omnes Casæ-Dei possessiones Jordano abbati confirmavit.

LXXI.
Casæ-Dei sub-
jecta monaste-
ria.

In hoc generali diplomate monasteria & cellæ, quæ Casæ-Dei juris erant, ita recensentur: abbatia S. Sicarii Brantomsiensis, S. Michaëlis Galliacensis; abbatia S. Theodossi; abbatia Fraxinorensis; item abbatia S. Sixti apud Placentiam, & S. Marini Papiensis; tum cellæ seu prioratus S. Baudilii Nemaufensis, S. Quiriaci secus Lucum, S. Treverii, Vallis-transversæ, Tecladi, Partheniaci-veteris, prioratus de Portu-Dei, &c.

LXXII.
Petrus Venerabilis queritur quod sui a Cisterciensibus in claustra non admittantur. a Petr. Ven. lib. 6. ep. 4.

Petrus Venerabilis prolixam hoc anno epistolam scripsit ad S. Bernardum, in qua queritur quod sui Cluniacenses, cum ad Cistercienses diverterent, ab ecclesia, a claustro, a refectorio, ceterisque monasterii officinis excluderentur. *Color variatur, inquit, habitacula diversa, usus dissimiles obviant dilectioni, contraria sunt unitati. Adspicit albus nigrum, & miratur quasi monstrum: inueter niger album, & miratur velut informe prodigium. . . Non illa sic intuentur oculi rationabiles, non illa sic contemplantur oculi spirituales. Vident, intelligunt, agnoscunt, nihil in servis Dei differre colorem varium, nihil usum diversum, nihil divisa habitacula. . . sed, quia non omnes tales sunt, & raro inveniuntur quibus hoc cernere detur; condescendum est, ut mihi videtur, inferioribus. Non dico ut color uniat, hoc est ut de albo niger, vel de nigro albus fiat. Non dico ut vel antiqui usus in novos, vel novi transferantur in antiquos. Nihil horum dico, licet hoc ex parte jure dicere possem. . . Utatur unusquisque colore, quem elegit: teneat usus, quibus se salva fide & caritate devovit. Uniantur saltem habitacula: sit indifferens diversorum colorum & usuum cohabitatio. . . Non timeatur illud, quod nuper apud Claram-vallem a quibusdam fratribus mecum inde conferentibus audiui timere se, ne, si advenientes monachi hospites intra claustra sua suscepti fuerint, tam austeritate consuetudinum, quam insolita ciborum asperitate deterriti, inusitata hospitia perhorrescant; ac malint deinceps in talia claustra non ingredi, quam morem tam asperum tolerare. Ad istud ego, quod tunc respondi, adhuc respondeo. Tollatur tantum non ingrediendi scandalum: sit pro more apud vestros constituto hospitium. Sit commune utrisque habitaculum: sit quale aliis apud vos impendi solet obsequium. Sint contenti, qui ingredi voluerint, consuetudine loci quam invenerint. . . Hoc si pati recusaverint, non erit jam quod objiciant, non restabit quid dicant. . . Admissi ante quindecim annos universos vestri ordinis fratres, & recipi præcepi, præter Cluniacense claustrum, in omnia claustra nostra, nec de albo vel nigro colore simul in locis nostris admixto curavi, nec curantes, cum multi mihi ne id fieret instarent, audiui. Securus ergo ut faciatis moneo quod jam feci: ut, sicut præter unum, quod præmissum est, loca omnia patent vestris: sic omnia vestra absque discretione pateant nostris. Si hoc factum fuerit, illud majus claustrum, quod exceptum fuerat, ceteris addam: & ut ipsum quoque vestris omnibus aperiatur, præcipiam. . . Scripsi hoc tibi, mi dilectissime festinant, ut festinantius mittere possem, ante quam ad diem indictam, quæ, sicut audiui, in festo omnium sanctorum futura est, quidam abbatum vestri ordinis tecum conveniant; & cum illis inter cetera de hoc meo capitulo tractans, eos in hanc sententiam, quæ, sicut æstimo, non solum mea, sed & tua est, adducas; & ut a cunctis vestri ordinis fratribus amodo teneatur, ubique teneatur, ubique promulgetur.*

Hæc ipsis Petri verbis compendio referre visum est, quod ea mores illorum temporum illustrent. Hanc epistolam Petrus Bernardo reddi curavit per Nicolaum, cui hac de re scripsit.

LXXIII.
Bernardi ad
has querelas
responso.

Petro Bernardus, vel potius Nicolaus Bernardi nomine rescripsit, se vidisse ejus litteras parvo momento; sed non parvo affectu. Dolere, quod, sicut afficiebatur, rescribere non valeret ob multitudinem magnam, quæ fere ex omni natione, quæ sub celo est, convenerat. Ceterum se, quando opportunum fuerit, accuratius rescripturum. Interim paratum se esse ad faciendam in omnibus ipsius voluntatem. In fine addit: *In conventu Cisterciensi, vestri, tamquam specialis domini, & patris, & amici*

ANN. CHR.
1149.

amici carissimi, & vestrorum, tam vivorum quam mortuorum, memoria facta est. Salutat vos Belvacensis electus, ut vester: vester est enim. Hinc colligere licet, has epistolas, cum Petri, tum Bernardi, scriptas esse Henrico regis fratre Bellovacensium recens electo: quem hoc anno episcopum renuntiatum fuisse superius vidimus.

Jam triennium erat, ex quo Helias Aurelianorum antistes episcopatum abdicaverat, eique Manasses II. successerat, cum Simon de Balgentiaco beatæ Mariæ de Bono-nuntio ecclesiam apud Aurelianos, quam ipse ejusque antecessores feudali jure a rege tenuerant, consilio Manassæ episcopi emendare constituit. Sed antequam id exponamus, de illius ecclesiæ origine quædam præmittere necesse est. Plerique eam referunt ad Robertum regem: at longe antiquiorem esse illam ecclesiam, & Carolinis temporibus exstitisse constat; ejusque instaurator tantum censendus est rex Rotbertus. *Puellaris* olim dicta est, ob eam scilicet rationem, quod in puellarum gratiam primitus condita fuerit. Jam sæculo nono clericis seu canonicis cesserat, uti nos docent litteræ Gaufredi Balgentiacensis, ut puto, domini, qui illam ecclesiam seu abbatiam una cum filio suo Petro ex Odonis beneficio tenebat. Is a canonicis interpellatus, quod illius ecclesiæ decanus multas eis injurias faceret, eas emendari jussit. Gaufredi litteræ sic incipiunt. *Ego in Dei nomine Gaufredus, & filius meus Petrus, qui abbatiam sanctæ Mariæ Puellaris, quæ dicitur Boni-nuntii, per donum domni Odonis tenemus, notum fieri volumus, . . . qualiter canonici ipsius ecclesiæ nostram præsentiam adierunt, querimoniam facientes de quibusdam injuriis & soluriis, quas decani eorum longo tempore fecerunt, & quasdam res communioni atque convivii fratrum attributas, proprietati suæ addixerunt, &c.* Odo iste, cujus dono Gaufredus, ejusque filius Petrus prædictam abbatiam tenebant, erat filius Rotberti-Fortis; hique litteris, quæ chronicis notis carent, cum Rodberto comite ipsius fratre, & Tetbaudo comite, scilicet Blesensi, Rainaldo & Arnulfo militibus, multisque aliis subscripsit post eundem Gaufredum & Petrum ejus filium, qui abbatis titulum usurpant. Ab isto Gaufredo ad ejus posteros hæc abbatia transmissa est, venitque in potestatem Gaufridi-Borelli, qui ob injurias canonicis illatas excommunicatus est, ut ex Ivonis episcopi, aliorumque litteris discimus.

a supra n. 46.
LXXIV.
B. Mariæ de
Bono-nuntio
ecclesiæ anti-
quitas.
lib. 78. n. 90.

Postremo cum ex majorum suorum successione hæc ecclesia Simoni de Balgentiaco obtigisset; hic injustam ejus possessionem, utpote canonum & summorum pontificum decretis contrariam, agnosces, consilio venerabilis Manassæ de Garlanda episcopi Aurelianensis, aliorumque religiosorum virorum, eam ad meliorem statum redigere statuit, & religiosos boni testimonii viros & bonos aedificatores Majoris-monasterii monachos illic hoc anno collocavit per Garnerium abbatem; idque a Ludovico rege confirmari fategit. Hujusce mutationis rex hanc in diplomate suo affert causam, *Quia in manu secularium canonicorum status illius ecclesiæ non mediocriter citra profectum religionis in perniciem declinabat; complacuit nobis ex intuitu piæ devotionis in meliorem ordinem ipsam ecclesiam revocare, atque monasticæ religionis in ea fundamenta locari. Qua in re fidelis noster Simon de Balgentiaco, qui eandem ecclesiam, de regio fisco fundatam, in feudali jure possessionis a nobis antiquitus obtinebat, primum habuit locum. Elegit quippe provida diligentia, ut de ecclesia beati Martini Majoris-monasterii, quæ & rebus, & dignitate percelebris in æstimationem probata religionis excrevit, accederet ad præfatam beatæ Mariæ ecclesiam-monastici sanctitatis ordinis; & propagatio religionis, &c.* Actum publice Aurelianis anno ab incarnatione Domini MCXLIX. regni vero nostri XIII. Accessit etiam confirmatio Manassæ episcopi, cujus litteræ sic desinunt. *Actum publice Aurelianis rege Ludovico, qui tunc temporis a Jerosolymitanis partibus redierat, concedente, astantibus in palatio suo Samsone Remensi archiepiscopo, Engelbaudo Turonensi archiepiscopo, Henrico Belvacensi episcopo, Hugone Autissiodorensi, Gosleno Suesionensi episcopis; Suggestio abbate S. Dionysii, Radulfo Veromandorum comite, Theoderico-Galeranni; anno incarnati-Verbi MCXLIX.* Eidem ecclesiæ in primis beneficium se exhibuit idem Manasses episcopus, quippe qui non modo tertiam partem panum & candelarum, quam quidam miles in manus ejus refutaverat, in ecclesia beati Medardi de Johanna monachis illis contulit; sed etiam, petente Alexandro III. pontifice, quartam præbendam, quæ in ecclesia beati Petri-Puellarum excidisset, eis donavit in spe retributionis æternæ atque animæ suæ, necnon patris sui Gilleberti, & matris suæ Eustachia, & patris sui Stephani de Garlanda animæ remedio. Nunc hanc ecclesiam occupant Congregationis S. Mauri sodales

LXXV.
Majori-mona-
sterio datur.

ANN. CHR.
1149.

nostri, qui, agente in primis reverendo patre domno Benedicto Bracheto, nuper Congregationis nostræ præfecto generali, post varios casus variasque difficultates, excisas monasterii ædes ex integro instaurarunt, & attributis aliorum locorum prædiis, justum ibidem monachorum cœtum postliminio restituerunt.

LXXVI.
Clementia &
Craſto mona-
sticen profiten-
tur.

Trithemius auctor est, Clementiam, Adolphi comitis Altimontensis filiam, virginem præstantissimæ formæ ac pudicitia, quæ virginitatem Christo voverat, Craſtoni filio Meginhardi comitis Spanheimensis a parentibus desponsam, assentiente sponso secessisse in beatæ Irminæ monasterium, Horreum-Dagoberti, vulgo *Oeren* appellatum, ubi multis annis in magna sanctitate & castimonia usque ad finem vitæ Christo devotissime servierit: Craſtonem vero sponsæ exemplo in Spanheimensi monasterio Deo se consecrasse sub Bernhelmo abbate: cui post biennium in monasterii regimine successit.

LXXVII.
Laurishamen-
ses abbates.

Anno sequente postquam Folcandus Laurishamensis abbas e Remensi concilio, in quo privilegium ab Eugenio impetravit, reversus erat, morbo correptus interiit anno regiminis sui septimo, vir miræ continentia & optimi consilii, si meliora tempora sortitus esset. Huic subrogatus Hildebertus ex Fuldensi monasterio, ab Henrico, quem pater Conradus Jerosolymam profecturus regem dixerat, investitus: qui sexto post mense e medio sublatus, Marquardo præposito S. Petri in *Aldenmunster* locum facit, sed ad breve tempus. Hic enim undecimo post electionem mense mortuus est. Post ejus obitum Laurishamensis abbatia ad regalem devoluta est manum, & fratres per triennium ad summam inopiam, tum ex annorum diutina sterilitate, tum ex regiorum procuratorum insatiabili ingluvie, redacti sunt. Sed tandem regis Conradi consilio Henricus ex monasterio Sunensheimsi * concordibus suffragiis electus, rem tam in temporalibus, quam in spiritualibus instauravit. Vir tanta prudentia & dextertate præditus, ut in civilibus dissidiis inter imperatorem & fratrem ejus Conradum Palatini-Rheni comitem, studia partium vitaverit, & studiis partium proteclus sit. Eadem prudentia usus est in schismate Octaviani contra Alexandrum III. nam cum agente Friderico imperatore ab Octaviano episcopalia insignia accepisset; in neutram tamen partem, nondum eliquatis apud Teutonicos rebus se prior inclinavit. Hæc omnia fuscè profequitur chronographus Laurishamensis.

LXXVIII.
Wilbacense
parthenium
conditur.

Unus e præcipuis Ordinis nostri in Germania per id tempus fautoribus & patronis fuit Bernardus Patherbrunensis, qui non contentus ædificasse duo in sua diocesi virorum monasteria, tertium virginum hoc anno adjecit, Wilbodesense seu Wilbacense dictum, situm in opido Wilbaco ad Neram fluvium. Hoc in opere adjutorem in primis habuit Ludolfum fratrem, cui amplæ in illa diocesi possessiones obveniant. Primarias conditi parthenonis tabulas refert Schatenus, hoc anno datas per manum Conradi abbatis, qui tunc eidem præfuit ecclesiæ, nempe Wilbodesensi. Id enim a Bernardo episcopo statutum erat, ut illis virginibus præferebat abbas, quem ex ipso episcopatu eligere debebant.

LXXIX.
Concilium Er-
fordiense.
a Inter Wibal-
dum. 121.

[Hoc anno Henricus Moguntinus archiepiscopus apud Erfordiam cum suis suffraganeis concilium celebravit, in quo tria præsertim tractata sunt, quæ Wilbaldo abbati amico suo significat his verbis. *Primum capitulum erat de quodam abbate de Burgilin, qui querimoniam habebat adversus comitem Sizonem, quod quædam bona ecclesiæ suæ violenter tulisset & pertinaciter teneret, quam a domno papa nobis injunctam, consilio & auxilio fratrum nostrorum, utrimque facta pace concordia terminavimus. Secundum erat de comite H. qui uxorem suam dimiserat & aliam duxerat. Hujus negotii talis erat actio: Dominus Hildeneshemensis episcopus assererat quod inter ipsum & priorem, quam pro uxore habebat, propter cognationem canonica facta erat separatio; sed quod de incestu, quem cum nepte commiserat, penitentiam suscepisset vel peregisset, non affirmabat. Unde fratribus nostris decernentibus quod ante peractam penitentiam matrimonium contrahere nec posset nec deberet, Maguntiam ad synodum nostram in feria secunda post ascensionem eum vocavimus. Præterea Hereveldensem abbatem, quia inconsulta ecclesiæ & absque verbo nostro Fuldensem suscipiens abbatiam ab obedientia nostra se alienavit, fratribus nostris sancientibus vocavimus. Post hæc, multa erant, quæ singula longum esset enumerare, sed hæc vos magis scire coniecimus desiderare. Hæc propriis Henrici archiepiscopi verbis duximus referenda, quod ignotum hæcenus fuerit hoc concilium.]*

LXXX.
Henricus

[Post trinam depositionis Henrici Corbeiensis abbatis sententiam, iudicio apo-

ANN. CHR.
1149.quendam ab-
bas Corbeien-
sis depositus
petens admitti
in claustrum
sue professio-
nis repulsam
patitur.

stolico confirmatam, jam quo se verteret infelicissimus abbas nesciens, ultimam post naufragium tabulam sibi superesse ratus est, si deprecatores apud Wibaldum, qui ei post alterum Henricum subrogatus fuerat, adhiberet amicos ejus, quibus nihil illum posse denegare existimabat. Hi erant Fredericus abbas S. Godehardi, & ut opinor Reinardus abbas Rheinhufensis, qui scriptis ad Wibaldum litteris enixe rogaverunt, ut illius misereretur, atque eum sibi vellet reconciliare. Respondit Wibaldus se omnes illi injurias ex animo condonare, at iniectas in eum ab apostolica sede censuras non posse remittere. Tunc longe efficacior existimavit Bernardi Hildesheimensis episcopi sanctissimi deprecationem, qui commiseratione permotus Wibaldum obsecrat, ut eum in claustrum suæ professionis benigne reciperet, & paterna consolatione contritionem ejus sublevando fovaret. In eundem fere modum ad fratres Corbeientes scripsit. At nimis justa suspicio eis remanserat, ne sudeque perturbaret omnia apud Corbeiam. necdum etiam oblitus erat Wibaldus, aliquos ejus vitiis consentientes ibi post illius depositionem remansisse. Nam cum a anniversarium Henrici prædecessoris sui sollempniter celebraret, tres ex junioribus a conventu & exsequiis sese ex condito subduxerunt. Interrogati vero cur ita facerent, responderunt impudenter, *se tute non posse orare pro excommunicato, cujus cadaver contra justitiam canonicam esset humatum intra ecclesiam*; nec ullis rationibus aut suasionibus discordes illi, & ad omnem ordinis ruinam promptissimi, adduci potuerunt, ut ad meliorem frugem redirent. Quamobrem tam Wibaldus abbas quam fratres Corbeientes inviti repulsam episcopo dederunt, nec sine justissima causa. Rationes exponunt in sua responsione, ubi Henrici depositi depravatam vitam enarrant, quam videre est in Appendice.]

[Eodem anno quatuor ex Strabulensi monasterio insignes virtute fratres, quorum ex initialibus litteris G. S. A. W. nomen innoscit, sæculo relicto ad cælum migraverunt. Horum obitum ut accepit Wibaldus, consolatoriam ad fratres superstites scripsit epistolam, in qua inter alia sic eos laudat: *b Nos tristamur, fratres, atque lugemus illos nobis esse ademptos, qui orabant pro populo & pro civitate nostra, intenti jugiter corde & voce ad sui conditoris amorem & laudem, sectantes humiliter omnem obedientiam, diligentes veraciter nostram personam. Sed letatur in calis Christus cum angelis, factos eos esse ex ipsius gratia dono gloriosa civitatis suæ municipes. Domine JESU ignosce nobis, quia ploramus eos quos tu recipis. Non tibi invidimus quod habes, sed de acie nostra fortissimos bellatores subtrahos dolemus, licet apud te jam nos familiaris adjurent, de se nunc securi, sed de nobis salliciti. . . . fundimus lacrymas non desperationis, sed dilectionis: non odii, sed desiderii, non quia ad te transierunt, sed quia a nobis recesserunt. De fratre E. quinto etiam defuncto, licet castigata vita & totus in lege Dei sui die ac nocte dolet maxime, quod in quadam parte minus cautus, suo improviso transitu nos, inquit, non absque gravis offendiculi scrupulo conturbavit. Causam scandali sic exponit: *Partem quamdam administrationis ei commiseramus, in qua tenacitatis culpa seductus est, ut plura relinqueret, quam ejus saluti expediret, de quibus vobis in commune mandando præcipimus, ne quis vestrum eas tamquam proprias seu communes, vel quasi ex testamento delegatas vendicare præsumat; sed salva & integra omnia ad nutum decani serventur, donec vobis, divina opitulante gratia, redditi, quid de his agendum sit sollicitè una vobiscum inquiramus.]**

[Cum Theodericus comes de Huxeria a Reinhero de Porta apud Wibaldum abbatem Corbeientem infimulatus esset de furto & occisione equorum suorum; idque singulari certamine contra eum Reinherus asserturum se proposuisset; Theodericus pro hujusmodi perfidiæ suspitione tam Wilbaldo quam ceteris pene comministerialibus execrabilis & odiosus, volens se de imposta ipsi perfidia purgare, paratum se & promptum ad duellum contra Reinherum declaravit. At vero prudentiores cōdomesticis eorum, considerantes non absque communi turpitudine comparium suorum, inter duos cœquales suos hujusmodi pugnam committi, Wibaldum abbatem obnixis precibus rogaverunt, ut Theoderici comitis reciperet satisfactionem, qui ad gratiam ipsius redire, & pro objecto sibi crimine sive per justitiam, sive per misericordiam satisfacere paratus erat. His precibus annuens abbas elegit ex ministerialibus octo, quos hujus reconciliationis consiliarios constituit, ut quidquid secundum honestatem ipsius & ecclesiæ in consilio invenirent ipse sequeretur, hocque eis se facturum promisit. Qui diu habitò inter se consilio in hoc

a Wib. epist.
105.LXXXI.
Obitus quatuor
fratrum Stabu-
lensium.

b Epist. 136.

LXXXII.
Comes de Hu-
xeria satisfacit
abbati Cor-
beienti.

tandem consenserunt, ut dominus abbas sua auctoritate & imperio duellum Reinherum inter & Theodericum prohiberet, iste vero ad sacras S. Viti reliquias juramento facto suam probaret innocentiam de his quæ Reinherus ei objecerat. Postmodum juraret quod cum domno Henrico post ejus depositionem nullam fecerit reconciliationem. Duodecim præterea de propinquis daret obsides, quod numquam deinceps contra abbatem Corbeiensis facto vel consilio quidquam ageret: quod si hujus sponsonis aliquando prævaricator existeret, hos duodecim obsides perinde atque abbatem adversarios pateretur. Primum juramentum quod pertinebat ad Reinherum Theodericus explevit. Secundum & tertium quod Wibaldum tangebatur, sponte etiam non rogatus per misericordiam abbas remisit, pugnam utriusque interdixit, deinde ipsos ad invicem reconciliavit. Consequenter duodecim obsides dedit Theodericus, qui data fide & propria manu in manum abbatis promiserunt, quod si ille fidem suam violaret, adversarios illos in perpetuum habituros esset. Fidejussoribus sub hac conditione receptis, Wibaldus abbas gratiam suam Theoderico reddidit, & in osculo pacis eum recepit. Acta sunt hæc Corbeie VI. idus Februarii MCXLIX.]

LXXXIII.
Bremenium
inclinant vota
ad Wibaldum
abbatem eligendum
archiepiscopum.
a Wibald. epist.
148.

[Defuncto Alberone archiepiscopo Bremensi, cum de successore per canonicam electionem illi dando ageretur, omnium fere vota in Wibaldum abbatem Corbeiensis inclinabant. Id gravate pertulit Hartwicus, qui electus est, nec injustam potuit dissimulare amaritudinem. unde & cum ei tanquam amico scripsisset Wibaldus, quod^a *adversus nos*, inquit, *graviter essetis commotus, & coram multis gravem de nobis querimoniam fecissetis, insuper & minas in nos & nostros intempestis*, ait id nequaquam credere potuisse, quoniam conscientia nostra, inquit, nobis veraciter attestatur, quod nec in verbo nec in opere contra personam & dignitatem vestram scienter quidquam egerimus. Recordaretur veteris amicitiae, qua antequam archiepiscopatus culmen ascendisset, litteras ei dederat, in quibus intimo affectu de quibusdam præmonerat & præmunire studuerat, in quibus si consilium suum audire placuisset, hodie, ait, ecclesia Bremensis & vos pace meliori potiremini. Ceterum ad rumorem quod in electione Bremensis archiepiscopi omnium in personam suam inclinabant vota, respondet nullum in ecclesia Bremensi cognoscere præter ipsum, & æquivocum ejus Hartwicum præpositum, Erfonem præpositum, & Albertum canonicum, quorum faciem etiam ignorabat. Civitatem ipsam numquam nisi semel intrasse sero, & mane facto egressum fuisse. Existisse stabulenti in monasterio, quod septem dierum spatium a Brema distat, ignarum eorum quæ ibi agebantur, dum facta est electio, nullam personam sollicitasse, nullam submisisse. Addit: *Nos in talem disceptationis aleam non libenter incidimus, ubi tam de natalibus quam de moribus subtilissime disputatur, & frequentissime erratur. Atque infirmitatis nostræ & humilitatis bene conscii, ad tantam rem & tam reverendam oportune gerendam nequaquam accedere præsumeremus; præcipue cum eadem ecclesia prius domina gentium, & princeps provinciarum tamquam vidua facta sit sub tributo, ad cujus contritiones sanandas si vestra eruditio, prudentia, nobilitas, & fortitudo non sufficiunt, desperandum potius erit, quam de alicujus hominis adjutorio confidendum.*]

LXXXIV.
Abbas Herfeldensis
ejus a suo monasterio
cedit.
b Epist. 152.

[Non a solo Moguntino archiepiscopo in concilio Erfordensi vexatus est Henricus Herfeldensis abbas, quod abbatiam Fuldensem suscipiens, a sua se subtraxisset obedientia; sed ipsi etiam ejus monachi eo insolentiae processerunt, ut suum abbatem de proprio expulerint monasterio. Queritur hac de re Wibaldus^b ad Hartwicum electum Bremensem scribens his verbis: *Veniens ad nos venerabilis frater noster A. Herfeldensis abbas, multis fratribus & coabbatibus nostris, qui Corbeia convenerant, conquestus est quod a monachis suis multis sit injuriis affectus, & tandem de monasterio suo per ipsorum violentiam expulsus: quod monasterium nunc a laico & illiterato, qui abbati suo hanc invidiam inflavit, contra sacra regule auctoritatem, regatur. Quam querimoniam cum ad pedes vestra celsitudinis jam frequenter retulerit; non solum non est in sua necessitate adjutus, sed etiam adversarii tanto sunt presumptionis spiritu animati, ut de ipso ad vicinas ecclesias quedam convicia & probra conscribant, contemptores regule, quæ præcipit honorari abbates a monachis, etiamsi, quod absit, aliter agant, nec absque eorum consensu & voluntate epistolæ dare vel accipere, atque ignari canonum, qui hujusmodi scripturas sub magna districtione interdiciunt, & auctoribus eorum gravissimæ animadversionis pœnas imponunt.* Postea violentiæ causam exponit Wibaldus: *Re-*

prehendunt abbatem quod insolentiam & temerariam loquacitatem monachi sui una alapa represserit. Factum non probat, sed excusat exemplo S. Benedicti qui inquietum & vagum monachum virga percussit, & Libertini monachi qui, ut refert in primo dialogorum libro S. Gregorius, graviter percussus ab abbate non solum patienter tulit, sed percutientem excusavit. addit: *Propterea nos ac per nos omnes fere Saxonie abbates vestram clementiam humiliter imploramus, ut quia scandalum hoc in principio vestra ad regimen ecclesiasticum promotionis pullulare & erumpere præsumsit, tanto id discretionis zelo corrigatis, ut ecclesia Dei gaudeat se de vestra scientia, nobilitate ac potentia invenisse solatium, & in diebus vestri sacerdotii omnis præsumptio conculcetur, & justitia & veritas accipiat incrementum.* Eandem in rem abbatem S. Godehardi Hildesheimensis & alii Saxonie abbatibus scribens^a, causam abbatis Herfeldensis commendat: *Inter cetera, inquit, illi malo fortius occurrendum erit, quod Herfeldenses monachi fratrem nostrum abbatem suum de claustris & abbatia sua expulerint, & nullo in eum judicaria actionis ordine celebrato, prius exulare & mendicare compellitur, quam delictum & crimen suum cognoscere. Et quoniam vos misericordem esse non ignoramus, eo fiducialius benignitatem vestram erogamus, ut eum nostra & omnium confratrum nostrorum vice, domno Bremensi archiepiscopo presentetis, quatenus cum eo aut misericordiam agat, aut judicium juxta canonum tramitem exerceat.* Tantis in angustiis constitutus dignitati cedere prælegit, ut anno sequenti videbimus.]

a Epist. 150.

[Hac in epistola prima mentio congregationum seu capitulorum generalium abbatum S. Benedicti in Saxonia occurrit, quæ eodem sæculo sub pontificatu Innocentii II. in Gallia celebrari cœperunt. Clarius initio hujus epistolæ hæc mentio declaratur: *Letati sumus, inquit, in his que dicta sunt nobis, quod carissimi patres & domini nostri, abbates videlicet Saxonie convenire pariter disponunt, & de his rebus pressus & studiosus tractare & ordinare, quæ ad vitam nostræ correctionem, & monasteriorum disciplinam pertinere noscuntur. Cui sancto conventui nos omnium extremi famuli gratanti animo interesse desideraremus, & eorum aspectu atque colloquio diu desiderato perfui, nisi quod quibusdam curis interpellantibus, versus partes Lotharingie nunc evocamur. Aderit vobis Spiritus sanctus, & nos vobiscum mente consistentes, ad effectum perducere curabimus, quacumque ad decorem domus Dei, eodem mediatore & auctore, ordinaveritis.*]

LXXXV.
Capitula generalia
in Saxonia.

[In Kaminateni monasterio hoc ipso anno XII. kalendas Maii cum quidam junior monachus & scholaris Hermannus nomine ad ecclesiæ lectum, quod tunc restaurabatur ascendisset, casu de fastigio tecti per laquear in pavementum ecclesiæ cecidit mortuus in aquilonari abside juxta altare S. Dionysii, nec tamen ecclesia ullo modo resperfa ejus sanguine reperta est. Tum fratres Corbeiensis, qui divina eo in loco celebrabant, a divinis cessarunt; casum vero illum significaverunt Wibaldo abbati suo, qui eos consolatus, mandavit ut Mindensem præfulem cum suis epistolis adeant, & super reconciliatione ejusdem ecclesiæ, quam fratris casu & morte judicat pollutam, misericordiam ejus implorarent, interim vero ad altare quod erat in turri, si a reliquo templi corpore separata erat, secure divina celebrarent. Scripsit autem Wibaldus Mindensi episcopo in hæc verba: *Fratres nostri dum juxta mandatum domni papa & domni regis ad restaurationem Kaminatenis ecclesiæ laborant, ab inimico totius salutis tentati & exacerbati fuerunt. nam quidam puer monachus de culmine templi, cui tunc retegendo insistebant, lapsus in pavimento ecclesiæ collisus expiravit, nullo tamen cruore effuso. Unde advoluti animo pedibus vestre sinceritatis, rogamus ut pro reverentia domni papa & pro honore domni regis & regni, juxta discretionem vobis a Deo concessam provideatis, ne locus ille divinis pro hoc officiis privetur.* Wibaldi deprecationem posthabuit Mindensis episcopus, etiam pluries ab eo rogatus. Postposuit etiam G. cardinalis & apostolicæ sedis in Germania legati mandatum, adeo ut Conradi imperatoris auctoritatem adhibere necesse fuerit abbati, quem aliunde vexabat Mindensis episcopus: *Conquerimur autem, inquit Wibaldus, serenitati vestra quod Mindensis episcopus plurimum gravat nos, & hætenus impedivit de his rebus quas Corbeiensis ecclesiæ attribuistis, Kaminatam videlicet & Wisbick. Et in Kaminata quidem ubi fratres nostros jussu vestro ordinavimus, divinum officium celebrari prohibuit, de cujus possessione mediam fere partem amisimus. In locum vero Wisbick numquam intravimus, nec passum pedis de tota possessione ibi pertinente adhuc obtinere potuimus, prohibente hoc episcopo Mindensi & comite Adulfo de*

LXXXVI.
De reconciliatione
Kaminatenis ecclesiæ.

b Epist. 163.

ANN. CHR. 1149. Scowenborch: ubi etiam Mindensis episcopus res monasterii per fratres Cappenbergen-

ses ordinavit. Wibaldi litteras ubi accepit imperator, non distulit episcopum arguere de illata fidei suo Wibaldo vexatione, eamque cessare mandavit & ecclesiam pollutam omni postposita mora reconciliare. Cumque nihil apud ipsum profecisset, secundas easque graves ad episcopum dedit epistolas, in quibus sic eum alloquitur: *Meminimus quod per alia scripta pontificalem sollicitudinem tuam admonuimus, ut Kaminatensem ecclesiam, quam pollutam judicasti, pro casu pueri monachi in resarciendo recto laborantis, reconciliare ac purgare non differres. Et miramur te non solum mandata nostra, sed officium tuum non implere. Satis diu patrocinaus es enormitati mulierum, que ibidem habitaverant, & nimium contradixisti, ne divini cultus religio per nos & nostros ibidem firmaretur. Tua etiam prudentia intelligat & judicet utrum abbatiam Wisbick demutare, & aliquibus personis absque nostro jussu attribuire debueris. Pro his igitur, & aliis in quibus nos offendere non dubitasti, per presentiam tibi scripta mandamus, & sub obtentu gratia nostra precipimus, ut in proxima nativitate Domini presentiam tuam apud Aquisgranum nobis exhibeas, responsurus nobis iudicio principum de his que circa nos & mandata nostra neglexisse visus fueris. Ceterum si reconciliationem ecclesie de qua supra diximus, amplius differre tentaveris, quoniam privilegium meretur amittere, qui concessa abutitur potestate, nos ejus purgationem ulterius dissimulare nequaquam valdebimus. Denique cum per annum in predicta ecclesia divina jussu Mindensis episcopi cessasset, Eugenius papa declaravit quod si monachi casus, nec violentia nec pravo studio coniigit, nulla ratione videmus, inquit, quod eadem ecclesia propter hoc reconcilianda sit, vel a divinis debeat cessare obsequiis.]*

LXXXVII. Esculanus episcopus implo- rat Wibaldi auctoritatem. Epi. 8., inter Vibaldinus.

[Cum P. Esculanus episcopus a Siculo vexatus negotium haberet in curia imperatoris, nec quicquam ea in curia post novem menses profecisset, Wibaldi abbatum auctoritatem imploravit, premissis hoc ejus elogio: *Dei sapientia qua disponit omnia, quando vult, & quomodo vult, elegit te virum honestum, religiosum & sapientem, ut sedes cum principibus, & solum glorie teneas, per quem ipsi omnium causas aut judiciali calculo dirimant, aut amabili conniventia terminent, tanti principis gratiam abundantius tibi erogans, ut congregatos ab eo latifuges, desperatos ad spem vitæ quodam ingenio mirabili revoces, &c.]*

ANN. CHR. 1150. LXXXVIII. Petri Venerabilis iter Romam. c Per. Ven. lib. 6, ep. 46.

ANN O insequente, ejus sæculi quinquagesimo, Petrus Venerabilis Romam ad Eugenium papam negotiorum causa profectus est, ut ipse testatur in epistola ad S. Bernardum, quam in Franciam reversus scripsit. In hac epistola exponit; quanta cum humanitate & benevolentia, quanto cum honore ab Eugenio acceptus sit. *Præferbar omnibus, inquit, etiam majoribus gradu; nec patriarchalis dignitas, cum etiam Ravennas adesset, præire, me ipsum plerumque impellente, sinebatur. Senatui Romanorum, episcoporum, vel cardinalium, non tantum adjugebar, sed & quandoque adjungi cogebat. Excludebantur universi non Romani a Romanis consiliis: solus, aut pene solus, ad mysteria jurata vocabar. Ista in publico. Jam secreta & remota ab aliis colloquia quis explicet? ... Numquam amicam fideliozem, numquam fratrem sinceriozem, numquam patrem puriozem in hujusmodi colloquiis expertus sum. ... Hæc dicens non glorior, sed vestra vota in me per ipsum impleta declaro.* Bernardus quippe Petrum Eugenio litteris commendaverat. Ad hæc paullo infra subdit de Eugenio. *Videram eum primo anno apostolatus sui Romæ; post videram Cluniaci, videram Autisiodori, videram Catalauni, videram Remis, videram alibi: sed talis nunc apparuit, quasi numquam vidissem. Qualem deinde totius Romanæ curiæ erga me ac nostram statum invenerim, succincte refero, ut amicorum fidelium, ut dulcissimorum fratrum, ut ex mero & sincero corde familiarium. Vestri omnes, maxime singularis ille vir dominus Hostiensis, non minus, non inferius mihi adfuit, quam vobis, si præsens essetis, adfaret.* Hæc Petrus in prima epistolæ parte. Ostiensis ille episcopus est Hugo, qui ex abbate Triumfontium in Campania sub finem hujus anni ab Eugenio ad hanc dignitatem promotus est. Ad eum complures extant Bernardi epistola.

LXXXIX. Eius natura quam mitis & placabilis.

In altera superioris epistolæ parte respondet ad alias litteras, quas Bernardus illi scripserat, quæ litteræ non extant; hortatusque erat, ut ne redderet retribuentibus sibi mala; immo ut illi, qui voluerant, sed non potuerant aliud agere, experirentur ejus clementiam; & affectus patris filios recedentes resignaret visceribus suis.

Instabat etiam, ut illi sentirent eum in gremio sedis apostolicæ plus patris quam judicis invenisse; & gladium, jam ad percutiendum exsertum, in vaginam pietatis esse repositum. Ex quibus intelligitur, Petrum abbatem quosdam e suis rebelles & infestos habuisse, ad quos reprimendos & puniendos Eugenii auctoritatem imploraturus Romam adierit. quos ut benigne tractaret, Bernardus eum obtestatus sit. Quid ad hæc Petrus? *Non est, inquit, non est hic labor difficilis, aut insuetus apud me. Natura ipsa satis ad indulgendum me provocat, usus ipse indulgendi infligat. Assuetus sum pati, assuetus & indulgere. Declarat hoc, quod tamen non superbe jactito, de Pontiano schismate, in quod cum innumeri declinaverint, ac nefanda & in ordine monastico inaudita fecerint: numquam gladium meum, numquam mucronem, numquam frameam experti sunt, vix usquam asperum ex ore meo verbum audierunt.* Verum in consequentibus ait, non semper misericordia in reos utendum; aliquando adhibendam judicii censuram, ne fontes indulgentiæ facilitate abutantur. Et post multa, *Non ulciscar in hostes, immo benefaciam hostibus. Præferantur, principentur, regnent, sed sine me. ... Habeant dignitates, habeant honores, si dici debet, monasticos a me, sed non circa me. Habeant extra positi, & res meas, & etiam, si merentur, cor meum: non ambiant latus meum.* Hæc tota Petri de ambitiosis illis, ut quis intelligit, monachis poena & ultio! Sub finem epistolæ se imparem esse dicit ad rependendam Bernardi in se amoris vicem. Se quantocius ei occurrurum, ubi ipse voluerit, vel apud Divionem, vel apud ipsam Claram-vallem. Postremo purgat subpriorum suum, quem seditioni illi & ambitiosi monachi apud Bernardum infamaverant.

In sequenti ad Nicolaum Claræ-vallensem epistola excusat quod ferius ad eum scripserit. In causa non esse defectum amoris, sed otii. Se læta omnia in reditu Cluniaci invenisse, & ab ovibus suis summo cum amoris affectu & júbilo non sine lacrymis receptum fuisse. *Mirabar, ait, vix quinque mensium absentiam meam in tantam amoris flammam ex occultis subito prodisse: ut mirum videri posset, si quinquennii tantam parere potuisset.* Verum in ipso statim reditu suo inundasse aquas super caput suum. *Aquæ istæ, inquit, populi fuerunt, & gentes ab Italia, Germania, Hispaniis, Anglia, ab ipsa nostra Gallia Cluniacum derivatæ, ibique simul per totam absentiam meam in immensos causarum cumulos congregatæ. Hæc, ut me presentem senserunt, ac si in caput meum conjurassent, quæcumque diu continuerant, profuderunt. Feci quod potui, & evasi ut potui.* Hanc inter alias veniæ causam pretendit, quod Nicolao non citius scripserit. Tum nonnulla inserit de consanguineo suo abbate *Miratorii Mirando* (id forte viro nomen) & admirabili. In fine Nicolaum dare operam rogat, ut dies colloqui inter ipsum & dominum Claræ-vallensem *tertia post pentecosten dominica* (hanc vero epistolam scribebat imminente pentecoste) apud Divionem si fieri potest, habeatur. Has itaque litteras scribebat Petrus ante lapsum Nicolai, quem anno sequenti contigisse inferius videbimus.

Pium erat subinde Petrum inter ac Bernardum de virtutibus, de mutua dilectione, de modestia & humilitate certamen. Petrus aliquando Bernardo scribens, ut *forti ac splendidae monastici ordinis, immo totius ecclesie Dei columnæ* his verbis usus erat. *Si liceret, si Dei dispositio non obstaret, si in hominis potestate esset via ejus; maluissem carissimæ beatitudinis tuæ nexu indissolubili adherere, quam principari inter mortales alicubi, vel regnare. Quid enim? nonne regnis omnibus terrenis præferri a me deberet grata non solum hominibus, sed & angelis ipsi cohabitatio tua? Concivem te illorum si dixerò, licet nondum spes in rem transferit, per misericordis Dei gratiam mendax non ero. Quid ad hæc Bernardus? Quid facis, o bone vir? inquit, *Laudas peccatorem, miserum beatificas? Restat ut ores, ne inducar in errorem. Inducor autem, si tantis delectatus præconiis, ignorare me cæpero. Propemodum id mihi contigerat visis litteris beatitudinis tuæ & beatificationis meæ. Quam beatus nunc essem, si verbis beari possem? Beatum tamen me dixerim, sed favore tuo, non meis laudibus: beatum, quod diligo a te, quod diligo te, &c.**

Sed vide alterum eorum certamen! Bernardus Petro scribens, epistolam inscripserat, *Reverendissimo patri & amico carissimo Petro Dei gratia Cluniacensi abbati.* Ad hos titulos se mutum & elinguem factum esse respondet Petrus. *Reverendissimum, inquit, me dicis, patrem nominas, amicum carissimum appellas? Gaudéo ad ista; sed salva veritate, quæ ex Christo in te defluxit, duo præcedentia nescio, tertium*

ANN. CHR. 1149.

X C. Nicolao Claræ-vallensi scribit. a ibid. ep. 47.

X C I. Pium ac Bernardum certamen. b Bern. ep. 164. & seq.

c ibid. ep. 387. & seq.

agnosco. Nam reverendissimum me esse ignoro; patrem, quantum ad te, me esse nego; amicum & carissimum tuum me non solum ore profiteor, sed & corde agnosco. Ut enim de reverendissimi & amici carissimi nominibus taceam, quorum, ut dixi, alterum nescio, alterum agnosco; de patris interim nomine hoc tibi, reverende frater, scribo, quod singularis suo tempore, & præclarissimus religionis flos, dominus Guigo prior Cartusien-sis, mihi quondam scripsit. Scribebam ei frequenter; & sæpe cum eo, vel verbis ad invicem collatis, vel litteris familiaribus delectabar, & cum in epistolis meis patrem nominabam. Toleravit hoc primum, putans me finem facturum scribendi. At postquam me persistere vidit, & frequentibus patris litteris nomen iterare; in hæc verba sanctus ille tandem prorupit. Scripsit namque mihi epistolam, in quam inter cetera hoc inseruit. Unde petimus per eam, qua in nos indignos vestra fervent viscera, dilectionem, ut quando nostræ exiguitati vestra scribere dignatur serenitas, ita de propria cogitatis edificatio-ne, ut infirmitatem nostram periculosa non infletis elatione. . . Et illud præ omnibus ac super omnia quasumus, & defixis in terram genibus obsecramus, ne vilitatem nostram patris nomine dignam ulterius aestimetis. Satis, & supersatis est, si frater, si amicus, si filius appelletur, qui nec servi nomine dignus habetur. Hi erant serii ludi magnorum illorum virorum, quos huc afferre visum est ad reprimendum, si fieri potest, im-modicum ejusmodi titulorum usum, immo abusum, qui apud religiosos etiam vi-ros, nedum sæculares, non raro locum habet.

X CII. Non omissenda hoc loco ejusdem Petri Venerabilis constitutio, ab eo edita præ-
fecturæ suæ anno^a vicesimo-octavo, in qua asserit, quod tempore suæ assumptionis
in abbatem, in Cluniacensi monasterio magnam quidem ecclesiam, religiosam &
famofam invenit; sed pauperissimam, magnarum expensarum, &, comparatis red-
ditibus cum expensis, nullorum pane reddituum. Trecenti quippe ibi erant fratres,
nec centum de propriis sumptibus procurare valebat. Turba hospitum semper, pau-
perum numerus infinitus. Congregata de omnibus decaniis annona vix quatuor men-
sibus, aliquando nec tribus; vinum undecumque collectum numquam duobus ali-
quando mensibus, nec uno sufficiebat. Panis parvus, niger & fursureus: vinum maxi-
me aquatum, inspidum & fere villum.* Præter alias & multo cum fœnore mutuo
acceptas expensas, in emendo solummodo annonam & vinum, plusquam viginti-
millia solidos Cluniacensis camerarius expendebat. In his angustiis venerabilis &
prudentissimus abbas, habito cum prudentioribus fratribus consilio, mesatica, id
est impositiones, per decanias constituit; & ut conventum Cluniacensem de pane
& fabis & earum sagimine quidam ex decanis uno mense, quidam tribus hebdo-
madis, quidam quindecim, quidam octo diebus, hoc est integro anno, procura-
rent, ordinavit. Inter alia primo statutum est, ut quidquid panis & vini in refectio-
rio vel in infirmaria superesset, elemosynario concederetur. Hæc constitutio per
aliquot annos servata est: sed processu temporis Petro & fratribus visum est, ut
quædam ex ea mutarentur. Editæ est integra hæc constitutio in tomo quinto^b Mis-
cellaneorum ab eruditissimo Baluzio, quæ biennio prius edita dicitur, quam in Bi-
bliotheca Cluniacensi. In ea id observare licet de domesticis seu fratribus congre-
gationis, qui hospites erant, quod prima tantum nocte eorum equitaturas procur-
raret camerarius, exceptis prioribus Hispaniæ & Angliæ, necnon prioribus Paredi,
Borbonis, & Silviniaci, quorum equitaturas, ut hospitum, quamdiu Cluniaci man-
sissent, ex usu antiquo camerarius procurare consueverat.

X CIII. Cum celebraretur hoc anno apud Cistercium capitulum generale, Eugenius pa-
pa scripsit ad Gosuinum abbatem, ceterosque abbates illic congregatos, optare se
corporali præsentia sacro eorum interesse collegio, ut de profectibus animæ com-
muniter tractare possent. Sed quia, ex divina dispensatione ad regendam ecclesiæ
navim inter medias fluctuum procellas positus ac detentus esset; saltem per spiri-
tum & litteras eos convenire, ut & ipsi conjunctum cum ipso spiritum habeant, &
in communi super eum omnipotentis Dei gratiam propensius implorent. Ut vero
id suis precibus consequantur, optare se, ut de his, quæ ad Deum sunt, de obser-
vantia ordinis, de custodia disciplinæ, perquam solliciti sint; & obliti quæ retro
sunt, ita se in anteriora extendant, ut nulla nubes in eorum operibus appareat, quæ
orationes eorum, quominus ad Deum penetrent, valeat aliquando præpedire. In-
terim, quæ corrigenda sint, corrigant; quæ statuenda, constituant, nec ea, quæ
minora videntur, incorrècta relinquunt. Frustra quippe portas civitatis obserari, si
vel

X CII.
Petri Venerabilis statutum
a Bibli. Clun.
p. 592.

* Petit-vin.

b Baluz. mis-
cell. to. 4. p.
443.

X CIII.
Eugenii papæ
epistola ad ca-
pitulum Cisterciense.

vel unum foramen hostibus, qua ingrediantur, apertum relinquatur: cum idem faci-
at sentina neglecta, quam ventus irruens; cavendumque, ne, dum vitas grandia,
obruaris arena. Respiciant ad veteres patres, qui eorum sacrum ordinem fundave-
runt, quo pacto, relicto sæculo, spretisque omnibus, ad solitudinem volaverint, ut
ipsi ad pedes Jesu cum Maria sedentes, tanto uberius cæleste manna perciperent,
quanto longius ab Ægypto recessissent. Recogitent attentius, ut ab eorum virtu-
tibus non degenerent. Ne facile acquiescant filiis sæculi, qui eos renitentes etiam
ad regimen sui trahere moliantur, & de quiete contemplationis & deserti silentio
voluerint eos ad occupationes & negotia revocare. Ad mentis oculum patrum suo-
rum exempla reducant, eligentes potius abjecti esse in domo Dei, quam habitare
in tentoriis peccatorum. Hæc fere Eugenius ad patres Cistercii congregatos.

Ad has pontificis litteras suo ipsius nomine respondit^a Bernardus, vocem turtu-
turis auditam fuisse in capitulo suo; qua audita patres omnes exultaverint & delectati sint. Non facile dictu esse, quid amplius in istis litteris delectaverit, pontificis
benignitas & inclinata majestas; an sua utilitas & erecta humilitas; mordens seve-
ritas, an mulcens paternitas. Qui in ipsis quantulumcumque esuriebant justitiam,
refectos, qui minus, compunctos fuisse; qui minime, confusos. Sollicitudinem,
quæ omnibus debetur, nullo modo his, quibus specialius debetur, subtrahendam
esse, sed propensius exhibendam. Denique non esse relinquendos, qui se ipsi reli-
querint. Addit se ægre a se amittere abbatem Trium-fontium, scilicet Hugonem,
quem papa Roman evocabat. Non nisi ægre avelli posse ab eo, qui secum sit cor
unum & anima una. *Hæu! unus quod ambo*, inquit, *vix portabamus, quomodo portabo
solus, subducto baculo senectutis meæ? Si de me parum est; moveat vos totius ordinis
plaga non parva; & ne spe incerti boni, tam certa interim mala fieri velitis. Nimi-
rum pontifex volebat Hugonem creare cardinalem. quod re vera sub finem hujus
anni, ut jam dixi, præstitit, instituendo eum episcopum cardinalem Ostiensem.*

Per id tempus Leonius Sithiensis seu S. Bertini abbas de Bernardo questus est;
quod Thomam de S. Audomaro, nobilem juvenem, qui in monasterio S. Bertini
a parentibus Deo oblatum fuerat, in Claram-vallem admisisset; atque ut ad eum sibi
restituendum efficacius Bernardum moveret, beneficia Cisterciensibus ab se collata
commemorabat. Ad Leonii litteras, quæ non exstant, respondet vir sanctus, se be-
neficiorum, quæ suæ Leonius impendebat, æternum memorem fore: sed, ut ei Thomam
redderet, suæ potestatis non esse. Vocatum esse Thomam, non a se, sed ab
eo qui vocat quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt. Non ab homine, neque per ho-
minem id factum esse, sed a Deo, qui operatur in cordibus hominum ad inclinan-
das eorum voluntates, quocumque voluerit. Non ergo revocet eum Leonius, quem
Deus vocavit. Ad parentum oblationem quod attinet, videat ejus prudentia, plus-
ne vigoris habeat id, quod factum est de ipso per alium ipso nesciente; an illud,
quod sciens & prudens de se ipso fecit. Denique votum parentum integrum mane-
re, & oblationem eorum non esse exinanitam, sed cumulata. *Nam & idem offer-
tur*, inquit, *quod prius oblatum est; & eidem offertur, cui prius oblatum est; & quod
prius a solis parentibus oblatum fuerat, nunc offertur a filio.* Atqui Thomam illum
ante suum in Claram-vallem ingressum gravibus litteris^a Bernardus admonerat factæ
sibi promissionis, cujus effectum ille retardabat, sed tandem executus est, ut
ex superiori epistola patet. In sequente^b Bernardus Leonium rogat, ut fratribus suis,
qui juxta Audomaropolim erant, id est Claromaricensibus, solita humanitatis of-
ficia exhibere pergat; se non ingratum fore, si tempus & occasio referendæ gratiæ
sefe obtulerit. Idem in subsequente epistola^c universis S. Bertini fratribus scribit. De
alia^d ad eosdem epistola, qua Bernardus eis de strictiori observantia gratulatur,
eosque ad studium religiosæ perfectionis hortatur, in superioribus actum est.

Per idem tempus aliud consimile Bernardo negotium procreavit Adami Cazia-
censis monachi susceptio in Clara-valle, inconsultis Simone Caziaci abbate, & Pe-
tro Cellensi, qui eum suo conventui priorem præposuerat. Utrumque suo discessu
turbatum placare conatus est Adamus, scriptis ad eos epistolis per Nicolaum Cla-
ræ-vallensem. Neque id factu difficile videbatur: siquidem ambo illi abbates erga
Claræ-vallenses optime affecti erant, & Simon ipse ad eos se recipere, abjecta pa-
storali sarcina, læpius tentaverat: at, obsistente Bernardo, id ante ejus obitum ex-
sequi non potuit. Sed tamen Adami discessum ægre ferebat. In epistola, quam Ada-

X CIV.
Bernardi re-
sponsum.
a Bern. ep. 273

XCV.
Ejusdem epi-
stola ad S. Ber-
tini abbatem.

a id. ep. 108.

b id. ep. 383.

c id. ep. 184.

d id. ep. 385.

XCVI.
Adami Cazia-
censis secessus
in Claram-val-
lem.

ANN. CHR. 1150. a Nicol. ep. 19. b id. ep. 20. c Bern. ep. 293.

mus^a ad eum misit, ait, diu esse quod ad Claræ-vallenses se recipere cogitaverat, & reliquum vitæ agere inter illos, & cum illis. Se diu conceptum animo propositum dissimulasse ac retinuisse, *ne revelatum velociter laberetur*: sed demum ad homines Dei venisse, & tam diu pulsavisse, donec impetrasset ingressum: cui Simonem contempnere obrestatur. Idem postulat^b a Petro Cellensi, qui haud gravate annuisse videtur. Non sic vero Simon, cujus molestiam ea de re conceperat Petrus Cellensis Bernardo significavit: sed hæc ejus epistola excidit. Petro rescripsit^c Bernardus, molestiam domini Caziacensis nulli molestiorem esse quam sibi: sed voluntate & præcepto ipsius Adamum monachum jam dudum factum esse suum, sibi que obedientiam promississe, & tandem post multas repulsas, se invito Claram-vallem intravisse, professum, se, si hinc projiceretur, longius abiturum, & nequaquam rediturum. *Quæ cum ita sint*, ait Bernardus, *vestrum est consolari hominem, delinire tristitiam ejus, excusatum me habere de tam rationabili causa. Postremo ipse quoque, ut scitis, in pendulo est; & sepe cogitavit relinquere domum suam. quod si vellet nunc effectui mancipare, ego non prohiberem, pro eo quod in ea non sine magna anxietate versetur.* Id tamen haud exsecutus est Simon vivente, ut jam dixi, Bernardo, sed post ejus obitum.

XCVII. Secessus Bartholomæi Laudunensis episcopi Fufniacum.

Verum illustrior fuit hoc anno Bartholomæi Laudunensis episcopi secessus in Fufniacense ordinis Cisterciensis monasterium, quod ipse, præter alia octo, in sua diocesi construxerat. Suffectus in vacantem episcopatum Gualterus seu Walterus de S. Mauricio ex abbate S. Martini ordinis Præmonstratensis apud Laudunum, cui Bernardus brevem, sed familiarem epistolam^d scripsit. Hunc post annos quinque excepit Gualterus alter, de Mauritania cognominatus, Laudunensis ecclesiæ decanus, qui Bartholomæum tum monachum apud Hadrianum papam accusavit, quasi Laudunensis episcopatus facultates prodegisset. Hinc Bartholomæus famam suam purgare, & administrationis suæ rationem reddere coactus est, litteris^e scriptis ad Samsonem archiepiscopum, quarum in titulo *frater Bartholomæus in Fufniaco pauper monachus* dicitur. Accusationi colorem præbebant novem abbatia, quas considerat piissimus episcopus: at ipse in prædicta epistola probat, se nihil de bonis ecclesiæ Laudunensis detraxisse præter quoddam prædium, Præmonstrato tributum, quod vix duobus aratris sufficeret. Quanta vero eidem ecclesiæ decora & beneficia contulerit, in eadem epistola commemorat. Dein sic concludit, *de cetero, quid illi sedi accessit commodi & honoris, nolo humanum procedat judicium: si quid vero ut homo deliqui, in conspectu hominum confundi non refugio. Causam itaque nostram vobis, tamquam iudicibus, allegare; tamquam testibus, intimare volui: in quibus calumniatorem non timeo, verum dicens. Liceat tamen mihi aliud audere apud vos; liceat aliquid humanum loqui. Nihilne sedi nostræ titulorum accessit & gloriæ, cum tot & tantas parturivit ecclesias, cum tot multiplicaverit regulares personas? Cur ergo, ut audio, dominus Laudunensis sine testibus bellum parat? Cur tentat, quod forte ei promoveri non liceat? Si filios Dei congregavi, si suscepi justum in nomine justum, nemo mihi succenseat: videat alias, ne congregata disperdat. Sic causam & famam suam tuebatur vir modestissimus. Quam diu apud Fufniacum monachus vixerit, incertum. Hunc pro beato habent Henriquez, & auctor kalendarii Cisterciensis, ejusque obitum ad sextum kalendas Julii referunt. at in veterrimo necrologio S. Remigii apud Remos, & in Dionysiano apud Parisios IV. idus Julii notatur. Duo ejus epitaphia existant, unum prolixum, in quo *regum stirpe, & ducum sanguine generatus* dicitur: alterum breve, ad ejus tumulum appositum, quod sic habet.*

*Qui jacet hic præsul, Marianam condidit ædem
Lauduni, pariterque domos antistitiis usas.
Templa decem instruxit: Benedicto contulit unum.
Bernardo quatuor: Norberto quinque piavit.
Dat diadema genus, Lauduni ecclesia mitram;
Funera Fufniacus, lauream & astra Deus.*

Quod de templo Benedicto dato hic dicitur, intelligendum est de Laudunensi sancti Johannis-Baptistæ monasterio, in quo, ejectis feminis, quæ licentius vivebant, monachos Bartholomæus instituit, ut alias diximus.

XCVIII. Laudunenses

Non omittendum id, quod tradit ad hunc annum Albericus in chronico, videlicet

ANN. CHR. 1150. alia res & Cameracenses.

cet apud Laudunum in abbacia S. Vincentii icu fulminis duos monachos percussos interiisse, & multa alia hoc ipso anno accidisse in illa ecclesia, sed quam illa sint, non explicat. Ad hæc, apud Cameracum incendio conflagrasset principem ecclesiam cum abbacia S. Otberti seu Auberti, & palatio episcopi, necnon cœnobio S. Sepulcri in eadem urbe.

Idem auctor tradit, eodem anno jussu regis amotos fuisse canonicos à Compendiensi S. Cornelii ecclesia occasione cervi, quolibet anno ad illam ecclesiam venientis, quem illi canonici interfecerant; eorumque loco positos fuisse S. Dionysii monachos; & ita occēpisse abbatiam Compendientem. Ut ut sit de occasione illius mutationis, eam hoc anno factam fuisse constat. Ejus rei consilium Eugenius papa cum rege Ludovico, dum in reditu ex oriente Romæ diversaretur, animo conceperat, ejusque exsequendi facultatem Balduino episcopo Noviomensi & Sugerio abbati commiserat, litteris^a ad Sugerium datis, in quibus hæc verba. *Præter ea dilectioni tuæ notum fieri volumus, quoniam cum filio nostro carissimo Francorum rege Ludovico de statuenda religione in terra sibi a Deo concessa colloquium viva voce habuimus, & monitis nostris benignam præbuit assensum. Quia ergo in Compendiensi ecclesia religionem propagari Domino auxiliante optamus, presentium tibi auctoritate injungimus, ut ad hoc efficiendum omnimoda diligentia & attento studio elaborares. Tibi siquidem & venerabili fratri nostro Noviomensi episcopo onus ipsum imposuimus. Datum Albani XIII. kalendas Julii.* Scripsit^b hac de re Sugerius ad Balduinum episcopum, eique gratulatus est de commissa ipsi auctoritate ad constituendam in illa ecclesia religionem, eundemque ad id exsequendum forti animo esse jubet. Jam ad illum locum regendum designatus & electus erat Odo de Diogilo, Dionysianus monachus, e sacra expeditione recens cum rege reversus: cujus benedictionem, si absque magno scandalo fieri posset, in ipsa festivitate S. Cornelii ante ejus altare fieri cupit Sugerius.

Verum non sine ingenti scandalo hæc mutatio facta est. Die condita rex ipse cum regina matre^c adfuit. Prima die vocati ad capitulum clerici adeste recusarunt. Postera rex ipse eos convenit, vixque ab eis obtinuit ut adestent. Lectæ coram eis papæ hoc de negotio litteræ ad Sugerium: sed nec ejus auctoritati delatum. Immo dominus Philippus^d frater regis ejus loci abbas, cum sacrilega tam laicorum, quam clericorum manu monasterium, id est ecclesiam violenter ingressus, pyxidem, in qua non modica reliquiarum portio continebatur, abstulit, & clausis super se ecclesiæ januis, præcisisque campanarum funibus, reverendam Salvatoris nostri coronam cum pretiosa & famosa ejusdem Domini nostri sindone rapere & asportare conatus est. Ast opidani hoc comperto, tam pro venerandis reliquiis, quibus locus ille toto terrarum orbe famosus existit; quam etiam pro fidelitate, quam abbati & fratribus jam fecerant, cum armis viriliter accelerantes, ecclesiam, qua potuere, ingressi, sacras eius reliquias eripuerunt, & ni regis majestati super fratre suo deferendum censuissent, a prædonibus illis sacrilegis manus haudquaquam abstinuissent. Hæc omnia commemorant tum Balduinus^e episcopus in epistola ad Eugenium, tum Sugerius in suis ad Radulfum^f Viromandensem litteris, in quibus eum cum suo, tum regis nomine submonet, ut omnia quæ sub ipsius tuitione scelerati illi clerici habebant, ipsiusmet præcepto referrentur, quippe qui, suis culpis exigentibus, se ipsos & officio, & ecclesiæ beneficio privavissent.

Inter hæc ordinatus est Odo abbas, a Balduino episcopo, qui id Sugerio litteris^g significavit, simulque extremam ejus ac monachorum ipsius inopiam, cui a Sugerio subveniri postulat. Id ipsum etiam Eugenio^h exposuit, cui totius negotii rationem reddit, rogatque omnia ab ipso confirmari: ubi de penuria monachorum hæc habet. *Unde vivunt monachi non habent. Clerici tam foranei, quam extranei, qui beneficia possident, nihil eis communicare volunt, sed magis habere videntur fiduciam, quod Jordanis influat in os eorum. Rigatio plantationis novellæ in manu vestra est, domine, ne arescat, ne deficiat, quod omnino inimicus molitur. Pluviam voluntariam segregate hereditati Dei & vestræ.* Non diu hanc novellam coloniam rexit Odo abbas, quippe qui non multo post translatus est ad S. Dionysii abbatiam, post mortem scilicet Sugerii abbatis, quæ anno sequenti ineunte contigit. Cognomen habuit de Diogilo^{*} a loco natali, qui positus est in valle Montis-morentiaci in pago Parisiensi. Hic sex libros scripsit de Ludovici VII. professione in orientem, ut fu-

Annal. Bened. Tom. VI.

O o o i j

ANN. CHR.
1150.
a lib. 78. n.
129.

C I.
Fraterni abba-
tis S. Audoëni
constitutio.
b Neustria pia
p. 28.

perius^a vidimus. De Odonis successore in abbatia Compendiensi proximo anno agendum.

Rotomagensi S. Audoëni monasterio præfuit ad hunc annum Fraternalis abbas. Hic memor beneficiorum, quæ Ragenfredus seu Rainfredus ejus antecessor, eorum maxime, quæ dimissa præfectura, cum apud S. Michaëlem in Monte Rotomagensi prior esset, & Audoëni cœnobio contulerat, sollempne anniversarium^b pro animabus ejusdem loci abbatum, monachorum, propinquorum ac benefactorum communi capituli decreto instituit, postera die S. Romani episcopi celebrandum, eodemque die festivum epulum fratribus in refectorio exhiberi voluit. Insuper ejusdem Ragenfredi anniversarias preces ipso die, quo ejus obitus accideret, fieri hoc anno statuit. Hæc etsi minutiora notare visum est ad reparanda facta Fraternalis abbatis, qui post annos septem abbatialem dignitatem, ut ipsius antecessor, ob infirmitatem abdicavit.

C II.
Fontanelle
abbates.

Hoc item anno Galterus seu Walterius Fontanelensis abbas ex hac mortali vita ad æternam migravit, cum tredecim annis sacrum illum locum rexisset. Hic sanctus dicitur in quibusdam indicibus: sed optaremus, ut acta, quibus ejus sanctitas diserte probetur, nobis suppeterent. Hunc Rogerus excepit ex priore abbas, cujus religionem Robertus de Monte laudat, cui concinit anonymi hoc distichon.

*Huic tu felici succedis sorte, Rogeri,
Felix laude tua, laus tua præcipua.*

A S. Wandregisilo usque ad Mainardum, qui hunc locum primi Richardi principatu emendavit, abbates viginti-quatuor fuere, testante Roberto de Monte: & a Mainardo usque ad Rogerum, quo superstitite Robertus scribebat, abbates duodecim. Rogero post annos quindecim successit Aulfredus seu Ansfredus ex ædituo ejus loci, cujus successores^c Galterius, Gaufridus & Robertus nulla re gesta insignes referuntur.

c Neust. pia p.
174. § 99.

C III.
Gaufridus An-
dium dux obit.
d V. lib. 75. n.
163.

Hoc tempore Ludovicus rex Francorum, cum Gaufrido Andium duce & Henrico ejus filio mense Augusto armis decertans, acuta febre in urbe Parisiaca correptus decubuit: qui ubi convaluit, pacem cum illis reformavit, recepto^d Girardo-Berlasi, qui præcipua discordiæ causa erat, & accepta fide clientelari ab Henrico de ducatu Normanniæ. Cum vero ex urbe Parisiorum Gaufridus & Henricus læti discessissent, & dux Henricus optimatum suorum conventum apud Lexovium ad festum exaltationis sanctæ Crucis indixisset, ut cum eis de itinere suo in Angliam ageret, Gaufridus ejus pater gravi febre vexatus, apud Castrum-Ledi decessit vii. idus Septembris, vir magnæ probitatis, & a suis magnopere desideratus. Hic solus omnium mortaliū, teste Roberto, intra muros urbis Cenomanniæ sepultus est, in principe scilicet ecclesia S. Juliani ante crucifixum. Sic primogenito filio suo duci Henrico cessit comitatus Andegavensis ex testamento patris, qui quatuor tantum castella Gaufrido alteri filio concessit.

* Le Château-
du-Loir.

C IV.
S. Sergii abba-
tes.
e V. lib. 76. n.
61.

Tunc etiam excessit e vivis Herveus^e S. Sergii abbas, pridie kalendas Aprilis: cujus successor Guillelmus-Amauricus ex priore Belli-pratelli in diocesi Andegavensi abbas creatus est. Hic biennio post, S. Sergii capitis partem, quam ex orientis partibus acceperat, publicæ venerationi exponi curavit ab Engelbaldo Turonum archiepiscopo, præsentibus Andegavensi, Cenomannensi, Namnetensi & Redonensi præsulibus, quibus etiam assentientibus, iis qui translationi interfuerant, *anni illius tertiam partem penitentiarum legitime acceptarum indulget*; & diem anniversarii in posterum sollempniter celebrandum indixit, iisque qui ad sancti Martyris memoriam convenirent, concessit quartam anni partem poenitentiarum, ut fufius in ejus charta continetur, quæ data est anno MCLII. die xv. kal. Februarii. Ad hæc post sex annos corpus S. Brioci episcopi, quod ab Erispogio Britannæ duce in Sergianam basilicam allatum, & conditum fuerat, e tumulo levare fecit per Gaufridum Andium episcopum, præsentibus Henrico II. Anglorum rege & Andegavorum comite, cujus munificentia caput beati Antistitis argenteo loculo inclusum fuit seorsim a reliquo corpore, quod in alia theca decenter compositum est. Huic translationi interfuit Conanus Britannæ comes, episcopo vero assistebant abbates Andegavenses, Guillelmus S. Sergii, item Guillelmus S. Albinus, Hugo S. Nicolai & Guillelmus B. Mauri, item Guillelmus onanium Sanctorum ex ordine Canonicorum regularium,

ANN. CHR.
1150.

uti ex veteri instrumento Henrici regis patet, dato anno MCLVI. pridie kalendas Augusti. De Aulberto seu Osberto Guillelmi successore, aliisque subsequentibus, Hugone & Luca nihil observatione dignum occurrit. De Augerio inferius.

In Dolensi episcopatu extat monasterium beatæ Mariæ de Troncheto, quod medio hoc sæculo condi cœptum est. Hujus origo tribuenda videtur Gauterio cuidam loci *magistro* laudato in libello de miraculis Bartholomæi Majoris-monasterii abbatis, ubi Alanus filius Jordani, Senescallus Dolensis, *per manus Hugonis archiepiscopi* Tironensibus monachis dedisse dicitur *ecclesiam de Tronchet cum omnibus appendiciis suis, concedente Gauterio ejusdem loci magistro, & omnibus fratribus ejus*. Hugo iste Dolensis episcopus seu archiepiscopus fuit ab anno circiter MCLVI. ad octo fere annos: quo tempore, cum oculorum lumine orbarus esset, ultro dignitatem abdicavit. Erectum brevi monasterium in abbatiam, quæ Tironensi subiecta persistit usque ad sæculum quintum-decimum, quo Tironensium jugum Troncherenses excutere tentarunt. Verum controversiæ finem imponere commendatarii abbates. Hanc subjectionem probavit Alexander III. in litteris Stephano Tironensi abbati concessis, quibus Tironensium possessiones & ecclesias confirmat, & speciatim *in archiepiscopatu Dolensi abbatiam beatæ Mariæ de Troncheto*. Certe in capitulo Tironensi, ubi habentur sedes abbatum a Tironio pendentium, una est pro abbate de Troncheto. Primus inter Troncheti abbates occurrit Guillelmus, cui Alexander III. anno MCLXXVII. diploma indulget. Nullus dein abbas se offert ante Johannem, cui Stephanus Dolensis præsul quamdam S. Columbani capellam anno MCCXXVIII. contulit. Superest hoc monasterium sub Congregatione S. Mauri, a paludoso & insalubri loco ad proximum collem nuper translatus.

C V.
B. Mariæ de
Troncheto ab-
batia fundatur.

Longe a Dolensi Britannæ episcopatu aberat Dolense seu Burgidolense^a monasterium, quod in Bituricensi pago Ebbo comes ante medium decimum sæculum construxit. In hoc insigni quondam asceterio florebat hoc tempore Herveus monachus, non minus doctrina quam pietate clarus, ut relicta ejus scripta & commentationes testantur. Erat is patria Cenomannensis, ab adolescentia factus apud Dolom monachus, ubi quinquaginta circiter annis cum eximia morum probitate usque ad finem vitæ conversatus est, multis ibidem innocentæ, pietatis & doctrinæ suæ monumentis relicta. A puero scholarum disciplinis apprime imbutus, cum prædictum monasterium ingressus esset, totum se studio sacrarum scripturarum dedit, atque catholicos tractatores, Augustinum scilicet, Hieronymum, Ambrosium, Gregorium, ceterosque, noctu & interdiu frequentare cœpit. Horum lectione & doctrina instructus, primo expositionem in Dionysii librum de hierarchiis angelorum fecit: tum commentarios in prophetiam Isaïæ, in Jeremiæ lamentationes, & in extremam partem Ezechielis, ab eo videlicet loco, ubi S. Gregorius papa desierat. Ut paucis absolvam, plerosque sacræ scripturæ libros exposuit, aliaque scripsit, relata in encyclica de ejus obitu epistola, quam, etsi in Spicilegii tomo secundo edita sit, in Appendice, ob insignis viri, sed nostro tempore fere ignoti, memoriam referre visum est. Hi commentarii in bibliothecis maxime Cisterciensis ordinis, Claræ-vallensis, Vallis-lucentis, Barzellæ, & Misericordiæ-Dei hætenus delitescunt, præter insignem commentarium in epistolas Pauli, qui sub nomine S. Anselmi typis jam dudum vulgatus est. Præter hos commentarios librum de miraculis beatæ Mariæ, ^b quæ in Dolensi basilica ipsius tempore patrata sunt, jussu Girberti abbatis composuit. De eo haud dubie intelligendus est Albericus in Chronico ad annum MCLV. ubi *magister Henricus*, legendum Herveus, *degens in Bituria, de nigro ordine monachorum, nobile opus super Isaïam, & multa alia edidisse* dicitur.

C VI.
Herveus Do-
lensis mona-
chus pietate &
doctrina infi-
gnis.
a V. Annal. to.
3. lib. 42. n. 12.

Demum, cum finem vitæ vir piissimus imminere intelligeret, rogatus a quibusdam fratribus, ut de vulgata S. Cypriani Carthaginensis episcopi Cœna scriberet quod sentiret; rogantibus acquievit, dicens se cum ea commentatione vitam finitum. Cum autem aliquam ejus partem deesse arbitraretur tam ipse, *quam dominus abbas Girbertus, qui hoc ei, tamquam monacho & filio suo mandaverat*; eamque a S. Savini abbate, qui se eam habere dicebat, & mittendam promiserat, frustra expectasset, morte interceptus est, postquam quadragesimæ tempus majore quam ante corporis virtute, in multa abstinentia, & *quotidianis virgarum verberibus*, assiduisque precibus exegisset. In Cœna Domini fratres in capitulo verbi sacro pabulo refecit. Die sancto paschæ factus hebdomadarius, sermonem in capi-

b Labb. to. 1.
p. 316.

C VII.
Pie obit.

ANN. CHR. 1150. tulo habuit. Secunda feria missam in conventu cantavit. Postmodum corporis debilitate correptus, quarta feria inunctus est, sed tunc communicari non potuit. quod ipse postea, relictis tantisper viribus, divina providentia factum asseruit, dicens, non Dominum ad se, sed se ad Dominum venire debere. Unde sequenti die, quam præcedenti non audierat, ipsiusque diei missam audivit; & confessione expiatus sacrosancta mysteria corporis & sanguinis Domini in viaticum devotissime percepit. Sic, cum per totam hebdomadam quotidie missæ interfuisset, cui nullo modo deesse sustinebat; & domnum abbatem, qui tunc forte aberat, ante mortem videre cuperet; ubi ille rediit, ab eo visitatus & absolutus, inter manus ejus dominica in octavis paschæ animam Deo reddidit: sed incertum quo mense, quoque mensis die & anno.

Temporis ratio expenditur.

a Labb. to. 1. p. 316.

b ibid. p. 117.

c ibid. p. 319. § 99.

Ejus tempus obitus utcumque colligi potest ex præfectura Girberti abbatis, cujus inter manus ex dictis expiravit. Atqui Girbertus obiit anno MCLIII. ex chronico^a Dolenti; ejusque loco domnus Geraldus abbas Dolentis ordinatus est. adeoque ante hunc annum Hervei obitus reponendus videtur. Verum huic calculo quædam obstant. Unum est, quod Herveus librum de miraculis beatæ Mariæ apud Dolum suo tempore patris scripsit. quæ miracula longe ferius, scilicet anno MCLXXXVII. facta traduntur in prædicto chronico^b his verbis: *Visitatio monasterii Dolentis per miracula tempore Philippi regis Francorum, & Henrici regis Anglorum.* Certe vulgata sunt apud Labbeum^c miracula beatæ Mariæ ibidem facta absque nomine auctoris, ex majori longe numero decerpta, quæ quidem ad tempora duorum illorum regum referuntur. Aut igitur ab alio quam Herveo hæc miracula conscripta sunt: aut fatendum est, Herveum Girberto abbati (quod encyclicæ de ejus obitu epistola repugnat) diu supervixisse. Sed forte alia fuerint antiquiora beatæ Mariæ miracula, quæ Herveus scriptis mandaverit. Alterum incommodum est, quod scriptum de Cœna Cypriani Carthaginensis episcopi paullo ante mortem explicasse dicitur in prædicta epistola ex mandato Girberti sui abbatis, quod forte quis de libro Ernaldi seu Arnoldi abbatis intelligendum putet, de cardinalibus Christi operibus inscriptis, & Cypriano perperam attributo, in quo unum capitulum est de Cœna Domini. quod mirum esset Cypriano tributum fuisse ab Herveo, qui Ernaldo æqualis erat. Verum in illo capitulo non reperitur versus in epistola encyclicæ relatus, ex illa Cypriani Cœna, scilicet, *confundebatur Elizabeth, stupēbat Maria, ridebat de facto Sara*, quo in versu Hervei explicatio desuisse dicitur. De alio itaque libro seu sermone prædicta epistola interpretanda, qui Hervei tempore sub nomine Cypriani circumferebatur.

C VIII.

Dolentes abbat. d Labb. tom. 1. p. 316. § 317.

Nihil proinde obstare videtur, quo minus Hervei obitus ad hunc circiter annum MCL. referatur, triennio ante mortem Girberti abbatis, cujus inter manus expiravit. Girberto, ut jam dixi, successit^d Geraldus abbas, *Moral* cognominatus: qui post annos viginti-duos regiminis anno MCLXXVI. abbatiam dimisit, & Johanni de Roca locum fecit, ad annos decem superstes. Johannes iste vicesimus-quartus abbas Dolentis existit: quem post octo præfecturæ annos excepit Geraldus de Spinolio: cujus tempore beatæ Mariæ miracula plurima facta sunt apud Dolum, ut inferius videbimus.

C IX.

S. Menulfi parthenium. * S. Menoul en Bourbonnois. c ibid. p. 433.

f ibid. p. 701.

g ibid. p. 434.

Apud Burbonenses exstat puellare nostri ordinis monasterium sub patrocinio & nomine S. Menulfi episcopi, de cujus origine, sane obscura, ad hunc locum agere distulimus. Menulfus, patria Hibernus, in minorem Britanniam accessisse^e dicitur tempore S. Corentini Oximorum seu Corisopitensium episcopi, cui eum successisse tradunt; indeque Romam profectum, in reditu apud Maliacum Burbonensis agri vicum morbo interceptum obiisse iv. idus Julii, ibidemque sepultum fuisse. Certe in veteri martyrologio^f parthenonis S. Laurentii apud Biturigas, ipso die ejus obitus notatur his verbis: *In territorio Bituricensi, vico Maliaco, depositio beati Menulfi episcopi & confessoris, magnæ sanctitatis viri.* Processu temporis, id est sub initia sæculi undecimi, ejus ossa ibidem revelata^g fuisse perhibentur præsentente Dagoberto seu Dacberto archiepiscopo Bituricensi tempore Adalgasæ, quæ prima ejus loci abbatissa nobis occurrit. Hæc quoque antiquior est illius parthenonis mentio, de cujus origine non constat. Neque ullam deinceps ejus memoriam reperire nobis licuit usque ad pontificatum Eugenii III. qui in diplomate, quo univerſas Bituricensis ecclesiæ possessiones rogatu Petri de Castra archiepiscopi confirmat, ab-

batiam^a S. Menulfi inter alias recenset. Tunc temporis eidem monasterio præerat Ermengardi abbatissa, ut patet ex litteris Henrici Æduensis episcopi, qui eidem Ermengardi abbatissæ ecclesiam Isoriæ^{*}, quam tempore domni Stephani bonæ memoriæ ejusdem sedis episcopi possidebat, ecclesiæ S. Menulfi sibi commissæ confirmat charta data Eduæ anno ab incarnatione Domini MCL. iv. idus Septembris, Eugenio apostolice sedis pontifice. Isoriæ S. Petri ecclesia, in his expressa litteris, est parœcialis Isodri ecclesia, cui adjunctum est Isodrense parthenium, S. Menulfi abbatissæ olim subiectum, de quo alias^b dictum est. Quasdam alias S. Menulfi abbatissas in tomo iv. Galliarum christianarum videre licet.

Hæc abbatia sub ordine S. Benedicti etiam nunc persistit, uti & Isodrensis prioratus mox laudatus, qui S. Menulfi abbatissæ subditus permansit usque ad initium sæculi sexti-decimi, quo tempore Georgius de Ambasia, Rotomagensis archiepiscopus & sedis apostolicæ legatus; per sanctimonialia S. Menulfi hunc prioratum reformari curavit, prioris electione Isodrensis commissæ, eo pacto, ut priorem e suo gremio, vel e S. Menulfi abbatia eligerent. Sed tandem, ut stabilior esset hæc reformatio, Petrus de Borbonio & Anna ejus conjux, cum ejus loci ecclesiam instaurassent, ejus curam ac jurisdictionem patribus Congregationis Casalis-benedicti commiserunt, probante Georgio cardinale mox laudato, cujus hac de re litteræ anno MDVII. apud Blesas datæ sunt; sicque ejusdem prioratus jurisdictione ad partes Congregationis nostræ cum monasteriis Congregationis Casalis-benedicti devoluta est. Hic locus paullo infra Molinas^{*}-Borboniorum situs est.

Tunc temporis Gellonenſe Septimaniarum monasterium procurabat Raymundus abbas, eo nomine secundus, cui Petrus Ruthenenſis episcopus, locum illum honorare volens, in quo *salutaris ligni sanctæ Crucis non modica portio & sanctissimi confessoris Guillelmi pignus venerabile continetur*, ecclesias de Creiffel, quas ad sustentationem monachorum idem abbas dari petierat, cum omnibus ad eas pertinentibus eis contulit, eo pacto, ut quotannis albi incensæ una libra matri ecclesiæ persolveretur. Raymundum istum præcesserat Hugo abbas, Raymundi primi successor, qui Hugo privilegium ab Eugenio III. ejus pontificatus anno 1. adeptus erat. Raymundo prædicto abbati Hugo comes Ruthenenſium & Ermengardis ejus uxor, assentiente filio suo Hugone anno MCLIV. donant quidquid habebant in ecclesia S. Saturnini in castro de Creiffel. Subscribunt Petrus Ruthenenſis & Petrus Lodovici episcopi, & R. abbas Nantensis.

Eodem fere tempore statutum fuit in capitulo generali Gellonenſi, ad quod ejus loci cellarum priores convenire solebant, ut quancumque aliquis ibidem monachus admittendus esset, ante altare beati Guillelmi a parentibus offerretur. Cum vero monastico habitu induendus esset, illi cum eodem *unam cappam deauratam processionalem* offerre deberent, & ipse afferre *pro suis vestibus & arnese* duas cucullas, floccum unum, duo scriptionalia cum pennis, duas tunicas, duo paria staminiarum, & alia in illo statuto memorata, quod in Appendice referemus.

Raymundi II. successores fuerunt Richardus ab anno saltem MCLV. tum post annos quindecim Bernardus; dein R. abbas, qui concilio contra Albigenſes anno MCLXXVI. habito subscripsit; ac demum Hugo de Foderia, genere nobilis, qui anno MCCIII. Petro-Raymundi locum fecit.

In Saviniacensi agri Lugdunensis monasterio post Pontium^e abbatem, cujus obitus vi. nonas Martii accidit, locum rexit Milo usque ad annum circiter MCLX. bene de suis meritis. Obiit viii. idus Julii, sepultus in clauſtro ad ostium ecclesiæ cum rudi epitaphio, in quo *inlustri sensu & præclaris meritis* dicitur. Successorem sortitus est Bernardum, qui apud Arbravillam^{*} quædam acquisivit^d anno MCLXXIII. Guichardo Lugdunensi ecclesiæ præsentente. Quo anno deceſſerit, quemve successorem habuerit, non satis liquet. Conditus est in clauſtro ad Milonem abbatem cum rythmico & salebroſo itidem, ut tempora illa ferebant, epitaphio: in quo monetur successor, ut ne ab eo degeneret, sed eum superare contendat. Ejus obitus notatur vi. idus Novembris.

In eadem Lugdunensi provincia horrendum facinus commissum est a Gigniacensibus monachis in Miratorium^{*} Ordinis Cisterciensis monasterium occasione decimarum, quas Innocentius Cisterciensibus relaxari mandaverat. Cum eas itaque Miratorii monachi vicinis sibi Gigniacensibus persolvere detractarent, idque in ma-

ANN. CHR. 1150. a ibid. p. 89. * Isore.

b V. Annal. to. 3. lib. 39. n. 8.

C X Isodrensis prioratus.

* Molinas.

C X I.

Gellonenſibus datæ ecclesiæ.

C X II.

Gellonenſes & Saviniacenses abbates.

Statutum de novitiis.

C X II. Gellonenſes & Saviniacenses abbates.

c V. to. 5. lib. 72. n. 85. § lib. 75. n. 46.

* la Bresse. d la Mure p. 400.

C X I I. Gigniacensium facinus in Miratorium, ut expiatur * lo Miroir.

ANN. CHR.
1150.

gnum Gigniacensium damnatum vergeret; eo usque horum furor exarsit, ut Miratorii monasterium usque deque per suos everterint. Id ubi rescivit Eugenius, acres admodum litteras ad Petrum Venerabilem scripsit, ut, facta quamprimum damnorum compensatione, Cisterciensibus fieret satis. Alias se rigide in reos animadversurum; commissa insuper Lugdunensi archiepiscopo facultate ecclesiasticas adhibendi censuras, nisi intra viginti dies de damnis illatis paciscerentur. Has litteras Manricus ^a vulgavit. Hujus rei causa convenire apud Cluniacum Bernardus Clavallensis abbas & Petrus Venerabilis. Quatriduo res agitata; damnique ultra solidorum triginta millia aestimatum. Verum, cum Gigniacenses sententia ab illis arbitris late parere cunctarentur, Bernardus de dilatione ad Eugenium litteris ^b questus est: se apud Cluniacum occurrisse Gigniacensibus spe pacis; quatriduo rem ventilatam; laboratum multum, sed elaboratum nihil. Ultra triginta millia solidorum computationem factam amissorum: quæ summa, tametsi venerabili abbati Cluniacensi permodica, Gigniacensibus enormis visa sit. Quippe eos prætere, quosdam malignos de suis totum malum fecisse. At istud ridiculum. Notum quippe esse in tota regione per homines eorum hoc grande facinus perpetratum; monachos quoque adfuisse quosdam; consensisse omnes. Denique ipsummet dominum abbatem hujusmodi tergiveratores palam revicisse, & affirmare, juste ab illa ecclesia repeti, quod per ecclesiam amissum esse constaret. Itaque ultimam expectari manum a pontifice, quod non nisi in manu valida posse emendari satis superque probatum sit. Non tamen continuo sarcita concordia est, sed ferius, anno videlicet MCLV. *mediantibus dominis Eraclio Lugdunensi archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, & Henrico Wintoniensi episcopo*: cujus rei litteræ extant apud Guichenonem in Bibliotheca ^c Sebustiana.

c. Bibl. Sebust.
p. 113.

CXIV.

Manegaudi
abbatis S. Michaelis ad papam epistola in comitem Barrensem.
d. Wasseb. fol. 302. verso.

Per id tempus S. Michaelis ad Mosam monachi gravem vexationem, gravesque injurias a Raynaldo Barrensi comite passi sunt, de quibus querimoniam apud Eugenium papam fecere. Tunc abbatiam obtinebat Manegaudus abbas, successor Kalonis, qui Kalo confirmationem quarundam cellarum adeptus erat ab Eugenio papa, pontificatus ejus anno primo. Manegaudi ad Eugenium litteras refert Wasseburgus, ^d in quibus queritur, monasterium suum, quod sub tuitione regum & imperatorum fundatum fuerat, & libertatem suam usque ad tempora Ottonis imperatoris illibatam conservaverat, hac libertate privatum fuisse a Friderico Lotharingæ duce, qui illud in dominium sibi usurpaverat, & castro suo Barrensi tertiam partem sui monasterii prædiorum subjugaverat; idemque dominium posteros ejus per quatuor successorum gradus retinuisse, qui *hac tertiatione* non contenti, etiam ex duabus residuis partibus complures villas militibus in beneficia distribuerint. Insuper Raynaldum ejus temporis comitem, qui quinto illi gradu successit, pecuniarum exactiones eis imposuisse, multasque alias vexationes intulisse; & hanc tyrannidem filio suo Raynaldo reliquisse, tametsi palam factus sit, se hæc omnia injuste egisse. Denique eo usque filii oppressionem ingravescere, ut jam præ inopia rei familiaris domum vacuum deserturi sint monachi; nisi apostolicæ potestatis virga oppressorem coerceret. His litteris acceptis Eugenius causam commisit Stephano Mettensi, Alberoni Virdunensi, & Henrico Tullensi episcopis, eisque mandavit distinctius monere comitem, ut ab infestatione monachorum abstinere, injuste ablata restituat, irrogata damna resarciat, & homines eorum iniquis exactionibus deinceps fatigare desinat. *Datum Signia VIII. kal. Junii.* Legimus in chartario S. Michaelis pactiones de teloneo villæ S. Michaelis factas inter prædictos Manegaudum abbatem & Raynaudum comitem, sed absque chronicis notis. Legimus quoque Friderici comitis de Ferrotis ad prædictum Raynaudum fratrem suum comitem de Montione * de cella Asmantia*, de cujus libertate prædictus Raynaldus citatus coram episcopo Tullensi agere debebat: quam cellam cœnobio S. Michaelis omnino liberam se dedisse idem Fridericus testatur.

* de Montion.
* Amanæ dioc.
Tull.

Ejusdem abbatis alia acta.

De hujus cellæ decimis litem habuit Manegaudus abbas cum Agnete abbatissa S. Glodefindis: quam litem Hillinus Trevirensis archiepiscopus apud Treviros in præsentia Stephani Mettensis episcopi composuit, non ante annum MCLII. quo Hillinus Alberoni successit. Idem Manegaudus abbas alias quoque lites habuit: unam cum abbate de Vallibus ordinis Cisterciensis super alodio de *Domenges*, quam litam Albero Trevirensis archipræsul anno MCLII. finivit. Testes Seherus S. Maximini

ANN. CHR.
1150.
* Insinire.

S. Maximini, & Bertholfus S. Eucharii apud Treviros abbates. Non desuit quoque eidem Manegaudus controversia de cella Asmingia*, quam Theodericus comes eodem sæculo ineunte S. Michaeli donaverat. Processu temporis Henricus comes de Salmis hanc cellam usurpavit, sed postmodum restituit; idque Stephanus Mettensis episcopus, in cujus diœcesi posita erat, anno MCLII. confirmavit. Verum, hujusmodi rixis omissis, id memoria dignum fecit idem Manegaudus, quod memor beneficiorum, quæ S. Michaeli a fundatoribus Wolfauto duce & Alinda ejus conjuge collata fuerant, *unam præbendam in cibo & potu & vestimento* quotidie in perpetuum pro eis dari constituit. Denique sanctimoniales in domo sua de Mareyo* prope Nanceium substituit, ea lege, ut abbatia S. Michaelis subjecta essent. Quousque vitam produxerit Manegaudus, nobis non constat. Ejus obitus notatur kal. Novembris. Fuit quoque alter ejusdem nominis abbas anno MCCII. post Robertum, cui Johannes Treverensis archiepiscopus anno præcedente scripsit de parochiali ecclesia S. Clementis.

* Maire.

Erga S. Michaelis monachos non ita male affectus fuit Raynaldus senior Barrensis comes, ut beneficii in eos omnino expers extiterit. Hic enim *sub castro* seu opido *Montione*, quod recentiores corrupto vocabulo *Mussipontem* vocant, cellam extruxit, capella S. Cyrici, quæ *infra* seu intra *castrum* in honorem S. Cyrici jam constructa erat, eis concessa cum ea libertate, *ut abbas ad placitum suum cum laude comitis capellanum ibi constitueret*. Huic Raynaldo seniori filius fuit Hugo Barrensis comes, qui cum nullis liberis relictis anno MCL. præmature decessisset, fratri suo Raynaldo honorem suum reliquit, & Gislæ matris suæ hortatu in monasterio S. Michaelis corpus suum humari præcepit, sepultus in capitulo cum epitaphio, apud Wasseburgum ^a relato, simul cum epitaphio Gislæ parentis, quæ ibidem etiam condita est. Hujus epitaphium, quia non nihil falis habet, hic referre lubet.

CXV.
Sepulturæ ibidem insignes.

a Wasseb. fol. 307.

*De splendore patrum, prolis, magnique mariti,
Nil (quia vanus erat) Gislæ, tenere potes.
Sed tua tanta manus, mens sobria, lingua modesta
Spem fecere dari splendidiora tibi.
Jam sol post triduum splendebat se capricorno,
Cum juxta nati corpus & ipsa jacet.*

Raynaldus senior ejus maritus in necrologio laudatur kal. Aprilis ob fundatum prioratum Montionensem.

[Leodiensi S. Jacobi cœnobio Elbertus postquam duodecim annis laudabiliter præfuisse, utroque orbatus oculo abdicavit anno MCIII. Ejus loco communi omnium voto electus abbas Stephanus IV. vir eximie virtutis; sed cum humilitatem in primis coleret, onus impositum detrectavit. Qua de re gratulatur ei Wibaldus abbas Stabulensis: ^b *Latatus sum*, inquit, *in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Audivimus, frater, & latati sumus, quod fratres tui spiritali patre orbati, te in regimen & pastorem animarum suarum concordia & unanimi voto elegerunt. Sed tu sanctæ humilitatis conscius, onus impositum ferre detrectas. Pia quidem & christiana religionis intentio, quod elegisti abjectus esse in domo Dei tui, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Tibi quidem frater utile, sed propter alios non necessarium; & sicut æquitatis dictante justitia, ille repellendus qui desiderat, sic canonice rationis via ille cogendus est qui recusat. Age igitur frater, divinæ dispensationi gratias, quæ & tibi humilitatis & temperantiæ spiritum administravit, & te ad participium suæ potestatis & nominis clementer vocavit, &c. quæ fuisse profectur; ac tandem addit: *Præbe igitur cor tuum sapientiæ, & tene vocantem gratiam, precibusque nostris & admonitioni & consilio efficaciter acquiescens, ale matrem tuam quæ te lactavit, genitricem rege quæ te educavit, servi fer curam.* Amici precibus Stephanus acquievit.]*

CXVI.
Stephanus abbas S. Jacobi Leodiensis.

b Epist. 193.

[Qui sic hortabatur amicam ad suscipiendum onus pastorale, non minori pertinacia recusaverat suscipere abbatiam Corbeiensem: *Memor esse debet dilectio tua*, inquit Wibaldus scribens ad Johannem Frithelensensem, *qualiter nos multum renitentes & amarissime stentes ad suscipiendum regimen Corbeienensis ecclesiæ instantissima persuasionem compulstis, & post susceptionem studiosissimo consilio nos induxisti, ut pro obtinendis ecclesiis de Kaminata, & de Wisbick & de Hildwardenhufen laborem &*

CXVII.
Quanta Wibaldus pertinacia recusaverit Corbeiensem abbatiam.
c Epist. 199.

ANN. CHR.
1150.

impensam assumeremus. Presentasti etiam nobis tunc litteras amici nostri comitis Hermannii, qui ut hoc ipsum faceremus intente admonebat. Te igitur omnium consiliorum tam in curia domini regis, quam etiam domi principe & auctore, simulque annitentibus cum maximo fervore Corbeiensibus, sententia vestra cessimus contra iudicium animi nostri, quippe rem tam arduam, tam difficilem, tam presumtuosam aggredi formidabamus. Deinde exponit quanta pertulerit pro delenda enormitate mulierum, quae habitabant in Kaminata; tum eunti in curiam imperatoris commendat res Corbeienfes, praecipue circa unionem horum conventuum.]

CXVIII.
Rebellio abbatissae de Gifeka.

a Epist. 200.

[Cum praepararet se Wibaldus ad legationem Romanam cum Henrico imperatoris cancellario, existens tunc in suo Stabulensi monasterio & longe positus, in vigilia nativitatis S. Mariae abbatissa illa de Gifeka in Kaminatensem ecclesiam armata manu intravit, & eiecit inde violenter fratribus Corbeiensibus, quos ad servendum Deo, ex vestro mandato, inquit ad Conradum imperatorem scribens, ibi ordinaveramus, praepositum monasterii in flumen iactari praecipit, ac turrim ecclesiae impositis armatis ac victualibus incastellavit. E contra Corbeienfes tam liberi quam ministeriales, cum nostra praesentia carent, neque nostro consilio uti possent, super eosdem malefactores irruerunt, & vim vi repellentes, eos de ecclesia & loco cum ignominia expulerunt, & quosdam captos secum adduxerunt. Quapropter caesaris protectionem adversus feminam illam implorat, quae abbatissa dici nec potest nec debet, pro eo quod nec in sanctimonialem, nec in abbatissam ab ullo episcopo velata vel consecrata fuit, professionis suae habitum in nigrum & candidum mutat & abijcit, anno fere integro antequam praedictum locum intraremus, per legatum domni papae deposita, & ab advocato & ministerialibus Kaminatensibus de loco projecta, cum nollet obedire, fuit. Scripsit praeterea Wibaldus ea de re ad Henricum regiae curiae notarium, qui respondit ei: Dominus rex de injuria vobis illata multum dolet; & ad commodum causae vestrae prosequendum nuncium cum litteris suis ad vos destinavit. Quod enim Corbeienfis ecclesiae pro vestra dilectione contulit, ratum habet, & omnimodis confirmare intendit.]

b Epist. 201.
202.CXIX.
Offenbach cella S. Vincentii Mettensis conditur.

Monasterio S. Vincentii in urbe Mettensi subiecta est cella Offenbach, dioecesis Moguntinae, quam cellam quidam Reinfridus, liberae conditionis homo, in praedio suo construxit, eamque S. Vincentii abbatiae tribuit pro remedio animae suae, necnon pro dilectione filii sui, qui in eodem caenobio sub monachica professione debebat, reservato sibi, posterisque suis advocatae jure. Id autem ipsius Reinfridi rogatu confirmavit hoc anno Henricus Moguntiae sedis archiepiscopus, ea scilicet conditione, ut haec cella cum suis alodiis jure fundi Mettensi attineret ecclesiae: jure autem dioecetano Moguntinae sedis archiepiscopi, cui singulis annis in signum obedientiae & subiectionis corporale persolveret. Henrici litteris, quas ex authentico descripsimus, praeter canonicos ecclesiae Moguntinae subscribunt nostris Henricus abbas S. Albani, item Henricus abbas S. Jacobi, Cono abbas de monte S. Disibodi, Rodingus seu Rudingus abbas de S. Nabore, & Robertus abbas S. Vincentii. Ex laicis Hermannus palatinus comes, Henricus frater ejus, Gerlachus comes de Veldeneze, Conradus comes, aliique. Acta sunt haec anno dominicae incarnationis MCL. indictione XIII. regnante rege glorioso Cuonrado.

CXX.
Morbacense monasterium a regulae observatione destitit.

[Exstat in Alfatia antiquissimum & insigne Morbacense monasterium, a S. Pirminio constructum, in loco horroris & vastae solitudinis, altissimis undique Vosagi montibus circumsepto, dioecesis olim Argentoratensis, nunc vero Basileensis, olim religione florens, saeculo vero duodecimo adeo prolapsum, ut regularis disciplinae jam nullum appareret vestigium. Deplorandum illius statum, exponit Wibaldus abbas Corbeienfis in epistola ad Eugenium papam, quam ideo hic integram repraesentamus.]

c Wibald. epist.
217.

[Reverendo patri & domino Eugenio, uni & universali pontifici, frater Wibaldus, Dei & vestrae gratia id quod est in ecclesia catholica, dilectionem filii & obedientiam servi. Post obitum confratris nostri Bertholdi, abbatis de Morbach, fratres & familia ejusdem monasterii ex quadam parte convenerunt in personam cellerarii sui, eumque adduxerunt ad curiam gloriosi filii vestri nostri domini Conradi Romanorum regis, quam in proxima transacta nativitate apud Bavemberch, recuperata jam sanitate, celebravit. Pars vero tam de monachis, quam de laicis, eidem electoribus se opposuit, dicentes non esse electionem, sed potius subreptionem, personam esse minus idoneam, ad

ANN. CHR.
1150.

zale onus sustinendum, & ad sanandas contritiones ejusdem monasterii. Intererat etiam eidem curiae venerabilis filius vester Orthlevus Basileensis episcopus, qui inter disceptationes litigantium requisitus a domino rege de statu praedicti monasterii, quod in parochia ejus situm est; respondit eosdem fratres multum inordinabiliter & contra propositum, & honestatem monachorum vivere, pro eo quod nec professionem facere voluissent, & singulares domos, & seorsum proprietates haberent, nec refectorium, nec dormitorium commune haberent. Asserebat etiam sub clericis sui & multorum tam abbatum quam monachorum religiosorum testimonio, quod praefatus abbas antequam decederet, sibi conquestus fuerat, quod monachi sui inobedientes sibi & prorsus rebelles existerent, neque disciplinam, aut correctionem ullatenus recipere vellent. Hoc ipsum sub multorum audientia idem abbas domino nostro regi intimaverat. Nos quoque, carissime pater, oculis nostris in eodem monasterio positi vidimus, quod proprias haberent domos, & praebendas more clericorum secularium capiebant. Tunc quoque in conspectu regni in tanta contumacia positi, neque tonsuram, neque habitum monachi exhibebant, sed semilaici quodammodo deridendos se ostendebant. Allegabant praeterea religiosi viri, quod personam suis vitiis consentientem ex industria elegissent. Collectis itaque in unum harum objectionum summis, adjudicatum est non potuisse non monachos abbatem eligere, eum praecipue qui numquam monachus extitisset. Fusi sunt deinde tam monachi quam beneficiati, & ministeriales ecclesiae ad curiam quae Spira in Purificatione B. Mariae celebrata est, convenire, ubi post multam monachorum pertinaciam, tandem pari voto & unanimi consensu expetierunt sibi dari in patrem & pastorem animarum suarum, virum nominatae religionis, vestrae sanctitatis filium, videlicet abbatem Erliacensem Eilulfum. Dominus vero rex communicato tam Basileensis episcopi, quam aliorum religiosorum consilio, praedicto concessit Morbacense monasterium, sub ea spe & sub tali mandato, ut praefatam ecclesiam in divino cultu & monastica religione reformaret. Super quo pedibus vestrae celsitudinis humiliter advoluti, devote clementiam vestram imploramus, ut quod tam bene & tam honorum suffragio inchoatum est, ad honorem Dei vos vestra benedictione & confirmatione perficiatis, neque pietatis aurem aliquibus pseudomonachis his tam recte gestis contradicere volentibus inclinare dignemini. His fufe a Wibaldo abbate enarratis concinunt ea quae eodem tempore eidem pontifici Eugenio scribit Conradus imperator: Causam Morbacensis monasterii, inquit, a latoribus praesentium viris utique religiosi ac prudentibus plenius intelligere potestis, quae in conspectu & praesentia Basileensis episcopi, in cujus parochia idem monasterium consistit, necnon Constantiensis, Bavembergensis, Eistadensis, ac Spirensis episcoporum, necnon abbatis Corbeienfis, & aliorum multorum tam abbatum, quam religiosorum, atque litteratorum virorum diu tractata, & diligenter discussa est, & ex ordine juris ac rationis ad hunc finem perducta, ut quia concors in malis praefati monasterii congregatio, quibusdam tamen eorum contradicentibus, personam vitiis suis consentientem elegerat, nos auctoritate regulae S. Benedicti edocti, adhibito episcoporum & abbatum suffragio, non solum praevalere consensum. Ad reformandam itaque religionem, & restaurandum regni nostri honorem praefecimus eidem monasterio virum venerabilem ac religiosum Eilulfum Erliacensem abbatem, cujus annitente industria praedictum monasterium ab antiquis spurciis emundetur, quod factum, ut a vestrae sanctitatis benedictione roboretur attente monendo rogamus, nec inclinetis aurem vestram censoribus illis pseudomonachis, qui episcopum Basileensem nihil de eodem negotio tractantem ad vestram praesentiam appellaverunt. Hoc negotium examinandum commisit Eugenius papa Laulanensi episcopo, qui secundum Eilulfum judicavit.]

a Epist. 219. inter
Wibaldinas.

[Eodem anno H. Wibaldi abbatis Stabulensis soror electa est abbatissa nobilis parthenonis ordinis S. Benedicti, dioecesis Colonienfis, duobus circiter milliaribus a Dusseltorpio distantis Gerisheim dicti, qua de re gratulatur ei piissimus ejus frater: Hactenus, inquit, eras nobis soror, deinceps eris nobis & soror & sponsa tanto familiaris, quanto per denominationem nostro oneri accessistis vicinias. Misimus tibi anulum subarrationis, ut nullum praeter Christum amatorem admittas.]

CXXI.
H. abbatissa Gerisheim.

c Epist. 220.

[Celeberrimum tota qua patet Germania Fuldense monasterium, post duos depositos abbates, regebat Henricus Herfeldensis abbas, qui cum ab archiepiscopo Moguntino, tum a propriis monachis vexatus, vix exaeto Fuldae biennio abdicavit. Reversus ab expeditione Jerosolymitana Conradus imperator, dissentiones ab eo loco eliminare, & rectum ordinem ibidem statuere cupiens, Fuldam hoc anno

CXXII.
Marcwardus abbas Fuldenfis.

ANN. CHR.
1150.

no cum tota curia accessit III. nonas Aprilis, quo in solemnibus conventu aderant Hartvicus Bremensis archiepiscopus, Odalricus Halberstatensis, Sigefridus Herbipolensis episcopi, Wibaldus Corbeiensis, Adamus Ebracensis abbates, denique Ludovicus Turingiæ, Hermannus de *Winzenburg*, Poppo & Bertolfus de *Hennenberg*, Godefridus & Poppo de *Sigenheim*, comites. His proposuit imperator inter regni negotia, quibus providendum erat, res Fuldenses. Summa autem verfabatur difficultas in eligendo abbate, quæ statim evanuit. Nam imperatori offerenti Marcwardum abbatem Telekeingensem, qui fuerat enutritus in Bambergensi S. Michaëlis abbacia, virum boni testimonii ab his qui intus & foris erant, omnes acquievere. Hæc omnia refert testis oculatus Wibaldus abbas Corbeiensis in epistola ad Eugenium papam, quam integram in Appendice referemus. Marcwardus a summo pontifice confirmatus res accisas Fuldensis monasterii multo labore restituit, fundos alienatos recuperavit, pauperibus & peregrinis domum hospitalem condidit, atque amplissimis redditibus dotatam postmodum in imperatoris protectionem submisit. Simili zelo fratrum suorum necessitatibus undequaque providit, sanctorum alium de Tulba egestati subvenit, denique in omnibus sibi subjectis ecclesiis ac monasteriis per circuitum anniversariam memoriam promeruit: qui tandem post regiminis xv. annos cessit ut privatus viveret, obiitque anno MCLXVIII.]

CXXIII.
Conradi infigne diploma pro Corbeia nova.

Inter ea Wicholdus seu Wibaldus Corbeia novæ abbas strenuam navabat operam, ut illustre illud cœnobium in antiquum splendorem restitueretur, emendando errata quæ tum injuria temporum, tum antecessorum fœcordia irreperant. Ex his unum erat in primis intolerandum, quod abbatia ministeriales laici, dapiferi & pincernæ, eo insolentiæ devenerant, ut omnia, quæ ad victum fratrum & universam domus substantiam pertinebant, quasi summo jure sub custodia tenerent, & pro suo nutu, inconsulto domino, id est abbate, passim cuilibet prodigerent, & ex his proprias alerent familias, ac milites suos pascerent. Hujusmodi damnosas rerum dissipationes cum emendare vellet Wicholdus abbas, unus ex illis ministerialibus nomine Rabono, * qui tunc dapiferi officioungebatur, cum fratre suo Liudolfo & quibusdam consanguineis, vehementer restitit, non sine minis affirmans, se officium suum cum ea, qua hætenus illud exercuerat, potestate dandi & accipiendi pro libito quæ vellet, posthac administraturum, nec ejus rationem cuiquam redditurum. De hac itaque rebellione cum inter alios ejusdem ecclesiæ ministeriales a Wicholdo actum esset; eorum judicio tam eidem Rabononi, quam ceteris ministerialibus arbitraria & imaginaria hæc potestas abrogata fuit, & abbati adjudicata: ita ut claves & custodiam rerum suarum, cuicumque vellet, absque consilio dapiferi & pincernæ conferre ei liceret; dapifero autem & pincernæ interdista citra ejus voluntatem & consensum dandi & accipiendi licentia. Verum cum Rabono comparium suorum judicio acquiescere directasset; Wicholdus ad Conradum cæsarem, qui tunc Spiræ comitia habebat, id retulit: ubi comparium sententia principum assensu confirmata est. Aliam insuper molestiam idem Rabono fratribus irrogabat, quod hereditariam sibi domum intra cœmeterii ejusdem ecclesiæ ambitum vindicasset. quod ipsi primum comparium suorum, tum principum judicio negatum est. Tota hujusce controversiæ historia & judicium fusc referuntur in Conradi imperatoris præcepto, quod etsi apud Schatenum vulgatum, tamen ob materiæ gravitatem in Appendice recudere visum est, ut nostri demum intelligant, quanti periculi sit, ejusmodi ministerialibus arbitrariam potestatem facilius indulgere. Memini legere alicubi, quosdam ministros culinæ deputatos tantum sibi arrogasse, ut officium suum invitis dominis retinere contenderint. Prædictis Spirensibus comitiis interfuere principes cum ministerialibus suis, ex episcopis Orthlevus Basileensis, Heremannus Constantiensis, & Guntherus Spirensis; ex abbatibus Eilulfus Murbacensis, Waltherus Selsenensis, Fridericus Campidonensis, Wiltzemburgensis seu Wizzemburgensis, haud nominatus & omnium ministeriales. Ad hæc *clerus & populus Fuldensis monasterii, quod tunc vacabat; clerus & populus Laurishamensis monasterii, quod tunc vacabat, &c.* Data hoc anno, indictione XIII. anno domini *Wicholdi abbatis tertio. Actum Spiræ in Christo feliciter.* Eodem anno idem imperator aliud per breve diploma Wirziburgi concessit, a Schatenno itidem relatum, quo Wiboldo abbati in monte Eresburgo venas argenti, aliorumque metallorum liberas permittit.

CXXIV.
Nostrorum st-

Utriusque diplomatis mentio fit in brevibus Annalibus Corbeiensibus, ubi & Wi-

ANN. CHR.
1150.
dium in conscribendis historiis.

boldus insuper laudatur, quod seniores & præpositos suos hortatus sit ad conscribendos annales monasteriorum suorum, ut ante eum fecerat Marcwardus. Id ipsum olim a nostris in Anglia statutum fuerat, ex Scoti chronico relato in præfatione Matthæi Parisii historiæ præfixa: nempe, ut in unoquoque regali monasterio unus aliquis designaretur scriba doctus ac diligens, qui regis & aliorum facta, regni que eventa notaret: quæ post cujusque regis obitum ad proximum capitulum generale deferrentur examinanda, postea in chronicum accurate redigenda, in archivis ad servandum ad documentum posterorum. Unde tot insignes historici & historiæ præsertim ex Anglia prodierunt, ut merito scribat Mareshamus: *absque monachis, inquit, nos semper in historia patria semper essemus pueri.* Hoc in genere Henricus Meibomius in præfatione ad tertiam Witichindi editionem celebrat in primis Corbeia novæ monasterium, quod nobis non modo Witichindum nobilem historicum, sed multos etiam archiepiscopos, episcopos, archimandritas, aliosque viros insigniter doctos dedit, (quod de veteri quoque Corbeia merito prædicare possumus) adeoque primaria utriusque Saxonie schola fuit; immo rem publicam litterariam insigni beneficio affectit, conservatis quinque prioribus libris Cornelii Taciti Annalium. Verum omnem hac in re laudem superat antiquæ Corbeia illustre monasterium, alterius parens, quod tot sacræ & profanæ eruditionis monumenta nobis servavit, immo alumnorum suorum scriptis ecclesiæ locupletavit.

a *Maxham.*
in præf. ad *Magn.*
Anglic.

In præmissis Conradi præcepto Laurishamense monasterium, uti & Fuldense, hoc anno vacasse dicitur. Id contigit post mortem Marquardi abbatis, quo mortuo abbatia fere per triennium pastore destituta fuit, & ad extremam redacta inopiam: tandemque Conradi regis consilio Henricus ex monasterio Sunnensheimensi electus est, vir omnium virtutum, cum naturæ tum gratiæ, genere conspicuus, qui primo interiora monasterii, tum exteriora recte composuit, ut ex chronico Laurishamensi jam superius ^b expositum est.

CXXV.
Laurishamensis abbatia vacatio.

In eodem quoque Waltherus abbas fuisse dicitur Selsenensis seu Salsensis monasterii, quod in Alsatia ad Rhenum ab Adelaide imperatrice conditum alias ^c diximus, modo in præposituram redactum. Quis tunc Wizzemburgensi monasterio abbas præfuerit, incertum.

b *supra n. 77.*
CXXVI.
Selsenense monasterium.
c *Analei. to. 4.*
lib. 49. n. 78.

[Peracta infelici expeditione Jerosolymitana, Conradus antequam in patriam rediret, Constantinopolim convenit Manuelem imperatorem Græcorum, & aliquantulum apud ipsum moratus, pactum cum eo iniit adversus Siciliæ regem. Quod ubi cœpit disseminari, rumoris etiam nescio quid Eugenium papam afflavit, eodem fœdere bellum sibi æque ac Rogerio Siciliæ regi inferendum, confirmante omnia Welfone duce, qui ex sacra expeditione revertens per Siciliam, a Rogerio officiosissime acceptus, & magnis donatus muneribus, facile adductus est, ad inferendum imperatori bellum. Hæc ubi innotuerunt Romanis, cœperunt inveterato pontificis odio advocare Germanos, & in Urbe miscere omnia. Tres ea de re factioforum inter Wibaldi epistolam habemus ad Conradum, quarum in prima, ^d *Appropinquet itaque nobis, inquit, regis celsitudinis vigor, quoniam quidquid vultis in Urbe, obtinere poteritis, ac ut breviter ac succincte loquamur, potenter in Urbe, quæ est caput mundi, ut optamus, habitare, totique Italiæ ac regno Teutonico, omni clericorum remoto obstaculo, liberius ac melius, quam omnes fere antecessores vestri dominari valebitis. Sine mora ergo venatis.* In secunda epistola Sixti, Nicolai & Guidonis curiæ Romanæ consiliariorum. *Ut jam per plures litteras regis significatum est majestati, videmus imperium Romanum temeraria usurpatione clericorum a suo vigore plurimum decidisse, ex quo populus Romanus multum dedecoratus erat, ad orbem vestris pedibus subdendum, Christi auxilio, cum summo studio senatum relevavimus, qui pacem in Urbe conservans, & justitiam faciens, bonos exaltando, malos autem delendo, ad adipiscendam imperii coronam, omni clericorum obstaculo remoto, vestra dignitati ad Urbem venienti congrue viam præparavit.* His constrictus angustiis Eugenius ad Wibaldum abbatem Stabulensem & Corbeensem, quem sedi apostolicæ semper noverat addictum, & apud Conradum plurimum valere, recurrit, jussuque pontificis Guido cardinalis & papæ cancellarius, Wibaldi ipsius amicus & familiaris ab annis amplius viginti, graviori eum adhortatus est epistola, regi ut suaderet, ne quid sinistri moliretur adversus ecclesiæ Romanam. Ut pontificis animum ab omni anxietate liberaret Wibaldus ^e, scripsit in hæc verba: *Nos illorum imitantes diligentiam, qui pauca loqui &*

CXXVII.
Rebellionem meditantibus Romanis, Eugenius recurrit ad Wibaldum abbatem.d *Epist. 217. inter Wibaldinos.*e *Wib. epist. 218.*

ANN. CHR.
1150.

multa facere consueverunt, raro vestra celsitudini studium & devotionem nostram circa vos & sacrosanctam nostram Romanam ecclesiam predicamus, cum tamen quotidiana & assidua instantia sedulum ad B. Petri & vestram fidelitatem servitium exhibere non cessamus... certa etiam sit vestra beatitudo, quod in quantum valet nostra mediocritas, & in quantum divina clementia nobis apud serenissimum principem gratia & facultatis indulget, mentem ipsius, & verba, & omne opus ad dilectionem & reverentiam vestrae personae, & honorem sanctae matris suae Romanae ecclesiae, cui a Deo defensor ordinatus existit, mansuescere & inclinare non desistimus.]

[Interim Welfo Germaniae principes commovet, & collectis copiis in juniorem regem Conradi filium dirigit aciem. Sed Deo volente, & pro illo pugnante cecidit Welfo & contritus omnino est. Post tantam reportatam victoriam Welfonem sibi reconciliavit Conradus, qui & ipse non multo post moriens a rebellione Romanorum Eugenium pontificem liberavit.]

CXXXVIII.
Nigelli poetae
carmen de re-
legiosis & aliis.

Vivebat tunc temporis poeta quidam non omnino insulsus, Nigellus nomine, qui librum carminum, *Speculum stultorum* appellatum, composuit, & dilecto sibi in Christo & semper diligendo fratri Willelmo dicavit. In illo libro poeta per jocum invehitur in omnes tum laicos, tum religiosos, qui conditione sua non contenti, aliena affectant. Tum de singulis sui temporis ordinibus monachorum, de canonicis regularibus & secularibus, de monialibus, de pastoribus, de laicis quoque agit, & singulorum ordinum statum, commoda & incommoda, bona & mala describit, non intolerandus poeta, nisi subinde quaedam inverecunde, quaedam etiam contumeliose intermiseret, quaedam etiam contra veritatem, ut est illud de Grandimontensibus, quod nulla silentia fervent. quod refellitur ex regulae capite XLVII. in quo praescribitur, ut *silentium secundum loca & tempora custodiatur*; & quidem continuum a completorio usque ad finem capituli, quod post primam diei sequentis habetur: [nisi quod Grandimontenses ejus aeo incipiebant jam declinare a suae regulae severitate.] De nullo autem ordine tam bene loquitur Nigellus, quam de ordine Cartusienfium, de quo ita canit.

*Quid si Cartusiam me convertendo revertar,
Pellibus & tunicis pluribus utar ibi.
Cella mihi dabitur, quam solam solus habebo.
Nemo mihi socius, nemo minister erit.
Solus enim psallam, solusque cibaria sumam;
Et sine luce meum solus adibo thorum.
Semper solus ero, cella retinente trimembri,
In qua continue pes meus alter erit.
Semper erunt praesto pulmento conficiendo
In cella propria ligna, legumen, aqua.
Visere me veniet prior Ordinis; atque frequenter
Panis erit calidi portio magna mihi.
His ovium, pecorum, nemorum terraque ferarum,
Vivere quo possint, portio certa datur.
Interior vestis, quam lana caprina ministrat,
Carnem castigat asperitate sua,
Qualibet hebdomada ter pane cibantur & unda:
Non comedunt pisces, sit nisi festa dies.
Et semel in mense vel bis de jure venire
Ad missam poterant, si vacat atque volunt.
Contenti propriis, nec divitiis nec egenis
Esse volunt oneri cras, hodie, nec heri.
Non licet augere numerum pecorum vel agrorum:
Taxatur certo canone quidquid habent.
Carnis in aeternum cuncti prohibentur ab esu,
Praeter eum si quem tabida lepra tenet.
Ad fora non veniant, quo litem scite resolvant,
Nec populi vanum depopulantur aere.
Hospitis adventu gaudent, mutantque dietam,
Dant quod habent hilari pectore, voce, manu.*

Quod ait de leprosis Nigellus, aliter legitur in compilatione statutorum per Rifferrum, ubi etiam leprosis carniū esus interdicitur. Hæc in specimen de illo poeta referre visum est.

Quo tempore ille vixerit, satis aperit in versibus de ordine novo in Anglia constituto, nempe Simplingamensi, Eugenii III. pontificatu exorto, de quo sic agit.

*Est & adhuc alius nuper novus ordo repertus,
Quem bene (nam bonus est) commemorare decet;
Hic apud Anglorum fines exortus, ab ipso
Nomen habet, natus quo fuit ille loco.
Simplingam dictus, de simplicitate vocatus,
Sive per antiphrasin ordo vocatur ita.
Canonici missas tantum, reliquumque sorores
Expleat officii debita jura sui.
Corpora, non voces, murus disjungit; in unum
Psallunt directe, psalmitis absque mero.*

Sic ille de novo hoc ordine, qui anno MCXLVIII. exoriri cœpit auctore S. Gilberto confessore, cujus vita in Monastici Anglicani tomo II. refertur, ejusque Ordinis exordium. Monasteriis quibusdam utriusque sexus jam erectis, Gilbertus Eugenium III. qui tunc in Cisterciensi capitulo aderat, convenit, ut Cisterciensium familiae domos suas manciparet. Verum id quod postulabat impetrare non potuit; eique responsum est ab Eugenio & patribus, sui ordinis monachis non licere, *aliorum religioni, & praesertim monialium praesse*. Reverfus itaque ad suos Gilbertus, cui pontifex novi Ordinis procuracionem commiserat, *monialibus regulam beati Benedicti; clericis vero regulam S. Augustini tenendam proposuit*. Obiit Gilbertus pridie nonas Februarii anno MCLXXXIX. & post annos quatuordecim ab Innocentio III. in catalogum sanctorum relatus est. Ejus institutiones in Monastico Anglicano videre licet. Tantum de S. Gilberto, ejusque instituto.

Non omnino extra propositum nostrum erit, si hoc loco in transcurso pauca dixerimus de oratione, quam sub medium hujus saeculi habuit Johannes Antiochia patriarcha contra eos, qui monasteria ex dono sive pontificum, sive imperatorum, accipiebant, & in suos usus convertentia. Hæc oratio, quæ a viro multæ eruditionis Johanne-Baptista Cotelerio a evulgata est, duas habet partes, in priori parte de monastica disciplina agitur, in posteriori contra hujusmodi usurpatores, quos Johannes Charisticarios vocat. Principio monachorum sacra initiatio, ad exemplum divini baptismi, in renuntiationibus & professionibus longe difficilioribus, magisque formidabilibus posita dicitur, quam secundum baptismum, renovandi prioris vini habens, divini patres nostri nominaverunt. In baptismo quippe satanae, ejusque operibus & omni pompæ renuntiat: at in monastica professione parentibus, fratribus, cognatis, possessionibus nuntium remittitur; immo & propria abnegatur anima, & omni austeritate monasticae vitae in perpetuum professus devovetur. Mirro quæ Johannes in posteriori parte adversus Charisticarios illos exaggerat, qui ubi monasterii cujusvis donum accepissent, redditus omnes invadabant; praepositum ac monachos tamquam servos ac mancipia habebant, quibus minimam e toto reddito attribuebant portionem, eam velut propriam eleemosynam eis praebentes. Neque ulla eis cura erat de templorum & ædium ac villarum instauratione, ad inferendum, immo ad auferendum dumtaxat, non ad in facta-recta expendendum intenti: ex quo templorum & ædium ruinae sequebantur. Sed ne pietatis omnino expertes viderentur, dum propria monasteria everti sinebant, nova construere aggrediebantur. quæ omnia utinam nostrum nonnullis nostri temporis commendatariis abbatibus non convenirent! Hæc aliaque longe plura scribebat Johannes *elapsis jam quadringentis annis* ab everfa hæresi Iconomachorum.

ANNUS insequens ejus saeculi quinquagesimus-primus toti Galliae & Ordini nostro, nedum monasterio Dionysiano funestissimus fuit ob mortem Sugerii abbatis, quæ ineunte ipso anno accidit. Paulo ante extremum morbum cum ad subveniendum Jerosolymitanæ ecclesiae supra modum afflictæ tum a patriarcha, tum ab Eugenio pontifice pulsatus fuisset, *regi quidem parcendum judicans*, ait ipsius vi-

ANN. CHR.
1150.CXXXIX.
Simplingamensis
ordinis
origo.CXXX.
Johannis patriarchae
oratio
in Charisticarios.a Cotelerio monacho.
Graec. to.
I. p. 159.ANN. CHR.
1151.
CXXXI.
Sugerius abbas
ad loca sacra
iter parat.

ANN. CHR.
1151.

ta scriptor, *vel reversa militia, quod vix paullulum respiraissent*; episcopos ad succurrendum saepius exhortatus est. Verum cum id frustra tertium usque tentasset, nihilque proficeret, ipse periclitanti ecclesiae succurrere statuit, & ad loca sancta, quantumvis fenex, proficisci. Et quidem magnificam hanc devotionem suam ad tempus occultare malisset sive propter incertos exitus, sive ut iactantiam declinaret. Verum ingens illam prodidit apparatus. Nam exinde cepit satagere, ut per manus sacri Templi milium sumus tantae rei necessarios Ierosolymam praemitteret, ex his scilicet redditibus, quos proprio sudore vel sollertia monasterio adjecerat. Sed dum de profectioe deliberat, cordium inspector Deus, votum ejus pro facto reputans, emerito seni parcere, eumque ad se vocare decrevit.

CXXXII.
Sed morbo
praeventus ad
mortem se dis-
ponit.

Levi itaque primum febricula sub finem anni praecedentis correptus, nihilo minus saepius sacra faciebat. qua de re Willelmus monachus, ejus vitae scriptor & rei gestae testis, ita Gaufridum sodalem suum alloquitur. *Vidimus, mi Gaufride, vidimus senem, sed animo vigentem, & viridem, cum valetudine & imbecilli corpufculo aliquamdiu colluctantem. Vidimus aliorum manibus sustentatum frequenter sacras hostias immolantem: donec ingravescente morbo, & viribus minoratus, lecto applicitus est. quod sine dolore non vidi, sine gemitu non eloquor. Cumque intellexisset hanc esse vocationem suam, & diem sibi imminere ultimum, aequo animo & alacri tulit conditoris arbitrium: laetus, ut ait, quod ex hac quasi fovea in illud aliquando evaderet liberum & sublime. Hic vocationis suae praescius, eodem anno voti causa ad sepulcrum eximii confessoris Martini profectus fuerat, vale illi ultimum, ut ipse asserbat, dicturus: ad cujus tumulum egregii operis vestem fericam obtulerat. Illud tamen moleste ferre videbatur, quod devotionis suae de Ierosolymitano itinere propositum ipse exsequi non posset, veritus, ne is, quem ex nobilissimis Francorum proceribus ad id perficiendum elegerat, id segnius exsequeretur. Cum itaque opus suum & votum impressa cruce ei injunxisset, impensas etiam, quae illi & non paucis cum eo profecturis militibus sufficerent, suppeditavit, ad caelestem ipse Ierusalem brevi profecturus.*

Ex illa die, inquit Willelmus, cepit horam ultimam hilarior expectare; nec trepidabat ad extrema, quia vitam consummaverat ante mortem; nec pigebat eum mori, cum juvaret vivere. Libens exibat, quoniam emissio sibi sciebat meliora restare: nec putabat excedendum viro, sicut exit qui ejicitur, qui invitus expellitur. Erat itaque in conspectu mortis alacer, & promittentibus vitam, Deum testor, magis indignabatur quam morti. Qui mirum in modum eodem vultu, eodemque animo spectabat finem suum, quo quis finem spectare solet alienum: quem non exciperet tam hilariter, nisi se diu ad illum preparasset. Quomodo quidam rogare solent vitam, ita ille optabat exitum: quia bene vivendo egerat, ut satis vixisset; nec quam diu, sed quam bene viveret, semper attenderat. Sic morbo quatuor mensibus, vel eo amplius detentus, agebat Omnipotenti gratias, quod non repente avulsus, sed subductus paullatim perdaceretur ad requiem, homini fatigato necessariam.

CXXXIII.
Bernardus ad
eum scribit.

Ubi extremum ejus morbum, sive per ipsum, seu per alios rescivit Bernardus Clarae-vallis abbas, eum litteris animavit, ut mortem laetus exciperet, suumque de eo ante mortem visendo desiderium illi significavit. Hanc epistolam, quae eximium viri Dei in Sugerium affectum, ipsiusque de eo praeclearam existimationem discrete prodit, hoc loco integram exhibere visum est.

Carissimo & intimo amico suo Sugerio, Dei gratia abbati S. Dionysii, frater Bernardus, gloriam qua ab intus est, & gratiam qua desuper venit. Homo Dei, ne trepidus exuere hominem illum qui de terra est, illum qui te deprimat usque ad terram, & conatur deprimere usque ad inferos. Iste est qui vexat, qui onerat, qui oppugnat. Quid tibi & terrenis exuviis, qui ad caelum iturus, stola gloria mox indui habes? Praesto est, sed vestire non dabitur: vestire novit illa, non supervestire. Sustine ergo patienter, immo libenter accipe nudus & non vestitus inveniri. Denique & Deus ipse vult vestiri: sed cum nudus, non cum vestitus est. Homo Dei non revertetur ad Deum, nisi is qui de terra est, & terra est, in terram ierit. Hi enim duo homines sibi invicem adversantur, nec erit pax, donec ab invicem separentur: & si pax fuerit, non erit pax Domini, non erit pax cum Domino. Non es tu de illis, qui dicunt: Pax, & non est pax. Te expectat pax illa qua exsuperat omnem sensum: te expectant iusti, donec retribnatur tibi; te expectat gaudium Domini tui. Et ego quidem, carissime, vehementer afficior

ANN. CHR.
1151.

afficior ante videre te, ut benedictio morituri veniat super me. Et quoniam non est in homine via ejus, non audeo, unde certus non sum, pro certo polliceri: sed quod nondum video, quomodo possim, satis ago ut possim. Forte veniam, forte non veniam. Sed quodlibet horum sit, dilexi a principio, diligam sine fine. Fidenter dico, non possum perdere sic dilectum usque in finem. Non mihi perit, sed praest, cujus anima mea adhuc glutino quod non dissipabitur, & vinculo quod non dirumpetur. Tantum memento nostri, cum perveneris, quo nos praeveneris: ut & nobis cito detur venire post te, & ad te pervenire. Interim tamen nullatenus putes, quod tua dulcis memoria recedat a nostra, nisi praesentia dolentibus subtrahatur. Quamquam potens est Deus te adhuc nobis donare rogantibus, servare indigentibus: quod utique non est diffidendum.

Hactenus Bernardi epistola cujus lectionem Sugerio morienti non mediocre foliatum attulisse non dubito. [Ad eam respondit Sugerius breviori sed summa & solida pietate plena.

Amanissimo domino & patri venerabili Dei gratia Clarae-vallis abbati BERNARDO, Sugerius adhuc beati Dionysii humilis minister, salutem & sinceram dilectionis affectum. Visitastis nos litteris vestris, visitet vos oriens ex alto. Munuscula vestra, immo munera maxima, mappulam pretiosam, panem benedictionis vestrae, litteras consolationis, in quibus continentur verba bona, verba sancta, melle & lacte redundantia mihi misero peccatori delegastis, & in extremisposito consolationem maximam praebuistis. Si enim angelicam faciem vestram vel semel ante decessum meum videre potuissem, ab hoc miserrimo saeculo securius exirem. Sciatis autem pro certo, quia si mille anni, aut ultra, vivere meruissem, nisi in beneplacito Dei remanere non curarem. Nec enim ex operibus justitia, sed in sola Dei misericordia confidens, quam semper in se sperantibus exhibet, ad eum redire, tota cordis intentione desidero, unde & animam meam in sanctas manus vestras devote commendo, & ut vestris & sanctarum congregationum vestrarum orationibus, divinam propitiationem anima mea concilietis, genibus vestrae sanctitatis provolutus efflagito.]

[Eodem tempore Sugerius alia ad regem epistola testificatur se regem regnumque Deo commendare, regi vero ecclesiam S. Dionysii; quam quidem uti & praecedentem ex ms. Coisliniano descriptam hic representare non gravabor.]

[Glorioso Dei gratia regi Francorum & duci Aquitaniae Ludovico, carissimo domino nostro, Sugerius, omnium abbatum B. Dionysii minimus, devotas in Christo orationes & fidele servitium. Gravissimi languoris longa attritione consumtus, excellentia vestrae significare dignum duxi, in bona spe & bona fide Dei misericordiam, quam numquam in se sperantibus denegat, tota cordis intentione praestolando. Mirantur siquidem omnes, quod tanto, tam longo dolore attritus supervixerim, existimantes hoc ex divina pietatis largitione mea parvitati impertitum esse, ut cum tantum poenitendi spatium haberim, annos meos in amaritudine anima mea recogitem, & mihi provideam. In tanto enim honore positus, absque multis culpis vivere non potui. Personam vestram, & persona prosperitatem, & regni statum Domino Deo attentius commendo, & ut inter felices reges coronam gloria aeterna immarcescibilem obtineatis, qua possum prece divina pietati supplico. In omnibus vero & inter omnia & ante omnia pro nobili ecclesia B. Dionysii, quae maxima regni & corona vestra portio est, nobilitatem vestram attentius deprecor, ut eam tamquam bonus dominus & pius forveatis & manu teneatis, & ei consilii & auxilii manum porrigatis. Meminerit regiae majestatis celsitudo, quo modo juvenis de terra vestra existis, nobile regnum Francorum in manu ecclesia dimisistis, per tot pericula & mortes ecclesiam orientalem visitastis: videte, pensate, ne tantum laborem amittatis. Diligite ecclesiam Dei, pupillos & viduas defendite, & sic contra omnem potestatem tam aeream quam mundanam, & contra amulorum insidias, quos multos habetis, Deo auxiliante, poteritis resistere. Hoc enim est meum consilium. Hanc epistolam, qui me non potestis, vobiscum semper retinete, & quod in ea scriptum est adimplere satagite. Pro vobis enim vobis loquor. Valeat celsitudo vestra.]

Interim ad exitum properabat optimus fenex, qui cum se circa natalē Domini diem actius sensit urgeri, a Domino enixe postulavit, ut ejus paullisper differretur tranfitus, post sacros scilicet dies, ne propter illum festivi dies in luctum converterentur. Annuit ejus votis misericors Dominus. nam expletis sacris diebus, octava epiphaniarum die migravit ad Dominum. Encyclicam de ejus obitu epistolam scripsit idem, qui libellos tres de ejus gestis edidit, Willelmus monachus:

Annal. Bened. Tom. VI.

Q 99

CXXXV.
Sugerii obitus
& epistola de
eo encyclica.

quam epistolam, etsi tantisper prolixior, ob tanti viri memoriam majori ex parte hic referre non dubitavi.

Omnibus fidelibus ubique in Christo constitutis, humilis beati Dionysii conventus salutem, & pro ea qua in presenti postulat, aeternam in caelis consequi consolationem. Reverentissimi & pia recordationis Sugerii abbatis gloriosum de hoc mundo transitum sancta unanimi vestra dignum duximus intimare: ut in dolore, quo inestimabiliter consternati sumus, a caritate vestra remedium aliquod solatii reportemus. Quia enim unius capituli omnes simul & singuli membra sumus, constat quia mutua compassionis invicem debitores existimus. Itaque licet memoratus, & omnibus saeculis memorandus pater pro singulari sapientia, pro strenuitate & industria sua orbi pene universo innotuerit, tamen quod ad nos attinet solliciti sumus, ne immensis tanti patris beneficiis & meritis ingrati & immemores appareamus. Non quod omnia egregia ejus facta vel laudes hac brevi scheda plene possimus comprehendere, quippe quibus explicandis non parvo volumine vel mediocri ingenio opus sit; nimirum cum & fama minor meritis, & laus virtutibus impar existat. Quis enim ejus vitam digno possit offerre praconio? Quis illius a juventute magnanimitatem, & tam in rebus ecclesiasticis quam & saecularibus satis possit mirari prudentiam? Cujus circa divinum cultum vigilantiam, circa ecclesia ornatum instantiam nemo sufficienter referet. Cui praecipua semper fuit intentio vel studium, ut nobile beati Dionysii monasterium omni gloria & honore attolleret, religiose ordinaret, & ecclesiam redditibus opulentam, aedificiis ampliore, ornamentis decoratam redderet. Cujus rei luce clariora exstant indicia usque in finem saeculi permanens. Unde nunc veraciter & secure Domino decantare potest: Domine dilexi decorem domus tuae & locum habitationis gloriae tuae.

Acumen ingenii, lingua nitor, litterarum scientia, dictandi scribendique peritia simul & singulariter in eo resplendebant: ut vix aliquis sciret, quid horum in illo potissimum emerit; cum id magis in illo mirabile videri posset, quod non lente, non anxie, sed eadem pene qua loquebatur celeritate scribebat. In ipso non solum naturalis memoria felicitas vigeat, sed & ars ad summa comprehendenda qua opus esset, & custodienda: adeo ut quacumque egregie dicta vel audisset aliquando, vel ipse dixisset, loco & tempore in promtu haberet. In quo sobrietas adeo vixit, ut nemo discerneret, utrum ante cibum, an cibo sumto magis esset sobrius. Ceterum ut multa breviter comprehendantur, quante virtutis vel opinionis vir iste in toto regno habitus sit, una hac res testis existit, quod rex Ludovicus Hierosolymam proficiscens, consilio pontificum & procerum experta illius fidei & solertia regnum specialiter regendum commisit. Quod ille duobus ferme annis, juvante Deo, ita administravit & rexit, ut principi reverso commissa sibi restitueret integra. Sed & summus pontifex Eugenius, quotiens aliqua in regno graviora emerissent, cum ad ipsius audientiam fuissent perlata, istius probata discretioni sepius terminanda remisit. Qui cum invidiosus & coactus consiliis regum interesset & principum, hoc ut facebatur, non sine magno mentis gravamine sustinebat, ut pupillis, ut viduis, ut quibuscumque pauperibus & injuriam sustinentibus opem ferret: & praecipue, ut commissa sibi ecclesia, vel ceteris in regno constitutis, apud principem in opportunitate subveniret.

His itaque tantis ac talibus viri magnifici bonis in quemdam mentis excessum elati, semper eum optabamus superstitem, quem credidimus vita digniorem, & ideo plagam excepimus, quam vix ferre poterimus. Et quidem si pietati imperare possemus, letandum nobis erat magis quod talem patrem habuerimus, quam dolendum quod talem praeferimus, quo nos quandoque secuturos non dubitamus. Non enim nobis ereptus est, sed periculis; nec tam vitam amisit, quam feliciter commutavit. Verum quia a conditione moriendi nemo excipitur, cum vir venerandus ea valetudine, qua & mortuus est, vexari cepisset, fratrum manibus sustentatus in conventum se deduci poposcit: ubi post verba exhortationis, cum lacrymis & gemitu omnium pedibus provolutus, qui communis Domini iudicium formidabat, fratrum se iudicio humiliter exposuit; lacrymabiliter postulans, ut quod in eos deliquisset, vel egisset negligentius, respectu pietatis ei relaxarent. Quod fratres omnes maxima cum devotione & copiosa lacrymarum effusione gratissime fecerunt. Ipse quoque negligentiores quosque, qui pro quolibet reatu ligati cernebantur, cuiusque subjacuisent sententia, ultro & clementissime absolvit, atque omnibus tam remotis quam presentibus in gratiam rediit, ac pristinis eos officiis & gradibus restituit. Denique quantum in ipso fuit, multis precibus ut a cura pastoralis prorsus absolveretur, concupivit & petiit; sed hujus petitionis assensum a fratribus extorquere nullatenus potuit.

Post aliquantulum vero temporis cum se morbo acius videret fatigari, & exitum suum imminere tam propria quam medicorum sententia intellexisset, familiares suos, domnum videlicet Suesionensem, Noviomensem & Sivanactensem venerabiles ad se ascivit episcopos: quorum testimonio vel consilio domui suae ipse diserneret, quorum munus suffragiis tutius de hoc saeculo migraret. His quotidie assidentibus humiliter sibi nunc singillatim, nunc simul omnibus, quidquid conscientia mēuebat, cum multis confitebatur lacrymis. His fidem integram frequentius exposuit; ab his quidquid sibi injunctum est, devotus implevit, & ex eorum vicissim manibus per quindecim fere ante exitum suum dies sine intermissione Dominici corporis & sanguinis sacramenta suscepit. Sicque totus ad Dominum conversus, tam diebus quam noctibus psalmis vel sanctorum nominibus per ordinem invocandis sollicitus intendebat. Fratres quoque omnes indelenter hortabatur paci studere, unitatem ante omnia servare, scandala, seditiones, vel schismata omni studio fugere, Ordinis conservationi & divino cultui seu sanctorum venerationi diligenter monebat intendere.

Transiit autem idem desiderabilis pater & pastor egregius inter verba dominica orationis & symboli, die iduum Januarii, septuagesimo aetatis suae anno, a susceptione autem monastici habitus fere sexagesimo, praelationis vero suae vigesimo & nono anno. Transiit, inquam, plenus tam dierum quam virtutum, in caelo sanctis exultantibus, in terra vero omnis sexus vel aetatis, omnis gradus vel ordinis fidelibus maestis & plangentibus. Cujus sepultura & exsequiis pro persona vel loci dignitate celeberrimis Dei nutu interfuerunt sex episcopi venerabiles, & abbates seu alii religiosi viri quamplurimi, qui devotis precibus Deo spiritum, terra corpus sollempniter commendarunt. Christianissimus quoque rex Ludovicus cum longius abesset, accepto obitus illius tristissimo nuntio, pro familiaritate & amore, quem ad invicem diutius habuerant, negotiis omnibus intermissis, cum praecipuis regni optimatibus acceleravit exsequiis interesse: ubi & pietatis memor & regia celsitudinis immemor, amarissime, dum sepeliretur, flere non destitit. Unum procul dubio constat, non potuisse scilicet illum non gloriose consummari, cuius tota vita praeserferat gloriosa, unde divinitus provisum est, ut & transitum ejus pontifices consecrarent, & sepulturam sua praesentia rex insigniret. Sed & sacri Templi magister cum non parva sui ordinis militia affuit; qui precibus & lacrymis vel quibus modis poterant, dilectam sibi animam Domino commendabant, &c.

Prolixam hanc epistolam, paucis ex fine relictis, quibus Dionysiani mœrorem suum testantur, ut hoc loco exhiberemus, suavitati tanti viri, ut jam dixi, reverentia, cuius circumstantias obitus nullius alterius testimonio melius discere poteramus, quam ipsius Willelmi, qui morienti praesens adfuit, eamque se scripsisse testatur in tertio libello de ipsius Sugerii vita, quem Gaufrido consodali suo, cuius hortatu eum ediderat, praemissa epistola dicavit.

In tribus illis de Sugerio libellis Willelmus non tam ejus facta, quam virtutes commemorat. Primo, quoniam ob publica regni vel ecclesiae negotia a monasterio frequenter abesse cogebatur, probatos e fratribus viros, qui in grege sibi credito doctrina & exemplis vicem absentis supplerent, constituere curavit. Ex his Herveum, magnae sanctitatis & mirae simplicitatis virum, licet minus literatum, fratrum tamen congregationi praefecit. Sive domi erat, sive foris Sugerius, ad eum cujusque ordinis ac religionis turbas convolare videres: e quibus nullus ab eo mœstus, nullus vacuus recedebat. Ejus in omnes caritatem ac munificentiam pauperes & aegri omnes, ecclesiae quoque, & tam remota quam propinqua testabantur monasteria: adeo ut non unius tantum monasterii, sed omnium ecclesiarum pastor ac pater videretur. Erga fratres infirmantes non secus afficiebatur, quam si carnaliter omnes generasset. Ad ipsum quod attinet, corpus quidem breve & gracile fortitum erat, sed labor assiduus. Magna tamen victus parsimonia eum usque ad senectutem perduxit. Cibis illius nec vilis, nec exquisitus. Numquam de qualitate cautus est, numquam de apparatu. De singulis, quae ei apponebantur, cum modicum quid praegustasset, reliquum pauperibus mittebat, sine quibus numquam reficiebatur. Esu carniarum numquam usus est, nisi infirmitas, aut amicorum auctoritas compulisset. Vinum non nisi multa aqua dilutum gustabat, aqua pura in aetate uti solitus. Somno brevissimo contentus, post coenam aut legebat, aut legentem diutius audiebat, aut confidenter exemplis illustribus instruebat. Ejus autem lectio erat de libris patrum, vel ecclesiasticis historiis. Post quietem expergefactus, post-


quam sollempni more matutinorum celebrasset officium, prima quotidie luce ad ecclesiam festinabat: ubi antequam accederet ad altare, ad tumulos martyrum provolutus, non sine lacrymis Deo se totum precibus mactabat: sicque ad altare salutare oblaturus hostias procedebat. quod tanta cum devotione & compunctione faciebat, ut Deum revera presentem cernere videretur. Exstant etiam nunc in cimelario Dionysiano calix ex agathe, patena onychina, & ampulla crystallina, quibus in re sacra utebatur. In ecclesie aedificiis & ornamentis magnificus, cellula ipse brevissima contentus erat: quam cum aliquando vidisset Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis, in hanc fertur erupisse sententiam: *Omnes nos, inquit, homo ipse condemnat, qui non ipse sibi ut nos, sed Deo tantum aedificat.* Hæc cellula ecclesie adhærebat, vix decem pedes in latitudine, & quindecim in longitudine continens. Hanc decimo ante obitum anno sibi ipse statuerat, ut vitam ibi recolligeret atque animum, quem in secularibus diu negotiis dispersum & distractum fuisse fatebatur. Hic illi quiescenti pro pluma palea erat, pro lini mollitie substernebatur lanæ parum levis lena: quæ interdum honestis tapetibus tegebatur.

CXXXVII.
Ejusdem politicae virtutes & scripta.

Ad hæc tanta prudentia, tanta animi constantia præditus erat, ut Willelmus non dubiter asserere, illius regimini vix orbem universum potuisse sufficere. Hæc Ludovico Grosso comperta erat, sed maxime Ludovico Juniori ejus filio, qui ad expeditionem sacram profecturus, Sugerium regni procuratorem constituit, qui antea regni administer, etiam vivente patre, existerat. Tanta vero de ejus probitate & agendi peritia apud omnes existimatio erat, ut absque ulla invidia, sine ulla impatientia subderentur non modo proceres, sed etiam episcopi, gaudentes quod in clero talis fuisset inventus, qui rei publicæ curam unus pro omnibus sustinere sufficeret. Non desuerunt tamen, qui ei detraherent, piaque ejus consilia perturbarent. Sed illorum invidiam sprevit, horum conatus prudenter compressit, & ad condignam satisfactionem adegit. Tanta porro ejus erat fides, tantaque constantia, ut pro veritate vel justitia, si res exegisset, mortem lætus esset excepturus. Porro in regni procuracione tam alienus a cupiditate exstitit, ut etiam de suo militibus stipendia & dona suppeditaret: omnem pecuniam, quæ de fisco regio proveniebat, peregrinanti regi aut transmittens, aut reservans. Fuerunt nihilo minus nonnulli, qui eum apud regem absentem accusarint: at ejus innocentiam Ludovico, dum ex oriente revertens Romam accessisset, purgavit Eugenius papa; sicque factum est, ut eum non modo non læserit invidia, sed famam ejus ac laudem auxerit. Nam rex veritate comperta, cum eum ante professionem plurimum dilexisset, omni jam suspicione sublata post reditum amplius illum dilexit, & non tantum vivo, sed etiam mortuo gratiam retulit. Et merito quidem: quippe qui rerum summam sibi creditam strenue ac fideliter rexisset, atque cum pace & integritate reconsignasset. Hinc tam a populo quam a principe PATER PATRIÆ dictus, habitusque est.

v. Vie de Suger
dissert. 1.

Ad scripta ejus quod attinet, librum de vita Ludovici VI. seu Grossi composuit, eumque Josleno Suesionum episcopo dicavit. Complures etiam ad diversos epistolas scripsit. Exstat insuper liber de rebus in administratione sui monasterii ab eo gestis, auctore, ut quibusdam, sed levi fundamento, videtur, Willelmo monacho illius vitæ scriptore: quo ex libro quantum monasterio Dionysiano profuerit, manifestum est. Unde merito ejus anniversarium ibidem hodie quoque sollempni ritu idibus Januarii celebratur. Hunc librum sequitur alter de consecratione ecclesie ab ipso aedificatæ, & de translatione corporum S. Dionysii, ejusque sociorum anno MCXL. facta, sed in fine mutilus apud Chesnium, qui omnia Sugerii scripta tomo IV. suo inseruit. Optandum esset, ut tanti viri effigies, quæ in facello beate Mariæ in vitrea fenestra, & ad majorem ecclesie Dionysianæ portam ex cupro cernitur, accuratior esset: at eam, qualis qualis est, hic exhibere visum est, ubi Sugerius ad pedes beatissimæ Virginis provolutus cernitur.



J. Pequet fecit.

Ejus tumulus uti & aliorum quinque abbatum tumuli a Mattheo de Vindocino sancti Dionysii abbate, paullo post medium sæculum tertium-decimum ex prioris sepultura loco translati sunt ad duos arcus transversæ crucis ecclesie, ad portam, qua patet e claustro aditus in ecclesiam, apposito ad Sugerii tumulum brevi hoc epitaphio: **HIC JACET SUGERII ABBAS.** quod totum Sugerium melius exprimit, quam prolixius elogium. Ejus testamentum superius a compendio retulimus. Plura de eo in libro IV. historie Dionysianæ per nostrum Michaëlem Felibienum invenies, ex quo in Appendice referemus litteras Joseeli, aliis Jocelini episcopi Sarberberiensis ad ipsum Sugerium, quæ in signe ejus elogium continent.

Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum, Sugerii obitum anno præcedente secundum veterem calculum refert, eique successisse ait Odonem cognomento de Diogilo, qui anno præterito in Compendiensi ecclesia, ejectis canonicis, constitutus^b fuerat. Ejus electionem non omnibus fratribus probatam fuisse arguit sæva in eum excitata tempestas. Ab ipso quippe (quod mirere) præfecturæ initio, certe ante Bernardi obitum, qui Sugerio vix integro biennio cum septem mensibus supervixit, accusatus est Odo, quod debita multa fecisset, impignorasset terras, bona dilapidasset. Quin etiam de nece cujusdam hominis insimulabatur, quem Sugerii propinquum fuisse nonnulli tradunt. Odonis innocentiam apud Eugenium litteris^c repetitis propugnavit S. Bernardus, asseritque, abbatem esse boni testimonii, sibi que, utpote vicino, esse notissimum. Frustra quosdam insurrexisse in hominem, quem fama publica satis excuset, immo celebris commendet opinio. An forte bonos esse filios, qui patris verenda tam curiose scrutati sint, nescio quæ incomperta omnibus somniantes? Stupere qui audiunt ad subitam & inopinatam criminationem, quia numquam dictum quid hujusmodi fuerat de Odone. Denique eam incredibilem reddere unum illorum nomine Raymundum, qui hujus attentatæ malitiæ auctor ferebatur, hominem quippe loquacem, susurrionem, subdole blandum; totum denique compositum ad fallendum. Hæc fere in priori de Odone

a lib. 76. n.
147.

CXXXVIII.
Odo ejus successor exagitat.

b supra n. 100.

c Bern. ep. 285.
et 286.

ANN. CHR.
1151.

epistola ad Eugenium. In altera eadem repetit, diluitque accusationem de nece hominis, quem Odo ipse a morte eripuerat. Eiusdem est argumenti tertia epistola ad Hugonem Ostiensem episcopum, ex qua nomen illius, de cuius nece Odo insinulabatur a littera G incoepisse discimus. Non videtur fuisse Sugerii nepos Guillelmus, qui beatæ Mariæ apud Parisios canonicus erat. Hanc enim circumstantiam haud dubie non omisissent Odonis accusatores.

CXXXIX.
Guillelmus
monachus st-
cedit ad priora-
tum de Valli-
bus.
a *Annal. to. 2.*
lib. 27. n. 38.

Huiusmodi procellis se subduxit Guillelmus S. Dionysii monachus, is qui Sugerii acta conscripsit, & ad cellam beati Dionysii de Vallibus, diocesis Pictaven- sis, ultro secessit, ut ipse discrete tradit in epistola ad Dionysianos suos, qui eum, ut ad S. Dionysii abbatiam rediret, hortabantur. Hujus epistolæ fragmentum ex codice Petaviano alias a retulimus, in quo illius cellæ situm & amœnitates idem Guillelmus egregie describit. Initio epistolæ, præmissa ad quosdam fratres salutatio- ne, *Quid domino, inquit, meo abbati, quid vestræ visum est unanimitati, ut tam crebris me nuntiis sollicitetis & litteris, atque locum moneatis deserere? ubi melior est dies una super millia; ubi quantulumcumque nactus mihi videor libertatem, & pane sero gaudia. Aut ego deceptus sum in eligendo loco; aut demens, si deseruero, & peream, si non ipse locus invitat ut scribam, cujus meritum scribendi subministrat materiam. Peream, si non post exactum in eo annum hoc mihi persuasit, ut hunc ultra mutare non cupiam. Nam vallis est vallata deliciis, &c. quæ alias, ut jam dixi, retulimus. tum his subiungit. Tot certe, tantaque præter has sunt loci dotes, ut vix alicui, qui non viderit, persuaderi possit; vix aliquis, qui hic semel applicuerit, nisi invitus recedat. Hunc ergo locum vultis ut deseram, moneatis ut mutem? Hinc ego exeam, illuc revertar, ut me mille scandalosis periculis immergam? Monet Epicurus Idomeneum, ut quantum potest fugiat, & properet, antequam vis aliqua major interveniat, & auferat libertatem recedendi. Idem tamen subjicit, nihil esse tentandum, nisi cum apic potuerit tempestive- que tentari. Sed cum illud tempus diu captatum venerit, exsiliendum ait; speratque salutare etiam ex difficillimis exitum, si nec properemus ante tempus, nec cessemus in tempore. Scio, quia nimio mei desiderio laboratis, quia cupitis me vestris interesse gau- diis, vestraque gloria. Amorem amplector, affectui congratulor: nec ignoro, quam be- nigno me vocetis animo. Verum ego assuevi paupertati meæ, quæ mihi non minus jam sufficit, quam Cræso opes suæ. Jam quippe rudis effectus, honoribus desuevi, quibus do- minus meus amicos beat, & bene de se meritis honorifice remunerat. Ut verum fa- ear, ut vobis in aurem loquar, non est mihi tibia tanti. Loco cessi, officio renuntia- vi fortunam metuens: ne, si quid acciderit, imputetur mihi. Hactenus Guillelmi epistola, ex qua discimus & hominis meritum, & secessum ejus non modo propter illas pro- cellas factum, sed ob invidiam fortasse Odonis abbatis, qui eum loco cedere, & officio renuntiare compulerit, sed postea revocare voluerit.*

CXL.
Gosuinus an
monachos in-
duxerit in
Compendien-
sem ecclesiam.

Odone ad S. Dionysii abbatiam translato, id contigisse fortasse videbitur quod legere memini in libro II. de vita B. Gosuini abbatis Aquicinctensis, capite XVIII. in hunc fere modum. Compendiensis ecclesia, sanctorum Cornelii & Cypriani pon- tificum & martyrum reliquis, & spina, qua coronatus Christus Dominus, necnon munda sindone, qua involutus fuerat, insignita, primitus sæcularibus canonicis com- missa fuerat. Verum illi divina bonitate abusi, pro bonis fructibus sanctitatis fructus demum pessimos protulerunt. quod in causa fuit, ut ipsis expulsis substituerentur Dio- nysiani monachi, qui desideratos sanctitatis fructus afferrent. At cum neque hi pu- blicæ de se expectationi responderent, sed remissius viverent; Eugenii papæ jussu & regis Ludovici precibus, Samson Remorum archiepiscopus, & Bernardus Clara- vallis abbas, litteris impetrarunt a venerabili Gosuino, ut loci illius infamiam per suos penitus abstergeret. Missus itaque illuc dilectissimus ipsius alumnus, ejus- demque apud Aquicinctum futurus aliquando successor Alexander cum quindecim sociis, locum illum perpurgarunt, & ad fructus boni odoris afferendos aptissi- mum reddiderunt.

CXLI.
Compendien-
ses abbates.

De hac mutatione nullam mentionem invenio in monumentis & instrumentis ecclesiæ Compendiensis, in quibus nullus Alexander abbas occurrit: sed statim post Odonem Guillelmus ad pontificatum Hadriani IV. quo adhuc sedente, Anfoldus Guillelmo successit, præfuitque Compendiensis ecclesiæ usque ad annum circiter MCLXXXIX. quo anno abbas erat Girardus. Hic post annos quatuor translatus est ad abbatiam Corbeicensem, Petrum fortitus successorem, quem Richardus biennio post

ANN. CHR.
1151.

excepit. Hadriani IV. habetur diploma Guillelmo abbati inscriptum, quo pontifex abbatia Compendiensis confirmat ecclesiam S. Clementis, quæ vocatur abbatia, curam decaniæ, præbendam S. Petri, & dimidiam præbendam scholæ, tres præ- bendas, quæ fuerant pignori obligatæ, omnes præbendas forenses, quibus investiti erant monachi auctoritate sedis apostolicæ, domum hospitem, domum de clau- stro canonicorum, & terras, quæ eis ex partitione inter ipsos & canonicos sæcula- res facta assignatæ erant. Hoc diploma datum est VII. kal. Martii, sed absque anni & indictionis nota. Idem Hadrianus IV. Compendiensibus clericis scribit in gratiam Anfoldi abbatis, eisque præcipit, ut ei pacem exhibeant & obedientiam, sicut eam decano exhibere consueverant. Ubi observare convenit, omnes tum Compendienses ecclesias abbatia S. Cornelii subjectas fuisse. Eidem Anfoldo abbati Alexander III. anno MCLXI. indictione X. nonis Novembris, pontificatus sui anno IV. omnes illius monasterii ecclesias & possessiones confirmavit. Inter hæc Philippus regis frater the- saurarii titulum retinebat in ecclesia S. Cornelii, ut patet ex controversia, quæ inter Stephanum Meldensem episcopum & thesaurarium Compendiensis ecclesiæ, dominum videlicet Philippum fratrem regis super decima Nantolii diu agitata, demum anno MCLXIV. composita est.

Sugerio tribuitur a Baronio & plerisque aliis liber de gestis Ludovici VII. cujus in capite ultimo de divortio factæ Ludovicum inter & Alienordem agitur. Verum ex hoc vel maxime capite manifeste colligitur, hunc librum non esse Sugerii fetum: tum quia divortium illud post ejus mortem factum est, nimirum die Martis ante fe- stum paschatis-floridi seu dominicæ Palmarum apud Balgentiacum in pago Aurelia- nensi, & quidem anno MCLII. cum Sugerius idibus Januarii anno præcedente obiis- set; tum quia in eodem capite agitur de subsecuto Ludovici connubio cum Constania regis Hispaniæ filia, immo & de Margarita ex illo matrimonio parta, quæ post- modum Henrico filio regis Angliæ desponsata dicitur, longe post obitum Sugerii abbatis. De causa prædicti divortii, quod consanguinitatis prætextu factum est, deque consecutis inde malis & incommodis agere non est nostri instituti. Hoc unum no- tare sufficiat, Alienordem a Ludovico sic repudiatam nupsisse Henrico regi Angliæ & Nortmanniæ duci, cui ex his nuptiis provenit, magno Galliæ detrimento, Aqi- taniæ ducatus, ex quo multa bella & infortunia orta sunt.

CXLII.
Ludovici regis
divortium cum
Alienorde.

Sugerio non diu supervixit Odo S. Remigii apud Remos abbas, vir insignis me- riti, hoc anno mortuus III. idus Junii. Sepultus est ad sinistram partem ingressus in chorum, e regione Radulfi-Viridis archiepiscopi, qui ad dexteram conditus est. Utriusque tumulus, cum aeneis craticulis chori aditus ornatus est, paullo inferius translatus est. Ad tumulum Odonis exhibetur Cartuliani monachi effigies in habitu laborantis cum breviori scapulari, & cum cæmentarii bolide in manu, ad designan- dam Montis-Dei constructionem, cujus auctor fuit Odo abbas, ut superius a diximus.

CXLIII.
Odoni S. Re-
migii succedit
Hugo.

Odoni subleçtus est Hugo ex priore claustrali, a Samfone archiepiscopo benedi- ctus, ad quem Eugenius papa præclaram scripsit epistolam, ut ei Montis-Dei ascetas commendaret exemplo antecessoris sui, qui eus ibidem collocaverat; simulque S. Remigii monachos hortatur, ut Hugoni abbati suo sedulam obedientiam im- pentant. Hanc epistolam Odoni abbati perquam honorificam, quam necdum edi- tam esse puto, hic exhibere operæ pretium duxi.

a lib. 76. n. 47.

Eugenius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Hugoni abbati & monachis S. Remigii Remensis, salutem & apostolicam benedictionem. Veneranda memoriæ ab- bas vester religiosos fratres Montis-Dei quanta caritate dilexerit, & erga eos pietatis opera curaverit exercere, nec a vestra credimus memoria excidisse, nec nobis etiam ex- stat incognitum. Unde si, sicut sancti viri filii estis, in omni affectu quoque probari vultis & opere, bonis moribus & conversationis ejus [vestigiis] diligentius adherete, atque huic præcipue tam sancto & laudabili operi toto studio caritatis insistite. Dile- ctionem itaque vestram rogamus attentius, & parentis affectu monemus, quatenus præ- dictos filios vestros pro illius amore, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum, pro beati Petri & nostra reverentia, toto pectore diligatis. Et quoniam quanto vitam magis arduam elegerunt, tanto minus sæcularibus negotiis implicentur, & ne- cessitatibus pluribus sunt expositi; taliter subventioni eorum intendite, taliter eis viscera misericordiæ aperite, taliter ejus obtutu caritatis solatia ministrare, ut & nos dilectio- nem vestram commendare de piarum rerum imminetia debeamus, & omnibus, quod

CXLIV.
Eugenii ad
Hugonem epi-
stola.

cognoverunt quanta in pectoribus vestris caritas radiet, augmentum vivacis experientia praebeat. De cetero vobis, filii, qui ad vitae patriam sub praelati custodia festinatis, per apostolica scripta mandamus, quatenus supradicto filio nostro Hugoni, quem vobis hoc tempore abbatem voluit divina clementia ordinari, sicut patri & animarum vestrarum rectori honorem & reverentiam humiliter impendatis, ac salubribus monitiis & praecceptionibus ejus propositae obedientiae colla subdatis: ut & ipse per suam sollicitudinem susceptum officium utiliter valeat, Domino donante, tractare, & vos per obedientiae vestrae sollicitudinem cum eodem possitis ad gaudia regni pertingere. Ut autem melius valeatis his quae a vobis agenda fuerint imminere; venerabilibus fratribus nostris, Samsoni Remensi archiepiscopo & Trecenti episcopo scripta nostra pro vestra subventionem transmissimus, & de cetero utilitatibus vestris, Domino auctore, curabimus attento studio providere. Datum Signiae kal. XII. Februarii.

His pii pontificis monitis obsecutus est Hugo, & novam Montis-Dei familiam fovere studuit. quod etiam praestiterunt ejus successores: donec tandem matrem filia propemodum aequavit.

Monti-Dei tunc praerat Gervasius prior post Haimonem, cui Guigo majoris cartusiae prior, insignem de vita solitaria inscripsit epistolam. De Gervasio intelligenda est S. Bernardi epistola CCXC. qui hanc ejus instinctu scripsit Hugoni Ostiensi episcopo contra Jordauum de Ursinis cardinalem, in Germaniam legatum, qui a radice alpium & regno Teutonicorum, per omnes pene ecclesias Franciae & Normanniae pertransiens, feda & horrenda vestigia ubique reliquerat. Non sic dominus Johannes Papanus, qui suum ubique ministerium honorificaverat. Illa taceret Bernardus decreverat: sed venerabilis, inquit, prior Montis-Dei ad hoc me impulit, & animavit ut scriberem. Nimirum illic aliquando diversatus est Bernardus, cujus non ita pridem cellula ibidem visebatur.

Nunc quando de Cartusienibus mentio incidit, dicendum est Anthelmum^a seu Nanthelmum Cartusiae majoris priorem, cum sacrum illum locum annis duodecim post venerabilem Guigonem rexisset, ad Bellicensem episcopatum hoc anno promotum fuisse, eique suffectum Basilium, natione Burgundum, qui prius apud Cluniacum monachus fuerat, ut ex Petri Venerabilis^b ad eum epistola colligitur. In hac epistola Petrus ejus videndi desiderium testatur his verbis. *Volo te, carissime, scire affectum illum meum, quo montana vestra adire decreveram, magis causa te visitandi, quam locum, licet sanctum, videndi fuisse. Illum enim ac fratres alios, & a multis jam annis saepe videram; te vero, ex quo istud arduum & caeleste propositum assumpsisti, nunquam visitaveram. Non fueram, nec sum immemor, quanto me semper affectu colueris; quam devoto ac sincero animo ab ipsis adolescentiae tuae annis ad divina anhelaveris; quam frequenter eo spiritu Cluniacum tuam, & vere tuam, visitaveris; quam super tempore in ipso claustris fratribus nostris, tuisque adjunctus Deo militaveris. Haec manifeste, ni fallor, probant, Basilium olim Cluniaci monachum fuisse. Pergit Petrus dicere de ipsius transitu ad Cartusienes. *Placuit dehinc, ait, spiritui illi, qui ubi vult spirat, ut te de virtute ad virtutem proveheret; & ascensiones in corde tuo disponens, de bonis ad meliora, de altis ad altiora transferret. Constituit te in gradu illo vitae, quo altior aliquis, aut vix, aut nusquam apparet. Ea de causa te invisere, & profectui tuo quo violenter regnum Dei rapere contendis, proposueram congaudere, &c. Hanc porro epistolam scribebat Petrus, in procinctu, ut ipse ait; Romani itineris constitutus, ab Herbini monasterio suo, ab ipsi alpium faucibus: seque sociosque suos Basilio priori & ejus fratribus commendat. De hoc Petri itinere, si non sit aliud, superius^c actum est.**

Ad hanc Petri epistolam Basilium^d cum reciproco affectu respondit, gratias agens de tanta ejus dignatione, & praesentia ejus aliquando frui cupiens: *quam licet multum, inquit, domini & fratres mei desiderant, ego te ex debito avidius esurio. Nonne enim sum ego ille, quem pauperem & inopem non spernebatis, sed amabatis, fovebatis; & ad onus saepe religionis piis studiis instruebatis? Cluniacensis ordo, Cluniacensis disciplina, Cluniacensis amabilis & honorabilis conventus, ut vere fatear, me semper ad meliora & artiora provocavit, pro certo etiam & adhuc provocat. Quid enim? Potest avelli ab homine, cujus anima Deo subiecta est, chori, claustris, dormitorii, refectorii Cluniacensis, ceterarumque nobilium officinarum omni homini aemulanda disciplina? Sed non omnes vident quod vidi ego: non omnibus notum, quod mihi paruit, gratias*

CXLV.
Montis-Dei
prior Gervasius.

CXLVI.
Cartusiae priori
Anthelmo suffectus
Basilium.
a V. lib. 76. n. 156.
b Petr. Ven. lib. 6. ep. 40.

Petri Venerabilis ad eum
epistola.

c supra n. 87.
CXLVII.
Basilium ad Petrum
respondit
d ibid. ep. 41.

gratias Deo. Quid plura? *Vester sum, sui, & ero in aeternum: quia vere & vos Christi Domini estis. Servate orationibus, quod sacris aedificastis exemplis. Haecenus Basilium, quo nihil luculentius afferri poterat ad commendandum Ordinem Cluniacensem: sicut nihil luculentius ad Cartusienem institutum, quam quod superius scripsit Petrus, afferri poterat. quod etiam aliis litteris idem Petrus testatur est.*

Verum suam de facto illo Ordine existimationem nusquam sincerius expressisse videtur, quam in epistola ad Eugenium scripta occasione turbarum, quae ob electionem Otmari e majori Cartusia electi ad episcopatum Gratianopolitanum post Hugonem II. ex eodem Ordine assumptum, initio Basilio praefectura exorta sunt. Has turbas ut reprimeret pontifex, fatis egit venerabilis Petrus, scripsit^b ad eum epistola, in qua sic loquitur. *Agnosco me Cartusiensem a triginta jam fere annis, hoc est etiam antequam praesse inciperem, praecunctis paene mortalibus amasse religionem, coluisse sinceritatem, amplexum esse veritatem. * Intellexi, nec me falli putavi, cunctorum Latinorum institutis eorum propositum praefereendum; nec esse eos de illis, qui liquant culicem, & camelum glutunt: hoc est, qui irritum faciunt mandatum Dei propter traditiones hominum. Non enim praecipue in cibis, in potibus, in vestibus, in laboribus, vel similibus, regnum Dei consistere putant: licet haec, discretionem facta, multum eidem regno Dei militent: sed in pietate illa, de qua ait Apostolus: CORPORALIS exercitatio ad modicum utilis est, pietas ad omnia utilis, promissionem habens vitae quae nunc est; pariter & futurae. Magni ergo sunt, amandi sunt, amplectendi sunt. Et quid dicam? Invitus profero quod sentio, ratione coactus dico quod nolo. Videor tangere arcam Dei, & eam manu praesumptuosa, ut quondam Oza bobus lascivientibus, sublevare, sed non sum praesumptor, non sum, quantum ad hunc casum pertinet, dignus morie ut ille: quia securum me faciunt verba illius, qui dixit: SI OCVLVS tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Dicam ergo, nec jam ultra morabor. Audiat pater aequo animo, verba filii. . . In causa, de qua adhuc agitur, Gratianopolitane electionis, videtur mihi, quod Cartusienis ordinis serenam diem inopinatus turbo infecerit; & splendorem, hactenus crystallinum, nubecula, nescio unde exorta, fuscaverit. Divisa est inter se, & quae usque ad haec tempora specialius aliis unum in Christo fuerat, hac de causa in invicem congregatio sancta compugnat. Hinc Cartusia, Excubiae, Darbonum; hinc Porta, Majorevum, Silva, Alverium, & si qua sunt alia ad sacrum illum ordinem pertinentia loca, velut diversos parietes statuunt. Dicunt hi, non debere electum episcopari, & causas quasdam quas non est nunc meum dicere, praetendunt. E converso alii, nempe Cartusiae majoris fratres; Quid, inquit, ad vos ista? Cartusienis ordinis institutum est, mala, si qua noverint, his, ad quos spectat, nota facere, non autem & litigare, &c. Tenuit nihilo minus electio Otmari, de qua, ut jam dixi, hic agere videtur Petrus, qui in alia^c ad Basilium epistola illum nobilem carne & spiritu Otmaram conversum de Valboneis salutatur.*

Haud scio an ad hanc occasionem, aut ad aliam, de qua in S. Anthelmi vita agitur, referenda sit illa fratrum quorundam rebellio, quae in majori Cartusia, ut ex Bernardi epistola CCLXX. patet, eodem tempore orta est. Quamquam potius referenda videtur ad tempus Anthelmi prioris: qui, cum nonnulla in suis emendare voluisset, quosdam e suis rebelles concitavit. Horum vero proterviam non ferens Anthelmus, ne alios in suam societatem adducerent, e Cartusia extrudisse traditur. Ex his quidam ad Eugenium confugere, a quo absoluti, nulla imposita poena remissi sunt. qua de re Bernardus in illa epistola queritur, quod ab ipsa fundatione loci esset inauditum, ut quis exiens sine satisfactione reciperetur. Porro ea res huc usque processerat, ut prior ipse gradu suo cessisset, sive propria sponte, seu factione rebellium. Hunc Bernardus restitui postulat, ut non gloriatur omnis iniquitas. Alioquin, inquit, (quod non frustra timeamus) nisi prior restitatur in gradu suo, Ordo non diu erit in statu suo. Non statim cessaverunt illae turbae, sed adhuc earum reliquiae vigeabant sub Gaufrido episcopo Otmari successore, ut inferius videbimus.

In eadem epistola Bernardus obitum Raynaldi Cisterciensis abbatis pontifici renuntiat, simulque Gozuini abbatis Bonae-vallis in ejus locum substitutionem, quam ab Eugenio confirmari rogat. *Domnus Cisterciensis, inquit, deseruit nos: plaga magna in ordine. Mihi vero duplex incumbit mavoris ratio, qui in uno homine & patrem amisit, & filium. Et nunc habemus pro eo domnum Gozuinum Bonae-vallis abbatem. Sit beneplaciti vestri confortare eum litteris apostolicis, & quod de eo factum est, vestro robore.*

Annal. Bened. Tom. VI.

R r r

a Petrus ibid. ep. 24.

CXLVIII.
Turbae in ordine
Cartusien-
si.

b ibid. ep. 14.

* c. virtutem.

c ibid. ep. 40.

CXLIX.
Raynaldi ab-
batis Cister-
ciensis obitus
& Gozuini elec-
tio.

ANN. CHR. 1151.

Valentinus episcopus commendatur.

Bernardimorbus.

CL. Eius sententia de beneficiis puero conferendis. a Bern. ep. 271.

b Petr. Cell. lib. 1. ep. 5.

CLII. Nicolai Claram-vallensis lapsus. cV. lib. 78. n. 55. & seqq.

d Bern. ep. 284.

e id. ep. 298.

rare favore. Nostis eum, & non est ei apud vos opus commendatore, quem satis commendat vita sua, & sapientia sibi data a Deo.

His addit vir sanctus, dominum Valentinum episcopum convalescere, & ubi valet, operari bona. Eum diligi a boni amatoribus, & diligere bonos, quia bonus sit. Pontificis esse, tales diligere & fovere. Episcopus iste Ortbertus erat, ex priore Casæ-Dei assumtus ad illam dignitatem, cujus electionem ante annos sex Bernardus a pontifice probari petierat. In fine vir Dei se plus solito infirmari, & viribus sensim deficere significat. *Puer vester*, inquit, *plus solito infirmatur: guttatim defluit, forte minime dignus qui occidatur semel, & cito ingrediatur ad vitam.* Attamen fere biennio superstes fuit in tanta infirmitate.

Præclara est ejusdem epistola, eodem tempore scripta ad Theobaldum Campaniæ comitem, qui Willelmo filio suo adhuc minorenni quasdam ecclesiasticas dignitates (ea est etiam bonorum in filios suos indulgentia) a Bernardo procurari petierat. Respondet sanctus doctor ut sincerus amicus, se Theobaldum diligere, ac diligi a Theobaldo non dubitare, sed propter Deum: porro se ejus amore indignum fore, si ejus causa Deum offenderet. *Offendo autem proculdubio*, inquit, *si facio quod requiritis. Nam honores & dignitates ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eas digne secundum Deum administrare & velint, & possint. Porro eas acquiri parvulo filio vestro precibus meis, vel vestris, nec vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis. Nam nec cuiquam, vel adulto, plures in pluribus ecclesiis habere licet, nisi dispensatorie quidem, ob magnam, vel ecclesiæ necessitatem, vel personarum utilitatem. Quam ob rem, si vobis videtur hic durus sermo, & placet quod cogitatis implere; parcite mihi in hoc. Sane Willelmulo nostro cupio bene per omnia: sed ante omnia Deum. Hinc est, quod contra Deum nolo aliquid habeat, ne non habeat Deum. Quod si alius secus voluerit, nolo per me habeat, ne perdam & ego Deum. Ubi vero emerferit quod secundum Deum habere possit, probabo me amicum; & operam meam, si opus fuerit, non negabo. Apud amatorem justitiæ in excusando eo quod pro justitiæ est, non multum mihi laborandum.* En sincerus & verus amicus non palpans amicos, nec eis quantumvis potentibus, turpiter blandiens contra conscientiam. En vera incorrupti doctoris sententia de collatione & pluralitate beneficiorum, ad quam utinam sese omnes componerent. quod magis optare licet, quam sperare. [Vide Bernardi epistolam vii. ex novis editis in amplissima collect. pag. 728.] Willelmus ille Theobaldi comitis filius, non multo post patris obitum adeptus est præposituram Sueffionensis ecclesiæ; saltem ut ei conferretur, scripsit Petrus Cellensis summo pontifici per R. archidiaconum & magistrum H. forte Hugonem Farfitum, qui pro illa præpositura Guillelmo concedenda pontificem adiere. In hac epistola Petrus duo ejus brachia, id est duos fratres, commendat, Henricum scilicet comitem ac Theobaldum, futuros ei in omni auxilio & consilio. Ad calcem epistolæ papæ commendatur *magister H. vir apud nos*, inquit, *probata honestatis, qui magistrum J. id est Johannem Saresberiensem, clericum nostrum & amicum docuit, & multa bona ei fecit.* Processu temporis Guillelmus iste, Ad-albas-manus appellatus, primo Carnutenis episcopus fuit, dein Senonensis archiepiscopus, ac demum Remensis & S. R. E. cardinalis & legatus.

Ad prædictam mæroris occasionem & causam, quæ ex obitu Raynaldi Cisterciensis abbatis Bernardo accidit, alia non multo levior accessit ex lapsu Nicolai notarii sui, qui Claram-vallem fœdissima defectione eodem tempore deseruit. Hic Bernardi indulgentia & facilitate abusus, non tantum epistolas ejus nomine, eo inconsulto, ad diversos scripsit; sed etiam ejus sigillum in malos usus adulteravit. quod Bernardus, tacito Nicolai nomine, Eugenio primum significavit d his verbis, *Periclitati sumus in falsis fratribus, & multæ litteræ falsatæ sub falsato sigillo nostro in manus multorum venerunt, & quod magis vereor, etiam usque ad vos dicitur falsitas pervolasse.* Sed tandem, cum res in publicum vulgata esset, funestum ejus casum, non jam dissimulato nomine, in alia ad eundem Eugenum epistola sic deplorat. *Nicolaus ille exiit a nobis, quia non erat ex nobis: exiit autem fœda post se relinquens vestigia. Et ego longe ante hominem noveram: sed expectabam, ut aut Deus eum converteret, aut instar Judæ ipse se proderet. quod & factum est. Præter libros, denarios, & aureos multos, in ipso exitu inventa sunt super eum sigilla tria: unum ejus proprium, alterum prioris, tertium nostrum... De turpitudinibus ejus, quibus terra sordet, & factæ*

ANN. CHR. 1151.

a num. 148. b Petr. Ven. lib. 6. ep. 3.

c Bern. ep. 387.

CLII. Petro Cellensi prævisus. d Petr. Cell. lib. 4. ep. 1. & seqq. e ibid. ep. 4.

CLIII. Nicolaus iste alius a Nicolao Anglo.

fid. lib. 6. ep. 23. & lib. 9. ep. 10.

CLIV. Ad Arremarenenses redit.

g Miscell. Balt. 10. 2. p. 237.

h ibid. p. 234

CLV. Balmensis abbatia in prioratum redacta.

sunt omnibus in parabolam, supersedeo polluere labia mea & vestras aures. Addit Bernardus, siquidem ille ad Eugenum, ut ille jactitabat, pergeret, dignum esse, si quis alius, perpetua inclusione. Nicolai lapsus non contigit ante hunc annum, certe post prædictam electionem Gratianopolitanam, de qua Bernardo scribens Petrus Venerabilis quid sentiret, *in ore*, inquit, *carissimi mei, vestrique fidelis Nicolai vobis relegendum diligenter exposui.* Nicolaum quippe ad Petrum miserat Bernardus, ut ad eum perferret epistolam, ad quam hic Petrus respondet: qua in epistola Bernardus de illo Nicolao sic loquitur. *Nicolaus iste meus, immo & vester, in spiritu vehementi commotus, commovit me, asserens se vidisse epistolam nostram, directam ad vos, in qua voces amaritudinis claudabantur.* qua de re vir Dei se purgat, negans quidquam aliquando vel in corde suo ortum, vel ex ore extortum, quod amici aures exasperaret. Nescio an hæc diffensionis femina jam consulto spargeret inter amicos Nicolaus, ut, si a Bernardo recederet, apud Petrum gratiam hac arte inveniret. Itane magnis illis viris illudebat versipellis ille impostor, ut ambobus se gratum redderet! Sic sunt candidi & cordati animi, qui aliorum corda ex suis æstimant.

Non minus Petro Cellensi abbati carus erat Nicolaus, adeo ut Petrus ad eum scribens, non alia quam hac inscriptione uteretur, *Suo suus.* Hic tamen ejus lapsus subodoratus videtur, ut patet ex quadam ipsius ad eum epistola, in qua eum monet, ut caveat sibi a labiis iniquis & a lingua dolosa. *Apud nos enim*, inquit, *quædam de te disseminata sunt, quibus forte, nisi clypeum caute provisionis opposueris, lædi in curia poteris. Summi nempe quidam viri cuidam de curia, qui apud nos est, ut ipse audivi, insurraverunt te de curia dixisse quædam inhonestæ, & te falsum legatum domini papæ in his partibus gessisse. quæ nescio utrum sint magis falsa, quam maligna, vel e converso. Sapiens es, esto tibi in his sapiens.* Sed non ex amica illa admonitione respuit homo jam corrupti animi & perfrictæ frontis.

Plerique ne dicam omnes, existimant, eum profugisse in Angliam, sequè in S. Albani monasterium recepisse; ipsumque esse Nicolaum, qui post Bernardi obitum ejus de beatæ Virginis conceptione sententiam traduxit, impugnavitque; atque adeo eum esse, quem Petrus Cellensis refellit. Verum hunc Nicolaum a Claram-vallensi alium esse constat, utpote Anglum, & Petro Cellensi facie ignotum, ut ex duabus ipsius Petri adversus eum epistolis manifestum est: cum Nicolaus Claram-vallensis Gallus fuerit, in Campania ortus, & quidem Petro Cellensi maxime familiaris & amicus, ut ex dictis intelligitur.

Quo igitur, inquis, Nicolaus Claram-vallensis post suam defectionem se recepit? Nempe post diversos hinc illincque discursus, post Bernardi obitum substitit tandem in pristino suo, unde olim discesserat Claram-vallem aditurus, monasterio Arremarenensi, ubi ante Bernardo scilicet superstite, sibi forte tuto ac securo remanere non licuisset. Id discimus tum ex epistola LIX. Arnulfi Lexoviensis episcopi ad ipsum Nicolaum, tum ex ipsius Nicolai epistola, ad Willelmum Remorum archiepiscopum scripta non ante annum MCLXXVI. quo Willelmus ad hanc dignitatem promotus est. In hac epistola Nicolaus Willelmo se gratum exhibet, quod ipsum receperit intra sacrarium suæ familiaritatis, & quod futurroni & detractori (quod timebat Nicolaus) locum non daret. Deinde se excusat, quod ab ejus conspectu tam diu abstinerit, ubi in rem nostram hæc scribit: *Excusabo me de difficultate itineris, de longinquitate regionis, quæ est inter Remensem urbem & Arremarensem ecclesiam?* ubi proinde tunc degebat Nicolaus. *Sed iter breve est, & via plana, & plena in circuitu amicorum meorum.* Illic se sui juris esse, quod monachum pudere debuisset, ipse quasi gloriabundus fatetur, cum subdit: *Adjiciam, quia licentiam veniendi habere non potui, cum vadam, & veniam, eam & redeam tota die? Hæc dicerem, si ita essem sub potestate constitutus, ut mei ipsius potestatem habere non possem.* In eo vero vel maxime vanitatem suam prodit, quod de multitudinem amicorum, ut olim etiam tunc gloriabatur. Sic in quadam ad Henricum Campaniæ comitem epistola, quæ eodem fere tempore, ac superior, scripta est: *Ab ineunte ætate mea placui magnis & summis principibus hujus mundi: sed tibi singulariter ex dominio nature debeo quidquid sum*, utpote in Campania natus; & ex officio amicitiae quidquid possum. Sed satis superque satis de illo Nicolao.

In superioribus sæpe actum est de Balmensi virorum monasterio diocesis Veson-tionensis, quod a S. Columbano conditum fuisse tradunt. Illic disciplina regularis

ANN. CHR.
1151.

ad saculum decimum, quo tempore fere ubique labefacta erat, virens ac vigena exstitit sub Bernone abbate, qui S. Odonem Cluniacensem postmodum abbatem ibidem excepit, & ad instituendum Cluniacensem ordinem informavit. Dein lapsu temporis, quæ humanarum rerum conditio est, lapsa est illic monastica disciplina, eoque monachorum illius loci effrenis corruptela evasit, ut in Osbertum sedis apostolicæ legatum favierint. quod ubi rescivit Eugenius papa, qui tunc apud Parisios versabatur, litteris datis ad Guillelmum Matifconensem comitem, & ad Humbertum archiepiscopum Vefontionensem, in quorum ditione monasterium situm erat, iussit, ut in piaculum tam diri facinoris Balmensis abbatia in prioratum redigeretur, & locus ipse cum suo thesauro & possessionibus fratribus Cluniacensibus tradere-
rentur, monachi vero ejus loci inde expulsi, ad Cluniacensium obedientiam revocarentur. *Datum Parisius IV. kal. Junii*, & quidem anno MCXLIX. ut superius a observatum. Id tamen executioni demandatum non est ante hunc annum, quo Petrus Venerabilis rem executus est; uti nos docent ejus litteræ, quas hoc loco ex archivo Cluniacensi referre visum est.

CLVI.
Petrus Venerabilis hac de re litteræ.

Ego frater Petrus, humilis fratrum Cluniacensium abbas, notum facio tam eisdem fratribus, quam cunctis legentibus ea quæ sequuntur. Balmense monasterium, a sancto, ut fama est, Columbano fundatum, diu non sub ipso tantum, sed & post ipsum diutius in sanctæ religionis proposito a sancto fundatore suscepto tempore non parvo perseveravit. Adeo autem tam constantem sui perseverantiam in his sacris studiis exhibuit, ut tam apud Luxovium & Lirinum præcipua prius monasteria, quam etiam in tota pæne Gallia religione monastica languescente, in sola Balmensi ecclesia fugaces ejus reliquæ longo post tempore velut ex propriis sedibus expulsæ resedisse viderentur. Testis est horum quæ dico, cum multo amore & honore nominandus sanctus Pater noster Odo, qui ab ultimis pæne occidentis finibus causa explorandæ religionis egressus, cum multa monasteria per diversas constituta regiones circumisset, non invenit ubi requiesceret pes ejus, nisi apud Balmam: ubi congruum votis suis ac sanctis desideriis locum inveniens, exiit ibi veterem hominem cum actibus suis, & induit novum qui secundum Deum creatus est.

Processu dehinc temporis a Willelmo magno & nobili Aquitanorum duce ad fundandum novum monasterium in Matifconensi episcopatu, valle quæ Cluniaca dicebatur electa, eaque cura Bernoni Balmensi abbati ab eo imposita, proventus est de monacho in Cluniacensem abbatem jam dictus pater Odo; qui de Balma Cluniacum translatus, Cluniacensis ordinis prima fundamenta jecit: eaque non super arenam, sed super petram constituit, tam per se quam per sibi succedentes sanctos Ordinis nostri patres cæptum sanctitatis ædificium, ut nunc datur cernere, per omnipotentis Dei gratiam usque ad ipsa pæne fastigia cæli provexit. Sed ut inter innumera de talibus exempla superbientibus mortalibus ostenderetur, non solum hominem, sed nec aliquid in mundo humanum esse posse diuturnum, verumque esse quod de ipso homine verax scriptura loquitur, NUMQUAM in eodem statu permanet; & illud, SUMMISQUE negatum est stare diu, a longo bene diu servatæ religionis proposito jam dictum Balmense monasterium, quo casu nescio, paulatim concidit, & a summis ad ima destitit.

Prætereo casum, qui nostri temporis hominibus nimium notus est, & qui indignitate sui scripto ad posteros transmittendus non est. Et ut ad rem, propter quam breviter ista præmisimus, cito accedamus; temporibus meis destitutum omni pæne monastici fervoris proposito locum sæpe nominatum, Balmense dico monasterium, pater noster dominus Eugenius papa III. mihi ex insperato commisit; & ut curam quam possem ad istud in melius reformandum adhiberem, litteris suis rogavit, pariter & præcepit. Præcepit etiam, & insuper privilegio apostolico sanxit, quatinus idem locus Balmensis, non abbatia, sed prioratus nomine, Cluniacensi semper monasterio subesset. Fecit autem hoc ea de causa, ut labor noster vel sollicitudo illi loco adhibita certius ac liberius in fructum optatum prorumperet, & ad finem congruum remotis omnibus obstaculis facilius perveniret. Confirmavit hoc idem Chrysopolitanus, qui & alio nomine Bizantinus vocatur, archiepiscopus dominus Humbertus, in cujus diocesi locus ipse continetur, laudante hoc & confirmante in mea præsentia universo capitulo suo, & hoc ipsum attestante charta, quæ in Cluniaco continetur signata sigillo suo. Non defuit huic negotio voluntas & assensus comitis Burgundiæ Willelmi ipsius monasterii advocati, cujus non solum assensu, sed & instinctu omnia gesta sunt. Ostendit hæc charta, quam armarium Cluniacense continet, sigilli ejus impressione signata. Hoc monasterium ego frater Petrus, humilis

* al. citius.

ANN. CHR.
1151.

fratrum Cluniacensium abbas, jam dicti domni Eugenii papæ III. imperio, archiepiscopi ecclesiæ Bizantinæ assensu, domni Willelmi comitis rogatu, ut jam dixi, regendum suscipiens, multum in eo laboravi; multa, ut tam in spiritualibus quam in temporalibus proveberetur, expendi; & tandem brevi tempore matrem inveteratam in juvenem & formosam Cluniaci filiam, gratia Spiritus sancti, magis magisque in dies decorandam converti. Unde quia dicitur Domino juxta unum evangelistarum, DIGNUS est operarius cibo suo; & juxta alium, DIGNUS est mercede sua; vellem, si omnipotenti Domino placeret, aliquem hujus laboris mei fructum, non hic, sed alibi percipere, & horarum laborem mercede perpetua compensare. Præcipio itaque, & constituo, ut die, qua viam universæ carnis me ingredi Domino placuerit, & commune mortis debitum solventem quo juserit evocare; a priore Balmensi, quicumque ille fuerit, refectio fratribus, tam in conventu, quam in infirmaria, more majorum & sollempnium procuratorum, de bono pane & fabis, vino bono, optimis & magnis piscibus; vel, si congruum tempus fuerit, quantum ad infirmos splendide de carnibus magnifice exhibeatur. Præter hoc, constituo, ut eadem die centum pauperes de pane, vino, & carnibus; vel publicæ abstinentiæ diebus, de cibis temporis competentibus plenissime reficiantur. Hoc per Dei gratiam post obitum meum annuatim semper: quam diu autem vixero, exhibeatur jam dicta refectio absque aliqua imminutione fratribus & pauperibus VIII. kal. Novembris, hoc est in vigilia dedicationis majoris & novæ ecclesiæ, quam felicitis memoriæ dominus Innocentius papa II. nostro tempore, postulatione & studio dedicavit. Quid pro anima mea vel volentis, vel mortui ea die fiat, non est meum præcipere, & nihil inde instituo: quia hoc sollicitudini & caritati fratrum nostrorum relinquo. Actum est hoc anno ad incarnationem Domini MCLII. die Circumcisionis Domini, lectumque est in capitulo Cluniacensi audientibus universis fratribus, idemque approbantibus eisdem confirmatum.

Hactenus Petri Venerabilis præceptio seu constitutio de Balmensi monasterio, quod Cluniacensi abbatia Fredericus imperator post duos annos litteris suis a confirmavit, & post eum Hadrianus papa IV. quorum in litteris monasteria & ecclesiæ, quæ a Balmensi monasterio pendebant exprimuntur, in his Julianum apud Vefontionem monasterium, olim peullarum, quod in utrisque litteris mendose Visanum dicitur. His litteris subscribunt Arnoldus Colonienis archiepiscopus, ex episcopus Gunterus Spirensis, Conradus Wormatiensis, & Anselmus Havelburgensis; tum Wibaldus Corbeienis atque Stabulensis, Henricus dux Saxonie, Henricus dux Bavarie & alii. Datum Wormatiæ III. idus Junii anno MCLIII.

Non diu post Sugerium vixit Radulfus seu Rodulfus Viromandensis comes, de Perrona cognominatus, filius Hugonis Magni, fratris Philippi regis Francorum, quem Radulfum Ludovicus Junior, ad orientem profecturus, cum Sugerio regni procuratore constituerat. Hic post reliqua bona, inquit Petrus Venerabilis, quibus Deum sibi propitium reddere, dum incolumis esset, studuerat, jam infirmus & morti proximus præcedentibus aliquid majus superaddidit. Nam monasterio de Crespeio, quod antiquitus in eodem Crespeii castro constructum fuerat, & Cluniacensi ecclesiæ subditum erat, tam in terris, quam in terrarum redditibus, tanta largitus est, ut redditus annui terrarum illarum mille solidorum quantitatem excederent. Præter hæc, & multa alia, quæ diversis ad Cluniacum pertinentibus monasteriis delegavit, etiam ipsi Cluniacensi monasterio quingentas argenti marcas jure testamentario donavit. quæ ipso jam vita exermio, paucis post diebus Cluniacum allata sunt, & Cluniacensi conventui publice in capitulo præsentata. Tantis beneficiis ne ingrati essent Cluniacenses, communi consilio Petrus statuit, duo pro Radulfo tricenaria fieri, tres missas ab unoquoque sacerdotum celebrari, ter septem poenitentiales psalmos a cunctis aliis non sacerdotibus recitari; ad hæc per universa Cluniacensis ordinis monasteria, ubi ordo tenetur, tricenaria celebrari; ab aliis sacerdotibus, qui extra ordinem seu conventum manent, duas missas absque exceptione persolveri. Super hæc omnia, quod raro cuilibet conceditur, datum est ei & anniversarium sollempne; eademque die singuli Cluniaci sacerdotes missam pro ejus salute celebrabunt; alii psalmum L. recitabunt, & tredecim pauperes reficiantur. Denique annuale insuper missarum, hoc est anno integro quotidiana missa, pro eo celebrabitur. Hactenus Petri pro Radulfo comite statutum, in quo prima forte annualis mentio occurrit. Ejus obitum hoc anno collocat Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum, ubi de illius libris agit. Sepultus est Radulfus in monasterio Crespeienis seu Crispiacensis.

a Bibl. Cluni.
p. 1414.CLVII.
Ejusdem Petri statutum pro Radulfo comite benefactore.
b Spicil. to. II.
p. 332.

ANN. CHR.

1151.
CLVIII.
S. Martini de
Chora mona-
sterium.
* Cure.
* Crevan.
* Yonne.

a Labbe Conc.
to. 10. p. 1083.

Exstat in pago Nivernensi sub Æduensi diocesi locus haud ignobilis, Chora* nuncupatus ab Ammiano Marcellino & a Jona monacho in vita S. Columbanii, atque in Notitia imperii laudatus, sic dictus a fluvio Chora, qui in eodem ortus pago, post duodecim leugas apud Crevennum* in Icaunam* labitur. Posita sunt ad eum fluvium veterrima duo monasteria, nempe Vizeliacense a Gerardo comite sæculo nono constructum; & S. Martini de Chora, cujus origo cum auctore incerta est. Primam ejus mentionem invenio in litteris Eugenii III. qui G. abbati de Chora scribit^a super decima & parochialibus juribus villæ Prisciaci, quam Pontius Vizeliaci abbas ab eo per violentiam monasterio suo ablatam, & injuste detentam que rebatur. quam controversiam pontifex Stephano Regniacensi abbati adjudicandam committit. *Basilio abbati monasterii ecclesie S. Mariæ & S. Martini Chorensis, ejusque fratribus Alexander III. diploma indulgit, quo ejus loci possessiones omnes confirmantur. Hoc diploma ex authentico descriptum, ne pereat, in Appendice referre placuit ad qualemcumque illius monasterii memoriam, quod modo ad tenuissimas fortunas redactum est. Nostro tempore duo insignes eruditione abbates ejus loci exstiter, Amabilis Boursetus, & Johannes Galefius, Græcarum litterarum in regio apud Parisios collegio professor, qui nuperrime decessit, anno scilicet MDCC. quo hæc scribo.*

CLIX.
Boso abbas
Lerinenfis, alit-
que.
b Chronol. Le-
rin. p. 163.

Lerinenfi monasterio post Raymundum II. præfuit^b Boso, qui anno secundo regiminis cum Guillelmo Massiliensi S. Victoris abbate quorundam prædiorum permutationem fecit ad servandam inter utrumque locum pacem & concordiam. Eodem abbate, cum frequentibus Sarracenorum incursionibus Lerinenfe monasterium infestaretur, consulibus & populo Grassæ scripsit Hadrianus IV. ut Lerinenses, eorumque possessiones pro ea qua pollebant potestate tutarentur: ut, *quo tunc & numero, & copiis, tum auctoritate officiorum regalium exstebant majores: ita promtiores ad jura ecclesiastica tuenda invenirentur. Insuper rogat fidei desertores, si qui adsint, ut respiciant, & vultus contemplantur suos in speculo præcessorum suorum, qui tam fideles habiti sunt, ut sedes apostolica defensionem ecclesiarum & monasteriorum non semel tantum suæ fidei committeret.* Bofone item abbate absoluta est beatissimæ Dei-genitricis ecclesia, *toti mundo venerabilis*, inquit chonographus, eamque ab Enardo Senecensi & Inardo Glandatensi episcopis Boso dedicari curavit IV. nonas Octobris, ipso utique die, quo majoris ecclesie S. Honorati & basilicæ sanctæ Crucis consecratio quondam facta fuerat.

* Mongins

Bofoni post annos undecim ac fere dimidium præfecturæ successit Raymundus III. cognomento Richardus, cui Raymundus Berengarius Provinciæ comes omnia bona Lerinensibus ante collata confirmavit, idque litteris suis Ildefonsus seu Alfonso rex Aragoniæ & Barcinonensis comes, ejus consanguineus, auctoritate sua roboravit, qui & castrum Moginum* situm prope *Canes* opidum, Lerino in manu Raymundi abbatis donavit. Testes Hugo Tarraconensis archiepiscopus, Petrus Aufonensis & Guillelmus Gerundenfis episcopi. Raymundum abbatem anno MCLXX. excepit Gaufridus, eo nomine primus, qui nihil memoria dignum gessit ob brevem, unius scilicet anni, præfecturam. De Augerio ejus successore inferius.

CLX.
Artæ-cellæ
seu Brignollæ
incrementa.
c Annal. to. 4.
lib. 54. n. 26.
* La celle de
Brignolle.

In comitatu Aquisi S. Perpetuæ ecclesia prope Brignollam, quæ sub initio superioris sæculi monasterio S. Victoris^c collata fuerat, hoc tempore jam in cellam erecta erat, Cella Brignollæ dicta, & nova in dies incrementa capiebat, duplici coetu, monachorum ac virginum insignita. Illius cellæ hoc tempore prior erat Bermundus, cui Bermundo & monialibus seu *dominabus de Arcellis** Guillelmus de Pennis mediam partem castri de Pennis, & alterius partis quartam hoc anno vendidit pretio duorum millium solidorum regalium. Actum *in præsentia Barrali Masilia vicecomitis, vicem Ildefonsi illustris regis Aragonum in Provincia gerentis*, qui hanc venditionem confirmavit. Testes Gaufridus Biterrensis episcopus, Petrus Colnis præfectus militiæ in Provincia, & alii. Idem Ildefonsus *rex Aragonensis, comes Barchinonensis, Corsiæ Illerdeque marchio & Provinciæ dux*, donat, laudat, & concedit ob remedium animæ suæ, parentumque suorum *Domino Deo & sanctæ Mariæ, sancto Victori de Massilia, necnon abbati Petro cum monachis ibidem Deo deservientibus, & sanctis monialibus, quæ in monasterio S. Perpetuæ sunt, ecclesiam de Campis, multaque alias, & omnes homines, quos prædictæ moniales possident*, sicut pater suus Raymundus-Berengarii prædictis fratribus, sanctisque monialibus de-

ANN. CHR.
1151.

derat. *Actum est hoc donum in capitulo præscriptæ cellæ S. Perpetuæ in manu Guillelmi tunc prioris, & priorissæ Bona-Feyffe, VIII. idus Madii, anno ab incarnatione Domini MCLXVII. Testes archiepiscopus Aquisiensis V. & G. episcopus Barcinonensis. Alias ejusdem Ildefonsi pro Artæ-cella litteras prætereo. Sæculo insequente, id est anno MCCXXXII. Artæ-cellenfi monasterio unitum est puellare monasterium beati Zachariæ subtrus Balmam per Willelmum abbatem S. Victoris, qui *desolationi & destitutioni domus sancti Zachariæ compatiens*, se id fecisse testatur; illudque monasterium Willelmo de Cerveria priori Artæ-cellæ committit. Denique, ut de his finem dicendi faciam, anno MCCCLXXII. Anglicus episcopus Albienfis & S. R. E. cardinalis, jussu domini papæ, Gregorii scilicet XI. ad monasterium Artæ-cellæ accessit, ad firmandam pacem & concordiam inter priorem & moniales ex una parte, & priorissam & moniales ex altera, & ad disciplinam ibidem restituendam; statuitque inter alia sub pœna excommunicationis, *ut sanctimoniales in ecclesia & claustris deserrent habitum regularem & floccum*; ad hæc, ut initio quadragesimæ traderent omnia quæ haberent dominæ priorissæ. De his satis.*

In Carnutenfi tunc temporis suburbano religione florebat Josaphatenfe monasterium sub Girardo^a eximie virtutis primo abbate, qui ad hunc saltem annum pervenit. In vivis enim erat adhuc anno præcedente, quo Girardo abbati & monachis donatur quoddam pratum, & Drogo camerarius monasterii dedit Adelæ infantulæ, propterea *quod consenserat*, inquirunt, quatuor denarios in manibus matris ejus, quæ eam inter brachia portabat. Juvenibus quoque *bibrachium* ex more poscentibus ob hujus rei recordationem projecit denarium. Ubi mirari licet illorum temporum simplicitatem, qui ad factæ donationis firmitatem imaginarium hujusmodi consensum adhibebant. Vide quæ hac de re diximus in Annalium nostrorum tom^b primo. Non diu post hæc supervixit Girardus abbas, cujus obitus cum insigni elogio notatur in recentiori necrologio kal. Junii his verbis. *Depositio domni Girardi carissimi patris nostri, viri religiosissimi, & ejus facta testantur, sanctissimi, qui primus hujus loci abbas in sanctitate & justitia laudabiliter conversatus, &c.*

Ejus successore Gislebertus, ex priore creatus abbas, locum & ipse religiosissime procuravit, ad annum saltem MCLXVIII. superstes. Obiit kalendis Septembris. Hunc excepit Sanctio abbas tertius, cujus caritas in fratres & pauperes prædicatur in necrologio, in quo ejus obitus XVII. kal. Augusti consignatur. De Verterio ejus successore nihil rescimus, nisi quod VII. idus Septembris obiisse dicitur. Sub Galterio ejus successore quinquaginta illic monachi sacerdotio insignes erant, præter inferiorum graduum fratres: quorum penuriæ ut succurreret Philippus-Augustus, Galterus rogavit, litteris ad eum datis anno MCCI.

Apud Teutones in Spanheimensi monasterio Bernhelmus abbas, annis amplius tribus & viginti in præfectura laudabiliter exactis, ætatis anno septuagesimo-quarto, pie ad Deum migravit VI. kal. Aprilis. Sub illo monachorum numerus ad viginti excreverat. Eo mortuo, mox fratres in unum congregati, Craftonem, ejusdem cœnobia monachum, Megenhardi comitis Spanheimensis filium, abbatem elegere, adhuc quidem novellum, sed maturum moribus, qui vix electioni assensum dedisse dicitur, nonis Junii ordinatus ab Henrico Moguntinensi archiepiscopo in majori ejus urbis ecclesia. Monasterio præfuit annis tribus & viginti.

Bernhelmo abbati soror erat Mæthildis nomine juxta monasterium cum aliis quinque inclusa, quæ triennio post fratrem in reclusorio decessit IV. kal. Martii non sine opinione sanctitatis. Ibidem reclusæ post eam ad annos septuaginta perstiterunt, dum earum reclusorium penitus corruit. Anno insequente Megenhardus comes, loci fundator, pridie kal. Martii obiit, cui Crafto abbas ejus filius cum debito honore parentavit. Hæc omnia ex Trithemio in Chronico Spanheimensi.

In Anglia Radulfus^c S. Albani abbas decimus-septimus, cum ante triennium Remis ab Eugenio privilegium obtinisset, domum reversus & morbo insanabili correptus, fratribus auctor fuit, ut Robertum *de Gorham*, virum omnino commendabilem, loco suo subrogarent, eoque electo, ipse hoc anno devixit. Robertus ex nobili Nortmannorum & Cenomannensium prolapia ortus erat, Gaufridi abbatis, qui Radulfum præcesserat, nepos, litteris apprime instructus. Hic monasticen in patria professus, cum avunculum suum S. Albani abbatem renuntiatum esse comperisset, abbatis sui ad eum invisendum obtenta facultate in Angliam trajecit. Ubi

CLXI.
Josaphatenfis
eximii abbates,
a V. lib. 73. n.
"16.
" Infantis con-
sensus in do-
"natione.

b lib. 12. n. 57.

CLXII.
Spanheimenses
abbates.

Mæthildis in-
clusa.

CLXIII.
Radulfo S. Al-
bani abbati sus-
ceptus Rober-
tus.
c V. lib. 78. n.
114.

ANN. CHR.
1151

ad S. Albani monasterium pervenit, ab avunculo suo & fratribus benigne acceptus, cum regularem illic disciplinam vigere advertisset, in fratrum cœtum se admitti rogavit. quod ei non ante concessum, quam dimissorias a suo abbate litteras accepisset. Receptus itaque, & primum secretarii seu æditui, tum prioris officio rite perfunctus, demum unanimi fratrum assensu electus est abbas, ordine decimus-octavus, dictus *reformator libertatum ecclesie S. Albani*, quas ab Hadriano IV. renovari curavit.

CLXIV.
Hadriani IV.
pater & fortuna.

De hoc Hadriano pontifice id observandum quod de eo scribit hoc loco Matthæus Parisius ejusdem loci cœnobita. Ejus pater Robertus de Camera, natu Anglus, in quodam viculo abbatis S. Albani *Langeles* dicto, demorari solitus, exactis in sæculo aliquantis annis, postmodum religionis habitum induit in S. Albani monasterio, ubi annis quinquaginta religiose vixit. Huic filius erat, Nicolaus nomine, cognomento *Break-spear* in prædicto viculo natus, quem ad idem monasterium secum attrahere cupiens, pro ipso interpellavit abbatem, non Robertum, ut censeret Matthæus, sed potius Radulfum aut Gaufridum, ut eum illic admitteret. Sed cum in studiis parum exercitatus esset, postulanti abbas civiliter respondit, expectaret paullisper, ac litteris amplius studeret, quo aptior ad id quod petebat fieret. Id pro repulsa reputans Nicolaus, ad Parisiensem academiam se contulit, ubi magnum in studiis progressum fecit. Dein apud S. Rufum canonicus regularis factus, cum Romam quorundam negotiorum causa profectus esset, primum cardinalis episcopus Ostiensis, ac demum pontifex Hadriani IV. nomine post Anastasium IV. anno MCLIV. creatus est.

CLXV.
Gratianus De-
creti compila-
tor.
Chiusy.

Tunc temporis Bononiæ in Italia florebat Gratianus, qui Decretorum summam hoc ipso anno MCLI. compilasse traditur. Natus erat Clusii * in Tuscia, fratremque habuisse dicitur Petrum-Lombardum magistrum Sententiarum. quæ sententia est Johannis Bromtonis & Henrici *de Knyghton*, qui eum S. Proculi apud Bononiam monachum fuisse aiunt. At certius est eum fuisse monachum in cœnobio S. Felicis ejusdem urbis, ubi ejus epitaphium legitur, quod mox referemus. Mirum est quam cito ejus collectio in exteris etiam provincias delata fuerit. *Decreta Gratiani in magno volumine ecclesie Cenomannensi legavit Guillelmus de Passavant*, qui anno MCLXXXVI. vivere desiit. Gratianum laudat in multis aliis Stephanus Tornacensis in summa de Decretis, & Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum, ubi eum falso Clusinum episcopum vocat. Gratiani compilationem multis in locis emendarunt Romani correctores, & post eos Antonius Augustinus, vir summæ eruditionis, tum clarissimus Baluzius. *Decretum Gratiani* vocari non probat Antonius, quod in antiquis libris rectius, ejus iudicio, *concordia discordantium canonum*, vel *Exceptiones*, seu, ut ille vult, *Excerptiones decretorum* seu *canonum* appellari possit. At parum refert de titulo, quando etiam *Decretum Gratiani* in quibusdam vetustis auctoribus & libris dicatur, ut Baluzius observavit. Quo anno decesserit Gratianus incertum: eum vero in monasterio sancti Felicis sepultum fuisse probat renovatum a clarissimo Aldrovando ejus epitaphium, quod sic habet.

D. O. M.

GRATIANI CLUSINI, CESAREI JUR.
ET PONT. ENUCLEATORIS PROPE DIVINI,
QUI MONACHUS IN MARTYRUM FELICIS
ET NABORIS ÆDE, ABSOLUTISSIMUM
IBIDEM OPUS DECRETORUM
ANNO GRATIE MCLI. COMPILAVIT:
MONUMENTUM, QUOD ILLIC CARIE
RUDERIBUSQUE OBSORDUERAT,
HIC MAGNIFICENTISSIME RENOVATUM
JOHANNES-FRANCISCUS ALDROVANDUS BONONIENSIS,
III. DICTATOR, ÆRE PUBLICO INSTAURAVIT.
ANNO SALUTIS MCCCCLXXXVIII.
IDIBUS JUNII, JOHANNES BENTIVOLO II.
P. P. REMP. FELICITER GUBERNANTE,

Hoc

BENEDICTINI. LIB. LXXIX.

Hoc sanctorum Felicis & Naboris monasterium, olim virorum, nunc puellarum ANN. CHR.
est nostri Ordinis: ubi lapis quondam ad Gratiani ostium conclavis positus, in fa-
crarium postea translatus, sequentes versus inscriptos continebat.

*Hanc aula partem reverenter, lector, adito.
Namque loci monachus Decretum hic condidit
Divinum Gratianus opus, quantumlibet arto
Contentus septo: quod jam reparando caducum,
Et vetus hoc claustrum, tolli fuit inde necesse.
Id tamen abbate constructum est Bartholomæo
Mille trecentenis decies-septem atque quaternis
Annis a Christo pura de Virgine nato.*

Gratiani Decretum anno MCCCCLXXII. Moguntia primum typis vulgatum est, infinities postea recusum. Alius ab eo fuisse videtur Gratianus, Alexandri III. notarius, ad quem scripta est Johannis Saresberienensis epistola CCXCIV. in causa sancti Thomæ archiepiscopi Cantuariensis.

[Jam supra vidimus Henricum Mindensem episcopum Wibaldo abbati Corbeiensis virorum optimo fuisse infensum. Jam per quatuor annos aversum ab eo animum gerebat, nec ullam ei nocendi occasionem prætermittebat. Verum quia Wibaldus eam in imperio personam agebat, ut merito vel potentissimi etiam episcopi ejus auctoritatem timere possent, Henricus Mindensis antistes pacem cum eo sinceram aut simulatam velle facere tandem visus est. Per præpositum Corbeiensis primum, deinde per Henricum sacerdotem, ad pacificum apud *Hamelmele* colloquium abbatem convocavit. Aduit ad conductum diem Wibaldus; episcopo, si qua in re offenderat, satisfactionem obtulit, atque innocentiam probavit suam, nec per eum stetit quin statim pax concluderetur. Verum episcopus satisfactionem nec voluit recipere, nec per canonicos iudices, sed per laicos causam decerni, eosque, inquit Wibaldus, *qui personam nostram gravibus contumeliis affecerunt, & bona ecclesie nostre violenter & per sacrilegium diripuerunt*. Qua de re sic conqueritur: *Nos qui scripseramus vobis, ait, quod ad pacem veniremus, hoc habentes in corde, quod habuimus in ore, pacem vobis obtulimus & opere & veritate. Sed quia pax nostra non respondit vobis, poteramus jure nostro pro multis gravaminibus appellasse, nihil verentes quod hoc nobis posset accidere, quod vestro abbati de Insula in sua appellatione contigit. Solent enim laici vestri districtis gladiis de appellationibus, quæ ad dominum papam fiunt, judicare, qui nunc in colloquio vestro duces verbi tui fuerunt, ut in nobis completeretur, quod per Moysen dictum est, Et inimici nostri sunt iudices. Illi ipsi vestri homines, vestri parochiani nobis ad vos pacifice tendentibus, & de vestro secreto conductu nobis firmiter promisso confidentibus, nocere tam in persona, quam in rebus voluerunt. Quapropter tales iudices recusat Wibaldus: Ne forte, inquit, excusationem apud dominum regem habeatis, quod pro causa nostra ad curiam ipsius, ad quam jam tertio ex coequalium vestrorum iudicio vocatus estis, venire supersedeatis. De injuriis vero & damnis, quæ nobis ex vestro mandato a vestris inferuntur, videat Deus & judicet, &c. Siquidem in verbo nostro, nulla potuit inveniri tergiversatio, cum electorum iudicum, a quibus appellare non licet, sententiam subire vellemus, videlicet episcoporum Paterbornensis, Monasteriensis & Osnabrugensis.]*

[His ab objectis purgare se tentavit Mindensis episcopus. ^b Nos, inquit, a vo-
bis læsi dicimur læsisse, cum Deus mihi testis sit, numquam me, numquam meorum
aliquem, mea voluntate seu consilio vel auxilio vobis nocuisse, sed tantum de injuriis
nobis illatis fraternam satisfactionem expetivisse. Corbeiensis ecclesiam, quæ me edu-
cavit & erudit, neque prorsus despexi, neque indiscrete tractavi, sed veneror & ve-
nerabor; injuriarum nostrarum solummodo satisfactionem, sicut expetivi, expeto, &
cetera quæ fuse prosequitur, negans omnia quæ sibi objecerat Wibaldus, sed nihil
probens. Ad hæc vero respondit Wibaldus: ^c Ex litterarum vestrarum tenore cogno-
vimus, quod offensa sit vestra sublimitas ex litteris nostris, quas proxime ad vos dire-
xeramus, quæ duriores & asperiores vestra intelligentie vise sunt, quam mediocritatem
nostram scribere convenisset, & vestram celsitudinem accipere decuisset. Quod eruditio
vestra sciat eo consilio factum esse, ut quoniam humiliter & pacifice multotiens vobis

Annal. Bened. Tom. VI.

Sff

CLXVI.
De diffidio in-
ter episcopum
Mindensem &
abbatem Cor-
beiensis.

a Epist. 242.

b Epist. 244. in-
ter Wibald.

c Epist. 245.

super eodem negotio scripseramus, & nec sermonem pacificum, nec pacis effectum receperamus, certa tandem esset vestra prudentia, quod iudicem adire necessitas cogeret extrema. Absit enim a nostrae humilitatis proposito, ut pontificalem excellentiam maxime in persona monasticae religionis quoquam temerario vel contumaci eloquio impetere praesumamus. ac tandem post alia declarat electorum iudicium, a quibus appellare non licet sententiam subire velle, scilicet Paterbornensis, Monasteriensis & Osnabrugensis episcoporum.]

a Epist. 249. inter
Wibaldinas.

[Interim Conradus imperator Henrico duci Saxoniae scripsit in haec verba: ^a Recordatur tua nobilitas, quod saepe post reditum nostrum de Ierosolymitana expeditione diligentiam tuam monendo rogaemus, quatenus Corbeiensem ecclesiam, & fidelem nostrum ejusdem ecclesiae abbatem in defensandis & conservandis bonis Kaminatensis ecclesiae adjuvares. Volumus etiam industriam tuam meminisse, quoniam advocatiam Kaminatensem quam a nobis habueras ex vestra petitione de manu Corbeienfis abbatis recepisti, unde ad protegenda eadem loca plus ei debitor esse cepisti. Ea propter nobilitatem tuam iterum attente monendo rogamus, ut Thiedericum de Rekelinge, & filios ipsius de injuria & contumelia, quam praefato abbati in eisdem bonis irrogant, coerceas, & fratres monachos, quos illi jam secundo ejecerunt, clementer in eodem monasterio recolligas, ac Deo ibidem servire facias. Hoc quoque prudentiae tuae notum sit, quod domina illa de Jeshka, quae bona Kaminatensis ecclesiae dissipavit, & adhuc dissipare non cessat, ex nostra permissione non intravit, &c. Sed & Eugenius papa Bremenfi archiepiscopo & Mindenfi antistiti scripsit, ut praedia Kaminatensis ecclesiae quae eorum in parochia consistebant, Wibaldo abbati, cujus zelum in Romanam ecclesiam praedicat, restitui faciant. Haec omnia cum nihil profecissent, episcopus Mindenfi Conradi imperatoris, cujus toties clementiam spreverat, offensam incurrit. ^b Quapropter Warnerium majorem ecclesiae suae praepositum & magistrum Conradum direxit Corbeiam, qui sinceram pacem & reconciliationem nomine suo nuntiarent. Eos omni cum caritate in osculo sancto excepit Wibaldus, omnemque deinceps gratiam & fidele apud imperatorem servitium, tam episcopo, quam ecclesiae suae Mindenfi promissit. Factam demum reconciliationem ratam habuit Conradus, & scripta ad episcopum epistola, ^c pergrata sibi esse quaecumque fecerat declaravit; additque in fine, *experientiae tuae summopere injungimus, ut eundem abbatem honores, & diligas.*]

b Epist. 266.

[Reconciliato sibi Welfone, res magnas & maximi pro imperio & ecclesia momenti meditabatur Conradus imperator, adeoque viros probos & religione insignes quarebat, quos ad Eugenium papam nuntios principales mitteret, quales exoptabat, expectabatque ipse pontifex, qui de provectibus ecclesiae & regni promovendis efficaci consilio proficerent. Tunc in Wibaldum abbatem Corbeiensem & Arnoldum cancellarium oculos coniecit, scripsitque ^d Wibaldo: *Quoniam virtus tua in negotiis ecclesiae & regni enituit, & de tuo circa nos caritatis affectu certi sumus, regni utilitas poscit & nostra voluntas ordinavit, ut nostrae dilectionis obtentu, una cum cancellario nostro legationis hujus laborem assumes. Id ubi rescivit Eugenius, Conrado de tali destinatione gratulatus est his verbis: Quod per sublimes legatos matrem tuam sanctam Romanam ecclesiam, sicut ex primis & secundis litteris excellentiae tuae percepimus, ex communi consilio principum regni, tua destinavit serenitas visitare, ut cum eis de statu & utilitatibus ecclesiae Dei ac regni tractare & ordinare possimus, nobis & fratribus nostris gratum est & acceptum. Verum Wibaldo ipsi non ita gratum & acceptum. Nam cum voluntatis imperatoris esse cognovisset, ut propriis sumptibus & expensis hoc in itinere servire deberet, excusavit se a suscipienda tali legatione, cum exhausta essent prorsus suae & monasteriorum suorum facultates. Nam bene novit vestra serenissima majestas, inquit ad Conradum ^e scribens, quod a principio imperii vestri publicis laboribus vestris numquam defuimus, sed tam in persona quam in substantia vobiscum semper & pro vobis, absque vobis frequenter, non sine gravi impensa militavimus, quod etiam nunc facere desideraremus, si tenuitas rerum nostrarum ullo modo pateretur, &c. Additque solum cancellarium cum episcopis Constantiensi, Lausanensi & Basileensi hac legatione posse apte perfungi. Wibaldi excusationem non improbavit imperator, verum urgens rescipsit ipsi in hac verba: ^f*

c Inter Wibald.
epist. 266.

CLXVII.
Wibaldi abbatis legatio Romana.

d Epist. 256. inter
Wibaldinas.

Negotia, quae nobis cum domino papa conveniunt, per alias personas, nisi per tuam & cancellarii nostri discretionem tractari non possunt. Praeterea in processu legationis

e Epist. 260.

Annal. Bened. Tom. VI.

f Epist. 262. inter
Wibald.

hinc ex parte fratris nostri imperatoris Constantinopolitani, inde ex parte Rogerii, negotia se offerunt, in quibus tractandis aliquas personas praeter vos admittere nec volumus nec possumus. Multas injurias & gravia damna, quae non solum toto anno praeterito, sed etiam ad praesens in contumeliam regni & nostram sustines, capellano tuo H. referente, ad plenum intelleximus, & tempore opportuno in his complandis pro debito nostro tibi assistemus. Rogamus igitur & certi esse volumus, quod laborem legationis nostrae ad dominum papam cum cancellario assumes, & in festo S. Michaelis Ratisponae cum ipso praesentiam nostram adeas. Expensas itineris, quas per te habere non potes, postis vadimonis tuis accredas, quas nos, Deo annuente, quamprimum accepta opportunitate redimere parati sumus. His novis acceptis jussis, scripsit Wibaldus cancellario, necessario subeundam legationem, indicetque sibi diem, quo ipsum convenire posset. At cancellarius se ipse quoque excusavit, nec ullis Wibaldi adhortationibus & precibus moveri potuit. His ita se habentibus, Conradus abbatem suum fidelissimum a legatione Romana tandem excusavit, eamque Constantiensi & Basileensi episcopis ^a commisit.]

[Cum se ad legationem Romanam accingeret Wibaldus, Hasteriensis monachi, qui a suae foundationis initio subditi erant Walciodorenfi abbati, jugum ejus excutere & in eum rebellare coeperunt. Rebellionis causa fuere duo circumcelliones, videlicet Jul. & M. quos vagantes, peregrinos & egentes pane, abbas Walciodorenfis pro summa misericordia susceperat, probaturus hospitalitatis tempore, si conversatione sua digni existerent, quos fraternitatis vinculo fratrum collegio deberet aggregare. At illi praeterquam quod enormiter vivebant, inter monachos Walciodorense & Hasteriense atque ipsum abbatem scandala & discordias accurato studio ferebant: ita ut projecto interdum sacro & regulari habitu, armis accincti possessiones Walciodorense invaderent, & terminos ipsorum absque ulla juris assertionem convellerent. Quod cum diu dissimulasset abbas, tandem Wibaldi & coabbatum suorum consilio, capitulum intravit Hasteriense, & fretus auctoritate regulae S. Benedicti, dixit honeste advenis & hospitibus litium seminatoribus ut discederent, quod illis facere detrectantibus, & convicia in abbatem impudenter jacentibus, praecipit aliis ne eos in consortio suo retinerent, & quamdiu illi monasterii sedes inhabitarent, ab officiis divinis omnes prorsus abstinere. Sed nec isti obedire voluerunt. Re ad Leodiensem ecclesiam delata, canonico iudicio debita animadversione punita est.]

[Hasteriensibus nihilo minus in sua rebellionem pervicaciter stantibus, Wibaldus Stabulensis & Corbeienfis abbas, qui Walciodorensem ecclesiam pro matre agnoscebat, quae saeculi naufragium fugienti sibi habitum monasticum dederat, priorem & fratres Hasteriense litteris suis hortatus est, ut contenti antiqua consuetudine loci, ad concordiam cum fratribus suis Walciodorense redirent: alioquin reluctantes ad sedem apostolicam ad diem proximum circumcisionis Domini citabat, ubi Walciodorense causam ipse defendere sperabat. Scripsit ad Stephanum episcopum Mettensem, cui a fundatoribus commissa erat illa ecclesia, ne pseudo-monachis Hasteriensibus aurem accommodaret, qui otio vacantes fabulis student, vana & superflua meditantur & pacem ecclesiae conturbant: quamvis tam per privilegia regum & imperatorum, quam decreto Benedicti papae VII. Walciodorenfi abbati, qui apud eos ordinem monasticum instituerat, semper subiecti erant, & in subjectionis signum defuncti fratres Hasteriense in cimiterio Walciodorense antiquitus sepeliebantur: rogans ut temeritatem insanientium Hasteriensium auctoritatis sua virga compescat, & ut ad pacem & concordiam fratrum suorum redeant, compellat, aut si contempnunt tamquam rebelles, & apostolicis decretis inobedientes, de monasterio ejiciat. Quae omnia cum nihil proficerent, Wibaldus a Conrado rege privilegium obtinuit; quo, visis authenticis imperatorum, principum & summorum pontificum privilegiis, decernit ut Hasteriense locus Walciodorense monasterio contraditus & connexus eidem semper cenobio subdatur sicut cella vel praepositura, vel quocumque nomine dicatur, aliquid inferius suo superiori debet adjacere. Et decedente eo, qui nunc ibi, Deo praestante, regulariter praest, Thederico abbate, suisque successoribus in perpetuum regulariter ordinandis, Hasteriense monachi convenient Walciodorense, tam ad exsequias defuncti abbatis devote peragendas, quam ad electionem futuri pastoris discipline & concorditer celebrandam, hoc videlicet discretionis tenore,

a Epist. 278.
inter Wibald.
CLXVIII.
Hasteriensium
rebellio adversus
Walciodorense.

ANN. CHR.
1151.

ut primus assensus, prima vox, prima denominatio penes Walciodorensum constet arbitrium, & de ipsorum cœtu persona, si fuerit idonea inventa, absque contradictione Hasteriensium eligatur. quod si ibi forte reperiri non poterit, atque in Hasteriensi ecclesia persona conveniens inventa fuerit, de ipsis potius quam de alio monasterio assumatur, &c. Actum in palatio Noviomagi anno dominicæ incarnationis MCLI. indictione XIII. XVI. kalendas Junii, regnante domno Conrado Romanorum rege secundo, anno regni sui XIV. in Christo feliciter, amen. Ego Arnoldus cancellarius vice Henrici Moguntini archiepiscopi & archicancellarii recognovi. Testes præceptionis hujus plurimos adhibuit Conradus, quorum nomina subsequuntur: Arnoldus Colonienfis electus, Henricus Leodiensis, Otto frater noster, inquit, Frisingensis, Warnerus Monasteriensis, Philippus Osenbrugenfis, Albertus Misnensis episcopi, Herinnannus Trajectensis electus, Wibaldus Stabulensis & Corbeiensis abbas, Lambertus Werdenfis abbas. Adolfus comes de Montibus, Henricus comes de Gelra, God. & Hermannus fratres de Kuic, Marquardus de Gruenbach, Albertus de Gruendinga.]

[Anno sequenti Eugenius papa III. suo diplomate Walciodorensis sub sua protectione suscipit monasterium, ejusque confirmat prædia & possessiones, in his villam quæ vocatur Hasteria cum omnibus appenditiis suis. His accedit diploma Stephani Mettensis episcopi, in quo ait, interventu amici nostri, venerabilis Stabulensis ecclesiæ abbatis domni Wibaldi, necnon intercessione nostrorum fidelium, & etiam ipsius Walciodorensis ecclesiæ abbatis Roberti, renovamus atque iterum constituimus, ut eadem una indissolubiler sub uno abbate. Defuncto namque abbate de Walciodoro, omnes congregentur tam Hasterienses quam Walciodorenses in Walciodorensi capitulo, qui ab utrisque partibus auditis sententiis, eam quam secundum Dei timorem & canonicam auctoritatem personam fratres de Walciodoro elegerint, Hasterienses suscipiant, &c. Actum est Metis in præsentia nostra anno ab incarnatione Domini MCLII. indictione XV. regnante Friderico rege anno regni sui I. anno pontificatus nostri XXVIII. anno ordinationis domni Roberti Walciodorensis abbatis I.]

CLXIX.
Cella Asman-
giæ restituenda
S. Michaëli su-
pra Mosam.
a Ampliff. col-
leç. tom. I. p.
811.

[Eundem episcopum Mettensem hoc tempore monuit Eugenius papa, quod H. comes de Salinis, (forte de Salmis) nepos ejus cellam Asmingiæ quam abbas S. Michaëlis ad Mosam per plura jam tempora pacifice tenuerant, per violentiam occupaverat, & ejectis ex ea monachis, decimisque & redditibus asportatis sacerdotem illuc pro suæ voluntatis arbitrio introduxerat. Quæ si ita se habeant, eundem comitem districte moneat ut cellam prædictam cum omnibus quæ abstulerat abbati Manegaudo restituat. Quod si facere contemserit, inquit, in ipsa cella divina officia interdicas, & ipsum ecclesiastica districtione percellas. Datum Signia IX. kalendas Junii. Eodem fere modo, eodemque die ad ipsum etiam comitem scripsit prædictus pontifex.]

CLXX.
Privilegium
pro S. Remigio
Remensi.
b ibid. p. 815.

[Hoc ipso anno Ludovicus rex Francorum Hugoni Remensis sancti Remigii archimonasterio abbati insigne contulit privilegium, quo castrum in quo idem B. Remigius corpore quiescit, cum burgo quod adjacet sibi indulget, ut immune sit ab omni aliena justitia & potestate, & præter abbatem & ejus monachos, nullus ibi exerceat ullam judicariam districtionem, & liceat abbati & fratribus ibidem habere & caumas, & furnos, & arces, & molendinos, & piscaturas & judiciaria, & mercatum cum res illud postulaverit, & quæcumque illorum plaudo & usibus visa fuerint eis libere permittit & donat, confirmatque omnes illius monasterii quas recenset possessiones. Actum publice Parisus anno incarnati Verbi MCLII. epacta XII. concurrente VII. regni vero nostri XIX. astantibus in palatio quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum Engelbaldi Turonensis archiepiscopi, signum Theobaldi Silvanectensis episcopi, S. Odonis abbatis S. Dionysii, S. Astelini Fossatenfis abbatis, S. Radulphi Viromandorum comitis dapiferi nostri, S. Guidonis buticularii, S. Matthæi camerarii, S. Matthæi constabularii. Data per manus Hugonis cancellarii. Hoc diploma confirmavere postea Philippus Augustus anno MCCXV. & S. Ludovicus anno MCCXLVII.]

CLXXI.
Ecclesia S. Mag-
dalene datur
abbatiæ S. Jaco-
bi Leodiens-
is.

[Apud Leodios cum quidam Anhelinus construxisset in Insula ecclesiam in honorem B. Mariæ Magdalene, eademque collegiata S. Johannis in Insula subjecisset, illam non multo post emancipatam, ne vacua & muta a laude Dei remaneret, ab omni subjectione liberam tradidit canonicis regularibus, qui die ac nocte servitium explerent Deo & S. Magdalene. Sed adeo egestate victualium &

ANN. CHR.
1151.

tenuitate redituum, cum clamore etiam incurfantium heredum exturbati & contracti sunt, ut ad ultimum non nisi unus remaneret. Quapropter Henricus Leodiensis episcopus pro suo officio & cura sibi commissa sollicitus, ne locus ille penitus destrueretur, habito cum ecclesia S. Lamberti, & cum religiosi clerici & monachis consilio, communi assensu decretum est, ut quia abbatia S. Jacobi in Insula contigua illi S. Magdalene ecclesiæ existeret, in manum & potestatem abbatis poneretur, quatenus pro amore & honore Dei & B. Magdalene hunc subiret laborem, ut & de monachis suis aliquos ibi constitueret, & ubi minus facultas competere ecclesiæ, ipse de suis facultatibus subveniret, donec precibus & meritis Deo dilectæ peccatrici, ipse summus paterfamilias largiorem suæ benedictionis abundantiam, interius & exterius provehendo, multiplicando indulgeret. Actum est hoc anno incarnati Verbi MCLI. Testes Elbertus, Renerus, Dodo archidiaconi, Ludovicus comes de Los, Widricus de Prato & multi alii.]

[Excusatus a legatione Romana Wibaldus abbas, ad suam Stabulensem ecclesiam statim reversus est, quam rapinis & incendiis concussam invenit: Nam dominus Leodiensis episcopus, inquit ad Conradum imperatorem scribens, & comes Namurcensis, & comes de Rupe, & comes G. de Monte-acuto dissentientes, bonum pacis de finibus nostris exturbaverant. Cum autem neminem nostri neque nos laederemus ac in neutram partem inclinarem, cum jam in Namurcensem & suos fautores dominus episcopus sententiam anathematis promulgasset, comes G. de Monte-acuto sua & domni episcopi militia villam nostram Okerii devastavit & succendit, quæ fere tribus mensibus monasterio necessaria ministrabat. Intendit etiam cetera eidem monasterio pertinentia devastare, succendere, nisi gravissimis redemptionibus & exactionibus ab hoc suo proposito revocetur. Et cum violenter nostra devastentur, diripiantur, & hoc auxilio domni episcopi, sine quo idem comes G. hoc non præsumeret, decet regiam majestatem vestram, nos qui vestri sumus defendere, & innocenter afflictis manum misericordiæ porrigere.]

[Præter hanc ad Conradum epistolam, scripsit & aliam ad Leodiensem episcopum, quam per R. monachum suum misit, tentans si quo modo hunc præfulent placare posset. Perveniens Leodium qui fuerat missus ibidem abbatem Florentensem de bonorum suorum violenta rapina jam conquerentem invenit. Episcopus ad subterfugia recurrit & post longum cum Wibaldi nuncio colloquium, nullum gratum dedit ei responsum. Quis autem legationis hujus exitus fuerit, dicimus ex epistola R. monachi. Comes Namurcensis, inquit, per abbatem Florentensem nos multum sollicitavit, ut ejus verbum apud dominum regem manuteneretis, & bono fine, si possibile esset, terminaretis. Episcopus & comes nullo modo a guerra desistere volunt, sed rursus post natale se dicit incendio vastaturum, quod ex auctoritate domini papæ ne faceret monimus, quia ad eum transitori eramus. Quod vos etiam tam ex domni papæ, quam ex domni regis auctoritate prohibere satagatis, &c.]

[His restrictis angustiis Wibaldus, tactus dolore cordis intrinsecus, anxius meditatur unam ex suis abbatiis, tam longe distantibus, eamque Stabulensem dimittere. Idque Roberto decano ceterisque fratribus significavit quasi consilium ab eis & assensum petiturus. Rationes vero quæ eum a retinenda abbatia Stabulensi deterebant explicat, scribens ad Henricum monachum sibi familiarem in hæc verba: De statu, immo de nutatione animi nostri certius ex litteris communibus valebis addiscere. Quæ autem nos a regimine Stabulensis monasterii deterreant, licet ignorare non possis, breviter tamen tuæ vigilantia annotabimus. In primis magna est ruina ordinis nostri, quam in tam multiplici rerum necessariorum defectu nos sublevare posse non confidimus. Porro tanta est apud vos rerum tenuitas, & præbendæ quotidianæ defectus, ut etiam si totum regnum firmissima pace frueretur, vix tamen valesset se Stabulensis ecclesia sustentare. Advocati vestri, peccatis facientibus, non sunt pauperum defensores, sed crudelissimi vastatores, & libertatis vestræ inimicissimi insidiatores. Ministeriales vestri, qui maxime deberent ecclesiam sustentare, conversi sunt in arcum pravum, & neque mandatis obtemperant, neque agriculturam, ubi sunt vil-

CLXXII.
Stabulense
monasterium
rapinis & in-
cendiis vasta-
tur.
a Epist. 281.b Epist. 281. in-
ter Wibald.CLXXIII.
Wibaldus ab-
batiam Stabu-
lensem dimit-
tere meditatur.
c Epist. 293.

d Epist. 294.

ANN. CHR.
1151.

lici, exercere adjuvant; sed quod deterius est impediunt & vastant, a quibus detrimentis nulla fere ecclesie vestre possessio aliena est, & maxime ille curies vacua & neglecta sunt, de quibus praecipua & praebenda supplementa capi solent. Inter haec autem diurna flagella, nullum nobis auxilium, vel ab ecclesiastica vel a seculari potestate. Non est itaque mirum, si haec omnia diligenter considerata tabescere faciunt sicut araneam animam nostram, & de salute nostra & nobis commissorum sollicitius cogitare. Ad haec ille respondit tam suo quam fratrum suorum in commune nomine, nullo modo eos carere posse ejus regimine.]

[Ad haec Wibaldus causatur eos nimium properasse in re tam difficili, tam ardua, tam necessaria, super qua, inquit, universitatis vestrae consilium, tamquam divinum responsum quaesivimus, ubi nec orationes praemissae nec fratres Malmundarienses vocati, nec laici fideles & filii ecclesiae sunt invitati, &c. Fundenda sunt igitur ad Deum preces cum omni humilitate & devotione; quaerendum est non solum universae ecclesiae vestrae, sed etiam vicinarum consilium & suffragium, ut divina pietas talem vobis praestare dignetur pastorem, qui ex ejus dono possit sanare contritos corde, & alligare contritiones vestras.]

[Adhibuerunt ergo Stabulenses orationes tam suas quam amicorum, consulere & Malmundarienses. una fuit vox omnium retinendum apud se Wibaldum, nec unquam dimissioni Stabulensis ecclesiae assensum esse dandum, atque hunc in modum rescribere: ^a An ignorat prudentia vestra, quia de nobis a nobis electus, apud nos investitus, apud nos consecratus, inter nos & super nos non sine perpetuo fructu sexdecim annis conversatus, quasi nuper vocationi Corbeiensium, petitioni regis & principum abbas noster & pastor praestitus estis potius, quam datus? Quare de tam atroci negotio non alterius ab alienis & extraneis nos quaerere consilium decernitis, cum penes nos firmum non dimittendi vos consilium habeamus? Quis hoc magnanimitati vestrae imposuit, ut ecclesiam, quae vos ab adolescentia educavit, assumpti, & dilatavit, deserere cupientes, ei ecclesiae cui praestitus estis, benedictionem nostram non sine supplantatione infundatis? Cesset, quaeso domine, cesset hujus vestrae sollicitudinis intentio. Cesset pietas vestra suos filios tam crudeliter velle abjicere, qui, ut breviter dictum sit vagi & exules decreverunt mori potius, quam vos, dum vixeritis patrem & dominum non habere. Tam instantibus precibus, quibus & accessit Corbeiensium deprecatio tandem acquievit Wibaldus.]

[Dum verfaretur in curia imperatoris Wibaldus abbas, contigit in Corbeienfi monasterio res memoratu digna. Erat eo in coenobio praepositus, cui fratrum necessitibus ac praecipue circa victum providendi cura demandata erat. Huic in primis Wibaldus absens commendaverat fratribus summa cum sollicitudine administrare necessaria. Hic sive anni hujus sterilitate cogente, sive ex negligentia, aut quacumque ex causa, officio suo saepe deerat, & eo usque res processit, ut tandem in diebus rogationum, & in ipso die ascensionis dominicae, fratres absque potu, & sequenti proximo sabbato absque pane simul & potu, quod numquam Corbeiae evenerat, dereliquit. Cum ergo ipsa die, inquit prior ad Wibaldum scribens, ^b sedentes ad mensam secundum ordinem & consuetudinem nostram, consuetam alimoniam expectarem, nec ab eo quidquam acciperemus, impasti surreximus, & Deum, secundum ordinem nostrum euntes ad ecclesiam, cum psalmo benediximus. Statim igitur in unum congregati, quid facto opus esset in commune consulimus, & ut vestrae paternitati hanc necessitatem celeriter insinuarem, inter nos convenimus. Interim autem fratri A. camerario nostro licet invito & multum renitenti hanc curam injunximus, ut donec redeat nuncius noster a vobis, panem & potum undecumque possit, mutuo acceptum nobis provideat, & argentum quod ad sarcophagum hoc anno deputaveramus, in pignore accipit.]

[Id ubi accepit Wibaldus summo opere doluit, laudavitque fratres suos, quod tanta incommoda, tam inordinata, tam inaudita, quae numquam antehac Corbeienfi ecclesiae accidisse credimus, patienter & aequo animo sustinuisent, neque absentiam suam, quae eorum utilitatibus officere putabatur acerbo reprehensionis verbo fatigarent: In quo, inquit, nostram sollicitudinem artificissima vobis caritate obnoxiam ita devincitis, ut nullus de cetero labor sit, nulla injuria, quam pro vestra dilectione & communi justitia subire & ferre pro viribus recusamus. Tum excusat se quod reditum ad eos suum accelerare prohibeat non solum Stabulensis ecclesia, verum etiam

c Epist. 301.
apud Wibald.CLXXIV.
Summa patientia Corbeienfium in tolerando victualium defectu.

a Epist. 304. inter Wibald.

totius Lotharingae concussio & eversio, quae nostra patria est, inquit, quae nos genuit, educavit & provexit, quam prohibente domino rege & multis principibus regni deserere, & ad vos tam animo quam corpore migrare non est nobis concessum. Subditque jam septem septimanis cum rege reformandae paci insudasse, sed necdum profecisse, ac demum epistolam sic concludit: Interim caritati vestrae injungimus, ut studio prioris vestri & fratris A. camerarii vestri sic omnia pro tempore ordinentur, ut fratribus non desint alimenta, nec divina inter vos cessent obsequia.]

[Exstat in principatu Clivenfi, in dioecesi Colonienfi, insigne Gladbacense monasterium, cujus ministeriales cum fratres & abbatem fatigarent, Wibaldi abbatis Corbeiensis implorarunt consilium, quem duplex ratio ad eos caritatis & dilectionis provocabat affectum, videlicet quod unius ordinis habitus & religionis nomine fruerentur, & unius ejusdemque patroni intercessione gloriarentur, nempe S. Viti, cui tam Corbeiensis quam Gladbacensis consecrata est ecclesia. Quibus ille respondit, ut de sui consilii & auxilii adiutorio omnino confiderent, scituri quod in cunctis quae secundum Deum poterit, opportune pro sui facultate assisteret. Ministeriales eorum, cum totum quod sunt & esse possunt, monasterii sit, & tam in eorum personas quam substantias potestas tam legibus quam canonibus abbati & monasterio attributa sit, ipsis satisfacere juxta canones contradicere non posse, nec patiendum esse, ut otio vacantes matrem suam & dominam, de cujus rebus aluntur, impinguati, incrassati & dilatati pedibus conculcent & recalcitent. De cetero, inquit, de nostris orationibus & intimo servitio plurimum tam in hac quam in omni causa considerare debetis.]

[Hoc eodem anno, Arnoldus archiepiscopus Colonienfis ab officio suo suspensus, facto functus est. Sub eo cum varia Colonienfis ecclesia passa esset detrimenta, statim ad successoris electionem dies indicta est, in qua omnes metropolis hujus suffraganei convocati sunt. Et primo triduanum indictum est jejunium, & comportatis per omnes vicos urbis sanctorum confessorum corporibus Severini, Cuniberti, & Ailulfi, qui Coloniensem ecclesiam viventes in carne plantaverant, & in caritate divina dilataverant, omnipotentis Dei clementia invocatur, ut talem suis ovibus pastorem per merita & intercessionem praedictorum pastorum ostendere & ordinare dignaretur, qui eorum imitando vestigia, populo Dei posset & utiliter praesse & efficaciter prodesse. Adveniente assignato ad electionem die, & invocata S. Spiritus gratia, communibus votis electus est Arnaldus Majoris ecclesiae praepositus; Conradi imperatoris cancellarius, & Wibaldi abbatis Stabulensis intime amicus, qui reluctans & reclamans potius tractus quam deportatus ad sedem illam est. Tandem electioni de se factae acquiescens, cum se ad Romanum iter a papa consecrandus accingeret, clerus, honorati & ministeriales eum rogaverunt, ut donec pax omnino firmaretur, iter differret suum; qui consulens hac de re amicum suum Wibaldum, respondit: ^c Cum de summa dignitatis obtinenda agitur, nihil satis festinari posse videtur, quoniam cum ad ardua tenditur, non solum regressus, sed etiam mora non immerito formidatur: addidit ecclesiae canones vetare metropolitanam ecclesiam ultra tres menses vacare. Profectus est itaque cum Wibaldo abbate, & Henrico imperatoris notario, non solum honoris causa, sed ut res imperii & suas Romae tractarent; comitantibus Sigebergensi & Campensi abbatibus, praeposito & decano S. Gereonis. Benigne ab Eugenio susceptus & propria manu consecratus est, qui & pallii honorem, plenitudinem pontificalis officii ex consueta sedis benignitate ipsi contulit.]

[Hoc circiter tempore Manuel Constantinopolitanus imperator litteras dilectionis ac devotionis plenas scripsit ad Wibaldum abbatem Stabulensem, quem pretiosissimum abbatem & florentem virtutibus appellat, quibus preces ejus & suorum, favoremque apud Conradum Romanorum imperatorem implorat. His modeste respondit, assiduis se precibus omnipotentis Dei clementiam cum fratribus sibi commissis exorare, ut ipsi & Conrado fratri suo incolumitatem & victoriam de inimicis suis conferre dignetur. Hortamur etiam, inquit, & continuis monitis suggerimus ut praecelsus & gloriosissimus imperator noster amicitiam & societatem vestram fideliter & firmiter conservet, & omnia vestrae majestati promissa sine ulla diminutione compleat. Ceterum Conradum adversus communem hostem Siculum Italicam expeditionem praeparare, ideoque mediante praecedenti mense Septembri apud ci-

ANN. CHR.
1151.CLXXV.
Gladbacense implorant Wibaldi consilium.
a Epist. 308. inter Wibald.CLXXVI.
Electio Colonienfis archiepiscopi.

b Epist. Wibald. 310.

c Epist. 315.

CLXXVII.
Manuel Constantinopolitanus imperator scribit ad Wibaldum.

vitatem Herbipolim convocasse quosdam principes imperii, quos inter conveni-
rant *Colonienſis archiepiſcopus, Bremenſis archiepiſcopus, Halberſtadienſis epiſcopus,*
Cicenſis epiſcopus, Bavembergenſis epiſcopus, Merſeburgenſis epiſcopus, Herbipolen-
ſis epiſcopus, Argentinenſis epiſcopus, Wormatienſis epiſcopus, Pragenſis epiſcopus, &
legati diverſorum epiſcoporum & principum: & de laicis principibus conveniunt mar-
chion de Witin, marchio de Brandeburg, Palatinus comes de Bavaria, comes de Win-
cemburch in Saxonia, præfectus urbis Moguntia, præfectus urbis Herbipolis, præ-
fectus urbis Bavemberch & alii multi comites, honorati & nobiles, qui omnes cum
magna voluntatis hilaritate, fide data, & juramento præſtito promiſerunt quod ad
eamdem expeditionem cum omni virtute & potentia militiæ venient & proſequentur. Nos
quoque, inquit, cum noſtra militia Domino noſtro famulantes, ſanctiſſimam faciem
veſtram & permaximi imperii veſtri decorem videre, Deo præſtante, merebimur.]

CLXXVIII.
Abbatia S.
Salvatoris de
Guincampo
data Majori-
monaſterio.

[In minori Britannia exſtat S. Salvatoris abbatia apud Guincampum in dioceſi Tre-
corenſi, de propria comitum Guincampenſum menſa fundata & edificata, quæ prava
& enormi habitantium converſatione ad tantam miſeriam & captivitatem devenerat,
ut non ſolum extrinſecarum poſſeſſionum ſuſtineret incommoda, ſed & eccleſia ipſa,
clauſtrum, cum reliquis officinis corruerat, & religionis virtutumque deſectus, om-
nia pene temporalia pariter ſecum abraſerat. Cujus deſolationi miſericorditer con-
deſcendens Guillelmus Trecorenſis epiſcopus, de reſtitutione loci illius pertra-
ctans atque deliberans, habito ſuper hoc conſilio cum Engelbaldo venerabili me-
tropolitano ſuo & aliis religioſis perſonis, rogatu & voluntate illuſtris comitis Hen-
rici, honorabilis comitis Stephani filii, prædictam S. Salvatoris abbatiam cum om-
nibus appenditiis & pertinentiis ſuis tam in eccleſiis, pertinentiis & decimis, quam
omnibus omnino poſſeſſionibus, eccleſiæ & fratribus Majoris-monaſterii, quorum
religio & caritas apud nos, inquit, plurimum commendatur, in prioratum donavit,
& in perpetuum poſſidendam, ſalvo jure Trecorenſis eccleſiæ conceſſit. Credo
enim, inquit epiſcopus, præeunte & ſubſequente Domini miſericordia, locum ipſum
prædictorum fratrum Majoris-monaſterii ſtudio & induſtria, non ſolum in tempora-
libus, ſed etiam in ſpiritualibus bonis in meliorem ſtatum quam fuerat poſſe reduci.
Actum anno ab incarnatione Domini MCLII. menſe Septembri XIII. kalendas Octo-
bris, die ipſo quo Henricus comes Mathildem filiam Johannis Vindocinenſis apud Me-
duanam duxit uxorem. De ſupra dicto abbatia dono, Garnerium Majoris-mona-
ſterii piſſimum abbatem, qui præſens erat, per manum domini Engelbaldi archi-
epiſcopi & ſuam, necnon & Joſthonis epiſcopi Brioceniſis inveſtavit. Hic duo
maxime conſideranda ſunt, inveſtitio per manus pontificum, cum alias fieri ſoleat per
feſtucam, cultellum & chirotecham; & epiſcopos Trecorenſem & Brioceniſem archi-
epiſcopum Turonenſem pro ſuo metropolitano agnoviſſe non Doleniſem. Tam ſo-
lemnis donatio locum non habuit. Nam ſequenti anno abbas S. Melanii comiti
Henrico notum fecit, locum illum a ſuo pendere monaſterio: qui comes eum illi
ea ratione reddidit, ut eccleſia S. Salvatoris de Guincampo fieret abbatia, cujus e
coenobio S. Melanii abbas aſſumeretur. Hodie ſimplex eſt prioratus a S. Melanio
pendens.]

ANN. CHR.
1152.
CLXXIX.
Conrado im-
peratori ſucce-
dit Fridericus.

ANNO ſubſequenti, ejus ſæculi quinquageſimo-ſecundo, Conradus imperator,
dum arma in Lombardiam & Apuliam vertere molitur, repentino op-
preſſus morbo, non ſine veneni ſuſpicionem XII. kal. Martias interiit, relicto impu-
bere filio Henrico, paullo ante, quam Jerofolymam pergeret, in regem coronato,
quem Friderico Sueviæ duci, fratris ſui filio commendavit. Hic vero ſtatim im-
perium uſurpavit, retento ſecum Conradi filio, qui non multo poſt mortuus eſt.
[De Conradi autem ſepultura loco non conſentiunt auctores.] Hunc Viennæ in ec-
cleſia S. Andreae monaſterii inferioris ſepultum fuiſſe nonnulli opinantur, ex epitaphio
quod ibidem repertum prope majus altare, Baronius ex antiquitatibus Viennen-
ſibus ſacris & profanis in bibliotheca Floriacenſi editis retulit ad annum MCLII. At
Otto Friſingenſis diſerte habet Conradum Allemanniæ regem Magdeburgi humatum
eſſe, quod alii in monaſterio Laureacenſi factum fuiſſe volunt. Fallor, ſi illud epi-
taphium quod Viennæ habetur, Conrado Burgundiæ Juranæ regi, qui anno
DCCCXCIII. obiit, tribuendum non ſit. Certe, eſt hic Conrado apud ſanctum
Mauricium jacere vulgo dicatur, nonnulli tamen eum Viennæ ſepultum volunt,
& recte ei congruunt quæ in laudato epitaphio habentur. *Qua*

*Qua jacet, eccleſiam gemmis reparavit & auro,
Andrea ſancti promeriturus opes.
Is rex Conradus monachos ſtabilivit ibidem.*

Quæ quidem verba neſcio quo pacto Conrado Allemanniæ regi aptari poſſint. At
Conradus Burgundus ad eum locum multa bona contuliſſe, & ibidem monachos
reſtituiſſe dicitur. His favet quod, ut jam ſupra obſervatum eſt, ^a in variis ejus loci ^{a lib. 50. no}
chartis ſub Ludovico Orbo Bofonis filio datis, *Canonici ſancti Andrea* appellantur, ^{85.}
qui *monachi* dicuntur in illis quæ Conradum regnantem præferunt; quin & Aimoi-
nus ſeu Eimoinus, qui primus ab illa reſtitutione abbas fuiſſe memoratur, Conrado
illo & poſtea filio ejus Rodulfo regnantibus floruit. Denique ipſe Rodulphus in charta
^b pro eodem monaſterio data anno DCCCXCIV. regni ſui primo, confirmat ea quæ ^{b Spicil. t. 13.}
a patre ſuo Conrado ad monaſterium ſancti Andreae, *dudum a ſe*, id eſt ipſo Con- ^{p. 272.}
rado *reſtitutum*, collata fuerant.

[Sed ad Fridericum revertamur. Is ejus nominis primus, cognomento Ænobarbus, ^{CLXXX.}
ſtatim ut fuit electus & conſecratus, nuntios ſolemnes ad Eugenium papam direxit, ^{Fridericus}
Eberardum Bambergeniſem epiſcopum, Hillinum Trevereniſem electum, & Adamum ^{ſuam papæ ſi-}
Eberaceniſem abbatem, ut ſuam ad imperium promotionem ei ſignificaret, & om- ^{gnificat pro-}
nem quamdiu viveret, reverentiam, omne obſequium promitteret: *Vobis tamquam* ^{c Epist. 345. in-}
patri cariſſimo conſtanter promittimus, quod ſicut eidem glorioſo quondam regi, in regni ^{ter Wibald.}
ſolio ſucceſſimus, ita hereditariam dilectionem tam ad veſtram perſonam omnino ſpecia-
lem, quam ad ſacro ſanctæ matris Romanae eccleſiæ promiſſiſſimam ac devotiſſimam deſen-
ſionem ſuſcepimus, hac ſcilicet ordinis ratione, ut quæcumque ad liberationem & honora-
tionem apoſtolica ſedis intenderat & ordinaverat, nos conſtanter perficere ſtudeamus: ita
ut juxta felicem ad ſanctitatem veſtram domini promiſſionem, inimicis veſtris inimici
ſimus, & odientes vos affligamus. Verum quamvis principio foedus cum Eugenio papa
inire viſus ſit, pacem cum ſede apoſtolica diu non ſervavit, ſed Wibaldo abbate
cujus conſiliis utebatur, & qui reverentiam ei in ſanctam ſedem inſpirabat, e vivis
ſublato, funeſtum ſchiſma poſt Adriani IV. papæ obitum in eccleſiam invexit.]

Multum ad ejus promotionem contulit, ut Fridericus ipſe teſtatur eſt, Wibaldus ^{CLXXXI.}
Corbeia novæ abbas, cui ob hanc gratiam ipſius monaſterii privilegia diplomate au- ^{Corbeia-novæ}
reis litteris conſcripto renovavit. Hoc diploma retulit Schatenus, anno regni primo ^{privilegia re-}
datum Merſeburgi, cui poſt multos principes & epiſcopos Marquardus Fuldenſis, ^{novat.}
Henricus Heresfeldenſis, & Arnoldus Niemburgenſis abbates ſubſcripti leguntur.
In brevibus ejus loci Annalibus Fridericus a Wibaldo abbate invitatus hoc anno
Corbeiam adiſſe dicitur, ejuſque privilegia confirmariſſe; ibique tum Marcwartus do-
ctus monachus clariſſe.

[Cum Romæ verſaretur Wibaldus, non ſolis imperii rebus tractandis intentus, ^{CLXXXII.}
ſed pro ſe ſuiſque monaſteriis etiam ſollicitus plures ad epiſcopos retulit Eugenii ^{Plures Wibal-}
papæ epiſtolas: unam ^d ad Henricum Leodiemiſem epiſcopum, ut & comitem de Los ^{duſ epiſtolas}
& G. comitem de Monte-acuto, *qui in bonis Stabulenſis eccleſiæ diabolico inſtinctu in-* ^{papæ pro ſuis}
cendia, cades, rapinas committebant monitis & cenſuris eccleſiaſticis compeſcat. Eo- ^{monaſterii}
dem tempore Gregorius & Jacobus S. R. E. cardinales epiſtolis ſuis hortantur eum ^{Roma aſſert.}
eodem tempore Gregorius & Jacobus S. R. E. cardinales epiſtolis ſuis hortantur eum ^{d Epist. 328 in-}
dem præſulem, ut illatas a comite Namurcenſi Stabulenſi eccleſiæ injurias reſarciri ^{ter Wibald.}
curet. Simili modo ad Hartwicum Bremenſem archiepiſcopum ſcripſit Eugenius, ^{CLXXXIII.}
quod quidam parochiani ſui, videlicet *Odiko, Ricbertus, Thederus, Rainerus, &* ^{Plures Wibal-}
Hermannus, quaſdam poſſeſſiones Kaminatenſis monaſterii, quæ in ſuo epiſcopatu eſſe ^{duſ epiſtolas}
noſcuntur a Judith quondam abbatiffa, poſtquam a regimine eccleſiæ ſemota fuerat, illi- ^{papæ pro ſuis}
cite receperint, & eas contra juſtitiã detineant, atque prædictæ eccleſiæ reſtituere modis ^{monaſterii}
omnibus contradicant. Hos mandat eccleſiaſticis cenſuris ad reſtitutionem cogi. Eo- ^{Roma aſſert.}
dem die Henrico Moguntino archiepiſcopo prædium *Oſtoph* ad Corbeienſem abba- ^{d Epist. 328 in-}
tiam pertinens, & a quibuſdam parochianis ſuis invaſum jubet reſtitui. Tunc etiam ^{ter Wibald.}
apud Eugenium gravem Wibaldus abbas depoſuit querelam, *quod Widikindus cum qui-*
buſdam ſatellitibus ſuis cimiterium Corbeienſis monaſterii ſui violenter intraverit, & va-
lens centum marcarum auſu ſacrilego inde abſtulerit, nec non capellam, qua in porta ipſius
cimiterii conſtituta eſt, violaverit, & qua ibi invenit, auſu temerario auferre præſumpſit.
Quapropter Bernardo Patherburnenſi epiſcopo ^e ſcribit pontifex, ut Widikindum ^{e Epist. 332. ſq.}
parochianum ſuum ad emendationem compellat. Alias etiam Wibaldus ab Eugenio ^{ſeq. inter Wi-}
Annal. Bened. Tom. VI. ^{balda}

ANN. CHR. 1152. retulit epistolas ad Hermannum Traiectensem episcopum, & Ulricum Halberstadensem, ut possessiones Corbeiensis monasterii in suis diocesisibus positas ab invasoribus & raptoribus defendant. Similiter ad Ferdensem antistitem, conquerendo quod Hungeldus frater ipsius, & quidam alii Kaminatensis ecclesie prædia violenter auferant, & injuste detineant. Taceo epistolam ad Mindensem episcopum, atque ad duces Saxonie, quibus mandat, ut Corbeienfi monasterio benefacere pergant. Omnes illæ litteræ datæ sunt *Signia v. idus Januarii.*]

CLXXXIII. Halberienfes iterum rebellant.

a Epist. 350. inter Wibald.

b Epist. 351.

c Epist. 341.

[Interim Roberto Walcioderensi abbate defuncto, Hasterienfes Walciodoro semper subiecti iterum rebellare cœperunt. Id ubi rescivit Henricus Leodiensis episcopus, ad cuius officium pertinebat electionem examinare, & electum consecrare, rem Stephano Mettensi episcopo, cui a fundatoribus commissa erat hæc ecclesia, significavit: *a Discretioni vestra, inquit, suggerendo significamus, quod monachi Hasterienfes vagi, & erronei, ac novitatibus intendentes, res ejus monasterii prorsus destrunt, & quosdam perversitatis sue fautores tam pretio quam promissionibus alliciunt: hoc sue pertinacia emolumentum capere cupientes, ut in una, hoc est Walciodorenfi abbacia duo abbates contra sacrorum canonum institutum, & apostolici privilegii auctoritatem ordinentur.* Scripsit & ad Walciodorenfes & ad Hasterienfes, *b* quibus præcipit, ut congregatis de circuiitu religiosis abbatibus Florinensibus, Broniensibus, Gemblacensibus & Floressiensibus, talem sibi eligant pastorem, qui jam pene emortuam in eis resuscitet religionem. Eodem tempore Wibaldus audita morte abbatis Walciodorenfis condoluit, scripsitque *c* ad Stephanum Mettensem antistitem, ut negotium de electione futuri abbatis Walciodorenfis differat, donec novus eligatur rex Romanorum. Harum litterarum exemplum misit ad suos Walciodorenfes, cum privilegio quod ab Eugenio papa III. dum adhuc Romæ versaretur, pro eorum ecclesia obtinuerat. Monuit & Hasterienfes, ut de controversia quæ ipsos inter & Walciodorenfes erat, agere differant, donec facta imperatoris electione, ad ipsos veniat, & consilio abbatum Gemblacensis, Florinensis, Lobiensis, Floressiensis & Maloniensis, ea quæ ad pacem ipsos inter & fratres suos Walciodorenfes tractare valeat. Interim Walciodorenfes consolationem à Wibaldo quærentes ipsum elegerunt abbatem. Qui post suum a curia imperatoris reditum Walciodorum venit, & ab hoc onere sese humi prostratus excusavit humiliter.]

CLXXXIV. Folcuinus & Widikindus vastant Corbeienfe monasterium.

d Epist. 359.

[Post tot a summo pontifice scriptas ad varios episcopos & principes epistolas in gratiam Corbeiensis monasterii, quis non crederet perpetua Wibaldum abbatem ejus pace fruiturum? maxime initio novi regni Friderici, cujus potentia nulla possit nequitia obsistere. Et ecce, inquit, ad imperatorem scribens, *d in hac confidentia securus & nihil omnino metuentes, invaserunt nos homines nostri, qui nobis fidelitatem juraverunt, & magna beneficia a nobis habent, & armata manu oppidum nostrum Huxariam, & præmissa paulatim & per turmas militia, tandem armati & patentibus vexillis, super incautos, Folcuinus videlicet & Widikindus fratres, ut in vastitate hostili totum locum occupaverunt. Triduo itaque ibidem commorantes, & omnem circa regionem, quæ ad præbendam fratrum specialiter pertinet, penitus devastantes, nefandissima scelera in viros & mulieres passim commiserunt, & post publicam atque communem rapinam, quæ æstimata est fuisse nongentarum librarum denariorum, a captivis melioribus, quos a pauperiore turba segregaverant, ducentas quinquaginta tres libras nummorum extorserunt. Insuper vallum & munitiones, quæ auctoritate regia, & præcipue privilegio beata recordationis patris & prædecessoris vestri constructæ fuerant, cum advocati essent ejusdem loci, destruxerunt. Quid inter tot angustias fratres Corbeienses? pergit Wibaldus: Pro tam atroci calumnia fratres nostri, cum absentes essemus, corpora SS. Viti & Justiniani, quæ apud nos requiescunt, in terram deposuerunt, & humiliatis crucifixi Salvatoris nostri imaginibus, ab omni deinceps solemnibus officio divino, & a pulsatione campanarum abstinnerunt. Moris quippe apud antiquos fuit, ut in tribulatione positi, reliquias ad terram imaginesque crucifixi deponerent, altarie denudarent, spinis & cilicio circumdarent: qua de re vide lib. 3. de antiquis ecclesie Ritibus, cap. 3. pag. 428.]*

e Epist. 360.

[Conquestus est etiam ea de re apud Bernardum episcopum Paterburnensem, his verbis: *e Novit discretio vestra, quam violenter & inhoneste propinqui vestri, & homines tam vestri quam nostri Folcuinus & Widikindus, nos & ecclesiam Corbeiensem invaserunt, & quanta turpitudine oppidum & oppidanos nostros affecerint, quantaque temeritate ecclesiam & loca consecrata violaverint, dum homines nostros ad ecclesiam tamquam ad singu-*

lare refugium confugientes, in manu armata a sacris adibus abstraxerunt, & præter communem prædam suppellectilis, quæ difficile supputari potest, ad exsolvendas pro salute sua ducentas quinquaginta tres marcas miseros sub periculo captivitatis & mortis compulerunt. Quas quidem injurias episcopali vindicta puniri petiit. Interim vero Fridericus imperator, tres scripsit epistolas *a* ad Wibaldum abbatem, ad Corbeienses monachos, ad Burgenses Huxarie, compatiens eis, & promittens promptam de illatis sibi injuriis & damnis vindictam. Et revera, ut discimus ex Henrici notarii imperii epistola *b* ad Wibaldum, Fridericus Folcuinum & Widikindum, in festo S. Bartholomæi Vormatiam ad suam præsentiam vocavit, ut districto judicio injuriam sibi & ecclesie suæ illatam puniret. Rogat etiam enixe duces Saxonie, ut de prædictis malefactoribus plenam faciat justitiam. Sub finem vero epistolæ ait Bambergensem episcopum ex legatione Romana prospere revertisse, & pro laboris sui mercede, abbatiam Althahensem expetere, sed Althahenses huic petitioni cum magna indignatione contradicere.]

[Hoc tempore Conradus abbas Mariani-monasterii, quod situm est in diocesi Paterbornensi, vitæ eremiticæ desiderio, onus pastorale deposuit, concessa fratribus facultate alium ut abbatem sibi eligerent. Hi unanimi consensu in Henricum priorem Corbeiensis oculos coniecerunt, ut eis præficeret. Bernardus tunc Paterbornensis episcopus, post multas admonitiones & preces ne gregem desereret, cum constantem in suo proposito Conradum reperisset, petiit a Wibaldo *c* abbate Corbeienfi sui prioris emancipationem, quam ille negavit, sultus auctoritate S. Gregorii papæ, cujus in secundo dialogorum libro hæc sunt verba: *Ibi adunati æquamiter portandi mali, ubi inveniuntur aliqui qui adjuventur.* Ex quibus conjicimus Conradum aliquos ex suis monachis habuisse inquietos, quorum pravos mores non patiens vitam eremiticam abbatiali dignitati prætulisset. Aliam negationis suæ causam affert Wibaldus: *Ordo, inquit, monasterii nostri habet, immo omnia monasteria nostri ordinis hanc observantiam tenent, ut si quando aliquis fratrum nostrorum abbas ad aliud monasterium eligendus est, prius a nobis & a fratribus nostris quam ab extraneis eligatur; nec aliqua nobis persona inter fratres nostros in abbatem ab alio monasterio, vel a quolibet hominum ex nomine designetur, sed assumptio fratris nostri cujuslibet in nostro arbitrio & fratrum suorum electioni relinquatur: præsertim cum vultus pecoris nostri melius a nobis & a semetipsis quam ab extraneis agnoscat, immo convenientius a nobis & a suis domesticis, qui dignus est, eligatur.]*

[Exstat in diocesi Ferdensis Ullesheimense seu Ulsense monasterium anno 990. pro sacris virginibus fundatum, quibus monachos ex Corbeienfi abbacia assumptos anno circiter 1140. substituit Ditmarus episcopus. Huic monasterio postquam præfuisset annis minimum duodecim Sifridus asceta Corbeienfis, *d cum disciplina & augmento sui ordinis & rerum temporalium incremento, ita ut testimonium haberet ab his qui foris sunt, hunc H. Ferdensis episcopum a pseudomonachis, uti existimare licet, infamatum, absque vocatione, sine audientia, non convictum, non confessum, de abbacia sua expulit, & omnibus monasterii rebus plusquam per anni spatium spoliavit, nec Wibaldi, aliorumque fere omnium Saxonie abbatum monitis ac precibus flecti potuit, ut eum restitueret, aut certe ordine canonico ipsum tractaret. immo ad intolerabilis contumelie cumulum, quosdam pseudomonachos quos prædictus abbas propter enormitatem vitæ suæ de monasterio projecerat, in illam ecclesiam malignantium tamquam in sentinam recollegit, & quidquid improbi & irati, ac se ulcisci cupientes confingere in famam abbatis potuerunt, conscripsit & dispersit. Has redactus ad angustias infelix abbas ad Eugenium papam confugit: cui Wibaldus suo & aliorum Saxonie abbatum nomine scripsit in hæc verba: *e Pedibus vestra celsitudinis animo advolui, cum universis fratribus nostris, supplices preces effundimus, ut venientem ad vestram clementiam prædictum abbatem, virum utique honestum & litteratum, in mansuetudine bonitatis vestrae suscipiatis, & exaudiatum in necessitate sua, in plenitudine dignitatis sue litteris & mandatis auctoritatis vestrae per aliquem fidelem legatum restituatis.* Interim Wibaldus gratias egit A. abbati de Monre, quod illum caritative suscepisset; illumque ipsi & venerabili Eiberto abbati de Huisbruc, cujus religionis sanctitatem prædicat, commendavit. *f*]*

[Apud Belgas floruit multo tempore cum omni libertate, regia & pontificia auctoritate confirmata, Elnonense S. Amandi monasterium, donec ministerialis villæ

a Epist. 366. & seq. inter Wibald.

b Epist. 370. inter Wibald.

CLXXXV. Conradus abbas Mariani-monasterii abdicat vitæ eremiticæ desiderium.

c Epist. 380. inter Wibald.

CLXXXVI. Abbas Ullesheimensis a Ferdensi episcopo eiectus a suo monasterio.

d Epist. 364.

e Epist. 364.

f Epist. 369. CLXXXVII. Illatæ per ministeriales inju-

ANN. CHR.
1152.
riae Elonenſi
monaſterio.
a *Anecd. tom. 1.*
p. 430.

S. Amandi Almannus, quædam ſibi uſurpavit, & quæ erant regia liberalitate inſtituta tyrannica dominatione depravavit. Sed ejus inſolentiam ſub abbate venerabilis memoria *Bovone II. comes Flandrenſis, Balduinus filius Roberti ſecundi Marchionis & Clementia nobilis comitiſſæ, ad ipſam villam veniens viriliter repreſſit, & ad antiquas libertates ab excellentia regia deſcendentes, ſecundum quod continet carta, quam ſuper hoc ipſe fieri mandavit, bona quæ ille depravaverat ſub jure & dominio abbatis & fratrum reformavit.* Sua deinceps Elonenſes libertate gavili ſunt, quamdiu ſupervixit ipſe Almannus & ſucceſſor ejus Herimannus filius ejus, quo deſuncto, uxor ejus Giſla, cognomento *Troſels*, & filius ejus Stephanus, qui fidelitatem S. Amando juraverant, longe graviora & ſcleratiora commiſerunt. Nam *per ſervientes ſuos etiam monachos fuſtibus verberabant, & de equis ad terram turpiter impellentes, equos auſerebant, in conductu monachorum homines capiebant. Silvam, quam Dagobertus liberam S. Amando dederat, violenter occupantes, & ſui juris eſſe dicentes, quercum & cetera ligna, quæ ad ſolum dominum ſilvæ maxime pertinent, ſucidebant, & quibus volebant, dabant & vendebant, homines etiam villa in multis opprimebant.* Spretis Hugonis abbatis monitis & correptionibus, ad incutiendum eis terrorem, depoſitæ ſunt ad terram S. Stephani, S. Cyrici pueri & S. Amandi eccleſiæ patronorum loci reliquiæ, cum multo gemitu cordis & lacrymarum effuſione, adeo ut prædicti malefactores terrerentur, confunderentur, & ad miſericordiam quærendam converterentur. Elekti ſunt ex utraque parte octo judices qui de S. Amandi juribus dicerent, quorum proluxa ſit enumeratio in diplomate Geraldii Tornacenſis epiſcopi, cui ſubſcribunt Galterius abbas S. Martini, & Hugo abbas Marchianenſis. *Actum Elnone anno Domini MCLII.]*

CLXXXVIII.
Eſkilus archi-
epiſcopus ve-
nit Claram-
vallem.
b *Vita S. Bern.*
4. c. 4.

Tunc Lundenſi in Dania eccleſiæ præſidebat venerabilis Eſkilus archiepiſcopus: qui Bernardi inviſendi, & forte dignitatis abdicanæ deſiderio Claram-vallem acceſſit non ſine multo labore, multique expenſis: quo in itinere argenti marcas amplius ſexcentas ſe expendiſſe teſtatur eſt, præſente Gaufrido, qui hæc ſcribit. *Venit ergo, ait ille, Claram-vallem, tam humilis & ſublimis, quem a finibus terræ non curioſitas audiendæ ſapientiæ, ſed fidei zelus & plenitudo devotionis attra-xerat. Ubi quantum fleverit, qualem ſeſe non modo erga eum, quem tam unice ſuſpiciebat, ſed etiam erga minimos quoſque fratrum exhibuerit non eſt facile dictu.* Tempus illius itineris cernitur ex epiſtola Gaufridi monachi Claræ-vallenſis de obitu S. Bernardi ad eundem Eſkilum, quem ait *noviſſimo* ejus vitæ anno Claram-vallem veniſſe. In patriam rediturus, ut benediſtum a Dei famulo panem referre, & diutius conſervare poſſet, eum in clibano recoqui voluit. quo audito, vir ſanctus, ut fidem ejus modicam argueret: *Itane, inquit, non poterit panem ipſum benediſtio magis, quam recoctio conſervare?* Tum communem ſibi panem afferri præcepit, eumque Eſkilo tradens, de ejus incorruptione ſecurum eſſe juſſit. Tulit ille, & ad ſuos reverſus gloriabatur, fidei ſuæ defectum evidentiffima rei veritate convictum fuiſſe. Tandem abdicata dignitate factus eſt monachus apud Claram-vallem, poſtquam Ciſterciennes, Cartuſienſes & Præmonſtratenſes in diœceſi ſua implantaflet.

CLXXXIX.
Theobaldus
comes Latinia-
ci ſepelitur.

Inter ea moritur magnus ille Campaniæ comes Theobaldus IV. ſingularis Bernardi amicus, vi. idus Januarii, & apud Latiniacum, inquit Albericus, ſepelitur, nimirum ſub porphiretico lapide, qui nuper e medio chori ad latus evangeliæ tranſlatuſ eſt. Quatuor reliquit filios præter filias ſex, Henricum videlicet Trecentem comitem Palatinum, Theobaldum comitem Bleſenſem, Stephanum comitem de Sancerra, & Guillelmum, cognomento ad Albas-manus, qui poſtea Remenſis archiepiſcopus exſtitit. Theobaldi epitaphium Henrici comitis rogatu compoſuit Simon, cognomento Capra-aurea, ſancti Victoris apud Pariſos canonicus regularis, quod epitaphium apud Chiſſetium, & in notis noſtris ad Bernardi epiſtolam xxxvii. videre licet. Falluntur qui eum ſive in Pontiniacenſi, ſive in Claræ-vallenſi monaſterio ſepultum dicunt, quem in Latiniacenſi, cujus advocatus erat, teſte Bernardo, humatum eſſe conſtat. Unde idem Henricus Theobaldi patris ſui anniverſarium d. ibidem inſtituit, relaxatis monaſterio procuracionibus, ob quas eccleſia illa tempore patris ſui plurimum gravata fuerat. quod factum *affenſu matris ſuæ Mathildis Bleſenſis comitiſſæ, & fratrum ſuorum Theobaldi Bleſenſis comitis, & Stephani & Guillelmi clericorum.* Inſuper ex quadraginta vini modiis, quos illius eccleſiæ hoſpites eidem annuatim perſolvebant, viginti remittit. Teſtes Manafſes Mel-

c *Bern. ep. 230.*

d *Diplom. p.*
584. & ſeq.

denſis epiſcopus, eo nomine ſecundus, Lambertus abbas S. Faronis, Theobaudus abbas de Calmis, & Gaudefridus abbas Latiniacenſis e noſtris, necnon Alveredus Latiniaci prior; ex canonicis vero regularibus Godefridus abbas de Caſtro-Theoderici, & Elias abbas ſanctæ Mariæ de Cagia. Actum hoc anno in *Pruini-caſtro.* Denique idem Henricus theſaurario beati Petri Latiniacenſis eccleſiæ *vinginti ſolidos de cenſu Columarii* * aſſignavit ad lampadem perpetuo accendendam b ad tumulum patris ſui comitis Theobaldi.

Exiſtat in ejuſdem loci chartario notitia, in qua mentio fit de inſtitutione prædicti anniverſarii, & de procuracione fratrum, qui hoc anniverſarium celebraturi ſunt; idque in communi capitulo ſtatutum, *præſente & annuente domno Hugone abbate, præſati comitis fratre:* qui & ipſe ad ſuum anniverſarium faciendum communi capitulo redditus domus ejus, quæ *Phatricia* vocatur, in perpetuum conceſſit. Teſtes *Robertus prior, Alveredi ſucceſſor, Vitalis præpoſitus, Guillelmus cantor, Hugo Farſith, Rogerus ſubprior, &c.* Hugo abbas, Henrici comitis frater, in hac notitia laudatus, *ſilius naturalis* fuit Theobaldi ſenioris, ſeu IV. factus primum *Tironis monachus,* teſte Roberto de Monte, dein *tempore Stephani regis patrii ſui aliquantum temporis abbas Homeniſis in Anglia; qua abbatia relicta fuit abbas Cerceſenſis:* qui iterum illa relicta, venit in Franciam ad nepotes, immo fratres ſuos *Henricum & Theobaldum; & ſic, ut diximus factus abbas Latiniacenſis,* nimirum poſt Hugonem primum, prædicti Godefridi ſucceſſorem, ut ſuo loco videbimus. Certe Hugonem hunc non fuiſſe legitimum Theobaldi filium ex eo intelligitur, quod Henricus comes inſtituendo patris ſui anniverſarium, Latiniacenſi monaſterio procuraciones relaxare ſe dicit aſſenſu matris ſuæ Mathildis, fratrumque ſuorum Stephani comitis Bleſenſis & Guillelmi clericorum, omiſſo Hugone, quem proinde ut legitimum non agnoſcebat.

Ejuſdem Henrici pietas elucet in litteris ejus ante triennium datis, in quibus ait, ſe *precibus venerabilis Bernardi Clara-vallenſis & juſſu patris ſui confirmare* eccleſiæ S. Eugendi Jurenſis *donæ & elemoſynas,* quas anteceſſores ſui ei fecerant, ſcilicet prioratum Sarmatiæ, alioſque, nempe Montis-Barri, S. Petri de Barro, Conſinii, S. Eugendi in caſtro Firmitatis ſuper-Albam, de Silva-roura, multaque alia, ut in Appendice videre licet. Has litteras, *Ludovicus regis Francorum, Philippi ſcilicet IV. primogenitus, nominatus Dei gratia rex Navarræ, Campaniæ Briæque comes palatinus,* anno mcccx. recognovit. In bulla Johannis VIII. pro S. Eugendo, data anno *DCCC LXXVI.* jam mentio fit de quadam ſilva, *quam vocant S. Eugendi ſuper fluvium Albam.* quod argumento eſt, jam tum hanc cellam conditam fuiſſe.

Hoc tempore Ciſterciennes familiae monaſteria ad tantum numerum excreverant, ut patribus in capitulo generali viſum ſit, a novis exſtruendis poſthac abſtinere. qua de re Robertus de Monte in libro de immutatione ordinis monachorum c. ita ſcribit. *Jam fere quinquaginta quinque anni ſunt, ex quo Robertus abbas, ut dictum eſt, Ciſtercium incoluit: & tanta virorum copia illuc confluxit, ut inde fere abbatie quingentæ a milleſimo nonageſimo octavo anno incarnationis dominicæ uſque ad annum ejuſdem divinæ incarnationis MCLII. conſurgerent. Et hac de cauſa in generali capitulo, ubi annuatim mediante mense Septembri apud Ciſtercium ab-bates, & etiam epiſcopi, qui aſſumpti ſunt de illo ordine conveniunt, quatenus negligentia, quæ omnino in tot & tantis conventibus nequeunt evitari, emendentur; hac de cauſa, inquam, quia tantum multiplicabantur abbatie ejuſdem ordinis, ſtatutum eſt, ut amplius nullam novam abbatiam inſtituerent. In deſertis atque ſilveſtribus locis monaſteria proprio labore condiderunt, & ſacra illis nomina ſollerti proviſione impoſuerunt: ut eſt *Domus-Dei, Clara-vallis, Eleemoſyna, Curia-Dei, & alia plura hujusmodi, quibus auditores ſolo nominis neſtare invitantur feſtinanter experiri, quanta ſit ibi beatitudo, quæ tam ſpeciali denotatur vocabulo. Multi nobiles & divites, & profundi ſophiſtæ pro novitate ſingularitatis ad eos concurrerunt, & inuſitatam diſtinctionem ſponte amplexati ſunt.* Hucusque Robertus, quæ ipſis auctoris verbis, utpote non facile cuiſvis obvia, referre viſum eſt operæ pretium.*

Hoc ipſo nihilo minus anno Bullencuriæ ſeu Bullencurtis abbatia diœceſis Trecentis, quæ prius canonicorum regularium erat, ab Henrico d. epiſcopo venerabili patri & domui Clara-vallis emendanda & poſſidenda juxta conſuetudinem Ciſterci-

ANN. CHR.
1152.
a *ſupra n. 31.*

* *Colomier:*
b *ibid. p. 118.*

CXC.
Hugo abbas
Theobaldi ſi-
lius naturalis.

CXCI.
Henrici comi-
tis charta pro
S. Eugendo.

CXCII.
Ciſterciensium
abbatiæ quan-
tum auctæ.

c *Append. ad*
Guib. p. 81.

CXCIII.
Bullencuria &
Mora.
d *Inter Bern.*
ep. 439.

ANN. CHR.
1152.

sis ordinis concessa est. [Eo in cœnobio vivebant ducenti circiter monachi, quorum postea numerum abbas Claræ-vallis visitans Bullencuriam ad centum & sexaginta personas reduxit. Ejus decretum ad calcem ejusdem monasterii martyrologii legitur hoc modo: *Quia definitum est a capitulo generali ut patres abbates in filiabus suis ordinent de numero personarum, nos abbas Claræ-vallis de consilio abbatis & seniorum Bullencuriæ, statuimus, ut in eadem domo numerus centum sexaginta personarum nullatenus augeatur.*] Roberto abbati de Bullencurte scribit Petrus^a Cellensis. Eodem quoque tempore Samson^b Remorum archiepiscopus, rogatu Bernardi abbatis a S. Dionysii apud Remos abbate & canonicis ecclesiam, quæ est apud Moras, ægre obtinuit *ad faciendam ibidem abbatiam ordinis Claræ-vallensis.*

^a Petr. Cell. lib. 1. ep. 9.
^b Bern. ep. 435.

CXCIV.

Hugoni episcopo Autifiodorensi succedit Alanus.

^c Bern. ep. 276.

^d id. ep. 280. § 282.

^e Labb. tom. 1. Bibl. p. 465.

CXCIV.

Petri Cellensis cum Alano similtas.

^f Petr. Cell. lib. 1. ep. 22.

^g ibid. ep. 9.

Ex illo ordine assumtus fuerat Hugo episcopus Autifiodorensis, eo nomine secundus, ante episcopatum ex monacho factus primus abbas Pontiniacensis, qui anno præcedente v. idus Octobris decessit apud Pontiniacum, ubi & sepultus est. De irreligioso ejus testamento, quod in extremis, fuggerente Stephano diacono, fecerat, apud Eugenium questus est^c Bernardus, & de fraude facta in eligendo successore. Hinc vacavit episcopatus per annum, a festo scilicet beati Dionysii usque ad adventum Domini; tandemque ex eodem ordine electus est Alanus abbas Ripatorii in diœcesi Trecenti, natione Flandrensis, de cujus electione duæ exstant Bernardi^d epistolæ: una ad Ludovicum regem, altera ad Eugenium. Hic post episcopatus annos quatuordecim rediit ad suam Claram-vallem: ibique *inter athletas Christi martyrium sui corporis aggressus*, ut in actis episcoporum Autifiodorensium^e legitur, *jejuniis, orationibus, lectionibus, atque aliis caritatis operibus solummodo vacans, sine, ut credimus beato in Domino quievit. Obiit autem v. idus Octobris, & sepultus est Claræ-vallis.* Hic est Alanus episcopus qui tres vitæ S. Bernardi scriptores continua serie in compendium redegit.

Nonnihil similtatis cum Alano habuit Petrus Cellensis tum abbas, occasione matrimonii Petri de Tornella cum sua nepte Hawide in ejus diœcesi contracti: quod matrimonium non modo Alanus, sed etiam Hugo Senonum archiepiscopus, quasi inter consanguineos inritum, improbabat; Petrus vero negabat. Acris est tantisper ejus epistola^f ad Alanum, quem tamen patrem carissimum vocat. Insimulabatur Petrus, quod neptis connubium affectu carnis propugnaret. Ad quod ille respondet, se neptis suæ *causam non affectu solo carnis fovere, sed in spiritu veræ pietatis & justitiæ. Absit a sensu meo, inquit, immo a vestro, propter carnalem supra dictæ neptis copulam, meam æternis condemnare ignibus animam, quod procul dubio facerem, si matrimonium illegitimum defenderem.* Tum subdit, subreptum fuisse Alani sanctæ animæ, ut fidem duobus inhonestissimæ vitæ famæ hominibus haberet, & de amici expressa sibi veritate hæsitaret. Dein Petrus queritur, quod *ædiorum sententiam* in illud matrimonium, negata dilatione, protulerit Alanus. Paulo minus acris est ejusdem ad Hugonem Senonensem^g epistola, in qua sibi imputari ait, quod stando pro Petro de Tornella civile jus & naturale violaret; quod carnem suam contra canones & evangelium diligeret. *Carnem quidem meam, inquit, diligo, sed post spiritum carnem diligo, sed secundum Apostolum.* Ad quod ejus æmuli: *Nos, inquit, diligendam carnem concedimus, sed non contra justitiam. Adversatur autem prorsus justitiæ adulterium, sive incestus.* Et ille: *Nihil verius: sed ego incestum ignoro, matrimonium legitime factum agnosco. Convocavi namque seniores, quos conjunctim & separatim, publice & privatim diligentissime examinavi; nec impedimentum conjugii advertere ex verbis eorum potui. Testes quoque qui nunc proferruntur, alter est minus idoneus propter apparens odium, alter propter causam reticendus usque ad suum locum.* Ceterum ex verbis superioris epistolæ haud obscure intelligitur, Alanum sententiæ suæ defectum agnovisse. Sed hæc ex abundantia.

In Nortmannia Johannes Romanus, qui Romæ a puero monachus sancti Sabæ fuerat, & post abbas S. Mariæ in Capitolio Romano, ac demum relicta abbatia Becci monachus factus erat, hoc anno Romam profectus est; indeque revertens, caput beati Felicis martyris, socii sancti Audaæti seu Audaæti, secum retulit, ac Becci reposuit, ut scribit Robertus de Monte, alias de Torinneio, qui tunc & ipse Becci monachus erat.

CXCVI.
Res Beccenses illustres & Pratellenses.

Tunc etiam Michaël, ejusdem loci asceta, S. Petri de Pratellis abbas factus est post Raynaldum qui hoc anno decessit, pridie nonas Martii, sepultus Fontanellæ,

ANN. CHR.
1152.

inde assumtus fuerat. Michaël ejus successor in festo sancti Thomæ electus est, præfuitque Pratellis annis sexdecim. Hic post biennium benedictioni Roberti de Torinneio abbatis S. Michaëlis de Monte interfuit. Anno insequenti Gualerannus comes de Mellento, *residentibus in curia sua apud Brionium domino Rothbroth venerabili Ebroicensi episcopo, & domino Rogerio abbate Becci, & honorabili Michaële Pratellensi monasterii patre, atque domino Roberto de Novo-burgo*, pro requie animæ patris sui, & pro incolumitate filiorum suorum Roberti & Gualeranni, filiarumque suarum, donat decimam *des-estais*, id est de stallis, Pontis-Audomari, &c. Eodem Michaële abbate illustres viri nonnulli Pratellis monachi facti sunt: in his Robertus filius Alberti de Turvilla; Henricus de Pratea in extremo morbo, sic enim hæc verba interpretor, *Henricus de Pratea melioris vitæ viam ingrediens, sanctitatisque habitum suscipiens*, quamdam donationem fecit. Idem præstitere filii Roberti Columbelli de Hispania^{*} cum Helvide matre sua, cum Gisbertum fratrem suum Deo ibidem obtulerunt.

Hoc etiam anno, teste Roberto de Monte, Johannes monachus Sagiensis sit secundus episcopus insulæ Meram seu Monæ, quæ sita est inter Angliam & Hiberniam, sed Angliæ propinquior: unde ejus episcopus subjacet archiepiscopo Eboracensi. Primus illius episcopus fuerat Wimundus monachus Saviniensis in Nortmannia, sed propter suam crudelitatem privatus oculis & expulsi. De hac insula fuse agit Spedus in suo Theatro Britannicæ, sed de episcopali ejus sede omnino silet, quæ forte non diu duravit: tamen hæc insula suos quondam reges habuerit.

Ad hunc annum prædictus Robertus observat, tunc in Guallia quatuor existisse episcopatus, in Anglia septemdecim. In octo eorum esse monachos in episcopatibus sedibus; in aliis octo canonicos sæculares, in uno canonicos regulares. Ideo vero monachos in tot episcopatibus ecclesiis fuisse, quia primi prædicatores Anglorum, Augustinus, Mellitus, Justus & Laurentius monachi fuerunt.

Eodem anno Johannes Paparo cardinalis, in Hiberniam legatus, cum Christiano episcopo Lisnoriensi, ordinis Cisterciensis, concilium habuit in monasterio Mellifontis, cui concilio interfuere reges, episcopi, abbates & proceres Hiberniæ: quorum assensu constituti sunt in Hibernia quatuor archiepiscopatus, Armachanus scilicet, Dublinensis, Cafaliensis, & Tuamensis. Harum sedium archiepiscopis pallium concessum, quod Malachias tantopere desideraverat. Johannem Paparonem laudat Bernardus in epistola CCXC.

Revertor in Franciam, ubi Adelhaidis regina, Ludovici Grossi quondam conjugis, extremos vitæ suæ dies piis operibus exercebat. Jam ante annos quatuordecim in Monte-Martyrum apud Parisios virginum^a monasterium extrui curaverat: postmodum vero prope Compendium, quod ipsi dotalitio jure a Ludovico rege concessum fuerat, aliud item sanctimonialium asceterium instituere cogitavit. Erat in silva Cotia^{*} Compendio proxima quidam locus, *Domus-regis* vulgo appellatus, forte quod illic Francorum reges inter venandum interdum subsidere consueverant. Hunc locum Ludovicus Grossus olim canonicis regularibus S. Quintini apud Bellovacos, seu ecclesiæ S. Hadriani Bestiicacensi, quæ ab eis pendebat, dono concesserat: quem cum virginum secessui aptum Adelhaidis crederet, facta permutatione ab illis canonicis comparavit, & in monasterium virginum sub patrocinio beate Mariæ & sancti Johannis-Baptistæ convertit, quæ jam juxta hunc locum domicilia habebant. Hæc permutatio hoc ipso anno facta est, probata ab Ansculfo Sueffionum episcopo, in cujus diœcesi locus iste positus erat. Utraque ejus rei litteras in Appendice videre licet. Biennio tantum superstes fuit Adelhaidis, anno MCLIV. mortua, quæ in monasterio Montis-Martyrum ab se condito sepulta est. Hinc male dotata remansit nova illa domus: cujus inopiæ compassus Ludovicus Junior, angustia *feminarum pauperrimarum* cognita, eis concessit decimam panis & vini sui, *quotiens Compendii, Vermeriæ^{*}, Bestiaci^{*}*, ubi regum palatia proxima erant, *siue etiam in foresta* esset. Hanc donationem confirmavit Philippus-Augustus ejus filius, addita etiam simili decima, dum *apud Petram-fontem^{*} in domo sua*, quæ non longe aberat, consisteret. Idem post id tempus statuit Ludovicus Hutinus, dum in castro Cauciaci moraretur, dato præcepto *apud Villam-Colli-resti^{*} anno Domini MCCCXV. mense Novembri.* Ubi observare juvat, Ludovicum Juniorem fortasse primum esse ex nostris regibus, qui ejusmodi pium opus instituerit, quod etiam præstitit sanctimonialibus Hederensibus & aliis, ut in superioribus vidimus.

^{*} Epagne propæ Pratellum.

CXCVII.
Johannes ex monacho Sagiensis episcopus.

Britannia majoris episcopatus.

CXCVIII.
Adelhaidis regina virginum cœnobium in silva Cotia extruit.
^a lib. 78. n. 126.
^{*} La forest de Cuisse.

^{*} Verberie.
^{*} Bestizy.

^{*} Pierre-font.

^{*} Villers-Ce-terest.

ANN. CHR.
1152.
CXCIX.
Abbatissæ pri-
mæ ejus loci.

Prima sancti Johannis loci abbatissa fuit Roscelina, forte assumta e Monte-Martyrum, ubi Adelaidis regina, ut jam dixi, puellare coenobium construxerat. Sub Roscelinæ regimine, quod ad triginta fere annos productum est, magnopere crevit sanctimonialium numerus: adeo ut Ludovicus Junior vetuerit, ne ulla ibidem amplius admitteretur, donec earum numerus ad quadraginta redactus esset. Roscelina certos redditus ad vestimenta fororum assignavit, eo pacto, ut corporalem disciplinam in commemoratione omnium defunctorum exciperent, eodemque die totum psalterium recitarent. Roscelinæ abbatissæ S. Johannis-Baptistæ in Domo-regis de Cotia seu de Cusia Alexander III. omnia ejus loci bona confirmavit anno MCLXXV. & post eum Lucius III. Roscelinæ successit sub annum Christi MCXC. Petronilla, quæ consimile privilegium a Cælestino III. consecuta est. Præfuit usque ad annum sequentis sæculi saltem vicesimum-tertium, eamque Marcella abbatissa subsecuta creditur. Aliarum abbatissarum nuda nomina, quarum nec satis certum est tempus, referre non est nostri propositi. Ejus loci sanctimoniales Benedictinæ, cum in loco non satis tuto consistere viderentur, jussu regio translata sunt anno MDCXXXIV. ad Regalem-locum prope Compendium, ubi prioratus erat Ordinis Vallis-scholarium canonicorum regularium S. Augustini, qui ad illud S. Johannis monasterium migrarunt. In Regali-loco hætenus perseverant virgines Benedictinæ, quæ illic accuratam regulæ disciplinam & abstinentiam servant.

CC.
Romaricensis
parthenonis
status & abba-
tissæ.

Romaricense in Vosago monasterium non leve, tam in temporalibus, quam in spiritualibus detrimentum pertulit, cum scilicet monachorum directioni nuntium remiserunt. Primo enim monasterii ædes incendio conflagrarunt: quarum ad instaurationem Callistus II. fideles omnes litteris excitavit, ad porrigendas hujus monasterii monialibus adjutrices manus sub spe emendationis, quam forte illæ pontifici promiserant: quæ tamen, aiunt earum visitatores, non est subsecuta. Sanctimonialium tamen habitum & regulæ S. Benedicti professionem, sed non observationem tunc retinuerunt; idque patet ex diplomate Lucii II. inscripto, *Dilectis in Christo filiabus Judith abbatissæ Romaricensis monasterii, ejusque sororibus, tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis*, non canonicalem: quo diplomate inter alia statuit pontifex, ut abbatissæ electio fiat *secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam*.

Judithæ tempore multa eidem ecclesiæ gravamina intulit Matthæus dux Lotharingæ: qua de re illa querelas apud Eugenium III. deposuit, qui illius causæ cognitionem Hillino Trevirorum archiepiscopo demandavit. Hoc mandato accepto, Hillinus coram episcopis, abbatibus & principibus illius regionis, præsentem Matthæo duce, hanc causam examinavit ac denique definivit. Hillini hac de re litteræ sic incipiunt: *Hellinus Dei gratia Trevirensis archiepiscopus, dilectæ filiæ Judith eadem gratia abbatissæ Romaricensis & sororibus in perpetuum. Querimonias tuas contra ducem Matthæum, jam per tempora multa agitata, & tandem secundum præceptum domini papæ coram episcopis, & abbatibus, & principibus terræ a nobis diffinitas, utile duximus tibi & ecclesiæ tuæ sigillo nostro, & auctoritate tam nostra, quam suffraganeorum nostrorum diligenter munire*. In primis statuit Hillinus, ut Romaricense capitulum liberam abbatissæ electionem habeat: cujus electioni dux ce-lerem præbebit assensum, salvo jure suo. Si vero persona electa postmodum ecclesiæ inutilis futura sit, ipsa voce capituli, qua constituta est, deponetur. Multa deinde statuuntur de beneficiis & prædiis in feudum non dandis; de advocatis & placitis ducis, ejusque procuracionibus. Tum sancitur, ut, si forte dux aut ejus advocati in aliquo pacem istam infregerint, nisi admoniti intra sex septimanas satisfecerint, ex præcepto domini papæ anathemati subjacebunt. Testes Stephanus Mettensis, Henricus Tullensis & Albero Virdunensis episcopi: tum post dignitates ecclesiæ S. Petri Trevirensis Sigerius abbas S. Maximini, Bertolfus abbas S. Eucharium, Richardus abbas de Sprinckbach. Dein majores canonici ecclesiæ Mettensis; tum Willhelmus abbas Gorziensis, & Manegaldus^a abbas S. Michaëlis ad Mosam. Ad hæc ex ordine Cisterciensi Rannulfus abbas de Claustro, Rainardus abbas Morimondensis, Milo abbas de Crista, Odo abbas Belli-prati, & Richardus abbas de Vallibus. Succedunt nobiles & milites, Henricus dux de Lenburc, Henricus comes de Namur, Henricus comes de Salmes, Fridericus comes de Viann, Gofu-

^aV. supra n. 114

nus comes de Facermont, Folmarus comes de Cast. Albertus comes Chiniacensis, Conradus comes Salvagii, Ulricus comes de Aira. Postremo homines de familia S. Petri, scilicet Trevirensis, post quos Roricus abbas Calmosiacensis, Durannus abbas Belli-campi. *Actum autem est hoc anno ab incarnatione Domini MCLII. epacta XII. indictione XV. concurrente II. Data Treviris per manum Hellini Trevirensis archiepiscopi XVII. kal. Septembris*. Hellinus seu Hillinus hoc primum anno Trevirensis adiit sedem post Alberonem.

In Prumienfi agri Trevirensis monasterio tunc florebat Potho presbyter & monachus, cujus libri quinque de Domo-Dei in Bibliotheca Patrum habentur, hoc ipso anno scripti, ut ex ipsius idiographo exemplo Alexander Brassicanus retulit in hæc verba. *Hoc anno, quo mortuus est rex Conradus, hoc est MCLII. ego frater Potho indignus presbyter Prumienfis, ad contemplandum decorem Domus-Dei mentis oculos attentius sublevans, de statu ejusdem Domus-Dei, quantum in ipsum intellectu perspicere mihi datum fuit, secundum exemplar celestium præsens opusculum scribere aggressus sum*. Hoc opusculum in libros quinque partitus est, eosque direxit Eugenio III. quem libri primi initio, & sub medium libri tertii compellat.

CCI.
Pothonis monachi Prumienfis libri de Domo-Dei.

In primo libro agit de dispositione, constructione, & venustate, ut ipse loquitur, Domus-Dei, id est ecclesiæ, cujus pacem suo tempore valde turbatam esse dicit, necnon cujusque animæ fidelis, cujus initia & progressus ad perfectionem pie quidem & erudite, sed abstracte describit. In secundo libro ab interioribus ad exteriora progreditur, ubi sacrificia veteris legis comparat cum sacrificio novæ legis, in qua præter unum verum, summumque sacrificium, quod secundum ordinem Melchisedech in consecratione eucharistiæ offerimus, nullum aliud munus præstantius altari sancto superponi asserit. Post hæc de spiritualibus sacrificiis agit, in quibus præstantissimum esse dicit jubilationis publicæ sacrificium, quæ secundum Psalmistam beatum populam facit. Dein quo pacto rebus exterioribus utendum sit docet, ut scilicet animæ, rebus sensibilibus, ad quas per instrumenta sensuum descendit, non inhæreat; sed eis ad invisibilia Dei contemplanda utatur, id est ad interiora redeat, ubi quiescentis domus est: in qua lectio & meditatio necessaria. In tertio libro agit de exterioribus exercitiis, quæ instrumenta boni esse dicit, at non propter se faciendæ, sed propter alia majora bona: ut scilicet *carnis nostræ substantia, quo fit afflictior, eo fiat spiritus purgator. Verum, ait ille, nos virtutum instrumentis corporalis laboris exercitio utimur: majora autem caritatis lucra, quæ perfectam conferunt vitæ puritatem, assequi negligimus...* Unde nec ipsi in ea, id est domo nostra, quieti manere possumus: sed curiositate ducti foras egredimur, exterioribus occupamur, cum corporalibus monasticæ disciplinæ observantiis tantummodo inhæremus, habentes quidem formam pietatis, virtutem ejus ignorantes. Ex illa vero exteriori tantum superficie quanta in ecclesiasticis dignitatibus mala oriuntur, postea docet Potho: Unde sic concludit: *Nemo qui se fundit exterius, qui se curis vitæ hujus & terrenis occupationibus inserit, proficere valet in spiritualibus*. Tum subdit; sic tenendam unicuique ordini suam disciplinam, ut universalem tamen non omittat. Unde monachos, qui regulam propriam habent, canonibus nihilo minus subiectos esse debere probat. Ubi Romanæ ecclesiæ in faciendis decretis auctoritatem extollit, & dispensandi potestatem in Romanis pontificibus, qui in hoc aliis pares esse voluerunt, quod non tam novæ institutionis auctores, quam veteris executores esse voluerunt. In fine libri monachorum sui temporis (quod utinam nostro non conveniret) præpostera studia deplorat, qui in corporalibus quidem observantiis laborem habebant majorem, in spiritualibus vero fructum consequerentur minorem. Denique augmentum divinatorum officiorum arguit, & novorum festorum institutionem, scilicet sanctæ Trinitatis & transfigurationis, quæ ante id tempus non ubique recepta erant. Sed præ his improbat festum conceptionis sanctæ Mariæ, quod a quibusdam tunc adiciebatur, ut de ecclesia Lugdunensi superius vidimus. Sed tamen, *Nos in his omnibus, inquit, devotioni fidelium minime derogamus, dum rationem querimus, qua rationabile obsequium nostrum offerre Domino debemus, ne forte a recta via deviantes, præsumptionis spiritu seducamur*. Denique in duobus sequentibus libris ad exemplum hujus terrestris domus proponitur celestis domus, ad cujus exemplar nostra conversatio informetur. His quinque libris subjicitur libellus alter de Domo sapientiæ, quæ per creationem & incarnationem facta est.

ANN. CHR.
1152.
CCII.
Fundatio cellæ
de Verno seu
de Vere.

[Normannus Andegavenſis epiſcopus, qui Ulgerio ſucceſſerat, nec minori monachos Majoris-monasterii proſequatur benevolentia, hoc ipſo anno *eccleſiæ ſancti Martini Majoris-monasterii, & fratribus ibidem Deo ſervantibus, quos ob religionis ſanctæ privilegium, quo ſpecialiter polleat, & quia boni edificatores & propagatores ſui ordinis exiſtunt*, ſingulari complectebatur caritate, eccleſiam S. Gervalii de Verno perpetuo habendam & tenendam juſte & canonicè donavit: ita plane quod liberam habeant poteſtatem præſentandi præſbyterum, ſalvo tamen jure Andegavenſis eccleſiæ. Hac donatione in eccleſia S. Albini de Pomeriis facta, cum anulo ſuo Bermundum Majoris-monasterii priorem, aſſenſu Stephani archidiaconi ſui nepotis & Hugonis archipreſbyteri reſteſtavit. *Actum anno ab incarnatione Domini MCLII. indictione V.* Quam donationem, quæ abſente Stephano nepote Normanni, qui tunc ſtudiorum cauſa Pariſiis verſabatur, facta fuerat, poſtea confirmavit, uti & Anaſtaſius IV. papa. *Datum Romæ apud S. Mariam Rotundam VII. kalendas Novembris.* Succellu vero temporis cella de Verno unita fuit prioratu de Viridario, dicto S. Eligii, & poſtmodum ſeminario Andegavenſi attributa.]

[Eodem anno Hugo archiepiscopus Rotomagensis, laudatis Majoris-monasterii monachis, quod eorum *converſatio inter ſerpentes & ſcorpiones approbabilis* inveniat, *ut quæ Dei ſunt & religionis in medio eorum attentius conſervent, & ad eos divertentibus pro facultate a Deo conceſſa viſcera caritatis promiſſime* aperiant, decimas plurium eccleſiarum ſibi a diverſis hominibus remiſſas conceſſit Majoris-monasterii fratribus cellæ Verliaci. *Datum Rotomagi anno ab incarnatione Domini MCLII. regnante in Francia rege Ludovico, principante in Normannia duce Henrico.*]

In Italia Oldrius^a Caſaurienſis abbas ſanctæ memoriæ hoc anno animam Deo reddidit pridie idus^b Decembris, cum locum illum annis viginti-quinque & octo menſibus rexiffet, ſepultus in capitulo *ante majeſtatem* ſeu ſtatuum *noſtri Salvatoris*. Poſt ejus obitum, cum fratrum ſtudia in Leonatem monachum, genere, moribus & ingenio præſtantem, quippe qui ſolus monasterii libertatem tueri valebat, inclinarent; ejus electioni obſtitit Boamundus Tarſitanus, qui tunc Manuplennem comitatum, terram videlicet ipſius Leonatis conſanguineorum, regis Rogerii dono poſſidebat: veritus, ne ipſum comitatum, ſi abbas eſſet Leonas, amitteret. Itaque ſatis egit, ut alter ex eadem congregatione, Conſtantine nomine, eligeretur. Verum Eugenius papa, ubi id contra Leonatem, quem ſubdiaconum ordinaverat, factum reſcivit; Conſtantini electionem caſſam reddidit, permiſſitque fratribus eligendi quem vellent liberum arbitrium. Interim mortuo Eugenio ſucceſſit poſt Anaſtaſium Hadrianus IV. cui comes Boamundus familiaris erat; ejuſque favore conſiſus, Conſtantinum in ſedem abbatialem intruſit. quod Hadrianus miſſis litteris magnopere improbat, reprehenditque impudentiam comitis, præcipiens ei ſub anathemate, ne fratres ulterius cauſa electionis fatigaret. Cum hæc ita ſe haberent, rex Rogerius juſſit fratribus, qui ad ipſum in Siciliam perrexerant, ut, quia de ſuis quem vellent abbatem habere non poterant, eligerent ſaltem unum ex alienis monaſteriis, ex quibus tria eis assignavit, quæ habitu & vitæ genere multum a Caſaurienſi institutione diſſidebant. Verumtamen, quia fratres ejus mandato repugnare non poterant, unum e fratribus Sacri-montis, quod forte Baſilianorum in Apulia monaſterium erat, Rogerium nomine, poſtularunt. At eum rejecit Hadrianus. Itaque videns Boamundus, quod nihil proficeret, timenſque ne tandem Leonatis electio prævaleret, apertas in Caſaurienſes violentias exercuit, prædia eorum & poſſeſſiones invaſit, facto juramento, Leonatem, quamdiu ipſe comes foret, abbatem non futurum. Inter ea moritur rex Rogerius, ejuſque filius ac ſucceſſor Roberto de Baſſa-villa comitatum Torotelli conceſſit. Ille vero non modo vicinas terras occupavit, ſed etiam monaſterium ſancti Clementis, cujuſ homines & quosdam e fratribus ſibi fidem obſtringere coëgit. quod rex Willelmus valde improbat, ipſumque Robertum ab hac invaſione reſilire juſſit. quod ille indigne ferens, in Willelmum rebellavit, & terras circumquaque invaſit. Hujus violentiæ cum reſiſtere vellet comes Boamundus, ad ultimum cedere coactus eſt. quod ubi adverterunt illi, qui ab eo de comitatu Manuplenni fugati fuerant, ſua repetere cœperunt, & comitem expulerunt; eoque fugato, Caſaurienſes Leonatem abbatem adoptarunt, iſque juſſu Hadriani IV. qui Anaſtaſio ſucceſſerat, injunctum ſibi officium ſuſcepit, & ab eo Beneventi conſecratus eſt, & immunitatis ac libertatis privilegium adeptus eſt.

CCIII.
Oldrio abbat
Caſaurienſi
mortuo, rixa
de ſucceſſore.
^a V. lib. 77. n.
94.
^b Spicil. to. 5.
p. 499. & ſeqq.

Paullo ante obitum Conradus imperator Rogerio Sicilia regi bellum inferre moliebatur: ſed, ne id exſequeretur, morte interceptus eſt non ſine ſuſpitione veneni, ipſo Rogerio, ut fama erat, ſuadente, a medicis propinati. Dum id conſilii animo agitare Conradus, Petrus Venerabilis Rogerio ſcripſit^a humaniſſimas litteras, quibus ſuum in illum affectum teſtatus eſt, ac mœrorem de morte ejus filiorum, & de diſcordia, quæ ipſum inter ac Romanorum imperatorem orta erat. *Audientes, inquit, obitum filiorum veſtrorum valde doluimus, & tam pro ſoſpitate veſtra, quam pro animabus illorum miſſus celebrari, orationes ad Deum fundi, elemoſynas fieri in conventu noſtro præcepimus. Non ſolum autem nunc, ſed & ſæpe diebus ſolemniſſimis & majoribus capitulis noſtris inter alios reges, amicos & benefactores noſtros, veſtri memoriam frequentamus. De cetero notum facimus regiæ magnitudini veſtræ, nos multum dolere de inimicitiiſ, quæ inter vos & dominum regem Teutonorum, ſeu imperatorem Romanorum verſantur. Multum enim tam ego, quam multi alii, diſcordiam illam ſentimus obeſſe regnis Latinis, & chriſtianiæ fidei propagationi. Tum ſubdit, hanc diſcordiam ſibi, omnibusque Gallis eo acerbiorẽ videri, quod obſtaculo futura ſit, ne Rogerius ulciſcatur factam a Græcis peſſimam, inauditam & lamentabilem de peregrinis noſtris, id eſt exercitu Dei viventis, proditionem. Neminem quippe eſſe, per quem tam bene & efficaciter, ſicut per illum, opus hoc tam ſacrum, tam cælo & terræ optabile, poſſet impleri. Ad ſe quod attinet, ſi neceſſe eſſet, quantum ad monachum pertinere poſſet, non recuſarem, inquit, mori, ſi moriem tantorum, tam nobilium, immo pene totius Galliæ & Germaniæ, miſerabili fraude exſtinctum florem, juſtitiæ Dei per aliquem ſuorum dignaretur ulciſci. Addit ſe paratum eſſe pro jam dicta pacis cauſa imperatorem adire, & de pace cum eo reformanda & confirmanda tractare. Sic Petrus ſuum de tot chriſtianorum nece dolorem teſtatur: at nec Conradus ſatis vixit, ut pacem illam reformaret; nec Rogerius, qui non integro anno ſupervixit Eugenio papæ, de cujuſ obitu mox agendum.*

Forte per id tempus accidit, ut S. Deodati in Voſago collegiatæ eccleſiæ decanus, letali morbo decumbens, religionis monaſtica votum feciſſe diceretur; adeoque hanc profiteri teneretur. Ille vero id a ſe factum negabat; aut, ſiquidem id feciſſet, ſui compotem non fuiſſe; ac proinde hoc religionis voto non eſſe obſtrictum. Ea re ad Eugenum per quemdam S. Deodati canonicum relata, reſpondit pontifex in hunc modum.


Eugenius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Hæ. decano & canonicis Tullenſis eccleſiæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Veniens ad apoſtolicam ſedem latoꝝ præſentium J. eccleſiæ ſancti Deodati canonicus in audientia noſtra expoſuit, quod A. decanus ſuus, ... eum ad religioſam vitam propter hoc debere tranſire contendit, quoniam ipſum ægritudine laborantem aſerit hoc in ſua præſentia promiſiſſe. Iſte vero firmiter aſſeverat, quia ſe hoc promiſiſſe non recordatur; vel, ſi promiſiſſe, ita erat, ut ipſe aſſerit, a proprio ſenſu alienatus, ut quod ageret præ nimia ægritudine ignoraret, & neque conſuſ eſt, neque habitum religionis aſſumſiſſe. Sane ſi ſuggeſtio hujus veritate ſuſſiſt, non videtur quod tranſire ad artiorẽ vitam ex tali ſit promiſſione cogendus. Rei veritatem diſcretioni veſtræ tranſmiſimus inquirendam, per præſentia vobis ſcripta mandantes, quatenus iſto & illis, qui ei ſuper hac re calumniam inferunt, ante veſtram præſentiam evocatis diligenter id examinare curetis: & ſi ſuggeſtionem hujus inveneritis veritate ſulciri, abſolutum eum ab artiori vita, ex illa promiſſione decernatis habendum. Data Romæ apud ſanctum Petrum XI. kal. Martii.

Quid ea de re ſtatutum ſit, non intereſt ſcire: ſed hoc Eugeni reſcriptum hoc loco referre viſum eſt aliquod operæ pretium.



ANN. CHR.
1152.
CCIV.
Petrus Venerabilis Rogerio regi ſcribit.
^a Petr. Ven. lib. 6. ep. 16.

CCV.
Monastica religionis votum in extremis quo pacto ratum eſſe debeat.



ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER OCTOGESIMUS.

Ab anno Christi 1153. ad annum 1158.

ANN. CHR.
1153.
I.
Eugenius III.
obit, succedit
Anastasius IV.
a Inter Bern.
ep. 437.



ANN o subsequente illius sæculi quinquagesimo-tertio ingentem ecclesia jacturam pertulit ex morte Eugenii III. & Bernardi abbatis Claræ-vallensis. Prior ex hac vita ad immortalem transiit Eugenius octavo idus Julii : de cujus obitu epistolam Gosuino Cisterciensi abbati, Bernardo totique capitulo Cisterciensi scripsit ^a Hugo cardinalis, qui ex eodem ordine ad episcopatum Ostiensem promotus fuerat. *Pater noster*, inquit, *ac defensor, felicitis memoriæ papa Eugenius, trabea carnis exutus, VIII. idus Julii carne immaculatus transiit ad Christum*, scilicet in urbe Tiburo*, ex qua ejus corpus Romam reportatum, in Vaticano sepultum est. Id accidit paulo post quam Romanos sibi reconciliaverat Eugenius, & senatus auctoritatem fregerat : & tamen ejus *exsequia*, ut subdit Hugo, *præter spem omnium (jam fere enim senatum adnihilaverat) præter morem consuetum, ita per biduum sunt a clero & populo celebrata, ut jam crederetis regnantem in cælis, qui mortuus ita colebatur in terris. O quantus erat luctus omnium ! quanta præcipue lamenta pupillarum & viduarum ! Jam diceretis esse cum Deo, qui ita lamentabatur a populo... Vos autem, de quorum collegio ipse est electus, ut sederet super principes & solium gloriæ teneret, orate pro eo, constituite perpetua beneficia; ut Deus sibi indulgeat, & coronam gloriæ sibi augeat.* Hactenus Hugo cardinalis. Breve ejusdem epitaphium refert Albericus in hunc modum.

*Hic habet Eugenius defunctus carne sepulcrum,
Cui pia cum Christo vivere vita fuit.
Pisa virum genuit: quem Claræ-vallis alumnum
Exhibuit, sacræ religionis opus.
Hinc ad Anastasii translatus mariyris ædem,
Ex abbate pater summus in Urbe* fuit.
Eripuit sollemne jubar, mundique decorem
Julius, octavam sole ferente diem.*

Inter ceteras ejus virtutes ea in primis celebratur, quod a muneribus abstinerit. quæ res, utpote rara, Terracinæ litteris quadratis lapidi insculpta est. Ejus beati-

* al. Orbe.

* Iivoly.

ratem quæ mortem subsecuta sunt miracula comprobarunt. Eugenio subrogatus est ad breve tempus Conradus Romanus, ex canonico regulari cardinalis episcopus Sabinensis, qui Anastasius IV. dictus est.

Unum ex postremis Eugenii diplomatis fuit illud, quod *Odoni abbati monasterii sanctæ Fidis Conchenfis* apud Ruthenos confirmat omnes ejus loci possessiones & alia jura. *Datum Romæ apud S. Petrum VII. idus Junii, indictione I.* hoc anno: cui diplomati novem cardinales subscripserunt. Paulo post idem pontifex bullam indultit ^a *Attoni abbati monasterii S. Benedicti de Saxo-Laterano* Clafinensis diocesis in Etruria, eique apostolicam tuitionem impertit, & bonorum confirmationem. Datum Romæ, apud S. Petrum idibus Junii, iisdem anno & indictione. Hoc monasterium, cujus incerta origo, postea S. Salvatori de Monte-Amiato unitum fuit, cujus modo nullæ reliquæ supersunt. Nunc eo loci opidum est, situm in Senensi territorio, Latronis-mons ab incolis appellatum. Porro Montis-Amiati monasterium sæculo sequenti transiit ^b ad Cistercienses.

Non una hæc fuit illo anno ecclesiæ plaga; sed alia non multo post ei accessit, & quidem gravior, ex morte Bernardi abbatis Claræ-vallensis, qui ipsum Eugenium & monachum & abbatem, & summum quoque pontificem qua verbis, qua scriptis informaverat. Cum annum vitæ sexagesimum-tertium expleret, qui assiduis corporis infirmitatibus jamdudum obnoxius fuerat, tunc gravioribus atteri cepit. *Corpus lectulo decubans*, ait Gaufridus, *variis exercebatur incommodis, animus nihilo minus tamen liber & potens, quæ Dei erant exercebat invictus; non cessans in mediis quoque doloribus meditari sacrum aliquid, aut dictare, orare effectuosus, fratres exhortari. In oblatione hostiæ salutaris, quam usque ad defectum ultimum vix aliquando intermisit, artus sibi vix coherentes vigore spiritus sustentabat, semetipsum pariter offerens acceptabilem hostiam Deo in odorem suavitatis.* Eodem tempore ad avunculum suum Andream, militem Templi, qui in Palæstina maxima columna habebatur, & ad eum scripserat, rescripsit ^c in hunc modum. *Litteræ tuæ, quas*

novissime transmisisti, invenerunt me in lectulo decubentem. Accepi eas obvius manibus: libenter legi, & relegi... Desideras me videre, & de meo, ut scribis, arbitrio desiderii tui pendet affectus. nam mandatum super hoc meum te indicas expectare. Et quid dicam tibi? Et cupio ut venias, & timeo ne venias... Unum dico: si venturus es, ne tardaveris: ne forte venias, & non me invenias. Ego enim jam delibor, nec puto me longum facere super terram. In fine Girardum, qui in domo sua, id est apud Claram-vallem, aliquando conversatus fuerat, & tunc episcopus Bethlehemitanus factus erat, *affectu magno devotissime salutavit.* Tunc etiam Bernardo & Gregorio cardinalibus in Germaniam ab Eugenio legatis scripsit ^d in gratiam Henrici Moguntinensis archiepiscopi, cujus depositionem Bernardi preces impedire non valuerunt. Varia fuere de eo auctorum judicia: sed ei parum favorabilis est Hildegardis ad ipsum epistola, nec certe Otto Frisingensis, qui eum *pro distractione ecclesiæ frequenter correptum*, per legatos prædictos depositum fuisse dicit. Verum Conradus episcopus in chronico Moguntino Henrici innocentie favet, Ottone quidem ut ætate, ita auctoritate inferior.

Dum lecto decumberet vir Dei, *gravis admodum plaga Mettensi populo supervenit*, quæ non ab alio, quam a Bernardo sanari posse videbatur. Mettenses a vicinis principibus laceffiti ad arma convolarant, sed multitudine oppressi, ad duo amplius millia cæsi fuerant, multaque ex eis præda facta. Hinc *vehementi indignatione concepta nobilis illa civitas*, ait Gaufridus, *totis ad ultionem viribus parabat: contra vero adversarios quoque, & fortiores copiosa præda & audaciora fecerat eventus.* Haud scio an Mettensis episcopus Stephanus his turbis immixtus erat, an reformandæ paci non satis idoneus erat. Ut ut est, Hillinus Trevirorum metropolitæ, cum toti provinciæ certam perniciem imminere videret, ad se pertinere existimavit, ut tanto discrimini obviaret. Hinc unicum in tanta necessitate refugium ratus esse virum Dei, Claram-vallem adiit; atque ipsius Bernardi & omnium fratrum vestigiis advolutus obsecravit, ut ille se tantis dignaretur opponere malis, quibus nemo alius modum imponere posse videretur. Forte vir sanctus melius tantisper, ut sæpe evenerat in similibus causis, se habebat. Ivit ille quo rogabatur. Ubi ad colloquium ventum est, residens in Mosellæ litore hinc inde partibus, adversa pars recenti victoria ferocior, pacem negare, viri Dei preces

ANN. CHR.
1153.

I.
Ejus privilegia
pro Conchis &
Saxo-Laterano
a Ital. sac. 10.
3. p. 728.

b *ibid.* p. 730.

III.
Bernardi extre-
ma facta & di-
cta.

c *Bern. ep.* 288.

d *id. ep.* 302.

IV.
Mettensibus
pax ab eo red-
dita.

ANN. CHR.
1153.

reicere, ac denique ipso insalutato recedere, non ejus contemptu, sed reverentia; ne tanto demum viro cedere cogentur. Ille tamen pacis spem haud dubiam retinet; Mettenses bono animo esse jubet. Nec diu tardavit effectus, nam prima subsequenti diei luce principes adversae partis redeunt. Tum de pace per dies aliquot tractatur: tandemque, *compositis omnibus, secundum quod fidelis arbiter definiit, datis sibi invicem dextris, reconciliati sunt osculo pacis*: quo facto, Bernardus rediit ad suam Claram-vallem, non amplius inde exiturus. Hic enim *viarum ejus finis beatus, & labor ultimus fuit: in hoc opere, non minus utili quam difficili, labores suos complevit.*

[Verum non admodum stabilis fuisse videtur illa pax, quae brevi infracta est, unde paulo post Stephanus episcopus aegrotans, consolationem a Wibaldo abbate Corbeieni quaerit. ^a *Nam, ut verum fateamur, inquit, quod per dominum Clarae-vallensem pro bono pacis & salute videtur esse dispositum, dolori nostro nullum remedium attulit: verum etiam mentem nostram graviori ulcere vulneravit. Quoniam tanti sceleris auctores de successu malitiae suae cornua assumentes, non solum impuniti evaserunt, verum etiam premium inde receperunt. Rogamus propterea fraternitatem vestram, ut quod modo nostrum tolerare est, illatum nobis, immo universae ecclesiae dedecus per dominum regem emendari faciatis.*]

Ubi extremum Bernardi morbum rescivit Ernaldus seu Arnaldus, Bonae-vallis in agro Carnuteni abbas, quaedam ad eum xeniola misit, & de morbo ejus, sed sine litteris, per nuntium sciscitatus est, quod argumento est, Ernaldum jam pridem viro Dei familiarem fuisse; uti praecipuis viris sui temporis, Arnulfo Lexoviensi episcopo, aliisque acceptissimus erat. Scripsit ad eum Bernardus, tamen in extremis positus, & quidem propria manu, quae ejus epistola extrema est, digna certe, quae hoc loco inferatur, sic autem habet.

Suscipimus caritatem vestram in caritate, & non in voluptate. Quae enim voluptas, ubi totum sibi vindicat amaritudo? nisi quod solum nihil comedere, utcumque delectabile est. Somnus recessit a me, ne vel beneficio sopiti sensus dolor umquam recedat. Defectus stomachi fere totum quod patior est. Frequenter, & in die, & in nocte, exigit confortari modico admodum qualicumque liquore; nam ad solidum omne inexorabiliter indignatur. Hoc parum quod dignatur admittere, non sine gravi molestia sumit: sed timet graviolem, si se vacuum omnino dimiserit. Quod si plusculum quid interdum admittere acquiescat, id gravissimum. Pedes & crura intumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere solet. Et in his omnibus, ne quid lateat amicum de statu amici sollicitum; secundum interiore hominem (ut mirus sapiens dico) spiritus promptus est in carne infirma. Orate Salvatorem, qui non vult mortem peccatoris, ut tempestivum jam exitum non differat, sed custodiat. Curate munire votis calcaneum nudum meritis: ut is qui insidiatur, invenire non possit, unde figat dentem, & vulnus infligat. Haec ipse dictavi, sic me habens, ut per notam vobis manum agnoscatis affectum. Verumtamen rescripsisse, quam scripsisse maluerim.

Hic tunc status erat tum corporis, tum animi viri Dei, qui magno spiritu vidit ultima. Quae inserit hoc loco Manricus^b ex Bernardo Brito de ducissa Lotharingae, olim a Bernardo conversa, cujus litteras nuntius ex Lotharingia veniens Bernardo jam moribundo attulerit, expectaret modicum, vel post se traheret ultro secuturam. Totum id, & quod sequitur de Bernardi vaticinio, ei se responsum daturum, si Deus dedisset; totum id, inquam, valde dubium est, tum quia levioris auctoritatis est auctor ille, qui solus id refert: tum quia Adelaidis ducissa tunc in Tarenti parthenone, ubi monacha erat, non in Lotharingia demorabatur; & adhuc in vivis erat, cum tertius vitae S. Bernardi scriptor Adelaidis conversionem multo post Bernardi obitum referebat.

Imminente jam tandem viri Dei obitu, ad ejus exitum convenere vicini quique episcopi & abbates, & fratrum copiosa multitudo. Hora diei fere tertia vir sanctus, inter circumstantium filiorum lacrymas & singultus, quos paulo ante monitis suis instruxerat, a corpore mortis in terram viventium feliciter Christo duce migravit XIII. kal. Septembris. Sacrum ejus corpus rite paratum & ornatum sacerdotibus indumentis, nova basilica necdum absoluta, oratorio beatae Dei-genitricis inferretur. Plurima quoque nobilium & ignobilium de vicinis quibusque locis gemebunda proximus turba convenit, & vallem totam ploratus & ululatus multus implebat. Amarius

^a Epist. 398. inter Wibald.V.
Ernaldo Bonae-vallis abbati ultimam epistolam scribit.

* i. scripsit.

^b Manricus hoc anno c. 7. n. 2.VI.
Bernardi obitus, sepultura & miracula.ANN. CHR.
1153.

zamen pro foribus monasterii lamentabatur sexus miserabilior mulierum, quod accedentibus ad beata vestigia viris, monastici ordinis disciplina inexorabiliter eis etiam tunc negaret ingressum. Biduo mansit in medio gregis pastor extinctus: quo temporis spatium ruens undique populi multitudo, pedes ac manus ejus osculabatur, panes, nummos, aliaque applicabat, servanda sibi pro benedictione, & variis necessitatibus profutura. Die tertia, post sacra missarum solemniam, prima luce ad turbam evitandam celebrata, sepultus est XI. kalendas ejusdem mensis ante altare beatae Dei-genitricis, cujus devotissimus cultor fuerat, apposita ad ejus pectus capsula, in qua beati Thaddaei apostoli reliquiae continebantur, Jerosolymis eodem anno ad se missa, quas suo corpori superponi praeceperat, ut eidem apostolo in die communis resurrectionis adhereret. Sacrum ejus corpus in praedicto remansit oratorio, quoad in novam basilicam illatum, ac repositum sub altari matutinali prope tumulum sancti Malachiae, excepto capite, quod in peculiari scrinio, uti & sancti Malachiae caput, repositum est.

[Hic praetere mihi religio est praclarum ejus elogium, quod eo adhuc vivente conscripsit Wibaldus abbas Stabulensis & Corbeienis in epistola^a ad Manegaldum scholae magistrum. *Est interdum, inquit, in ecclesia quadam opportunitas, in qua dicendi artificium irreprehensibiliter exercetur, & maxime in praedicandi officio. In cujus gratia principatu, meo quidem judicio, ponitur vir nostrorum temporum valde illustris, Bernardus Clarae-vallensis abbas. Oratorem non immerito dixerim, qui a rectoribus definitur, vir bonus dicendi peritus. Siquidem vir ille bonus longo eremi squalore & jejuniis ac pallore confectus, & in quamdam spiritualis formae tenuitatem redactus, prius persuadet visus, quam auditus. Optima ei a Deo concessa est natura, eruditio summa, industria incomparabilis, exercitium ingens, pronuntiatio aperta, gestus corporis ad omnem dicendi modum accommodatus. Non igitur mirum, si potenti tantarum rerum virtute excitat dormientes, immo & plus dicam mortuos, & Domino cooperante & sermonem confirmante, aiterat homines, & ad jugum trahit captivos, qui fuerant in curribus Pharaonis. Hunc tu vere dixisses eloquentem, qui non destruit opere, qui praedicat ore, qui non est intus Nero, foris Cato; quem si videas, doceris; si audias, instrueris; si sequare, proficeris.*]

Res admirandas a Bernardo gestas scribere alius post alium praecipui tresque auctores. Primus fuit Willelmus S. Theodorici abbas, qui Bernardo adhuc vivente primum de ejus vita librum scripsit, mortuus ante ipsum, ut superius^b dictum est. Secundum librum rogatu Clarae-vallensium paulo post ejus obitum composuit Ernaldus seu Arnaldus, Bonae-vallis in agro Carnuteni abbas, ad quem ille ultimam epistolam mox relatum scripsit. His duobus libris tres alios adjecit Gaufridus, ipsius Bernardi notarius, quem a suae conversionis anno circiter tertio-decimo mortuum luxit. Hic patria Autisiodorensis erat, in saeculo clericus & Petri-Abaelardi discipulus; mortuo Bernardo Igniaci primum, tum Clarae-vallis post Fastredum abbas ab anno MCLXI. ad quatuor annos: quibus exactis, a suis vexatus abbatiam dimisit. Idem epistolam^c de Bernardi obitu scripsit ad Eskilum Lundensem archiepiscopum; & sermonem de eodem, cum jam Clarae-vallis abbas esset. Mitto alios Bernardi vitae ejusque miraculorum scriptores, Alanum Autisiodorensis episcopum, Herbertum ex monacho Clarae-vallensi Turritanum in Sardinia archiepiscopum, & Johannem Erenaitam, de quibus omnibus, aliisque qui Bernardi miracula scriptis mandarunt, in novissima S. Bernardi operum editione actum est. Verum Gozevinus abbas, qui cum multis aliis ordinis sui abbatibus ad beati viri exsequias venerat, veritus, ne, crebrescentibus ad ejus tumulum miraculis, ex concursu populorum disciplina ordinis deperiret, mortuo ex obedientia interdixit, ne deinceps miracula faceret. cui mandato etiam mortuus paruit, nisi quod ordinis sui fratribus pro variis infirmitatibus ad se clamantibus non desuit. Ejus apud Claram-vallem successor fuit Robertus ex abbate Dunensi in Flandria, cui suffectus Fastredus, de quo inferius.

Hic agendum esset de praecipuis saltem Bernardi discipulis, & monasteriis ab eo erectis: at prolixior foret pro nostro instituto haec tractatio, quae ex Manrico, aliisque ordinis Cisterciensis scriptoribus repetenda est. Tantum ex Gaufrido hic observare licet, *amplius quam sexaginta monasteria* lineae Clarae-vallensis, tam per se, quam per suos discipulos, vel constructa, vel ordinata fuisse; & septingentos ejus

VII.
S. Bernardi elogium.
^a Epist. 147.VIII.
Vita ejus scriptores.
^b lib. 78. n. 143.^c Miscell. Barluz. to. 4. p. 453.IX.
Discipuli & monasteria.

ANN. CHR.
1155.

tempore apud Claram-vallem religiosos exstitisse, tam monachos quam conversos, quorum sedilia circiter quadringenta in navi superesse aliquando vidimus. In summa, ejus tempore abbatia in toto Cisterciensi ordine jam ad quingentas excreverant. quod in causa fuit, ut hoc anno in capitulo generali statutum sit, ut novae deinceps non conderentur. De sacro illo ordine hic afferre liceat quod in fermone de eo Gaufridus, ejus olim notarius, & tertius post eum abbas, optabat. *Utinam longo vivat tempore hujus beati Patris generatio, quam praesentialiter per evangelium genuit ipse, & saepius parturivit! Utinam ejus vestigia sic sequatur, ne (quod absit) adversus eam secutura posteritas causas habeat querelarum, quod declinantes cito a via vite, qua ostensa est eis, nec ipsi introierint, nec permiserint nos deinceps introire sequaces! Hoc enim erat, quod a vobis assumendus studiose monebat.* Hanc viam vitae nobis reliquit vir sanctus, tum in vita sua & exemplis, tum in purioris doctrinae pretiosissimis scriptis, quae illi merito hunc honoris titulum in ecclesia meruerunt, ut sanctorum Patrum ultimus, & theodidactus Doctor haberetur.

X.
Buxiae monasterium cedit Bernardus.

Paullo ante obitum vir Dei insigni facto ostendit, quam alienus a litigatione ejus esset animus. In dioecesi Engolismensi Clara-vallenses in loco, qui Buxia dicitur, monasterium construere coeperant, repugnantibus S. Amantii vicinis monachis, ad quos locus ille pertinebat. Querelam hac de re Petrus S. Amantii abbas movit apud Varnum, praesente Lamberto Engolismensi episcopo, & ex parte Dei & S. Amantii eis interdixit, ut nulla ibi amplius aedificia construerent, & inchoata relinquerent. At illi nihilo minus, Eugenii III. freti auctoritate, qui ex eorum numero ad summum pontificatum assumtus fuerat, per duos amplius annos praedictum locum retinuerunt. Lamberto episcopo interim mortuo successit Hugo, qui a Clara-vallensibus rogatus Buxiam accessit, ut coemeterium benediceret. Hoc audito, S. Amantii monachi statim adfuerunt, & quidquid ad benedictionem preparatum erat, dissipavere. Super hoc querimonia in vico S. Amantii facta est, ubi multi viri religiosi, tam abbates quam monachi, cum baronibus regionis convenerant. Tandem inter partes convenit, ut quidquid abbas Clara-vallensis de his decerneret, ratum haberetur. Sub hac conventionem Petrus S. Amantii abbas & monachi illi Clara-vallenses apud Claram-vallem conveniunt: ubi abbas Clara-vallensis, scilicet Bernardus, auditis utriusque partibus, locum illum Petro abbati restitui statuit, eo pacto, ut S. Amantii monachi Clara-vallensibus sexaginta marcas argenti, propter aedificia & cetera ibidem ab eis acquisita, persolverent. qua de re Bernardus litteras scripsit sub hac forma.

In nomine Domini, ego Bernardus, Clara-vallis vocatus abbas, notum volo esse, quod locum de Buxia, & quidquid in eo habebamus ex dono comitis Engolismensis, & ecclesiae Engolismensis & Petri Austensis, ecclesiae S. Amantii concessimus. Testes fuerunt Ugo Engolismensis episcopus, dominus Godefridus Lingonensis episcopus, dominus Junius abbas de Corona, frater quoque Philippus prior noster, & frater Girardus & frater Gaufridus monachi domus nostrae. Actum apud Claram-vallem anno ab incarnatione Domini MCLIII. Sic concordia inter utrosque a viro sancto pacis studio sancita est.

XI.
Cisterciensi capitulo scribit Hildegardis.

Hoc ipso anno patres capituli Cisterciensis ad Hildegardem Bingenensem abbatissam scripsisse dicuntur, eamque rogavisse, ut; *secundum quod Deus ei manifestaret, rescriberet eis, si quid esset in ordine, quod ei displiceret.* Ad quod, ut tradit Albericus qui haec refert, *in persona Domini nostri Jesu Christi Cisterciensi capitulo generali in haec verba rescripsit. Ego fons vivus dico ad illos, qui propter nomen meum tunica mea induti, peregrini sunt in venatione mundi: O quam plangendum & lugendum, quod calum ruptum est, & quod dies obscurus est! Nunc ergo denarius revocandus est in aurum vocis laudis. O filii Israel, quare corrumpitis dulcissimam caritatem, &c.* Hanc epistolam non invenio inter epistolas Hildegardis, sed aliam, quae scripta est ad *Griseos monachos*. quo nomine tunc donabantur aliquando Cistercienses monachi, quippe qui, dum iter agerent, griseo pallio viatorio utebantur, quale est illud S. Bernardi, quod in Victorina apud Parisios abbatia servatur. In illa ergo epistola ad *Griseos monachos*, quae prolixa est, quaedam eis monita suggerit, maxime de illis, quos ipsi *Conversos* vocant, quorum plurimi se ad Deum in moribus suis non convertunt. Hos corripiendos & corrigendos monet: *quia plurima pars eorum nec in die, nec in nocte operatur.* Dein carpit eos, qui in quadam altitudine, ut ipsis videtur, *sanctitatis* positi, ceteros spernunt, & inutiles reputant; & eos, qui nimium

ditefcere

ANN. CHR.
1155.ditefcere student. *Homines enim isti, inquit, calum & terram simul habere volunt, quod est impossibile.* Cetera praetereo.

Per id tempus Henricus Belvacensis praeful, regis frater, qui ex ordine Cisterciensi ad episcopatum promotus fuerat, in curia Romana male audiebat. quod Hugo Ostientis episcopus ejusdem ordinis Bernardo paullo ante ejus obitum litteris significavit. Ad quem Bernardus inter alia sic respondet. *De domino Belvacensi, quod primum posuistis, primum ita respondeo. Sui juris est: jam non est in mea potestate, sed in civitate vita ejus & conversatio. Si secus quam debet, vel decet, interdum agit; dolere possum, sed emendare, prout volo, non valeo. Verumtamen quod vobis suggestum est de vagatione ejus, nimium exstitisse in ea, usque adhuc nos non comperimus, nec inde notitiam apud nos quandoque audivimus. . . . Dabo tamen operam facere quod vultis de revocatione ejus, si quando honeste & opportune potuero: jamque fecissem, si cum pace episcopi potuissem, & non timuissem inutiliorem huic subrogandum. In quadragesima venit ad nos ipse episcopus, paratus ire ad curiam causa cujusdam appellationis; & venisset, nisi nos dissuasissimus. Porro dissuasione intentio fuit, quod non ita videretur esse paratus, sive in consilio, sive in comitatu, ut juvenis episcopi personam decuisset. Propositum tamen ejus est proficisci tempore opportuno. Frater vester est; facite cum illo misericordiam, ut adversarii ejus non praevalent adversus eum. Vellem vos ad ipsum potius, quam ad me scripsisset, & fratrem monuisse super his, quae de eo audistis.* Inter ea Henricus ipse scripsit ad Hildegardem abbatissam, ab ea preces & consilium exposcens sub hac inscriptione: *Henricus Dei gratia de Bevez solo nomine vocatus episcopus.* Ad eum rescripsit Hildegardis, referens visum, quod ipsi de eo ostensum fuerat. In fine illum monet, ut ne sit timidus de multis terroribus inimicorum suorum, qui nec bene, nec recte de eo loquebantur. quod ad superiora referri potest.

[Quid causae fuerit quod Romae male audierit Henricus, discimus ex epistola Eugenii papae ad Hugonem Rotomagensis archiepiscopum, quae sic incipit: *Veniens ad praesentiam nostram venerabilis frater noster Henricus Belvacensis episcopus, cum ab eo de statu ecclesiae suae sollicite quaereremus, nobis aperuit quod inter alia gravamina, quibus ipsa ecclesia perturbatur, quaedam beneficia denariorum, quae potius maleficia dicenda sunt, per illicitam largitionem praedecessorum suorum multis militibus atque baronibus sine utilitate ecclesiae concessa, invenit. Super quo habito prudentum virorum & nostro consilio, eadem beneficia ipsis militibus denegavit, & ad opus ecclesiae suae retinuit, propter quod milites ipsi, prout accepimus, adversus praedictum fratrem nostrum vehementer commoti, memoratam Belvacensem ecclesiam vexare & persequi comminantur.* Purgavit se facile ab objectis Henricus episcopus, qui omnia summi pontificis nutu fecerat & consilio. Postea ab onere pontificali solvi ab Eugenio postulavit, quod ille negavit. Vix autem Roma discesserat, reversurus in Gallias, cum tertio sui itineris die, litteras ad papam dedit, quibus instat absolvi ab episcopatu. at nihilominus flecti pontifex non potuit. Vide praefationem tomi 2. Amplissima Collectionis pag. 38. Redeo ad S. Hildegardem.]

Mirum est quanta cum fiducia & reverentia non modo episcopi, abbates, ceterique inferiorum ordinum homines, sed etiam summi pontifices, imperatores ac reges eidem Hildegardi scriberent, ut ab ea preces & consilium expeterent. Post Eugenium Anastasium IV. statim atque ad pontificatum evehctus est, litteras ad eam dedit, in quibus ei gratulatur, quod nomen Christi de die in diem in ea glorificetur. *Scimus etiam, inquit, quod pia memoria praedecessor noster, cui ad nutriendum sponsam Christi per divinam gratiam successimus, te multo affectu dilexit, amplexus est, & audivit: cujus & nos vestigia secuti, scribere tibi studuimus, & rescripta tua videre desideramus, &c.* Haec Anastasio papae magna cum libertate respondet, quem in fine sic alloquitur: *Tu autem, o homo, apparens constitutus pastor, surge & curre cuius ad justitiam, ita ut coram magno medico non accuseris, quod ovile ipsius a sorde non exteferis, nec oleo unxeris.* Eadem libertate scribit tum Hadriano IV. & Alexandro III. tum Conrado imperatori, ejusque successori Friderico, cujus schisma praedixisse videtur in epistola ad Conradum his verbis: *Postea pejora tempora venient, in quibus veri Israelitae flagellabuntur, & in quibus catholicus thronus in errore movebitur.* Haec erat omnium de Hildegarde opinio, ut etiam Jerusalem patriarcha ad eam scripserit, se a multis, qui sepulcrum Domini fre-

Annal. Bened. Tom. VI.

XXX

XII.
Henricus Belvacensis praeful male audit. a Bern. ep. 307.

b Ampliff. Coll. to. 2. p. 634.

XIII.
Hildegardis a summis viris quam honorata.

ANN. CHR.
1153.

quentabant, accepisse, quod divina virtus in ea & per eam operetur. Quin etiam quaestiones de scripturis sacris ad eam solvendae referebantur, quales sunt illae, quas Wibertus Gemblacensis monachus cum praescriptis litteris Villarensium in Brabantia monachorum & suis ei proposuit. Hic est Wibertus, qui postea Gemblacensis monasterii abbas factus est, ut inferius videbimus.

XIV.
S. Benedicti regulam exponit.

Eodem animo & studio adducta congregatio Hunniensis cenobii, eandem virginem rogavit, ut aliquid super regulam beati Benedicti patris nostri memoriale quoddam relinqueret, admodum ipsis necessarium. Dicimur enim, inquiunt illi, mendaces, perjuri, praedictae regulae transgressores, synodaliaque decretorum transgressores. Quod ideo maxime evenit, quia quisque praelatorum nostrorum, pro libitu mentis suae, iam instituta canonum, quam regulae despicit: ut, dum ipsi sibi sunt lex, secundum ejus regulae testimonium quod volunt, hoc dicunt sanctum; & quod nolunt, hoc putant non licere. Unde fit, quod omni vento doctrinae circumferamur, & valde praesumptionibus hominum aggravamur... ut tolerabilior sit conditio Judaeorum. Horum itaque rogatu beata illa virgo quadam regulae capita breviter exponit, exordium ducens a commendatione S. Benedicti, cujus doctrinae seu regulae nihil addendum, vel demendum esse dicit, quia ei nihil deest, quoniam in Spiritu sancto facta & completa est. Tum subdit, S. Benedictum primum esse, qui instabilem & incertam priorum monachorum vivendi formam ad certam regulam & normam reduxit. In hac vero expositione Hildegardis opinatur, S. Benedictum volatilium esum sanis non interdixisse. Nempe quia tempore suo, inquit, monachorum conversatio rudis & adhuc fere insolita fuit, esum carniū ipsi per omnia interdicerere devitabat. Unde, ut esu volatiliū uterentur, eis permittebat. Verum priscos illos monachos, qui S. Benedictum praecesserunt, ab esu etiam volatiliū, nedum quadrupedum, abstinuisse facile probari potest. Et certe, ut recte monet S. Hieronymus: Non ideo te carne vesci non putas, si suum agrestium, leporum atque cervorum, & quadrupedum animalium esculentias reprobos. Non enim haec pedum numero, sed suavitate & gustu comprobantur. Plura de his differimus in Annaliū nostrorum tomo secundo.

a Hieron. in ep.
2. ad Salvinianum.

b lib. 28. n. 58.

Hunniense illud cenobium cujus congregatio hanc expositionem ab Hildegarde flagitavit, forte ipsum est Henningense monasterium, quod Eunucho comes de Laningen haud procul a castro suo in Wormatiensi dioecesi anno MCXXXV. construere coepisse a Trithemio dicitur. Nec obstat quod ex eodem auctore Buggo Wormatiensis episcopus, qui illud post annos sex in honorem beati Petri apostolorum principis consecravit, primam canonicorum praepositum, Hartungum nomine, instituit. Etsi enim illud cenobium primitus canonicorum regularium fuerit, fortasse illi regulam S. Benedicti postmodum amplecti voluere, quod a praepositis suis nimium gravarentur novis institutis, seu, ut illi vocant, praesumptionibus hominum. Quas & beatus pater Augustinus, inquiunt, abhorrens, de eis sic religionem nostram quam paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis voluit esse liberam, adeo servilibus operibus premunt, ut tolerabilior sit conditio Judaeorum. Quae verba satis superque arguunt, Hunnienses illos fuisse canonicos regulares ordinis S. Augustini.

XV.
Elisabeth Schonau-
gientis ei scribit.

Florebat hoc ipso tempore Elisabeth Schonauigentis abbatissa in dioecesi Trevirensi, Egberti ejusdem loci abbatis soror, & ipsa revelationibus illustris. Haec in quamdam mentis perturbationem incurrit: quam cum Hildegardis divinitus cognovisset, Elisabetham litteris consolata est, qua de re haec ipsi gratias egit, fateaturque, se vere quamdam perturbationis nubem animo concepisse propter ineptos sermones populi, multa de se loquentis, quae vera non sunt. Sed vulgi sermones facile, inquit, sustinerem, si non & hi, qui in habitu religionis ambulant, spiritum meum acerbius contristarent. Nam & hi, nescio quibus stimulis agitati, gratiam Dei in me derident, & de his, quae ignorant, temere judicare non formidant. Audio & quosdam litteras, de suo spiritu scriptas, sub nomine meo circumferre. De die iudicii me prophetaisse diffamaverunt, quod certe numquam facere praesumsi, cum omnium mortalium cognitionem fugiat ejus adventus. Tum illius rumoris occasionem illi aperit, ut ipsi indicet, an temere quidquam hac in re fecerit, aut dixerit. Sicut per alios, inquit, audistis, magnificavit Dominus misericordiam suam mecum supra quam meruerim, aut mereri ullatenus possim, in tantum ut & caelestia quadam mihi sacramenta frequenter revelare dignatus sit. Dein subdit, Deum ipsi per angelum significasse frequenter, qualia super populū ventura essent suis diebus, nisi de peccatis pe-

ANN. CHR.
1153.

nitentiam agerent. Ego autem, ait, ut arrogantiam evitarem, & ne auctrix novitatum viderer, in quantum potui, omnia haec studui occultare. Quam ob rem se ab angelo objurgatam fuisse dicit, quod haec reticeret, & ab eo quinque flagello percussam, ita ut per triduum ex illa percussione languerit, & ad horam novam sequentis diei muta facta sit. qua hora magistrae innuerit, ut libellum revelationum suarum, quem in strato suo absconderat, ipsi afferret: hunc vero ad se allatum potuisse in manus domini abbatis, qui ad se visitandam venerat; tuncque solutam fuisse linguam ipsius in haec verba, Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Post haec abbatis sui consilio Deum multis precibus exorasse, an vellet ea praedicari, quae sibi per angelum revelata fuerant. quod cum ita Deum velle intellexisset, ea coram magistratibus & viris religiosis manifestasse: ex quibus quidam ea cum reverentia exceperint; alii irriserint. Hinc confictam a quodam abbatis sui nomine epistolam, terribilibus refertam comminationibus, missamque Coloniam, ubi audiente cuncto populo lecta sit. Haec illa praedicti rumoris occasio. Denique sibi angelum denuo apparuisse, ex quo intellexerit, Deum multorum poenitentia placatum esse. Cui illa dixerit: Quid ergo, domine mi, nonne ero in irrisionem omnibus, apud quos verbum hoc divulgatum est? at responsum sibi fuisse, ut haec patienter sustineret exemplo Domini, qui hominum irrisiones sustinuit. In fine Hildegardem rogat, ut ipsam hac de re consoletur. quod illa scripta ad eam epistola praestitit.

XVI.
Abbas multum
eidem Hildegardi scribit.

Multi etiam nostri Ordinis abbates eidem Hildegardi scripserunt, & ab ea preces & consilium petierunt. Nam, ut Cistercienses omitam, scilicet Eberbacenses duos & S. Anastasii abbatem; ad eam litteras dedere Cuno & Hallingerus S. Disibodi abbates, de quibus inferius; abbas Campidonensis, cujus nomen a littera H. incipiebat, forte Hatto, qui eam rogat, ut aliquid de statu, cum suo, tum suae ecclesiae, quae ipsi divinitus revelata fuerint, perscribat. Cui illa respondet, ut strenue contra diabolū decertat, qui mille artibus homines a bono faciendo deterret. Eidem quoque scripsit Adalardus abbas S. Martini majoris apud Coloniam, petiitque ab ea quoddam consolationis levamen contra interiores anxietates quibus premebatur. Eam quoque consuluit Conradus abbas de Keisheim, utrum ipsi utilis esset onus pastoralis curae deponere, an diutius ferre. Respondet illa, si nullum in suis fructum inveniat, satius esse ut abstineat a sua villicatione. Ratisponense S. Emerammi monasterium tunc procurabat Adalbertus, cujus tempore totum monasterium incendio consumtum est. Inter ejus monachos unus erat, qui de sua salute desperans, ab eo petiit, ut ad relevandas animi sui miseras Hildegardem adire, eamque consulere sibi liceret. Annuit petenti abbas, & cum litteris commendatiis eum ad Hildegardem misit. Illa vero abbatem monuit sollicitus esset, ut abigeret insidiatores ovium suarum, earumque vulnerum cicatrices curaret. Eidem Hildegardi itidem scripsit Hermannus abbas S. Mariae ad Martyres apud Treviros, ab ea postulans, ut a Deo petat sibi revelari, utrum in praedicatione animae suae salutem consecuturus sit, vel ab ea penitus absolvi satius sit. Respondit illa, se audisse vocem de eo dicentem: Vir qui in aratro & bubus in arida terra laborat, dicens ad seipsum: Hunc magnum laborem sustinere non possum, quia durus mihi est: & ita vadit ad inaquosa loca, ubi tamen sunt molles flores, sine labore hominum crescentes, qui etiam per inutiles herbas suffocantur, & dicit: Aratrum dimittam, & has inutiles herbas auferam. Quae utilitas in hoc est? Nunc tu, homo, vide, utrum ille probior sit, laborans cum utilitate aratri in terra; an cum eradicatione inutilium herbarum in floribus, &c. Ejusdem est argumenti epistola tum abbatissae S. Glodesindis Mettensis, cujus nomen a littera A. incipit; tum Elostatensis abbatissae, eodemque tendit Hildegardis ad utramque responsio. Sed de his satis superque satis.

XVII.
Wibaldus abbas Anastasio IV. de sua promotione gratulatur.

[Anastasio IV. electionem ubi audivit Wibaldus abbas Corbeiensis, non distulit ei gratulari & gratiam ejus deprecari, cujus cum adhuc esset cardinalis, familiaritatem expertus fuerat. Quapropter & praecipuo habuit in desiderio corporaliter ei statim exhibere praesentiam, ut certiore aliquo indicio filialem quam erga eum gerebat affectionem plenius intelligeret. at quoniam proxima expeditio Italica, quam praeparabat imperator, ab hac eum facultate retinebat, signis praesentibus & levi nuntio sanctitati ejus suam obtulit devotionem. Ex cujus litteris juvat hic pauca delibare. Siquidem a retro annis quinque & viginti vestram beatitudinem satis intima & familiari notitia cognovimus, & gratia vestra atque mihi pa-

ANN. CHR.
1152.

trocinio in omni causa seu privata seu publica, quam apud Romanam ecclesiam egimus, perfrui cum omni benignitate & efficacia meruimus. Inde est quod intolerabilis dolor, qui de transitu reverendi patris nostri, vestri utique prædecessoris, animam nostram sauciaverat, non parvo delinimento mitigatus est, cum ordinator temporum Deus vestram sanctitatem in ipsius cathedra beata successione sedere fecit, ut vita vestra inclita cunctas illustrare posset ecclesias, & nobis consueta misericordiae benignum tribuatis effectum. Repetimus enim a vestra celsitudine quodam pietatis jure familiarem gratiam, quam ab antecessoribus vestris longo tempore obtinuimus, ut liceat nobis absque presumptionis nota de sollicitudine, de statu regni aliqua intimare. Quod tunc confidenter facere incipimus, cum per sacratissimos apices vestros hoc facere admoniti fuerimus. ^a Scripsit eodem tempore & ad duos S. R. E. cardinales a legatione Germanica revocatos, Bernardum & Gregorium, quibus uni Corbeiensis monasterii, alteri Stabulensis res commendat apud papam, qui nos inquit a longis retro temporibus & novit & diligere dignatus est.]

^a Epist. 394.XVIII.
Duo cardinales scribunt in gratiam Corbeiensis monasterii.

[Hi sunt duo illi cardinales, qui adhuc in legatione Germanica positi, Odalrico episcopo Halberstadiensi scripsere, ut censuris ecclesiasticis compescat Luidolfum & Fridericum Palatinum parochianos suos, quos Wibaldus abbas Corbeiensis causabatur abstulisse sibi annonam, victualia & quasdam alias res, hominesque suos inquietasse: *At tua prudentia*, inquit, *ne tantus vir & ita domno papæ & toti regno acceptus in tua parochia offenderetur, efficere satis deberet.* Jussis legatorum obedivit Odalricus, Fridericum Palatinum monuit, ut ablata Corbeiensis monasterio restitueret, utque homines illius inquietare desisteret; qui non solum episcopum suum ^b audire contempsit, verum etiam manu in sacerdotem missa sacrilegii facinus incidere non formidavit. Quapropter auctoritate apostolica & sua episcopus eum excommunicavit, excommunicatumque declaravit, & decano & archidiaconis, &c. Halberstadiensis ecclesiae mandavit, ut ab ejus communione penitus se subtraherent.]

^b Epist. 406. inter Wibald.XIX.
Fridericus imperator compescit Corbeiensis monasterium infestantes.^c Epist. 399. inter Wibaldinas.

[Eodem tempore, cum Palatinus comes de Sumereburc prædium *Hiesende* Corbeiensis monasterio abstulisset, Fridericus imperator sub obtentu gratiæ suæ ipsi præcipiendo mandavit, ut prædictum prædium, unde Wibaldi homines expulerat, restitueret, atque ab omni infestatione, si gratiam ejus diligeret, cessaret. Tum Wibaldum invitavit Coloniam in festo omnium Sanctorum, *ubi*, inquit, *postquam familiaris relatione injurias & gravamina tua cognoverimus, dilectioni tuæ & hominibus terræ tuæ evidenter ostendemus, quod pro devoto & diuturno obsequio tuo, quod nobis & regno hactenus impendisti, gratiosum apud nos favorem in omnibus obtinueris. Quicumque enim serenitatem vestram conturbaverit, gratiæ nostræ offensam se incidisse procul dubio cognoscat.]*

XX.
Stabuletum vexatur ab hominibus comitis de Salmes.^d Epist. 401.

[Interim Stabulenses Wibaldum rogant, ut velit ecclesiae suæ, quam tantis laboribus & impensis exornasset, impedire incendium; Stabulaus accederet, omnia pacifice compositurus. Venit mandato & jussu Friderici imperatoris, & cardinalium; & multiplicibus rapinis & prædis, quas Henrici comitis de Salmes ministeriales inferebant, ecclesiam suam vexatam reperit. Has vexationes ad prædictum Henricum ^d scribens his verbis enumerat: *Homines vestri præter alia mala maxima, quæ enarrare longum est, in villa nostra Paletenmet abstulerunt nobis animalia centum, oves centum viginti, porcos octo, capras tres, & in Beringerivalle animalia sexdecim, & apud Erkemberti mansum boves viginti octo, & in alia villa proxima castello vestro boves optimos viginti quatuor, ea occasione quod frater villici nostri de Lernau viginti tantum vitulos vestris abstulerat. Perpendat itaque prudentiæ vestræ discretio, quam alienum fuerit ab omni nobilitate, & æquitatis jure tantis malis nobilem ecclesiam afficere, pro eo tantum quod villicus noster de Lernau quemdam hominem vestrum, qui furto uxorem cujusdam ex nostris cum aliis bonis suis abduxerat, deprehensam, justitia cogente, oculis privare attentavit, cum hoc ipsum ei vestri concefferint, ut auctorem perpetrati sceleris insequeretur, & si posset, prout gesserat ei retribueret. Nos quoque cum super eadem re vos frequenter amice & suppliciter convenissemus, quippe cum jam vestri propter hoc eidem villico nostro panem nuptiis suis præparatum, & boves sex panem ipsum subvehentes, violenter rapuissent, non solum nihil profecimus, verum sicut sequentia demonstrant, vestros omnes, ut creditur, animasque: neque enim patatur, eos tam grandia absque vestro jussu inchoasse & perfecisse, &c. Ad hæc om-*

nia rescribens comes, Wibaldi arbitrio controversias suas omnes terminandas reliquit.]

Mortuus est hoc anno Macarius abbas primus monasterii S. Jacobi majoris in suburbano Herbipolensis civitatis, testante Trithemio, qui ibidem abbas exstitit. In illius transitu voces angelorum auditæ. Sepultus est in capella S. Jacobi sub lapide juxta murum elevato cum hac inscriptione: *Hic jacet Macharius primus abbas hujus loci, per quem omnipotens Deus aquam in vinum convertit.* Hunc sanctum vocat Trithemius, sed diem ejus obitus non assignat. Cujus successor, re ac nomine Christianus, vir magnæ religionis, ab antecessoris sui sanctitate minime declinavisse dicitur, & annis sex ac viginti loco præfuisse. Uterque natione Scottus ab Imbrico seu Embricone Wirtzburgensium episcopo loci conditore unus post alterum abbas institutus fuerat. Is antistes, ut ait Bruschius, monasterium sancti Jacobi in grati animi monumentum construxerat, ob restitutum ecclesiae suæ a Lothario augusto Orientalis-Franciæ ducatum, quem Henricus quintus per vim invaserat. At ea de re nihil habent foundationis tabulæ, quas ex monasterii archivo accepimus. In iis Embrico testatur se, cum aliquando Moguntiam adiret, obvium habuisse Scottum quemdam monachum, nomine Christianum, qui ab eo efflagitavit, ut Herbipoli *Scottorum hospitale* institueret. quod se fecisse ait eo lubentius, quod Chilianus martyr Wirzburgensium apostolus ex Scotia oriundus fuerit. Ad id electus est locus suburbanus, in quo pius antistes primus abbarem instituit Macarium, virum sanctum ex eadem gente, cui ejusque fratribus ibi jam commanentibus præbendam in ecclesia cathedrali, assentiente clero, attribuit, fama ejus sanctitatis permotus, cum eum aquam in vinum transmutasse per idoneos testes certissime accepisset. Ex illis testibus recensitis unus erat Pelegrinus abbas de sancto Burchardo, qui etiam fratrum suorum consensu pratum & fluminis Mogi partem in monasterii dotem, die vi. Julii, quo ejus ecclesia dedicata est, obtulit. Data est Embriconis charta anno MCXL. Idem antistes post biennium alia item bona adjecit in novi monasterii augmentum. ac tandem mandavit ut post suum ipsius obitum corpus suum huc primum deferatur, inde post transactam ibi noctem & celebrata sacra sollempnia in ecclesiam cathedralem pro more ad sepulturam transportandum. qui ritus exinde in Wirzburgensium episcoporum exsequiis faciendis invaluit, hodieque religiose observatur. hoc addito quod defuncti cor a reliquo corpore avulsam in Eberacense monasterium deferri soleat, ibi asservandum; quæ consuetudo a Sigefrido Embriconis successore incoepit, qui cum monasterium istud impense diligeret, id in se primo faciendum constituerat.

Is porro est Sigefridus, cujus permisso & mandato Rastoldus ex monacho Hirfaugiensi abbas sancti Stephani apud Herbipolim, monasticæ disciplinæ suo tempore instaurator, anno MCLII. *hospitale* suo monasterio adharens in alium locum transtulit; & cœnobium ex eo monialium ordinis nostri in honorem sanctæ Afræ constituit, quod tempore Trithemii ad regularem observantiam redactum est. Et quidem, si Bruschio fides est, jam antea Hermannus Misniæ marchio Monachorum-rotam instituti Benedictini cœnobium in eadem Herbipolensi diœcesi condiderat, cujus initium anno MCXLVIII. idem auctor consignavit.

Revertor in Galliam, ubi raptores & prædones in res Cluniacenses impune grafabantur. His ut occurreretur, Oddo cardinalis & apostolica sedis legatus rogatu Petri Venerabilis conventum Matifconem ^a indixit, cui Heraclius Lugdunensis archiepiscopus recens electus post mortem Humberti, cum suffraganeis suis, necnon Willelmo Burgundionum, & altero Willelmo Matifconensium comitibus, aliisque nobilibus viris interfuit. His omnibus in ecclesia sancti Vincentii adunatis, tri-duo fere integro de reformanda Cluniacensis ecclesiae pace actum est, decretumque, ut res ejus intra terminos Araris, Ligeris & Rhodani, atque in civitate Aëduensi & castro Comonis, quod est ultra Cabilonem, consistentes, plena & secunda pace fruerentur, omnesque per Cluniacum cum rebus suis transeuntes. Atque ut hæc pax firmior esset, Cluniacensis urbis incolæ promiserunt, se cum prædictis nobilibus ad arma semper paratos fore, quoties eorum opera exigeretur. Prælati quoque contra ejusmodi prædones poenis ecclesiasticis acturos polliciti sunt. Prædictus Oddo cardinalis cognomen habuit de Bona-Casa, eratque tantum subdiaconus, ut ex chronographo Vizeliacensi sub finem libri tertii discimus.

Idem qui supra Willelmus Matifconensis comes testis subscripsit diplomati b Fri-

X x x iij

ANN. CHR.
1153.
X X I,
Macarius abbas S. Jacobi Herbipolensis obit.XXII.
S. Afræ ibidem parthenium.XXIII.
Matifcone conventus contra prædones Cluniacensium a Bibl. Clun. p. 592.

a Bibl. Sebuse. p. 390.

ANN. CHR.
1152.
* de Feony.

derici regis Romanorum, edito contra Odelhardum de Vivieis*, quod elegans opidum est in Provincia, super curte *Herveis*, Paterniaco Laufanensis pagi monasterio subiecta, in qua ille advocatiam contra privilegia superiorum regum usurpabat; statutumque est, ut abbas Cluniacensis ex fratrum Paterniacensium electione advocatum illic constituat. Testes Arnoldus Colonensis, & Humbertus Bisuntinensis archiepiscopi; tum episcopi Amedeus Laufanensium, Ortlievus Basiliensis, & Hermannus Constantiensis; dein Henricus dux Saxoniae, Hermannus marchio de Saxonia, Amedeus comes Gebennensis, & Wilhelmus comes Matifconensis. *Datum Bisuntii xv. kal. Martii, anno dominice incarnationis MCLIII. indictione xv. regnante domino Frederico rege glorioso, anno vero regni sui primo.*

XXIV.
Vizeliacenses
graviter vexati.

Longe graviolem vexationem passi sunt Vizeliacenses a Wilhelmo III. comite Nivernensi, & a Vizeliacensibus *burgenfibus* seu opidanis: ex quibus ille homines ad *ferias* seu nundinas eorum accedentes prohibebat, multasque molestias ingerebat: hi vero debitam abbati & monachis obedientiam denegabant. Jam ad comitem reprimendum scripserant a Eugenius III. & S. Bernardus ad J. comitissam: sed frustra, nec opidani illi diris ecclesiasticis ad officium revocari potuerunt. Post Eugenii & Bernardi obitum, ad preces Pontii Vizeliacensis abbatis Anastasius IV. nullum non movit lapidem, ut tunc contumaci persecutioni finem imponeret, scriptis litteris tum ad Hugonem Senonensem archiepiscopum, ejusque suffraganeos; tum ad Odonem II. ducem Burgundiae, Henricum comitem, Archembaldum de Bobone, Guillelmum comitem Cabilonensem, aliosque; tum ad Petrum Bituricensem archiepiscopum; tum denique ad Ludovicum regem: sed nihil preces, vel minae profuere. Hinc Pontio abbati consolatorias litteras scripsit idem pontifex, eumque hortatur, ut ne animum despondeat, sed se infractum pro sua ecclesia murum opponere pergat, nec quidquam de rebus ecclesiae comiti Nivernensi concedat. Inter haec tamen Pontius abbas, suafu forte fratris sui Petri abbatis Cluniacensis, hanc vexationem redimere cogitabat: praesertim cum comes Petri iudicio rem committeret. Ea de re Macarium Floriacensem abbatem consuluit Pontius, qui fratrem suum suspectum habebat, cui ille ita respondit: *b Pax vestra si venalis vobis proponeretur, quae vos & a tanta tribulationis angaria levaret, vestrosque adversarios humiliaret, & unanimes exhilararet; caro valde emenda videretur, dummodo ecclesia vestra status sui relictitudinem & libertatis privilegia illibata servaret. Porro fratrem vestrum sic habere suspectum, ut, cum se comes ex toto ei se committat, vos ejus arbitrium declinetis, durum valde videtur. Libratis itaque hinc inde causis, quod utilius judicamus dicimus, ut expectetis legatos, quos ad dominum papam direxistis, & cum venerint, responsum domini papae, & privilegia ecclesiae vestrae domino abbati ostendite; & tunc demum negotium vestrum ejus arbitrio fideliter committite. Neque enim credimus, aut privilegiis vestris, aut praecipis domini papae contraria & repugnantia judicare.* Interim mortuo Anastasio, ejus successor Hadrianus IV. Vizeliacensium tutelam itidem suscepit, scriptis litteris ad episcopos Galliae, ut comitem & opidanos ab eorum infestatione compescant. Tum vero Pontius abbas Petri fratris sui intercessionem admisit. Hinc varii conventus, etiam praesente rege, habitum, apud Luzeium, Moretum & Autisiodorum, ubi de reformanda pace actum est. Damnum ex parte comitis aestimatum est ad centum sexaginta millia solidorum; ex parte opidanorum ad quadraginta millia; tandemque data est requies Vizeliacensi ecclesiae, indefesso labore strenui abbatis Pontii, sed non diu tenuit. siquidem Guillelmus comes, filiam suam cognominem non minus infestae suae in Vizeliacenses voluntatis, quam honoris heredem reliquit.

Fuit & alia Vizeliacensium controversia non minus gravis & obfirmata cum Aeduensi episcopo super libertate & immunitate ecclesiae Vizeliacensis, quam ille impugnabat. qua de re in superioribus c actum est. Prolixum de utraque controversia tractatum Pontii abbatis jussu composuit Hugo Pictavinus monachus in libris secundo & tertio Chronici Vizeliacensis.^d

Sub idem tempus monasterio sancti Martialis praerat Albertus abbas, qui monachis suis interdixit adipis usum e qualibet feria sexta, *exceptis festivitibus, quae sunt in cappis*; statuitque, ut procurator oleum pro adipe in feria sexta suppeditaret. Olim in adventu domini oleo utebantur ejus loci monachi in festis duodecim lectionum, quod idem Albertus omnino prohibuit. Haec fusiis in Chronico Gau-

a Spicil. to. 3.
p. 492. & seqq.

b ibid. p. 500.

c lib. 67. n. 63.

d Spicil. to. 3.

p. 506. & seqq.

XXV.

S. Martialis

abbates.

e ibid. p. 309.

fridi prioris Vossensis, qui multos peculiare ritus monachorum S. Martialis refert, cum illi una cum canonicis ecclesiae cathedralis conveniebant.

Tunc temporis Herveus abbas Villae-lupae apud Turones monasterium administrabat, isque locum Ligeti, qui a suo monasterio pendeat, Cartusienfibus ad condendam ordinis sui domum contulit, annuente & probante Henrico secundo Angliae rege, cum adhuc in statu ducali esset. Ex hoc exemplo, multisque aliis, puta Montis-Dei, domus-Portarum, manifestum est, quantum ad sacri illius Ordinis incrementum nostri contulerint, quod multis aliis exemplis in consequentibus patebit.

In brevi chronico Andegavensi ad hunc annum, S. Girardus monachus, de quo in superioribus a egimus, in monasterio S. Albini v. nonas Julii, multis virtutibus & miraculis corulcasse traditur. In his quidam puer toto corpore curvatus, quem *Henricus dux Normannorum & comes Andegavorum*, modo laudatus, *diligenter nutriti fecerat, & in filium adoptaverat*, ab urbe Cenomannica delatus, ut Sancti mausoleum artigit, in statum naturalem subiectus est. In iisdem miraculis fit mentio de Theophania *sumula Christi, abbatisa monasterii B. Mariae quod extra muros urbis Andecaviae situm est*, alias de Caritate, vulgo de Roncereio dictum, *quam vir* beatus, dum adhuc in clericali degeret habitu, de *sacro fonte levaverat*. Haec cereos eidem Christi confessori, quos sponderat, post longiorem procrastinationem tandem sollempniter ac devote reddidit. Alia eodem tempore ad beati Girardi mausoleum edita miracula praetereo. De Guillelmo S. Albini altero monacho, qui ad Clara-vallenses transit, praecleara mentio est in Exordio b Cisterciensi.

In Pontificali S. Martini monasterio ad sepulcrum beati Galterii c seu Walterii, primi ejus loci abbatis, crebra quoque per id tempus miracula fieri coeperunt, quod in causa fuit, ut de elevando e tumulo ejus corpore, Guillelmus abbas serio cogitaverit. Ea re cum Samsone Remorum archiepiscopo, aliisque Galliae pontificibus communicata, eis visum est, ut id quantocius fieret; idque missa legatione ad Hugonem Rotomagensis archiepiscopum dioecesanum retulerunt. Quam ob rem idem Hugo v. nonas Maias hujus anni cum Theobaldo Parisiensi & altero Theobaldo Silvanectensi episcopis Pontifaram venit, assistentibus multis religiosis & illustribus viris. Tunc apertum est, ut ille in suis hac de re litteris testatur, *monumentum abbatis Walterii praefati monasterii Pontifarenfis S. Martini, invitantibus, immo cogentibus miraculis, non vanitate, sed veritate coruscantibus in praesentiarum ac multis retro temporibus. Quia vero, inquit, sancta & celebris ac pernecessaria sanctorum patrum devotio penitentiam misereri maxime consuevit, pro ineffabili gratia Redemptoris nostri, qui peccata dimittit, & pro manifestatione fidelissimi servi sui Walterii, cujus reliquias praesens ecclesia reverenter aspexit, & miraculorum ejus gloria laetificari meruit; Christi fidelibus, ipsius patris Walterii beneficia implorantibus, penitentialis oneris indulgentiam statuimus tribuendam.* Quales vero fuerint illae indulgentiae, operae pretium est ipsis ejusdem archiepiscopi verbis explicare.

De penitentiis ergo criminalium, quae septennio concluduntur, pie contentibus & vere penitentibus annus integer, & reliquorum annorum pars tertia relaxatur. His vero, qui annorum quatuordecim penitentiam susceperunt, duo anni integri, & residui temporis pars tertia condonatur. Viginti autem annorum tres annos remittimus, & residui temporis partem tertiam indulgemus. De penitentiis vero quadraginta annorum & amplius, tertiam medietatem remittimus, & reliquorum annorum partem tertiam condonamus. De parvulis vero, qui baptizati, vel sine baptismo infra septem annos mortui sunt per negligentiam parentum, penitentiam parentibus ipsorum remittimus, excepta sexta feria in hebdomada, in qua etiam, si ad ecclesiam penitens accesserit, qualem caritatem ei presbyter suus dederit, talem habeat. Si vero infirmus fuerit, aut mulier praegnans vel debilis, quae jejuna non possit, dicat septies Pater noster, & faciat bonum quod potuerit. Partem vero tertiam de penitentiis minorum peccatorum remittimus. Sed & oblita peccata omnino condonantur. Haec autem praescripta indulgentia; a die crastina inventionis sanctae Crucis in annum integrum, & singulis hujus praesentis anni diebus cunctis ad memoriam Sancti venientibus, sub gratiae divinae confidentia, a nobis concessa est. Ad stipulationem autem revendorum patrum episcoporum, & ceterorum, qui beati Walterii praesenti translationi adstiterunt, statuimus, ut praefata Sancti festiva memoria sequenti die proxima inventionis sanctae Crucis annuatim

ANN. CHR.
1153.XXVI.
Ligeti Cartusia
fundatur.XXVII.
S. Gerardi monachi
S. Albini
miracula.
a lib. 74. n. 56.b Exord. Cist.
lib. 3. c. 14.XXVIII.
S. Galterii ab-
batis Pontifa-
renfis elevatio.
c Annal. to. 5.
lib. 68. n. 93.XXIX.
Indulgentiae
notabiles pen-
itentibus da-
tae.

ANN. CHR.
1153.

celebretur. Ita etiam & misericordie ipsorum patrum consideratione decrevimus, ut, quia abundante iniquitate his novissimis temporibus pauci dignos penitentiae fructus faciunt, uberius indulgentiae gratia peccantibus subveniatur. Quapropter omnibus illis, qui ipsa die inventionis sanctae Crucis, qua die beatum corpus levatum est; & die crastina, in qua recolitur annua celebritas Sancti, ad ipsum Sanctum gratia remissionis advenierint, ipso quocumque adveniente anno, de qualibet provincia vel episcopatu, Sancti clementiam adierint, supra scriptam indulgentiam plenarie concedimus. Haec sicut retuli, ut innotescat, etiam tum peccantibus canonicas poenitentias impositas fuisse: quibus subinde summorum pontificum & episcoporum indulgentia subveniebat. In fine denique Hugo archiepiscopus haec addit. *Ad hoc me quidem indignum, & peccatis gravibus, & culpis veteribus onustum vere confiteor. unde multa, & magna misericordia Dei totus indigeo. Suffragantibus itaque meritis & precibus pii patris Walterii abbatis, Domini nostri gratiam & Matris misericordiae clementiam, & omnium Sanctorum miserationem assidue suppliciter exoro, & ecclesiae catholicae communioni transitum meum finemque commendo, quae quidem verba Hugonis nostri modestiam & pietatem ostendunt.*

XXX.

S. Clari ca-
stellum B. Dio-
nyfio dona-
tum.* l' Epte.
a. Felib. prob.

a. 141.

bid. num. 142.

c. lib. 79. n. 138.

XXXI.

Aquicinctes
praedium Hu-
molaribus
vendunt.

XXXII.

Ufus anuli
Wibaldo con-
cessus in vita
sua.

XXXIII.

Theobaldus

In pago Vilcassino ad Eptam* seu Ittam fluvium exstat haud ignobile opidulum, S. Clari martyris nomine ac reliquiis insignis, necnon prioratu, qui S. Dionysii abbatia subjectus est. Illic castrum novum munierat Ludovicus^a Junior, & tamquam proprium in sua manu & potestate diu habuerat. At veritus pius princeps, ne hoc castellum aliquando in alterius forte domini manu veniret, idque in illius ecclesiae damnum verteret; pro honore ac reverentia beati Dionysii, *interventu venerandi abbatis Odonis*, praedictum castellum per manum ejusdem abbatis ecclesiae Dionysianae donavit, eo pacto, ut ne rege inconsulto ac nolente illud cuiquam tradat, sed ab ipso abbate in augmentum ac praesidium ejus terrae custodiat. *Actum publice Parisus* hoc anno, regni ejus XVII. cum regia domus sine dapifero esset. Anno sequenti Theobaldus comes Blefensis dapifer^b erat. *Data per manum Hugonis cancellarii*: Qui illa in ecclesia colitur S. Clarus, eremita fuit, Anglus genere, juxta hunc locum, ex Constantiensi pago, & quidem ex Maduenensi, ut tradunt, monasterio illuc profectus: ubi a sceleratis parricidis caesus est, ob idque pro more illorum temporum martyr habitus, cujus festum pridie nonas Novembris recolitur. Hoc ipso anno Odo S. Dionysii abbas Romam profectus est, ut se de objectis criminibus^c purgaret: cujus vice Ansellus prior monasterium administrabat.

Aquicinctensi monasterio dum praesert venerabilis Gozuinus, communi fratrum assensu ei visum est, ut praedium quoddam in villa *Uysel*, quod in pago Laudunensi sub privilegio Bartholomaei episcopi & Eugenii III. pacifice possidebant, Guarino abbati & fratribus coenobii Humolaribus venderent pretio centum quadraginta librarum Pruvinentis monetae. Edita sunt hac de re communes ambarum partium litterae, & recitatae Aquicincti in capella hoc anno: quibus testes subscribere multi nostri ordinis abbates, videlicet Ingranus seu Ingranus S. Medardi Suesfionensis, Hugo S. Amandi, Walterus S. Martini Tornacensis; Fulco Hasnoniensis, Hugo Marcinienfis, Adam sancti Andreae de Novo-castello, & Rainardus S. Projecti. Eandem venditionem ratam habuit Galterus episcopus Laudunensis, dato diplomate Lauduni eodem anno, cui signa apposita sunt Brunonis abbatis S. Johannis, Guillelmi abbatis S. Vincentii, Richardi abbatis S. Nicolai de Prato; qui tres nostri ordinis erant, & post eos Guarini abbatis S. Martini ordinis Praemonstratensis, & Roberti Fumiacensis ex ordine Cisterciensi. Has minutias referre visum est tantum propter abbatum subscriptiones: quorum praefecturae tempus ex his actis illustratur.

[Cum singulari benevolentia Wibaldum abbatem prosequeretur Anastasius IV. antiqua devotione quam erga sedem apostolicam semper ille habuerat inductus, & quorundam cardinalium precibus inclinatus, usum anuli ex assueta benignitate apostolicae sedis in vita sua tantum illi indulgit, & in augmentum suae dilectionis, anulum quoque ipsi per dilectum filium Gerardum diaconum cardinalem, qui ad partes Teutonicis regni pro utilitatibus ecclesiae ab eo transmittebatur, destinavit. Quo ex loco discimus Wibaldi aeo abbates anulo decoratos non fuisse, nisi ex privilegio sedis apostolicae.]

In Anglia hoc tempore Theobaldus Cantuariensis archipraeful gravem a Stepha-

no

ANN. CHR.
1153.
Cantuariensis
primas a Ste-
phano rege ve-
xatus.

no rege persecutionem passus est, propterea quod Eustachium ejus filium regem coronare detrectaret. Id quippe Eugenius apostolicis litteris Theobaldo interdixerat, quod rex Stephanus contra fidem Mathildi imperatrici, Henrici primi filiae, in gratiam ejus filii Henrici datam, regnum praeripuisset. Hinc Stephanus ejusque filius Eustachius in Theobaldum archiepiscopum, eique adherentes, (ex quibus Henricus Wintoniensis episcopus ejusdem Stephani frater, qui ipsum coronaverat, unus erat) multis injuriis affecere, eundemque Theobaldum, bonis omnibus spoliatum, in Galliam refugere compulere. Unde idem Theobaldus ad Alexandrum III. longe post scribens, ita loquitur. *Et vos quidem, si reminisci placet, obedientiae nostrae prompta habetis experimenta. Nam decessorum vestrorum tempore naufragium, exsilia, nuditatem, pericula mortis, sicut ecclesia Domini novit, pro fide S. R. E. non subterfugimus; sed ex adverso principum stetimus, parati, si opus esset, pro indemnitate ecclesiae proprium sanguinem immolare.* Hac infestatione vexatus Theobaldus, Romam ad summi pontificis opem implorandam misit Thomam, unum e domesticis suis, juvenem quidem, sed litteris & prudentia insignem, qui eo munere recte functus est. Hic est magnus ille Thomas, ipsius Theobaldi in sede Cantuariensi successor, & ecclesiasticae libertatis ad mortem usque vindex strenuissimus, de cujus primordiis, quoniam saepe de eo in consequentibus mentio recurret, hic quaedam praemittenda sunt.

Thomas honestis parentibus, Gileberto cognomento *Beket*, & Mathilde, Londoniae natus est. De patre ejus, id memoriae tradidit Stephanus *Langton*, Cantuariensis ineunte saeculo tertio-decimo archiepiscopus, eum cum cruce-signatis in Palaestinam profectum, captivumque factum, a quodam paganorum amiralo per sesqui-annum detentum fuisse; & ab ejus filia clam sollicitatum, sub promissione, si se in conjugem acciperet, christianam fidem amplexuram. Dum autem ille rem suspenderet, occasione data ipsum aufugisse & rediisse in Angliam: puellam vero illam, ejus amore supra modum captam inscio patre in Gileberti patriam, quam ex eo rescierat, trajecisse, ubi christiana facta Gileberto tandem nupsit, & Thomam procreaverit. Haec, inquam, Stephanus archiepiscopus litteris mandavit, quae alii scriptores aequales reticent, qui Thomam progenitum tradunt Londoniensibus civibus medii generis, tamen si ejus pater vicecomes fuisse dicitur. Puer in religiosa domo canonicorum Meritonae educatus, postea Luteciam Parisiorum causa studiorum missus est. Reversus in patriam, in familiam bonae memoriae Theobaldi Cantuariensis archiepiscopi admittitur, *eo familiaris*, ut quidam ejus vitae scriptor ait, *quod ejus parens Gilebertus cum domino archipraefule de propinquitate & genere loquebatur, ut ille, ortu Normannus, & circa Tierici-villam de equestri ordine nata vicinus.* Missus subinde Romam ab eodem archiepiscopo Thomas pro negotiis Anglicanae ecclesiae, summorum pontificum & Romanae curiae gratiam sibi conciliavit. Tum impetrata ab archiepiscopo transfretandi facultate, Bononiae primum, postea Autisiodori legibus studuit. In reditu ordinatus ab eodem diaconus, dein ad archidiaconatum Cantuariensis ecclesiae promotus est. Eodem agente factus Henrici II. cancellarius, tandem mortuo Theobaldo in sede Cantuariensi successit.

Haec de Thoma praemittenda fuere ad res subsequentes illustrandas. Interim post trium annorum discordiam, rex Stephanus & Henricus dux Normanniae cognatus ejus VIII. idus Novembris hoc anno, teste Roberto de Monte, concordiam inierunt, his conditionibus, ut Stephanus, dum viveret, regnum retineret: Henricus vero, siquidem ei superstes foret, hereditario jure in regno succederet. Ad haec quod possessiones, ab invasoribus occupatae, ad priscos & legitimos possessores revocarentur, & quod castella, quae post mortem Henrici primi constructa fuerant, everterentur.

Ad hanc concordiam multum contulit non modo Theobaldus, sed etiam Henricus Wintoniensis praeful, Stephani frater, qui prius Angliam turbaverat, cum fratri suo regium diadema imposuit: cujus facti postea ipsum poenituit. Haec concordia ante natale Domini confirmata est, teste Henrico Huntindoniensi archidiacono.

[Hoc ipso anno MCLIII. Cisterciensi familiae accessit Bongartense seu Pomerium in dioecesi Argentoratensi monasterium: cujus originem debemus Cunoni Argentoratensi episcopo, ut haec illius verba in charta foundationis probant anno MCXXV. *Dei omnipotentis inspiratione, pro sempiterna anima mea remuneratione, in loco quondam Bongarten nuncupato, pro honore omnipotentis Dei & sanctissimae Mariae Dei-*

Annal. Bened. Tom. VI.

Y y

XXXIV.
Thomae Beketi
vitae primordiaXXXV.
Stephani regis
cum Henrico
duce concordiaXXXVI.
Bongartense
monasterium
seu Pomerium
accedit ad ordi-
nem Cister-
ciensem.
a Gall. christi-
to. 5. p. 575.

ANN. CHR.
1153.

genitricis Domini nostri Jesu Christi & omnium Sanctorum, cum consensu & auxilio Moguntinensis archiepiscopi Adelberti, & cardinalis domini Gerardi constitui abbatiam, quatenus in loco praefato absque omni omnium inquietudine Deo serviat. Hanc vero abbatiam voluit omni gaudere libertate, eique jus eligendi abbatibus ex propria congregatione concessit, quem electum pro benedictione episcopo praesentent, & secum reducant consecratum. Cum vero floreret in eo religiosa professio, anno MCXLIII. indictione x. regnante Lothario, Geberhardus episcopus Argentoratensis intuitu futuri boni eundem locum adiit, inceptumque praedecessoris sui per consecrationem solemnem confirmavit, auctum & dotatum pluribus fidelium donis. Jam vero quomodo Pomerium seu Bongartense monasterium ordini Cisterciensi accesserit, Burchardus Eberhardi in sede Argentinensi successor sic declarat: *Accepit seniori consilio, zelo bono inspirante, & auxiliante divina gratia, induxi in praefatum cenobium servos Dei monachos de ordine Cisterciensi, & dum tempus Deo placitum successit, factis habitaculis eorum religioni aptis, exorante Drogo abbate, cum suis personis, anno incarnationis dominice MCLIII. concurrente III. epacta XXIII. indictione I. septimo calendis Maii, dedicatione solemni consecravi, &c.* Huic consecrationi interfuere Drogo abbas ejusdem loci, Alodus abbas Hugonis-curiae, abbas de Ebersheim, abbas S. Leonardi, &c.]

XXXVII.
Parthenone S.
Johannis prope
Tabernas.

[De parthenone S. Johannis prope Tabernas, nihil haecenus, deficientibus instrumentis quibus demonstratur, quo praecise anno locum illum inhabitare coeperunt sanctimonialia. Hoc unum scimus Petrum comitem de Lutzelburgo instinctu divino communitum, pro peccatorum suorum relevamine, & tam pro sua quam conjugis filiique & parentum suorum animarum redemptione, in augmentatione divini servitii aliqua de patrimonio suo erogare deliberasse, & praedium suum Magehen-Wilre ad hoc destinasse. Convocato autem pia memoriae Werthero abbate monasterii S. Georgii, quod situm est in silva nigra juxta flumen Brignam, praesente & cooperante conjugis sua Icha & unico filio Roginaldo, dedit praefatum S. Georgio praedium perpetua hereditate possidendum, anno MCXXXVI. indictione IV. temporibus Honorii papae & Lotharii regis anno II. aptatis ad habitationem monachorum regularibus locis. Contententibus Brunone & Eberardo de episcopatu Argentoratensi, utriusque contententium assensu convocatus est Stephanus Mettensis episcopus ad ecclesiae dedicationem peragendam. Dedicata est autem anno ab incarnatione Domini MCXXXVII. indictione V. nonis Februarii in honore S. Johannis-Baptistae, ex cujus nomine locus ipse cella S. Johannis de cetero vocari ab episcopo decretum est.]

ANN. CHR.
1154.
XXXVIII.
Stephano Hen-
ricus II. succe-
dit.

NON diu post concordiam cum Henrico factam vixit rex Stephanus, mortuus anno sequenti octo diebus ante festum omnium Sanctorum, & in abbacia de Faverfham juxta uxorem & filium Eustachium, qui paulo ante obierat, sepultus, cum sere novem-decim annis laboriose nimis, & infeliciter regnasset, ut scribit Henricus Huntingdoniensis archidiaconus, cujus historiarum liber octavus & ultimus hic desinit. Faverfhamense Salvatoris monasterium ab ipso Stephano rege, ejusque conjugis constructum fuerat, ejusque primus abbas Clarembaldus, assumtus e cella ordinis Cluniacensis, scilicet Caritatis ad Ligerim, a Theobaldo archiepiscopo a benedictus III. idus Novembris anno MCXLVII. datis prius litteris a Cluniacensi abbate & priore Caritatis, quibus eum a sua subjectione liberum & absolutum declarabant. Stephano rege mortuo statim a Theobaldo archiepiscopo, regni proceribus Henricus ex Normannia revocatur, ut regnum iniret; dominica die ante natale Domini a Theobaldo coronatus; cujus laudes idem auctor in fine versibus celebrat.

XXXIX.
Henrici Hun-
dondoniensis
scripta.
b Spicil. no. 8.
p. 178.

Prater hos libros, quos Alexandro Lincolnienfepiscopo dicavit Henricus, epistolam seu libellum scripsit ad Walterum amicum b de contemptu mundi, adductis illustrium virorum exemplis, qui suo tempore infeliciter interierant, ut ex his ad contemptum mundi sese animarent. In his memorat Albinum Andegavensem magistrum suum, cujus fratres, qui terno pollebant habitu, id est scientia profundissima, castitate clarissima, innocentia summa, lepra percussi fuerant. Agit etiam inter plures de Willelmo filio Henrici primi Anglorum regis, ad regnum nato & destinato, qui e Normannia in Angliam transfretando oceani undis absorptus est. *Displicebat mihi, inquit, & in animo meo cladem futuram portendebat nimis circum cultus, & nimis in ipso fastus; & dicebat animus meus, Hic adeo delicatus nu-*

ANN. CHR.
1154.

tritum in cibum ignis. Post haec infelicem casum refert Roberti comitis de Mellentio, qui instante morte male parta restituere noluit, ne pauca liberis suis relinqueret. Cum vero ministri Domini ei dicerent, sufficere illis hereditates avitas; cetera proinde redderet, ut inferni gehennam evitaret, respondit ille: *Filiis omnia tradam; ipsi pro salute defuncti misericorditer agant.* Verum eo defuncto, inquit Henricus, filii ejus magis injuste congregata injuste studuerunt augere, quam aliquid pro salute paterna distribuere. Tum Gillebertum cognomento universalem praedicat, cui nullum usque Romam scientia parem fuisse dicit, sed avarum, qui moriens infinitam thesauri copiam reliquit, ob id pro stultissimo a populo habitus. Mitto quae de Thomae de Marna & Roberti de Belisino merito interitu narrat. Ex episcopis quamaxime laudat Lanfrancum & Anselmum sanctissimum, ac Theobaldum archiepiscopum, quem omni laude dignum esse dicit. Ex abbatibus praedicat dominum suum Alwinum abbatem Ramelsiae, ejusque successores Bernardum & Reinaldum, virum callidum, sed inclementem commemorat, tum Walterum suo tempore abbatem. His addit Tuoldum abbatem Burgensem, & quinque ejus successores, qui omnes obierant. Haec scribebat Henricus superstiti adhuc Henrico I. quae cum ab solveret, nuntium accepit de morte Walteri, cui hanc epistolam scripserat.

Sub finem quoque hujus anni Anastasius IV. papa, dum Fridericus rex Romanorum cum ingenti exercitu Italiam ingressus esset, immatura morte interceptus est IV. nonas Decembris, cum vix annum unum cum quinque mensibus Romanam sedem tenuisset. Paulo ante obitum, Rainaldo a abbati Flaviniacensi omnes monasterii ecclesias & possessiones confirmavit, in his Colticensem S. Georgii ecclesiam seu cellam cum burgo, ecclesiam S. Mariae Sinemurensis cum sua parochia, & alias. Datum Laterani VIII. kal. Maii, hoc anno, indictione II.

Anastasio successit Hadrianus IV. domo Anglus, Nicolaus antea dictus, qui ex canonico regulari S. Rufi cardinalis creatus fuerat: cujus patrem S. Albani monachum factum fuisse superius b diximus. Hadrianum initio pontificatus adiit familiaris Johannes Saresberienfensis, qui se ab eo dictum audivisse c testatur, neminem Romano pontifice esse miserabiliorem; spinosam cathedram summi pontificis; mantum acutissimum confertum aculeis, tantaeque molis, ut robustissimos premat, terat, comminuatque humeros. Se malle numquam ex Anglia exivisse, aut in claustrum S. Rufi perpetuo remansisse. Ambire ergo summum pontificatum, & non sine fraterno sanguine illum conscendere; perinde esse ac Romulo succedere in parricidiis, non Petro in ovibus pascendis. Audita ejus promotione, Robertus S. Albani abbas d statim ad eum perrexit, praecae familiaritatis memor, ut anno sequenti videbimus.

Initio pontificatus Hadrianus Hildegardi praeposita S. Roberti seu Ruperti in monte Bingio scripsit, tum ut eam ad ampliorem profectum & cautelam hortaretur, tum ut ab ea quaedam *commonitoria verba* audiret. Principio ait supervacaneum videri eam ad bene operandum hortari, cum ejus anima per sese divini amoris igne succendatur. Verum tamen, quia & ignis aura flante magis accenditur, & velox equus calcaribus urgetur ad cursum; id ejus religioni proponendum videri, non incipienti, sed perficienti palmam & coronam a Domino esse repositam; serpentes antiquum eo maxime tendere, ut magnos perdat. Multos vocatos, paucos electos; itaque intra numerum paucorum se colligat. In fine, *de cetero*, inquit, *commonitoria verba de te audire desideramus, quia spiritu miraculorum Dei imbuita diceris.* Ubi mirari licet modestiam summi pontificis, & insignem ejus de Hildegarde opinionem. Respondet illa obsecro suo more; sed tandem planiori modo eum monet, ut subjectis suis frenum imponat, nec eos malum adversus se loqui sinat. Vigilet strenue in moribus populi in hoc tempore; memor, quod homo in terra sit; & ne timeat, quod Deus ipsum derelinquat.

Interim miracula frequentari, & concursus hominum fieri ad tumulum S. Bernardi: cujus audita morte venerabilis Eskilus per Gaufridum monachum, ut in superiori libro vidimus, ecclesia sua Deo commendata Claram-vallem accessit, S. Bernardi sepulcrum invisurus, ad sacratissimam ejus tumbam deinceps vivere ac mori paratus. quod tamen distulit ad tempus, forte Roberti abbatis suavis, ne tanto pastore Daniae ecclesia tam cito orbaretur. Eodem etiam accessit Gummarus Sardiniae regulus, ibidemque monasticum induit habitum, dolens quamaxime, quod illius praedicatione frustratus esset. Illic sub ordinis disciplina usque ad decrepitam

XL.
Anastasio IV.
succedit Ha-
drianus IV.
a Permy p.
236.XLI.
Ejus sententia
de summo
pontificatu.
b lib. 79. n. 164.
c Polycr. lib. 8.
c. 23.XLII.
Hildegardi vir-
gini scribit.XLIII.
Claram-vallem
adeunt Eskilus
episcop. Gum-
marus, Simon
abbas.

ANN. CHR.
1154.
a. lib. 79. n. 96.

XLIV.
Riffendi abbatissa Farenfi succedit Emma, tum Luciana.

Lis in ejus benedictione.
* Macarius.
* Riffendi.

vixit atatem, seque terrenum regnum pro caelesti commutasse gloriabatur. Iisdem sese adjunxit Simon Caziacensis abbas, qui, cum unius e suis monachis transitum ad Claræ-vallenses paullo ante graviter tulisset, quod ipse vivente Bernardo exsequi prohibitus fuerat, eo mortuo, nullo jam reprimente, dimissa dignitate Claram-vallem convolvit: ubi septennium supervivens, magnum devotionis ac fervoris exemplum reliquit, ut inferius videbimus.

In S. Faræ monasterio decessit hoc fere tempore Riffendis abbatissa, in necrologio laudata vi. idus Februarii, quo die *depositio domnæ Riffendis bonæ memoriæ abbatissæ hujus ecclesiæ*, de qua non semel in superioribus facta mentio est. In quodam instrumento *merito probitatis genere nobilis, sed nobilior morum honestate* dicitur. Huic successisse creditur Emma, cujus depositio ix. kal. Decembris in necrologio notatur. Post eam, siquidem Riffendi successit, electa est hoc anno Luciana, de cujus benedictione gravis controversia exarsit inter Meldensem episcopum, scilicet Manassem II. vel Stephanum ejus successorem, & electam abbatissam, Farenseque sanctimoniales: cum ille promissionem obedientiæ ab ea exigeret, quam illa præstare detrectabat. Totum hoc negotium accurate exposuit Macarius Floriacensis abbas in epistola, quam ex ipso autographo Farenfi hic subjicimus.

*M. * Dei gratia Floriacensis abbas omnibus, ad quoscumque litteræ istæ pervenerint, salutem in Domino. Defuncta bonæ memoriæ abbatissa * Farenfis monasterii, cum aliam regulariter electam Meldensē episcopo ad benedicendum sanctimoniales & clerici præsentarent, benedictionem ejus diutissime distulit, quia obedientiam, non nisi salvo jure & dignitate monasterii sui promittere voluit. Accedit autem, ut convenius pontificum pro quibusdam negotiis regni Sueffionis fieret: ad quem prædicta abbatissa perrexit, pro causa sua congregatos rogatura pontifices; effecitque, ut archiepiscopi Remensis, Senonensis, Bituricensis, Turonensis, pro se dominum Meldensem convenirent. Cumque diutius esset inter eos causæ hujus ventilata tractatio, statutum est ambarum partium conniventia & consensu, ut episcopus abbatissam benediceret, eaque obedientiam canonicam & debitam promitteret. Die ergo & loco benedicendæ abbatissæ constituto, Meldis venimus; & cum jam ex parte benedicta esset abbatissa, & missa ex parte celebrata, Meldenses clerici obedientiæ cartulam, non juxta conditum, sed ad libitum conscribentes, ut obedientiam us debito contineret; percunctati sunt, utrum obedientiam illam & subjectionem, sicut scribebatur, abbatissa promitteret. Cumque illa nihil plus conditio promissuram se diceret, & illi in Sueffionensi illo conventu statutam fuisse obedientiæ plenitudinem assererent: abbatissa & suis contra renitentibus, & deditibus usque post medium diem; & abbatissæ benedictio, & missæ consummatio dilata est. Casu erat Meldis ea die archipræsul Turonensis, placiti Sueffionensis memor & actor: ad quem ab utrisque partibus missa legatio nil aliud reperit, quam obedientiam canonicam & debitam profitendam. Episcopus itaque habita cum suis deliberatione atque consilio, abbatissam benedixit, missam complevit, & obedientiam, quæ sibi debebatur, expetiit. Moniales autem & clerici adversus abbatissam & episcopum audientiam domini papæ appellaverunt, si vel illa indebitum quippiam promitteret, vel ille indebitum extorqueret, quodque libertati vel privilegiis Farenfis monasterii contraireret. Abbatissa autem, habito consilio, juxta conditum Sueffionensem, obedientiam canonicam & debitam promisit, salvo jure & privilegiis Farenfis monasterii. Porro abbatissæ benedictione completa, cum domum redire vellet, donnus Radulphus archidiaconus aliquam ei struxit, novavitque calumniam, dicens sui juris esse inthronizare abbatissam. Quod cum illa constantissime negaret, appellavit dominum papam. Tandem tamen laudantibus abbatibus, qui tunc forte aderant, permissum est ei interesse inthronizationi, ita dumtaxat, ut nihil ibi exactionis ageret, nil procuratoris acciperet, nec, quod modo fiebat, in posterum Farenfi ecclesiæ præjudicaret. Valete.*

Haec tenus Macarii abbatis epistola, in qua licet ejus nomen prima dumtaxat littera designatum sit, nec Riffendis abbatissæ mortuæ, nec electæ Lucianæ nomina expressa sint; quin tamen de illis hæc epistola intelligenda sit dubitare non licet. Certe tunc temporis Meldensis ecclesiæ archidiaconus erat Radulfus, in præmissa epistola memoratus. siquidem idem archidiaconus adhuc erat anno MCLXV. ut discimus ex diplomate Stephani Meldensis episcopi pro S. Faræ monasterio: quo ex diplomate restituendus est Stephanus episcopus in vulgata ferie episcoporum Mel-

b Gall. Christ.
sv. 4. p. 368.

densium, in qua omissus est, & male protractus pontificatus Manassæ II. ad annum MCLXXXVII. Hadrianus IV. omnes monasterii possessiones hoc anno MCLIV. confirmavit Lucianæ abbatissæ, quæ cum prædicto Stephano episcopo litem habuit super advocatia monasterii, ut suo loco dicturi sumus. Sueffionensis conventus, de quo in præmissa Macarii epistola agitur, habitus est anno sequenti.

Hoc anno Robertus de Torinneio librum suum de immutatione ordinis monachorum, & de abbatibus & abbatibus Normannorum scribebat, ut ipse in capite IX. diferte restatur: qui liber ad calcem Guiberti operum a nostro Acherio editus est. In hoc libro agit de origine ordinis Cisterciensis, cujus abbatissæ jam ad quingentas fere excreverant. Tum de origine Cartusienfium, qui tunc festis tantum diebus ad ecclesiam & ad mensam conveniebant, & de spiritualibus inter sese conferebant, nocturni & diurni officii pensum secundum regulam S. Benedicti persolventes. Deinde agit de monasteriis Cafalis-benedicti, Fontis-Ebraldi & Saviniacensi; tum de monasterio S. Victoris apud Parisios, ubi multi clerici nobiles & litterati convenisse dicuntur, inter quos magister Hugo Lothariensis, & scientia litterarum, & humili religione maxime effloruit. His subjicit canonicos regulares Aroasia & Pramonstrati.

Postea idem auctor agit de reformatione antiquorum monasteriorum, quæ propter abundantiam divitiarum nimium dissoluta erant. Horum abbates, cum monachos novi ordinis Cisterciensis & Cartusienfis districtè vivere animadverterent; pudore suffusi, seu sponte seu invitati, a pontificibus scilicet ac regibus compulsi, monachos ordinatissimorum monasteriorum, scilicet Cluniaci, Majoris-monasterii, Becci, & aliorum æque in religione vivere studentium, ad se evocant, & ad eorum exemplum vitam suorum subditorum confirmare satagunt.

Post hæc de antiquis Normanniæ monasteriis, eorumque instauratione tractat; nempe de Gemeticensi, ubi usque ad annum MCLIV. quo iste catalogus abbatiarum Normanniæ factus est, fuerunt abbates quatuordecim, quorum ultimus fuit Eustachius, ejusdem loci monachus.

In Fiscamensi quinque, ex quibus quintus Henricus monachus Cluniacensis. In S. Audoeni monasterio septem, quorum ultimus Freherius monachus itidem Cluniacensis.

In Monte sancti Michaëlis quatuordecim, ex quibus decem fuerunt de extraneis monasteriis. Ibidem hoc anno factus est abbas ipse Robertus, ut mox videbimus.

In Fontanellensi abbates duodecim, quorum ultimus Rogerius, ejusdem loci monachus, adhuc superstes.

In Bernaio quartus erat Richardus ejus loci monachus.

Apud S. Taurinum quintus Ranulfus monachus Fiscamni, in editis omissus.

In Beccensi septimus Rogerus.

In Cerasiensi quintus Hugo monachus ejusdem loci.

In Cadomenfi septimus Petrus e gremio electus.

In Uticensi seu S. Ebrulfi septimus Bernardus ejusdem loci asceta.

In monasterio S. Trinitatis de Monte seu S. Catharinæ prope Rotomagum quintus Walterius.

Apud S. Leutfredum primus ab instauratione Albericus, secundus Henricus, tertius Willelmus monachi S. Audoeni; quartus & quintus Garnerius & Rodericus monachi ipsius loci.

In Conchenfi seu Castellionensi, quod Rogerius de Toenio condidit, primus abbas Gillius, secundus Willelmus monachi Fiscamni; tertius & quartus Willelmus & Letardus monachi Blesenses; quintus Gislebertus monachus Becci; sextus & septimus Simplicius & Vincentius monachi Columbenses; octavus Bernerius monachus ipsius loci; nonus item prædictus Vincentius; decimus Silvester monachus Lyra.

In ipso Lyrensi, quod Willelmus filius Osberni, Nortmanniæ dapifer, in honorem beatissimæ Dei-genitricis ædificavit, primus abbas Robertus ejusdem loci monachus; secundus Erfastus; tertius Barno; quartus Ernaldus; quintus Hildebertus; sextus Gislebertus monachi S. Ebrulfi; septimus Willelmus ipsius loci monachus; octavus Radulfus monachus Becci, qui ordinem ibi reparavit; nonus Hildericus monachus S. Ebrulfi; decimus Willelmus monachus ejusdem loci.

Y y iij

ANN. CHR.
1154.

XLV.
Roberti de Torinneio liber de immutatione ordinis monachorum.

XLVI.
Normanniæ monasteria & abbates.

In Cormeliensi, quod eundem auctorem habet, primus abbas Robertus monachus S. Trinitatis prope Rotomagum, qui in mari naufragio periit; secundus Gaufridus ejusdem loci monachus; tertius Willelmus monachus Becci; quartus Benedictus monachus ejusdem loci.

In Pratellensi, quod Hunfridus de Vetulis fundavit, primus abbas Ansfrius monachus S. Wandregisili; secundus Gaufridus monachus ejus loci; tertius Richardus de Dumellis, vir valde religiosus & litteratus, qui fuerat monachus S. Vigoris Bajocensis sub Roberto de Tumbalena, primo & ultimo illius loci abbate: quartus alter Richardus; quintus Rainaldus ejusdem loci monachus; sextus Michaël monachus Becci.

In Troarnensi S. Martini, auctore Rogero de Monte-Gommerici, primus abbas Durandus monachus Fiscamni; secundus Arnulfus Sagienfis prior; tertius Andreas monachus ejusdem loci, quartus Richardus monachus Cluniaci; quintus Gislebertus monachus ipfius loci.

In Sagienfi S. Martini, eodem auctore, primus abbas Robertus monachus Troarni; secundus Rodulfus monachus ejusdem loci, uti & quatuor fequentes, Hugo, Gisleberti duo, & Johannes.

In Divenfi beatæ Mariæ, quod Lezelina Aucenfi comitiffa exstruxit, primus abbas Ainardus monachus S. Trinitatis prope Rotomagum; secundus Fulco prior S. Ebrulfi; tertius Benedictus prior S. Audoëni; quartus Gauterius monachus Gemetici; quintus Robertus monachus S. Dionyfi; tres fequentes Radulfus, Richardus & Haimo monachi ejusdem loci; nonus Warinus monachus Cluniaci.

In Ulteriori portu S. Michaëlis, cujus conditor Robertus comes Aucenfi, primus abbas Herbertus monachus de Monte-Rotomagenfi; secundus Alveredus; tertius Ofbernus monachus ejusdem loci; quartus Fulcherius monachus Cluniaci.

Apud S. Victorem in Caleris, quod Rogerius de Mortuo-mari condidit, quatuor primi abbates, Richardus, Robertus, Mainardus, & Hugo, monachi fuere S. Audoëni.

In Greftenienfi S. Mariæ monasterio, quod Herlevinus de Contevilla condidit, primus abbas fuit Gaufridus monachus S. Sergii Andegavenfi; secundus Fulcius monachus Sagii; tertius Herbertus monachus ejusdem loci. Conftitutions & monachos initio habuerunt partim de S. Wandregisilo, partim de Pratellis. Exftat Arnulfi epifcopi Lexovienfi epiftola ad abbatem Greftenienfem, fcilicet Herbertum, de cujus longiori a fuo monasterio abfentia queritur, eoque redire quanto- cius jubet.

Apud S. Severum Conftantienfem, quod Hugo vicecomes Abrincatenfi, poft- ea Ceftrienfi comes fruxit, primus abbas Anfelmus monachus Gemetici; secundus Arnulfus monachus Ebroicenfis; tertius Petrus monachus Floriacenfis; quartus Robertus ejusdem loci monachus; quintus Guido Ceftrienfi.

Apud S. Trinitatem Exaquii, quod Eudo cum Capello fecit, primus abbas Rogerius monachus Becci; duo fequentes Gaufridus & Garinus monachi ejusdem loci; quartus Robertus monachus Cadomi; quintus & sextus Radulfus & Rogerus monachi ejusdem loci.

Apud S. Salvatorem Conftantinienfem, quod monasterium Nigellus vicecomes Conftantinienfi exstruxit, primus abbas Benignus monachus Fiscamni; secundus Hamelinus; tertius Anfridus; quartus Willelmus; quintus Hugo monachus S. Michaëlis de Monte.

Apud Fontanetum, cujus auctor Radulfus *Taifon*, avus tertii Radulfi, patris Jordani *Taifon*, primus abbas conftitutus eft Gaufridus monachus S. Wandregisili; secundus Hugo monachus Troarni; tertius Herbertus monachus Cadomi; quartus Willelmus monachus ejusdem loci, fcilicet Fontaneti; quintus Robertus monachus Cadomi.

In monasterio Monteburgienfi, quod a Rogerio monacho fanctæ Crucis feu S. Leutfredi ædificatum, ait Robertus, primus abbas fuit idem Rogerius, vir religiosus, & focius Wimundi, ejus qui poftea fuit epifcopus Averfanus, eidemque Rogerio librum de corpore Domini fcripfit. Secundus abbas fuit Urfus fubprior Gemetici, qui eundem locum ordine regulari, difciplina & ædificiis nobilitavit: tertius Petrus; quartus Walterius ejusdem loci monachi. Hanc abbatiam Henricus

rex Anglorum, fcilicet primus, commiffit Richardo *de Revers*, ut eam custodiret, fervaretque velut propriam. quod quidem facere curavit. unde ejus fundator vulgo cenfetur.

In monasterio de Ibreio, quod Rogerius de Ibreio condidit, primus abbas fuit Petrus monachus Columbenfi; secundus Durandus monachus Becci; tertius Ofbernus monachus Fiscamni; quartus Humbertus monachus Columbenfi; quintus Normannus monachus Becci; sextus Hubertus monachus S. Petri Carnotenfi, ex quibus nullus illic habuit fepturam.

In Lonleienfi feu Longidelenfi monasterio, quod Willelmus Talevatus in diocefi quidem Cenomannenfi, fed in ducatu Normanniæ conftituit, primus abbas fuit Willelmus monachus S. Benedicti Floriacenfis; secundus Hugo monachus ipfius monasterii; tertius Garinus monachus Ebronis; quartus Ranulfus monachus Cadomi; quintus Lanfredus monachus ejusdem monasterii; sextus Johannes monachus S. Launomari Blefi: quo deponito, fuffectus feptimus Berno monachus Majoris-monasterii.

Hæc funt monasteria virorum, quæ tunc exftabant in Nortmanniæ ducatu: ex quibus infigniorum monasteriorum ultimos tantum abbates, hic recensere vifum eft, propterea quod aliorum ferie ex his annalibus fatis elucefcit: contra minus infignium locorum omnes abbates, quos Robertus retulit, commemorandos duximus, quod alibi non facile locum habituri effent.

Quod attinet ad cœnobîa virginum, feptem tantum memorat, videlicet Villare, a S. Filiberto primitus in diocefi Rotomagenfi exstructum, quod Judith Richardi II. ducis Nortmannorum uxor inftauravit; Cadomenfe fanctæ Trinitatis, cujus auctor Willelmus dux Nortmannorum; Rotomagenfe S. Amandi, quod Gofcelinus vicecomes Arcacenfi intra muros urbis inftituit; Pratellenfe, quod Hunfridus de Vetulis, uti & aliud virorum, inftituit. Almenifcarum monasterium in diocefi Sagienfi, ubi olim S. Opportuna fuerat abbatiffa, quod comes Rogerus reftituit: Lexovienfe S. Petri, quod Lezelina comitiffa Aucenfi, relicta Willelmi comitis, qui filius naturalis erat Richardi II. Nortmannorum ducis, una cum filiis fuis Roberto comite Aucenfi & Hugone Lexovienfi epifcopo conftituit: & Salvatoris Ebroicenfis, quod Richardus comes ejusdem urbis in eadem urbe ædificavit.

Itaque tunc temporis in Nortmannia exftabant, & adhuc fuperfunt, triginta & octo monasteria, nempe triginta & unum virorum, & feptem puellarum, præter multos prioratus, ad quorum claffem monasterium S. Vigoris Bajocenfis eodem tempore redactum eft; præter etiam Saviniacenfis, quod Vitalis abbas in confinio Nortmanniæ & Britannia minoris conftituit. Hæc fatis fuperque fatis ex illo Roberti de Torinneio tractatu, quæ ad exhibendum illius provinciæ monasteriorum ftatum hic ob oculos ponere vifum eft.

Præter antiqua illa Nortmanniæ monasteria, unum infuper erat in agro Rotomagenfi fæculo feptimo a S. Sidonio abbate, beati Filiberti difcipulo conditum, quod poft varias alternantis fortunæ vices in fæcularium canonicorum manus devenerat. Quin etiam Matthæus locorum illorum dominus, fundatorum feu benefactorum fuffeffor, injuftam in ipfa ecclefia & in canonicorum præbendis dominationem ufurpaverat. Sed tandem pietate antecessorum fuorum & falute propria compunctus, quidquid in illa ecclefia occupaverat, Rogerio S. Wandregisili abbati contulit, ibique monachos canonicis poftliminio fubftitui curavit. Id factum annuente domno Hugone archiepifcopo, in præfentia Gironis archidiaconi ejus nepotis, Walterii decani, &c. quod poftmodum a Willelmo d'Etonteville & uxore ejus Adeliza coheredibus in præfentia Rotrodi archiepifcopi & aliorum confirmatum eft.

Haud fcio an Robertus de Torinneio jam abbas effet Montis-fancti-Michaëlis; cum prædictum librum de immutatione ordinis monachorum composuit. Jam quinto annus^b erat, ex quo de hac abbatia contendebant Richardus de Mufca & Robertus Audax, quorum prior ab epifcopo Abrincatenfi propinquo fuo, probante Eugenio papa, ordinatus fuerat: pofterior ab Henrico Nortmanniæ duce protegebatur. Glifcente difcordia, dum ambo Romam ad finiendam litem pergunt, ambo in itinere exftincti fuere. Poft tot turbines electus eft tandem Robertus de Torinneio, tunc Becci prior, qui eligentium votis optime refpondit, vulgo poft hac de Monte a loco abbatia cognominatus. Hinc in Appendice de fua promotione ad

XLVII.
S. Sidonii ecclefia monachis reftituta.

a Pommer. conc.
Rotom. p. 149.

XLVIII.
Robertus de Torinneio fit abbas Montis S. Michaëlis.
b V. lib. 79. n. 56.

ANN. CHR.
1154.

hunc annum, quasi de alio agens, ita scribit: *Mense Maio VI. kal. Junii, feria V. infra octavam pentecostes, monasterium beati Michaelis de Periculo-maris, post tribulationem, quam per quinquennium fere jugem passum fuerat, Deo miserante aliquantulum respiravit; electo unanimiter ab omni conventu Roberto de Torinnio, priore claustrali Beccensis monasterii. Tum de sua confirmatione a principe facta hæc subdit. Eodem mense dux Henricus rediens de Aquitania, ubi Alienordem a Ludovico Juniori repudiatam desponsaverat, Rotomagi in die festivitatis sancti Johannis-Baptista gratanter assensum præbuit prædictæ electioni: quam archiepiscopus Rotomagensis Hugo, vir summe religionis & industria, cum imperatrice matre ducis, scilicet Mathilde, antea ut presentes libentissime confirmaverant. Sequenti vero mense in festivitate S. Mariæ Magdalene prædictus electus benedictus est in abbatem apud S. Philibertum de Monteforti, quæ cella est monasterii Beccensis ad fluvium Rifelam * ab Herberto episcopo Abrincensi & Gerardo Sagienti, presentibus abbatibus Rogerio Beccensi, Michaële Præzellensi, Hugone de sancto-Salvatore Constantini. Hæc ille de se ipso. Præclara sunt, quæ fecit ad amplitudinem sui monasterii, tum ad restituendam augendamque rem familiarem, tum ad amplificandam bibliothecam, quam multis optimisque codicibus, quorum plerique supersunt, instruxit. Plura de eo in consequentibus.*

XLIX.
Ludovici regis
iter ad S. Jacobum.

a Roderic. lib. 7.
c. 9.

Idem auctor tradit, aliique cum eo, Ludovicum regem Francorum gratia orationis perrexisse ad S. Jacobum in Gallicia, & ab imperatore Hispaniarum, Alfonso scilicet, focero suo, cujus filiam paullo ante conjugem duxerat, favorabiliter susceptum esse. Hanc nostrates Constantiam, Hispani Elisabetham vocant. Aliam hujus itineris causam affert Rodericus a Toletanus, videlicet suggestum fuisse Ludovico per susurriones, Elisabeth uxorem suam ortam esse ex concubina. quod rex experiri volens, iter ad S. Jacobum aggressus sit. Id autem præsentiens imperator, (sic regem Hispaniarum tunc vocabant) cum magnifico apparatu & comitatu Burgis ei occurrit, ubi ab eo cum rege Navarræ, qui cum eo erat, gloriosissime susceptus, deductusque ad S. Jacobum; & in reditu Toleri in sollempni curia exceptus est; præsentem Raymundo comite Barcinonensi, ex cujus filia se Elisabetham suscepisse Alfonso contestatus est. quod Ludovico maxime placuit. Huic focer multa obtulisse donaria dicitur; *sed nil eorum, inquit Rodericus, voluit recipere Ludovicus, nisi quemdam carbunculum, quem in corona spine dominica apud S. Dionysium collocavit: quem etiam memini, ait ille, me vidisse.* Alfonso vero Ludovicus brachium S. Eugenii cujus reliquias ille petierat, anno sequenti per Odonem abbatem misit.

L.
Donatio facta
monaster. Longi-pontis.
b P. lib. 61. n.
92.

Præerat tunc temporis monasterio Longi-pontis in agro Parisiensi Theobaldus prior, qui locus a vicini Montis-Letherici opidi dominis saculo præcedenti b conditus & Cluniacensi monasterio subiectus fuerat: at tenues ejus reditus erant; nec alendis monachis suffecissent, nisi successorum liberalitas accessisset. Aliquot donationes refert Gerardus Boscius in historia Parisiensi, lib. XI. cap. I. præter quas unam habemus præ manibus a Stephano Parisiensi episcopo factam aliquot altarum, quæ assensu Theobaldi archidiaconi, & consilio totius capituli Parisiensis ecclesiæ sub certis conditionibus concessit ad fratrum sustentationem. Charta data est anno MCXXV. episcopatus sui secundo, sub Henrico loci priore. Verum post aliquot annos, id est anno præfenti MCLIV. Ludovicus rex eidem monasterio subjecit ecclesiam S. Petri Montis-Letherici, quam tunc abbas & aliquot canonici incotebant. Id se fecisse ait pius princeps *pro honestate monachorum Longi-pontis, intervenit Theobaldi prioris, quem suum amicum appellat, & assensu Johannis de Cathena abbatis cunctorumque ejusdem loci canonicorum.* Hanc donationem, quæ hoc anno Parisiis facta est, paullo post Anastasius pontifex assentiente Theobaldo episcopo Parisiensi, qui tunc Romæ præfens aderat, dato diplomate confirmavit, *ad ponendum in ea ecclesia monachos qui divina ibi officia, & statum ecclesiæ in melius debeant providere.* Chartam regis & pontificis confirmationem in Appendice referemus.

LI.
Ernaldus abbas
scribit librum
secundum de
vita S. Bernardi.

Non multo post S. Bernardi obitum Clara-vallenses, cum multis viris non minus doctis quam piis abundarent, ab Ernaldo nihilo minus Bonæ-vallis in agro Carnuteni abbate, quem viri sancti, dum viveret, amicum fuisse noverant, flagitarunt, ut librum secundum de vita S. Bernardi post Willelmum scriberet. Hanc eorum modestiam laudat Ernaldus in sua præfatione. *Debuerant utique, inquit, viri illi, quibus nihil in aliqua gratia desit, hunc laborem assumere, & venerabilis patris insculpere monumenta. ... Sed extrema emulari, & qua homines lateant, Clara-vallis consuevit humilitas:*

ANN. CHR.
1154.

humilitas: & proferre in publicum aliqua sui indicia viri illi nobiles erubescunt, & quicquid facit eos contemptus & abjectio, quam qualibet oblatio dignitatis, in qua sibi professio humilitatis periclitari videtur. Ob hujusmodi causas sese intra silentii cardines retinentes, magis in sacco eremi, quam in sacco palatii delectantur, nec jam in stilo, sed in cruce gloriam querunt. In hoc ergo, sicut & in ceteris ejusmodi, negotiorum suorum sarcinas aliis libenter imponunt. Et nunc, sublato venerabilis memoria domno Guillelmo, qui ejusdem viri sancti gloriosa primordia fideliter & devoto conscripsit, ad meam exiguitatem hujus operis devenit petitio, & imposuit mihi dilectæ ecclesiæ caritas, ut eorum pulmentum filiis prophetarum: in quo si colocynthidas miscero negligens; superjecta, ut confido, farina condidit Eliseus, & excessus insipientia obedientiæ excusabit affectus. Hactenus vir modestissimus, qui hunc librum orditur a pontificatu Innocentii II. & ad ejus obitum perducit, definitque in discordia, quæ inter Ludovicum Juniorem & Theobaldum Campaniæ comitem orta est.

LII.
Alia ejus scripta
examinantur.

Alia quoque opuscula scripsit Ernaldus, quem Trithemius Arnoldum vocat, sed ordinis Cisterciensis fuisse perperam dicit, cum Cluniacensem fuisse ex niff. codicibus constat. Ernaldus recte vocatur ab Henrico Gandavenfi, qui librum ejus de sex ultimis Christi Domini in cruce verbis laudat; sed male cum Trithemio eum quatuor de vita S. Bernardi libros post Willelmum scripsisse dicit. In nova S. Cypriani operum editione Oxoniæ facta eidem Ernaldo vindicatur, quod jam ab aliis observatum erat, liber *de cardinalibus operibus Christi*, Cypriano perperam antehac tributus: qua in editione vulgata est auctoris præfatio, quæ fucum fecit, *ad Cornelium papam, pro Hadriani IV. nomine, cui liber ille ab Ernaldo inscriptus dicitur in codice Clara-vallensi, in quo habetur sub nomine domni Ernaldi Bonæ-vallensis abbatis.* Ad eundem pontificem profectus est Ernaldus, ut ex duabus ad ipsam epistolis Arnulfi Lexovientis intelligitur, in quarum una de ejus professione agit, & de sacrificio pro ipsomet oblato: in altera vero, quæ prior in editis est, eidem gratulatur, quod ejus *prudenciam & honestatem honore debito Romana recognovit ecclesiæ.* In hac præfatione ait auctor, se nomen suum minime præfixisse, ne forte nobilis materia decoratam se potius, quam ornatam ipsius præsumptione quereretur. quod etiam sub finem prologi repetit. In fine præfationis idem innuit, se a pontifice petiisse missionem ab imposita sibi præfectura. *Ego quidem, inquit, nec a me ipso, neque ab alio quero nomen; neque enim aliquid me existimo esse, cum nihil sim: qui hoc a vobis maxima supplicatione quaesivi, ut non essem quod sum; & humiliter supplicavi, ut ab hac flamma, in qua crucior, me vestra clementia liberaret. Tentavi si possem, manu vestra me sustinente, honeste descendere: quod quia non potui, urgentibus flammis, non attendi quo proflirem, dum me vorax incendium non cremaret.* His verbis, ut jam dixi, missionem a pastorali regimine postulabat Ernaldus, quam quidem demum obtinuit, reversus ad Majus-monasterium, unde assumtus fuisse creditur. Id colligitur ex quodam hujus loci instrumento, cui subscribit *Ernaldus quondam abbas Bonæ-vallis.* Verum id non contigit ante pontificatum Alexandri III. ut suo loco videbimus. Alia Ernaldi opera exstant ad calcem S. Cypriani operum in nova illa editione Oxoniensi. Eidem liber *de donis Spiritus-sancti*, necdum typis impressus, tribuitur in codice Cisterciensi sub hoc titulo, *Incipit liber Arnaldi abbatis Bonæ-vallis;* in cujus prologo, quem cuidam fratri dicat, eandem, quam in aliis opusculis, modestiam præfert. In alio codice habetur *Tractatus pie memoria domni Ernaldi abbatis Bonæ-vallis de psalmo cxxxii.* Utrumque manu descriptum habemus. In codice Cisterciensi libellus *de septem verbis Domini* hunc præfert titulum: *Arnaudus abbas de Bonæ-valle in Francia de verbis Domini.* Hic liber primum editus est a Johanne Gagneio, Francisci primi Galliarum regis a consiliis & eleemosynis, sub titulo *Arnaldi abbatis Bonæ-vallis in diocesi Carnotensi.* Hunc librum recensuit Franciscus Titelmannus, præmissa præfatione, in qua hæc verba: *Fertur idem auctor præter duos hos tractatus, nempe de verbis Domini & de laudibus beatæ Mariæ, alia quoque conscripsisse opuscula, de operibus sex dierum, deque corpore & sanguine Domini, quæ hactenus nobis invisæ.* At forte liber de corpore Domini non aliud sit quam capitulum de cena Domini in libro de cardinalibus Christi operibus, in quo de Eucharistia agit Ernaldus.

Ceterum mirum est, primos editores adeo cæcutiisse, ut librum de cardinalibus Christi operibus S. Cypriano tribuerint: cum ipsa libri nuda lectio contrarium facile persuadere debuisset. Id unum sufficere poterat, quod auctor agens de bapti-

ANN. CHR.
1154.

imo Christi scribit, baptismum, per quemcumque administraretur, validum esse; nec hoc meritis conferentis esse datum, sed gratiæ. Mitto quod dicit in capitulo de cœna Domini, de ritu patefaciendi ea die carceres & de liberatione damnatorum per iudices; item de unctiōe renū & sacerdotum tunc fieri solita, quæ recentiorum temporum esse constat. Mitto denique easdem loquendi formulas ac in libro de verbis Domini & de laudibus beatæ Mariæ: quæ hic prætermitto, ne longior sim, qui jam forte propositi limites excessi.

LIII.
Rogerii regis
vite scriptor
Alexander ab-
bas.

Mortuus est hoc anno Rogerius rex Siciliæ iv. kal. Martii, cujus res gestas Alexander Telefina cœnobii abbas hortatu Mathildis ejusdem Rogerii fororis, conjugis Ranulphi comitis litteris mandavit quatuor libris, in quibus non satis accurate seriem temporum observavit. Typis vulgati sunt hi libri cum Gaufrido Mala-terra ab Hieronymo Surita in tomo iii. scriptorum Hispanicorum, ubi Alexander mendose *Celesini cœnobii* abbas dicitur, legendumque *Telefina*. Hoc cœnobium nostri Ordinis sub titulo Salvatoris prope Telefam * urbem in Campania-Felice, positum est haud procul a confluentibus Wlturni, Sabatique fluviorum. Quo præcise tempore conditum sit hoc cœnobium, non satis liquet. Exstabat ante annum MCLXXV. quo Stephanus abbas sancti Salvatoris *de Telefa* cuidam instrumento ^a subscribit. Alexandrum abbatem præcessit Stephanus abbas, qui anno MCXLIV. quibusdam diplomatibus ^b subscriptus invenitur. Quædam bona Rogerius rex contulit eidem monasterio, cujus abbas commendatarius erat anno MCCCCIV. Andreas Cajacensis episcopus, ut Lubinus notavit.

* Telefa.

^a Ital. sac. 10.
8. p. 137.^b Ital. sac. 10.
6. p. 143. & 145ANN. CHR.
1155.
LIV.
Hadriani pa-
pæ quædam
acta.

NON expers turbarum fuit Hadrianus IV. initio pontificatus. Arnaldus quippe famosus ille schismaticus, qui toties Romam obtentu restituendi senatus conturbaverat; Romanorum quorundam factione Urbem ingressus, Hadrianum illinc exire coegit. Sed tandem homo turbulentus comprehensus, a præfecto Urbis ligno adactus debitas pœnas luit; tum cadaver rogo impositum & in pulverem redactum, ne a stolidâ plebe venerationi haberetur. Non multo post Fridericus a pontifice coronatus est, cui stratoris officium non sponte exhibuit. Nonnihil etiam negotii papæ accessit Willelmus Siciliæ rex novus, obsessa Benevento, & in Campaniam irruptione facta; ob id a pontifice sacris interdictus: sed paullo post resipiscens absolvitur.

LV.
Robertus S.
Albani abbas
eum adit.

Hujus rei causa pontifex Beneventum profectus est: ubi dum resideret, eum convenit Robertus S. Albani in Anglia abbas; qui, audita conterranei sui promotione, ad reparandas monasterii sui dignitates & prærogativas eum adire constituit. Erat ei non dubia spes impetrandi quod postularet; tum quia Nicolaus (id papæ olim nomen) in prædio cœnobii S. Albani natus erat: tum quia Robertus de Camera ejus pater ibidem monachus factus erat, & filium suum S. Albano devoverat. Comparato itaque non sine multo sumtu & dispendio sacrorum cimeliorum viatico, die S. Dionysii iter arripuit, adjunctis sibi tribus episcopis, Cenomannensi, Lexoviensi & Ebroicensi; quibus omnibus, sed in primis abbati, rex Henricus quædam negotia apud papam procuranda commisit. Ubi Beneventum advenere, expeditis regni negotiis, episcopi recessere: abbas vero in familiare papæ colloquium admissus est. Tum vero multa, eaque pretiosa pontifici donaria obtulisse dicitur, in his tres mitras & sandalia miri artificii, quæ a quadam Christina priorissa facta fuerant. Hæc omnia sereno & benigno vultu intuitus est papa, sed nihil præter mitras & sandalia retinere voluit; festive & per jocum dicens ea se abnuere, quia se aliquando ad alas religionis S. Albani confugientem, & habitum monasticum enixe postulantem admittere renuerant. Tum eleganter ac civiliter adjecit: *Abbas carissime, audacter pete quod vis: non poterit beato Albano deesse suis Albanensis.* qua occasione usus abbas, privilegium exemptionis a jurisdictione episcopi Lincolnensis petiit, & impetravit. Ad hæc, in alio familiari cum papa colloquio, ei exposuit, quanta humanitate & caritate susciperentur quilibet hospites & peregrini in domo caritatis sui monasterii, ubi totius regni concursus erat populorum: at longe aliter actum erga se & prædictos episcopos in monasterio S. Benedicti super Ligerim: ad quod hospitandi gratia cum declinasset; abbas eis *procuracionem & tectum* denegaverit, qua de re commotus papa, ejusdem loci abbati (is Macarius erat) acrem epistolam scripsisse dicitur, ab his verbis incipientem, *Si religiosa professionis*, &c. Unde præ-

^a supra lib. 79.
n. 164.ANN. CHR.
1155.

dictus abbas pudore suffusus, *statuta hospitalitatis* cœnobii sui amplificaverit. Expeditis itaque tum regni, tum monasterii sui negotiis, Robertus abbas domum reversus est. Hæc omnia fuse profequitur Matthæus Parisius in historia monasterii sui abbatum, ubi consequenter agit de contentione, quam idem abbas habuit cum episcopo Lincolnensi super privilegio a papa recens obtento: cui contentioni tandem Gislebertus Herefordensis præsul finem imposuit. Hæc videre licet apud Parisium, uti & ea, quæ subdit de duobus candelabris ex argento & auro fabricatis, quæ idem abbas per quosdam e suis Romam transmisit ad papam Hadrianum, qui vicissim ei usum pontificalium insignium indulxit; insuper quæ de repetita idem lite Lincolnensis episcopi idem auctor disserit, quæ omnia hoc loco in transcurso leviter tetigisse sufficiat.

Inter alia negotia, quæ Hadriano papæ regis Henrici nomine suggerenda habebant tres prædicti episcopi & Robertus S. Albani abbas, unum erat de electione episcopi Andegavensis, cujus sedes tunc vacabat, post mortem scilicet Normanni, qui Ulgerio episcopo successerat. Ea jam dudum inoleverat consuetudo in ecclesia Andegavensi, ut mortuo episcopo tres pariter nominarentur, ex quibus unus *per principem terræ*, id est comitem Andegavorum, pro ejus beneplacito in episcopum assumeretur. Post Normanni obitum hæc consuetudo canonicis illius ecclesiæ contraria canonicæ disciplinæ & rationi visa est: at rex prisca consuetudini standum esse contendebat. Quam ob rem causa hæc ad iudicium Hadriani delata est per utriusque partis deputatos. Ex parte regis fuere Rotocus Ebroicensis episcopus & Guillelmus *de Passavant* Cenomannensis, quibus Lexoviensem episcopum, nimirum Arnulfum, addit Parisius; tum Robertus abbas S. Albani modo laudatus, & G. decanus S. Laudi; ex parte vero canonicorum capituli Andegavensis quidam canonici. Auditis utrimque rationibus, hanc consuetudinem rationi modis omnibus contrariam esse definivit pontifex; ideoque eam anathematis interminatione de communi fratrum suorum consilio apostolicæ sedis auctoritate damnavit. *Datum Beneventi vii. kal. Martii*, ut fufius legitur in litteris in Appendice referendis, quæ præmissam Matthæi Parisii narrationem luculenter confirmant.

LVI.
Andegavensis
episcopi elec-
tio turbata.

Post hæc electus est Matthæus ex abbate S. Florentii prope Salmurum, de castro Lausduno, doctrina & sanctimonia clarus, de quo in superioribus, iv. idus Martii ordinatus, adeoque anno sequenti: sed non diu hac dignitate potitus est, mortuus anno MCLXII. Martii tertia decima die. quod alii ad annum præcedentem pro veteri calculo revocant. Præclara Matthæo abbati elogia tribuit Ulgerius episcopus, a quo dicitur *sedes & exemplum veræ religionis*. Item alibi eum vocat *amicum verissimum & probatissimum ecclesiæ Andegavorum, & qui multum sepe in officiis illius & nostris*, inquit, *sudavit & alit*. Unde non mirum, quod illius ecclesiæ præsul post Normannum Ulgerii successorem electus est.

LVII.
Matthæus ab-
bas episcopus
eligitur.

Matthæo ad sedem Andegavensem translato successus est in Salmurensi abbati Stephanus ex priore abbas loci vicessimus-primus, de Roca-Fulcaudi apud Engolismenses non obscuris parentibus oriundus, vir insigni prudentia & eloquentia præditus, qui abbatiali benedictione necdum suscepta, ad Redonensem episcopatum assumptus est, quem decim annis feliciter rexit. Obiit nonis Septembris anno MCLXVI. sepultus in claustris S. Melanii ad portam ecclesiæ. Ogerius prior Salmurensi territorio ortus, ei in abbatiali munere successit ad breve tempus. nam vicessimo-sexto post suam benedictionem die extinctus, Philippo abbati locum fecit. Philippus vero S. Florentii reliquias in novam thecam transferri curavit, ut inferius dicturi sumus. Hujus translationi prædicti episcopi, Matthæus & Stephanus interfuerunt.

LVIII.
Salmurenses
abbates.

Mortuo Stephano rege Anglorum, ejus frater Henricus Wintoniensis episcopus & apostolicæ sedis legatus, non diu in Anglia demoratus est. Jam dudum Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis eum hortabatur, ut ad suam Cluniacum tandem rediret, & ecclesiæ illi suæ, cui post Deum animam suam commiserat, corpus suum non negaret. Extant duæ hac de re Petri^a epistolæ, professi, si id faciat, omnibus Anglicis thesauris sibi gratius fore. Ad hæc, cum resciret Hadrianus papa, nec rex Francorum Ludovicus, Burgundiæve proceres non ignorarent, Cluniacense monasterium, ob regni & ecclesiæ necessitates debitorum onere supra modum obligatum esse; Henricum vero non modo in administranda re familiari experientissimum, sed etiam opibus abundare; litteris eum interpellarunt, ut Cluniacum tandem se

LIX.
Henricus Wintoniensis præsul Cluniacum se recipit.^a Petr. Ven. lib.
2. ep. 24. & 25.

ANN. CHR.
1155.

reciperet, matri laboranti succursurus. Acquievit ille tantorum virorum adhorramentis, & inconsulto rege, thesauro suo per Petrum abbatem transmissio, in Galliam trajecit, & Cluniacum demum appulit. Id ubi rex Henricus accepit, ira succensus castella ecclesie Wintoniensis subruere iussit. quod Robertus de Monte, Mathaeus Parisius, alique rerum Anglicarum scriptores hoc anno factum tradunt.

LX.
Cluniaci rem
familiarem re-
stituit.

Hoc œconomus & benefactor locupletissimo Cluniacensis familia, quæ ad trecentos amplius monachos excreverat, respirare cœpit. Henricus enim amplissimo illo thesauro ecclesiam gravi debitorum onere oppressam redemit, monachos per unum annum de suo pavit, ædificia nova struxit, caduca refecit, & ecclesie quadraginta calices & multa ornamenta contulit: ita ut amplius septem millia marcarum argenti in hæc omnia se expendisse testatus sit. Tum vero monasterii reddituum ac censum ratione inita, eorum usum scite ac prudenter assignavit. Panis pondus ad opus monachorum, duarum marcarum & septem unciarum ac quinque denariorum esse constituit; & ad panes trecentis illis amplius monachis suppeditandos tria sextaria frumenti quotidie subministrari, ex quibus centum ac viginti-quinque panes, quorum singuli duobus monachis sufficerent, conficerentur. Tot tantorumque beneficiorum memor Rodulfus Cluniacensis abbas ejus nepos, sollempne illi anniversarium assensu patrum instituit vi. idus Augusti, die ipsius obitus, qui anno MCLXXII. contigit.

LXI.
Alie res Clu-
niacenses.

Eodem tempore recruduit altercatio Gigniacenses inter ac Miratorii monachos, quæ Heraclio Lugdunensi archiepiscopo Petri Venerabilis fratri & Henrico Wintoniensi judicanda hoc anno commissa est. Tunc etiam in Burgundia ingens terræ motus factus est xv. kal. Martii, quo Cluniacense monasterium ter in nocte festi S. Priscæ succussus est; & castellum quoddam proximum voragine absorptum in abyssum aquarum conversum, testante Roberto de Monte, qui eundem terræ-motum per totam quadragesimam etiam in Longobardia frequenter accidisse, & apud Montem sancti Michaelis, ubi tunc abbas erat, penetrasse tradit.

LXII.
Vizeliaci libertas asserta.
a Spicil. 10. 3.
p. 564.

Hugo Pictavinus sub finem libri tertii a Chronici. Vizeliacensis auctor est, hoc ipso anno, Hadriani papæ secundo, agente rege Ludovico Juniore, Vizeliacensi ecclesie requiem datam fuisse opera strenuissimi Pontii abbatis, ejusque libertatem assertam, tam in privato, quam in forensi negotio. In ejus autem argumentum, Alanum Autisiodorensis episcopum Pontii abbatis invitatu sollempnes ordines ibidem celebrasse sabbato jejuniorum mensis Martii, assistente in monasterio cardinali subdiacono Odone de Bona-casa, præsentem quoque & cooperante Stephano abbate Regniacensi. Sequenti vero anno duos episcopos, Cenomannensem scilicet ac Ebroicensem, redeuntes ex urbe Roma cum abbate S. Albani, apud Vizeliacum pascha celebrasse, ibidemque ordines contulisse. Quæ quidem optime quadrant iis, quæ superius de horum episcoporum & abbatis S. Albani legatione diximus.

b supra n. 35.

LXIII.
Cistercii abbati
Gozevino suc-
cedit Lambertus.

Eodem anno pridie kal. Aprilis excessit e vivis Gozevinus, Cistercii quintus abbas, vir sanctus, cujus corpus sepulturae mandatum est juxta tres antecessores suos, (nam Robertus primus abbas Molismi jacebat) Albericum videlicet, Stephanum & Raynaldum. Vacantem præfecturam supplevit Lambertus ex abbate Morimundi ad annos sex: quibus exactis, Stephani abbatis exemplo magistratum abdicavit.

LXIV.
Friderici impe-
ratoris legatio
ad capitulum
Cisterciense.
c Manrig. hoc
anno.

Hic eodem anno capitulum generale de more celebravit, ad quod Fridericus, post coronationem suam ex Italia revertens, legationem Cisterciensi familie perquam honorificam direxit, deditque ipse non vulgare pietatis suæ documentum, missa ad venerabiles illos per nuntios epistola, qua in eorum societatem se adscribi flagitat. *Credimus enim, inquit, immo vere scimus, quod tanta est sanctitas hujus reverendi ordinis, tamque est placens, tamque suave & acceptabile holocaustum orationum vestrarum, quod ei quotidie offertis sub carnis vestrae maceratione & mortificatione, quod omne id, quod a Creatore nostro duxeritis petendum, cum pius ipse sit & promptus ad benefaciendum, obtinebitis a multitudine miserationum suarum. Est etiam fides nostra, non utique parva, quod hic mundus, qui lubricus & immundus est, & in maligno positus, orationibus vestris sustentatur, & a facie furoris illius tremendi Judicis, cujus iram peccatis nostris accendimus, defensatur, avertendo suam, quam meremur, indignationem. Cum igitur hoc firmissime credamus, quod ab ipso Patre misericordiarum piis orationibus vestris impetretis, quidquid ab ipso in nomine unigeniti Filii sui humiliter postulaveritis, nos, qui peccati pondere recognoscimus oppressos nos esse, omni*

ANN. CHR.
1155.

humilitate, omni devotione ab universis vobis & singulis, qui in nomine Christi hic convenistis, petimus & obsecramus omnium precum instantia, quatenus in fraternitatem vestram nos recipientes, & in consortium sanctissimum orationum vestrarum nos colligentes, speciales Creatori nostro preces effundere dignemini, ut gratia sua misericorditer in nobis deleat & emendet, quidquid hætenus commissimus humane carnis infirmitates & in his, quæ sibi placita sunt, nos confirmare dignetur, &c. qua quidem epistola, siquidem genuina est, nihil honorificum magis ad commendationem ordinis Cisterciensis, nihil aptius ad probandam Friderici pietatem, qualem in consequentibus non semper retinuit. Datum apud S. Naborem XII. kal. Septembris indictione III. Hæc indictio huic anno recte quadrat: sed de loco non levis difficultas. Non enim facile conciliari potest cum serie itineris, quod in reditu ex Italia Fridericus tenuisse dicitur ab Ottono Frisingensi episcopo in libro secundo de gestis ipsius Friderici, qui ex urbe Verona per Tridentum a vallemque Tridentinam in Bajoariam venit, & mediante Octobri Ratisponam ingressus est, indeque progressus ad partes Rheni, proximum natale Domini Wormatiæ celebravit. Num in toto illo itinere locus occurrat S. Naboris dictus, præter eum, qui in Lotharingia eo nomine occurrit, aliis disquirendum permitto.

a Otto lib. 2.
c. 26. & seqq.

Non minus ad Cisterciensis ordinis commendationem facit epistola, quam patres illius capituli generalis scripsere ad Ludovicum Juniorem de ipsius fratre Roberto, qui in domibus eorum contra ordinis statuta interdum carnes edere consueverat. Hac de re turbati patres, supplices ad regem litteras, ut id prohiberet, submittere, quas ad nostrorum documentum & cautelam, quibus idem veritum est, ex tomo IV. Chesnii hoc loco exhibere juvat. sic autem habent.

LXV.
Cisterciensium
epistola nota-
bilis ad regem
Ludovicum de
estu carniæ.

Ludovico illustri & glorioso Francorum regi christianissimo, humilis episcoporum & abbatum conventus apud Cistercium congregatus, salutem & devotissimas orationes in Domino. Novit plenius humilitas nostra de vestra serenitate, quanto studio nostram adjuverit paupertatem, ut in regno vestro quietam acturi vitam, ab institutis nostris a nullo impediremur. Ea propter tamquam excellentissimo principi notificamus emendanda, quæ de novo a quibusdam in nostri detrimentum Ordinis attentantur. Cum enim ab initio nostri Ordinis statutum sit, & sub excommunicatione gravi prohibitum, ne quis in domibus nostris vel grangiis hospitatus, comedat carnes; comes Robertus frater vester, hoc forsitan nesciens, sepius agit. Unde & fratres nostri turbantur, & eum offenderent, & peccatum incurrere, & nostram ledere parvitatem sciatis. Ea propter Majestatem vestram flexis genibus imploramus, ut pro amore Dei & huic suadere dignemini, ut a talibus abstinere causa Dei & vestri debeat: quoniam non desunt ei honestiora hospitia, quam apud grangias de Pruliaco & aliarum domorum nostrarum: nec debet ei grave videri, quod tam de levi corrigere potest, ne & alii ejus exemplo talia faciant.

Hæc epistola scripta est nomine non modo abbatum in capitulo generali adunatorum, sed etiam episcoporum qui ex eodem ordine assumti fuerant; digna sane tantis viris & tam religioso coetu, quidquid contra sentiat Johannes Saresberienfis, qui improbare videtur id, quod in libro consuetudinum Cisterciensium apud plebrosque legitur & tenetur, ut nec carnes apponantur hospitibus, nec propter eos aliquid ematur: quasi id sit contra humanitatem illam, quam S. Benedictus hospitibus exhiberi præcepit. At longe inhumanius esset ac turpius, inquit Basilius Magnus, propter delicatos aliquos, monasterii leges ac frugalitatem mutare. quæ de re alias plura diximus, dicturique Deo dante sumus inferius, ubi Innocentii rescriptum hujus argumenti ad abbatem Silvæ-majoris referemus.

b Polyer. lib. 8.
c. 13.c Annal. 10. 1.
15. n. 14.

In superiori libro vidimus, in ordine Cartusienfi turbas quasdam fuisse excitatas occasione electionis Otmarii e majori Cartusia postulari ad episcopatum Gratianopolitanum, quam quidem approbant hujusce domus alumni, aliæ vero domus improbant. Haud scio an simultas illa omnino sedata erat pontificatu Gaufridi qui ex eadem Cartusia post mortem Otmarii ad illam sedem evectus est. Id melius lector intelliget ex litteris ipsius Gaufridi jam episcopi ad Cartusienfes, quos capitulo generali omnino subjectos esse jubet. En tibi litteræ illæ extabulatio Gratianopolitanæ ecclesie.

LXVI.
Gaufridi epi-
scopi epistola
ad Cartusianos.
d lib. 79. n. 148.

Ego Gaufridus, Dei gratia episcopus Gratianopolitanus, rogatu Basili Cartusie prioris, & ceterorum fratrum ibidem Deo famulantiuum, præfaram domum communi

ANN. CHR.
1155.

capitulo, sicut generali consilio totius ordinis decretum est, episcopali auctoritate corrigendam, & in tali proposito Cartusienſi conservandam concedo. Decernimus etiam, quod, si prædicta domus a suo proposito ad aliud propositum, quod Deus avertat, aliquando se transferre voluerit, vel prior, vel persona quælibet, vel etiam tota domus obedire prædicto capitulo noluerit, sententiis excommunicationum tam nostræ, quam totius capituli subjaceat.

Ex his litteris conjicere licet, quosdam ex illis repugnasse quibusdam statutis a capitulo generali conditis; eoque rem evasisse, ut quidam de mutando proposito cogitaverint. quod & capituli generalis, & Gaufridi episcopi auctoritate sub excommunicationis interminatione prohibetur. Neque vero mirum videri debet in tam sacro ordine rixas quandoque ortas esse. Nullus enim tam sacer locus, nulla tam sancta societas, in qua ejusmodi aliquando similitates non oriantur. Ceterum quanta fuerit toto illo tempore de ordine Cartusienſi existimatio, etsi jam sæpe observavimus, aperte declarat Johannes Saresberienſis^a in Polycratice, ubi hypocritarum nomen & notam cautius evitasse dicuntur Cartusienſes & Magni-montis seu Grandimontis nova professio. quod tamen citra aliorum ordinum injuriam ille dictum vult Johannes, confessus, sanctos esse Cistercienses, sanctos Cluniacenses, sanctos canonicos regulares.

^a Polycr. lib. 7. c. 23.LXVII.
Cartusienſium
colonia missa
in Daniam.
^b Petr. Cell.
lib. 1. ep. 23.

Tunc temporis Cartusienſium colonia missa est in Daniam flagitatu Eskili archiepiscopi Lundensis, qui ea de re scripsit ad Petrum Cellensem, ut scilicet fratrem quemdam, qui locum novæ colonie præpararet, quantocius illuc mittere curaret. Id nos docet ipsius Petri ad Eskilum epistola,^b in qua, laudata ejus effusissima liberalitate, hæc subdit. *Ex vestra dignatione in mandato ab anno præterito accepi, quatenus Cartusienſes fratres expeterem, & de maturando negotio vestro eos commonefacerem. Erat autem negotium, sicut scitis, quatenus ad vos mitteretur frater Rogerius, ad locum ordini illorum in partibus vestris perquirendum & præparandum. Disposuerat namque in animo vestro plena & perfecta caritatis effusio, nova seminaria de omni genere sacrorum ordinum seminare provinciam vobis a Deo commissam: ut exinde fructus, qui permanent in æternum, susciperentis, & manipulos justitiæ de laboribus eorum ad æterna tabernacula reportaretis. Jam non solum in herbam, sed in spicas Cisterciensis sive Claræ-vallis ordo ibi multiplicatione fratrum excrevit; nihilo minus & religio Præmonstratensis. . . . Ecce factum est ut imperastis. Adquievit sanctus Cartusienſium fratrum conventus justis petitionibus vestris. Equidem res impetrari difficilis: sed quis vobis negaret, quod forte Spiritus sanctus in sancto templo suo suggererat? Hactenus Petrus, qui in alia ad ipsos Cartusienſes epistola^c eos hortatur, ut, quia messis multa in Dacia jam alba erat ad metendum, sed operarii pauci, mittant ex suis, qui nomen Dei & sanctum ordinem suum in terram illam portent. Ad nostros revertor.*

^c id. lib. 5. ep. 2.LXVIII.
Capitula generalia
nostri Ordinis.

Jam inde ab Innocentii II. pontificatu Cisterciensium exemplo, non modo Cluniacensium nostri, sed etiam abbates aliorum monasteriorum, quæ nulli congregationi addictæ erant, capitula generalia, ut idem pontifex præceperat, subinde celebrabant. Primum ex his fuisse videtur capitulum apud Sueſſionas congregatum, a S. Bernardo laudatum in epistola xci. ad abbates Sueſſione congregatos, de quo in superioribus egimus. Ab eo tempore nullus nobis conventus abbatum nostrorum occurrit ante pontificatum Hadriani IV. quo tempore duarum ad minus provinciarum, Remensis nimirum & Senonensis, abbates in Remensi archiepiscopatu conveniunt, & de emendandis ordinis erratis quædam statuerunt.

LXIX.
Latiniacensis
abbas culpatus
d. V. lib. 72. n. 31.

In his actum est de abbate Latiniacensi, scilicet Godefrido^d seu Gaufrido II. cujus vita ordini ac dignitati suæ minime respondebat. Hinc ejus depositionem urgent illius capituli patres ab Hadriano papa, litteris ad eum scriptis, quarum hæc inscriptio: *Amantissimo patri & domino Adriano, sanctæ Romanæ sedis summo pontifici, humilis conventus abbatum sub Remensi archiepiscopatu in uno spiritu ad Dei honorem coadunatus, sincera caritatis obsequia & pia orationum suffragia, Gaufridum accusant illi, quod monasterio non solum non prodesset, sed obesset plurimum, quippe qui subditos ad normam religionis minime dirigeret, & ignominiose vivens, plures ex illis exemplo pravæ vitæ commacularet atque inficeret. Unde quidam ex fratribus, confortium ejus, tamquam letale contagium perhorrescentes, ad alia monasteria secederent, ut sub legibus monasticis religiosius converfarentur, quas illa*

ANN. CHR.
1155.

Latiniacensis ecclesia, quondam celebris & famosa derelinquere videbatur. Tum pontificis esse aiunt, infructuosam arborem, ne terram occupet, succidere; & eam, quæ fructum ferat inserere. Hæc epistola a nobis integra edita est ad calcem S. Bernardi epistolarum. Non tamen statim præfectura dejectus est Gaufridus abbas, immo Romanam profectus, ab Hadriano papa privilegium consecutus est. Quin etiam *turrim communiæ*, ut tum vocabant, quam Henricus comes, Theobaldi Magni filius erectam volebat, everti curavit. Verum, repetitis de ejus moribus querelis, in ordinem tandem ab Alexandro III. redactus est, ut inferius dicturi sumus. Sic Latiniacensis ecclesia sub Gaufrido isto multum agitata fuit, quæ prius sub Radulfo abbate ejus antecessore itidem vexata fuerat, sed ob causam longe dissimilem, ut superius ostensum est testimonio^a S. Bernardi, qui Radulfi innocentiam propugnavit.

^a Bern. ep. 235.
LXX.
Sueſſionensis
conventus.

Habitus est hoc anno conventus apud Sueſſionas IV. idus Junii, præfente Ludovico rege ad reprimeſcendos prædones, qui in Francia impune grassabantur. Huic conventui interfuere archiepiscopi Remensis & Senonensis cum suis suffraganeis, necnon comites Flandrenſis, Trecaſſinus, Nivernensis, aliique plures, ac dux Burgundiæ. In hoc conventu sancita pax & securitas ad decem annos, quam rex *in verbo regio* se irrefragabiliter servaturum promisit; idemque juraverunt dux Burgundiæ, comites & barones: episcopi vero & abbates *ante sacras reliquias* idem polliciti sunt. Exstat hac de re Ludovici regis decretum^b apud Chesnium. Insignior de ejusmodi prædonibus & raptoribus apud Teutonicos pœna erat, ut paullo post^c videbimus. In eodem conventu Ludovicus etiam clericos Sueſſionenses, qui cum episcopo dissidebant, ad concordiam revocavit. In eodem conventu ventilata est causa de Lucianæ Farenſis abbatissæ benedictione, in qua episcopus Meldensis obedientiæ professionem volebat exigere, quam illa recusabat. Sed de his superius^d actum est.

^b Chesn. to. 2. p. 183. & seq. c infra. 38.^d supra n. 44.

[Circa hoc tempus Adrianus papa commonitorium ad Martinum abbatem & fratres Vedastinos dedit epistolam, quæ sane hic locum habere meretur: *Vos qui Ægyptum reliquistis, & sicut pede mare rubrum jam videmini pertransisse, ad anteriora debetis oculos mentis vestræ semper erigere, & ad terram promissionis tanto attentius anhelare, quanto plures in Ægypto positos conspiciitis cum Pharaone submergi, & Ægyptiorum deliciis citius quam æstiment defraudari. Defraudantur enim desiderio suo, qui super ollas carniū in Ægypto remanere desiderant, quoniam in puncto ad inferna descendunt, licet bonis videantur temporalibus, & carnis voluptatibus abundare. Transivi quidem, & ecce non erat, quia licet firma videatur stultus radice consistere, percepta tamen maledictionis sententia, statim areſcit, & gloria penitus elongatur. Porro vos, dilecti in Domino filii, qui voluntates etiam proprias pro Domino reliquistis, ad Ægyptiorum opera mentes vestras nullatenus convertatis, nec affectetis redire in Ægyptum animo, ubi Pharaoni deservit in luto & latere, qui corporis habitu ab ipso videmini separari. Vestium siquidem qualitas videtur innuere, & opera quæ facitis caritatis, quod ad caelestem patriam tenditis, & ad ipsam festinantes secundum propositam vobis regulam curritis, & bravium supernæ vocationis, largiente Domino, contenditis obtinere. Verum, quia in via mandatorum Dei currentibus humani generis inimicus consuevit juxta iter offendicula ponere, cavendum est vobis filii, attentius & agendum, ut ita circumſpecte & provide iter quod cœpistis, peragere studeatis, quatenus ad palmam felicitatis æternæ possitis pertingere, & cum B. Benedicto in caelesti gloria coronari. Nos vero commissam vobis ecclesiam & personas vestras tamquam B. Petri speciales filios, paternam caritate diligimus, & grata semper cupimus subsidia ministrare. Datum Laterani x. kal. Januarii.]*

LXXI.
Adriani papæ
epistola com-
monitoria ad
Vedastinos.
Ex chartario
Vedastino.

[Cum Willelmus Toloniensis episcopus ex Massiliensi S. Victoris asceterio assumptus, fratribus suis, quos protegere debuisset, se præberet infensum, Adrianus papa defensionem eorum suscipiens, hanc illi scripsit epistolam. *Si aliquis in te caritatis igniculus remansisset, & monasticæ professionis regulam non esses oblitus, fratres tuos monachos Massilienses diligeres, & nullam ipsis studeres injuriam irrogare. Ecce sicut ex ipsorum narratione didicimus, decimas ecclesie S. Johannis de Petra-foci eis contra justitiam auferis, atque etiam super ecclesiam S. Pontii de Colubrevia injuriam eis non modicam non vereris inferre, cum liberam habeant sepulturam in eorum ecclesiis, qui se deliberant sepeliri, & ausu temerario contradicis. Quia ergo a fraternæ caritatis unione declinare videris, quoniam illos persequi non desistis, quos debes ab aliis pro*

LXXII.
Episcopus To-
loniensis infe-
stus monachis
Massiliensibus
increpatur ab
Adriano papa.

ANN. CHR. 1155.

posse defendere, per apostolica scripta mandamus, quatenus, si verum est, quod praedicti fratres nostris auribus suggererunt, de cetero praedictis fratribus in memoratis ecclesiis non praesumatis aliquam injuriam, vel aliquam molestiam irrogare, seu illos qui sepulturam apud eos elegerunt, quomodolibet prohibere. Alioquin scire te volumus, quod nos pro eorum defensione, tamquam pro illis qui ad jus B. Petri proprie spectare noscuntur, contra illos qui eos praesumerint infestare, murum nos tutissimum opponemus. Datum Laterani kalend. Martii.]

LXXIII. Parthenoni S. Johannis in silva Cotia facta decima regiae donatio.

Tertius hic annus erat, ex quo Suesionensem ecclesiam regebat Ansculfus de Petra-fonte episcopus, qui in quodam instrumento testatur, Ludovicum regiam suam domum in silva Cuisia quibusdam sanctimonialibus inhabitandam contulisse anno MCLV. episcopatus sui anno tertio, a nono kalendas Octobris inchoato, quo die Joslenus ejus antecessor obierat. Haec sunt sanctimoniales sancti Johannis-Baptistae in silva Cotia seu Cuisia, ab Adelaide regina Ludovici genitrice, recens mortua illic instituta, quibus Ludovicus ipse, eorum inopiam miseratus, decimam panis regii, cum ipse Compendii, Vermeriae, & Bestifaci versaretur, liberaliter concessit, ut ex regio patet diplomate hic subiecto.

7. lib. 79. n. 198.

Ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex, notum facimus universis, tam praesentibus quam futuris, quod genitrix mea Adelaidis, regina quondam, domum seminarum pauperrimam in foresta Cuisia constituit, neque eis, dum vivebat, corporale providit subsidium. Proinde cum terra venisset in manum nostram, illum locum visitavimus: & angustia earum cognita, illis sanctimonialibus multum compatientes, pro amore Dei & pro animabus parentum nostrorum, regis scilicet Ludovici & praedictae reginae, & pro peccatorum nostrorum remissione, decimam panis nostri, quoties Compendii, Vermeriae, vel Bestifaci, seve etiam in foresta fuerimus, in eleemosynam perpetualiter habendam donavimus. Quicumque autem terrae hujus, sicut nominata est, post nos obtinuerit dominium, hanc nostram eleemosynam absque retentione reddat praedicto loco, & nullatenus retinere praesumat. Quod ut ratum sit, sigillo nostro firmari, & nominis nostri caractere praecipimus consignari. Actum Compendii anno incarnationis Verbi MCLV. in palatio nostro astantibus, quorum substitulata sunt nomina & signa. S. comitis Theobaldi dapiferi nostri, S. Guidonis buticularii, S. Matthaei camerarii, S. Matthaei consabularii. Data per manum cancellarii.

Hanc decimae donationem idem rex postea confirmavit, & post eum Philippus Augustus ipsius filius, Ludovicus vero decimus auxit.

LXXIV. Majoris-monasterii abbates & viri quidam illustres.

Abbates quidam nostri Ordinis hoc anno desiderati sunt. In his primus occurrit Garnerius Majoris-monasterii abbas, cujus obitum hoc anno collocat Robertus de Monte his verbis: Garnerius abbas Majoris-monasterii moritur, & successit Robertus, natione Brito. Garnerii obitus notatur x. kal. Junii. Sepultus est in capitulo ad Gillebertum abbatem. Ejus tempore Gingomarus S. Fusciani in agro Ambianensi abbas, qui e Majori-monasterio assumtus fuerat, eodem abdicata praefectura se recepit: ubi cuidam instrumento subscripsit *Gingomarus quondam abbas S. Fusciani.*

LXXV. Johannes monachus.

Eodem Garnerio abbate florebat ibidem Johannes monachus, qui Gestas consulum Andegavensium scripsit, & Henrico regi Anglorum dicavit sub hoc titulo: *Domino Henrico regi Anglorum, duci Normannorum, comiti Andegavorum, Turonorum & Cenomannorum, principi Aquitanorum, duci Guasconiae, Arvernorum, duci etiam Bituricum, frater Johannes Majoris-monasterii humillimus monachorum & parvissimus clericorum, &c.* Haec inscriptio sic habebat in codice abbatis Willae-lupensis, referente Guffanvilla in notis suis ad Petrum Blefensem: ex quo corrigendi libri editi in Spicilegio tomo x. ubi Johannis nomen omissum est, & Henricus *dux Britonum* perperam appellatur, loco *Bituricum*. Ibidem Guffanvilla ex eodem codice profert insigne fragmentum ejusdem libri, quod in aliis quoque editis deest, de Gaufrido scilicet *Plantagenet*, Henrici regis patre, & de ipso Henrico, qui *quartus-decimus in antecessoribus suis, comitibus videlicet Andegavorum* dicitur, cum insigni ejusdem Henrici elogio, quod hoc disticho concluditur:

6 Petr. Blef. p. 702.

Vive precor, sed vive Deo: nam vivere mundo
Mors est: sed vera est vivere vita Deo.

Haec gesta contexuit auctor ex Thoma Luochenensi, qui breves chronicas, nomine *Odonis abbatis intitulas*, reperit, & multa, quae fama vulgante cognovit, addidit;

ex

ANN. CHR. 1155.

ex scriptis quoque Gauterii Compendiensis, Majoris-monasterii monachi, qui primus apud S. Martinum in Valle Carnutensi prior exstitit, & aliorum. Idem ipse Johannes Gestas Gaufridi Nortmannorum ducis & comitis Andegavorum litteris mandavit, & Guillelmo Cenomannorum episcopo nuncupavit.

Robertus Meguerius, primus ejus nominis abbas, Garnerio successit: cujus religioni illustre reddit testimonium Jacobus cardinalis in epistola ad Ludovicum regem: ubi agens de Aimerico Burgulienfi abbate, quem nonnulli temere infamabant: *Credimus*, inquit, *quod religiosiores abbates ordinis nigrorum monachorum sunt ipse & abbas Majoris-monasterii.* quod de Roberto dictum esse ex sequentibus patebit. Hic jura & possessiones monasterii strenue propugnavit, ejusque tempore Alexander III. oratorium infirmorum in honorem S. Benedicti consecrari curavit, ut suo loco videbimus.

a Cbesn. to. 4. p. 663.

Hoc etiam anno mortuus est pridie nonas Decembris Ernaldus seu Arnaldus S. Crispini-majoris apud Suesionas abbas, cum superiori anno privilegium ab Hadriano IV. impetrasset. Ejus beneficiorum fratres memores ipsius anniversarium instituerunt, & ferculum piscium praeter solitam annonam singulis dari praecerunt. Qui ei successit Arnulfus, jam aetate grandaevus erat, cum magistratum inivit. De successore ejus venerabili Berneredo, amplissimus erit in consequentibus dicendi locus.

LXXVI. S. Crispini & S. Vedasti abbates.

His adjungendus est Guericus abbas S. Vedasti apud Atrébatas, qui hoc pariter anno e vivis migravit. Successor ejus Martinus eo nomine primus, vir pietate & prudentia nulli secundus, animo infractus in propugnandis cenobii juribus adversus saeculares etiam potestates, nempe Philippum Elsatium Flandriae comitem, & Ludovicum Juniorem, qui communiam apud Vedastinos instrui volebat. Idem ab Alexandro III. amplissima immunitatis diplomata adeptus est: ac demum ad affectam usque aetatem cum vitam produxisset, senio & laboribus confectus pastorem curam deposuit post annos regiminis viginti-novem, relicto pio, quod etiam nunc viger, instituto, ut cereus ante sacratissimum Christi corpus continuo & perpetuo arderet. Rejectedum a Martino pastoris onus humeris excepit Martinus alter ex Marcianensi abbate, qui, licet aetate valentior, vix integro biennio illud sustinuit, praepropera morte abreptus anno MCLXXXIV. Nec diuturnior Johannes II. de Vy cognominati praefectura. Johannes III. ejus successor, ex priore Vedastino factus Hunocurtensis abbas, mortuo altero Johanne postliminio a suis revocatur ad regendum Vedastini monasterii clavum, quod eo sedente incendio deformatum est. Dum vero templo instaurando totus incumberet, quarto regiminis sui anno morore & morbo oppressus, Johanni IV. locum fecit, ad quem Caestini III. litterae datae memorantur. Vix quartum itidem praefecturae emensus annum, Henricum III. jam aetate gravem fortitur successorem, qui post annos quinque curam deposuit anno MCC. Piget commemorare Raymundum ejus successorem, qui aliunde in monasterii perniciem addidit, ejus bona dilapidasse, thesauros ecclesiae convassasse, denique non pastoris, sed mercenarii & furis officium gessisse dicitur, plura nefanda patraturus, ni mors sexto praevagationis suae anno eum sustulisset. At bono odoris nomine suffectus Odo, ejus detrimenta resarcire modis omnibus studuit.

[Circa idem tempus Guarinus abbas Humolariensis fato etiam functus, cujus obitum ut audivit Hugo abbas Elnonenfis S. Amandi, qui anno MCL. ex Humolariensi abbate assumtus, ut Galterio Elnonenfi abbati Clarae-vallensi monacho facto succederet, consolatorias statim ad suos pristinos fratres epistolas dedit, quos *angelicum conventum* vocat, super morte piissimi patris, contestatus iter ad *vestrum*, inquit, *religiosum conventum consolandum* disposuisse, *cum ecce dominus noster Tornacensium episcopus, molestia corporali ad mortis usque exitum, ut putatur, laborans, non equo, sed navi ad ecclesiam nostram adductus est*, cui tamquam episcopo suo & excellentissima religionis monacho providendum fuit. Interim preces pro futura novi abbatis electione effundere,]

LXXVII. Guarinus abbas Humolariensis. b Tom. 1. Anecdotorum p. 443.

Inter tot mortes non omittendus Cono seu Cuno abbas quartus in monte S. Disibodi, qui hoc anno, testante Dodechino, fato functus est vi. nonas Julii: cui Helingerus XVI. kal. Augusti successit. Exstat inter beatae Hildegardis epistolas una Cunonis abbatis, qua eam rogat, ut, si qua de patrono suo S. Disibodo Deus ei revelaverit, ipsi aperiat. In responso suo Hildegardis graviter Cunonem pungit: sed tamen

LXXVIII. S. Disibodi abbates.

ANN. CHR.
1155.

ejus rogatu vitam S. Disibodi episcopi ex revelatione sibi facta composuit. Ad eam quoque scripsit Helingerus abbas Canonis successor, qui se ipse principio accusavit (forte ut Hildegardis correptionem praeveniret) de eo quod inerti radio hactenus languerit, qui fratribus exemplo esse debuerat; queriturque, quod suo tempore fervor monasticae religionis pene deperisset. Hildegardis autem in responsione suam eum culpam, quod in proposito non sit satis constans, ejusque vicissitudines valde improbat.

LXXXIX.
Elisabeth Scho-
naugiensis scri-
pta.

Superiori anno Elisabeth abbatissa Schnaugiensis, de qua jam actum est non semel, beatam Hildegardem invisit, sicut ipsi, ut ait, divinitus significatum fuerat; & cum eam audisset, caelitus illustrata, continuo *librum viarum Dei* scribere coepit, quem hoc anno inchoavit, ut in Alberici chronico legitur his verbis: *Elisabeth ancilla Christi de Schnaugia, Treverensis diocesis, librum viarum Dei hoc anno inchoavit, qui erat quartus annus, ex quo visiata fuit a Spiritu sancto, & visiones videre cepit, & in sequenti anno librum ipsum consummavit. Sunt ibi decem sermones secundum decem fidelium distinctiones, quasi per decem vias ad unum montem ascendentes: via contemplativorum, via activorum, via [virginum] via conjugatorum, via continentium, via prelatorum, via viduarum, via eremitarum & solitariorum, via adolescentium, via infantium.* Nescio an hunc librum legisset Trithemius, cum de eo agens in chronico Hirsaugiensi^a novae editionis, ait, Elisabeth triplicem tantum viam sanctorum descripsisse ad regnum caelorum tendentium, videlicet martyrum, confessorum & virginum. Plura alia ejusdem virginis scripta ibidem recenset idem auctor; in his ad Gerlacum abbatem Tuitiensem de nominibus, titulis & meritis quarundam sanctarum ex collegio undecim millium virginum, quarum ipse corpora apud Coloniā invenerat.

^a Trithem. an-
1165.LXXX.
Indensis mo-
nasterii libertas
asserata.

[Cum Ludovicus Pius imperator Indense monasterium prope Aquisgranum fundavit, illud non solum variis privilegiis & beneficiis cumulavit, verum etiam homines cujuscumque conditionis ad coenobium illud pertinentes *hac nobilitavit libertate, quod eos sua regali potestate abique locorum in Romano imperio ab omni genere thelonii absolvit.* Sub Arnolde autem secundo Colonienfium archipraesule, quidam *Vogbilo magna discretionis homo, Colonienfis civitatis honestus thelonarius* praedictam Indensium libertatem infringere tentavit. Tunc vero Anno nobilis abbas Indensis, querelam de eo apud Fridericum imperatorem deposuit, qui praepotens Indensis abbatia fuerat advocatus. Hic ira commotus, archiepiscopo sub obtentu dilectionis suae & gratiae praecipit, ut abbati & suis hominibus juxta tenorem iustitiae satisfaceret, & libertatem thelonii, quam a multis regibus quietam possessione inconcussam obtinuerunt iudicis sententia illis assereret. Archiepiscopus vero convocato totius civitatis senatu & melioribus de civitate, & aliis qui erant sanioris consilii, causam iussit discutere, qui omnes secundum Indenses iudicaverunt. *Hujus rei testes Hermannus advocatus, Vogbilo thelonarius, Hermannus comes, &c. Hac acta sunt anno dominicae incarnationis MCLV. epacta IV. indictione III. victoriosissimo rege Friderico regnante, Arnolde II. episcopatum sanctae Colonienfis ecclesiae feliciter gubernante.]*

LXXXI.
Corbeiae novae
privilegia reno-
vata.

Ubi Hadriani papae promotionem rescivit Wiboldus seu Wibaldus Corbeiae novae abbas, Romam statim profectus est, impetravitque novum privilegium, quo monasterii sui jura & possessiones confirmantur; in his tria monasteria, videlicet Hereburge, Groningense & Keminadense. Integrum privilegium refert Schatenus, datum v. kal. Martii anno dominicae incarnationis MCLIV. secundum veterem calculum, Hadriani papae primo, qui *Guicholdum* abbatem vocat. Idem pontifex eodem anno Judithae abbatissae Hervordenfis parthenonis privilegia renovavit. Ejus diploma itidem refert Schatenus, datum Sutrii XVI. kal. Junii indictione III. sed mendum est in anno incarnationis MCLIV. pro sequenti. Hujus parthenonis administrationem pontifex praedicto Wibaldo abbati commisit.

LXXXII.
Monasterium
de Werbe abbati
Corbeienfi
commisissum.

[Idem Hadrianus attendens praedicti Wibaldi abbatis erga sedem apostolicam devotionem, *monasterium de Werbe, quod ad jus B. Petri specialiter pertinet, & in temporalibus & spiritualibus non modicum imminutum, cum advocatia & omnibus pertinentiis suis eidem Wibaldo, & per eum commisso sibi monasterio Corbeienfi commisit, & sub uno, inquit, & successorum tuorum regimine perpetuis temporibus statuimus permanere. Datum in territorio Tusculano idus Julii.* Verum quia comes Bobo qui ejus advocatia se asserit advocatum, coenobium Werbenfense, & praefatum abbatem variis inquit-

^b Ampliff. col-
lect. to. 2. p.
619.

ratibus perturbare minatus fuerat, Hadrianus papa Moguntinum archiepiscopum suis litteris monuit, ut eundem Bobonem compescat.]

Obscurum est quod hoc anno Dodechinus scribit de quibusdam comitibus, qui *canes portasse* dicuntur, & post excommunicatione soluti fuisse. Hunc locum illustrat Otto Frisingensis^a, ubi ait, Arnaldum seu Arnoldum Moguntinum archiepiscopum & Hermannum palatinum comitem Wormatiam a Friderico citatos fuisse in iudicium, propterea quod absente principe terram illam praeda & incendio perturbarunt. quorum alteri *ob senii morumque gravitatem & pontificalis ordinis reverentiam* pepercit: alterum poena debita plecti iussit. Quanam illa poena? *Vetus, inquit ille, consuetudo pro lege apud Francos & Suevos inolevit, ut, si quis nobilis, ministerialis, vel colonus, coram suo iudice pro huiusmodi excessibus reus inventus fuerit, antequam mortis sententia puniatur, ad confusionis suae ignominiam nobilis canem, ministerialis sellam, rusticus atriorotam, de comitatu in proximum comitatum gestare cogatur. Hunc morem imperator servans, palatinum istum comitem, magnum imperii principem, cum decem comitibus complicibus suis, canes per Teutonicum milliarem portare coegit. Nihil clarius & aptius ad illustrandum Dodechini locum, alias obscurum. Eundem ritum versibus cecinit poeta Ligurinus, qui relato Arnoldi archiepiscopi & Hermanni comitis facinore, & prisca illa Teutonicorum consuetudine, de comite haec subdit.*

ANN. CHR.
1155.LXXXIII.
Raptorum &
praedonum
poena.
^a Otto Frising.
de Frid. lib. 2.
c. 28.

cujus dispendia poena

*Ille palatina custos celeberrimus aula
Non potuit vitare comes; cunctisque videndus
Portavit scapulis passus plus mille latrantem.
Hanc quoque tunc alii simili pro crimine poenam
Sustinuere decem comites; totidemque coacti
Faeda tulere canes generoso pondera collo.*

Haec apud Teutonicos merita poena erat eorum nobilium, qui provincias rapinis & incendio vastabant. Sic, antequam poena capitis noxam luerent, hoc spectaculo provinciam lustrabant, ut & injuriam passis aliquo modo facerent satis, & aliis terrori essent. Ministeriales viri non canes his casibus, sed sellas deferre cogebantur, ut ex Ottone Frisingensi discimus, quamquam & postea sellarum poenae subiectos quoque fuisse viros nobiles observat Cangius in Glossario, ubi ea de re plura congerit pro more suo erudita ad verba *Canis & Sella*. Quin & refert ex chronico Arnulfi Mediolanensis ad annum M VIII. unam ex pacis initae conditionibus hanc fuisse, *quod venientes Mediolanum tertio ab urbe milliario, nudis incedendo vestigiis, episcopus codicem, marchio canem bajulans ante fores ecclesiae sancti Ambrosii reatus proprios devotissime sunt confessi.* Porro Hermannus comes paullo post peractam hanc poenitentiam in monasterium Ebracense diocesis Herbipolensis, quod tunc sub Adamo abbate piissimo florebat secessit; ibique veste monastica donatus ex hac vita migravit anno MCLVI. Ejus corpus postea Gertrudis ipsius uxor transferri curavit in monasterium Bildhusanum quod a marito inceptum perfecerat. Illud monasterium sicut & alia octo virorum ac trium virginum Ebraco sub linea Clara-valensi subiecta sunt. Bildhusanum sub imperiali tuitione recepit Fridericus augustus anno MCLVIII. ut ex ejus diplomate^b patet in gratiam Adami Ebracensis & Henrici Bildhusani primorum abbatum dato. In eo Hermannus laudatur quod *mundi gloriam & honorem palatii aeterna retributionis obtentu* deseruisset, &c. Gertrudis vero ejus *conthoralis*, quod *religioso studio ea quae vivens maritus facere decreverat laudabiliter consummasset.* Eadem aliud monasterium ad virgines recipiendas exstruxit haud procul a Bilthufenfi, Wechterfwinchellense dictum; sed tandem Bambergam, cui urbi Hermannus ejus frater episcopus praerat, se recepit, ibique exstructo item alio in honorem sancti Theodori parthenio, sanctimonialis effecta vitam finit anno MCLXX.

^b Tolner. in di-
plom. palat. n.
55.

Ad res Italicas quod attinet, Ambrosius Vallumbrosanae congregationis decimus abbas & praefectus generalis hoc anno ad sedem archiepiscopalem Florentinam^c assumptus est, retenta congregationis suae administratione. Hic postero anno privilegium indulgit Magdalenae abbatissae suburbani S. Petri Majoris-monasterii, in quo Petrus episcopus Florentinus^d nostri Ordinis sanctimonialia inquit, easque cum Gisla venerabili matrona dotavit pontificatu Alexandri II. qui hanc dotatio-

LXXXIV.
Ambrosius sit
archiepiscopus
Florentinus.
^c Ital. sac. 102.
3. p. 224. §
segg.
^d ibid. p. 98.

ANN. CHR. 1155.
a *ibid.* p. 135.
nem confirmavit. Idem Ambrosius Oprando S. Salvii abbati beneficia ejus monasterio ab antecessoribus suis collata novo diplomate^a eodem anno roboravit, ad biennium tantum superstes.

ANN. CHR. 1156.

LXXXV.
Res civiles anni sequentis.
b *Annal. Corb.*c *Polyer. lib. 6. c. 24.*d *Otto Frising. lib. 2. c. 29.*e *Robertus de Monte.*LXXXVI.
Wibaldus petit restitui decimas in Nortlandia, quas Osnaburgensis episc. injuste detinebat.
f *Epist. 412. & seqq.*

SENSIM devenimus ad annum ejus sæculi quinquagesimum-sextum, quo Wibaldus Corbeia-novæ abbas Constantinopolim a Friderico cæsare missus^b perhibetur, nimirum acturus cum Michaële Græcorum imperatore, ut conjunctis una copiis, Willelmi Siciliae regis, qui Apulia inhiabat, molitionibus occurrerent. Eandem ob causam Hadrianus papa Beneventum profectus est: ubi cum resideret, eum convenit ipsius popularis Johannes Saresberiensis, qui ab eo familiariter interrogatus, quid de summo pontifice ac de Romana curia sentiret, sentirentque alii, sciscitanti summa cum ingenuitate & libertate respondit, ut ipse scriptis^c testatum reliquit. Inter ea rex Willelmus nihil cunctatus, in Apuliam irrumpit, sufficiens Græcorum copiis Beneventum aggressus, papam ad ignominiosa pacis conditiones cogit. Inde egressus pontifex, per montem Casinum Romam revertit.

Interim Fridericus, repudiata priori uxore, Bearricem Rainaldi Burgundiae transjuranae comitis filiam duxit apud Herbipolim, ubi frequentem ad nuptias celebrandas curiam habuit. *Ad eam curiam*, inquit Otto^d, *Guibaldus* seu *Wibaldus Corbeiensis abbas*, a *Græcia rediens venit*, legatis Græcorum, qui cum eo venerant, apud *Juvaviam* seu *Saltzburgum* relictis, quos ad suam præsentiam admittere volebat Fridericus, propterea quod litteras sigillo suo munitas per dolum ab eo subripuissent, quarum virtute Græci Campaniam & Apuliam occupaverant, unde a Willelmo Siciliae rege statim fugati sunt. Hæc fufius apud Ottonem. In hac expeditione Willelmus civitatem Barim funditus^e everitisse dicitur præter ecclesiam S. Nicolai, quia cives ejus contra ipsum Græcis faverant.

[Hoc anno Wibaldus abbas Corbeiensis apud Fridericum imperatorem querelam deposuit^f de episcopis Osnaburgensibus qui *quasdam decimationes non parva utilitatis in Nortlandia, Corbeiensis ecclesie per longa tempora abstulerant*. Conquestus est etiam de nece Thiderici comitis de Huxara, quem *Widikindus de Sualemberg* super consecratum ecclesie murum propriis manibus cum satellitibus suis interemerat. Insuper & de comite *Tekeburg*, qui bona Corbeiensis monasterii & pauperum, qui de hospitali vivebant, usurpaverat. Quod spectat ad primum, Hadrianus papa, ad quem causa de decimis delata fuerat, eam Wicmanno archiepiscopo Magdeburgensi discutiendam & terminandam commisit. Nec distulit Fridericus imperator Wicmanno archiepiscopo causam illam commendare, ut visis & diligenter examinatis Corbeiensis ecclesie privilegiis, debitum & optatum finem eidem causæ imponat. Paruit Wicmannus papæ & imperatoris jussis, atque Philippum episcopum Osnaburgensem præfulem ac Wibaldum abbatem coram se ad diem x. kalendas Februarii citavit ad Merseburgensem civitatem. Citationi nullum responsum dedit Osnaburgensis, nisi quod nuntio dixit *se potius velle episcopatum dimittere, quam decimas illas, quas ecclesia sua sexaginta & amplius annis quiete possedit, sui episcopatus tempore perdere*. Se archiepiscopo, *omnem, quam deceat reverentiam libenter exhibere. Super hoc autem verbo totius ecclesie suæ, tam cleri quam populi consilium se velle habere, consiliumque ipsum per honestas & majores ejusdem ecclesie personas illi ante epiphaniam significaturum*. Adfuit Wibaldus cum suis assignato die coram judice apud Merseburgum. Defuit episcopus Osnaburgensis. Visus est tamen itineri se committere. at superveniens ægritudo longius procedere haudquaquam permisit. Id suis litteris testati sunt Wernerus episcopus Mindensis, Fridericus Monasteriensis & Bruno Hildesheimensis, qui Osnaburgensis absentiam excusari rogant. At illius vice duo ex canonicis ecclesie suæ Thid. & Thed. adfuerunt, qui assererent dominum episcopum suum iter arripuisse, & non inodicum viæ spatium processisse, at corporis ægritudine prægravatum, redire coactum fuisse. Ad hæc Wibaldus respondit: qui potuit regredi, potuit & iter perficere. Protulit & diplomata & privilegia imperatorum, qui has decimas, a Ludovico Pio in sua fundatione concessas, confirmavere. Easque quiete possidisse Corbeiensis ecclesiam usque ad tempora Henrici IV. imperatoris, qui ea in discordia, quæ fuit eum inter & papam Romanum, pro indignatione illas dedit episcopo Osnaburgensi, qui nec pacifice eas tenuit. Sed Wibaldus videns rem in longum protrahi, appellavit ad papam Hadria-

num, & ad præsentiam ejus provocavit domnum Philippum Osnaburgensem episcopum in Octava S. Martini responsurum super decimationibus baptismalium ecclesiarum in *Nortl, Wrederen, Meppic, Aschentorp, Loninge, Wisbick*, cum suis antiquis terminis, quas decimationes Corbeiensis ecclesie auferebat. Provocavit & Thid. præpositum & magistrum Thetdium, qui de re incerta jurare parati erant. De his omnibus certum fecit Hadrianum Wicmannus. Interim Fridericus imperator cui Wibaldi præsentia pernecessaria erat, ægre ab eo obtinuit ut ab appellatione cessaret, scripsitque ad capitulum Osnaburgense ut cum eo de eadem querela amice componeret. Additque: *Nos cum tempus acceperimus, si prius composita non fuerit, eandem querimoniam per nosmetipsos discutiemus, & tam pro ecclesia Corbeiensis, quæ ad jus imperii spectat, quam pro persona que ibi præest, quæ diu & multum imperio servavit, sive judiciario ordine, sive alia convenienti compositione, eandem causam terminabimus.*]

[Idem Fridericus imperator Henrico duci Bavariæ & Saxonie judicium de cæde Thiderici comitis de Huxara, quem *Widikendus de Sualemberg* occiderat, commisit; qui in placito quod Corbeie in rogationibus habuit reo tantum scelus remisit, imposita illi hac poenitentia: *Omnem Teutonicam terram, quam nobis Rhenus dividit, forjuravit ad festum S. Jacobi transturus, nec umquam mea voluntate reversurus. Prius autem domno abbati Corbeiensis, necnon & vidue & pupillis Theoderici comitis quem occidit, secundum meum consilium & præceptum satisfaciet & placabit, &c.*]

Ineunte hoc anno rex Henricus ex Anglia in Normanniam trajecit, & purificationem beatæ Mariæ Rotomagi celebravit. Tum, colloquio cum Ludovico rege habito, fratrem suum Gaufridum, qui conditiones ipsi oblatas acceptare noluit, in pagum Andegavensem subsecutus est, ut ex Roberto de Monte, aliisque discimus. Cum apud Salmurum versaretur, Majoris-monasterii abbas Robertus & monachi apud eum conquesti sunt de Rainaldo de Columbariis*, qui eorum terras apud Fontem-carum* infestabat, nec ab his infestationibus Engelbaldi Turonum archiepiscopi, aliorumque monitis revocari potuerat. Hujus causæ cognitionem rex Maletus tunc temporis præposito Turonensi commisit. Eo demum ipsius Rainaldi pervicacia devenit, ut duello res finienda visa sit. Sed tandem ille amicorum precibus & forte conscientia scrupulo expugnatus, injustas exactiones abnegavit; tum in Majoris-monasterii capitulum venit, abbatisque Roberti genibus provolutus, de illatis injuriis veniam poposcit, & *per quemdam baculum in manum domini abbatis positum*, de illatis injuriis satisfactione facta, res male usurpatas cessit. Denique Salmurum profectus, coram Henrico rege sententiæ in se latae acquievit. quod rex diplomate suo roboravit. *Testibus cancellario Thoma, & aliis*. Hic est ille Thomas Beketus, superius^b laudatus, qui postmodum ad archiepiscopatum Cantuariensem promotus est.

Jam ergo hoc anno Henrici cancellarius factus erat. Hic statim Petri Cellensis abbatis amicitiam litteris expetiit, simulque quasdam ejusdem Petri primitias seu scriptiones, necnon sermones cujusdam magistri. Ad tam humanas Thomæ litteras Petrus^c respondit inter alia in hunc modum. *Rogastis de familiaritate & amicitia. Quod rogastis, si admitteretis, admirationi procul dubio habendum esset pro inæqualitate rogantis & rogati fortuna. Quæ enim proportionalitatis habitudo inter abbatem Cellensem & cancellarium regis Angliæ? Pene non est comparatio, ubi non est existimationis adaptatio. Secundum post regem in quatuor regnis quis te ignorat? Primum in miseris fratrum nostrorum quis me non reputat? Dicam de compendio: quia quantum de vobis excellentiora, tanto de me sentio & scio viliora. Et infra. Primitias illas non mitto, quia amplio rem gratiam facere propero. Non habebam sermones magistri G. sed quero; & statim scriptorem cum omni instantia huic operi ad opus vestrum designo*. Id Sirmondus interpretatur de sermonibus Gilleberti, cognomento universalis, qui Londinensis episcopus fuerat: sed forsitan potius intepretandum de sermonibus Gilberti seu Gilleberti Porretani episcopi Pictavenfis.

Nunc quando incidit mentio de Gilberto Porretano, legere memini quamdam epistolam Gaufridi de Mauritania ad quosdam ejusdem Gilberti discipulos, qui ex dictis magistri sui contendebant, abbatem & abbatissam, adeoque monachum & monacham, post factam professionem posse legitimum inire conjugium. Quos reffellit Gaufridus ille proluxa epistola, cujus hoc exordium, *Gaufridus de Mauritania*

Aaaa iij

ANN. CHR. 1156.

LXXXVII.
Judicium de cæde comitis de Huxara.a *Epist. 425. inter Wibald.*LXXXVIII.
Henrici Angliæ regis judicium pro Majori-monasterio.* *Coulombiers.** *Font-cher.*b *supra n. 34.*LXXXIX.
Thomas ejus cancellarius Petro Cellensi scribit.
c *Petr. Cell. lib. 1. ep. 27.*X C.
Gilbertinorum error de conjugio monachorum.

discipulis magistri Gisleberti, bene agere, & recte intelligere. Me nuper de quibusdam sententis cogitante, memoria mee occurrerunt ea, quae de dictis magistri Gisleberti a divi vos inferre, quae cum fidei catholica in nullo adversentur, sed auctoritatibus firmis & inexpugnabilibus rationibus roborantur, tamen sine admiratione non potui hoc unum praeterire, quod eum dixistis affirmare, abbatem & abbatissam post votum continentiae & professionem regulae a S. Benedicto instituta posse legitimum inire conjugium. Quod equidem incredibile est tam sapientem virum sentire, aut docere. quin potius credendum est, ut pace vestra loquar, vos deceptos ex verbis ejus male intellectis illam concepissem absurditatem, quam ipsam tale quid docuisse. Quid enim magis absurdum est, quam dicere, aliquos post votum & professionem legitimum inire conjugium, quod tam multis, & tam firmis auctoritatibus constat esse interdictum? Dein profert auctoritates ex Apostolo ad Timotheum, ex Gelasio papa ad Sicilienses; tum solvit objectionem ex dictis Innocentii I. & aliam ex beatae Mariae virginis exemplo, ex quo Gilbertini illi temere inferebant, licere monachis post continentiae votum inire conjugium. quod Gaufridus merito rejicit: etsi concedat, inter illum abbatem & illam abbatissam, qui ante conversionem suam conjuges extitissent, usque in finem permanere conjugium: quali de conjugio locutum fuisse Gillebertum arbitrat. Scripta porro ejusdem magistri Gisleberti, de quo in superiori epistola egerat Petrus Cellensis, in alia epistola^a laudat.

Quo tempore Thomas ex ecclesia Cantuariensi, in qua Theobaldus archiepiscopus eum constituerat archidiaconum, ad munus cancellarii ab Henrico rege expetitus est; eodem ipso tempore Johannes Saresberiensis a praedicto Theobaldo de gremio & sinu Petri Cellensis in ipsius familiam adoptatur. Id disertè attestatur Petrus ipse, tunc S. Remigii abbas in epistola ad Richardum ejusdem sancti Thomae in archiepiscopali dignitate successorem, cum Johannes ad episcopatum Carnotensem jam proventus esset; sic enim scribit: *Sanctissimae memoriae praedecessor vester, archiepiscopus Theobaldus, de gremio & sinu nostro magistrum Johannem Carnotensem episcopum, inopem & pauperem suscepit: sed Deo juvante usque ad nomen magnorum qui sunt in terra fomentis suis provexit.* Quantum ad Johannem in studiis alendum & promovendum contulerit Petrus noster, superius^b dictum est, diciturque inferius.

Redeo ad regem Henricum, qui ex urbe Salmuro Burgulium accessit, ibique ab Aimerico abbate perquam honorifice, ut decebat, exceptus, comitia generalia habuit.

Aimericus ipse^c ineunte hoc anno in Italiam profectus, Hadrianum papam apud Beneventum adiit, litterasque ab eo impetravit XII. kal. Aprilis datas, quibus prioratum de Magnaco recuperavit, a monachis Novi-monasterii Pictavensis usurpatum.

Non multo post idem Aimericus gravem, sed iniquam a falsis fratribus persecutionem sustinuit, nimirum a priori Castrifortisejusque complicitibus: sed absque hoc numquam ejus virtus ita enituisse. Querelae de eo ad summum pontificem & ad Ludovicum Juniorem delatae: quarum cognitionem pontifex Jacobo cardinali, Joscio Turonensi archiepiscopo, qui Engelbaldo successit anno sequenti, Gaufrido Andegavorum episcopo & Roberto Majoris-monasterii abbati commisit. Omnium una sententia fuit, non esse ullum per id tempus eo religiosiorem, prudentiorem & in procurando monasterio magis strenuum & sollicitum abbatem. Exstant sex hujus argumenti epistolae apud Chelnum, d omnes fere ad Ludovicum regem, apud quem detractores illi Aimericum suspectum reddiderant. Protracta est haec causa saltem ad annum MCLXII. quo Gaufridus Mulca episcopus Andegavensis, unus ex iudicibus, Matthaeo nostro in episcopatu successit. Hic Ludovico regiscribens^e summopere se mirari ait, quod quibusdam monachis de Burgolio abbati suo detrahentibus assensum praebuerit.

Nescio vero, inquit, si cujus opinionis abbas sit ignoratis: cum manifestum sit, non solum nobis, sed omnibus viris honestis & religiosis, in quanta miseria ecclesia Burgulienfis permanebat, antequam Aimericus abbas, dispensator ejus a Deo destinaretur. Nam retroactis temporibus per discordiam monachorum & abbatum domus eorum vastatae erant, terrae incultae, homines eorum oppressi, ecclesia discooperta, & amissis ornamentis suis, per feneratorum gravamina febilis & mæsta jacebat. Nunc vero per Aimericum abbatem omnia restaurata sunt & restituta, nec umquam, ut ab omnibus dicitur, se melius habuit ecclesia. Namque ipse vir justus & prudens est, ut credimus,

a Petr. Cell. lib.

v. ep. 19.

XCI.

Johannes Sa-

resberiensis a

Theobaldo

adoptatus.

b lib. 78. n. 61.

c 62.

XCII.

Aimerici abba-

tis Burgulien-

sis facta & iniqua

vexatio.

c V. lib. 79. n.

20.

d Chelnu. no. 4.

ep. 211. 239.

261. 274. 294.

319.

e ibid. ep. 294.

& bonus aedificator ad opus Dei; & in magna religione & caritate modo se habet ecclesia. Confimile de eo testimonium^a reddit Jacobus S. R. E. diaconus cardinalis in epistola ad eundem regem in qua scribit, se in praesentia Turonensis archiepiscopi, & Majoris-monasterii abbatis, quibus dominus papa mandaverat, ut de vita ipsius abbatis diligenter inquirerent, monachos separatim & communiter auditos in virtute Spiritus sancti adjurasse, eosque confessos fuisse, abbatem suum perfecta sanctitate pollere. ideoque ejus calumniatores a praedictis iudicibus excommunicatos. Addit etiam cardinalis, priorem Castrifortis, ejusque complices, qui calumnias illas in abbatem suum confinxerant, confessos se dignos esse abscisione linguarum. Sed postea ad pristinam malitiam reverts, per dominum Castrifortis ecclesiam, quam ibi habet Burgulienfe monasterium, exspoliari fecisse. Porro papam sententiam excommunicationis latam in eos ratam habuisse. Unde regem obsecrat cardinalis, ut praedictum abbatem, sicut verum religiosum & justum diligit, ejusque ecclesiam defendat; ac praedictum dominum Castrifortis regia potestate cogat, ut res ablatae ecclesiae Castrifortis ex integro restituat, & illos excommunicatos amplius tueri ne pergat. *Hoc enim, ait ille, secuta conscientia vestrae magnitudini suadere possumus, quia tantam certitudinem de religione saepe dicti abbatis habemus, quod si in eo non est radicata religio, ipsam non credimus in alio habitare. Cre-mus enim, quod religiosiores abbates ordinis nigrorum monachorum sunt ipse, & abbas Majoris-monasterii.* Id ipsum repetit idem cardinalis in alia^b epistola, quo certe testimonio nihil luculentius afferri potest ad Aimerici abbatis innocentiam vindicandam. Mitto alias aliorum de eo epistolas, in quibus una est Stephani^c episcopi Redonensis e nostris ad regem Ludovicum. Praevaluit tandem Aimerici innocentia contra falsos illos calumniatores, rexitque monasterium usque ad annum MCLXXXV. quo Hilarius abbas ei successit ad annos viginti-duos, cujus opera dormitorum & capitulum ruinae proxima eleganti opere instaurata sunt.

Villae-lupensi Salvatoris monasterio tunc praerat ejusdem nominis abbas Aimericus successor Reginaldi, cui Reginaldo Ingelbaudus Turonensis archiepiscopus ante annos sex quaedam ecclesias, eidem monasterio ab antecessoribus suis collatas, confirmaverat. Aimericus vero ejus successor apostolicae protectionis diploma obtinuit ab Hadriano IV. qui omnes ejus loci possessiones itidem hoc anno confirmavit. Aimericum excepit Herveus abbas post annos circiter tredecim, qui fratribus Cartusiae locum illum qui vulgo *Legetum* * seu *Ligetum* appellatur, cum pertinentiis suis intuitu caritatis, & precibus domini Henrici regis Angliae, ducis Normanniae, comitis Andegaviae, & prece domini Stephani senescalli, jure perpetuo possidendum cessit, acceptis ab Henrico rege in compensationem centum libris. Actum in praesentia Mauricii Belli-loci abbatis, Goffredi abbatis S. Juliani Turonensis & aliorum. De sequentibus abbatibus Villae-lupae vix aliud praeter nuda nomina invenias:

In Vindocinensi monasterio obiit bonae memoriae domnus abbas Robertus III. idus Januarii (in editis male *Februarii*) Feria IV. quod in brevi chronico Andegavensi^d pro veteri calculo refertur ad annum praecedentem. Hic de bibliotheca monasterii sollicitus, cum videret cellerarium & camerarium, qui antiquitus expensas ad ligandos codices conferebant, inter sese hac de re disceptare, unde nec veteres libri compingebantur, nec novi fiebant: constituit, ut omnes priores obedientiarum ad jus Vindocinensis ecclesiae pertinentium, excepta cella Andegavensi & Credonensi, annum censum armario seu bibliothecario praebeant, ut patet ex ejus constitutione, quam in Appendice referemus. Roberto successit Girardus, ut in eodem chronico legitur, non Guillelmus, ut quidam perperam correxerunt, ad seculum insequens summovendus. Girardo abbate Theobaldus comes Vindocinense diripuit monasterium, ut postea videbimus.

Apud Lemovicas in monasterio S. Marialis post Albertum^e abbatem qui obiit v. idus Augusti, electus est v. idus Septembris, & quidem die dominica, Petrus prior Cluniacensis, ortus ex castro, quod vocatur *Petiviers*, ut in chronico Gaufridus^f prioris Vosiensis legitur. quae chronicae notae huic anno conveniunt. In chronico abbatum S. Marialis vir magnae religionis & honestatis fuisse dicitur, & locum quatuor annis rexisse. At praedictus Gaufridus innuere videtur, Petrum abbatem ipso electionis ejus anno decessisse. sic enim post ejus electionem subdit: *Ipsa anno mortalitas, simulque fames incredibilis populum undique stravit. Vigilia proximi natalis,*

ANN. CHR.
1156.

post veniam capituli, dum Petrus abbas sermone mystico fratrum animos ad celebranda Salvatoris natalitia provocaret; repentina infirmitate correptus, voce penitus interclusa, circa gallicinium sacratissime noctis spiritum exhalavit. Hic tractatus perutilis, simulque profas de beata virgine Maria composuit, Ave Maria, flos virginum, &c. Tum de successoribus: Post hunc, inquit, eligitur Hugo de Fusa, cui Petrus Grossus, a quibusdam electus, magnum intulit damnum: sed antequam diu illum videret, vitam universæ carnis ingressus est, reatus sui veniam petita. At in jam dicto chronico abbatum superioris Petri successor vocatur Petrus de Barri, abbas loci vicefirmus-quartus, magna vir honestatis, pravorumque morum rigidus corrector, qui bona huic monasterio multa contulisse dicitur, domum infirmorum, multaque alia ædificia construxisse, ac multis libris auxisse bibliothecam, ac tredecim annis locum rexisse, denique anno MCLXXIV. obiisse. Verum præferenda Gaufredi scriptoris æqualis auctoritas, qui Petro ejus nominis primo post quatuor præfecturæ mentes Hugonem ad breve tempus abbatem, tum Petrum Grossum, ac demum Petrum Barri substituit. Idem auctor singulare ritus, quos monachi S. Martialis cum canonicis ecclesiæ cathedralis observabant, ibidem accuratè describit, testaturque, se cum Gregorio Vosienfi benedictionem monachalem a domno Petro, scilicet Grosso accepisse. Idem Petrus fratribus indulgit, ut post matutinas^b in lectis collocarentur, quod alias nunquam usque ad pascha, exceptis octavis aut festis, minime fiebat: cum crepusculo celebraretur in alium pro populo missa parochialis, & in choro caneretur prima conventualis. Sicque fiebat utrimque improbus labor psalmodia. Pro hac indulgentia jejunat conventus cunctis diebus dominici adventus, exceptis festis sanctorum Andrea, Nicolai atque Valeria, cujus festivitas apud nos cum prima classe ac sollemni procurazione familiæ celebratur. Ita Gaufredus.

XCVI.
Hugo Picavi-
nus scribit
chronicon Vi-
zeliacense.

Hoc anno Hugo Picavinus, monachus Vizeliacensis, monasterii sui chronicon quatuor libris scribere aggressus est, Pontio tunc abbate; illudque sub Guillelmo Pontii successore, cujus notarius erat, anno MCLXVII. absolvit. In hoc chronico etsi multa subinde parum accurata, parerga etiam non pauca inveniuntur; multa nihilo minus scitu digna etiam ad civilem historiam, maxime in duobus posterioribus libris referuntur: in quibus Vizeliacensium abbatum lites ac concertationes cum episcopis Eduensibus de spiritali immunitate & libertate monasterii; & de temporali dominio cum Nivernensibus comitibus fufe describuntur. Sed tandem nostro tempore concidit illa libertas, de qua tamdiu pugnatum est, senatusconsulto Parisiensi prostrata contra canonicos sæculares, qui cucullum monasticum ab anno MDXXXVII. abjecerunt, litteris bullatis a Paulo III. per dolum acceptis.

XCVII.
Molismensis
abbates.

In Molismensi cœnobio Stephanus hoc anno extinctus est IV. idus Februarii. Guilencus ejus successor post septem annos regiminis deponitur, uti & Nivelus ei successus, post tres annos itidem abjectus. quod non tam monachorum vitio & culpa, quam vicinorum militum infestatione factum creditur. Quamquam non omnino accurata erat tunc Molismensium disciplina, ut ex Petri Cellensis epistolis intelligitur. Guilenci abbatis anno secundo Petronilla, Barri-super-Sequanam comitissa, sanctimoniales apud Liberam-vallem* instituit, earumque regimen Molismensi abbati commisit. De Theobaldo Nivelonis successore inferius.

XCVIII.
Berengario
Crassæ abbati
facto archiepi-
scopo quinam
abbates succes-
serint.

Hoc ipso anno Berengarius abbas beatae Mariæ de Crassa, ad metropolitanam sedem Narbonensem promotus est, quam sex annis tenuit, mortuus VII. Aprilis. Huic successus in abbatiali dignitate Guillelmus eo nomine primus, confirmationem privilegii a Gelasio II. indulti impetravit. Guillelmo jam successerat anno MCLXV. Xarbertus, de quo, deque ejus successoribus Arnaldo de Levis, Hugone & Raymundo vix ulla notatu digna nobis occurrunt, nisi quod Arnaldus insigne immunitatis & tutelæ diploma adeptus est ab Alfonso Aragoniæ rege & Barcinonensi comite, cui familiaris erat; & cum eodem Alfonso Raymundus pro castro villaque de Salves, hæcenus munitissima pactus est, quem locum in jus regium transmisit, multis ab eodem rege prædiis vicissim acceptis.

XCIX.
Stephanus ab-
bas Obazinæ
novum mona-
sterium condit
c. P. lib. 79. n.
27.
d. Miscell. Ba-
lux. to. 4. p. 130.
& seqq.

Inter ea Stephanus Obazinæ abbas novum hoc anno monasterium construere, & priori conjungere cœpit. Hujus rei causa feria sexta^d ante palmas, omnes ad locum, ubi ædificandum erat, cum cruce & aqua benedicta devote procedunt, dictisque Itraniis & psalmis ad id pertinentibus, ab episcopo Lemovicensi & abbate atque electo operis magistro cum invocatione Trinitatis primus lapis in fundamen-

ANN. CHR.
1156.

tum deponitur. Monenti episcopo, ut ad tanti operis supplementum indulgentiarum litteras ad omnes fideles ab ipso acciperet abbas, numquam acquiescere voluit, dicens: Nos talem consuetudinem introducere nolumus, ut populis scandalum, & nobis ignominiam adquiramus, circumeundo ecclesias, ostendendo beneficia, indulgentias largiendo, quas dare non poterat nisi solus Deus. Jam vero cum ad constructionem novi monasterii omnes laborarent, ipse etiam toto die in opere erat, non virgam ferens, ut plerisque mos est, qui in altiori loco sedentes, alios ad laborem provocant, verbo, non facto; digito, non opere; virga, non manu; sed laborans cum aliis incurius ad solem & imbres; sic tamen, ut omnes laborantes, sive non laborantes observaret; & quid singuli facere deberent, plus operibus quam verbis laborantibus ostenderet. Cumque videret quosdam aut forte sedentes, aut otiosa loquentes; non eos statim corripiebat: sed coram eis transiens, erroris agnoscendi copiam præbebat: quod si se non corrigerent, acrius corripiebat. Ceterum longe aliter foris in opere, aliter domi se gerebat; intus se gravem ac ferium, foris se jucundum exhibens, ut laborantes recrearet. Cum aliquando sabbato post completorium officinas de more lustraret, invenit pistores in pistrino, completo septimanali labore solito latiores, & arreptis quibusdam perticis in hastarum modum inter sese decertantes. Tum ille per portæ foramen facto sono gutturis, ne eos lateret, pertransiit. Sed tantum timoris eis incussit, ut unus ex eis metu futuræ correptionis statim se in fugam dedisset, ni focus eum retinuisset. Crastino ambo in capitulum veniunt, & sponte veniam petunt. Causam interrogati, hoc tantum respondent, Vos scitis. Ille, velut indignans, sessum abire jussit. Sciebat quippe expiandæ culpæ sufficere timorem, quem eis incusserat, nolens eis addere dolorem super dolorem, ut multi faciunt, eo minus timendi, quo magis se timendos præstare volunt.

Monachos quæ
arte corrigit.

Cum ad synodum Lemovicensem aliquando vir Dei venisset, litem contra eum injuste commovisse dicitur Ebolus de Turenna Tutelensis abbas, & coram omnibus ei grandes intentasse minas. Ad hæc vir sanctus non nisi mitia verba reposuit. at ille fastu sæcularis potentia tumidus, ira succensus, tanta ei se facturum comminatus est, ut rumor facti in cunctis orbis Lemovicini partibus personaret. At vir Dei minis ejus nequaquam perterritus, ei respondisse fertur: O domine potens, has minas depone. Nescis enim quid superventura paritura sit dies. His rixis intercedunt præsentis amici; sicque ambo utcumque sedati ab invicem discedunt. Verum Ebolus sequenti nocte repente mortuus inventus est. Certe Ebolum abbatem, cum ad synodum venisset, VIII. idus Novembris morte præoccupatum, apud S. Martialem expiravisse, ibidemque sepultum fuisse tradit Gaufredus^a prior Vosienfis; eique Geraldum de Scoraille ad octo annos successisse. Geraldus porro abbas ipse est, qui post triennium corpus beati Stephani abbatis apud Tutelam excepit, ut inferius videbimus. Gaufredus prior Vosienfis, qui hæc refert, Eboli abbatis funeri interfuit, tunc puerulus in schola, puerorum scilicet seu juniorum monachorum cœnobii S. Martialis.

C.
Eboli Tutelen-
sis abbatis
mors præceps.

a Gaufred. part.
I. c. 53.

Ad hunc annum Manricus refert originem militaris Ordinis S. Juliani in Hispania, cujus auctores fuere duo fratres, Suerius & Gomerius, nobiles Salmantenses. Hi consilio Amandi eremite animati ad exsequendum votum, quod mente conceperant, extruendi scilicet arces ad reprimendas Maurorum infestationes; primam arcem confestim erigunt prope ecclesiam S. Juliano sacram, a quo nomen arci, ipsique ordini postea impositum. Mox Ordonium Salmanticae episcopum adiisse dicuntur, ut sacræ militiæ nomen darent, quibus ille Cistercii leges, (is enim ex Ordine Cisterciensi assumtus fuerat) dedisse fertur; tamen si milites non statim Cisterciensi abbati sive capitulo, sed longe posterius obedientiam præstiterint. Hæc ex Bernardo Brito refert Manricus, parum idoneo certe & accurato auctore, cujus fides eo maxime hoc loco suspecta redditur, quod eo saltem anno Salmanticae episcopus non fuerit Ordonius, sed Navarro, ut ex diplomate mox referendo constat.

C I.
S. Juliani ordo
militaris insti-
tuitur.

Hoc quippe anno Adefonsus seu Alfonso Hispaniæ imperator^b una cum uxore sua, quam imperatricem vocat, necnon filiis suis Sanctio & Fernando regibus, donat Deo & ecclesiæ S. Dionysii Parisiensi, atque Odoni abbati villam, quæ vocatur Fornelos, sitam in via publica peregrinorum quæ ducit ad S. Jacobum, distantem a Brugis per quatuor leugas, ut pro suo arbitrio ea utantur. Actum Palentia IV. idus Januarii, æra MCLXXXIV. eo anno, quo dictus imperator armavit filium suum Fer-

C II.
S. Dionysii
facta donatio
a rege Hispaniæ.
b Felib. prob. p.
109.

ANN. CHR. 1156. *nandum militem in Palentia, in festo natalis Domini.* Subscribunt post Adefonsum imperatorem rex Fernandus & rex Sancius ejus filii; tum Johannes Toletanus archiepiscopus, & post eum septem episcopi, videlicet Martinus Owerensis, Petrus Astoricensis, Johaneus Lucensis, Martinus Auriensis, Ennicus Avilensis, Navarro Salamantinus, & Petrus Mandonienfis. Qui sequuntur Vincentius Segobienfis, Victorius Burgenfis, Remundus Palatinus, Johannes Legionensis, & Rudericus Najarenfis, episcopi non dicuntur, etsi episcopi esse videantur. Ex his subscriptionibus patet, quod modo dicebam, hoc anno Salamantica episcopum fuisse, non Ordonium, sed Navarronem, quem Ordonio successisse aiunt. Ad res Gallicanas revertor.

CIII. Carnotensem ecclesiam tunc regebat Robertus secundus, successor Gosleni episcopi, qui ad patrum & antecessorem suum Gaufridum in Josaphatensi monasterio humatus est. Ad Robertum quod attinet, hic tres abbatias instituisse memoratur, scilicet abbatiam beate Mariæ de Claro-fonte, abbatiam S. Remigii, & abbatiam sancti Cyrici, & libros plurimos, aliaque multa eidem moriens reliquisse. Prima est Ordinis S. Augustini; duæ aliæ nostri Ordinis, scilicet feminarum. Secunda vocatur S. Remigii de Landis*, sita in silva Aquilina*, & quidem, uti & aliæ duæ, in diocesi Carnotensi. Abbatia vero S. Cyrici, non longe a Versaliis posita est, cujus fundatio Bartholomæo Pelus tribuitur in litteris Ludovici VII. hoc anno datis, in quibus multas apud S. Cyricum possessiones sanctimonialibus donasse perhibetur: quibus nonnulla etiam de suo addidit ipse frater Archembaldus, decanus ecclesiæ S. Chlodoaldi. Ad hæc Philippus-Augustus eidem contulit anno MCLXXXV. decimam panis & vini, quod ipse & regina expenderent, cum apud S. Germanum in Laya, aut apud Pissiacum versarentur. Prima ejus loci, quæ quidem in illis quæ supersunt monumentis occurrit, abbatissa vocatur Ganefina anno MCLXXXII. secunda Hildeburgis anno MCC. cujus anno secundo prioratus S. Coentini ejusdem diocesis, qui S. Cyrico subiacebat, agente Reginaldo episcopo ejusdem loci benefactore, in gratiam Elisabeth fororis suæ in abbatiam erectus est. Sunt & alii prioratus ab eadem S. Cyrici abbatia pendentes, unus beate Mariæ de Villerceau diocesis Rotomagensis Ludovico Juniori fundatus, hæcenus conventualis: alter S. Antonii de Roniaco in diocesi Ebroicensi, olim etiam conventualis, modo simplex prioratus. Hæc aliaque ex S. Cyrici monumentis collegit meo rogatu humanissimus abbas Fauvellus.

CIV. Prædictus Robertus episcopus hoc anno interfuit detectioni & expositioni tunice Christi Domini inconsutis, quæ tunc in Argentoilensi monasterio reperta est. De hac inventione testimonium reddit ad hunc annum Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum his verbis: *In pago Parisiensi cappam Salvatoris nostri, in monasterio Argentoilo, divina revelatione reperta est, inconsutis & subrufi coloris: quam, sicut litteræ cum ea repertæ indicabant, gloriosa Mater illius fecit ei, cum adhuc esset puer.* Idem testatur Matthæus Parisius. Verum illustrius hac de re testimonium nobis adest, diploma scilicet Hugonis Rotomagensis archiepiscopi, qui sollemnem sacræ illius vestis expositionem celebravit, & in litteras retulit. Adfuerunt huic celebritati cum eo archiepiscopus Senonensis, scilicet Hugo cum Theobaldo Parisiensi, Roberto Carnutenfi, necnon Aurelianensi, Trecenti, Autisiodorensi, Catalaunensi, Eboracensi atque Silvanectensi episcopis; abbatibus quoque venerabilibus, Odone beati Dionysii, Theobaldo S. Germani, Godefrido Latinianensi, Fetrariensi, Fossatenfi, S. Faronis, S. Maximini apud Aurelianos, S. Maglorii, Pontiniacensi, Mauriniacensi, aliisque quampluribus. His præsentibus; cappam pueri domini Jesu, quæ in ejusdem thesauris ecclesiæ a temporibus antiquis honore condigno deposita erat, ad fidelium salutem humiliter se inspexisse dicit Hugo archiepiscopus, palam eduxisse, & cum veneratione debita illam desiderio & devotioni fidelium obtulisse, in præsentia illustri regis Francorum Ludovici, ejusque procerum, cum maxima frequentia vulgi, quo die amplissimas omnibus fidelibus, qui ad illum convenirent locum, indulgentias concessit, quales scilicet in elevatione corporis S. Galterii Pontifæræ abbatis prius concesserat. Hugonis archiepiscopi hac de re litteras retulit Pomerayus noster in conciliis ecclesiæ Rotomagensis.

CV. Extremo hoc anno magnum Cluniacensis ordinis, immo & ecclesiæ lumen extinctum est, videlicet Petrus Venerabilis Cluniacensis abbas, quo ex tempore fa-

ANN. CHR. 1156. era illa congregatio priscum splendorem, haud scio an aliquando ex integro rediturum, amisit. Unde post ejus obitum Ordo jacere merito dicitur in illius epitaphio. Ejus votum ac desiderium erat jam inde ab annis triginta, ut die nativitatæ Domini cursum vitæ mortalis absolveret. Unde ad sanctos Cartusiarum fratres, quos præcipuo affectu diligebat, semel quotannis pergebat, eosque obnixè rogabat, ut pro suo desiderio explendo Deum precarentur. Percontantibus illis, quodnam illud esset, tantum respondebat, ut desiderium suum a Deo perfici postularent. quod illi post ejus obitum, quale esset, certis & evidentibus indicis agnoverunt, idque per epistolam significarunt. Illa itaque die & hora, qua Verbum Dei natum de Virgine-matre est, Petrus viam universæ carnis est ingressus. Ejus corpus ad locum, ubi mortuorum corpora lavari mos erat, delatum, visum est vitro purius, nive candidius: sed mores ejus longe puriores & candidiores. Sepultus est in capite majoris & novæ basilicæ cum magno honore & suorum dolore ab Henrico Wintoniensi episcopo, qui Cluniacum paullo ante, ut superius diximus, se receperat. Quod attinet ad annum, quo venerabilis Petrus decessit, is anno MCLVII. prima ipsius anni die obiisse dicitur in Chronico Cluniacensi & in Appendice Roberti de Monte ad Sigebertum. Id interpretandum secundum quorundam veterum calculum, qui annum a nativitate Domini inchoabant: sed extremo anno præcedente secundum nostrum computandi modum: cum Petrus Cluniacensem congregationem triginta-quatuor annis cum quatuor mensibus, tribusque diebus rexisset. quod quidem recte conficitur ab anno MCXXXI. quo abbas in octava assumptionis beate Mariæ electus est.

Ejus zelum pro ecclesia probant editæ ab eo lucubrationes contra Petrobrusianos hæreticos, contra Judæos atque Mahumetanos. Eiusdem pietatem ac studium in rem monasticam spirant omnia ejus opera, in primis ejus epistolæ, pro tempore elegantes, & sæpe prolixæ. Unde non semel in aliorum epistolis causatus est compendiosorem breviter, quam vel inertiae, vel ingenii sterilitati tribuit. Omnia ejus scripta exstant in Bibliotheca Cluniacensi, & in nova Bibliotheca Patrum, una cum ejus vitæ compendio & duplici epitaphio. Ad hæc libellum de ejus-vita scripsit Radulfus monachus ipse discipulus, eumque dicavit Stephano Cluniacensi post Petrum secundo abbati; sed multo brevior, quam tanti viri meritum postulare. In hoc enim libello pauca de ejus gestis, præter quædam miracula, referuntur. In eo Petrus Mauritio & Raingarde, nobilibus Arvernensibus, in lucem editus, in monasterio Celsiniensi educatus fuisse dicitur; tum ex monacho apud Vizeliacum custos ordinis; dein prior de Domina; ac demum abbas Cluniacensis. Proavus ejus Hugo revelatione divina monasterium sancti Michaelis de Clusa ædificasse traditur. quod convenit eis, quæ de illius monasterii origine in tertio volumine diximus. Petri genitrix Marciniacum secessit, ibique piissime decessit: pater vero in Celsiniensi monasterio sepultus est. Fratres ejus, inquit Radulfus, quatuor ecclesiastici, & duo laici fuere: Jordanus abbas Casæ-Dei, Pontius abbas Viziliaci, Armannus abbas Magni-loci, Heraclæus præpositus ecclesiæ Brivatensis; duo milites, Dissutus & Eustachius, quorum nobilitas & honestas toti Arvernica nota fuit. Hæc Radulfus. Petrum Venerabilem Petrus Cellensis sanctum vocat: cui certe, ut sanctorum albo adscribatur, non merita, sed sola deesse videtur ecclesiæ auctoritas.

Exstat apud Arvernos Lavennæ* aliis Vennæ monasterium in diocesi Claromontensi, non longe a Thierno, ubi olim octoginta sanctimonialia, viginti domicella, & quatuor monachi erant sub ordine Cluniacensi. Hujus parthenonis originem, hæcenus obscuratam, Petro Venerabili tribuit Radulfus his verbis. *Inter cetera etiam, quæ fecit homo-Dei, hoc exstat pretiosum, monasterium videlicet virginum, quod ipse constituit, & Lavenna dicitur: quod hodie tantæ religionis & honestatis est, quod omnibus in Arvernia sanctitatis gratia præferatur. Nam nihil commune habent Deo dicatæ sanctimonialia istæ cum mundo, nisi quod vivunt. Servant enim paternam institutionem, & ab omni hominum aspectu remotæ, castam Deo templum conservant.* Ita ille. Hoc monasterium indubie instituerat Petrus ad formam Marciniacensis, quod sanctus Hugo construxerat. Perstat etiam nunc hoc monasterium, quod Gabriella de Poloniaco* abbatissa ad strictiorem disciplinam revocavit, dimissis Casarum & Boni-loci abbatibus, quas habebat. De Petri Venerabilis in ab-

ANN. CHR. 1156. batia Cluniacensi successore mox agendum, postquam pauca quædam, quæ ad reliqua hujus anni eventa pertinent, dixerimus.

CVIII. In Monte-ferrato conditum est post medium sæculum decimum Grassani monasterium ab Aledramo seu Aleramo comite, de cujus primordiis in tomo tertio aeginus. Eidem loco se munificum exhibuit hoc anno Guillelmus^b marchio, filius Rainerii quondam etiam marchionis cum Julita conjuge sua, filia marchionis Leopoldi de Austria: qui donationes omnes ab Aleramo primævo antecessore suo in marchia, seu a quolibet alio antecessore, de ejusdem Alerami stirpe descendente, factas confirmarunt, & quædam alia de suo addiderunt. *Actum in prædicto castro, quod vocatur Gracianum* seu Grassanum hoc anno, quarta die mensis Maii, indictione IV. Hoc monasterium, ut alias dixi, ad simplex sacerdotium redactum est.

ANN. CHR. 1157. CIX. Cluniacensibus rejecto Roberto Hugonem abbatem eligunt. **P**OST Petri Venerabilis excessum, ubi de substituendo successore actum est, pars Cluniacensium tumultuarie quemdam extraneum, scilicet *Robertum Grossum, cognatum comitis Flandriæ, pro parentela*, inquit Robertus de Monte, id est ob splendorem generis, elegerunt, reclamantibus ceteris maturioris judicii, maxime illis, qui de eodem monasterio ad pastorem curam assumpti fuerant: ex quibus unus fuit haud dubie Henricus episcopus Wintoniensis, qui tunc Cluniaci demorabatur. Cum electioni suæ multos adversari videret Robertus, Romam cum suis fautoribus properavit, ut electionem suam ab Hadriano papa confirmari curaret. At contra accidit. nam ille depositus, & in reditu cum sociis suis morte interceptus est, testante Roberto de Monte. Unde in ferie abbatum Cluniacensium locum non habet.

CX. Itaque nova electione Hugo prior Cluniacensis creatus est abbas, ejus nominis tertius, sicque Cluniacensi familiæ pax & tranquillitas reddita est. qua de re Petrus Cellensis Hugoni novo abbati gratulatur c his verbis. *Serenior post nubila dies succedit: dulcedo crescit ex amaritudine præcedenti: ruina statum amplius commendat. Sic in audita commotionis magnæ, quæ in Cluniacensi electione facta est, non parum concussa sunt viscera nostra: sed rursum in concordia letata est anima nostra. Ab octasu enim sancti patris nostri prædecessoris vestri, eatenus tamquam parturiens erat, donec reciperet virum alium, qui consolaretur eam ab operibus suis. In dolore suspirabat: sed ecce jam non meminit pressuræ propter gaudium: quia & libertatem recepit, & unum de filiis uteri sui cum principibus populi sui collocavit.* Et post multa Petrus ad Hugonem abbatem hæc verba convertit. *O abbas Cluniacensis, attende, quia fecit tibi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. Fecit tibi ut Deus, ut pius, ut bonus. Exaltavit humilem, deposuit potentem. Ecce itaque oculus monachorum factus es, speculum & exemplar hujus ordinis. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus monachorum, quod est congregatio Cluniacensis, lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tenebrosum erit. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint, ut sic loquar.* Hactenus Petrus Cellensis.

CXI. Idem in alia epistola d Caziacenses monachos ad pacem & concordiam hortatur in eligendo abbate, haud dubie post Simonem abbatem superius laudatum, qui eos relinquere, & Claram-vallem secedere volebat. Hos itaque ad concordiam in electione servandam, fugiendamque discordiam hortatur, proposito exemplo scandali, quod ex Cluniacensium discordia ortum est. *Casus fortium*, inquit, *terrere debet fortunam pauperum. . . In proximo Cluniacensis ecclesia, antiquitate senior, religione ferventior, rerum abundantia plenior, multitudine numerosior, quid fecit? Scandalum parvulis, piis mestitiam, religiosis verecundiam, amicis pudoris jacturam, universæ ecclesiæ velamen opprobrii. Ubi enim ambitur honor sæcularis sub tegumento religionis, quando ab eodem arcebitur crudus animus in maturitate dilectionis? Si ita favus mellis accescit, quid absinthii amaritudo, quid aceti faciet acedo? Denique sic concludit. Maneant igitur in vobis unitas, pax, & concordia, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Quamdiu patrem vestrum, immo nostrum, vobiscum retinere poteritis, alium ne cogitetis. At ubi inevitabili cogente necessitate aliter disponendum fuerit; Spiritus-paraclitus invocandus, cæteris sanctorum convocandus: & vir bonus, religiosus, discretus, litteratus, pius, & in sancta religione enutritus, qui patris vestri imitator sit, omni modo investigandus. Sic pia Petri ad Caziacenses admonitio definit.*

ANN. CHR. 1157. CXII. Verum retineri non potuit Simon abbas, quo minus ad Claræ-vallenses migraret, quod Bernardo vivente impetrare non potuerat. Non itaque ante hunc annum illuc migravit: *ubi magno a Dei dono, magnoque miraculo septennium supervivens, mirabile prorsus in tali ætate ac infirmitate, servoris ac devotionis exemplum omnibus reliquisse traditur.* In ejus locum successus Caziaci Helias usque ad annos circiter quatuordecim: tum Ebalus, quem *speciali dilectione, tam pro litteratura, quam pro religione amplecti se testatus est* Mattheus Trecentis præsul, in litteris *Ebalo venerando abbati* inscriptis; nec minori honore profectus Henricus episcopus Argentinensis, qui in ejus gratiam Ruffiaci cellam beati Valentini martyris in diocesi Basileensi erexit anno MCLXXXIII. De Gaufrido, Nicolao & Rainaldo Ebali successoribus nihil notatum dignum. Robertus II. loco suo commemorandus erit.

CXIII. Apud Claram-vallem venerabilis Robertus de Brugis Christo morienti vitam suam litavit. *Transactis quippe tribus annis & dimidio, ut habet liber sepulcrorum Claræ-vallis, cum die sancto pasche nudis pedibus incessisset, vehementerque frigore affluctus fuisset; ad vigilias sequentis sabbati tam gravi febre correptus est, ut non sine difficultate potuerit ex stallo suo fratrum manibus in infirmitorium deportari, ubi eadem febre paucis diebus vexatus, in confessione pura & humili perseverans, non sine magno planctu totius congregationis, III. kal. Maii in Domino requievit.* Ex his Roberti obitum Manricus ad hunc annum refert: & ita quidem exigit tempus trium annorum ac dimidii, quo Robertus post Bernardum Claræ-valli præfuisse dicitur. Verum super aliis ejus mortis circumstantiis non levis difficultas. Robertus quippe ad vigilias sabbati-sancti letali febre correptus fuisse dicitur & *paucis diebus superstes, & demum III. kal. Maii obiisse.* Atqui hoc anno MCLVII. pascha in ultimum diem Martii incidebat. Itaque, si Robertus III. kal. Maii decessit, non *paucis diebus*, sed integro fere mense supervixit. Longe minor esset difficultas de anno sequenti, quo pascha in duodecimum kal. Maii incidebat. Huic calculo quadrat appendix Valcellensium a Miræo relata, in qua Roberti obitus differtur in annum sequentem. Verum hunc nodum tetigisse sufficiat. Ejus memoria in fastis monasticis III. kal. Maii consignatur.

Robertus subrogatus est venerabilis Fastredus seu Fastradus, tunc Camberonensis in Hannonia abbas, vir insigni pietate, modestia, zelo & doctrina præditus: qui ad faciendam electionem vocatus, accedere noluit, veritus id quod accidit. Cum rumor de ejus electione ad ipsum pervenisset, fugam arripuit, & in domo Vallis-sancti-Petri, quæ Cartusienfium est in diocesi Laudunensi, per dies aliquot latuit: sed tandem beatissimæ Virginis Deiparæ monitu electioni acquievit. In habitu & cultu nihil singulare admittere voluit: hoc unum præ ceteris se timere professus, ne occasione abbatialis dignitatis, pauperem vitam, quam professus erat, desereret, & monachi premium perderet: quod utinam omnium claustralium prælatorum animis alte infixum esset!

CXIV. Fastredi zelus & studium in rem monasticam nullo alio argumento melius probari potest, quam præclarâ illa epistola, quæ cuidam Claræ-vallensis linæ abbati inscripta est, cui *spiritum majoris evangelicæ paupertatis* apprecatur. In illa epistola cujusdam relatu se comperisse ait, quod abbas ille regulæ suæ oblitus, in domo hospitium, etiam deficientibus hospitibus, mensam instruat; quod ornatori habitu indutus incedat, quam ordinis statuta præscribant. *Non hæc vita est*, inquit, *quam me, & te docuit pater & prædecessor noster Bernardus felicitatis recordationis; nec modus, quem nostri sacri ordinis abbates & monachi sequuntur, qui nos pane ex avena confecto, & herbis sine oleo & abdomine coctis enutrierunt, & fabis pisque, ipso etiam paschatis festo die, quæ austeritas, vel similis, in omnibus ordinis domibus observatur. Et tu, quasi hujus ordinis non fores, cibos tibi procuras delicatos & lautos, ut gula facias satis? Si abbas, & tuorum regula & exemplum es; quæ audes carnes lautas, pisces recentes diversimode paratos, & panem extra monasterium a mulieribus coctum comedere? Non sine pudore dico, quod tamen dicendum: quod multi sunt in via Dei, subditi suo abbate, navigantes nauclero, milites duce perfectiores; quodque tuo in monasterio multi reperiantur, qui eo tempore, quo tu horas noctis cænis opiparis & superfluis transigis, ipsi orationi vacant, & ad expiandas culpas & earum remissionem disciplinas sumunt. Quam procul abes, pater & frater mi, a socii nostri perfectione, qui ipso novitiatus anno obiit, quemque abstinentiæ rigor ad finem usque comitatus*

ANN. CHR.
1157.

est! Magna enim nausea captus, & ovi colti desiderio affectus, indicare noluit, (ne voluntatis & appetitus negati merito excideret) nisi ultimo vitæ puncto, dumque jam animam ageret, abbate prius promittente, illum ad hoc desiderium explendum non adactum iri. Hæc certe præclara sunt, & ad informandos prælatorum mores in primis accommodata: sed quæ paulo infra sequuntur, etiam subditis, id est monachis, maxime congruunt; sic enim Fastredus, quibusdam interpositis profequitur. *Crede mihi, pater mi, sæpius sanctum Bernardum pulvis ex farina confectas, addito oleo & melle, cum scrupulo edentem vidi ad stomachum calefaciendum. Dumque cum de hac austeritate accusarem, mihi respondit: Fili mi, si monachi obligationem nosset, omnis buccella, quam edis, lacrymis irriganda foret. In hoc enim monasterium intramus, ut peccata nostra & populi depleamus; & panem, quem suis laboribus paravimus, comedentes, horum peccata comedimus, ut ea, tamquam propria, desleamus. Addebatque: Nec sufficit monacho infirmitates allegare: sancti enim patres, majores nostri, valles humidas & declives, monasteriis exstruendis indagabant, ut sæpe infirmi monachi, & mortem ante oculos habentes, securi non viverent. Si ergo sancti ægritudinis media inquirunt, quare tu illa indagas, ut laute habearis? & si ipsi medium hoc tantorum bonorum causa nobis accersunt, qua dispensatione tu monasterii bona, infirmitatis excusatione, in corporis tui commoditates infumis & prodigis.* Hactenus Fastredus, cujus sententia his Annalibus non male convenire visa est.

CXVI.
Serlo & Guericus abbates mortui.

Robertum Claræ-vallensem e vestigio subsecutus est Serlo Saviniacensis quondam abbas, qui se suaque monasteria Cisterciensi capitulo subjecerat, & dimissa, quæ ipsi relicta erat, præfectura, Claram-vallem se receperat. Ejus obitus notatur iv. idus Decembris.

Guerrici abbatis Igriacensis obitum ad hunc annum etiam refert Manricus: at eum ante duos circiter annos obiisse ex eo intelligitur, quod Gaufridus, ejus in abbatiâ munere successor, societatem cum nostris Remigianis^a inivit anno MCLV. Guerrici pietatem & doctrinam testantur ejus sermones, in quibus S. Bernardi stilum & ingenium propius affectus est. Sub finem vitæ eximium religiosæ modestiæ & obedientiæ specimen edidit. Cum enim ad extrema^b devenisset, & conscientiæ secretioribus angulos rimaretur, ne quid forte perperam gestum districto judici ingratum prætermisisset; in memoriam rediit libellus sermonum, quos inconsulto capitulo generali (quod patres veterant) ediderat. Quam ob rem graviter ingemiscens, inobedienciæ crimen coram fratribus se incurrisse confessus est: ad quod expiandum allatos sermones in ignem projici jussit; perisissentque omnino piissimi illi sermones, ni alia exemplaria alibi superfuissent. Qui ei successit Gaufridus abbas, quem alii Godefridum vocant, is S. Bernardi notarius fuit, ejusque vitæ tres posteriores libros post Willelmum & Ernaldum abbates, qui duos priores libros scripsere, composuit, ac demum post Fastredum tertius Claræ-vallis abbas factus est.

CXVII.
Bona-aqua monasterium conditur.

In pago Lemovicino monasterium beatæ Mariæ de Bona-aqua tunc temporis constructum coeptum est. Hujus rei causa Willelmus d'Uffel & Petrus ejus frater dederunt Deo & beatæ Mariæ, in præsentia domni Stephani, primi Obazinæ abbatis, locum, qui vocatur Bona-aqua*, ad ædificandam abbatiâ, eo pacto, ut ordo monasticus secundum Domini præceptum & beati Benedicti regulam perpetuis ibidem temporibus teneretur. Actum hoc anno, regnante Lodoico rege, Geraldo-Hectore Lemovicensium episcopo. Hæc ex litteris ipsius Willelmi de Uffello, quæ in charactæo codice illius monasterii asservantur. In rescripto tamen Gregorii IX. pro eadem abbatiâ, *nobilis vir Eholus, dominus de Uffello, fundator monasterii* dicitur, nimirum quod multa eidem prædia, multasque possessiones contulerit. Sita est hæc abbatiâ in confinio Lemovicensium diocesis & Claromontanæ, tribus admodum leucis ab Uffello, sex a Meimaco; fuitque principio nigrorum monachorum, postea Cisterciensium, qui eam hæcenus possident. Primus ejus loci abbas fuit Amelius, cujus successores recensere non est nostri instituti.

CXVIII.
S. Juliani Turonensis abbatis electio.
c. supra n. 92.
a Chesni. to. 4. p. 641.

Engelbaudo Turonensi archiepiscopo successit hoc anno Joscus, qui Aymerici Burguliensis abbatis causam contra priorem Castri-fortis, ejusque affectas strenue propugnavit, ut superius^c diximus. Turonensi S. Juliani monasterio tunc præerat Aymericus alter: quo mortuo, successoris electioni Joscus archiepiscopus interesse non debere contendebat. Quapropter ad Ludovicum regem scripsit^d Joscus, migravisse nuper a sæculo abbatem S. Juliani, cujus monasterium de regali

ANN. CHR.
1157.

ejus & suo fundatum sit; seque illius abbatiæ esse advocatum, & ad se, sicut ad principem suum, monachos de electione sua intendere debere. *Verum tamen de amulis nostris quidam, inquit, auribus monachorum instillant aliter, vestræ dignitati & nostræ quod sui est domini derogantes. Animadvertite igitur, princeps noster, ne quod vestrum est, ad alterius transeat principatum.* Itaque monachis illis regali auctoritate præcipi rogat archiepiscopus, ut, sicut a fundatione sua in abbatum electionibus Turonensi archiepiscopo semper intenderunt, nihil novi immutare præsumant; alias regalia ipsis interdicens. In fine rogat archiepiscopus, ut rex hac de re ad papam scribat. Quid inde secutum sit ignoramus. Aymerico substitutus Garinus, alius Garnerius, rem strenue administravit, cujus successorum nomina dumtaxat novimus.

CXIX.
S. Audoeni & S. Georgii abbates.

Apud Rotomagum in monasterio S. Audoeni Fraternalis seu Freherius abbas, infirmitate confectus, dignitatem sponte abdicavit, ut quietius viveret, & ad mortem se præpararet. Suffectus in ejus locum Rogerius de Aquila monachus Cadomensis, vir religiosus ac timens Dominum, teste Roberto de Monte, hoc ipso anno cum Mathilde abbatiâ Almanesciensi super quibusdam juribus concordiam inivit. Mortuus est anno MCLXVII. quo anno idem Robertus ita scribit. *Ante quadragesimam venit Rotomagum, scilicet Henricus II. rex Angliæ; & mortuo Rogerio abbate S. Audoeni, viro summa religionis, eandem abbatiâ dedit Haimérico cellerario Becci, qui quatuor tantum annis eam rexit. De Richardo, Samfone & Gaufrido ejus successoribus legenda Neufria-pia.*

In monasterio S. Georgii de Bauchervilla prope Rotomagum decessit etiam hoc anno Ludovicus, ejus loci primus abbas, ut Robertus de Monte nos docet, eique successit Victor, monachus S. Victoris in Caleris, qui ad sæculum tertium-decimum pervenit.

Apud Senonas in monasterio S. Columbæ Girardo abbati jam ab anno præcedente successerat Odo monachus Fossatensis, cui Hadrianus IV. eodem anno amplissimum privilegium indulsit, datum Laterani per manum Alberti sancti Adriani diaconi cardinalis, *vicem domini Rolandi S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii gerentis, xvii. kal. Decembris, indictione vi.* quo tempore Rolandus cancellarius cum Bernardo S. Clementis presbytero cardinali in Germaniam legatus erat ad Fridericum imperatorem, a quo male habiti sunt. Novam S. Columbæ basilicam extruxit, aut certe absolvit Odo, eamque ab Alexandro III. cum Senonis esset, consecrari curavit anno MCLXIV. qui ejusdem Odonis abbatis supremus fuit, ut suo loco amplius exponemus. Ejusdem Odonis ad Ludovicum Juniores epistola existat apud Chesnium^a, quæ nihil pro nostris Annalibus notatu dignum continet.

CXX.
S. Columbæ Odo abbas.

In diocesi Catalaunensi apud Ulmetum tunc exstabat sancti Johannis monasterium duplex, monachorum scilicet ac sanctimonialium. Id nos docet diploma Bononis^b Catalaunensis episcopi, confirmantis donationem eidem loco factam a Guerrano de Oschara: qui pro remedio animæ suæ, & pro filia sua Gertrude, ut sanctimonialis fieret, dedit in elemosynam sancto Johanni de Ulmeto; & monachis sanctimonialibusque ibidem manentibus, molendinum unum & mansum juxta, cum prato apud Rubecæ-curtem super Everam fluvium situm, & alia nonnulla, quæ in ipsius Bononis episcopi litteris continentur. Testes Hadevildis comitissa de Domno-Petro, Helias-Raynaldus ejus avunculus, Willelmus de Buxi. Acta sunt hæc anno ab incarnatione Domini MCLVII.

a Chesni. to. 4. p. 740.

CXXI.
Ulmeti monasterium duplex b Perard. p. 238.

In Corbeiensis monasterio per id tempus orta controversia est inter Nicolaum abbatem & Theodericum Ambianorum episcopum super ecclesia parochiali sancti Thomæ in vico Pratorum, quam episcopus sibi competere adversus abbatem contendebat. Causa ad Hadrianum papam delata, eam dijudicandam pontifex commisit Miloni Morinensi & Godescalco Atrebatensi episcopis, ea lege, ut, si abbas quadraginta annorum possessionem pacificam & non interruptam testibus idoneis probare posset, vicus & ecclesia ei adjudicaretur. Causa hæc in præsentia prædicti Milonis episcopi & Balduini II. Noviomensis ventilata est coram Samfone archiepiscopo vice Godescalci Atrebatensis; probataque quadragenaria Corbeiensium legitima possessione, secundum eos dicta sententia est. *Actum Remis anno incarnationi Verbi MCLVII. indictione vi. regnante Ludovico nobilissimo Francorum rege anno XXI. archiepiscopatus autem domni Samsonis anno XVIII. Robertus cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit.* Eandem sententiam Hadrianus papa idibus Decem-

CXXII.
Corbeiensium lis de parochia S. Thomæ.

ANN. CHR.
1155.CX XIII.
Plures Hadriani
papæ episto-
læ ad Wibal-
dum.

bris auctoritate pontificia roboravit. Hæc sancti Thomæ ecclesia hæcenus subest jurisdictioni Corbeienfi.

[Fridericus imperator inflatus victoria quam de Polonis anno MCLVII. retulit, accinxit se ad expeditionem Italicam. Tunc Hadrianus papa audiens quoddam elaborare ut *in animo ejus sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ devotionem exstinguant*, litteris suis Wibaldum abbatem Corbeiensem hortatus est, imperatori suggerat, ut in veneratione sedis apostolicæ permaneat. Commendavit etiam legatos suos ad imperatorem directos, & ut eos modis omnibus studeat honorare. Scripsit quoque ei in gratiam Camaldulensium Botardingorum, & S. Petri de Rota, *qui assidue Deo student deservire, qui licet sint temporalibus pauperes, thesauro tamen indeficienti locupletes esse creduntur*, ne aliquam jacturam ab exercitu patiantur. Eidem quoque & archiepiscopo Coloniensi atque Constantiensi præfuit commendat monasterium S. Antimi. Eandem ob causam scripsit Wibaldo & episcopo Bavem-bergenfi pro abbate & conventu Farfensi.]

CX XIV.
Novam Wibal-
dus ad Græ-
cos legationem
suscepit, & obit.

[Interim verò novam Wibaldus ad Græcos legationem ab imperatore suscepit, a qua dum reverteretur tantus vir ordinis nostri decus, lumen imperii, ecclesiæ Romanæ difficillimis temporibus in Germania columnen, Butellie in Paphlagonia, ut tradunt breviores Stabulensium annales, Græcorum perfidia occubuit XIV. kal. Augusti, anno MCLVIII. Ossa ejus in basilica civitatis deposita, Stabuletum, agente Erlebaldo fratre ejus & successore honorificentissime translata sunt anno sequenti, & celebrante exsequias Henrico Leodiensi episcopo in choro VII. kal. Augusti condita fuere.]

CX XV.
Concilium Re-
mense.

[Anno MCLVII. Remis sub Samsone archiepiscopo celebratum est concilium, ubi septem sunt edita capitula, quorum sextum est *de regularibus qui tenent parochias*; statuitque, ut si quis abbas alicui ex his qui sibi subsunt ecclesiæ curam commiserit, eum episcopo præsentet emancipatum, *sicque cura accepta, sine licentia episcopi eum removere a ministerio atque revocare ad claustrum potestatem abbas non habeat*. Septimum est de sanctimonialibus, *ut secundum professionis suæ normam simplicibus agnitiisque vestibus sint contentæ, omnesque ad claustrum ab habitaculis indecentibus revocentur, ut intra claustra monasterii, ubi vix tute sunt, earum corpora & corda in-violata Domino conserventur*.]

CX XVI.
Adalberti levi-
tæ Gregorialis.

[Circa hæc tempora Adelbertus Levita desloravit ex libris moralium S. Gregorii loca ad instructionem aptiora, quod quidem opusculum reperi in ms. codice S. Ildidii Claromontensis ab annis circiter DC. exaratum cum hoc titulo, *Incipit Prologus Adalberti Levitæ ad Herimannum presbyterum, in quo promittit ei opusculum exceptum quasi lilia candentia a moralibus quæ B. Gregorius Spiritu sancto afflatus luculentissimo sermone diseruit*. Idem se reperisse testatur in ms. Præmonstratensi Mabillonius, tom. I. analectorum, pag. 17. Idem & nos reperimus in ms. S. Petri Selincurtensis ordinis Præmonstratensis in diœcesi Ambianensi, in Carolilocensi ordinis Cisterciensis, in Grandimontensi prope Lemovicis. Et in Grandimontensi quidem ad calcem hæc leguntur: *Ego Adalbertus licet indignus monachus atque sacerdos, qui ex moralibus B. Gregorii in Job editis, studui colligere flores, humiliter ac summis omnibus legentibus per ineffabilem Trinitatem precor & supplico, hortor & suadeo, atque totis ex præcordiis enixius expostulo, ut pro mole peccaminum omnipotenti Deo, qui cuncta creavit e nihilo, qui omnia quæcumque voluit, fecit in celo & in terra, qui est iudex vivorum & mortuorum, preces ex imis visceribus fundant, ut & nostra errata propitius indulgeat, & suam gloriosissimam visionem in caelesti regno cum omnibus Sanctis pro sua gratuita & immensa clementia æternaliter frui concedat. Amen*. In alio codice Grandimontensi habentur alia ex operibus S. Gregorii excerpta in libros XVI. distributa, quibus præmittitur index capitulorum cum hoc titulo, *Hæc capitula sunt in libro distinctionum, & non sunt in Gregoriano Garnerii*.]



ADDENDA

ADDENDA ET CORRIGENDA AD TOMOS PRIORES.

AD TOMUM PRIMUM.

IN libro I. *Annalium Benedictinorum* pag. 21. De S. Casarii Arelatensis regula pro virginibus loquens Mabillonius, ait: *hæc est regula, quam B. Radegundis in Pictavensi S. Crucis parthenone secuta est*. Quod quidem comprobatur ex præclara Casariæ Arelatensis abbatissæ ad S. Radegundem epistola cum ei regulam misit. Hæc si Mabillonio innotuisset, tanti certe illam æstimasset, ut religioni duxisset vel unum ejus apicem præterire: quapropter eam ex mss. codice Boheriano Divionis descripsit hic integram referimus.

Epistola Casariæ incipit.

Dominabus sanctis Richildi & Radegundi Casaria exigua. Veniente misso vestro, & relectis apicibus sanctæ pietatis vestræ, inæstimabili & spiritali gaudio repleta sum, quia vos illud elegisse & tenere cognovi, unde vobis, Deo adjuvante, æternam vitam præpararetis, æternasque divitias acquiratis, & exultationem cum sanctis, quæ finem non habet. Dominus Deus noster, qui erigit elisos & compeditos absolvit, & illuminat cæcos, ipse vos dirigat in via recta. Ipse vos doceat suam facere voluntatem, ipse tribuat ut in præceptis ejus ambuletis, & mandata ejus custodiatis, & in lege ejus meditemini, sicut ait Psalmista, *& in lege ejus meditabitur die ac nocte*. Et illud: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos, lex Domini irreprehensibilis convertens animas*. Quam attente sæculi homines cum regalia præcepta leguntur, audiunt; tam attente vos, cum lectiones divinæ leguntur, auscultate. Tota mens, tota cogitatio, tota meditatio de Domini sit præceptis. Sollicite timete illud: *Maledicti, qui declinant a mandatis tuis, & Qui unum vel minimum de mandatis Domini præceptum non custodierit, minimus vocabitur in regno cælorum*. Implete istud: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. In corde meo abscondi eloquia, ut non peccem tibi*. Et quia vos dominas mihi in Christo carissimas dignatus est Dominus eligere in hæreditatem sibi, gratias illi agite, & benedicite eum in omni tempore. Abstinetes ab omni vitio, ab omni peccato, quia *qui fecit peccatum, servus est peccati*. Diligite & timete Dominum, *quia oculi super timentes eum, aures ejus ad preces eorum*. Sit in vobis cor mundum, cor pacificum. Estote mites & humiles, patientes, obediens. Audite Dominum dicentem: *Super quem requiescam, nisi super humilem & quietum? Deposuit potentes de sede & exaltavit humiles*. Licet sanctum & bonum & laudabile, quod regulariter vivere optetis; sed non est major, nec melior, nec pretiosior, nec splendidior ulla doctrina, quam evangelii lectio. Hoc videte, hoc tenete, quod Dominus & magister noster Christus & verbis docuit & exemplis implevit, qui tanta mirabilia in mundo fecit, quæ numerari non possunt; & tanta mala sustinuit a persecutoribus suis per patientiam, quæ vix credi possunt. Patientia est quæ nos Deo commendat. Audite Apostolum: *Si qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur*. Sicut latatur Deus in incipientia conversionis vestræ, ita luget de ea diabolus, cui sunt mille & mille nocendi artes, & quærit a Deo escam sibi, & ideo incessabiliter orate, ut illi resistat Deus. Viriliter agite & confortetur cor vestrum. Audire scripturam dicentem: *Fili accedens ad servitum Dei, sta in justitia & timore, & prepara animam tuam ad tentationem*. Quam viriliter & fortiter, si viri fuissetis, pugnaturæ eratis contra inimicos vestros, ne corpus percuteretur, tam constanter & viriliter pugnate contra diabolus, ut non vestras animas occidat per consilia & cogitationes pessimas. Jugiter clamate Deo: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina. Deus ne elongeris a me, Deus meus in auxilium*

Annal. Bened. Tom. VI.

CCCC


meum respice. Adjutor meus esto, ne derelinquas me. Adjuva me & salvus ero. Attentæ estote, quando dicitis psalmum, quod ibi dicit, & ipse vos docet, *Psallite sapienter.* Qualiter pro vobis stetit, pro vobis dum in cruce staret: ita & vos sicut crucifixæ stete ad opus Dei; non aliud cogitetis, nec loqui præsumatis, nec aliquid operari. Per omnia pacificæ estote, quia factus est in pace locus ejus: *Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur. Sol non occidat super iracundiam vestram. Pax multa diligentibus nomen tuum Domine, & non est illis scandalum.* quia non valet virginitas carnis, ubi habitat iracundia cordis. Et alibi scriptura dicit, pacificos & concordēs atque unanimes in domo sua Deus esse præcepit. Saluto humilitate & caritate, qua debeo, plus quam dici potest, licet minima & negligens. Deum deprecor, ut vos regere, protegere & conservare dignetur, ut qui vobis incipientiam donavit, donet & perfectionem, quia non qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Sicut nostra humilitas exultat & gaudet in Domino de vestra incipientia: ita & Dominus & angeli ejus latentur de vestra conversatione & perfectione. Habes, & scio quia abundas facultate; da quantum potes pauperibus. Thesauriza tibi thesauros in cælo, ut impleatur in te illud: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi,* sicut scriptum est: *Sicut aqua exstinguit ignem, ita elemosyna peccatum.* Spes in Deo sit, quia scriptum est: *Maledictus homo, qui spem suam ponit in homine.* Et nulla sit de intractantibus, quæ non litteras dicat. Omnes psalterium memoriter teneant: sicut jam dixi, hoc per omnia studeat implere, quod in evangelio legitis. Ego feci quod præcipistis, transmissi exemplar de regula, quod nobis beatæ & sanctæ recordationis dominus papa Cæsarius fecit: vos videte quomodo eam custodiatis. Certa sit, dominans sit caritas vestra, quia si secundum eam vixeritis, inter sapientes virgines locum accipietis, & introducet vos Dominus in regnum suum, & percipietis quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se in regione vivorum, ubi exultabunt sancti in gloria, ubi gaudentes & exultantes in Domino diceris: *Fecit nobis magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Et illud: *Eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia,* ad quam vos Dominus immaculatas faciat pervenire, qui regnat in sæcula sæculorum, amen.

Pervenit ad me quod nimis abstineas. Totum rationabiliter fac, si tu mihi vivas, & semper possis. nam si per istam nimietatem cœperis infirmari, postea, quod Deus non faciat, necesse tibi erit delicias requirere, & extra horam accipere, & non poteris illas benedictas regere. Audite quid Dominus in evangelio dicat: *Non quod intrat in os coinquinat hominem; & apostolus, Rationabile sit obsequium vestrum.* Totum sic fac domina, quomodo in regula habes quam expetisti, ut benedicatur & collaudetur Deus de tua bona conversatione, & sis forma fidelium: quia *quis fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Gaudete ergo & exultate in Domino, venerabiles in Christo sorores, & gratias illi jugiter agite, qui vos de tenebrosa hujus sæculi conversatione ad portum quietis & religionis vocare dignatus est. Cogitate jugiter unde existis, & ubi pervenire meruistis. Reliquistis fideliter mundi tenebras, & lucem Christi feliciter videre cupistis. Contemistis libidinis incendium, & ad castitatis refrigerium pervenistis. Et quia vobis usque ad exitum vitæ non deerit pugna, quantum estis securæ de præteritis, tantum estote sollicitæ de futuris. Omnia enim peccata vel crimina cito ad nos revertuntur, si non quotidie bonis operibus expugnentur. Audite apostolum Petrum dicentem: *Sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret.* Quamdiu in hoc corpore vivimus, die noctuque, Christo Domino adjutore & duce, contra diabolum repugnemus. Sunt aliquantæ negligentes & tepidæ, quæ putant quod illis sufficiat vestem mutasse. Vestes enim deponere & religiosas assumere, unius horæ momento possumus: mores vero bonorum jugiter retinere, quamdiu vivimus, Christo adjutore laborare debemus. Omnis anima quæ religionem servare desiderat, gulam, concupiscentiam & ebrietatem vitare tota fidei virtute contendat: ita ut nec præ nimia abstinentia corpus illius debilitetur, neque per deliciarum abundantiam ad luxuriam provocetur. Læctiones divinas jugiter aut legite aut audite, quia ipsæ sunt ornamenta animæ: ex ipsis margaritæ auribus vestris appendite, ex ipsis anulos & dextralia. Dum bona

opera jugiter exercetis, his ornamentis decoramini. Quæ vero religionem immaculato corde desiderat custodire, ut immaculata in conspectu Dei ambulet, in publico aut numquam aut difficile procedat. Familiaritates virorum omnino quantum potestis, rarius habete, si castitatem custodire desideratis, nec dicat aliquis: sufficit mihi conscientia mea, dicat sibi quisque de me quid voluerit; misera & fatis odibilis est Deo ista excusatio. Ecce secura es tu de conscientia tua, numquid illius conscientiam vides cum quo loqueris? Certissime sciatis, quia femina quæ virorum familiaritatem non vitaverit, aut se aut alium cito perdet. Contra reliqua vitia oportet nos omni virtute resistere: libidinem vero non potes expugnare, nisi virorum consortium fugeris. Si nobiles natæ estis, magis de religionis humilitate, quam de sæculi dignitate gaudete. Audite Dominum dicentem: *Si quis reliquerit omnia & secutus me fuerit, centuplum recipiet, & vitam æternam possidebit.* Si qua vero ex paupertate convertitur, Deo gratias agat, qui animas pauperum salvas faciet, & qui liberavit eas de impedimento mundi. *Divites egerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.* Omnes vos amate, si vultis ut Deus habitet in cordibus vestris: quia scriptum est, *Qui odit fratrem & sororem suam in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* Sunt forte aliquæ quæ facultates suas parentibus derelinquant, & se inde exheredent; audiant hæc Dominum dicentem: *Vendite quæ possidetis, & date elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Currite fideliter, ut possitis feliciter pervenire, & stare lætantes & exultantes in conspectu Domini Dei nostri, qui vos dignatus est inter oves pascuæ suæ eligere; & in regno suo sicut in terrestri ministerio, ita in cælestibus sedibus collocari præstet, qui regnat in sæcula sæculorum, amen.

Explicit epistola Cæsariæ.

Pag. 48. In Stabulensi monasterio, dimisso Tungrensi episcopatu, vitæ sanctissimæ finem fecit beatus Remaclus, ibidemque sepultus in oratorio S. Martini. Visitur hæcenus inter sacras ejusdem monasterii reliquias cuculla ejus monastica ex rudi panno, quali fere vestes sibi hodie conficiunt patres Capucini, & ejusdem coloris, in qua Remaculi paupertatis amorem prædicant varii ejusdem materiæ panniculi, quibus passim lacera vestis refarcitur. Forma autem hujus cucullæ est instar veterum casularum, quæ totum corpus circumdabant sine manicis, sed cum acuminato superius affuto caputio, qualem nobis repræsentat S. Isidorus in libro *Ety-mologiarum, Casula est vestis cucullata, per diminutionem a casa, quod totum hominem tegat.* Et Theodemarus abbas Casinensis in epistola ad Carolum Magnum: *Cucullam esse dicimus, quam alio nomine casulam vocamus.* Tantæ antiquitatis hoc in genere monumentum nullum unquam vidi pretiosius aut mirabilius, sed neque Mabillonius: quapropter ad futurorum instructionem & ædificationem hic illud repræsentare juvat.



J. Dupont fecit.

De regula quam in Stabulensi monasterio instituit S. Remaclus, non sibi constat auctor novæ Galliae christiana. nam prætermissa regula S. Benedicti, solum S. Columbani institutum memorat. E contrario vero agens de Solemniacensi monasterio, in quo ipse S. Remaclus primus abbas monachorum gregem gubernavit, ait eum sub S. Benedicti regula militasse, addita & norma S. Columbani. Et certe litteræ S. Eligii, quas refert auctor in sua Appendice, declarant ipsius fundatoris voluntatem, magna scilicet Solemniacensi monasterio beneficia contulisse, *tali tamen conditione interposita, ut vos vel successores vestri tramitem religionis sanctissimorum Luxoviensis monasterii consequamini, & regulam beatissimorum patrum Benedicti & Columbani firmiter teneatis.*

AD TOMUM I.

Pag. 36. Originem Suevrensis parthenonis a Pippino fundati, investigavit Mabillonius, cujus instrumentum sibi lectum fuisse asserit Broverus; nos vero ex chartario Epternacensi descriptum edidimus tomo 1. Amplissima collectionis, pag. 20. Successu vero temporis anno scilicet DCCCXCI. Arnolfus rex anno regni sui iv. eandem abbatiam, *ubi sanctimoniales feminae divinum subministrant officium*, cuidam fideli presbytero Siginando illustri artifice tradidit. Paulo post idem *eximiarum artem Siginandus presbyter*, deprecatus est Arnolfum, *ut ipse manu sua propria, hoc*

ipsum quod sibi tradidit monasterium ad Deo acceptissimum locum Prumiensem... tribuendo firmaret. Quod quidem confirmavit Zuentiboldus ejus filius anno DCCCXCV. regni sui 1. *Actum in monasterio S. Goaris confessoris.* Postea temporibus Caroli Simplicis viri potentes eandem abbatiam *injusto violentoque conamine* invaserunt. Post multas autem sine fructu reclamaciones, Richardus abbas Prumiensis querelam de vi illata deposuit apud Carolum regem, qui rem cupiens certo diffiniri in generali apud Heristallium placito, in conventu publico episcoporum, comitum & procerum re attentius examinata, Suestra Prumiensi abbatiae est adjudicata anno XXII. *regnante domino Carolo rege, redintegrante XVII. largiore vero hereditate indepta v. Actum Heristallium palatium in Dei nomine feliciter.* Tandem regnante Ottone III. imperatore anno DCCCXLVIII. visis tot regum privilegiis, petente Ingranno abbate Prumiensi, in generali placito episcoporum, ducum, comitum & procerum in Nimaga auctoritate regia Prumiensi confirmata est. Hæc omnia uno intuitu inspicienda huc referre libuit de varia Suevrensis abbatiae fortuna, quæ tandem in canonicarum collegium evasit.

Pag. 36. Post Papulenum seu Papolenum Stabulense monasterium administravit Rabangarius, Mabillonio aliisque qui de Stabulensibus rebus tractaverunt ignotus. Ejus notitiam debemus placito apud Glamanvillam habito coram Carolo Martello pro restitutione quarundam villarum Stabulero facienda, Tosini scilicet & Silvestris-villa. Eo in placito Rabangarius episcopus quasdam protulisse chartas dicitur, in quibus Rotgicus dictas villas in beneficium ab antecessore Baboleno abbate accepisse memoratur. Hic autem Rabangarius abbas ter *episcopus*, semel vir apostolicus memoratur.

Pag. 49. Hoc eodem anno DCCXVI. *Vir illustis Hedenus dux*, pro Dei timore suæque mercedis augmento, donavit, donatumque in perpetuum esse voluit, domino & in Christo patri Willibrordo in Mero, quod respicit ad Hamulum-Castellum, ubi & cogitabat Dei misericordiam per ipsius apostolici viri consilium monasterium construere in parte occidentali super fluvio Sala in pago Salvensi, ipsas res quas pater & mater ejus dereliquerant sibi, cum servis & ancillis VIII. quantumcumque ibidem habere videbatur, totum & integrum tradidit & transfudit, ut quidquid inde facere voluerit, liberam in omnibus habeat potestatem. *Actum publice Hamulo-Castello anno 1. Chilperici regis, XIV. kalendas Maias. Cato comes, Sigericus comes. Ego illustis vir Hedericus dux donationem fieri volui & subscripsi cum Theodrada conjugis mea. Ado nutricius Hedeni & Tiringus filius Hedeni. Adogoto Hererico, ego Richisus clericus rogatus scripsi & rescripsi.*

Ad pag. 61. in fine anni 721. adde, Vitæ cælestis desiderio, utque suæ salutis provideret Herelaef filius Badagaro, de rebus suis ad loca Sanctorum dare disposuit, *hoc est ad Basilicam SS. Apostolorum Petri & Pauli & S. Landeberti episcopi & martyris, quam nuper, inquit, construximus in loco Baclaos, ubi nunc dominus pater & pontifex Willibordus præesse videtur*, scilicet in ipsa Baclaos tres casatos una cum Sala & curticle cum omni re apposita quam ex materna hereditate possidebat, &c. *Actum loco Baclaos anno 1. Theodorici regis die XII. mensis Decembris. Ego Herelaef hanc donationis cartulam relegi & subscripsi.*

Ad annum sequentem proprie referenda est fundatio Prumiensis monasterii, quod una cum filio Cariberto construxit Bertrada ad fluvium Prumiam in proxima arce sua *Murlebach*, in honorem B. Mariæ, SS. Petri & Pauli & S. Martini, cui præfecit Angloaldum abbatem. Fundationis chartam habes in tom. 1. Amplissima collectionis pag. 23. Ex qua Prumienses nostri asserunt Bertradam seu Bertradanam, quam faciunt aviam Bertæ Pippini regis uxoris, vere fundatricem esse Prumiensis monasterii, utpote quæ vidua existens in proxima arce *Murlebach*, cujus adhuc rudera extant, ad Prumiam fluvium construxit in prato ecclesiam, adjunctis ædibus pro congregatione monachorum. Perstat hætenus in prato prima illa ecclesia, S. Benedicti capella dicta, sed ruinam minans, in qua multi abbates, principes, & duces sepulti jacent, fuitque ad nostrâ usque tempora Prumensium monachorum conditorium. Sed postea Pippinus, hortante Bertha uxore, proximo in loco longe splendidiorem exstruxit basilicam, eamque tam pinguibus dotavit redditibus, ut pro fundatore haberi meruerit.

Lib. XIX. n. IX. pag. 4. Non confundenda cum S. Bertilla, Bertilendis illustris
Cccc ij

femina Deo in Calensi parthenone consecrata, cujus pater Wigibaldus & mater Oadrada: quæ ad fovendos S. Willibrordi apostolicos labores, insignem eidem Sancto donationem fecit, relata in Amplissima collectione nostra tom. 1. pag. 17. *Actum publice in loco Calæ IV. kalendas Augusti anno XVI. regni domini nostri Childeberti gloriosissimi regis, &c.*

Pag. 200. ad annum 762. Refert Mabillonius obitum Baldeberti episcopi & abbatis Morbacensis, qui Romano abbati, S. Pirminii successori successus fuerat. *Biennio ante eidem Baldeberto episcopo, & abbati cum monachis quos Dominus de diversis provinciis propter nomen suum ibidem adunavit, Rudmundus clericus pro timore Dei, & æterna retributione, animæ meæ, inquit, remedio, & indulgentia peccatorum, insignem donationem fecit in pago Alfacensi in loco nuncupato villa Lielinssne, quod vocatur Heloldonilare, nimirum quidquid possidere videbatur in castris, campis, terris, araturis, pratis, silvis, &c. Actum in monasterio S. Gregorii, quod vocatur Confluentes, publice anno IX. regnante domino gloriosissimo Pippino rege VI. kalend. Februarii. Signum † Rudmundi clerici, qui hanc epistolam donationis fieri & affirmari rogavit, &c.* Ex hac charta observare licet aliquos Morbacensis monasterii rectores fuisse simul episcopos & abbates. Et sane Mabillonius Analectorum tom. 4. pag. 323. refert epistolam encyclicam *Sindeberti*, qui *dono Dei vocatus episcopus atque abbas de monasterio Morbac* erat. Vidi etiam in manuscripto Morbacensi catalogum informem ejusdem cœnobii abbatum, quorum plurimi episcopi simul & abbates dicuntur, scilicet *Landelon episcopus & abbas, Waldebertus episcopus & abbas, Romanus episcopus & abbas, Gerlobus Egistatensis episcopus, & Murbac. abbas, Suintpertus episcopus & abbas Morbacensis.* Erant autem illi episcopi aut Regionarii ad annunciandum vicinis populis barbaris verbum Dei, aut ad tollendam junioribus fratribus discursus occasionem ad suscipiendos sacros ordines & requirendum sacrum chrisma, aut ne quies & tranquillitas monasteriorum inturbaretur ex adventu episcoporum ad conferendos monachis sacros ordines, & ad consecrationes altarum. Tales fuerunt primi abbates Laubienses, & Stabulensis, de quibus egimus in præfatione ad tomum 2. Amplissimæ Collectionis pag. 2. & seq.

Pag. 201. Ad annum DCCLXIII. refert Mabillonius celeberrimi Prumiensis monasterii foundationem, quam erudite suo more tractat. Sequenti anno DCCLXIV. Egidius vir illustris factus eodem in cœnobio monachus, *ubi venerabilis vir Assuerus abbas & plurima turba monachorum videtur esse adunata, ubi ego comam capitis mei propter nomen Domini deposui, insignem fecit donationem, & talem quæ ad magni monasterii foundationem sufficeret.* Fuit autem Egidio pater Beririgus & mater Viventiana, habuitque filios Aginaldum, Berricum seu Bautlenum & Paulum. Prædia autem quæ contulit recensentur in charta donationis edita in tom. 1. nostræ Amplissimæ Collectionis pag. 28. *Actum Prumiæ monasterio publice sub die XVI. kalend. Martii anno XIV. regnante domino nostro Pippino gloriosissimo rege.*

Pag. 226. Dum versaretur in Italia Carolus Magnus, ipse & Hildegardis regina conjux sua *ob amorem Dei & nostræ, inquit, commune mercedis augmentum, insignem fecit donationem ad sacrosanctam ecclesiam beatissimi confessoris S. Martini & patroni nostri Turonicæ civitatis constructam, ubi pretiosus dominus corpore requiescit, & vir venerabilis Gulsardus abbas præesse videtur, donatumque in perpetuum ad eundem sanctum locum vel ejusdem congregationi causa vestimentorum esse volumus: hoc est insula cum castello Sermonense, &c.* Plura alia enuntiat prædia sita in Italia. Insignem illam donationem propriæ manus subscriptione corroborat. *Signum Caroli gloriosissimi regis. Itherius recognovi. Data XVII. kal. Augusti anno VI. & primo regni nostri, id est VI. regni Francorum & I. regni Langobardorum. Actum Papiæ civitate in Dei nomine feliciter, amen.*

Pag. 234. Præter amplissima eaque plurima prædia, quæ Prumiensi monasterio in sua foundatione concessit Pippinus rex Francorum gloriosus, Assuerus abbas cum esset ex Andegavensium comitum progenie, tantæ donationi ex paterna hereditate villam addidit in pago Andegavo *Caciacum cum omni integritate & soliditate vel appenditiis, pro animæ suæ remedio, pro anima piissimi regis Caroli, pro anima domnæ reginæ Hildigardanæ & infantum ipsorum, quam solemniter scripto Prumiensi monasterio dedit, donatumque perpetualiter ad possidendum voluit. Actum*

Insignis donatio Caroli Magni facta in Italia S. Martino pro vestimentis fratrum.
Ampliss. Coll. tom. 1. p. 37.

Assuerus abbas Prumiensis dat suo monasterio villam Caciacum in pago Andegavensi.
Ampliss. Coll. tom. 2. p. 39.

est Prumiæ monasterio sub die XV. kalend. Septembris anno IX. regnante domino nostro Carolo gloriosissimo rege. Ego Assuerus abbas hanc donationem a me factam subscripsi. Signum † Egidii, signum † Reginfredi, &c. Subsignant alii novem quorum solamobis nota sunt nomina.

Pag. 255. Idem Iterius abbas de basilica peculiaris patroni nostri Martini, *ubi ipse pretiosus Domini corpore requiescit, emunitates gloriosissimorum regum antecessorum manibus carum roboratas, obtulit Carolo Magno relegendas, quibus confirmantur tam ea quæ beato Martino in suis regnis Austria, Neustria, Burgundia, Aquitania, Provincia dederant, quam quæ ab aliis concessa confirmaverant, uti ea ipse confirmare dignaretur: Cujus nos petitionem, inquit, consentientes & patrocinia venerantes, sicut præcessores reges singulariter expleverunt, & nos hoc indulgentiæ donum gratanter præstitisse cognoscite, præcipiens ut omnia S. Martini prædia sub emunitatis titulum debeant consistere.* Aliaque cedit, ut *in luminaribus beatissimi Martini, vel in alimonia pauperum seu stipendia monachorum proficiat in augmentum, atque ut concessa perdurare valeant, manu propria subterfirmavit. Signum Caroli gloriosissimi regis. Rado relegit & subscripsit. Data in mense Aprili anno XIV. & IX. regni nostri. Actum Castiaco palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.*

Pag. 294. Nova Prumiensi monasterio beneficia contulit Carolus Magnus anno DCCXC. nam *pro divino intuitu & æterna remuneratione donavit ad monasterium Domini & Salvatoris, quod bonæ memoriæ genitor suus Pippinus & genitrix Bertrada regina novo opere a fundamentis pro futura salute, in loco qui dicitur Prumiæ, visi sunt construxisse, ubi præest venerabilis Asoarius, donataque esse voluit res aliquas proprietatis suæ, quas prædictus abbas & Achardus missi sui iusto tramite secundum legem in causa nostra, inquit, super hominem aliquem nomine Alpadum acquisissent, quæ in diplomate regis commemorantur, totum & ad integram ad præfatum monasterium in eleemosyna nostra jure firmissimo perpetuis temporibus ad possidendum concessit, ut melius delectet ipsos servos Dei, qui ibidem famulare videntur, pro nobis uxoreque & liberis nostris, seu pro stabilitate regni nostri attentius Domini misericordiam exorare, &c. Signum Caroli gloriosi regis. Ercambolt ad vicem Radonis recognovit. Data idus Junii anno XXII. & XVII. regni nostri. Actum Moguntia civitate in Dei nomine feliciter, amen.* Eodem anno mense Martio singulari præcepto Massiliense S. Victoris monasterium prædictus rex ab omni publici judicis exactione eximit. *Actum Camarcia civitate.* Circa idem tempus Berneradus sanctæ Senonensis urbis archiepiscopus, qui est rector monasterii sancti, *ubi S. Willibrordus corpore requiescit, quod est situm in loco Epternavo, Carolo regi significavit Carlomanum germanum ejus pro mercedis suæ augmento villas aliquas in pago Bedense, in loco nuncupato Droise super fluvium Salmana, & officinas super Licera una cum terris, domibus, edificis prædicto monasterio concessisse.* Sed cum ex negligentia, concessionis chartula nequaquam accepta fuisset, prædictus Berneradus, tertius a S. Willibrordo abbas Epternacensis, deprecatus est Carolum regem, ut germani sui eleemosynam sua auctoritate concedere & confirmare dignaretur, quod ille præstitit: prohibens ne ullus ex suis fidelibus aut ex judiciaria potestate ullo umquam tempore Bernerado archiepiscopo, neque successoribus qui fuerint rectores monasterii S. Willibrordi, *de jam dictis rebus inquietare, aut calumniam generare, aut aliquid abstrahere nec minuire ullo umquam tempore presumat.*

Pag. 330. Cum versaretur in Aquisgrani palatio regio Carolus Magnus, accessit ad eum Assuerus seu Asoarius abbas Prumiensis, ac serenitati ejus multotiens deprecatus est *pro aliquibus rebus sitas in Andegavo, villas nuncupatas Lauriaco & Caciaco; asserens quod de parte genitricis suæ Wilharanæ, & aviæ Theodilda ei legibus pertinere debuissent; postea vero propter infidelitatem aliquorum hominum parentumque suorum in fisco redacta fuerant malo ordine & injuste usurpata devenissent.* quod quidem propter Assueri sacerdotium & fidelia ejus servitia verum esse credens, *de rebus ipsis pleniter eum revestiri jussit, & per auctoritatis præceptum confirmare decrevit.* Transacto vero aliquo tempore, inventum est manifeste per Odilhardum sanctæ Nanneticæ urbis ecclesiæ episcopum & alios veraces homines infra patriam habitantes, *de prædicta villa Lauriaco, quod regis hereditati legibus ac juste deberetur, & nullam inibi Assuerus abbas deberet habere justitiam, qui in conspectu ejus ac plurimorum procerum suorum stans in judicio, secundum quod lex Romana*

Ampliss. Coll. tom. 1. p. 42.

Donum Caroli Magni factum Prumiæ.
Ampliss. collect. tom. 1. p. 45.

Ampliss. collect. tom. 1. p. 51.

edocet, & sui Scabini judicaverant, prædictas villas simulque præceptum confirmationis reddidit. Ex quibus Lauriacum pro salute genitoris sui & genitricis suæ Prumiensi monasterio per præceptum auctoritatis suæ delegavit. Aliam vero quæ vocatur Caciacum, cum audissent agentes, & testati fuissent, vidisse aviam Assueri Theodildam possedisse, eandem illi confirmavit. Elapsis vero quibusdam annis, orta contentione inter Assuerum abbatem & comitem Nunonem pro aliquibus appenditiis, probatum est per testes & per instrumenta Theodildam Assueri aviam Pippino regi villam Caciacum cum appenditiis tradidisse, nec eam ex parte matris Wilharanæ esse illius: at cum Assuerus tota in causa simpliciter egisset, Carolus utramque villam cum appenditiis Lauriacum & Caciacum Prumiensi monasterio contulit, quatenus melius delectet ipsos servos Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro ipso, pro liberis, pro stabilitate regni, pro animabus genitoris sui jugiter Dei misericordiam exorare, &c. *Signum Caroli gloriosissimi regis. Erkambaldus ad vicem Radonis recognovit. Data XIII. kal. Maias anno XXIX. & XXIV. regni nostri. Actum Aquisgrani palatio nostro publice in Dei nomine feliciter.*

Pag. 380. n. LIII. Prædictus Trasarius abbas Fontanellensis monasterii anno II. imperii Ludovici Pii, obtulit eidem imperatori immunitatem Caroli bone memoria piissimi augusti, in qua insertum erat qualiter ipse & antecessores ejus, reges videlicet Francorum, prædictum monasterium propter divinum amorem, tranquillitatemque fratrum ibidem consistentium, semper sub plenissima defensione, & immunitatis tuitione habuissent. Atque ob firmitatem rei postulavit, ut eandem auctoritatem ab amore Dei & reverentiam ipsius loci sancti sua confirmaret auctoritate. cuius petitioni libenter acquievit, &c. manu propria subterfirmavit & anuli sui impressione signari iussit. *Signum Hludovici serenissimi imperatoris. Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovit. Data septimo kal. Novembris anno Christo propitio secundo imperii domni Hludovici piissimi augusti indictione IX. Actum Niumago palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.*

Pag. 408. Observat Mabillonius Ludovicum Pium plura primo imperii sui anno dedisse pro monasteriis diplomata. Id confirmant duo pro Stabulensi & Malmundariensi eodem die & anno Wirundo abbati concessa, & a nobis edita tomo 2. Amplissima Collectionis. Visis enim omnibus suorum prædecessorum præceptis a Wirundo abbate ei exhibitis, Pius imperator ea confirmavit. Singulari studio consideranda sunt ea quæ in illorum uno leguntur, quod scilicet cum rex Sigebertus utriusque monasterii fundator, S. Remaclo eorum patri XII. leugas undique mensuratas de sua foresta tradidisset, post fundatoris mortem, prædictus Sanctus magis diligens quiete Domino servire, quam tumultuosam sæculi fluctuationem persequi, deprecatus est Childericum regem, ut sex leugas ei subtraheret, propter quietudinem monachorum ibidem consistentium, & sex ei per suum præceptum confirmaret, atque undique designare juberet. quod ille præstitit. Mirandus non solum quietudinis sed etiam paupertatis amor, contemptusque terrenorum ad caelestia aspiranti! Altero diplomate Wirundo etiam abbati Stabulensi & Malmundariensi thelonium de navibus suis per Rhenum & Mosam decurrentibus concedit. *Data kalendis Octobris, anno primo, Christo propitio, imperii domni Hludovici Augusti, indictione VIII. Actum Cispino palatio in Dei nomine feliciter, amen.*

Pag. 441. De restauratione Andaginenfis monasterii per Valcandum episcopum Leodientem post concilium Aquisgranense erudite, ut solet, Mabillonius tractat, & de restitutione observantia, adscitis in eo ordinis monachis, quibus præfatus est Alveus abbas, qui in historia Andaginenfis monasterii dicitur Altvenus: *Gaulcandus vero episcopus, inquit, Altvenum abbatem, qui loco præfesset ordinavit. possessionesque, & redditus quibus fratres subsisterent legali privilegio ecclesie facti in perpetuum confirmavit: credens specialius profuturum sibi quicquid ibidem gereretur usque ad finem sæculi. Addit prædictus auctor, Qui autem præfatis abbati successerunt vel quamdiu præfuerint, vel quomodo sub unoquoque eorum locus ipse profecerit aut defecerit, neque legimus, neque a quoquam certius audivimus. Ideoque his prætermisissis, quæ nostris temporibus audivimus vel vidimus gesta referimus. Hujus defectu adest nobis Regino Prumiensis insignis scriptor, qui Alveo seu Altveno successores constituit. Tancredum, Marwardum, Sevoldum, qui Andaginentem simul & Prumiensem abbatiam administraverunt.*

Pag. 462.

Pag. 462. Tribus diebus antequam a sæculo migraret Benedictus, insigne Hludovicus Pius Indensi monasterio contulit privilegium, quo ab omni thelonio per totum imperium illud eximit, *tam de navibus quæ per diversa flumina imperii pro qualibet re discurrunt, quam de carris & sagmariis necessaria ipsius monasterii vel congregationis ibidem Deo famulantis deferentibus, vel de quolibet alio negotio undecumque fiscus thelonium exigere poterat, in integrum, inquit, concessimus, ut nullus quilibet thelonium, aut aliquam exactionem accipere aut exigere presumat, &c. Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovit. Data VI. idus Februarii anno Christo propitio VIII. imperii domni Hludovici serenissimi Augusti indictione XIV. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.*

Pag. 464. Exstat in Prumiensis monasterii chartario diploma Hludovici Pii de quodam Fulquino de pago Engrifgoe & de villa Meinsburc, qui ad sacram expeditionem contra Sclavos pro imperatore profecturus, res proprietatis suæ Teudardo quondam Ludovici chartulario commiserat, ea conditione, ut si sanus de bello rediret, prædictus Teudardus res illi commissas Fulquino redderet; si vero iniquam belli sortem experiretur, morereturque, prædictas res pro anima sua daret. Reversus vero sanus & integer, Teudardum invenit defunctum, & res illi commissas in juris imperatoris vestituram haberi acceptam. Idem vero imperatorem deprecans, ut de veritate facti inquiri juberet, tunc Hugonem vassallum suum hanc rem investigare præcepit, qui sibi renuntians per omnia ita verum esse ut dicebat, *Ob hoc placuit nobis, inquit imperator, ut idem Fulcuinus præfatas res in nostra elemosina iterum sibi obtineret, nec ullam ab ullo iudice calumniam aut fatigationem pateretur. Faramundus ad vicem Fridugisi abbatis recognovit. Data XVII. kalend. Augusti, anno, Christo propitio, imperii nostri VIII. indictione XIV. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.*

Duobus post annis idem Hludovicus duplici præcepto confirmavit commutationem quorundam mansorum, quam Tancredus abbas Prumiensis fecerat cum quodam Fulberto. *Data idus Octobris, anno, Christo propitio, decimo imperii domni Hludovici piissimi Augusti, indictione prima. Actum Aristallio palatio regio in Dei nomine feliciter.* Altero præcepto confirmat commutationem quorundam mancipiorum factam a Tancredo abbate cum Oppillone. *Data IV. kalend. Septembris anno, Christo propitio, decimo imperii domni Hludovici piissimi Augusti. Actum Confluentes super Mosellam in Dei nomine feliciter, amen.* Hic addere possum aliud Hludovici diploma, quo confirmat insigniorem commutationem factam inter Marcuardum abbatem Prumiensem & Liudaldum & conjugem Irmbirgam. *Data VII. idus Januarii anno, Christo propitio, XVII. imperii domni Hludovici piissimi Augusti & Hlotharii IX. indictione IX. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter.*

Pag. 513. Regebat Stabulense monasterium Ando abbas anno DCCCXXVII. quo cum Alberico actore fisci imperialis, qui Testis nuncupabatur, contendebat de quadam silva Astanetum appellata, inter duos rivulos Tailernion & Dulnosum sita. Qua de re querelam deposuit Ando apud Ludovicum Pium & Lotharium filium ejus Augustos, qui contentiosis hujus & seditionis veritatem cognoscere volentes, duos de suis fidelibus miserunt, Jastonem videlicet comitem palatii, & Wirnitum magistrum parvulorum suorum, ut eum locum de quo contentio agebatur inspicerent, & per circumstantes utriusque partis veritatem inquirerent: qui facta ad imperatores relatione, placuit Augustis in hunc modum determinare, ut *cum præcepta regalia quæ de memorata silva circa præscriptum monasterium a præfatis Francorum regibus facta fuerunt, inviolabilia permanent, utraq; pars & monasterii & Alberici fisci imperialis actoris eadem silva pro suis commoditatibus uteretur. Data VIII. kalendas Junii, Christo propitio, anno decimo quarto imperii domni Hludovici, & domni Lotharii V. piissimorum Augustorum indictione V. Actum Testis palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.* De hoc palatio regio altum in libro de Re diplomatica silentium: vide quæ de eo scripsimus in præfatione primi tomæ Amplissima nostra Collectionis.

Pag. 567. Cum Prumiense monasterium administraret Marcuardus abbas, Bactericus quidam Ludovici imperatoris vassallus in memorato monasterio monastice degere deliberavit, & quamdam villam sui juris, quam nuperime ab imperatore in proprium acceperat, quæ vocatur Madalbodi-Sperarius, solemniter per testamentum donavit. *Annal. Bened. Tom. VI.*

D d d

Ludovicus Pius eximit Indense monast. ab omni thelonio.

Ampliss. collect. to. 1. p. 76.

Ampliss. collect. to. 1. p. 79.

ibid. p. 80.

ibid. p. 85.

Ampliss. collect. to. 2. p. 25.

De restauratione monasterii Andaginenfis. Hist. And. monum. 8. Ampl. collect. to. 4. p. 921.

tionis manu sua & virorum illustrium manibus roboratum eidem monasterio delegavit. Atque ut donatio illa firmitatem in posterum obtineret, largitionis auctoritatem, per quam eadem villa memorato Baterico in proprium ab imperatore concessa fuerat, & testamentum donationis atque traditionis per quod hanc eandem villam, dum monasticam expeteret vitam, prescripto monasterio & monachis ibidem consistentibus delegavit, eidem imperatori exhibuerunt, simulque petierunt, ut propter tergiversationem malivolorum super easdem conscriptiones, imperialis auctoritatis preceptum firmitatis gratia fieri juberet. Quorum petitioni annuens princeps, jussit ut nullus fidelium suorum de predicta villa memorato Marcuardo aut successoribus ejus inquietudinem facere, aut quamlibet calumniam ingerere presumeret, sed sic Prumiense monasterium eam perpetua possessione possideat, &c. *Data XIII. kalendas Augusti, anno, Christo propitio, XXI. imperii domni Hludovici piissimi Augusti indictione XII. Actum Theodanis-villa palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.* Sequenti anno predictus Ludovicus imperator Prumiensi monasterio & monachis in ibi Deo famulantibus, quibus Marcuardus abbas praerat, res proprietatis suae in pago Wormacensi in loco qui dicitur Albulsi-villa, mansum scilicet indominicatum, &c. necnon & ecclesiam in Albulsi-villa constructam cum decimis ex supradictis villis ad eam jure pertinentibus, ad proprium monasterio Prumiae concedit ad sublevandas monachorum necessitates. *Data VIII. kalendas Junii, anno, Christo propitio, XXII. imperii domni Hludovici piissimi Augusti, indictione XIII. Actum Albulsi-villa palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.* Itud palatium regium perspicacem Mabillonii diligentiam fugit in lib. 4. de Re diplomatica, qui est de palatiis regis. Eodem anno Ludovicus confirmavit factam commutationem inter Marcuardum abbatem & Heberarium & Ebrardum. Dedit quippe Marcuardus de imperatoris permisso, ex rebus sui monasterii, in pago Andegavensi & Rothinensi, in locis qui dicuntur Hulmontillus, Carmarias, Bofcus, & Tillus Eberario & Ebrardo fratri ejus. Et illi Prumiae dederunt alia praedia in pago Nauvensi & in Vormacensi, quae omnia Ludovicus rata habuit. *Data IV. idus Septembris anno, Christo propitio, XXII. imperii domni Hludovici piissimi Augusti, indictione XIII. Actum monasterio Prumiae in Dei nomine feliciter, amen.*

Pag. 599. Dum Trevirensis S. Maximini monasterium administraret Folcardus seu Fulcradus abbas, Hlotharius imperator ad petitionem Matfridi fidelis ministerialis sui, quasdam res suae proprietatis in pago Eiflensi consistentes Folcardo abbati S. Maximini concessit ad proprium, scilicet in villa Bettinga mansum unum indominicatum, ad quem pertinere noscuntur alii mansi VIII. cum eorum pertinentiis, scilicet cum ecclesia, domibus, aedificiis. Atque ut haec largitionis auctoritas firmior haberetur, signo & annuli impressione corroboravit. *Signum Hlotharii serenissimi Augusti. Huodmundus notarius ad vicem Hilduini recognovit. Data XIII. kalendas Martii, anno, Christo propitio, domni Hlotharii pii imperatoris in Italia XXV. in Francia V. indictione VIII. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter.*

Pag. 632. Insignem Massiliensis S. Victoris monasterio pro animae suae salute donationem Sigofridus & Erleuba ejus uxor anno DCCCXLI. fecerunt, terras scilicet sui juris, id est in suburbio Massiliensi villam quae dicitur Carvilianus, &c. Similiter in pago Aquensi seu Exuensi villam quae dicitur Postemana cum terris cultis & incultis, &c. In pago Forojulensi in loco qui dicitur Aqua-frigida seu & Siniaco, & in loco qui dicitur Borba. Iterum in pago Aquensi seu Exuensi villam quae dicitur Bedata super fluvium Durentiae cum capella in honore S. Marcellini, &c. *Facta donatio hac VIII. kalendas Junii anno I. domno Hlotario imperatore. Signum † Sigofridus qui hanc chartam donationis fieri jussit, & testibus ad roborandum tradidit manus factam. Signum † Erleuba uxore sua quae consensit.* Sequuntur subscriptiones testium.

Pag. 612. Exstat in chartario Prumiensis monasterii diploma Hludovici imperatoris de restitutione rerum illustris viri Richardi comitis, quem Theganus in vita Ludovici Pii cap. XLVII. Richardum Perfidum vocat. Perfidiam ejus & remissam criminis refert Ludovicus in suo diplomate, quod idcirco hic integrum referre juvat.

In nomine Domini Dei & Salvatoris Jesu Christi Hludovicus divina repropitiante clementia imperator Augustus. Notum igitur esse volumus cunctis fidelibus sanctae ecclesiae & nostris, presentibus scilicet & futuris, quod olim famulante nobis Richardo tunc temporis Ostiario nostro, concesseramus ei ad proprium quamdam villam nostram in Ardenna sitam, cujus vocabulum est Villantia: sed quia emergentibus malis, abortis con-

tra nos factionibus in nostrum regnum & honorem, quidam malivoli conspiraverunt, & ejusdem partis memoratus Richardus fautor extiterat, atque cum filio nostro Hlothario, relictis nobis abscesserat, eadem villa fisco nostro sociata. Nunc autem quia miserante Domino, idem Hlotharius filius noster una cum suis ad nostram praesentiam, atque concordiam & unanimitatem humiliter properavit, indulgenter ob amorem Dei omnibus, quae in nos male paraverat, placuit etiam misericordia nostra, ut prescripto Richardo jam dictam villam, pietatis intuitu, sicut pridem fuerat, ad proprium restituere, & insuper tria mancipia ex fisco nostro Romfels, Gotsericum videlicet, Luitherium atque Ratiscum, necnon de altero fisco nostro Munuherstati quemdam servum nostrum, qui Dudo appellatur, cum uxore sua, & omnibus rebus jure proprietario a se possessis, atque etiam ex altero fisco nostro appellatum Vindrinio alium servum nostrum qui Vintgarius dicitur, tribuere, ut eis nostra auctoritatis misericordia jure proprietario uti & dominari praevaleret. Firmitatis autem gratia hos imperiales apices nostros ei fieri jussimus, per quos decernimus, ut saepe dictam villam cum omnibus ad eam jure & legaliter pertinentibus, videlicet ecclesia inibi constructa, domibus, aliisque aedificiis, terris cultis & incultis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, exitibus & regressibus, mancipiis desuper commanentibus, vel ad eam in quocumque loco jure adspicientibus vel pertinentibus, totum & ad integrum, sicut in precepto dudum a nobis illi facto continebatur, cum praenominatis mancipiis deinceps jure proprietario teneat atque possideat, & quidquid de eis facere voluerit liberam habeat potestatem, neque illi quicquam supradictorum turbinum defectio atque conspiratio deinceps obsistat, quin quod nostra misericordiae munere sibi conlatum est, quiete valeat possidere, vel quidquid jure proprietaria faciendum decreverit propria dominatione pro suo libitu perfrui. Et ut hac nostra restitutionis atque largitionis auctoritas semper inconversa valeat manere, manu propria subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione adsignari jussimus. Signum Hludovici serenissimi imperatoris. Hirminmarius notarius ad vicem Hugonis recognovit. *Data VI. kal. Julii anno, Christo propitio XXVI. imperii domni Hludovici piissimi Augusti, indictione II. Actum Vormatia civitate in Dei nomine feliciter, amen.*

Predictus vero Ricardus quondam comes illuster, ut eum vocat Hlotharius, fratrem habuit Bivinum, per quem & Gerardum & Basinum qui & Tancredus, res proprias atque etiam villam Villantiam Prumiensi monasterio pro animae suae remedio tradere fecit: quam quidem traditionem Marcuardus abbas, missis ad Hlotharium imperatorem Reinhardo praeposito & Gerungo monacho aliisque fratribus petiit ab eo confirmari, quod ille libentissime praestitit & confirmationem manu propria subscripsit. *Signum Hlotharii serenissimi Augusti. Firmandus notarius ad vicem Ailmari recognovit. Data II. idus Novembris, anno, Christo propitio, regni domni Hlotharii in Italia XXII. & in Francia imperii III. indictione V. Actum Theodanis-villa palatio regio in Dei nomine, amen.*

Pag. 644. Bacidulus seu Baidulus in omnibus abbatum Majoris-monasterii catalogis haecenus desideratus, primum innotuit Mabillonio in fragmento veteris historiae translationis S. Savini martyris apud Pictones: at si acta integra translationis hujus quae Aimonium monachum S. Germani habent auctorem, legisset, non ei locum tribuisset ad tempora Caroli Calvi circa annum DCCCXLV. sed longe antea. Acta autem illa sincera reperi in vetusto codice domini Chauvelin ante annos DCCC. exarato, quorum haec summa: Post destructionem ecclesiae S. Savini martyris a Vandalis, non a Normannis, ut habet fragmentum a Mabillonio visum, corpus ejus quod inter rudera, inter vepres & spinas, haecenus sine honore & cultu jacuerat, idonee tandem divinitus detectum est. *Erat tunc vir prosapia clarus, rebus inclytus, Baidulus clericus palatinus, abba Majoris-monasterii Turonensis, hereditaria ibidem juxta in villa nuncupante Cerisio, jure propinquitatis possidens praedia, qui tactus miraculis ea in deteptione patris, corpus S. Martyris in urna quam ei paraverat honeste recondens, in terram suam Cerasiacam transtulit, ubi ad ejus custodiam collegium canonicorum constituit, quorum loco Carolus Magnus congregationem monachorum sub B. Benedicto Anianensi abbate collocavit, quibus superbam, quae haecenus superest, aedificavit ecclesiam.*

Pag. 650. Currente Caroli regis anno quinto, ad preces Marcuardi abbatis Prumiensis predictus Carolus sub sua tuitione suscepit res omnes Prumiensis abbatiae in suo regno consistentes. *Signum Caroli gloriosi regis. Bartholomaeus notarius ad*

Ampliff. Coll. 10. 1. p. 90.

ibid. p. 93.

ibid. p. 94.

Donatio facta S. Maximino Trevirensi. Ampliff. collect. 10. 1. p. 108.

Donatio facta S. Victori Massiliensi. Ampliff. collect. 10. 1. p. 99.

Ampliff. collect. 10. 1. p. 97.

ibid. p. 101.

Baidulus abbas Majoris-monasterii.

Ampliff. collect. 10. 1. p. 110.

vicem Hludovici recognovit. Data II. idus Augusti anno VI. regnante Carolo rege indictione VIII. Actum Mediana villa in Dei nomine feliciter, amen.

Donatio facta Corbeiae-novae Ampliff. collect. to. I. p. 103.

Pag. 656. Cum quartum ab obitu patris sui Ludovici annum ageret Hlotharius imperator, illustri viro Esichoni comiti ob sua fidelitatis devotionem, sollempni donatione, & singulari praecepto tradidit in pago Ribuariensi in comitatu Bunnensi, in villa Castenacha mansos octo in beneficio suo cum omnibus pertinentiis eorum, &c. quam quidem donationem manu propria subterfignavit & annuli impressione adsignari iussit. Signum Hlotharii serenissimi Augusti. Remigius notarius ad vicem Egilmari recognovit. Data XIII. kalendas Aprilis anno, Christo propitio, imperii domni Hlotharii pii imperatoris in Italia XXIV. in Francia IV. indictione VII. Actum Aquisgranii palatio regio in Dei nomine feliciter, amen. Eamdem donationem praedictus comes Esicho pro remedio animae ad monasterium in Saxonia situm Corbeia vocabulo, quod est constructum in honore B. Stephani protomartyris Christi delegavit, & a supra dicto imperatore confirmari fecit.

Lotharii donatio facta Prumiensi monast. Ampliff. collect. to. I. p. 114.

Pag. 671. Suam erga Prumiense monasterium pietatem Hlotharius ostendit non semel, sed praesertim anno DCCCXLVI. quo nutu divino inspiratus pro remedio animae suae mansos tres & dimidium sitos in pago Eiflia in villa Gesslicherstorph super fluvium Notinna Prumiensi monasterio & Marcuardo abbati ad luminaria concinnanda tradidit, quam donationem signo & annuli impressione signavit. Signum Hlotharii serenissimi Augusti. Remigius notarius ad vicem Hilduini recognovit. Data VIII. idus Decembris, anno, Christo propitio, imperii domni Hlotharii pii imperatoris in Italia XXVII. & in Francia VII. indictione IX. Actum Flattana palatio regio in Dei nomine feliciter, amen. Quod quidem palatium nullum locum habet in libro 4. de Re diplomatica. Eiusdem anni initio confirmavit commutationem pro communi utilitate factam inter Marcuardum abbatem Prumiensem & Hetti archiepiscopum Trevirensis. Data kal. Januarii, anno, Christo propitio, imperii domni Hlotharii piissimi Augusti in Italia XXVI. in Francia VI. indictione IX. Actum Aquisgranii palatio regio in Dei nomine feliciter, amen. Hunc Hetti ex abbate Epternacensi factum fuisse archiepiscopum Trevirensis, scribunt Sammarthani, immo vero breve chronicon Epternacense Sigoaldum abbatem quintum cessisse ait Hetti jam archiepiscopo.

AD TOMUM III.

Aureliani liber de musica. Ampliff. collect. to. I. p. 121.

Pag. 18. Legi in perversto codice Elnonensis S. Amandi monasterii Aureliani monachi Reomensis librum de musica viginti constantem capitulis, quem Bernardo abbati suo & futuro archiepiscopo dicat, mittitque ei examinandum. In veteri catalogo abbatum Reomensis monasterii, quem refert Petrus Roverus, reperitur Bernardus episcopus Augustodunensis, qui Reomensibus praefuisse dicitur. At ille locum non habet inter episcopos illius ecclesiae; sed & Bernardus abbas Reomensis, non episcopus, sed futurus archiepiscopus dicitur: cujus autem sedis, haec tenus ignoratur. Hunc Aurelianus praedicat venerabilem, nobilem, sanctum, pium, atque benignum.

Donatio facta S. Maximino. Ampliff. collect. to. I. p. 130.

Pag. 37. In civitate Trevirensi, Erchanfrida Deo sacrata volens peccata sua elemosynis redimere, & animam senioris sui Nithaldi comitis & suam salvare, tradidit monasterio sancti Maximini juxta urbem Trevericam situm, ubi ipse sanctus corpore requiescit, medius inter S. Agritium & S. Nicetium, tradidit inquam ea quae ex donatione supradicti senioris comitis Nithaldi eam contingebant, scilicet in pago Vabrinse, in loco qui dicitur Marisch, ecclesiam in honore S. Michaelis dicatam, cum omnibus appenditiis, id est casam & curtile cum terris dominicalibus, pratis, pascuis, silvam vero tribus in locis, &c. Ea videlicet ratione ut annis singulis ad festivitatem S. Martini ex ipsis rebus quas trado, inquit, opulenta refectio constituatur cultoribus praedicti loci, quatenus illi quoque ipso tempore anni in vigiliis & missa, cum celebrationibus libentius recordentur nostri, &c. Actum Trevirensis civitate in monasterio S. Maximini anno ab incarnatione Domini DCCCLIII. regnante Hlothario imperatore Augusto, sub die kalendas Aprilis praesente Alardo comite & fratribus omnibus coram altari. Ego Erkanfrida Deo sacrata, quae hanc donationem scribere rogavi propria manu subscripsi. †

Donatio villae Hauvans facta

Pag. 37. Cum orationis gratia ad monasterium Prumiae accessisset Hlotharius im-

perator, proprio motu dono & largitione suarum rerum ex villa quae Hauvannis vocatur, & est sita in pago Hasbanio, eundem sanctum locum ob emolumentum animae suae honorare atque sublimare volens, memoratam villam Hauvans cum omnibus ad eam legitimo ordine pertinentibus ad praesatum sanctum ac venerabile sancti Salvatoris Prumiensis monasterium solemniter more transfudit, ac de jure suo in jus ac dominationem ipsius transfudit: ita ut praesens familiaris noster, inquit, Eigil abba successoresque ejus eandem villam sub integritate ad usus vel stipendia fratrum ibidem Deo militantium per futura tempora, absque alicujus potestatis contradictione vel repetitione seu qualibet refragatione ordinent atque utiliter disponant, quatenus pro nostra liberorumque ac fidelium incolumitate & totius regni nostri stabilitate universa turma monachorum quae inibi assidue Domino famulari videtur, attentius omnipotentis Dei misericordiam exorare procuret, &c. Signum Hlotharii serenissimi Augusti. Hercamboldus notarius ad vicem Hilduini recognovit. Data VI. idus Julii, anno, Christo propitio, imperii domni Hlotharii imperatoris in Italia XXXV. in Francia XV. indictione II. Actum Manderfelt palatio regio in Dei nomine feliciter, amen. De isto palatio altum in libro 4. de Re diplomatica silentium.

Consequenter ad petitionem Eigil abbatis Lotharius imperator dimittit Prumiensem seu multam homicidii, quam homines, inquit, quondam nostri fisci de Auavans perfolvere debebant pro quodam clerico interfecto, nomine Gozelmo.

Pag. 42. Cum Hlotharius imperator in ecclesia Prumiensi suam elegisset sepulturam, pro amore Dei omnipotentis & animae, inquit, nostrae sempiterna remuneratione, villam juris nostri quae consistit in pago Ribuariensi Albinicum vocabulo, cum omnibus juste ad se & legaliter pertinentibus, monasterio Prumiensi quod est dedicatum in honore Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, ubi, Domino jubente, corpore jacere volumus, ad luminaria concinnanda vel componenda contulimus & delegamus, &c. Haec vero nostrae largitionis praecipio ut per futura tempora stabilis ac firma & rata perseveret manu propria subter eam firmavimus & anuli nostri impressione adsignari iussimus. Signum Hlotharii serenissimi Augusti. Hercamboldus notarius ad vicem Hilduini recognovit. Data XIII. kalendas Octobris, anno, Christo propitio, imperii domni Hlotharii piissimi atque serenissimi Augusti in Italia XXXVI. & in Francia XVI. indictione IV. Actum Sconilare palatio regio in Dei nomine feliciter, amen. Locum non habet hoc palatium in libro 4. de Re diplomatica. Quam optaverat pius princeps, consequutus est sepulturam in Prumiensi ecclesia ubi visitur hactenus ejus tumulus ex marmore nigro in medio chori, postquam habitum monasticum cum devotione suscepisset. Tanti principis effigiem nobis repraesentat codex antiquissimus, psalterium continens aureis characteribus, circa ejus tempora exaratus, cum his versibus quos hic cum effigie exhibere juvat.

Incluta Caesareum diffundit fama triumphum
Hlotharii, celebrat quem maximus ambitus orbis.
Hunc oriens recolit, mittens veneranter Achivos
Qui veniam curvi poscant & foedera pacis.
Syderis occidui populi sua jura tremiscunt,
Et tanto gaudent prona se subdere regi,
Quem non verba valent titulis exponere certis.
Ingenii locuples neque sufficit illius umquam
Virtutes animi propriis percurrere verbis;
Nec si centeno loqueretur lingua meatu.



J. Faquet fecit.

Insignis donatio facta Verdinenſi monaſterio. Ampliſſ. collect. to. 1. p. 140.

Pag. 50. Cum illuſtris vir Folckerus omnem hujus mundi delectationem pro Dei omnipotentis amore contemnens in Verdinenſi cœnobio, ad beati confessoris Chriſti Liudgeri memoriam monaſticam elegiſſet ducere vitam, de temporalibus rebus ſibi æternæ beatitudinis acquirere præmia ſtudit, & quaſdam res ſuæ proprietatis quæ ſibi jure hereditario pertinebant in pago Hamulande, in comitatu Wigmanni, necnon & in Batuwe in comitatu Anſfridi, cum ædificiis omnibus de jure & poteſtate ſua in jus & proprietatem prædicti monaſterii, in quo, inquit, & laicalem habitum & ſecularem converſationem Domino miſerante dimiſi, pro remedio animæ & parentum meorum perpetuo poſſidendas tradidi, ea videlicet ratione, ut omnes ſupradictæ res ab hac die fratribus ibidem Deo ſervientibus ſerviant, & de his illud præſatum cœnobium conſtruatur & inluminetur, & memoria progenitorum meorum ſive mea in eorum ſacris orationibus perpetualiter habeatur. Si vero caſu aliquo aut negligentia monaſterium deſtrui contingat, tunc propinqui & heredes ſui eaſdem res & mancipia ſine ullius contradictione recipiant, & illas ad monaſterium Fuldenſe S. Bonifacii perpetualiter tradant. Quam magna & inſignis fuerit illa traditio conſtat ex recenſione prædiorum & bonorum quæ in fine chartæ Folckeri enumerantur, adeo ut præter S. Liudgerum præcipuus poſſit Verdinenſis monaſterii haberi fundator. Data 14. idus Novembris anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti

DCCCLV. indiſtione III. regnante domno noſtro Hludovico imperatore Juniore Auguſto xv. Eodem anno & die ſanctæ memoriæ Willibertus archiepiſcopus Coloniaſe baſilicam S. Liudgeri in Verdina cum Hildigrimo epiſcopo dedicavit.

Pag. 84. Tanta erat Prumiensis monaſterii fama, ut ad remotiſſimas etiam regiones pervolaret. Teſtis eſt charta Salomonis ducis & principis Britonum, quem Anſbaldus ſeu Anſboldus abbas Prumiacenſis adiens rogavit, ut reſ memorati cœnobii, quæ, inquit, in noſtra poteſtate & regno videntur eſſe, in ejus poteſtatem & dominationem redderemus, ad utilitatem videlicet monachorum qui in jam dicto monaſterio Deo Salvatori noſtro deſerviant. Qui libenter annuens, omnia quæ ille petiit, conceſſit, atque ante reliquias S. Salvatoris de Rothono de rebus quæ ad memoratum monaſterium pertinent, quæ ſub ſua erant poteſtate per vadium ſuum reſtituit, ut tam ipſe quam ſucceſſores ejus liberam in omnibus habeant poteſtatem faciendi, qui in memorato loco conſiſtunt. Petiit etiam idem Anſbaldus ut memoratas reſ ſub ſua tuitione & deſenſione haberet: quod & fecit cum magna devotione: præcepit itaque ex auctoritate Domini & Salvatoris mundi Jeſu Chriſti, qui eſt creator omnium viſibilium & inviſibilium, ut nullus judex publicus, vel alia qualibet poteſtas aut miniſtri, inquit, tam temporibus noſtris quam ſucceſſorum noſtrorum, aliquam inquietudinem aut impedimentum aut damnum in rebus memorati Salvatoris mundi audeat inferre, &c. Et ut hæc auctoritatis noſtræ procerumque noſtrorum præceptio firma & inviolabilis per futura maneat tempora, manu propria procerumque noſtrorum manibus firmavimus, & anuli noſtri impreſſione ſubter firmare fecimus. Si quis vero hanc auctoritatem violaverit, ſexaginta libras auri puriſſimi ſolvat, & quod repetit evindicare non valeat. Signum † Salomonis principis. Signum † Winbri conjugis. Signum † Riwali filii ejus. Signum † Bodoan. Signum † Alan. Signum † Morwithan. Signum † Fruigaudi. † Signum Berwali. Signum † Anagogert. Signum † Damarcoe. Signum † Paſquithan. Signum † Bran. Signum † Sprewi. Signum † Iriſpoi filii Galvei. Signum † Waranton. Signum † Raulin. Signum † Alſinit. Signum † Hoernian. Signum † Wlomar. Signum † Artur. Signum † Matwedoi. Signum † Canathedri. Signum † Fines. Signum † Catinonoch. Signum † Commesnen. Signum † Felix. Signum † Jagu. Signum † Winoch. Signum † Matfredi. Signum † Jagu. Signum † Jaquern. Signum † Bernehart. Signum † Buriuvant. Signum † Connam. Signum † Riadoch. Signum † Bertuvalt. Signum † Ratuwilli. Signum † Helvither. Signum † Edrebodoch. Signum † Finon. Actum villa publica ſedis noſtræ Bedulcampo ſub die nonas Octobris, anno dominicæ incarnationis DCCCLX. indiſtione VIII. regni vero noſtri III. in Dei nomine feliciter, amen.

Charta Salomonis Britonum ducis. Ampliſſ. collect. to. 1. p. 147.

Pag. 92. Cum Anſbaldus Prumiacenſis abbas commodo & utilitatibus monaſterii ſui continuo invigilaret, convenit Hlotharium regem, ipſique expoſuit, quod propter mercati & monetæ longinquitatem Prumia non modicum patiebatur diſcrimen, petiitque ut in loco qui vocatur Romari-villa non procul ab eodem monaſterio ſito, mercatum & monetam ad utilitatem ejuſdem loci fieri non dedignaretur. Cujus petitioni acquieſcens, Haſ noſtra pietatis litteras, inquit, fieri decrevimus, per quas ſtatuentes decernimus atque jubemus, ut ab hinc in antea in prædicto loco mercatum habeant more humano, & moneta ad bonos & meros denarios perſiciendum fiat, & nulla pars publica inde thelonium vel aliquam exactiorem exigat, ſed in utilitatem ejuſdem ſancti loci, vel fratrum ibidem Deo militantium in futuro perſeſeret, &c. Signum Hlotharii glorioſiſſimi regis. Rotmundus notarius recognovit & ſcripſit. Data v. kalendas Auguſti, anno, Chriſto propitio, regni domni Hlotharii regis VI. indiſtione IX. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.

Mercati & monetæ conceſſio Prumiæ. Ampliſſ. collect. to. 1. p. 158.

Pag. 151. Cum vir illuſtris Herericus ad limina apoſtolorum devotionis gratia Romam tendere cogitaret, conſilio & aſſenſu Hunfridi epiſcopi Morinenſis fratris ſui, qui ſimile iter meditabatur, in ipſius præſentia tradidit ad reliquias & monaſterium S. Salvatoris, cui tunc præerat Anſbaldus abbas, villam proprietatis ſuæ, quæ ei ex paterna & materna ſucceſſione hereditario jure devenit, quæque ſita eſt infra Naagaſo in confinio ſeu pago Vimmacenſi ſuper fluviolum Elera, cum omni integritate, &c. Hæc omnia denominata, inquit, ad reliquias Domini Dei & S. Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, locumque ſanctum nomini ejus dicatum hodierna die de jure meo ad jus ejuſdem tranſfundo perpetualiter ad poſſidendum in eleemoſynam meam,

Inſignis donatio facta Prumiænſi cœnobio. Ampliſſ. Coll. to. 1. p. 188.

fratrisque præscripti Hunfridi venerabilis episcopi, patris nostri Albrici, matris Huno, itemque fratrum Heinrichi & Albrici, ea conditione, ut fratres ibidem Christo Domino famulantes ad specialem consolationem in usus proprios alimoniamque perpetuo ac inviolabiliter res ipsas teneant, &c. Ex quibus discimus parentes Hunfridi episcopi qui ex monacho Prumiensi fuit abbas Sithienfis, tum episcopus Morinensis, ubi pro Sancto habetur. *Actum in Wimundasheim publice XII. kalendas Septembris, firmatumque legaliter Ansaldo abbate presente, Megingaudo comite Pagensi, proceribusque ac Scabinis Pagensibus anno incarnationis Domini Salvatoris DCCCLXVIII. indictione I. regnante domino & glorioso Hludovico cum fratre Carolo XVIII. Lothario vero nepote ipsorum. Signum Hererici illustris viri, qui hanc donationem elemosynariam Domino Salvatori famulantibus una cum precaria fecit ac firmavit. † Ego Hunfridus indignus episcopus Morinensis frater ejus, hanc traditionem devotionis nostre signo sanctæ crucis confirmavi. Signum † Megingaudi comitis. Signum † Megingaudi vicecomitis. Sequuntur LIII. subscriptiones. In Dei nomine ego Gandelbertus peccator presbyter, jussu domni Hunfridi episcopi nostri fratrisque ejus Hererici illustris viri rogatu hanc chartam traditionis sanctæ devotionis eorum Domino Salvatori factæ subscripsi.* Duobus post annis Hludovicus rex Hererici donationem confirmavit. quippe Vernherius nepos ejus res ab ipso traditas & mancipia a Prumiensi monasterio abstraxerat: quem Ludovicus rex ad se vocatum interrogavit, quo jure res prædictas sibi usurparet. At nihil in eis juris habere confessus est. Hinc ad deprecationem Prumiensium ratam donationem habuit. *Signum Hludowici gloriosissimi ac piissimi regis † † † Hebarardus cancellarius ad vicem Grimaldi archicapelani recognovit. Data II. idus Aprilis anno XXXVII. regni domni Hludowici serenissimi regis in orientali Francia regnante, indictione III. Actum Triburias villa regia in Dei nomine feliciter, amen.*

Pag. 171. Observat ad annum 871. Mabillonius Carolum Calvum plurimas Vedastinis ad usus eorum assignasse possessiones; easque ad quos usus intervirent singulas commemorasse, hoc vero suum decretum ab Hincmaro aliisque Gallicanis episcopis confirmari curavisse. At Vedastini non sola Gallicanorum episcoporum auctoritate contenti, ipsam etiam summi pontificis sanctionem ad instantiam optimi principis simul exquisierunt. Itaque vocatione Johannis apostolici Romam propeans, voto quod ex longo tempore concupierat satisfaciens, post collatam sibi a summo pontifice & universali papa imperii dignitatem, humiliter ei supplicavit, ut secundum Vedastinorum petitionem edictum tam suum, quam episcoporum Gallicanorum decreta sua auctoritate astipulari dignaretur: quod reverendus pontifex, inquit, benigne nostram suggestionem suscipiens non minus humiliter quam devote curavit perficere. His ita peractis, reversum in Franciam prædicti fratres petierunt, ut ea quæ apostolica sedes sanciverat nostro quoque inviolabili roboraretur edicto, & illa quæ tam nos, quam ea quæ venerabilis auctoritas episcoporum decreverat, nostra imperiali munificentia statueretur ad perpetuitatem. Quod ille benigne annuens præstitit, &c. *Signum Caroli serenissimi imperatoris Augusti. Gauzlenus abba recognovi & subscripsi. Data III. kalendas Junii, indictione VIII. anno I. domni Caroli serenissimi imperatoris Augusti, regni vero XXXVI. Actum Compendio regio palatio in Dei nomine feliciter, amen.* Privilegium vero Johannis papæ VIII. habes integrum in tomo I. Amplissimæ nostræ Collectionis pag. 200.

Pag. 174. Cum Ludovicus rex Aquisgranum venisset, invenit ibi ecclesiam destructam, quam genitor & mater sua in elemosyna construi fecerant, ut ibi esset cœmeterium mortuorum: condoluit quod nec dotata fuisset, nec prævisa ad Dei servitium sicut esse debuerat. Cui malo providere cupiens, Ansbalbo abbati Prumiensi & successoribus ejus eam commendavit, ut ipsius curam haberent. Dotavitque eam, deditque mansa duo, & tertium mansum unum indomnicatum cum vineis, &c. quæ Prumiensi monasterio concessit. Addidit & duas alias ecclesias, quarum una existebat in *Wornisalt*, altera in Antiquo-campo, ut simul una donatione consistant cum appenditiis earum, ut pro se & suis Domini clementiam delectabilis exorare delectet. Quam donationem propria manu confirmavit, & anuli sui impressione assignari jussit. *Signum domni Hludowici serenissimi regis. Ebarhardus cancellarius ad vicem Luitberti recognovit. Data XVI. kalendas Novembris, anno XXXIX. regni domni Hludowici serenissimi regis in Orientali Francia regnante, indictione*

Etione IV. Actum Aquisgrani palatio in Dei nomine feliciter, amen. Quo anno idem Ludovicus Prumiensi monasterio piscationem indulgit. *Actum Francofurto palatio regio in Dei nomine feliciter.*

Pag. 108. Cum accessisset Carolus Calvus rex Francorum ad Elnonense sancti Amandi monasterium, ad gloriam nominis Dei & reverentiam S. Amandi confessoris, quem intercessorem habere cupiebat, ad sacrum altare, ac venerabile sepulcrum prædicti confessoris, ex monasterii facultatibus designavit plura prædia, quæ enumerat & confirmat, ad luminaria aliaque ecclesiæ ornamenta: quod quidem decretum signo & anuli sui impressione roboravit. *Signum Caroli gloriosissimi regis. Hildeboldus notarius ad vicem Hludowici recognovit. Data XII. kalendas Octobris indictione XI. anno XXIV. regnante Carolo gloriosissimo rege. Actum monasterio S. Amandi in Dei nomine feliciter, amen.*

Pag. 114. Fulbertus diaconus acceptas quondam a Carolo Calvo rege res quasdam ob suæ animæ remedium fratribus Sueffionensis monasterii SS. martyrum Crispini & Crispiniani per frumenta chartarum cum delegasset, (sunt autem sitæ in pago Orcinfi super fluvium Ore, in villa nuncupata Fabrorum curtis, mansa quinque cum mancipiis decem & septem,) Carolum regem deprecatus est, ut prædictam largitionem suo præcepto confirmaret: quod ille annuens anuli impressione jussit sigillari. *Hildeboldus notarius ad vicem Hludowici recognovit. Data VII. kalendas Augusti indictione XII. anno XXV. regnante Carolo gloriosissimo rege. Actum monasterio S. Medardi in Dei nomine feliciter.*

Pag. 130. Jam supra diximus de Richardo Ludovici Pii ostiario perfido, de ejus perfidia, de criminis remissione, & beneficiis ei postea ab imperatore præstitis, deque villa Villantia quam ille Prumiensi contulit monasterio. Cum vero Ansbaldus abbas ipsius donationis confirmationem petiisset a Lothario rege filio Lotharii imperatoris, hanc ille libenter indulgit anno DCCCLXV. cujus hic verba prætermittere non possum. *Causam ad quam, Deo inspirante, venturi sumus, pene omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium nostrorumque presentium universitas novit, qualiter illo tempore quo serenissimus avus noster Hludovicus hujus regni gloriam potiebat, necnon & Italici quondam divæ memoriæ genitor noster imperator, contulit idem avus noster viro illustri Richardo auctoritatis suæ præcepto res quasdam ad proprium conjacentes, videlicet in comitatu Arduennensi, id est villam quam nuncupant Villantiam. Hic siquidem post paululum ob amorem genitoris nostri dividens se ab ejus avi nostri famulatione, cunctaque beneficia & omnes relinquens proprietates in Italiam profectus est, patri nostro inclito famulaturus. Hanc itaque causam avus noster infidelitati reputans memorato Richardo præfatam villam, quia ab illius obsequiis recesserat, suo quoque fisco sociavit. Verum non longo post tempore, genitor noster ex Italia una cum eodem Richardo Franciam repetens, atque, miserante Deo, ad paternam, indultis omnibus, cum fuisset reversus concordiam, fuit etiam illi memorata villa imperiali auctoritate restituta. Idem postmodum Richardus jam circa finem obitus sui, ob divinum amorem, & animæ suæ remedium, villam ipsam seu alias res proprietatis suæ germano suo Bivino, necnon & Gerardo tunc temporis comiti palatii, atque Basino, qui & Tancraus, ea conditione tradidit, quatenus illi vicem complentes, ipsi ecclesiæ S. Salvatoris, cœnobio scilicet Prumiensi, ob retributionis æternæ commercium, funditus a die præsentis traderent, sicuti egisse illos traditio testamenti docet, necnon & præceptorum patris super hoc rescriptum aperissime declarat. Has itaque firmitates venerabilis abba Ansbaldus & ceteri fratres nostri, nostris fidelibus deferentes obtinuit, postulaverunt eadem auctoritatis nostræ præcepto firmari. quorum devotissimas gratanter preces suscipientes, hos egregiæ dignitatis imperavimus apices fieri, in quibus sæpeditam villam cum appenditiis suis pro remuneratione animæ, seu & genitoris nostri seu genitricis nostræ, pro salute insuper nostræ & augmento animæ jam facti Richardi, venerando S. Salvatoris monasterio corroboramus, quatenus per hoc excellentiæ nostræ decretum temporibus nostris & successorum nostrorum, usibus atque necessitatibus in eodem loco Christo militantium, sine ullius contradictione, jageriter famulentur. Et ut hoc nostræ auctoritatis & confirmationis decretum firmum & inviolabile servetur, manu propria illud roborantes anuli nostri impressione jussimus signari. Signum Hlotharii gloriosi regis. Erkamboldus regiæ dignitatis archicancellarius recognovit. Data nonas Martii anno, Christo propitio, regni domni Hlotharii*

Annal. Bened. Tom. VI.

Eeee

Diploma pro luminariis & ornamentis ecclesiæ S. Amandi. Ampliff. collect. to. I. p. 167.

Donatio facta S. Crispino. Ampliff. collect. to. I. p. 173.

Ampliff. collect. to. I. p. 174.

id. p. 191.

Datæ tres ecclesiæ Prumiensi monasterio. Ampliff. Coll. to. I. p. 194.

gloriosi regis X. indictione XIII. *Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter.*
 Pag. 162. n. IV. Ad hunc annum referenda videtur fundatio monasterii S. Vincentii & sancti Amantii in pago Ruthenico a Rodlando diacono, eo scilicet in loco qui S. Vincentius dicebatur, quem videns aptum & a viris religiosis venerandum, proposuit ibidem monasterium construere pro remedio animæ suæ, & parentum suorum, & pro remedio avunculi sui, qui suum sibi Rodlandi nomen impoferat, idque ad monachos, qui ex cœnobio Vabrensi Domino famulantur. *Facta cessione ista in mense Januario, regnante Carolo rege. S. Rodlando diacono qui hanc cessionem fieri & affirmari rogavit, &c.*

Pag. 202. Cum Carolus Calvus imperator singulari amore ac veneratione S. Martinum prosequeretur, quem etiam passim *patronum* suum vocat, fratribus ipsius cœnobii, divina inspiratione tractus ac de æterna remuneratione sollicitus, Miliciacum villam insignem in pago Cabilonenſi perpetuo possidendam tradidit, ut orent pro piissimo Augusto Ludovico genitore suo, genitrice sua Judith imperatrice, pro sua salute, conjugis ac prolis, totiusque imperii statu, pro Bosone carissimo suo & Widone, eo videlicet modo, ut a nemine successore nostro, inquit, per futura tempora a S. Martini ecclesia valeat separari, sed liceat eis fratribus in supradicta villa monasterium edificare, & absque inquietudine pro nobis, pro Hermentrude, præsentis conjugis, cunctaque plebe, ac fidelibus nostris, his videlicet quos ardentiori dileximus amore, diuturnis precibus Dominum exorare, &c. *Data kalendis Augusti indictione I. anno XXXVIII. regni domni Caroli imperatoris in Francia, in successione Lotharii VIII. imperii II. Actum in Monasterio in Dei nomine feliciter, amen.*

Sequenti anno Ludovicus Balbus prædicti Caroli filius ad basilicam sancti Martini in suburbio urbis Turonicæ delegavit villam Merlaum, in pago Cauſiacenſi sitam super fluvium Vigeram, cum omnibus appenditiis & integritatibus ac decimis, statuitque ut quoad vixerit, diem nativitatæ suæ quæ est kalendas Novembris, & diem unctiois, qua per misericordiam Dei in regio culmine sublimatus fuerat, observent, id est vi. idus Decembris, refeſtione sibi ex dictis rebus parata, pro genitore & genitrice sua ac fratribus, scilicet Carolo & Carlomanno, pro se, conjugis ac prole, *vigiliis ac missarum solemnibus ex more celebratis Domini misericordiam corde tenus implorent. Nobis vero, inquit, Deo propitio, ad meliora migrantibus, diem obitus nostri annis singulis similiter observare, ac pro nobis Dei omnipotentis clementiam exorare non negligant, &c. Datum XI. kal. Julii indictione XI. anno primo domni Ludovici gloriosissimi regis. Actum Turonis in monasterio S. Martini in Dei nomine feliciter, amen.*

Pag. 210. Hoc ipso quo sistimus anno Ludovicus II. rex Germaniæ propter amorem Dei omnipotentis & reverentiam sanctorum ejus ad petitionem Rodradi abbatris tradidit Indensi monasterio, quod constructum est in honore S. Salvatoris, villam juris sui nuncupatam *Crusciniacum*, cum omnibus mancipiis & rebus ibidem aspicientibus, iussitque conscribi præceptum, per quod firmat & transfundit suprataxatas res prædictæ cellæ seu abbatiæ S. Salvatoris, cum omnibus appenditiis, &c. illudque manu propria subfirmavit & anulo suo subter fecit sigillari, *Signum Ludovici serenissimi regis. Geberhardus cancellarius ad vicem Luitberti archicapellani recognovit. Data idibus Martii anno I. regni Ludovici serenissimi regis in Orientali Francia indictione X. Actum Tribura in Dei nomine feliciter, amen.* Idem Ludovicus collegium XII. clericorum a suo patre in sua Francofordienſi capella institutum, quæ quidem capella Willihierio abbati commissa erat, confirmavit anno DCCCLXXX. &c. *Signum Ludovici serenissimi regis. Arnulfus cancellarius ad vicem Luitberti archicapellani recognovit. Data XV. kalendas Decembris anno dominicæ incarnationis DCCCLXXX. indictione XIII. anno V. regni Ludovici serenissimi regis. Actum Franconofert in Dei nomine feliciter, amen.* Idem privilegium confirmavit etiam Carolus Crassus imperator anno DCCCLXXXI. imperii sui anno I. Francofurti III. idus Decembris indictione XIV. Waldo cancellarius ad vicem Luitwardi archicancellarii recognovit.

Pag. 235. Carolus Crassus imperator audita infestatione paganorum, qui dicuntur Nortmanni, in Prumiensē monasterium erumpentium, tradidit eidem cœnobio curtem suam quæ dicitur *Nech-karawwa* in comitatu *Loubungowe* cum omnibus ad eam aspicientibus mancipiis, aedificiis, terris, &c. Tradidit & tertiam par-

tem silvæ quæ pertinet ad *Laidolwesheim* jure perpetuo, atque de sua dominatione in jus & dominationem ipsius monasterii per suæ auctoritatis præceptum transfudit, ea videlicet ratione, ut rectores ipsius loci de supradicta curte & tertia parte prænominate silvæ liberam ac securam habeant potestatem ordinandi, regendi, & disponendi secundum suum libitum & utilitatem saepe sati monasterii, &c. *Signum domni Caroli gloriosissimi imperatoris Augusti. † Waldo notarius ad vicem Luitwardi archicancellarii recognovi. Data XI. kal. Junii anno incarnationis Domini DCCCLXXXII. anno imperatoris Caroli II. Actum Wormatia civitate.* Idem imperator Trevirensē S. Maximini monasterium sub sua protectione suscipit, eique libertatem eligendi abbatis restituit anno incarnationis DCCCLXXXV. imperii V. *Actum Wormatia civitate.*

Pag. 258. Primos Stabulensis monasterii abbates fuisse episcopos alias demonstravimus. Eo titulo necdum omnino spoliatus fuisse sæculo nono constat: quippe Antonius Mabilionio ignotus, & in vulgatis indicibus desideratus, abbas & episcopus fuit. Florebat autem *Antonius vir venerabilis episcopus* sub Carolo Crasso imperatore, apud quem anno DCCCLXXXII. deprecatus est pro quibusdam fratribus sibi commissis ex monasterio, quod vocatur *Stabulaus*, ut fisculum suum Blandonium nomine ipsis concederet, quod ille pro imperiali munificentia, singulari diplomate benigne annuit. Eo autem in diplomate obiter non prætereunda sunt illa de Stabulensibus monachis verba: *Qui ob Dei omnipotentis amorem, nostramque fidelitatem, pignora sanctorum a prædecessorum nostrorum prudentia recognita cum thesauro ejusdem ecclesiæ Aquisgranensis fideliter reservarunt, & ad nos absque diminutione detulerunt.* Ubi vides quanta fuerit apud omnes, sed præsertim principes, Stabulensium fama & existimatio, cum pignora sancta, gazaque omnis sacre ædis Aquisgranensis ab incurſionibus, quæ sub Ludovico Balbo templum illud imperiale cum palatio & oppido igne & ferro consumserunt, reconcedenda & conservanda ipsis fuerint concedita.

Antonio addendus est Leutbertus, quem Albericus ad annum DCCCCXXI. episcopum & abbatem Stabulensem fuisse asserit. Porro quam accurata fuerit apud Stabulenses sub his abbatibus episcopis regulæ S. Benedicti observatio probant Christiani Druthmari in prologo super Matthæum verba.

Pag. 258. Cum Corbeia novæ monasterium sub invocatione SS. martyrum Stephani & Viti fundasset in Saxonia Ludovicus Pius imperator, statim inter ipsa constitutionis exordia concessit, ut neque abbates illius loci, neque homines eorum cuiuscumque conditionis in expeditionem unquam ire deberent, sed liceret eis cum quiete & securitate præfate utilitates ecclesiæ providere; necnon & regis interdum legationibus exsequendis, ubi opus esset, operam dare. quam concessionem confirmavit Carolus Crassus imperator, licet, inquit, ad præsens eam instantis periculi necessitas paululum minuere cogat. Nam propter immensam barbarorum, id est Nortmannorum, infestationem, necesse habemus cum universo nobis divinitus commisso populo ecclesiæ Christi defensionem insistere; & ob hoc non omnes sub memorati loci dominio consistentes a profectionibus in hostem immunes relinquere possumus. Sed quoniam ejusdem loci abbates missaticum regium peragere soliti erant, concedimus eis, ut triginta homines nobiles ab aliis profectionibus secum immunes habeant. Et si extra patriam est legatio peragenda, plures nobiles ad hoc opus paratos teneant, reliqui vero cum suo populo in hostem proficiantur, & hoc quamdiu tantorum bellorum pericula imminet. Ubi vero divina pietas pacem dederit, concessionem quam temporibus gloriosæ memoriæ avi, genitoris & germani mei habuerunt, firmam & stabilem manere volumus. Et quia non parum ab infestatione Nortmannorum passum erat Corbeienſe monasterium, ad tanta damna compensanda insignem ipsi fecit donationem, quam propria manu firmavit & anuli sui impressione assignavit. *Signum Caroli serenissimi Augusti. Luitfridas notarius ad vicem Luitwardi archicancellarii recognovi. Data nonas Maii anno incarnationis Domini DCCCLXXXVII. Actum Weibilinga villa in Dei nomine feliciter, amen.*

Pag. 268. ante num. XXXIV. Hoc etiam anno Arnulfus imperator ad precem fidelis sui comitis *Megingoz*, suo diplomate Trevirensi S. Maximini monasterio insignem fecit in pago *Meinſfeld* donationem, quam propria manu firmavit. *Signum domni Arnolſi serenissimi regis. Aspertus cancellarius ad vicem Theotmari archicapellani recognovit. Annal. Bened. Tom. VI.*

E e e e ij

Fundatio monasterii SS. Vincentii & Amantii Ruthenensis. *Anecd. 10. 1. p. 44.*

Tom. I. Anecd. notarium p. 47.

Ampliff. collect. 10. 2. p. 31.

Exempto ab omni bellica expeditione data Corbeia-novæ. *Ampliff. Coll. 10. 1. p. 222.*

Villa Crusciniacum datur Indensi monasterio. *Ampliff. collect. 10. 1. p. 202.*

ibid. p. 211.

Donatio facta Prumiensē monasterio a Nortmannis devastato. *Ampliff. collect. 10. 1. p. 216.*

Ampliff. collect. 10. 1. p. 223.

recognovit. Data X. kalendas Februarii indictione VI. anno ab incarnatione Domini DCCCLXXXVIII. anno vero I. regni Arnulfi regis. Actum civitate Regina in Dei nomine feliciter.

Remigius Autissiodorensis monachus. Ampliff. collect. 10. 1. p. 230.

Pag. 278. Circa hoc tempus Remigius Autissiodorensis monachus vir pro suo tempore doctissimus, qui Parisiis, ubi litterarum studia moderabatur, auditorem in dialectica habuit S. Odonem, S. Martini Turonensis canonicum, postea abbatem Cluniacensem, Viridunum accersitus est a Dadone hujus civitatis episcopo sanctissimo, qui precipuus vel solus pro calamitatibus sanctæ Dei ecclesiæ ingemiscebat. Evocavit autem ut clerum suum & doceret & sibi ipsi esset consolationi; & multiplici munerum collatione decoravit. At ille excusavit sese, quod longo senio putre corpus, & succedentibus sibi met morbis membra debilia hoc mihi, inquit, exoptabile bonum invident. Essem certe, essem apud vos, assisterem, inhaerem, erudirer alloquio, firmarer exemplo, benedictionibus sacrarer. Verum quia id non licet, ago quod possum, vos noctibus, vos diebus memoria, desiderio tenendo & spirituali intuitu assidue contemplando, &c. Et sub finem epistolæ: Fratres & domini mei, vestri fidelissimi & devotissimi oratores, omnis scilicet B. Germani congregatio aeterna vobis præmia exorant.

Donatio facta S. Maximino Trevirensi. Ampliff. collect. tom. 1. p. 238.

Pag. 291. Anno DCCCXIII. Hatto venerabilis Trevirensis archiepiscopus pio monitu postulavit Arnulfum regem, ut collegio fratrum in monasterio S. Maximinæ Treveris constructo Domino die ac nocte famulantium, ad sua victualia & vestimenta, ad usus quoque hospitum peregrinorum & pauperum, aliquid concederet: quod ille benigne annuens insignem ei fecit donationem, quam manu propria & anulo suo firmavit. Signum domni Arnulfi gloriosissimi regis. Engilpero notarius ad vicem Diotmari archicapellani recognovit. Data III. idus Februarii anno dominicæ incarnationis DCCCXIII. indictione XI. anno vero VI. domni Arnulfi serenissimi regis. Actum Ingeheim curte regali in Dei nomine feliciter, amen. Hanc donationem filius ejus Zuentipoldus rex ad petitionem Radbodi archiepiscopi confirmavit, pro sua & conjugis suæ Vodæ salute. Signum Zuentebolchi gloriosissimi regis. Gilbertus cancellarius ad vicem Herimanni archicapellani recognovit. Data idus Junii anno incarnationis Domini DCCCXVII. indictione XV. anno III. domni Zuentebolchi regis. Actum in villa Herolovesheim dicta feliciter, amen.

Diplomata Zuentiboldi pro Prumia. Ampliff. Coll. 10. 1. p. 245. & 246.

Pag. 302. In chartario Prumiensi duo leguntur Zuentiboldi diplomata anno DCCCXVIII. data, unum quo prædia quædam in villa Torondorp in pago Efflinfi, in comitatu Albuini Prumiensi monasterio concedit. Quam donationem anuli sui impressione per ceram diligenti cura jussit insigniri. Signum domni Zuentipolchi gloriosissimi regis. Waligerus notarius ad vicem Ratpodi archiepiscopi archiepuccancellarii recognovit. Data XVII. kalendas Novembris, anno incarnationis Domini DCCCXVIII. indictione II. anno vero piissimi Zuentipolchi regis IV. Actum in villa quæ dicitur Sun-car in Dei nomine feliciter, amen. Alterum quo ad Novum-monasterium in pago Riwerensi situm veniens, statuit, ut in eodem loco mercatum habeatur, & publica fiat moneta, & de thelonio ipsius mercati duas partes ad beatum Chrysanthum & Dariam, quorum corpora ibidem quiescunt, perpetualiter concessit. Est autem Novum-monasterium cella in qua deposita fuerant corpora SS. Chrysanthi & Dariæ, a Prumiensi dependens, de qua Wandalbertus monachus Prumiæ in suo martyrologio,

Chrysanthum Dariamque novo quos munere Christi
Roma nunc vestos tumultis nova cella venustat,
Quam Rheni celsis succedunt aquora silvis.

Factum est autem illud Zuentiboldi decretum idibus Novembris anno DCCCXVIII. anno vero domni Zuendipolchi gloriosi regis IV. indictione II. Actum Treviris civitate in Dei nomine feliciter, amen.

Datur Pinus S. Victori. Ampliff. collect. 10. 1. p. 262.

Pag. 321. Cum Massiliense S. Victoris monasterium regeret Magnus abbas, adierunt Ludovicum IV. imperatorem Rostagnus metropolita & Teubertus comes enixe postulantes, ut pro remedio anima sue S. Victori concederet jure perpetuo fiscum quod nominatur Pinus, cum salinis piscationibus & porta navium, & omnibus jure & legaliter ad eundem fiscum pertinentibus; conjacentem in comitatu Massiliensi, qui vulgo Paradisus nominatur: sicut est via quæ descendit a Guardia usque ad portum Formigarium una cum terra comitali, quæ ante portam castri fore videtur, usque ad Carna-

rium, omnia, inquam, omnino in integrum per præceptum suæ auctoritatis concederet. quod ille benigne annuens, manu propria firmavit & anuli sui impressione assignari jussit. Signum domni Hludovici serenissimi imperatoris Augusti. Arnulfus recognovit & subscripsit. Data XI. kalendas Maii anno Domini DCCCIV. indictione VII. anno IV. imperante domino nostro Hludovico. Actum Arclate feliciter, amen.

Pag. 334. Circa hoc tempus Hucbaldus S. Amandi monachus, pro tempore vir doctissimus, scripsit vitam S. Libuini confessoris, quam Baldrico Trajectensi præfati dicavit, militique ad Petrum sanctæ Cameracensis ecclesiæ archidiaconum, & ad Odilonem Sueffionensis S. Medardi cœnobii monachum examinandam. Uterque laudavit opus, in primis Odilo, cujus hæc verba: Misisti mihi libellum de vita beati Libuini amici Dei prudenter ornateque compositum... quem quidem legi, & nihil quod in eo corrigeretur, sed quod discendo & imitando quisquam proveheretur, reperire potui. Magno, ut vere fateor, polletis ingenio, infinitam sermonis habetis suppellectilem, nihil latinus eloquentia vestra, nihil pulchrius, nihil umquam legi dulcius. O felix Gallia, quæ tali illustratur doctore. Hanc vitam habes apud Surium ad duodecimum diem Novembris. Habemus etiam versus Judionis in confirmatione operum magistris Hucbaldi Baldrico præfati destinatos.

Pag. 344. Cum Morbacense monasterium regeret Nandbertus venerabilis abbas, Conradum regem adiit cum omni collegio fratrum, deprecatusque est eum, ut res ejusdem cœnobii ad præbandam & nutrimentum eorum pertinentes auctoritatis suæ præcepto confirmaret, eisque inter se eligendi abbatem qui eidem rebus & fratrum regimini præfesset, facultatem concederet. Quod ille pro Dei amore & divinæ mercedis augmento libenter annuit, præceptumque conscribi jussit, per quod eis omnia loca, quæ vel tempore Leutfredi usibus eorum concessa erant, aut postea per incrementa aucta & in eorum vestitura habebantur, confirmavit, aut injuste ablata restituit. Præterea regali sceptro sancivit, ut nullus iudex, nulla præpotens persona mansiones in illis locis haberet, aut paratas exquirere præsumeret, sed & thelonium juxta antecessorum suorum concessionem, ab eis vel suis hominibus per omnes regni sui fines, neque in urbe neque in via, &c. exigatur. Data IV. idus Maii anno incarnationis Domini DCCCXIII. indictione I. anno autem regni domni Chuonradi regis II. Actum Argentina civitate in Dei nomine feliciter, amen.

Pag. 385. Cum novas strages Normanni & Hungari ubique molirentur, eorum furorem prævenire quisque cogitabat. quapropter anno Domini DCCCXXXVI. depopulantibus Agarenis pene totum regnum Belgicæ Galliæ, studuit unusquisque diligenter tuta loca perquirere, ubi aliquid firmitatis fieri posset contra prædictorum insidias perfidorum. Invento igitur quodam castro a Francone videlicet & Norpoldo, Hubertoque super ripam fluminis quæ dicitur Cyra, vallato undique præcis montibus de hereditate S. Maximini Trevirensis, cum montem & rupem munitioni aptam judicarent, permutationem ejusdem loci cum Gifelberto comite, abbate & congregatione sancti Maximini obnixè flagitarunt, duplum offerentes. Omnibus annuentibus, actum est hoc concambium Treverim in cœnobio S. Maximini, astante plebe & advocato Volmaro, cui Vormacia in publico mallo ab Henrico rege ministerium advocacionis traditum est, cum testibus subscriptis. S. Gifelberti comitis, qui hoc concambium fieri jussit. Sequuntur viginti quinque testium subscriptiones.

Pag. 434. Ad hunc annum referenda videtur fundatio monasterii Resurrectionionis in urbe Pictavenfi. Anno siquidem DCCCXXXVII. indictione X. pridie idus Novembris Alboinum episcopum Pictavensem deprecatus est Froterius, ut ipsam quam construxerat ecclesiam in sanctæ Resurrectionis honore sive amore consecrare & dedicare dignaretur, & dotaret de suis rebus; ut deinceps subjecta S. Cypriani monasterio permaneret hæc cella, in qua tres monachi sub abbate degerent. Data mense Aprilis, regnante Ludovico rege & Hugone comite Pictavenfi.

Pag. 466. Ad annum DCCCXLII. referenda videtur fundatio monasterii S. Hypolitii Verniensis in pago Ruthenico, cujus præcipuus auctor fuit Raymundus Fredelonis. Ipse enim pertractans humanæ fragilitatis casum, & metuens diem extremum, ne subito mors improvisa adveniat, ut sibi Dominus veniam donare dignetur, cessit cessumque esse voluit in perpetuum res proprietatis suæ pro remedio animæ suæ, Fredelonis patris & genitricis suæ Uddanæ, pro anima Ludovici regis & senioris sui Raymundi comitis, pro germano suo Fredelone, & pro suis omnibus

Hucbaldus S. Amandi monachus scribit vitam S. Libuini. Ampliff. collect. 10. 1. p. 265. & seq.

Privilegium pro Morbaco.

Anecd. 10. 1. p. 62.

Permutatio ad faciendam contra Agarenos munitionem. Ampliff. collect. 10. 1. p. 281.

Cella Resurrectionis Pictavenfis. Anecd. 10. 1. p. 69.

fidelibus, qui adjuutores & consolatores fuerint, ut quorum fuit communis amor, sit & communis eleemosyna, cedit, inquam, res quæ sita sunt in pago Ruthenico, in ministerio S. Aniani, hoc est alodium suum in valle Oliti, *villam suam quæ dicitur Vernia, cum ecclesia quæ fundata est in honore S. Hyppoliti martyris, & sanctæ Mariæ & sancti Johannis, & quantum in valle Oliti visus sum*, inquit, *habere vel possidere, totum & integrum, &c. cedo & condono in primis Domino Deo omnipotenti & S. Salvatori Vabrensis monasterii, & S. Mariæ genetrici Domini nostri Jesu Christi, vel Ramnolfo suisque monachis dono ad monasterium construendum in illa Vernia, ut ibi ceteram congregent monachorum, qui secundum regulam S. Benedicti ibi seruiant Deo, hospites recipiant, pauperes recreent, & pro nobis orent, pedes pauperum lauent, &c. Facta charta cessione ista sub die Veneris in mense Septembris anno VIII. regnante Ludovico rege.*

Pag. 500. Ad petitionem Brunonis fratris Ottonis primi, & Berchatoldi Indensis monasterii venerabilis abbatis, postulantium prædictum Ottonem regem, ut privilegia quæ antecessores reges ad monasterium Indense donaverant suæ auctoritatis munimine renovaret: horum petitionem benigno animo suscipiens iussit conscribi præceptum, per quod iubet ut nullus iudex publicus, superioris aut inferioris ordinis, reipublicæ procurator, causas judiciario more audiendas in cellas, ecclesias, aut villas seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet provinciis & territoriis imperii nostri, inquit, possidet, vel deinceps in iure ipsius monasterii divina pietas voluerit augeri, ingredi præsumat aut jura violare, sed liceat memorato abbati ejusque successoribus omnes res prædicti monasterii sub immunitatis regia defensione quieto ordine possidere, & quidquid de rebus prædicti monasterii filcus sperare poterat, totum pro æterna remuneratione dicto monasterio concessit, ut in alimoniam pauperum & ad stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentis, &c. *Signum Ottonis invictissimi regis. Bruno cancellarius ad vicem Rodberti archicapellani recognovi. Data VI. nonas Maii anno Domini DCCCXLIX. indictione VII. regnante pio rege Othone anno XIII. Actum Aquisgranii palatio in Dei nomine feliciter. Anno sequenti prædictus Otto Treverensi S. Maximini monasterio ablatas ecclesias restituit III. kalendas Martii. Actum Nemetensi civitate in Dei nomine feliciter, amen.*

Pag. 531. Anno DCCCCLVI. Villerus Trevirensis S. Maximini monasterii abbas, interventu Brunonis fratris Ottonis I. & Conradi ducis regalem adiensem majestatem, conquestus est de personis quæ beneficia ex eadem abbacia tenerent, quibus abuterentur. Quapropter memoratus rex Otto consilio suorum optimatum reddidit prædicto venerabili abbati Villeri cænobiiisque, Deo sanctoque Maximino in ejus provisione sub regula S. Benedicti famulantibus, omnibusque in posterum successoribus cunctas abbatie S. Maximini dominicales, quas vulgo Salicas decimationes vocant, in quocumque regni nostri, inquit, episcopo, parochia, terminove sint sitæ, in usus hospitum, peregrinorum & pauperum, addiditque quod maxime attendendum: *Destructorem regni nostri successorumque nostrorum deputantes, quicumque vel imperatorum vel regum, vel qualiumcumque personarum ob alicujus personæ machinationes vel infringere vel debilitare hoc voluerit. Quod decretum propria manu roboravit & anuli sui impressione insigniri præcepit. Signum domni Ottonis invictissimi regis. Liutulfus cancellarius ad vicem Willelmi archicapellani recognovi. Data VI. idus Martii anno incarnationis Domini DCCCCLVI. indictione XIII. regnante pio rege Ottone anno XXI. Actum in Franconovurt feliciter, amen.*

Pag. 546. Circa annum DCCCCLX. fundatum est in pago Ruthenensi monasterium Ferretense ab illustri viro Salustro, qui suæ salutis providere cupiens, cessit celsumque esse in perpetuum voluit res suæ proprietatis pro remedio animæ suæ, Ricuini patris, Hermengardæ genitricis suæ, pro filiis suis Ricuino, Pontione & Raignone, pro omnibus consanguineis & amicis, qui consolatores & adjuutores fuerunt, ut quorum fuit communis amor, sit & eleemosyna communis, res in pago Ruthenico sitas, in ministerio Brasense, alodium suum quod dicitur Ferretum, cum ipso monasterio quod est fundatum in honore Dei omnipotentis, & S. Petri & S. Egidii, & in ipsa curte sua ecclesiam quæ est fundata in honore S. Mariæ quæ dicitur Combas, quantum ad ipsum monasterium aspicit vel aspicere videtur totum & integrum, ego, inquit, *Saluster dono S. Salvatori, S. Mario, S. Alvera Deo dicata virgini, vel ceterorum sanctorum, quorum reliquæ continentur in loco qui*

Confirmatio antiquorum privilegiorum Indensis cænobii. Ampliff. collect. to. 1. p. 290.

Decimationes Salicæ redditæ S. Maximino. Ampliff. Coll. to. 1. p. 293.

Anecd. to. 1. p. 77.

nuncupatur Vaber, & Aigstredo abbati, ac Deo servientibus, qui ibidem sunt vel futuri erunt ad construendum monasterium in ipso Ferreto, *ut ibi cetera congregetur monachorum, qui secundum regulam S. Benedicti ibidem seruiant, hospites recipiant, pauperes recreent, & pro nobis fideliter orent. Et si in hoc loco oblatis venerint, Vabrensi monasterio offerantur. Et si conversi venerint, regulam ibi nunquam promittant nisi in loco Vabrensi monasterio, &c. Facta charta cessione sub die Mercuris in mense Junio, regnante Lothario rege, &c.*

Pag. 552. Henricus sanctæ Trevirensis ecclesiæ præful, adveniens in villam *Marisch*, terminationem sanctæ matris ecclesiæ in eadem villa constructæ multis annorum curriculum adscriptam requirens, maxima ex parte antecessoris sui huc illucque decisam, negligentiaque subtractam invenit. Rogatu monachorum Deo sanctoque Maximino famulantium, quorum utilitati eandem ecclesiam sciebat a comite Nithardo & conjugate ejus Erchanfrida donatam, placuit ingenuorum tam clericorum quam & laicorum cum sua auctoritate fieri conventum, ut eandem terminationem ab ecclesia prædicta ex parte mutilatam tantorum fidelium posset adunari & roborari testimonium, quod & factum est. Quapropter visum est eandem terminationem anno incarnationis Domini DCCCCLX. indictione III. fidelium testimonio scriptis etiam assignari, & locorum adjacentium notari vocabulis, &c.

Pag. 558. In Trevirensi S. Maximini monasterio Thiedo vir pius peccata sua eleemosynis redimere cupiens, tradit S. Maximino ob salutem animæ suæ, patriſque sui Humberti, quoddam hereditatis suæ prædium *Dalheim* nominatum ubi sunt quedam Statorum Romanorum vestigia, de quibus prolixius in historia ms. monasterii S. Maximini, & in historia antiquitatum Lucemburgi nondum edita. quod prædium situm est in Rezensi pago, in comitatu Waldevinga, cui Egitolfus comes præesse videbatur. Dedit autem illud cum ecclesia, & quidquid ad illud pertinet, tam in mancipiis infra vel extra manentibus, quam in ædificiis, terris, &c. quatenus absque ullius contradictione, monachi S. Maximini jure hereditario illud possideant. Quod si quis propinquorum suorum vel alius hanc donationis suæ eleemosynam destruere tentaverit, *omnium fidelium pietas ei resistat*, & in die extremi examinis, eleemosynæ destructor coram Deo rationem exsolvat. *Acta autem est hæc traditio publice Trevere in basilica S. Maximini confessoris Christi atque pontificis, astante venerabili abbate ipsius cænobii Wikero, & omnibus monachis, simulque Hildrado domus advocato per fidejussores quos vulgariter Saleburgiones vocamus, Walmarum & Harduvicum, coram testibus subnotatis. . . anno dominicæ incarnationis DCCCCLXII. indictione V. regni serenissimi regis Ottonis XXVI.*

Pag. 559. Cum invictissimus rex Otto I. devictis barbaris, gentibus scilicet, aliisque quampluribus, a Johanne XII. Romæ vocatus, & ab eo ob ecclesiæ defensionem imperii corona decoratus esset, post imperialem unctionem in ecclesia sancti Petri de statu & regimine totius christianitatis tractantes, quæ utilia sunt utiliter secundum Deum tractarentur, præfatus piissimus imperator Otto qualiter Slavos quos ipse devicit, in catholica fide noviter fundaverat papa innotuit, deprecans & obnixè postulans, ne oves quas ipse Christo acquiserat, ob pastoris defectionem antiqua serpentis versutia dominaretur. ad hanc petitionem assensum præbuit pontifex: *Per hanc*, inquit, *privilegii paginam jubemus, ut Magdaburgense monasterium in regno Saxonum juxta Albim constructum, quod prælibatus sanctissimus imperator ob novam christianitatem construxit, quia vicinus id locorum gentibus est, in archiepiscopalem transferatur sedem, quæ per subditos suffraganeos totum Dei gregem regere & gubernare valeat. Illud monasterium construxerat Otto I. anno DCCCXXXVII. instinctu piissimæ conjugis Edithæ in honorem SS. apostolorum Petri & Pauli atque SS. Mauricii & Innocentii, in quo eductos e Trevirensi S. Maximini cænobio monachos instituit, quibus præfectus est Anno vir venerabilis, factus postea Vormatiensis episcopus. Primus autem novi archiepiscopatus pontifex creatus est S. Adalbertus & ipse S. Maximini monachus. Adit Johannes XII. in bulla sua, *Volumus & per hanc privilegii paginam jubemus ut Merseburgense monasterium, quod ipse piissimus imperator, quia Ungros prostravit, futurum Deo devovit, in episcopalem debeat sedem erigi, quæ Magdaburgensi sit subdita sedi. Et quia tot gentes sub uno pastore regi minime possunt, volumus & per nostræ auctoritatis privilegium censemus, ut censum ac decimationem omnium gentium, quas idem piissimus imperator baptizavit, & per eum suumque filium æquivocum regem, successo-**

Henricus Trevirensis præful, parochiæ *Marisch* determinat limites. Ampliff. Coll. to. 1. p. 314.

Donatio facta S. Maximino. Ampliff. collect. to. 1. p. 316.

Eræctio archiepiscopatus Magdeburgensis. Ampliff. collect. to. 1. p. 317.

Eræctio Merseburgensis episcopatus.

ibid. p. 318.

resque eorum Deo annuente baptizanda sunt, ipsi successoresque eorum potestatem habeant distribuendi, subdendi Magedaburgensi vel cuique voluerint futura sedi. Volumus etiam, carissimi fratres, & ex beati Petri iussione precipimus, ut Moguntiensis, Trevirensis, Colonienfis, Salzburgenfis, Hamaburgensis archiepiscopus Magedaburgensis monasterii in archiepiscopalem, & Mersburgensem translationem in episcopalem sedem totis cordis corporisque viribus consentanei fautores perseverant. Mersburgense autem monasterium in sedem episcopalem erigi curavit Otto I. hortatu Bosonis S. Emmerammi monachi, qui cum in Orientali Saxonia innumeram Christo prolem sua prædicatione peperisset, imperatori auctor fuit, ut tres episcopatus illis in partibus constitueret, Misnensem, Cicensem & Mersburgensem, cuius primus exitit præsul. Data est autem Johannis papæ XII. bulla mente Februario per manum Leonis Scriniarii indictione V. Data II. idus Februarii per manum Georgii secundarii sanctæ sedis apostolicæ, anno Deo propitio pontificatus Johannis summi pontificis & universalis papæ VII. imperii domini piissimi Augusti a Deo coronati magni imperatoris anno 1.

Contra vexationes advocati de Sugerbach. Ampliff. collect. to. 1. p. 319.

Pag. 567. Anno DCCCCLXIII. Wikerus S. Maximini Trevirensis abbas adiit Ottonem I. imperatorem postulans, ut familiam prædicti confessoris Christi Maximini de Sugerbach a miseris & oppressionibus quas ab advocatis patiebantur absolveret, & iustitiam quam patres eorum habuerant, illis regali auctoritate corroboraret: cuius petitioni annuens, advocatorum de Sugerbach vexationes compescuit, & leges eis præscripsit iustissimas, quas sigilli sui impressione iussit signari. Signum domini Ottonis invictissimi regis. Ludolfus cancellarius ad vicem Willelmi archiepiscopi recognovit. Data XII. kalendas Augusti, anno dominicæ incarnationis DCCCCLXIII. indictione VI. anno regni serenissimi regis III. Actum Ingelheim feliciter.

Hauftus vini post meridianam quietem. Ampliff. collect. to. 1. p. 321.

Pag. 582. Exstat in chartario Trevirensis S. Maximini monasterii diploma Ottonis I. imperatoris, quo declarat, se interventu Adalheidis conjugis suæ, fidelisque sui Willelmi archiepiscopi pro statu & incolumitate regni & imperii, filiique sui carissimi Ottonis, quamdam villam de proprietate S. Maximini in comitatu vel suburbio Trevirorum sitam, ad Valles nominatam, quam Dagobertus rex Francorum quondam cœnobio S. Maximini dederat pro suæ animæ absolutione, ut singulis kalendis pro eo vigiliæ agerentur, monachique Deo & S. Maximino famulantes, in eisdem kalendis pascerentur. Sed & æstivo tempore post meridianam quietem ob eius memoriam inde vini haustu vel potu recrearentur. quam donationem Otto imperiali benevolentia confirmat, & jubet, ut calices aquæ, quæ hætenus ob pauperitatem æstivo tempore, pro calicibus vini, quos Dagobertus rex instituit, accipiebant, in antiquum & pristinum statum redeant & mutantur; prædictaque villa sicut a Dagoberto rege oblata fuerat, monachis prælibati monasterii perpetualiter deserviat, ut eos pro sua salute devotius Dominum exorare delectet, &c. Signum domini Ottonis magni & invictissimi imperatoris Augusti. Ludolfus cancellarius ad vicem Willelmi archiepiscopi recognovit. Data VII. idus Januarii anno dominicæ incarnationis DCCCCLXVI. indictione IX. anno regni domini Ottonis XXXI. imperii vero IV. Actum Colonia in Dei nomine feliciter, amen. Porro haustus ille vini æstivo tempore post quietem meridianam, etiam præter regulam S. Benedicti, in monasteriis nostris communiter concessus est, ut patet ex regula Magistri cap. XXVII. consuetudinibus S. Benedicti Anianensis tom. IV. Analect. ex capitulis monachorum ad Augiam directorum, ex capitulis Sancti-Gallensium monachorum cap. XXVII. ex Udalrico & ex libro usuum Cisterc.

Donatio facta Morbacensi monasterio.

Pag. 647. Anno DCCCCLXXVII. Morbacense monasterium insigni donatione decoravit Adelaidis imperatrix, scilicet capellam decimalem & baptismalem cum tota villa Amelrubesvillre, in qua sita est, cum clerico suo Odelrico ejusdem villæ legitimo sacerdote, cum tota familia sua tam libera quam servili, cum agris, pratis, pascuis, campis, &c. eo tenore libertatis & iustitiæ, quo ipsa præpotens regina hæc possidebat, pro remedio tam animæ suæ, quam omnium parentum nostrorum, inquit Otto imperator, donavit ecclesiæ Morbacensi, ea videlicet conditione, ut sine omni alterius advocati oppressione, sub nostra nostrorumque successorum imperatorum maneat tuitione. Quorum quædam, campos videlicet, silvas, aquas, aquarumque decursus sicut cohæredes ipsius cum ipsa simul hæc tenerent & communiter eis fruebantur; sic inter familias eorum deinceps sine omni controversia communia permaneant. Statuit enim, ut si quis locum ipsum vel populum incendio, aut

Anecd. to. 1. p. 93.

aut preda, aut captione, seu aliqua vastatione iniquitaverit, homo liber vel de familia damnus rei perditæ in quadruplum restituat, & fisco regio libras auri decem exsolvat. servilis autem persona, & qui hæc non possit persolvere, pilos perdat cum corio, & septem annorum damnatur exilio; quæ omnia suo diplomate approbat & confirmat Otto imperator. Data anno dominicæ incarnationis DCCCCLXVII. indictione V. anno regni domini Ottonis XVI. imperii X. Actum Deremmate.

Pag. 651. Cum versaretur in Italia Otto I. post acceptam imperii coronam, Thietfridus venerabilis abbas cœnobii S. Maximini futurus, adiit eum apud Ravennam, postulans quasdam proprietates prædicti confessoris Christi jure quodam præbendariis ejusdem loci cœnobitis restitui. Cujus postulationem benigne in præsentem quidem distulit, hæc tamen, si felici successu in patriam reverteretur, se completurum promittit, sed voti ejus effectum mors interveniens impedivit. Successor vero ejus Otto II. interventu Adelheidis dilectissimæ genitricis, Theophaniæ conjugis, fidelisque ejus comitis Bertolfi, petitionibus prædicti abbatis & monachorum annuit, & sua imperiali auctoritate reddidit prædictis cœnobitis quidquid in pago & in comitatu Nahegowæ, & in pago & in comitatu Wormacensi, & in pago & in comitatu Spirensi habere videbantur, scilicet totum quod hætenus Ruotbertus Moguntiacensis archiepiscopus in beneficio tenebat vel milites ejus, ut monachorum Deo inibi sanctoque Maximino sub regula sancti Benedicti servientium quies his nostris, inquit, donationis sublevata beneficiis, instantius libentiusque & pro animæ absolutione piæ memoriæ genitoris nostri, necnon & pro statu & incolumitate imperii nostri Dei misericordiam jugiter exoret, &c. Signum domini Ottonis imperatoris Augusti. Willigisus cancellarius vice Roberti archiepiscopi recognovit. Data VI. kalendas Septembris anno incarnationis dominicæ DCCCCLXXIV. indictione I. anno regni domini Ottonis XIII. imperii VI. Actum Franconofurt.

Otto II. restituit plures ecclesias S. Maximino. Ampliff. collect. to. 1. p. 325.

Pag. 658. Exstat in diocesi Mindensi virginum monasterium ab Hildiburga nobili femina & Fulcharto presbytero fundatum in loco qui Mulenbechum dicitur, quod ad petitionem Mironis Mindensis venerabilis episcopi, necnon Bernhardi ducis gratiis cumulare volens Otto II. imperator, concessit sanctimonialibus, ut ab hominibus prædictæ ecclesiæ usibus & servituti earum subditis regalis & imperialis census, qui suo juri hætenus solebat persolvi, a nullo comite vel judiciali persona deinceps exigatur. Ad hæc etiam præscriptis sanctimonialibus indulgit, ut nullus comes, vel iudex publicus vel aliqua potens persona, homines præfate ecclesiæ in suo iudicio, bannum eis imponendo, aut iustitiam ab eis ullam aliquatenus exigendo audeat inquietare, excepta solummodo lege illa, quam advocatus episcopi qui præset eidem ecclesiæ solito more solet reposcere, & illa juris sanctione, quod necessario propter capitale crimen in præsentia ducis & iudicem solet finire, &c. Signum domini Ottonis invictissimi imperatoris Augusti. Hildeboldus cancellarius ad vicem Willigisi archiepiscopi recognovit. Data V. kal. Maii anno dominicæ incarnationis DCCCCLXXIX. indictione VI. anno vero regni Ottonis II. imperatoris XVII. imperii autem XI. Actum Duisburg civitate feliciter, amen.

Mulenbechensis parthenio datum privilegium. Ampliff. collect. tom. 1. p. 329.

Pag. 658. Anno DCCCCLXXIX. Walcaudus divino favente juvamine Cavellicensis ecclesiæ præsul, cum consilio senioris sui Cuonradi regis, atque inclyti marchionis Willelmi consulis fundavit monasterium in Valle-clusa, ubi etiam religiosos ex ecclesia sibi a Deo commissa misit sacerdotes, qui hujus sæculi abrenuntiantes pompam, ardentem gliscunt religiosorum imitari vestigia monachorum, eosque informavit ut inibi deinceps infudent monachorum implere officium. Quibus etiam ad victum tribuit medietatem... supradictæ vallis & duos molendinos, ea instante ratione, ut tam ipsi quam posteri illorum sic regulam teneant absque ullius interpellatione, eosque, inquit, jubeo sub pia ditione episcoporum Cavellicensium, ... sed & ipsi ceu boni pastores super eos invigilent, & si forte aliquis oberraverit, pastoralis coercant auctoritate. Quod si aliquis de successoribus meis, inquit Walcaudus, seu quislibet homo hujusmodi donum irrumpere præsumserit, nihil ei proficiat, sed omnipotentis Dei iram & maledictionem incurrat, & post istius vitæ finem in inferno cum Juda traditore damnatur perpetuo anathemate, ac decem libras auri monachis in ipso monasterio Deo famulantibus coactus componat, &c. Facta est donatio seu institutio Avenione IV. idus Maii anno dominicæ incarnationis DCCCCLXXIX. indictione VII. &c. Signum Walcaudi episcopi, qui donationem istam scribere iussit, & testibus firmari

Fundatio abbatæ Vallis-cluse. Ampliff. collect. to. 1. p. 330.

rogavi. Signum Silvestri archiepiscopi Aquensis. Signum Warnerii Avenionensis ecclesie. Signum Willelmi comitis. Successu temporis Clemens episcopus Cavelllicensis hanc abbatiam Massiliensi S. Victoris monasterio tribuit.

AD TOMUM IV.

Anecd. to. 1. p. 99.

Pag. 23. Præter hanc donationem quam Coxanensi S. Michaëlis monasterio contulit Miro Gerundensis episcopus, alteram Arulensi B. Mariæ & abbati Theudericus suo assignavit testamento, cujus elemosynarios seu executores constituit Mironem sacerdotem, Delam levitam, Oriol, Atonem, & Trafovandum, quibus commendavit doni sui executionem. *Facta scriptura donationis idus Aprilis anno xxx. regnante Leuthario rege filio Leudovici. Teudericus abba qui pro caligine oculorum scribere non potuit. Miro sacerdos SS. † Dela levita SS. † Oriol. SS. † Ato. † Trafovandus, qui simul in unum donationes fecimus, & testes firmare rogamus. S. † Dardilane, S. † Riculfus.*

Placitum pro S. Victore. Ampliff. col. 4 ed. to. 1. p. 334. * la Camargue.

Pag. 23. Anno DCCCCLXXXIV. Vellelmo comite in Manoascha, venit episcopus Pontius sanctæ sedis Massiliensis ecclesie, & abbas S. Victoris martyris Adalardus: reclamaverunt se de Rodulfo episcopo & Delmone, vel de ipsis heredibus qui ipsam terram Camaricas * tenebant. Fuere illo in placito iudices Hildebertus & Garbedus. Venit Pontius & Adalardus abbas, voluerunt jurare & probare cum testibus, coram altare S. Mariæ, villam Camaricas melius esse S. Victori, quam Rodulfo & Imoni & heredibus, qui ipsam terram tenebant contra legem. Tunc recognoverunt se ipse Rodulfus episcopus & Imo, & heredes ipsi fuerunt, & in terras iactaverunt & stipulaverunt in manu Pontioni episcopi & in manu Adalardi abbatis, in presentia Guillelmi comitis, Hildeberti iudicis, Garbidi iudicis, & plurium testium, &c. *Facta notitia ista in die Mercuris, in villa Manoascha ante ecclesiam S. Mariæ IV. novas Januarii anno XLIX. regnante Conrado rege Alemannorum sive Provincia. Emo firmavit, Nortaldus * episcopus firmavit, Radaldus episcopus firmavit.*

* Aptensis.

Privilegium Ottonis III. pro Indensi abbacia. Ampliff. collect. to. 1. p. 335.

Pag. 28. Anno DCCCCLXXXV. Ervicus Indensis venerabilis abbas cum sibi subiecta catervula Ottonem III. imperatorem adiit, postulantes ut privilegium sibi abbas eligendi tam a piissimo genitore suo quam a ceteris suis prædecessoribus regibus vel imperatoribus hætenus concessum suæ renovationis auctoritate roboraret. Quorum petitioni gratanter annuens, devotiusque ob id genitrici suæ dilectissimæ commonenti obsequens, privilegium quod prædecessorum temporibus obtinuit, per suam corroboracionis auctoritatem firmavit. Ea ratione ut ipse abbas nulli regie vel imperiali potestati sub obsequio servitutis subdatur, neque jure cedat alteri potestati. Post decessum vero abbatis liceat eis secundum institutam normam sibi eligere abbatem, nullaque potestas absque consensu & voluntate eorum monachum quempiam ex quolibet monasterio in præsignato loco pro aliqua occasione constituat, unde postmodum nulla oriatur dissensio. Decrevit quoque præceptum conscribi, per quod firmiter jubet, ut nullus iudex publicus superioris aut inferioris ordinis, reipublicæ procurator ad causas judiciario more audiendas, in cellas, ecclesias, possessiones monasterii ingredi præsumat, aut tributa exigat, sed liceat memorato abbati suisque successoribus omnia prædia sub immunitatis imperialis defensione quieto ordine possidere. Decimæ vero omnis dominicæ culturæ ad usus fratrum pertinentes, jubet & præcipit, ut perennibus temporibus, ad portam monasterii in alimonia pauperum atque hospitem dentur. Cetera omnia ad stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiant. Mercatum quoque ibidem habendum una cum propria moneta, sicut a genitore suo traditum reperit, interventu genitricis suæ ipsis ad supplementum hæreditario jure concedit, &c. *Signum Othonis gloriosissimi regis. Hildibaldus episcopus cancellarius vice Willigisi archicapellani notavi. Data XIII. kal. Septembris, anno dominicæ incarnationis DCCCCLXXXV. indictione XIII. anno vero regni tertii Othonis secundo. Actum Novomagii in Dei nomine feliciter, amen.*

Otto III. confirmat immunitates Morbacensis monasterii, ac concedit jus eligendi abbatis. Anecd. to. 1. p. 100.

Pag. 55. Regnante Ottone III. imperatore, Helmericus venerabilis abbas Morbacensis monasterii obtulit ei auctoritates immunitatum beatæ memoriæ avi sui Ottonis, & æquivoci genitoris sui imperatorum, ceterorumque prædecessorum suorum regum & imperatorum, in quibus continebatur insertum, qualiter ipsum monasterium cum rebus & hominibus sibi iuste subiectis ob amorem Dei tranquillitatemque

fratrum ibi consistentium sub plenissima defensione & immunitatis tuitione haberetur. ac pro rei firmitate carissima genitrici suæ Theophania imperatrix semper Augusta cum fidelibus suis Willigiso Moguntinæ sedis honorabili archiepiscopo, & Hildibaldo Wormaciensis cleri venerabili episcopo, & Conrado Alemannorum & Alsaciorum duce glorioso eum postularit, ut hujusmodi auctoritatis immunitatem erga ipsum monasterium ob reverentiam ipsius sancti loci sua regia renovaret & confirmaret auctoritate. Quorum petitioni libenter annuit, & novum conscribi iussit præceptum, per quod eis omnia loca quæ a tempore Eberhardi & Luitfredi utibus eorum concessa sunt, & postea per incrementa aucta fuerunt, aut injuste abstracta noscuntur, regia auctoritate concedit & roborat, eisque inter se eligendi abbatem qui eidem rebus fratrumque regimini præsit, concedit. *Insuper regali sceptro sancivit, ut nullus comes, aut iudex seu quælibet præpotens persona mansiones in illis locis habere aut paratas exquirere præsumat, sed eis liceat quieto ordine degere & regulariter Domino militare, &c. Data IV. idus Octobris anno dominicæ incarnationis DCCCCLXXXVIII. indictione I. anno autem tertii Ottonis quinto. Actum Constantiæ, amen.*

Pag. 122. n. LXXIV. Sub finem præcepti rex Robertus addit: *Volumus etiam ut omnium episcoporum & comitum nostrorum in hoc concordet assensus, ut idem locus semper abbate habeat ex propria congregatione, qui ipsam Casam-Dei & monachos ibidem degentes cum normali honore custodiendo tractet, simulque ut nullus metropolitanus aut aliquis suus subiectus, etiam pontifex Parisiacus, causa alicujus ordinatiois illuc ingredi præsumat, nisi vocatus venerit, aut ad sanctam missam celebrandam, aut ad ecclesias consecrandas, aut ad benedictiones clericorum faciendas, & quod debitum excusare non debet, qui vocatus fuerit, &c.*

S. Maglorii exentio a jurisdictione episcopi Paris. Tbsf. Anecd. to. 1. p. 107.

Pag. 124. In comitatu Barchinonensi, diocesi Aufonensi erectum est monasterium S. Michaëlis de Falio, fundatum a Remundo comite & marchione & uxore ejus Ermenfende, qui dederunt balmam seu speleam cum aliis titulis & prædiis ad construendum monasterium in loco qui dicitur Falio, in honorem archangeli Michaëlis, propter desiderium cælestis regni, ad refrigerandum utriusque animas. *Facta scriptura donationis III. idus Junii anno 1. quod cepit regnare Rabbertus rex filius Ugonis regis, qui pridem fuit dux. S. † Remundi comitis & marchionis. S. † Erminindis comitissæ, quæ hanc donationem fecit & firmare rogavit. Arnulfus ac si indignus gratia Dei episcopus & abba. SS. Oliba sacerdos, Wifredus sacerdos, &c. Istud monasterium Gunbaldus de Castro Bifsaure anno MXLIII. tradidit S. Victori & Jarno abbati, cujus charta traditionis exstat ex archivo S. Victoris in Amplissima Collectione nostra tom. 1. pag. 406.*

Fundatio S. Michaëlis de Falio. Ampliff. collect. to. 3. p. 354.

Pag. 137. n. CXI. Edidit Mabillonius Aymonis, quem vocat Emmonem, libri primi de Qualitate cælestis patriæ præfationem, quam Guillelmo abbati nuncupat, *haud dubium*, inquit, *Divionensi*. at fatius est existimare tres illos libros Guillelmo celeberrimo abbati Hirsaugiensi, qui sub se habebat virum religiosum & doctum Aymonem nomine, in hujusmodi scriptis exercitatum, qui & vitam sui abbatis scripsit, nuncupatos fuisse. Hunc Mabillonius dubitat fuisse monachum, quia in libri primi inscriptione non se dicit fratrem, nec monachum. At monachum prodit se auctor ipse in cap. 7. libri 1. in quo hæc habet: *Quidam noster religiosus, vir vitæ laudabilis valde, cum infra hoc triennium moreretur, &c.* & capite II. libri secundi cum quali devotione & reverentia sit orandum *sanctissimus ac beatissimus Pater Benedictus demonstrat*. Sed nec aliud indicare videntur hæc prologi secundi libri verba: *Sufficit vita tua, o beatissime Willelme, omnibus nobis in exemplum, quia tali indigemus. Provocant nos ad desiderium cælestis patriæ sanctissimi gemius tui, & beatissima lacryma tua, omnesque splendidissimi actus tui*. Quis enim, amabo, hæc legens non statim agnoscat familiarem ac contubernalem ipsi Willelmo, ac proinde monachum splendidissimorum ejus actuum restem & admiratorem. His accedunt consimilis eloquii modi, & in vita S. Willelmi ab Haimone conscripta, & in præfatione ad libros de amore cælestis patriæ, qui unum eundemque auctorem utriusque operis facile demonstrant. Sic enim initio libri de vita S. Willelmi: *Flores virtutum ex divinis scripturis & ab exemplis spiritualium seniorum carpebat*. In præfatione vero libri de amore cælestis patriæ. *Petisti crebro, mi domine reverendissime pater Willelme, ut partes sacrarum scripturarum omni cum velocitate percurrerem, & ex his flosculos perpetuos ad animæ tuæ salutem proficuos . . . perquirerem*. *Annal. Bened. Tom. VI.* Ffffij

Simili fere modo in libri secundi prologo ait se ejus jussu *sanctorum Patrum testimonia ex eorum opusculis de sanctis virtutibus excerptisse*. De Aymone qui plura desideraverit, adeat Trithemium in historia Hirsaugiensi editionis S. Galli.

Donatio Bovinarum facta Elnonensi abbatiæ.
Ampliff. Coll. to. 1. p. 363.

Pag. 163. Anno millesimo secundo Ernoldus quidam cum Richilde conjuge sua audiens veritatis verba : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*, pro remedio animarum suarum *villam quæ dicitur Bovinas* S. Amando sibi que famulantibus in cœnobio fratribus tradit, donat, donatamque in perpetuum declarat cum omnibus ad eam adspicientibus, cum servis & ancillis numero sexdecim. *quæ familia unoquoque anno in festivitate S. Amandi, quæ est VII. kal. Novembris persolvat de respectione capitis sui II. denarios, de mortua vero manu VI. de licentia maritali VI. similiter*. Hæc autem omnia supra memorata eo tenore tradit, ut amodo fratres jam dicti loci absque ulla contradictione heredum suorum vel quorumcumque aliorum hominum habeant illa jure hereditario, inde faciant quod ad profectum & usum eorum sibi fuerit animo, &c. *Ego Hugo Grandis Noviomensium seu Tornacensium episcopus tam jussu comitis Balduini, quam rogatu ipsius Ernoldi hanc traditionem presentia mea confirmavi, & ut firma & stabilis permaneat ævo perenni, coram aliari S. Amandi, astante domno abbate Malbaldo & cuncta congregatione S. Amandi, violatorem seu inframatorem hujus traditionis excommunicavi, anathematizavi atque perpetua damnatione damnavi. Actum Elnone monasterio anno dominicæ incarnationis MII. regnante rege Francorum Roberto, imperante vero Romanorum imperatore Henrico, annuente & consentiente marchione nostro magno Balduino, astante quoque cum aliis pluribus advocato nostro Rodulfo, &c.*

Privilegia Mulinbechana ab Henrico rege confirmata.
Ampliff. collect. to. 1. p. 363.

Pag. 169. De Mulinbechano parthenone diximus superius, cujus privilegia ab Arnulfo & Ottone II. imperatoribus concessa confirmavit S. Henricus : quæ quidem ipsi obtulit *venerabilis abbatissa nomine Bertheid*, ipsum suppliciter precata, ut locum ipsum cum suis pertinentiis sub suum mundibrium & defensionem pro redemptione animæ suæ susciperet, quod ille benigne annuit interventu Bernhardi ducis & Theoderici episcopi, *Hæc firmiter sanciens ut sanctimoniales ibi devote per decessionis tempora, quam meliorem noverint, inter se eligant licenter, & sibi præponant abbatissam, communicato episcopi sui consensu*. Præterea concessit ut ab hominibus prædictæ ecclesiæ usibus & servituti ancillarum Dei subditis, regalis vel imperialis census qui inde solebat solvi, a nullo exigatur, &c. *Signum domni Henrici regis in Christo invictissimi. Egilbertus cancellarius vice Willigisi archicapellani notavi. Data III. idus Martii anno incarnationis Domini MIII. indictione I. anno vero domni Henrici regnantis adhuc I. Actum Mindæ.*

Electio Ponticæ abbatissæ.
Ampliff. collect. to. 1. p. 364.

Pag. 177. Exstat in tabulario Massiliensis S. Victoris monasterii electio Ponticæ abbatissæ S. Salvatoris, uti videtur, parthenonis, anno MIV. *trabeationis Domini, indictione II. mense duodecimo qui dicitur Janus*, in præsentia sanctorum antistitum celebrata, quam electrices ita prædicant : *Itaque nos omnes præsignatæ puellæ elegimus ac præsecimus nobis hanc monacham nomine Pontiam, vultu decoram, sensu illustrem, natura sublimem, moribus insignem*. Facta electione regnante Francorum rege Roberto.

Electio Wiffridi abbatis S. Victoris.
Ampliff. Coll. to. 1. p. 366.

Pag. 184. Ad petitionem Warnerii abbatis Psalmodiensis, *Pontius gratia Dei Massiliensis ecclesiæ episcopus cum totius ecclesiæ S. Mariæ ordine canonicorum sub eo constitutorum, cum consensu etiam S. Victoris cœnobii monachorum, etiam cum consilio domni scilicet abbatis Archinrici monasterii Montis-majoris, atque domni Patoni abbatis S. Gervasi eligendo decrevit virum nomine Wiffridum bonis moribus ditatum abbatem S. Victoris, quo loci sibi ut credit, a Deo commissi curam pervigil gerens, sui mercedem laboris percipiens, a vero pastore cum sibi subditis adscisci mereatur*. Anno ab incarnatione dominica MV. indictione III. *cum consensu omnium suprascriptorum, domni scilicet Pontioni episcopi, & domni Warnerii abbatis Psalmodiensis, domnique Archinrici abbatis & domni Patonici abbatis, seu & domni Willelmi vicecomitis fratrisque ejus, omniumque suprascriptorum canonicorum ac monachorum regnante Domino nostro Jesu Christo qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat per omnia secula seculorum, amen*. Subscribunt testes viginti-duo monachi, triginta & unus tam canonici quam laici. *Ego Erembertus indignus monachus rogante domno Wernerio abbate meo, & Pontione episcopo & fratre ejus Willelmo & Folcone & Ademaro scri-*

psi. Fuit autem Wiffridus sub Warnerio abbate annis quinque præpositus S. Victoris, & quindecim abbatibus officio functus successorem habuit S. Harnum.

Pag. 184. Cum beneficio Caroli Magni per multos annos florisset in signe monasterium Massiliense S. Victoris, *quod olim præcipuum ac famosissimum in tota Provincia fuerat*, & tandem paganorum impressione destructum & ad nihilum pæne redactum fuisset, *quousque bona memoria domnus Guillelmus & domnus Honoratus præfate civitatis episcopus, & frater ejus Guillelmus vicecomes, filiusque suus domnus Pontius præsul, qui eidem avunculo suo in episcopatum successit, & jam pæne lapsa manum sublevationis porrexerunt, qui non solum ex suis ei aliqua reddiderunt, verum etiam de propriis possessionibus ob remedium animarum suarum multa largiti sunt, ac monachos aggregantes abbatem sibi ordinaverunt*. Tunc Pontius episcopus igne divini amoris succensus & gloriosissimi martyris Victoris amore flagrans, statuit ut ejus monasterium stabilitum & inconvulsam per seculura sæcula maneret, *una cum consensu Rodulfi regis Alemannorum & Provincia, seu etiam cum præcepto & conhibentia domni apostolici pape urbis Romæ, cum voluntate etiam Rodbaldi comitis, & domne Adelais comitissæ, domnique Guillelmi comitis filii ejus, consentiente etiam pariterque petente clero & populo sanctæ ecclesiæ Massiliensis*. Confirmavitque donationes tam a se, suisque, aut aliis S. Victori factas, *ut deinceps sit sicut monasteria regularia ad honorem omnipotentis Dei ac sanctorum ejus consistentia, in his abbatibus ac monachis qui secundum regulam S. Benedicti ac sanctos canones vivere voluerint*. Si qui autem ex bonis & possessionibus S. Victoris usurpare tentaverint, hos excommunicat, oporatque a Patre & Filio & Spiritu-sancto excommunicari, atque a domno papa urbis Romæ, ab episcopis & presbyteris & ab omnibus qui potestatem habent ligandi & solvendi, & sint, inquit, *damnati in inferno inferiori cum Juda traditore, cum Ario, cum Sabellio, & cum omnibus hæreticis & infidelibus, tam qui faciunt, quam qui consentiunt facientibus, &c.* Et denuo scriptura ista sit firma & stabilis permaneat. *Scripta anno incarnationis MV. Rodulfus rex Alemannorum seu Provincia*. Johannes gratia Dei papa sedis apostolicæ, Rodbaldus gratia Dei comes firmavit, voluit & consensit, & manu propria roboravit. † Signum Pontius episcopus manu propria firmavit. Adalax inclyta comitissa assensum præbuit & manu propria firmavit. Guillelmus comes Provincie filius ejus firmavit. Guillelmus Tolosæ urbis comes firmavit. Ermengardis uxor Rodbaldi comitis manu propria firmavit. Varnerius abbas Psalmodiæ firmavit. Guiffridus licet indigne ejusdem monasterii opilio vocatus. Archinricus abbas Montis-majoris firmavit. Rado episcopus firmavit. Almeradus episcopus firmavit. Domnus Pontius Arelatenis archiepiscopus firmavit. Pato abbas. Deodatus firmavit. Andreas firmavit. Massilius firmavit. Ugo firmavit. Guillelmus vicecomes firmavit. Fulco frater ejus firmavit. Lambertus firmavit. Radaldus firmavit. Amalricus Aquentis episcopus firmavit. Domnus Franco firmavit.

Confirmatio donationum factarum S. Victori in restauratione.
Ampliff. collect. to. 1. p. 368.

Pag. 198. Cum vir illuster Atanulfus ad limina apostolorum Romam perrexisset, & in reditu fato functus fuisset, *præquam ab hac vita discederet, integro sensu ac plena memoria, omnia sua ordinans atque disponens, de salute animæ suæ sollicitus, inter ea que ordinavit, disposuit, delegavit & præcepit dari, aliqua de suo omnipotenti Deo & S. Victori suo martyri, ejusque monasterio apud Massiliam fundato, abbatibus quoque ac monachis ibidem famulantibus in pago Forojulienfi infra terminos de castro quod vocatur Salerno, villare quod vocatur S. Johannis, quantum ille habebat & ad diem obitus sui tenebat, & in ecclesiâ S. Mariæ, quæ in eadem valle quæ superjacet fundata est suam portionem*. Præquam autem Romam pergeret Wiffridum abbatem S. Victoris & fratres accersivit, *commendansque se eorum orationibus, dixit se velle eandem ecclesiâ reedificare & S. Victoris monasterio quantum ad se pertinebat dari, aliaque ad se pertinentia S. Victori largitus est*. Addit charta donationis quæ anno MVII. indictione V. facta est : Nunc igitur ego Belletrudis mater ejus, & ego Judeta uxor ejus, & ego Petrus filius, & ego Jonam, & ego Isnardus, & ego Pandulfus, & ego Bonifacius, & ego Wiffridus nos omnes qui sumus fratres & coheredes ejus hanc donationis eleemosynam, quam propter remedium animæ suæ ille vivens instituit, nos omnes post mortem ejus bono animo & bona voluntate ac propriis manibus firmamus. Facta donatio hæc tempore præscripto regnante Rodulfo rege Alemannorum seu Provincie. Atanulfus hanc donationem dedit & ore proprio firmavit. † Bernardus ex ore ejus & ab eo rogatus manu mea firmavi, Belletrudis mater

Donatio villaris S. Johannis facta S. Victori.
Ampliff. Coll. to. 1. p. 371.

ejus firmavi, Judeta uxor ejus firmavi, Petrus filius ejus firmavi, Bonifacius & uxor ejus firmaverunt, Jonam frater ejus firmavit, Pandulfus frater ejus firmavit, Bonifacius frater ejus firmavit, Wifredus frater ejus firmavit. Anno vero MC. nonis Decembris regnante Rodulfo rege, Belletrudis contulit S. Victori villam S. Johannis.

Pag. 263. Inter varias quibus semper agitatus est procellas Arnulfus Remorum episcopus, Mosomensi beate Mariae monasterio beneficium se exhibuit, ac per consilium Roberti regis Francorum, & deprecationem Bosonis abbatis ejusdem loci, quaedam bona quae sui juris erant misericorditer indulfit, ut inibi Deo servientes sua sublevarent beneficia. Tanta autem erga praedictum Bosonem affectus est praedilectione, ut cum antea multo tempore Romam petiisset, praedictum abbatem secum habere voluit. Romae autem existens humiliter deprecatus est & a sede apostolica obtinuit, *ut ille locus Mosomi Romana auctoritatis mereretur habere privilegia.* quibus acceptis, & aliquibus decurrentibus annis, ministeriales sui plurimas hominibus beate Mariae injurias fecere. Hac de causa cum praedictus Arnulfus archiprasul esset Lauduni in praesentia Roberti regis in pascha, adiit eum praedictus abbas Boso, *insinuans suam necessitudinem & pauperum suorum oppressionem*, obsecrans etiam humiliter ut pro animae suae suorumque successorum remedio, faceret *de ista causa & oppressione aliquam misericordiam & relevationem S. Mariae monasterio.* Quod cum regi ostendisset, & cum ejus consilio & benevolentia, multorum etiam bonorum hominum deprecatione conventus esset, *auctoritate*, inquit, *qua debui, & devotione qua potui, donavi ecclesiae praedictae bannum & districtum supradictarum rerum traditionem per manuum Godefridi ducis ejusdem ecclesiae advocati, &c. Quae traditione solemniter facta & banno sub praesentia regis Roberti legaliter imposito*, ne aliquis homo hoc infringeret, *ad futurorum memoriam & ecclesiae libertatem conservandam, auctoritatis suae scriptum imposuit & signari fecit. Signum Arnulfi Dei gratia Remensis ecclesiae archiprasulis. † Signum Adalberonis sanctae Laudunensis ecclesiae episcopi. † Signum Fulconis Ambianensis episcopi. † Signum Gerardi Cameracensis episcopi. † Signum Rotgeri Catalaunensis episcopi. † Signum Godefridi ducis ejusdem ecclesiae advocati. Signum Dudonis. Signum Odonis comitis. Signum Hilgaudi. Signum Allulfi archidiaconi & vicedomini. Acta Lauduni monasterio S. Mariae anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi MXVIII. indictione I. regnante Roberto rege Francorum. Ego in Dei nomine Bardo cancellarius scripsi.*

Pag. 263. Bruno patre Hugone Conradi imperatoris cognomento Salici sanguineo, matre Helvide nobilitate non impari, pietate haud dissimili, anno MII. natus, postea Tullenis episcopus, ac demum summus pontifex sub nomine Leonis IX. cum quintum attigisset annum, Bertholdo Tullenis episcopo educandus & litteris informandus a matre quae ipsum lactaverat traditus est. Quo tempore nescio quo casu, insigne psalterium aureis caracteribus exaratum, haecenus in Andagineni coenobio aservatum, Tullum delatum est, quasi in externa provincia securus ibi celandum. *Divina tamen dispositio restituit illud ecclesiae suae hoc modo. Mater domini Leonis IX. venale illud inveniens, emit, & eidem filio suo tunc Brunoni, ut in eo psalmos addisceret, dispensavit. Sed cum in quolibet psalterio & plane legeret & facile quod discere redderet, in illo tantum incurrebat tales offensiones, ut nimio tadio a lectione videretur deficere. Nolebat enim Spiritus-sanctus cujus electionis vas idem puer futurus erat, ne alicujus sacrilegii contactu vel ignoranter contaminaretur: mirante vero matre sic filium in psalterio adversari, audivit fama vulgante, fuisse illud ecclesiae S. Huberti, & multiplici anathemate per diversas regiones publicam ejus quaestionem fieri. nec diu morata ad locum properavit, puerumque secum deduxit, & absolutio-nem hujus suae ignorantiae humiliter exposulans, psalterium ecclesiae reddidit. Obtulit etiam pro satisfactione librum sacramentorum, qui postea donatus est ecclesiae beatae semper Virginis Mariae qua sua est beati Huberti apud Gabelium.*

Pag. 271. Anno MXX. Beroldus de Saxonia prorex Arelatensis pro rege potentissimo Rodulfo, & ab augusta majestate creatus vicarius, veniens in pago Albanensi in loco qui dicitur Talueris, invenit ecclesiam & monasterium quod fundavit dominus suus rex ad honorem beatae Mariae & SS. Martini & Benedicti, in regimen & usum domni abbatis S. Martini Sapiniacensis & omnium ejus successorum in laudibus Dei famulantium in dicto loco de Talueris, & de habitu & regula SS. Patris Benedicti sicut sunt & in futuro erunt. Quod quidem monasterium sciens sub tutela imperatoris esse, & af-

Privilegium
Mosomensi
monasterio in-
dultum.
Anecd. 10. 1. p.
235.

De psalterio S.
Huberti aureis
caracteribus
exarato.
Hist. Andag.
num. 27.

fectionem quam habuerunt praedecessores sui ad monasterium S. Martini de Sapiniaco & ad dictam ecclesiam de Talueris, eam sub sua singulari protectione suscepit. *Actum in eo loco de Talueris, laudante domino meo imperatore & genito meo carissimo Umberto, anno MXX. sub sigillo meo & signo manuali in mense Julio. † Beroldus. † Umberto filius.*

Pag. 272. Pietatem erga loca Deo sacra, sed ad monasteria praesertim omni occasione demonstrabat S. Henricus imperator, id sibi ad mortalem vitam temporaliter transigendam, & ad aeternam vitam feliciter obtinendam profuturum credens. Quapropter pro remedio animae suae ac dilectae conjugis suae Chunigondae, & per interventum dilecti sui Hilderadi abbatis, praedium nomine *Butenhart*, in pago Hulpiae, in comitatu Hezelini comitis situm, quod post obitum Epponis viri, & legis jure & lege ad suas regales & imperiales manus devenerat cum utriusque sexus mancipiis, &c. ad monasterium S. Salvatoris situm in loco qui dicitur Prumia, in usus fratrum Deo inibi sub regula S. Benedicti servientium concessit & in proprietatem donavit, donationemque manu propria confirmavit, ac sigilli sui impressione iussit insigniri. *Signum domni Henrici Romanorum invictissimi imperatoris Augusti. Witharius cancellarius vice Erchanbaldi archiepiscopi recognovi. Data v. kalendas Octobris indictione III. anno dominica incarnationis MXX. anno autem domini Henrici secundi regnantis XIX. imperii vero ejus VII. Actum Hamerstein feliciter, amen.*

Pag. 277. in margine Olbertus S. Laurentii abbas, lege S. Jacobi, & in corpore, monasterio S. Laurentii, lege S. Jacobi.

Pag. 285. n. vi. Benedicti papa IX. privilegium Gumbaldo abbati S. Crucis concessum de cella Solaco habes in nostrorum Anecd. tom. I. pag. 157.

Pag. 303. De fundatione insignis Brunvillarensis S. Nicolai monasterii agit Mabilionius ad annum MXXIV. ubi merito redarguit auctorem vitae S. Popponis, qui Ellonem palatii comitatum administrantem facit monasterii conditorem. Nam veri illustri monasterii fundatores fuere Erenfridus comes Palatinus & pia memoriae Mathildis ejus uxor, immatura morte praeventa, & ibidem sepulta, ut legitur in litteris Piligrini archiepiscopi Colonienfis: quem Erenfridus deprecatus est, ut suam confirmaret fundationem, & Brunvillarense coenobium sub suam & ecclesiae Colonienfis tuitionem susciperet, quod ille duobus diplomatis anno MXXVIII. praestitit; in secundo autem solo confirmationis testes commemorantur *Ansfridus episcopus de Trajecto, Meginarus episcopus Paderbrunensis, Tithardus praepositus Templi, Sigefo praepositus, Werenfo praepositus, Godefridus dux Pilosus, Everardus antiquus comes de Mosella, Renchizo comes de Heingebach, Godefridus filius ejus, Hermannus comes de Norvenich, Sicco comes Starchri, Embrico, Eppo, Ruotprat, Ruochri, Gerunc, Herman. Acta sunt haec anno dominica incarnationis MXXVIII. indictione XI. regnante Conrado Romanorum imperatore Augusto.* Praeterea tertio diplomate pro amore Dei, suae animae salute, tum etiam ob sanctae Colonienfis ecclesiae honorem ad monasterium S. Nicolai, quod suis diebus noviter fuerat a Palatino comite Erenfrido constructum, donat quamdem curtem infra muros urbis sitam, ut cum primus abbas Ello & ejus successores negotiorum causa Coloniam commigraverint, habeant aliquod refugium.

Pag. 307. Anno MXXIV. venerabilis B. Mariae Mosomensis abbas Bozo, Ebalium Remorum archiepiscopus adiens humiliter devotione rogavit, ut ecclesiam in villa Duziaco sitam, Mosomensi ab antiquitate subjectam, sed incuria antecessorum suorum substractam, amore Dei & causa parvitas loci ad supplementum victus fratrum inibi sub regula S. Benedicti militantium restitueret. Cujus humiliter petitioni, inquit, penuria loci compassus assensum praebui, eamque praedicto loco, nonnullis fidelium coram astantibus, prout ex voto jam destinaveram, reddidi auctoritate Dei omnipotentis, sanctaeque Mariae, omniumque Sanctorum, necnon pontificali decreto nostrae auctoritatis interdicens, ne ullus nostrorum successorum jam dicto loco aliquo modo eandem subtrahat ecclesiam vel praedictum faciat. Id quod suo signo confirmat. *Signum Eballi Remorum archiprasulis. Signum Adalberonis episcopi. † Signum Hugonis archidiaconi, &c. Actum Remis regnante rege Roberto, anno XXXVIII. computatis ejus regni annis a tempore, quo cum patre Hugone regnare coepit. Anno episcopatus domni Eballi II. indictione VIII. Ego Odalricus cancellarius scripsi & subscripsi.*

Pag. 351. Anno MXXVIII. vir inclytus Waltermus compunctione cordis tactus,

Pradium Butenhart datur Prumiae.
Ampliss. collect.
10. 1. p. 380.

De monasterio Brunvillarensi
Ampliss. collect.
10. 1. p. 393. &
197.

Restitutio ecclesiae Duziaci facta Mosomo.
Anecd. 10. 1. p.
144.

Donatio facta Walciodoro.

Ampliff. collect.
no. 1. p. 395.

consilioque amicorum usus, statuit aliquod animæ suæ remedium quærere. Est autem cœnobium in Lomacensi provincia situm nomine Walciodorum, B. Mariæ dedicatum, quo locus erat antecessorum suorum sepultura. Quapropter locum adamavit, frequenter visitavit, & electa in eo sua sepultura quantum vita comite potuit, profuit. Tandem ab inimicis graviter vulneratus & ad extrema deductus, cepit cogitare, quid illuc pro remedio animæ posset dimittere. Convocatis autem amicis suis morti proximus ac eis precatui suo faventibus, quidquid jure hereditario competebat in Gessinula pago Condrusco, id est quartam partem in omnibus, in Camba, in molendino, in aquis, in silvis, in pratis, &c. per manus Wafcolini fratris sui, Guidonis filii sui ipsi loco tradidit & jurè perpetuo firmavit. Si quis autem fraudator hujus rei fieri voluerit, pœnam fortiatu Judæ traditoris, & hereditate privetur regni cœlestis. *Actum est hoc tempore domni abbatis Heremberti anno dominicæ incarnationis MXXVIII. indictione XI. imperante domno Cuonrado imperatore, anno regni ejus IV.*

S. Theoderici
abbatis Andagi-
nensis vita
auctera.
Hist. Andag.
v. 11. § 14.

Pag. 354. n. VII. Hic describit accurate Mabillonius S. Theoderici monachi Laubienfis electionem in abbatem Andagenensis monasterii, promovente in primis abbate Stephano S. Laurentii, & Gonzone Florinenfi, atque ordinante episcopo Leodientis, & deducentibus ad suum monasterium septem abbatibus, adde: *Cujus culmen cum de longe vidisset, ut erat tunc hiems asperrima, in mediis nivibus ad terram procidit, & Deum adiutorem sibi adesse cum gemitu inclamavit, apertoque capite, nudis pedibus monasterium usque processit, ut legimus in historia Andagenensi, quæ recenset quos in eo reperit monachos, tum subdit: His omnibus militantibus Deo sub disciplina regulari præerat abbas, quasi quidam dux industria militaris. His omnibus omnia factus, conformabat se singulis, donec formaretur Christus in eis, nec quemquam existimabat fortuna vel conditione, sed moribus & religione; & cum ab in-
eunte etate religiose institutus, modeste & caste vixerit, tunc hunc sibi met usum vivendi continuandum instituit, ut non nisi semel in die semper resceret, tam parce tamen, ut continuatim esuriret, & hoc sine ovis & caseo, & absque sagina condimento. In le-
gumibus autem adventis & quadragesimæ biduanis & triduanis jejuniis se macerabat oc-
culte. Præter communem monasterii elemosynam, duodecim pauperes quotidie alebat, quibus lotis pedibus & manibus, & refectioe sufficienti impensa, satis humiliter tam-
quam Christo se eis in terram prostrabat, vilissimo strato superjecto cilicio paululum quiescebat: ex quo latenter surgens, communes vigiliis semper anticipabat: sicque genu-
flexionibus & orationibus cum lacrymis Deo seipsum mactabat. Et post pauca: Præter
canonicas horas, quas ut debitas, diligenter Deo exsolvebat, in veneratione B. Trini-
tatis & gloriosa semper Virginis Maria, itemque Petri apostoli omniumque sanctorum
sigillatim vigiliis & omnes horas diei decantabat, & psalterium etiam inter noctem &
diem ex integro percurrere, aut per se psallebat, aut qui pro se psallere procurabat. In
quotidianis vero missarum solemnibus quibus, quavis cordis contritione Domino sacrifici-
turus assisteret, ejus solius est approbare, cujus est omnium hominum corda pensare. Cu-
jus fuerit humilitatis in habitu, cujus gravitatis in incessu, cujus aequalitatis in vultu,
cujus honestatis in actu, mirabatur non solum qualibet ecclesiastica dignitas, sed etiam
fastuosa & aliis irreverens secularis potestas, cujus & laudabiliter magnificabat absentiam,
humiliter honorabat presentiam.*

De consecra-
tione ecclesiæ
S. Zachariæ &
S. Johannis,
ejusque dota-
tione.
Ampliff. Coll.
no. 1. p. 400.

Pag. 390. Cum orationis gratia Massiliense S. Victoris monasterium adiisset Pontius pontifex, & præmissa oratione ante regiam ecclesiæ, & diverso hominum genere monachorum, canonicorum, laicorum fultus federet, assisteretque ei quidam Bernardus nomine, tunc solus presbyter postea autem monachus, supplex rogavit ut ecclesiam S. Zachariæ & S. Johannis-Baptistæ, quam suo sumtu, quamvis grandi penuria, dudum vetustate consumptam aut a Mauris dirutam, qua poterat devotione restaurasset, in honorem prædicatorum consecraret; quod cum ille gaudenter adimplevisset, tunc Raimbaldus Arelatenfis hanc ecclesiam dotavit sponfalitio suæ donationis, & una cum fratribus suis heredibus Bosone, Bonifacio, atque Fulchone & alio Bonifacio filio Atanulfi, concessit aliquid de alode, qui jure hereditario parentum suorum obveniebant ecclesiæ in honorem S. Zachariæ constructæ in comitatu Massiliensi, in territorio castri nomine Auriolis, ubi est ecclesia in loco qui vocatur Restonis. Tum subdit: *Sanctus quis, nos videlicet donatores, id est Raimbaldus archiepiscopus Arelatenfis & Pontius episcopus Massiliensis; & Boso, & Bonifacius,*

eius, & Fulcho, & alius Bonifacius & Willelmus juvenis, & Isnardus & Lambertus, aut heres noster, aut ulla interposita persona, quæ contra hanc donationem sponfalitii & dotalitii hujus ecclesiæ S. Zachariæ & S. Elisabeth & S. Johannis Baptistæ, quam mittimus in manu Isnardi abbatis S. Victoris & manu canonicorum illic Deo servientium, quisquis sit qui contra hoc, ut diximus, relinquere, aut irrumpere, vel violare voluerit, non valeat vindicare quod repetit, sed iram & maledictionem Dei incurrat, & cum Juda traditore in inferno damnetur, & cum Datan & Abiron pœnas luat, & cum Simone Mago participetur. Facta charta donationis istius mense Januario in comitatu Massiliensi, regnante Ottone rege Alemannorum sive Provincia, anno ab incarnatione Domini MXXXIII. Signum Raimbaldi & Pontii episcoporum & aliorum supra scriptorum, qui hanc donationem fecerunt, & manus eorum firmaverunt & alios firmare rogaverunt, &c.

Pag. 399. Anno incarnati Verbi MXXXIV. decedente Renualdo abbate S. Huberti, successit ei Adelardus, a Reginardo episcopo ecclesiæ S. Huberti abbas ordinatus, qui fuerat monasterii S. Trudonis scholasticus & thesaurarius. In vita S. Theoderici de negligentia regularis disciplinæ accusatur. Verum si spiritalia posthabuit, temporalia assidue curavit, testante auctore historia Andagenensis monasterii, cujus hæc verba: *Ipse ut erat vir industrius & prudens, cum gravaretur longa & maxima famis necessitate, tum etiam inter imperatorem Henricum & ducem Godefridum majorem diuturna & inexorabili seditione, castri Mirvoldi ecclesiæ acriter imminentis & edicto imperiali omnium fere principum cis Rhenum consistentium gravissima obsidione; tamen commissum sibi locum, quod periculo temporis difficillimum erat, ne omnino destrueretur, non solum viriliter detinuit, sed in possessionibus ampliavit. Adificavit refectorium fratrum cum dormitorio, adificavit cameram abbatis cum palatina domo. Ecclesiam Adventientsem, quam ex patrimonio suo episcopus Gualcandus olim loco contulerat, a quibusdam invasoribus viriliter defensam retinuit. Quartam partem Calviciaci fisci a quodam Roberto emit, cujus omnimodo medietas ab antiquo erat ecclesiæ donata sibi pro satisfactione a Stephano comite, eo quod castellum Murvolt violenter & injuste firmasset in ecclesiastica possessione. Habito quoque colloquio apud Leodium inter imperatorem Henricum, itemque Henricum regem Francorum, ejus imperatoris banno & auctoritate firmatum ecclesiæ mercatum procuravit, cujus omnes justitias, tolonium, bannum, comitatum, latronem, foralia vel cujuscumque placiti questum, vel querelas ex antiquo more protestativo jure obtinuit tempore quo ad vixit, & sine ulla calumnia successoribus obtinenda, immo totam integram abbatiam reliquit, &c. Anno vero incarnati Verbi MCV. suæ autem ordinationis XXII. cum decessisset, successit ei, auctore Deo, domnus Theodericus Lobienfis monachus, &c.*

Adelardus ab-
bas S. Huberti

Hist. Andag.
monast. n. 9.

Pag. 414. Cum Viennensem ecclesiam regeret Leodegarius archiepiscopus, exemplo & amore prædecessorum suorum tactus, suam cupiens ornare ecclesiam quæ quondam gloriosissime floruit, proposuit beatissimo Ferreolo martyri & civitatis Viennensis tribuno deservire: siquidem ecclesiæ ipsius vel cœnobium, quod vocant Grinnientium, quadringentorum simul in se habuit multitudinem monachorum: ipse vero, si non ita, saltem quod potuit adimplevit. Reddidit ergo ei, id est S. Ferreolo, ipsiusque quondam monasterio ex hereditate ipsius quidquid in suo dominio tenebat, seu etiam ubicumque fuerit inventum aliquid ex ejus hereditate, totum omnino reddidit, & eos qui tenebant si reddere volebant in hac elemosyna adjunxit. Sed & Blandinus quidquid de ejus hereditate in beneficio de ipso acceperat totum reddidit. Hoc ergo per consilium fidelium suorum fecit, collaudante omni clero & populo ecclesiæ Viennensis, insuper & annuente Hermengarda inclita regina regis Radulfi uxore tunc vidua. Addit Leodegarius: *Ponimus ergo in ipso loco Dei servos ex monasterio sancti Victoris Massiliensis, ipsumque locum cum omnibus ad se pertinentibus eidem sancti Victoris perpetualiter damus, & viro venerabili Isnardo abbati per consilium & voluntatem domni abbatis Odilonis Cluniacensis, & omnium fratrum suæ congregationis. Facta donatio hac elemosynaria anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi MXXXVI. indictione IV. epacta I. anno VIII. imperatoris Romanorum Conradi, &c. Ego Nupsa monachus ad vicem domini cancellarii, domno archiepiscopo Leodegario dictante & mandante scripsi, anno ordinationis ejus VI. III. nonis Novembris, luna X. feria IV.*

S. Ferreoli
Viennensis ec-
clesiæ in plena
synodo data S.
Victori Massi-
liensi.
Ampliff. collect.
no. 1. p. 402.

Acta publice in synodo Viennensi, in presentia domni Leodegarii archiepiscopi & canonicorum ipsius ecclesiæ multorumque fidelium abbatum & monachorum, aliorumque cle-
Annal. Bened. Tom. VI.

Gggg

ricorum diverforum graduum, omni affectu omnia quæ hic habentur inserta acclamantium & laudantium, &c. Ego Leodegarius archiepiscopus propria manu firmo, S. Noraldi abbatis, S. Petri, S. Pontii abbatis, S. Dotmari abbatis, Signum Willelmi patris archiepiscopi, S. Willelmi filii ejus, S. Humberti comitis. . . . Signum Adalardi abbatis Lugdunensis, S. Hodrici abbatis, S. Eugenii abbatis.

Sequenti anno prædictus archiepiscopus Leodegarius ecclesiam sancti Symphoriani ad aquilonarem Viennæ urbis partem sitam cœnobio S. Ferrèoli tradidit, facta donatione anno incarnationis dominicæ MXXXVII. indictione v. anno IX. imperatoris Romanorum Conradi. Ego Nuspa monachus ad vicem domni cancellarii scripsi, domno Leodegario archiepiscopo mandante, anno ordinationis ejus VII. feria I. stationis ad S. Ferrèolum ante natale Domini.

Pag. 432. Anno MXXXVIII. vacante Andegavensi S. Albini abbati sede, omnis ejusdem monasterii congregatio pari voto parique desiderio assensu Huberti præfulis, & favore Fulconis comitis elegit de suo cœtu abbatem *Walterium humilitate, sobrietate, castitate, ceterisque virtutibus ad hoc officium idoneis gratia Dei præditum. Hunc ergo omnes a minimo usque ad maximum, sine alicujus contrarietate secundum regulam S. Benedicti, inquit, nobis patrem constitui & abbatem consecrari concorditer imploramus, eo tenore, ut prædicti patris normam & ipse indeclinabiliter pro posse virium suarum per adiutorium Dei teneat & præmonstret, nosque ad sequendum paternam admonitione invitet;* & subscribunt electioni prædictæ quadraginta octo. Actum Andegavo civitate mense Decembri anno incarnationis dominicæ MXXXVIII. indictione VI. regnante Heinrico rege.

Pag. 448. Dum Bisuntinam regeret diocesim Hugo archipræful, Eberardus abbas sibi præ omnibus carissimus, cunctaque congregatio sancti cœnobii Murbacensis, ab eo petierunt ut dedicaret illis ecclesiam infra suum episcopatum sitam, noviter restitutam, & ab antiquo fundatam, quod libenter fecit rectumque fieri judicavit. Præscripta namque ecclesia olim fuit regalis abbatia, ab antiquis regibus S. Leodegario Murbacensi per præceptum tradita, sicque mansit illi subdita, habuitque sua prius privilegia, mansitque ab omni jugo servitutis libera sicut ceteræ abbatie in sua parochia. Postquam autem SS. Martyrum Desiderii & Raginfredi corpora a supra dicto loco ad Murbacensem sunt ecclesiam delata, stimulante invidia, inardesciente avaritia, archipræfulyteri plus æquo diligentes formam nummi, hanc volvere esse sub tributo. Sed non accidit res ex toto sicut proposuerunt animo. Nihil tamen omisere quominus archiepiscopo suo persuaderent ut ecclesiam illam efficeret tributariam. Postquam vero, inquit Hugo, factus sum archiepiscopus, domnus abbas supra scriptus cepit mihi ita esse familiarissimus, cum suis omnibus, quod non magis quam meum diligebat commodum, & ita ubicumque poterat nostram ut suam exaltabat ecclesiam. Visum est nostris fratribus & dignum, ut quod antea cupidinarie fuerat actum, caritative esset emendatum, &c. Hinc libertatem quam peragimus in plena synodo facimus. Subscribit Hugo archiepiscopus cum præpositis, decanis, primiceriis & canonicis, inter quos Fredericus Genevensis episcopus & ecclesiæ Bisuntinæ archidiaconus, Frodo abbas S. Martini. Acta Bisuntio publice in sancta synodo, VI. feria, VIII. idus Novembris, regnante Heinrico rege II. anno IV. præfulatus vero domni Hugonis X.

Pag. 464. Quanto amore S. Victoris Massiliense monasterium prosequeretur Pontius episcopus Massiliensis, jam pluries demonstravimus. Novum hic dilectionis testimonium exhibuit in gratiam monachorum Græcorum; nam ipse & Ifarnus abbas S. Victoris una cum assensu clericorum ecclesiæ sibi a Deo commissæ dedit ad altare ecclesiæ S. Petri, quæ est constructa in territorio castelli vel villæ quæ vocatur *Auriol* in comitatu Massiliensi, tertiam partem rerum omnium, videlicet alodis, camporum, vinearum, hortorum, pratorum vel quarumcumque possessionum ad prædictam ecclesiam pertinentium, *servis Dei Græcis & successoribus eorum in eadem ecclesia Domino servientibus sub cura & regimine abbatis S. Victoris, ut quamdiu ad eundem altare servierint, teneant & possideant. . . . Si autem evenerit, quod absit, ut in eadem ecclesia Deo servientes non maneant, eadem pars tertia revertatur ad clericos sedis Massiliensis, &c. Facta donatio hæc anno incarnationis Domini MXLIV. indictione XIII. regnante Heinrico rege. Theodatus canonicus episcopus Tolonenfis firmavit, &c. Acta publice apud Massiliam in conventu clericorum, II. nonas Julii, feria VI.*

Electio Walterii abbatis S. Albini Andegavensis. *Anecd. to. I. p. 259.*

De dedicatione & immunitate abbatie regalis S. Desiderii. *Anecd. to. I. p. 164.*

De monachis Græcis sub cura & regimine abbatis S. Victoris. *Ampliss. Coll. to. I. p. 408.*

Pag. 471. Facta est hoc anno restitutio villæ de Jugurnis Ifarno abbati S. Victoris, per Petrum vicecomitem Vapincensem una cum matre sua Dalmatia, & uxore Inguilberga, & filiis suis Isoardo, . . . qui & donationem fecit de quibusdam rebus suæ potestatis, videlicet de ecclesiis S. Mariæ & S. Petri, sive S. Johannis, quæ sitæ sunt in comitatu Ebredunensi, in villa Jugurnis, cum omni parochia, & tota medietate decimæ de toto territorio ejusdem villæ, cum medietate mercati & omnibus rebus ad easdem ecclesias pertinentibus. Siquidem eundem locum vel ecclesias monachi Bremerensis monasterii aliquanto tempore injuste possederant, utpote deficientibus possessoribus monachis Massiliensibus, olim illorum monasterio a paganis destructo, moderno tempore eidem cœnobio præfidente abbate Ifarno. Is missis aliquibus ex suis monachis qui requirerent locum in comitiis episcoporum & nobilium provincialium, non solum productis vetustis chartis, sed adhibita etiam ferri & ignis probatione, cum pars adversa miserisset hominem in aquam, defecit in judicio, & reddita S. Victori antiqua ejus possessio. Sed & quidam Rodulfus cum uxore Timidia ac filio Ismidone & nepotibus addidit ex suis quædam in Jugurnis. *Facta donatio sive redditio hæc anno incarnationis dominicæ MXLV. indictione XIII. regnante Heinrico rege. Igitur ego Petrus & uxor mea & filii mei, & ego Rodulfus & uxor mea & filii mei & nepotes hanc chartam manu propria firmavimus, & testibus firmari rogavimus.*

Pag. 494. Existat in pago Gerundenfi nobile S. Pauli monasterium, quod Ermesendis comitissa pro redemptione animæ suæ & redemptione animæ viri sui Raymondus comitis, necnon & filii Berengerii & filiorum ejus, si tamen hujus donationis auctores existerint, Massiliensi S. Victoris monasterio tribuit & fratribus qui in eo perpetuo Deo degunt famulaturi. Istud S. Pauli monasterium ex parte Raymondus comitis viri sui quondam ei obvenerat ad proprium, nec diu illud sibi servare voluit. Sed illud divina inspirante clementia, clara mente, integroque consilio Massiliensi abbatia concessit, ut cuncta quæ ad ipsum S. Pauli monasterium pertinent Victorini deinceps possideant. *Facta hæc scriptura donationis VIII. idus Februarii anno XVII. regni Henrici regis. † Ermesendis comitissa, quæ hanc donationem feci & firmavi, & testes firmare jussi. Petrus abba, &c.*

Pag. 513. Postquam piæ memoriæ dux Otto, frater Richefæ reginæ Poloniæ, annuente Hermannò archiepiscopo Colonienfi fratre etiam suo, medietatem prædii Brunvillarenfi monasterio S. Nicolai reassignavit, pro illo paulo post defuncto aliqua etiam de suo superaddere studuit prædicta Richefæ, velle habens bonum adhuc ampliora, si vita comes fuerit, conferre; *quia, inquit, illic locum sepulture meæ juxta matrem meam elegi Deo volente*, longam prædiorum enumerationem subjungens. Datum VII. idus Septembris anno incarnationis Domini ML. &c. regnante Henrico tertio Romanorum imperatore Augusto. Anno sequenti prædictus imperator monasterio Brunvillarenfi factam a Richefæ regina donationem confirmavit & sigilli sui impressione roboravit. *Signum domini Henrici III. regis invictissimi, secundi Romanorum imperatoris Augusti. Wintherus cancellarius vice Bardonis archicancellarii recognovit. Data XV. kalendas Augusti indictione IV. anno dominicæ incarnationis MLI. anno autem domni Henrici III. regis, secundi imperatoris, ordinationis ejus XXIV. regni vero XIII. imperii V. Actum Comphingin feliciter, amen. Cujus rei testes sunt Hermannus Colonienfis archiepiscopus, Henricus comes Palatinus, Sico comes, Starchri comes, Gerardus, &c.*

Pag. 524. Dum Leo papa IX. Treviris versaretur, Henrico imperatori III. auctor fuit, ut si locis Deo dicatis, quibus beneficia non conferret, saltem ab aliis tradita & injuste subtracta vel ablata restitueret; idque procul dubio divinitus remunerandum consideret. Quapropter *ob amorem Dei & interventum spiritualis patris nostri domni videlicet Leonis, S. R. E. summi pontificis, & universalis papæ reddimus, inquit, cœnobitis S. Maximini qui in suburbio Trevirorum corporaliter quiescit, curtem quamdam vocabulo Prichina, in pago Cinridke sitam, cum omnibus appenditiis, & cum omni utilitate, quæ scribi vel nominari poterit, quam nos cuidam Anselmoni Theodericum abbatem injuste pro beneficio præstare justimus: modo autem, justitia dictante, eandem curtem cum omnibus in quibuscumque locis ad eam juste & legaliter pertinentibus vel aspicientibus rebus, S. Johanni, sanctoque Maximino, & fratribus eis famulantibus reddidimus, firmavimus & in æternum Deo auctore stant.*

Restitutio facta S. Victori. *Ampliss. collect. to. I. p. 311.*

Abbatia S. Pauli Gerundenfi datur S. Victori. *Ampliss. collect. to. I. p. 414.*

Richefæ regina eligit sepulturam apud Brunvillare. *Ampliss. collect. to. I. p. 424.*

ibid. p. 427.

Henricus imp. restituit S. Maximino curtem Prichinam & plures alias villas. *Ampliss. collect. to. I. p. 425.*

bilimus, ea videlicet ratione ut nec præfatus Theodericus abbas, nec aliquis successorum suorum alicui umquam præstare vel vendere præsumant; sed fratres iidem inde consolati, sagimen habeant, femoralia etiam, mantelas ac mensalia, ad usus necessarios inde percipiant, hospites suscipiant & peregrinorum ac pauperum usibus fideliter inde deserviant. Statuit etiam & imperiali auctoritate delegavit ecclesias, villas; & possessiones quas sub Dagoberto, Pippino, & Carolo Magno habuerant, unde & victum & vestitum accipiebant, &c. Et ut regale inde præceptum firmum semper & stabile permaneret, non solum manu propria & sigilli impressione insigniri iussit; verum etiam ut apostolicæ defensionis auxilium, si quis eis hæc infringere voluerit, habere valeant, prædicti patris nostri domni videlicet Leonis sanctissimi papæ privilegium inde conscriptum eidem venerabili loco obtinuit. *Signum domni Henrici III. regis invictissimi, II. Romanorum imperatoris Augusti. Winithierius cancellarius vice Bardonis archicancellarii & archiepiscopi recognovi. Data XII. kalendas Februarii anno dominicæ incarnationis MLI. anno autem domni Henrici III. regis, secundi autem imperatoris regni XIII. imperii vero V. Actum vero Treviris in Dei nomine feliciter, amen.* Paucis post annis prædictus imperator interventu Agnetis imperatricis & dilecti filii sui Henrici regis, & ad importunam Theoderici abbatis querimoniam, *Treviris in præsentia episcoporum Eberardi Trevirensis, Liudbaldi Moguntiacensis, Adalberonis Mettensis, Deoderici Virdunensis & aliorum principum, advocati præscripsit leges.*

Pag. 537. Exstat in Hispania percelebre S. Sebastiani monasterium, cujus sub Mirone abbate cum observantia deflexisset, ipse Miro, & Miro Garibertus, & Guilla ejus uxor ex Massiliensi S. Victoris monasterio monachos advocarunt, *ad servitium Dei omnipotentis & S. Sebastiani, & ut ordinem S. Benedicti ipsi monachi cum timore & amore Dei in eodem loco demonstrarent aliis, & ipsi teneant secundum suam esse, & ut obedientes sint ipsi Mironi abbati, & honorent eum omnibus diebus vitæ suæ, ut abbatem suum.* Tunc Miro abbas constituit Durandum monachum S. Victoris præpositum, & priorem post se in prædicto monasterio, & inter ipsos convenit, ut præpositi S. Sebastiani semper essent monachi Victorini; *& ut Udalardus præpositus S. Michaelis monasterii honoret eundem Mironem abbatem cum venerit ad S. Sebastianum, &c. Acta sunt hæc anno XXI. Heugenici regis in præsentia domni Mironis Gariberti & uxoris ejus Guilla & aliorum bonorum hominum II. idus Julii anno quo supra.*

Pag. 553. Apud Nivernum quidam clericus nomine Belinus singulari pietate motus Henricum regem Francorum adiit, rogans ut regis auctoritatis privilegio donum sibi a Wilhelmo comite Nivernensi factum confirmaret, *scilicet in suburbio Nivernensi quamdam ecclesiam in honore S. Victoris consecratam, antiquissimam videlicet & ex primis supradictæ urbis abbatiam, primis temporibus locupletem, pluribus dotatam, augmentatam, & ditatam, postmodum vero mundo jam in maligno posito, partim pastorali incuria desolative desitutam, partim pestimorum Christianorum barbarie dirutam, & ut verius fatear, sub impiorum manibus incurvatam & humiliatam. Hanc ex regali dominio ut multa alia emancipatam, & comiti Nivernensi beneficiario jure a prædecessoribus regibus traditam, quidam Frotmundus post comitem habebat, militibus dispersiverat, majus dederat, minus sibi retinuerat. Sic itaque ecclesia desolata & ad nihilum redacta & pæne destructa & a fundamentis eversa erat.* Sed Deus omnipotens martyris honorem & ecclesiæ nomen non minui volens, quemdem clericum prælegit, qui ab ipsis cunabulis in ecclesiæ illius amore exarsit. . . . Hic assensu Hugonis episcopi & Wilhelmi comitis supratatum Frotmundum adiit, & ut captivatam ecclesiam. . . a captivitate redimeret oravit, quodque petierat impetravit. . . . Statuitque rex piissimus, *ut ad pristinum statum ecclesia illa revertatur, & abbatia restituatur, res atque ecclesiæ dispersitæ & a pluribus substractæ, supradictæ ecclesiæ restituantur* regia auctoritate, & ut nulli fas sit ex ipsius bonis aliquid ulterius diripere vel auferre, &c. *Actum est Carisiaco palatio regio, astante exercitu, anno XXII. regni Heinrici regis, kalendas Maias, luna X. indictione VI.*

Pag. 569. Apud Massiliam piissimæ duæ sorores, ambæ Deo dicatæ, *Adalmois* videlicet & *Cliffendis* pro amore omnipotentis Dei & remedio animarum tam suarum quam parentum suorum dederunt S. Victori martyri & monachis ejus præsentibus & futuris, cum consilio & consensu fratrum suorum Raimbaldi archiepiscopi Are-

Donatio facta S. Victori Massiliensi. Ampliff. collect. to. 1. p. 440.

Restaurator abbatum S. Victoris Nivernensis. Ampliff. collect. to. 1. p. 434.

S. Sebastiani abbatia reformatur per Victorios monachos. Ampliff. collect. to. 1. p. 431.

latensis & Fulconis fratris ejus, omnem suam hereditatem quæ sibi obvenerat hereditario jure patris sui Bonifacii ad proprium alodem: quæ sita in territorio Massiliensi in loco qui dicitur *Spalians*, omnia quæ ipsis pertinebant, quæque fuerant patris sui Bonifacii in campis, vineis, &c. Item in comitatu Massiliensi villam quæ vocatur *Lasa*, quæ sita est super fluvium qui nuncupatur *Welna*, cum ecclesia S. Vincentii, & cum altaribus in ecclesia dedicatis, cunctisque ejusdem villæ sibi pertinentibus ex paterna hereditate. Si quis autem hanc donationem irritare tentaverit, iram Dei in primis incurrat, & cum *Juda Scarioth*, & *Datan* & *Abiron* æterni ignis poenas sustineat, insuper in vinculo auri optimi libras XX. componat. *Facta donatio hæc anno incarnationis dominicæ MLVI. indictione VIII. regnante Henrico rege Romanorum. Signum duabus sororibus prædictis donatricibus, Adalmois videlicet & Cliffendæ quæ hanc donationem fecerunt & propriis manibus firmaverunt & testes firmare rogaverunt. Dominus Raimbaldus archiepiscopus firmavit, Fulco frater ejus firmavit, &c. Eodem anno facta est dedicatio SS. Trinitatis de Tritis, quam dotaverunt Raimbaldus archiepiscopus Arelatensis, Fulco, Willemus, Goffredus, Petrus, dotantibus indulgentias peccatorum remittunt Raimbaldus archiepiscopus, Austindus archiepiscopus Ausciensis, Willemus Toloniensis præful, & Petrus abbas S. Victoris.*

Pag. 569. Vix Henrico patri successerat, thronumque imperiale ascenderat *Henricus IV.* cum Prumiensis monasterii privilegia a regibus & Augustis indulta, petente Roberto inclyto & venerabili abbate & omni congregatione monachorum, confirmavit, idque pro remedio animæ patris sui Henrici II. imperatoris, necnon ob interventum carissimæ matris ejus Agnetis imperatricis Augustæ. Indulsi que monachis prædicti cœnobii jus eligendi sibi abbatis more solito de ipsa congregatione, nec aliunde recipiendi rectorem *vi vel potestate alicujus personæ*, sed in ea electione vigeat probitas & humilitas. Præterea omnes ejusdem monasterii possessiones ubicumque sitas sub sua tuitione suscipit, nec ullus in eis comes jus aliquod requirat. Abbas eligendi advocatos sine regis præsentia licentiam habeat. Quicquid vero jus fisci de supradictis rebus ad regios usus ministrorumque ejus exigere poterit, ad luminaria ecclesiæ & recreationes indigentium, sicut a prædecessoribus est concessum, in sempiternum concedit. Nullus quoque theloneis exactiones aliquas requirat. *Placuit etiam illud interserere, ut si quid minus reperitur de imperialibus edictis, regalibusque præceptis, vel instrumentis chartarum, per quæ loco prædicto & nobilium filiis res vel prædia legaliter sint collata, quod tum crematione incendiis facti per irruptionem paganorum, seu aliqua negligentia vel nimia vetustate deperisse probatur, nullus contra locum illum ejusque privilegia aliquas repetitiones vel occasiones propter hujusmodi rem movere deinceps præsumat.* Jus quoque mercati & monetæ percutiendæ confirmat, & sigilli sui impressione jubet insigniri. *Signum domni Henrici quarti regis. Winithierius cancellarius vice Luitboldi archicancellarii archiepiscopi recognovit. Data nonas Decembris anno dominicæ incarnationis MLVI. indictione IX. anno autem domni Henrici IV. regis, ordinationis III. regni I. Actum Colonia in Dei nomine feliciter, amen.*

Pag. 582. Fallitur Mabillonius in sepultura Emmæ Cenomannensium vicecomitissæ. neque enim loco citato de obitu & sepultura Emmæ agitur, sed de sepultura Huberti dulcis memoriæ quondam episcopi Andegavensium, cujus Huberti, non Emmæ corpus sepultum est intra monasterium SS. Sergii & Bacchi.

Pag. 592. lin. 23. MCV. legè MCV.

Pag. 617. Hoc anno MLXI. Bernardus filius Richardi vicecomitis de Amiliano & Rixendis ejus uxoris, frater autem Berengarii, Ugonis, Raymundi & Richardi, divino tactus Spiritu militare Deo magis quam sæculo prælegit, vovitque se monachum fieri Massiliensis cœnobii S. Victoris, partemque hereditatis suæ quæ ei ex progenitoribus suis obvenerat, quam divisit cum fratribus suis, dedit prædicto Massiliensi cœnobio, & abbati Durando, & successoribus & monachis eidem loco ferventibus tam præsentibus quam futuris, quadraginta scilicet mansos, tali ratione, ut si frater ejus Ugo sine legali herede moreretur, sexaginta mansi cum meliori censu revertantur ad supradictam suam donationem. *Facta donatio hæc anno incarnationis dominicæ MLXI. indictione XIV. sub die feria IV. regnante Domino nostro Jesu Christo, cujus est regnum & imperium in sæcula sæculorum. Ut autem hoc præceptum perpe-*

Henricus IV. confirmat privilegia & possessiones Prumiensis monasterii. Ampliff. collect. to. 1. p. 443.

Bernardus de Amiliano fit monachus S. Victoris. Ampliff. collect. to. 1. p. 455.

ualiter imprevaricabile maneat, opponimus omnibus male contradicentibus gloriosum & inexpugnabile signum Domini nostri Jesu Christi †. Signum Bernardi qui hanc chartam scripsit & donationem fecit & manibus firmavit. Signum fratrum eius Berengarii, & Ugonis & Raimundi, & Richardi, signum Dagoberti magistri mei Bernardi, qui hoc donum feci, signum Berengarii de Cambolas, signum Nihilforas, S. Bernardi de Favars. Signum matris meae Rixendis videlicet Bernardi, qui hoc donum feci. Hinc quinto post anno factus est abbas S. Victoris. Anno sequenti MLXV. indictione XIV. duo fratres Raynaldus & Rodulfus vitam religiosam in coenobio S. Victoris amplectentes, insigne donum in comitatu Ruthenico in parochia S. Laurentii conferunt.

Donatio ecclesie S. Sigolene facta S. Victorii.
Ampliff. collect. 10. 1. p. 458.

Pag. 632. Cum statutum fuisset in concilio Tolosano quod sub Hugone legato apostolico anno MLVI. celebratum fuit, neminem posse ingredi laicum patriam celestem qui hic contra precepta canonum male invasam possederit ecclesiam: inspirante divina clementia, honorabiles viri Geraldus Amelii, & Vidianus Ermengaudi, quorum in potestate erant quedam ecclesie, una est ubi corpus B. Sigolene requiescit, altera quae in honore B. Petri dedicata fuit, in qua praedicta B. Sigolena cum pluribus virginibus monasticam vitam duxit, quae sunt fundatae in comitatu Albiensi, in loco quem dicunt ad Grava, habito salubri consilio, decreverunt praedictas ecclesias ad priorem statum reparare. Cumque complacuisset ut monachis Deo militantibus traderentur, deliberatum est faciendam esse donationem de praedictis ecclesiis & de omnibus rebus ad easdem ecclesias pertinentibus, monasterio Massiliensi quod est fundatum in honore S. Dei genitricis Mariae & SS. apostolorum Petri & Pauli, & beatissimi Victoris martyris & sociorum ejus. Idque alacriter praestiterunt, dederuntque etiam ubi claustra & officinae construere, cum praedictis ecclesiis in manu Durandi abbatis S. Victoris. Facta charta donationis III. nonas Aprilis anno ab incarnatione Domini MLXII. indictione quarta-decima, regnante Philippo rege. Nos Geraldus Amelii, & Vidianus Ermengaudi, qui istam chartam donationis fieri iussimus & manibus nostris firmavimus, & testes firmare rogamus.

Abbatia Soricini sub iurisdictione S. Victorii.
Ibid. p. 460.

Eodem anno Froterius Nemausensis episcopus & Raymundus vicecomes nepos ejus, excommunicationis sententiam quam Nicolaus papa adversus simoniacam haesim vibraverat pertimescentes, paventesque ne propter ecclesiasticos honores & abbatias haecenus a se male possessas & venditas anathematis periculum incurerent, pro animarum tam suarum quam parentum suorum redemptione & aeterna vitae retributione, monasterium suae ditionis in honorem S. Dei genitricis Virginis Mariae sanctique Benedicti aliorumque sanctorum consecratum, quod vulgo vocatur Soricinum, gratia recuperationis atque studio regulari monastici ordinis donant Durando abbati S. Victoris Massiliensis monasterii & omnibus successoribus ejus ad dominationem & gubernationem & tuitionem, ita ut ipse Durandus & successores mittant Soricinum abbatem suo iudicio dignum, qui secundum institutionem & ordinem monasterii Massiliensis vivat, & monachos sibi subiectos vivere exigat. Quod si ille Soriciniensis abbas a iustitiae tramite devierit, veniat abbas Massiliensis Soricinum, & corrigat & emendet eum. Si vero superbia elatus emendare se noluerit, alium ejus loco digniorem abbas Massiliensis mittat, & negligentem secum reducat. Facta charta nonas Novembris anno ab incarnatione Domini MLXII. regnante Philippo rege, indictione . . . die dominico. Acta publice in capitulo Soriciniensi in praesentia monachorum ipsius loci. Ego Froterius episcopus & Raimundus nepos meus vicecomes, & Guillelmus & Stephanus hanc chartam scribere fecimus & firmamus.

Restitutio & confirmatio quarundam ecclesiarum facta Prumiensi monasterio.
Ampliff. Coll. 10. 1. p. 452.

Pag. 653. Cum Prumiense regeret monasterium Rudpertus abbas, Eberhardum archiepiscopum Treverensem adiit, petiitque restitui & sibi confirmari decimas quarundam ecclesiarum in suo episcopio constitutarum, quae a quibusdam episcopis consecratae erant, etsi jus consecrandi eas nullum habebant. Annuit archiepiscopus, & facta visitatione ecclesiarum, eas iterum consecravit, & praedictas decimas restituit confirmavitque, ea conditione ut per temporum successiones tres ibi pauperes suo nomine nutrentur, & perpetuo in memoria nostri, inquit, communis fratrum ejus loci perseveret oratio, &c. Signum domni Everhardi archiepiscopi qui hanc chartam conscribi iussit. Signum Brunonis chorepiscopi. Signum Rorici chorepiscopi. S. Dietbaldi presbyteri, &c. S. Waldonis advocati. S. Eberhardi comitis. S. Ber-

holdi comitis, &c. Actum Prumiae in domo Salvatoris nostri kalendis Novembris anno dominicae incarnationis MLXIII. indictione I. anno pontificatus domni Everhardi XVII. Data autem est haec charta in decimo kalendas Novembris, & recitata publice in totius sacrae synodi conspectu anno dominicae incarnationis MLXV. indictione tertia, anno pontificatus domni Everardi XIX. Ex hoc loco patet necdum extinctos chor-episcopos, quorum duo subscribunt.

Pag. 656. n. LIII. Evocatus saepe a religioso Annone Colonienfium pontifice, amica veneratione excipiebatur, & apud tantum viram aliquando familiarissime remorari coactus, divinarum scripturarum mutuo relato, quasi in aureo Salomonis reclinatorio, media caritate confratio delectabatur. Cui cum forte inter loquendum familiari jocunditate objiceret, quare quosdam barbaros suae parochiae trans Rhenum commorantes in quadragesima ab ovis & lacte, & caseo, auctoritate pontificali non compefceret, Respondit pontifex, abstinentiam & religionem ecclesiasticam se quidem omnino approbare, attestari, & laudare, differentiam vero ciborum firmis in fide non obesse, cum Dominus in deserto per corvum Eliam paverit, non piscibus, sed carne. Sapius autem id prohibuisse, nec praevaluisse: quod christiani dici paterentur multum se gaudere, ne dum aliqua violentia absterret eosdem barbaros, a christiana fide elongaret. Et quia eidem pontifici tanto erat abbas gratior, quanto apud eum constabat honorandae virtutis locus amplior, numquam ab eo nisi muneratus redibat, quae & dantem & accipientem omnino decebant.

Hist. Andeg. num. 17.

Quadam die cum orationis gratia & amore pontificis Coloniam peteret, mulier graviter infirma in somnis monita, ut mane se in ecclesiam deferri curaret, & de manu abbatis missam celebraturi panem benedictum peteret, seque ejus orationibus sanandam confideret; parentibus languentem deferentibus, & abbati pro ea supplicantibus: abbas non solitus loqui nisi post expletionem psalterii, aversione qua poterat reniti, signis & nutibus hoc non esse suum contestari. Tandem convictus concurrentium lacrymis & precibus, quinque oblatas benedicens in ore languentis misit. Illa statim recepto manducandi usu convaleuit. Abbas vitans humanas laudes citius aufugit, nec ulterius per idem nisi latenter transire voluit.

S. Theodericus abbas Andagienfium mulierem infirmam sanat.
Ibid. n. 18.

Pag. 661. Cum regeret episcopatum Agathense Guntherus praeful, insignis S. Andreae abbatia ad muros Agathenses constructa, in qua trecentos Severus primus abbas monachos aluerat, solitaria relicta erat, tantaque ad angustias redacta, ut vix uni nutriendi monacho sufficeret. Tunc Guntherus episcopus & Pontius abbas Rogerium adierunt comitem, precatique sunt eum ut antiquum in statum restauraretur, locum Durando Massiliensi abbati sancti Victoris monasterii cedendo: consilio Raingardae matris suae & Sibillae uxoris suae, donationem his exprimit verbis. Ego Rodgerius comes pro redemptione animae meae & omnium parentum meorum & propter vitae aeternae premium, praedictam abbatiam S. Andreae dono illam cum omnibus quae ad illam pertinent omnipotenti Deo, & S. Dei genitrici Mariae, sanctoque Victori martyri in monasterio Massiliensi, & domno abbati Durando ejusque successoribus & monachis omnibus ibi Deo servientibus, praesentibus & futuris, ut honorifice habeant & possideant, & servitium Dei & regularem ordinem, juxta quod Dominus possibilitatem illis donaverit, absque illius inquietudine licenter custodiant. Addit episcopus. Ego Guntherus episcopus facti hujus fidelissimus executor, ut omnipotens Deus tribuat mihi veniam delictorum & perducere dignetur ad regna caelorum, omnibus clericis nostris magna congregatione id volentibus, bono animo, libentissima voluntate eidem Domino Deo & S. Dei genitrici semper Virgini Mariae, sanctoque Victori gloriosissimo martyri in monasterio Massiliensi, & domno abbati Durando & omnibus successoribus ejus, & monachis omnibus ibi Deo servientibus praesentibus & futuris dono praescriptam abbatiam S. Andreae, cum omnibus quae ad eam pertinent, salva fidelitate S. Stephani, ut eam honorifice habeant ad servitium Dei, & regularem ordinem, juxta quod eis donaverit, absque illius inquietudine licenter custodiant. Facta donatio haec anno ab incarnatione Domini MLXIV. indictione II. feria V. mense Aprili, luna X. Philippo rege Francorum. Ego Rodgerius comes hanc donationem una cum Guntherio episcopo Agathensi feci & faciens firmavi. Signum Rodgerii comitis & matris meae Raingardae, & uxoris ejus Sibillae, qui hanc chartam scribere iusserunt & manu sua firmaverunt & firmare rogaverunt. Signum Pontii abbatis, qui hanc chartam scribere iussit & manu propria firmavit & firmari rogavit. Bermundus, qui praesentem

Abbatia S. Andreae Agathensis datur S. Victorii.
Ampliff. collect. 10. 1. p. 463.

donationem firmavit, Gontherius episcopus & omnes canonici, &c. firmaverunt.

De Alberone
episcopo Me-
tensi.
Hist. Andag. n.
19.

Pag. 671. post n. XCI. Tunc temporis Theodericus abbas Andagenensis pro ecclesie suae responsis Adalberoni Merensi episcopo se praesentavit, qui ut erat monachorum amator, honorifice eum excipiens, ad prandendum secum coegit. Cum vero inter prandendum deferrentur pitorum primitiae, coepit ea pontifex inanibus attrectare, saepius olfacta super mensam reponere, & quasi sub obtentu cujusdam delectationis tangendo & non gustando se in eis cruciare, cum tamen aliis ea divideret. Abbas qui quid fecerat praesul observaverat, causam facti solus cum solo sedens, humiliter requisivit. Ad haec episcopus suspirans ingemuit, & quia his olim in juventute sua nimis delectatus se peccasse meminisset, respondit secum deliberasse, ut per quae peccasset, per hoc & seipsum abstinendo puniret. Aedificatus abbas exemplo ejus abstinentiae, gratulabatur multotiens apud familiares suos id sibi postea multum profuisse, & ne excederet per illicita, ab ipsis licitis se constanter abstinebat.

AD TOMUM V.

Fundatio cellae
SS. Cosmae &
Damiani prope
Mellentum.
Ampliff. Coll.
to. 1. p. 471.

Pag. 10. Anno MLXVII. fundata est cella sanctorum Cosmae & Damiani prope Mellentum a Columbeni B. Mariae monasterio dioecesis Carnotensis dependens. Cella hujus fundator fuit Hugo comes Mellenti, qui pro salute animae suae, Adalidis conjugis suae, Galeranni comitis patris sui & Odae genitricis suae ecclesiam in honore SS. Cosmae & Damiani in insula, haud procul a Castro Mellenti sitam, Gaurido abbati, cujus studio grandiuscula facta fuerat, concessit: exigens pro compensatione doni ut duae quotidie missae celebrarentur, una in coenobio Columbeni, altera in ecclesia quam contulit. Actum publice Columbis, dum commune bellum ibidem ageretur a Roberto Carnotensi praesule cum Castro Novigento, anno Verbi incarnati MLXVII. indictione v. regnante Philippo rege, anno regni ejus nono.

Pag. 19. insue n. XLVII. Qua de re vide epistolam Bernardi comitis Bisuldunensis ad Bernardum abbatem Massiliensem: qua ad eliminandam ex Rivipullensi monasterio simoniam, orat, ut illud per suos monachos regendum suscipiat. Ampliff. smae Collectionis nostrae tom. 1. pag. 473.

Felixobitus Jo-
hannis Tolosa-
ni.
Ampliff. collect.
to. 1. p. 477.

Circa illud tempus Johannes Tolosanus piissimus S. Victoris monachus felici morte transiit ad superos absente Bernardo abbate, ut discimus ex epistola E. ad ipsum Bernardum, cujus ipsissima verba hic referre juvat. Noveritis carissimum fratrem domnum Johannem Tolosanum immutabili vitae suae abdita ultima felici confessione migrasse a corpore. Post VIII. namque dies, quibus illa qua frequenter decumbebat capitis aegrotavit molestia, visitantes se fratres de regulari ordine, de servanda disciplina, de pia sollicitudine, de majorum institutis custodiendis, ammonere non desistit. Priori autem & alteri fratri seorsum confessus, cum omnia indumenta, quae regulariter habere licet, paucis quibus vestiebatur revertens, eis reddidisset, nec cultellum passus est lecto suo suspendi. Dehinc, sicut petierat, oleo sacro perunctus, data pace omnibus fratribus, priusquam dominicam eucharistiam sumeret, confessus est omnia Dei propriique abbatis praecipua transgressum esse, seque inobedientem & praevicarium & superbum existere; verumtamen de misericordia piissimi domini, qui peccatores venit in hunc mundum salvos facere, numquam desperare, sed in illo totam spem veniae habere, seque ab hac fidei firmitate numquam velle recedere. Tunc nostri omnium generali intercessione absolutus, sancta communione munitus, abhinc nocte altera, quae vigiliarum festi S. Michaelis habebatur, priusquam ad nocturnale surgeremus officium, excitati ad repentinum tabulae sonitum, accurrimus ad illum, quem in cilicio positum & cinere undique aspersum in supremo spiritu invenimus constitutum. Nobisque fletibus & psallentibus, ejusque animam Domino commendantibus, post paululum defunctus ad ecclesiam delatus est, cujus spiritum per gratiam Dei a B. Michaelis susceptum in Abrahae patriarchae gremio non diffidimus collocatum.

Pag. 28. n. LXVIII. Non solum comitatum Flandriae, sed & vitam abstulit; non quidem per se, sed per Gerbaldonem quemdam, ut discimus ex historia Andagenensis monasterii n. XXXIV. in quo & homicidae scelus & poenitentia refertur his verbis: Erat non longe a majore ecclesia fiscus Caviniacus ex patrimonio Richeldis Montensis comitissae, quae viduata Balduino Flandrensium comite, Flandrias amiserat, occiso filio suo Arnulfo a patruo ejus Roberto Frifone per manum cujusdam Gerbaldonis, qui Gerbaldo non multo post confusus conscientia tantae injustitiae & temeritatis,

Ampliff. Coll.
to. 4. p. 492.

tatis, Romam petiit, & manus quibus dominum suum interfecerat, domno papae Gregorio VII. pro poenitentia ejusdem criminis detrunandas obtulit. Gregorius executionem hujus detrunicationis magistro coquorum suorum publice commisit. Educto Gerbaldone ad poenam quam decreverat pati, praedictum ministrum papa revocari praecipit, eique secreto edixit, ut si elevato ferro aliquomodo manibus motis titubaret, continuo eas incideret: si vero constanter persisteret, poenitentiae persistentis, statim retento ictu, parceret. Gerbaldo ad ictum perstitit, statimque incolumem deputatus percussor papae representavit. Laetatus papa sic provenisse, poenitentiam Gerbaldonis, manus quas detrunandas obtulerat, non jam suas, sed Domini esse judicavit, praecipitque ut per dominum Hugonem Cluniacensem abbatem revertens, referret ei omnem rei ordinem, seque ejus consilio crederet. Ille ad abbatem veniens, ejus exhortationibus credidit, & postea eximius sub eo monachus claruit.

Pag. 33. Circa id tempus erecta est cella B. Mariae Tuffiacensis in dioecesi Cenomanensi, subdita monasterio S. Vincentii ab Hamelino Langiaci domino, qui consors sanctorum, & perpetuae retributionis particeps fieri desiderans, transtoriis caelestia semperque manentia acquirere studuit. Quapropter ipse Hamelinus, cum uxore sua Halvifa filia Odonis Dublelli attenta mente perpendentes peccatorum suorum sarcinam, pro salute animarum suarum atque parentum suorum, insuper & pro remedio animae Hugonis Dublelli junioris, filii scilicet Odonis Dublelli, cujus corpus in claustro S. Vincentii sepultum requiescit, una cum consensu & voluntate filii sui Wauterii & filiae suae Hersendis, suique privigni Ilberti, qui fuit filius Pagani, consilio amicorum suorum, hortatu & precatu Ernaldi Cenomanensis episcopi, atque domni Reginaldi abbatis, donaverunt Deo & sancto martyri Vincentio locum B. Mariae vocabulo Tuffiacum jure perpetuo habendum, & nomine cellae possidendum cum omnibus suis appenditiis, &c. Tali videlicet conventionis tenore, ut in eodem Tuffiacensi loco S. Mariae semper Deo assidue sex monachi deserviant, quorum tres sacerdotes sint, ita tamen si loci substantia adeo abundaverit ut ibi vivere possint; quidquid praeter eorum victualia necessaria supererit, ad rectam abbatis S. Vincentii dispositionem secundum Deum tractetur. Donaverunt etiam Deo & B. Vincentio habendam atque perpetuo possidendam ecclesiam S. Mariae de Monte Dublelli, cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, sicut eam canonici solide, quiete & integre eam tenuerunt, &c. & subscribunt. Signum Hamelini. Signum Halvise. Signum Wauterii filii sui. S. Hersendis filiae suae. S. Ilberti privigni sui. S. Matthaei de Monte-Aureo, &c. S. Arnaldi episcopi, &c. S. Reginaldi abbatis. Acta sunt haec auctoritate in urbe Cenomannica in capitulo B. Juliani XIV. kalend. Aprilis tempore Philippi regis Francorum, eo videlicet anno quo Robertus Willelmi regis Anglorum filius comitatum Cenomannensem recuperavit, &c. Post aliquot annos erectionem Tuffiaci confirmavit Hugo de Feritate.

Erectio cellae
Tuffiacensis.
Ampliff. Coll.
to. 1. p. 482.

Pag. 33. Hic juvat aliquid proferre de Godefrido Bullonii duce, de extremo ejus morbo, poenitentia & morte: quod ut dignius exsequar, ipsissima hic verba historiae Andagenensis apponam. Dux Godefridus in Italia infirmatus, & exinde Bullonium revertens, cum desperaret vitae suae, missis ad abbatem Theodericum legatis, satis humiliter ut se visitaret expetiit; neque enim processus erat de monasterio facilis, maxime vero gratia alicujus personae secularis. Tandem ad eum ingressus, cum tanta prius potestatis virum ita videret affectum, elevatis oculis ad Deum: Tu, inquit, humiliasti sicut vulneratum superbum. Dux ad verbum abbatis compunctus, Pater, ait, carissime, nihil verius. Et erumpens in lacrymas, vix praesingultibus conatus eloqui, puram confessionem pro expectatione mortis, Deo coram abbate reddidit, eaque reddita, gladium suum deferri iussit, quem assistenti filio suo Godefrido, continuato gemitu poenitentiae, abbati reddendum praesentavit, eumque sibi testem futurum in iudicio Dei pro abrenuntiatione militiae secularis satis humiliter, magis vero dolenter inclamavit. Quantas autem lacrymas ab oculis circumstantium excussit tanti doloris spectaculum, pensandum potius censuimus, quam referendum. Cujus enim cor non emolliet, cujus vel inhumanos affectus non inclinaret poenitentia tam devota, tamque humilis illius quondam nominatissimi Urbis patricii, & praefecti Anconitani, & Pisani marchionis, & totius interjacentis Tusciae & Italiae dominatoris, invictique Virdu-nensium comitis & Lotharingiae ducis Henrici, etiam imperatoris per tot annos acer-rimi impugnatoris? Nec multo post ad ecclesiam S. Petri trans pontem sitam iussit se

De Godefrido
Bullonii duce.
Hist. Andag. n.
32.

transportari, prosequentibus eum abbate Theoderico, & Gonzone Florinensi & Herimundo Viridunensi, filioque Godefrido cum optimatibus suis. Ibi sibi deferri iussit capsam eburneam, quæ fuerat Bonifacii marchionis, plenam pretiosis sanctorum reliquiis, inter quas eminebat portio magna dominicæ Crucis, & Gestatorium papæ Johannis. Ea accepta in manibus coram altare S. Petri, sine alicujus sustentatione in pedes libere constitit, & prædictam capsam tenens recensuit ex ordine, videlicet ex edicto Alexandri papæ separatam se esse a marchisa Beatrice, & pro ejusdem separationis conditione struendum congregationem monachorum de communibus possessionibus utrimque Deo devovisse, easdem quoque possessiones amborum consensu denominatas prædictum papam auctoritatis suæ privilegio confirmasse, quocumque sibi placeret illas addicere: & quia prægravatus infirmitate, id per se ipsum exsequi non posset, orare Theodericum abbatem ut hujus sui voti curam exsequendam pro se susciperet. . . . abbas respondit duci, quod rogabatur se exsequi non posse, alium potius quaereret, quem votis suis procurandis substitueret. Nec latuit ducem quod abbas timeret, & in clamato filio, cum amaritudine objecit ei cur tam impudenter erga se violaret jura naturæ, cur adeo prodidisset se degenerasse, ut salutem paternam deficeret in hac suprema necessitate; non debere eum prædam facere sceleris sui pauca quæ destinabat redemptioni animæ suæ, cum ei plurima relinqueret parata suo labore. Respondente filio in nullo se defuturum ejus voluntati, Accede, inquit pater, & da osculum mihi in conditione servandæ hujus tuæ fidei & promissionis, interpositio testamento vitæ tuæ & honoris. Sic abbas iterum iterumque reclamatus ab utroque, cum veram esse crederet, quam viderat inter patrem & filium pactam sponsonem, jam non dubitavit vel in clamantibus adesse, ne videretur fructum penitentiae peccatoris de se confidentis, quantum in se esset aliquo modo defraudasse, & propius accedenti, carissime pater, dux inquit, hanc capsam, & ei porrexit illam, committo tibi hujus meæ devotionis curam, ut in salutem animæ meæ pro posse tuo exsequaris eam. Ad filium autem: Tibi, inquit, edico in fide debita & promissa patri, adjutorium, cooperationem & defensionem hujus executionis, secundum ammonitionem hujus abbatis, dextramque ejus astrictam implicuit dextræ filii, presentem hanc ecclesiam S. Petri apostoli, quæ mei patrimonii est, delecto in perpetuum constituendis in ea monachis, matremque ejus Salthiacum-rivum confirmo eorum ditioni, exclusis omnino hactenus tenentibus eam clericis. Præter possessiones vero quas huic meæ devotioni privilegio & auctoritate Alexandri papæ confirmavi, ex consensu conjugis meæ Beatricis, tuo quoque, mi carissime filii, & sponsæ tuæ Mathildis in auro, argento, variisque ornamentis censum mille librarum rerum mearum mobilium aggregavi, quæ vestræ committo fidei, ut hujus ecclesiæ proficiant utilitati. Hæc autem a patre condita, & a filio laudata, abbas, ut erat simplex & rectus, credidit esse rata, omnique dilatione remota, collocavit ibidem deservire Deo satis honestas personas majoris suæ ecclesiæ, scilicet Alfridum custodem, Lambertum majorem, Liebertum postea sub se ejus loci præpositum, Arnulsum capellanum. Quorum religioso & honesto conventu dux adeo consolabatur, ut licet infirmitate sua semper increcente gravaretur, auditis campanis quibus horæ canonicæ monachico ritu significabantur ejusdem infirmitatis quasi oblitus, quadam mentis hilaritate recrearetur. Interea cum vitæ suæ funditus diffideret, Viridunum se devehendum statuit, ubi olim se condixerat sepeliri, gratia satisfactionis, ex quo eandem civitatem succenderat in contumelia Henrici imperatoris. Præfixa autem die suæ hujus evectiois, fecit se primum deferri ad ecclesiam B. Petri, ubi se commendans ejus patrocinii, simulque abbati & fratribus, ultimum vale faciens cum lacrymis, iussit sibi prandium in domo bannalis furni parari. quo delectus, prosequentibus eum abbate & filio, multisque ex optimatibus suis, cum electo a se loco coram furno deponeretur, Hujus, inquit, officinæ semper procurator esse debuissim, si mihi propitia divinitas tot mala quæ gessi parcere voluisset. quo cum refecisset, convenientibus ad se mendicis, ex quo enim cæperat infirmari, nullos convivas nisi pauperes habere voluit, ipsam bannalem officinam furni legati donatione B. Petro tradidit, ut in perpetuum deserviret monachorum utilitati, licet hoc frustra, sicut & alia omnia pæne fecerit. Nam ab abbate ut destinaverat Viridunum deductus, cum adhuc vivens ibidem moraretur, quæcumque promiserat ei mentitus est filius, & in damnum vitæ suæ & honoris oblitus est misericordiæ & veritatis. Factus enim jam potens hereditatis paternæ, dissimulavit meminisse quod se præsentis & laudante deputaverat pater redemptioni animæ suæ. Suggerebatur ei a quibusdam suorum,

revera infidelium, quasi ad gratiam non debere eum perdere militum suorum amicitiam, in manu eorum suam constare valentiam, defecisse patrem suum a sensu proprio in extremis, consuleret potius rebus suis, quam illius obtemperaret deliramentis. Sic deductus a sententia servandæ pietatis, de disponenda elemosyna patris, interpellantem se abbatem callide suspendit, quamdiu quidem supervixit. Supervixit vero fere per mensem. Viriduni XIII. kalendas Januarii terribiliter cælum intonuit, & in crastinum vita decessit.

Hæc prolixiora forte videbuntur, sed ita præclara ut vel unum eorum apicem præterire religio fuerit. Verum voti paterni violator filius id non impune tulit, sed mox divinæ ultionis poenas expertus est. nam Mathildis filia Bonifacii marchionis uxor ejus, eo prorsus derelicto reversa est in Langobardiam, nec ullis eam precibus potuit emollire aut ei reditum persuadere: capsam eburneam abbati violenter abstulit & Mathildi retulit; sed nec sic apud eam maritalæ gratiam obtinuit, spretusque ab ea & inactus ab Italia in Lotharingiam rediit.

Jam vero cum de Godefrido desperaret Theodericus abbas, ut erat Herimanno Metensium episcopo amicissimus, disposuit cum eo Romam ire, ut de rerum eventu papam consuleret, & de eisdem inter eundem ageret cum Beatrice marchisa. Cum vero Pisas pervenissent, a matre & filia multo cum honore suscepti sunt. Aderant tunc septem episcopi ad paschalia officia parati. His omnibus postpositis, celebritas missarum dominicæ resurrectionis oblata est agenda Herimanno Metensium episcopo. Celebrante autem eo cum maxima pompa & concursu nobilium, abbas quodam in angulo se absconderat, operito capite, satis humiliter vacans psalmodiæ cum Lamberto majore & minore. Tunc Mathildis circumpiciens deprehendit abbatem latere laborantem, & nihil glorias tam festivæ ostentationis curantem. Assisteat ei in decantandis psalmis Anselmus post Alexandrum papam Lucensis episcopus ordinatus; hunc ad abbatem misit, & ut superius ascenderet mandavit. Et cum obedienti sedes deesset, Mathildis assurgens ei suam ut erat parata transmisit, mirantibus cunctis quæ esset persona tanta apud eam dignitatis. Discessurus in crastinum, cum ei inter familiaritatis colloquia deceptum se esse a Godefrido de elemosyna patris diceret; illa super his consulendum Gregorium papam respondit, deditque ei ad apostolicum litteras, ut cum favore exciperetur. Romam veniens, Mathildis litteras papæ præsentavit, gratanter ab eo susceptus. Per septem autem dies in Urbe demoratus, cognita ejus vitæ probitate, adeo factus est papa dilectus, ut die quadam ab hora prima in sacra capella quæ dicitur ad sanctum Laurentium, ubi cum sandaliis dominicis, retinentur capita apostolorum Petri & Pauli, pariter soli confidentes, amica vicissitudine divinis eloquiis intendentes, eo usque nocte superveniente, armatus Urbis præfectus, papa jubente, ad hospitium suum abbatem cum suis reduceret. Privilegium pro suo monasterio abbati petenti non solum concessit, sed & ipse dicitur: præterea duas ad Annonem archiepiscopum Coloniensem & Leodiensem episcopum litteras dedit, ut Godefridum ad hoc quod patri morituro condixerat exsolvendum vel consilio inclinarent, vel ecclésiastico ministerio inobedientem compellerent. Reversus abbas per Mathildem, illa nolentem aliquamdiu apud se retinuit, & casula una alba, quæ fuerat domni papæ Leonis IX. subdiaconali quoque papæ Stephani, qui dictus olim Fridericus frater fuerat ducis Godefridi majoris a se digredientem honoravit. Nec tantum illa vice gratia curiæ illius ecclesiæ nostræ profuit, inquit chronographus Andaginenis, sed & tempore Alexandri II. cum idem abbas Roma rediens diverteret ad matrem & filiam apud Fraxinutum, quo construxerant monasterium monachorum in Alpibus Apeninibus, per septem dies detentus, ibi quotidie pallio uno muneratus est ab eis. In die vero digressionis data est capsula eburnea reliquiis Claudii martyris pretiosa, quam secum revebens in vigilia solemnitate S. Huberti cum honesta processione responsorium Cives apostolorum decantante, ecclesiæ intulit. Et ex tunc in eadem die cum commemoratione Benigni martyris Divionensis, Claudii quoque celebritatem agendam communi assensu congregationis instituit.

Pag. 77. Cum Godefridus dux a Colonienfi & Leodiensi præfulibus ex mandato papæ monitus esset, ut promissam patri exsolveret fidem, illeque nec monentes, nec arguentes audire curaret, accidit ut dominus Herimannus Metensis episcopus, inquit historia Andaginenfis, ad eum Bullonium veniret. Erat autem dominici adventus dominica secunda, & ut suum est ejus temporis inhorruerat hyems asperissima, Hij. Andag. n. 38.
Annal. Bened. Tom. VI. H h h h ij

exceptus a duce ut decebat tantum pontificem, cum post cenam in lecto ducis pausaret, duce altrimsecus in eadem camera quiescente, primo gallicinio apud S. Petrum surrexerunt ad vigilias fratres, Theoderico abbate tunc cum eis ibi demorante. Miratus episcopus ea tali hora se campanas audire, interrogavit duces quo vel ad quid sonarent. Respondit dux fratres apud S. Petrum ad vigilias surgere, eosque de elemosyna patris sui ibidem locatos consistere. Ad hac episcopus ingemiscens, o inquit nos infelices, quos in tantis deliciis quiescentes Deo condemnant tales vigilie. Felices e contra, quos nec torpor media noctis, nec horror hujus asperissima hyemis reprimat a laudibus omnium creatoris Dei. Tu quoque infeliciores infelicitissimis, quem necdum emolliunt vel timor Dei, vel amor patris, qui elemosynam ejus defraudaveris, & fratribus tam devotis adhuc eam detraheris! Ad hoc Godefridus compunctus in lacrymas erumpens, & gratias agens rationabili ejus castigationi, quidquid ex hoc neglexerat, emendaturum amodo promisit. Et statim pro his quae abbati subduxerat, Bellam-vallem ad usum fratrum ei deposuit, & ecclesiam Montis-Madiensis cum tribus mansis terrae B. Petro in perpetuum possidendam legaliter tradidit.

Pag. 154. Etsi flagranti Gregorii VII. studio in extirpandis ab ecclesia simoniacis, presbyteris conjugatis & laicorum investituris succenserent Henriciani, passim eum dicerent, probris, calumniis & libellis famosis dilanantes: affulgebat illis nihil minus radius veritatis, sinceram summi pontificis viri integerrimi laudes demonstrans. Testis est Theoderici episcopi Virdunensis, acerrimi ejus adversarii epistola ad Hildebrandum, cujus hic verba non possum hic non referre. *Nos autem ea quae in vestram finguntur personam primum propulsatur, de vobis vel a fidelibus audita, vel a nobis ipsis comperta, eis in medium deduximus: pueritiam vestram non absque aliquibus signis, quae vos procul dubio illustrem futurum pertenderent, si quis in loco sancto a religiosis personis diligenter excultam adolescentiam vestram, assumpto pietatis proposito, sub sanctitatis habitu inter mundi contemptores, non sine magnis perfectionis indicibus, militia christiana dedicatam: juventutem vestram, sicut aetate, ita & sana doctrina & firmamento veritatis roboratam, sub praclaris totius nominis christiani tutoribus & praesulibus publicis sanctae ecclesiae utilitatibus insudasse, ob singularem excellentis ingenii prerogativam in matris ecclesiae archidiaconatum promotum, strenua & laudabili officii hujus administratione in totius orbis notitiam & dilectionem brevi pervenisse ad summum christiani nominis culmen; decedentibus patribus saepe electum & accitum, semper quidem animi aliquando etiam corporis fuga dignitatis locum declinasse; ad ultimum divinitate in electi sui electione vel exaltatione communem servorum suorum devotionem & assensum incitante, ad perferendum quod abhorrebat jugum mansuetum animal domino suo cervicem subdidisse. Ibi in justitia & sanctitate miro modo & paucis noto, assiduis votis pro se & grege suo excubantem, juxta quod boni & fide digni homines attestantur, non parvam in oculis Dei beatae familiaritatis gratiam assecutum esse: urgente pastoralis officii necessitate, distorta per-versorum corda ad rectitudinis lineam summa vi corrigere nitentem, absque persona acceptione veritatem omnibus palam facere, hac faciendo bonorum omnium dilectionem & operam meruisse. Sed quia nulla est societas luci ad tenebras, & perditionum hominum odium & detractionem, immo execrationem acerrimam usque ad mortis damnationem incurrisse: Pontificem tamen in omnibus inconcussam, immotum viam regiam quam semel intravit per arma justitiae, a dextris & a sinistris arguendo, obsecrando, increpando fortiter adhuc incedere. Haec sunt quae de vobis comperimus & sentimus, haec de vobis credimus propter quod & loquimur.* Praeclara sane Gregorii laus in ore schismatici, & eo sincerior quo ab infensissimo adversario prolata. Nullus enim hactenus scripserat Gregorium multoties etiam fuga corporis summum pontificatum declinasse.

Pag. 154. Tunc temporis vigeat in Andaginenfi S. Huberti monasterio regularis disciplina, fratrumque religio sic demulcebat episcopos, ut eorum passim benefacta sibi attraheret. Hinc Manasse Remensis archiepiscopus, ne videretur gratiae Dei ingratus, qui filius ecclesiae suae elegit cura praesse, & ut cum venerit, inveniat profuisse, petente sancto ac venerabili abbate Theoderico ecclesiae S. Huberti, altare S. Hilarii, quod est in Guilleis & altare de Noviant tradidit Andaginenfi monasterio, assensu clericorum ecclesiae Remensis, ea determinata conditione, ut in exactione debita subjectionis, decem & octo denarios omni anno persolvant ecclesiae Remensi, remissis & omnino interdictis omnibus oppressionibus & injustitiis, quae vel pravo usu, vel etiam injusto consensu exercentur in multis. Ejusdem quoque abbatis precatu, de reditu

Gregorii VII.
elogium per
schismaticum.
Anecd. to. I. p.
215.

Episcoporum
beneficia erga
S. Hubertum.

hujus nostrae elemosynae, inquit, quinque solidos statuimus ad refectorem B. Huberti matris ecclesiae fratribus dandos, videlicet in die nostra benedictionis, quamdiu vixerimus, & post in anniversario cum discesserimus, &c. Acta Mosomi anno dominica incarnationis MLXXXIX indictione II. jubente & pontificante domno Manasse Remorum archiepiscopo anno archiepiscopatus sui decimo, regnante Philippo rege Francorum anno regni ejus vicesimo. Godefridus cancellarius scripsit & subscripsit.

Manassis donationem ratam habuit Rainoldus Remensis archiepiscopus anno MLXXXVI. ad petitionem Theoderici abbatis, ne forte Manassis donatio ob depositionem ejus in concilio Lugdunensi, vacillaret. Quid depositus deinceps egerit, docet historia Andaginenfis monasterii num. xxiv. his verbis: *Contigit autem non multo post, ut Aelaidis uxor Arnulfi, soror autem Ebali Rocciensis, defuncta, in introitu ecclesiae versus claustrum sepeliretur. Manasses quoque frater ejusdem Arnulfi, divino flagello compellente, monachus effectus est, & post infra mensem mortuus ibidem apponeretur.*

Eodem anno Henricus episcopus Leodiensis Andaginenfi abbatiae in plena synodo asseruit decimas Wauveraliae & Veterinae, quas a tempore Walcandi pontificis per annos ducentos septuaginta quatuor pacifice possederat, sed tempore Deoduini praesulis quidam Godefridus praepositus S. Petri Leodiensis eas sibi usurpaverat. Actum publice anno dominica incarnationis MLXXXIX. indictione II. episcopatus autem domni Henrici quinto.

Tribus vero post annis, anno videlicet MLXXXII. Helinandus Laudunensis antistes, ante tribunal superni judicis omnino vacuus metuens apparere, vel manipulum ad aream dominicae messis studuit reportare. Vir namque strenuus Theodericus abbas Andaginenfis S. Huberti, intra suae fines dioeceseos apud villam Ebernei-curtium S. Dei genitricis ecclesiam adorfuls construere, & ex parvula multo ampliore restituere, fratres etiam sub regulari disciplina militaturos affectans ordinare, expetiit ab Helinando quaedam altaria sibi dari, unde res publica ibi deserviens posset augmentari. In suo vero diplomate altaria quatuor cum quibusdam capellis enumerat, in quibus statuit ut sui quotidie memoria apud S. Hubertum in orationibus fiat, & post mortem suam celebretur anniversarium, &c. Actum Lauduni idus Octobris anno dominica incarnationis MLXXXII. indictione IV. epacta XVIII. concurrente III. Ego Robertus S. Mariae cancellarius subscripsi & relegi.

Pag. 171. Tantam sub primis abbatibus famam sibi comparaverat Fiscannenfe S. Trinitatis monasterium, ut etiam episcopi contenta in suis dioeceseos monasteria illi subicere ambirent. Ita anno MLXXX. Humbertus Tervanensis episcopus domum antecessoris sui Drogonis quod Fiscannenfi abbatiae dederat, concedit & confirmat, & iterum donat, hoc est sancti Johannis ecclesiam prope muros civitatis Tervanensis sitam, in monte qui dicitur S. Fidei, & quidquid addidi & addam, inquit Hubertus, *Facio autem hanc concessionem, patrocinante ipsi SS. Trinitatis ecclesiae domno Willelmo abbate tertio, regnante Francorum rege Philippo, & Anglorum & Normannorum duce gloriosissimo Willelmo.* Additque, *Hoc autem facio, quatenus Tervanensis & Fiscannenfi ecclesiae orationibus conjungantur, & in vita mea meo adjutorio & consilio S. Johannis ecclesiae tractetur per omnia, secundum dispositionem abbatis Fiscannenfi nunc & in perpetuum.* Actum Fiscanni in capitulo anno ab incarnatione Domini MLXXX. epacta XXVI. indictione III. Testes Gunduinus, Wefmannus, Bonecaufe. Signum Huberti Tervanensis episcopi.

Pag. 190. Circa id tempus quidam servus Dei, Arbettus nomine, peregrinus, dominicae jussioni obediens, patriam parentisque pro ejus amore derelinquens, ad virum illustrem vicecomitem Ottonem de Leomania ex Alemannia partibus accessit, & sicut a divina voce sibi imperatum fuerat, locum ab eo solitarium expetiit, ubi separatus a cunctis mortalibus, libere Deo deserviret: qui infra terminos Leomaniae, in territorio de Feumarco, in saltu quem vocant *la Romeu* locum libere concessit. Dei autem ordinante misericordia, infra biennium ob meritum Arbetti, ad tantam propalationem idem locus devenit, ut jam fere centum mansiones continere videretur. Quod cernens Dei servus, divino tactus consilio & Ottonis vicecomitis persuasus imperio, providens in futurum ut sibi melius esset consultum, obtulit semetipsum Deo & S. Victori ejusque monasterio Massiliensi in potestate Richardi cardinalis abbatis & Girberti prioris ejusdem monasterii, & de-

H h h iij

Ampliff. collect.
tom. 4. p. 930.

Fiscanno sub-
jecta abbatia S.
Johannis Tervanensis.
Anecd. to. I. p.
214.

Donatio facta
S. Victori.
Ampliff. collect.
to. I. p. 514.

dit ei totum honorem quem sibi vicecomes tradiderat, cum illis omnibus quæ ab Aynardo & Agasia & ab aliis impetraverat, & insuper mobile & immobile, & quidquid ipse aut aliquis per eum acquisierat ibi. *Quem videlicet honorem*, inquit, *nos jam dicti donatores cum sua voluntate ad proprium alodem Deo & S. Victori & jam dicto monasterio & monachis simul donamus, concedimus, laudamus, & confirmamus, & de nostra & nostrorum tam natorum quam nascendorum potestate in eorum ditione transfundimus, ut in perpetuum ibi habeant monachi liberam potestatem edificandi & faciendi quodcumque voluerint ad Dei servitium, &c. Hac autem omnia supradicta jam nominati, Arbertus scilicet, & Otto vicecomes de Leomania, & Adelaidis comitissa & omnes alii donatores, sic totum supradictum donamus honorem ab integro, quantum ibi habemus, & habere debemus, Deo & jam dicto monasterio & monachis Massiliensibus tam presentibus quam futuris, sine aliquo retinemento, vel malo ingenio, &c. Facta charta hujus donationis v. kalendas Junii, anno MLXXXII. incarnationis Domini. Signum Arberti peregrini. Signum Ottonis de Leomania illustris vicecomitis. Signum Adelaidis comitissæ conjugis ejus, qui chartam donationis scribi fecimus & firmavimus & testes firmare rogavimus.*

Restitutio facta
S. Maximino.
Ampliff. collect.
no. 1. p. 516.

Pag. 210. Anno MLXXXIV. Henricus III. imperator pro remedio animæ suæ, parentumque suorum Conradi avi sui, Henrici patris sui, imperatorum, Gisellæ aviæ suæ & Agnetis matris suæ imperatricum, quoddam prædium nomine *Guntershusen* situm in pago *Drehere*, in comitatu *Bern*, cum omnibus appenditiis, & aliis arcis, villis, in quocumque comitatu jacentibus ad abbatiam quæ vocatur *S. Maximini*, cui injuste ablatus fuerat, reddidit, confirmavit & stabilivit, ea ratione ut Henricus ejus monasterii abbas sui que successores idem prædictum prædium ad usum fratrum ibidem Deo sanctoque Maximino servitium possideant, & nulli unquam ullo modo dare, præstare vel vendere præsumant. Cujus rei testem chartam conscribi & sua manu corroboratam sigilli sui impressione jussit insigniri. *Signum Henrici III. Romanorum imperatoris Augusti. Gebhardus episcopus cancellarius vice Wehelonis archiepiscopi & archicancellarii recognovi.* Data IV. nonas Octobris indictione VII. anno dominicæ incarnationis MLXXXIV. anno autem domni Henrici III. Romanorum imperatoris Augusti regni xxx. imperii I. Actum Moguntia in Christi nomine feliciter.

Reformatio
monasterii S.
Petri Bisuldunensis.
Ampliff. collect.
no. 1. p. 505.

Pag. 229. n. VI. Eodem anno per monachos Massilienses reformatur Bisuldunense S. Petri monasterium, situm in castro Bisuldunensi, juxta aquam Fluviani, in diocesi Gerundensi; quod quidem Bernardus comes videns a religione & ordine monastico destitutum, & Deo parvum aut nullum exhibere servitium, Massiliensibus S. Mariæ & S. Victoris martyris jam pridem tradiderat restaurandum: atque *illis per Dei gratiam in prædicto cœnobio fideliter laborantibus, & ad justitiam cultum fructumque pietatis eundem locum S. Petri perducentibus*, iterum pro salute animæ suæ prædictum ex integro monasterium abbati & monachis S. Victoris placuit conferre & confirmare. *Unde, inquit, ego Bernardus comes dono, trado, concedo, exhibeo, relinquo, & dimitto pro salute mea & parentum meorum, Deo & S. Mariæ & S. Victori martyri & tibi Richarde abbas Massiliensis, & omnibus successoribus tuis abbatibus Massiliensibus monachisque presentibus & futuris ex toto omnino monasterium S. Petri apostoli Bisuldunensis, quod est in episcopatu Girundensi, & in comitatu Bisuldunensi, ut habeatis & possideatis in perpetuum, & omnem ordinationem tam abbatum quam monachorum secundum regulam S. Benedicti & constitutiones Massiliensis monasterii ibi faciatis. Habeas ergo tu tuique successores vel monachi Massilienses licentiam mittendi ibi quos volueritis monachos, & auferendi, & ordinandi prædictum monasterium prout vobis visum fuerit, sine impedimento mei vel successorum meorum comitum vel alicujus persone, &c. Facta est autem hæc charta vel donum anno ab incarnato Filio Dei MLXXX. indictione III. epacta XXVI. mense Augusto, IV. idus ejusdem mensis. Signum Bernardi Bisuldunensis comitis, &c. Data per manum Beraldi Massiliensis monachi, regnante Domino nostro Jesu Christo.* Eodem die & anno prædictus comes Bernardus dedit S. Victori Balneolense S. Stephani monasterium.

Prædia de
Braz & de Gru-
pont data S.
Huberto.
Ampliff. Coll.
no. 1. p. 517.

Pag. 243. Henricus episcopus Leodiensis, probata honesta conversatione fratrum ecclesiæ S. Petri & beati Huberti in Arduenna, tractus tam ejusdem religionis amore, quam & ipsius loci solitudine, coepit eis familiariter cohabitare. Ordinata vero mensa prædictorum fratrum a Theoderico religioso abbate, pro ejus-

dem loci possibilitate, cum didicisset & indoluisset eis cœnam deesse, allodium *Braz* de suo proprio reddito euntum a Montenti comitissa Richilde, filii ejus Balduini consensu & laude, destinavit eis delegandum & perpetualiter habendum ad augmentum cœnæ. Cumque egisset ibidem dominici natalis solemnitatem, primo die procedens ad majus altare ipsius ecclesiæ S. Petri, in solemni præsentia clericorum pastorem virgam eidem superposuit, confirmans Deo & S. Huberto per manus Godefridi ducis & ejusdem ecclesiæ advocati legalem donationem præfati allodii, cum familia & omnibus utilitatibus & appenditiis, &c. Hoc dono facto & confirmato anno incarnati Verbi MLXXXII. ordinationis suæ VIII. Ea conditione ut quoad viveret memoria ejus in omnibus mensium kalendis fieret, & post mortem tam pro se quam pro omnibus defunctis. *Procedente autem tempore anno MLXXXVII. suggerente Spiritu sancto allodium de Grupont eidem ecclesiæ legaliter in perpetuum habendum tradidit, &c. Ut autem hæc publica donatio permaneat legaliter, privilegii paginam sub testibus sigilli sui impressione confirmavit. Signum Godefridi ducis. Signum Alberti comitis. S. Henrici fratris ejus. S. Canonis comitis. S. Widonis fratris ejus. S. Hugonis de Bullon. S. Thiebaldi advocati. S. Rodulfi filii ejus.* Anno præcedenti scilicet MLXXXVI. Rainaldus archiepiscopus Remensis ad precem Theoderici II. abbatis confirmavit altaria quæ dederat olim Manasses archiepiscopus depositus, & alia tradidit S. Huberto.

Hist. Andag.
num. 68.

Pag. 248. Enarratis iis quæ de obitu S. Theoderici Andaginenis monasterii abbatis dicenda videbantur, juvat hic de successoris ejus electione aliquid dicere, eamque ipsissimis historiæ Andaginenis verbis repræsentare. Eodem scilicet sancto Theoderico sepulto, episcopus obtulit fratribus eligendi abbatibus optionem, *protestatus inde nolle recedere, nisi eis loco defuncti ordinaret patrem. Convenit in unam sententiam & fratrum electio, & curialium attestatio, popularis acclamatio, donandam eandem abbatiam Theoderico præposito: quod licet ille videretur reniti, seque fateretur non convenire tantæ assumptioni, adeo increvit semel emotus omnium clamor, ut de re agenda nec ipsi liceret retractare episcopo. Jamque donata abbatia quassans caput, cum præ admiratione familiaribus suis enuntiaret tanti favoris clamorem timere se in posterum alicujus sinistri portenti fore. Sed neque ejus hanc enuntiationem eventus sefellit, & ut suo loco dicitur, per accessum temporis, quod verebatur accidit. Theodericus vero recedente episcopo persecutus, & ab eo ex more in abbatem consecratus, in kalendis Septembris exceptus est a fratribus lætanter illi procedentibus. Quia ergo, ut ait quidam, difficile imperium retinetur, nisi eisdem artibus, quibus & paratur, ipse adhuc rudis curæ pastoralis, utpote eo tenus assuetus prudentiæ exteriori, recordatus tandem quis fuerit, quisve ex assumto officio cogere jam fieri, invenit se nimis impari imposti sibi oneris. Et qui videbatur prius quasi in plano firmiter stare, in præcipiti jam pede posito capit apud se graviter titubare. Impos ergo suimet, vestigia sui prædecessoris, licet utcumque conaretur prosequi, nullo modo tamen prævaluit assequi.*

Ampliff. collect.
no. 4. p. 566.

Circa idem tempus vir nobilis Sigefridus cum uxore sua condixere sibi gratia orationis invisere ecclesiam B. Huberti; qui ab abbate honorifice suscepti ab eoque per triduum retenti, pro impensa sibi benevolentia inducti, allodium de Meroldi-Heis quod suum erat ecclesiæ obtulerunt, partim gratis donandum, partim ab eis emendum. Gavissus abbas se invenisse opportunitatem hujus acquisitionis, XIX. marcas argenti viro & uxori ejus antequam recederent appendit, & prædictam possessionem cum familia & omnibus appenditiis ecclesiæ in perpetuum legaliter donatam obtinuit.

Theodericus
abbas acquirit
allodium Me-
roldi-Heis.
Hist. Andag.
monast. n. 70.

Rogerus Macericensis, vivente adhuc S. Theoderico abbate, assensu filii sui Godefridi donavit S. Huberto quidquid habebat in Chenugio pro habenda apud eum sepultura, & consequendo animæ suæ remedio. Post quadriennium hujus donationis Rogero jam defuncto, & ut petierat sepulto, Radulfus abbas Mosomensis reclamavit, dicens promissam sibi ante hanc donationem, causamque ad Raynoldum Remensem archiepiscopum detulit, qui rem dijudicandam commisit ad concilium Sueffionense, quod celebratum opinor anno MXXII. adversus Roscelini errores.

Rogerus Ma-
cericensis sepul-
tus apud S. Hu-
bertum.
Hist. Andag. n.
76.

Pag. 249. Incunte anno MLXXXVIII. Urbanus II. thronum apostolicum ascendit quarto idus Martii: die autem insequenti, missis ad universos catholicos litteris, suam electionem & ordinationem significavit. Has litteras, quas frustra desidera-

scopum ordinandum Burchardum præpositum Trevirensem, qui sine consensu Henrici regis in civitate susceptus, cum a Trevirensi pontifice benedici vitaret, eo quod ille Wiherto, ipse vero Urbano consentiret, evocavit ad se consecrandum Hugonem archiepiscopum Lugdunensium & legatum Romanæ ecclesiæ. Hugo ut erat devotus catholicæ fidei, Mediomatricum intrepidus accessit quinque comitatus episcopis, Constantiensi, Matiscronensi, Lingonensi, Tullensi, Viridunensi, Jarentone quoque abbate Divionensi, eumque consecravit.

Pag. 284. n. XII. De Henrici Leodiensis præsulis obitu, deque Otherto ejus successore, juvat hic referre quod scribit auctor Andaginenfis historia, vir gravis & & coævus. Anno Verbi incarnati MXCI. suæ vero ordinationis XVI. dominus Henricus hominem exiit in damnam gloriæ Leodiensis, & magno dispendio nostræ, quam specilius colebat, solitudinis: cuius vix audita morte, Othertus sine electione ecclesiastica de manu regis extorsit episcopatum cum maximis pactis præmiis. Contulerant se ad eundem principem duo quondam pseudo-abbates Guolboldo S. Laurentii & Leuppo S. Trudonis, quos convictos & excommunicatos, criminibus probatis, dominus Henricus ab episcopo Leodiensi expulerat. Hi audita ejus morte, inducti in spem recuperandi honoris, & ipsi pacti sunt pecuniam principi, Othertus quoque restitutionem eorum ad gratiam ejus juravit, illos quoque secum Leodium deduxit. Dissimulavit tamen interim quæ intenderet agere, donec consecratus Colonia fidentior esset in malignitate exercenda. In eadem autem die reversionis suæ mandavit Beringero abbati, ut sine dilatione ab ecclesia S. Laurentii discederet, & Guolbodoni abbatiam libere habendam relinqueret. Beringerus ne irrationabiliter culparetur abjecisse ecclesiam, quam legaliter susceperat regendam, in crastinum Otherto se præsentavit, causatus publice coram melioribus civitatis, nimis injuste se prægravari, sine judicio justitiam violenter opprimi, divinam quidem vel dispositionem, vel permissionem placere sibi, velle tamen ab eis censeret, si sic mereretur tractari. Succlamantibus quibusque & hoc nimis injuriosum esse, nec tale quid illum pati debere; respondit Othertus idipsum se bene recognoscere, sed præceptum domini sui non esse prætereundum sibi, quod hoc justum sive injustum illi juraverat exequendum. Ad hæc Beringerus constantior, sine magno dolore, inquit, relinquitur, quod non cum magno amore possidetur. Sic digrediens tulit secum baculum pastoralem, attestantibus quibusque, ipso etiam Otherto, hunc illi iuste convenire, & assumtis secum fratribus quos placuit sibi, secessit ad ecclesiam B. Huberti, quam plane recognoscebat matrem conversionis & professionis. Ibi gratanter exceptus, cum illatam non solum sibi injuriam referret, sed etiam publicas exordinationes quas Othertus temere exercebat, cum Theoderico abbate & fratribus conferrat, scilicet quod de manu excommunicati, sine legitima electione & pacta pecunia episcopatum arripisset, quod se sic ejetto, & Guolbodoni deposito justitiam prodidisset, quod abbatiam Florinensem Gisleberto Hasteriensi præposito, & Broniensem cuidam Guiremundo S. Jacobi monacho taxato publice pretio vendidisset, quod hactenus liberam & gloriosam S. Mariæ sanctique Lamberti ecclesiam infecisset, tantam adversus Othertum suscitavit eorum indignationem, ut communi consensu quasi excommunicato probabiliter non amodo communicandum censerent.

Pag. 291. Existat in Helenensi diocesi in territorio Confluenti, insigne monasterium S. Michaëlis de Coxano, quod Guillelmus Ceritanus comes videns a regulari ordine penitus destitutum, & a nobilitate & gloria quam dudum habuit ex parte maxima minoratum, cogitavit qualiter illud cum Dei adjutorio ad religionem monasticam posset restaurare. Quod cum per semetipsum perficere nequivisset, imitatus patrem suum, qui abbates Massilienses Durandum & Bernardum multoties rogaverat, laudantibus atque acclamantibus ejusdem monasterii monachis, Richardum abbatem Massiliensem & congregationem ejus per caritatem Dei rogavit, ut in hoc sibi adjutores existerent, & laborem pro tantæ fructu religionis assumerent, quod facere cum Dei adjutorio promiserunt. Igitur prædictus comes dedit potestatem & ordinationem in dicto monasterio Coxanensi & in omnibus suis pertinentiis, interius & exterius Richardo abbati monasterii Massiliensis S. Victoris & successoribus ejus in perpetuum, ut in eodem monasterio abbatem & abbates & monachos mittant, qui regularem ordinem secundum regulam S. Benedicti & constitutiones Massiliensis monasterii teneant. Quod si abbates vel abbas & monachi eorum regulam S. Benedicti non observaverint, & inobedientes prædicto abbati

Hist. Andag.
n. 81.

Ibid. n. 82.

Reformatio
Coxanensis ab-
batie per mo-
nachos Massi-
lienses.
Ampliff. collect.
no. I. p. 537.

Massiliensi extiterint, & ab eo correcti, emendare noluerint, Massiliensis abbas semper potestatem habeat ejiciendi eos & mittendi bonos, &c. Acta est hæc attributio & constitutio anno ab incarnatione Domini MXCI. indictione XIV. kal. Madii solemniter coram idoneis testibus in ipso loco de Coxano. Guillelmus Dei gratia comes qui laudo & testes firmare rogo, & propriis manibus evidenter confirmo signo crucis solito. Dalmatius gratia Dei Narbonensis archiepiscopus laudo & confirmo, & ne hæc constitutio disrumpatur omnibus modis interdico. † Petrus abba. † Benedictus Balneolensis. † Bernardus abbas. † Bernardus Johannis sacri custos & clericus. † Guillelmus vicecomes, &c. † Artaldus Elenensis ecclesiæ episcopus confirmo † consilio clericorum meorum. Gaufridus sacerdos qui hoc scripsi & subscripsi die & anno quo supra.

Eodem anno Beatrix comitissa Bigoritana ad pristinum statum & ad regularem studuit reformare vigorem monasterium S. Severi in valle Roftanensi, in loco Albiciaco, in episcopatu Tarbeienfi, in comitatu Bigoritano situm, quod a regulari ordine deflexerat, quodque Centullus vir suus videns penitus detractum, S. Victori & abbati Massiliensi jam dederat; illudque dedit, cessit & reliquit omnipotenti Deo & S. Victori martyri Massiliensi, & abbati Richardo & successoribus ejus & monachis Massiliensibus in perpetuum habendum, ut illud ordinet secundum regulam S. Benedicti & constitutiones Massilienses, & abbatem ex cœtu suo in eo instituat. Si vero abbas idem inobediens & vitiosus fuerit, ipsum corrigat & amoveat, & alium loco illius subroget, monachosque ut voluerit transferat, aliosque eo mittat regulares, volente & consentiente Dodone episcopo Tarbeienfi, laudantibus suæ sedis clericis his verbis: Ego Dodo Tarbeienfis ecclesiæ præsul hoc donum vel chartam, salva reverentia Tarbeienfis ecclesiæ cum clericis ejusdem sedis meæ laudo & confirmo S. Victori Massiliensi, & abbati Richardo & successoribus ejus. Bernardus archidiaconus laudat, Willelmus de Adurvilla archidiaconus, Sancius & alii clerici ejusdem sedis laudant. Facta charta hujus donationis anno ab incarnatione Domini MXCI. indictione XIV.

Pag. 301. n. XXIII. Beringerus Leodiensis abbas S. Laurentii expulsus a novo episcopo Otherto, ad monasterium S. Huberti, unde venerat, se recepit, a Theoderico abbate & fratribus humanissime exceptus: prædicens magnam ex parte Otherti persecutionem sibi affuturam. Verum auxiliante Deo constantiam in fide promisit. Ad hæc Theodericus abbas: Malle, inquit, se Othertum offendere, quam Deum: si quis esset Domini, perseveret, vel in loco, vel de loco secum exiens. Nec mora Theodericus assumto secum Beringero secessit in Franciam, & Reginaldum Remensem archiepiscopum consuluit, qui auctor fuit ut in cellam Ebernei-curtem Beringerus se reciperet, ipse vero Cimensem inhabitare elegit. Hæcubi ad aures Otherti pervenerunt, furere & in abbatem indignari, & unde illi tanta constantia contra Leodiensem episcopum demirari, ejiciendos ex loco monachos, & militibus suis abbatiam disperdiendam minari. Præcipuum Theoderico crimen objectum, quod Urbanum papam legimum agnosceret pontificem, & Reginaldum Remensem archiepiscopum suis in consiliis adhibuisset; imperatorem dominum suum, & se ejus episcopum suo instinctu excommunicasset, & per hoc excommunicatum eum probare, quod se suosque ab ejus subtraheret communionem: insuper & Beringerum publicum suæ infamiæ præconem ad ejus injuriam retinisset. Interim convenerant cum Beringero ad Ebernei-curtem, tam ex nostris, inquit historia Andaginenfis, num. 82. quam ex fratribus S. Laurentii ad xxv. monachos, qui tanta honestate se agebant, tamque ordinata religione, ut Reginaldus Remorum pontifex, & Helinandus præsul Laudunensium afflati bonæ opinionis eorum odore, certatim eis vitæ necessaria subministrarent. Abbas quoque Beringerus elaborabat eorum inter quos deveniebat adeo se conformare moribus, ut in brevi fieret omnium carissimus, & comes Ebalus communis aliorum tyrannus, haberetur illi mitis & humanus: qui eodem tempore, suggerente uxore sua Sybilla tertiam partem decimæ Ebernei-curteis ecclesiæ dedit, & pratum quod dicitur Regis legali auctoritate eidem loco habendum perpetuo confirmavit. Manasses etiam præpositus ecclesiæ Remensis tanta eum collegerat affectione, ut sepius evocatum per biduum aut triduum secum manere compelleret, & ad abbatiam S. Remigii habendam post abbatem Henricum promovendum designaret. Sed & Jarento abbas Divionensis, qui Viridunenses S. Vitoni monachos fugientes in suo receperat monasterio, scripta ad Theodericum S. Huberti abbatem epistola, congregationem illi

Reformatio S.
Severi de Ro-
ftano.
Ampliff. col-
lect. no. I. p. 539.

commissam ut ad sanctum Benignum Sanvitionianos adjungeret invitavit.

Otbertus amaricatus relatione gestorum, ut solebat ira exarsit, & sæpius seipsum arguebat, quod non confudisset penitus rebellem sibi S. Huberti ecclesiam, *fratribus violenter expulsis. Nec diu conceptum furorem dissimulare potuit, collectaque manu militari ad monasterium venire disposuit*, mandans ut cum processione reciperetur. id quod, absente abbate, fratres præstare non posse censuerunt. *Erat autem solemnitas Johannis apostoli, qua recolitur ante portam latinam missus a Domitiano cæsare in dolio ferventis olei. Posthabito igitur timore, cum fratres ordinem suum exsequerentur, & suo tempore jam major missa celebraretur, ecce superveniens Otbertus cum tumultu & ira, patentem intravit ecclesiam, & nulla reverentia præmissa orationis, cum furore in superiores cancellos se proripuit, manibusque injectis diacono evangelium legenti librum clausit, & cæptum officium, ira dictante, intermittendum minaciter indixit. Deinde totius moræ impatiens, arrepta sacerdotali stola ambonem ascendens, & sine ulla retractatione abbatem absentem & eos qui secum exierant excommunicavit, causatus publice eum meliora ecclesie ornamenta subduxisse, & quod magis eum gravabat, sibi quasi excommunicato non communicare, obstupescit circumstantibus in ammiratione sic effrenatæ immoderationis, cum ad ea quæ videbant scandalizarentur singuli, tum vel maximo pudore afficiebantur qui cum eo venerant nobiles & laici.*

Pag. 318. Apud Cenomannos cœnobium SS. Vincentii & Laurentii administrabat Ramnulfus abbas, cujus exhortationibus animatus Elias in urbe Cenomannica comes constitutus, crebrisque ejus petitionibus pulsatus, ceterorumque monachorum sub eo degentium, quos pro sui ordinis observatione diligebat; pro damnis & importunitatibus quæ eis fecerat in obsidione Montis-Barbati, quod castellum est a Guillelmo notho Normannorum duce constructum, ut Cenomannos sub sua contineret obedientia, dedit Deo & SS. martyribus Vincentio & Laurentio monachisque ibidem in perpetuum Deo servientibus, ut securius & absque ulla inquietudine Deo serviant, & pro se suisque prædecessoribus comitibus Cenomannensibus & successoribus Dei misericordiam exorent, quidquid juste aut injuste in eorum ecclesiis, domibus, & toto burgo eorum ad vicariam pertinens habebat; ita ut ipsi ibidem vicarium suum habeant, qui justitias & districtiones secundum præceptum abbatis & monachorum faciat. Si quis vero extraneus aut in latrocinio, aut in aliquo crimine ibi deprehensus; ablatis rebus omnibus, bene flagellatus, corpus nudum, ad justitiam corporalem faciendam, quam monachi pro Deo & pro suo ordine facere nolunt, vicariis comitis reddatur. De suis vero hominibus, omnino liberam potestatem habeant faciendi quod volunt, &c. *Signum Elie comitis †. S. Silvestri. † S. Willelmi. S. Pagani. † S. Ingelbaudi Butarii. S. Odonis Cuneardi.*

Pag. 319. post num. 71. Circa hoc tempus Otbertus, necdum sedata ira, Theodericus S. Huberti abbatem ex abbacia Andaginensi disturbare meditans, eam Ingobrando Lobienfi monacho vendidit, mandavitque Arnulfo Lobienfi abbati, ut ad se quantocius veniret, & monachum suum Ingobrandum secum deduceret, deductum sibi liberum reddi jussit, eoque presente ordinavit abbatem ecclesie S. Huberti, nulla præmissa fratrum regulari electione, nullo cognito in eo merito maturitatis & vitæ. Deinde missa legatione mandavit fratribus se eorum utilitatibus & honestati consuluisse, nobilem illum & satis humanum abbatem ordinasse. Orare ut gratia sui amoris illum voluntarie susciperent, sibi que cum eo venturo favore debito procederent. Turbati fratres nullum favorabile responsum dedere. Interea Otbertus illum suum ordinatum abbatem deducens advenit, habens secum Arnulfum Lobiensem abbatem, itemque Arnulfum comitem, pluresque episcopi nobiliores. Cumque vix se contineret a furore, indignatus neminem sibi, ut mandaverat, processisse, optimatum suorum suggestu, hoc ipsum compulsus est dissimulare, ne videretur eos exasperare, quibus ignoti hominis personam veniebat ingerere. Tandem tam per se quam per suos, abbatem Arnulfum & Arnulfum comitem, tentatis fratribus, ut ad suam eos inclinarent voluntatem, Ingobrandus demum factus desiderii compos, ut erat rudis & nimia simplicitatis, otio & licentia juvenili cæpit resolvi, securus, immo inscius procuranda pralationis. Piget meminisse quomodo sub his casibus pulcherrimus ille stas maximi honoris & decoris hujus loci decoloratus concidit, qua velocitate defluerit tandiu elaboratus ille status devotissimæ religionis, qua eis Rhenum eo tempore laudabatur singularis.

Hist. Andag. n. 86.

Elias comes Cenomannensis pro injuriis in obsidione Montis-Barbati S. Vincenti illatis dat ei vicariam sepulcrum justitiam in burgo S. Vincentii. Ampliff. Coll. to. 1. p. 544.

Hist. Andag. monst. a. 87.

ibid. n. 88.

ibid. n. 90.

Pag. 319. post n. LXXVI. Beringerus ægre ferebat simoniacos schismaticosque excommunicatos dominari in domo suæ professionis: quapropter cum ad sustentandos fratres suos quæstionarias circuitiones ageret, ad Idam uxorem Cunonis comitis Montis-acuti venit, eamque apud Montem-acutum graviter infirmam invenit: quæ mortem proxime jacebat, deliberaret sepeliendam, Beringerus obstitit ne id fieret; utque subjectionem Otberti excommunicati vitaret, suavit ut Stabulensem sepulturam potius expeteret, ibidemque eleemosynam suam constitueret. Causantibus filiis ejus Lamberto & Henrico, quomodo Stabulensis ecclesia videretur absolutior, cum ex dono subjaceret regi Henrico, & ex cura pastoralis Otberto, Beringeri prævaluit sententia, & reditum trium librarum quotannis ecclesie S. Huberti in perpetuum abstulit.

Pag. 325. Erat inter Hoium & Leodium castrum quod Mons-clarus dicebatur, quod navigantibus per Mosam infestum erat. His sæpius conquerentibus de injuriis acceptis, Otbertus collectis viribus castrum obsidere sibi proposuit. Huic obsidioni disponendæ ducem episcopi & principes evocaverat. Jam ordinata expeditione ante castrum confiterat, cum dux arrepto tempore Otbertum inclamat, eique publice consilium suum & auxilium excusavit, nisi abbatias S. Huberti sanctique Laurentii suo statui reponeret, & eas quas vendiderat, ejectis emptoribus, per conductas personas gratis ibidem ordinatas disponderet. Quod, inquit, commilitones, a Deo auxilium sperabimus, qui ejus ecclesiis depereuntibus non solum defensionem non impendimus, sed & liberam vocem contradictionis subtrahimus? Scilicet hoc de nobis promeruit benignissima dispositio creatoris, qui nos ministros suæ publicæ rei constituit, ut pro sua quisque persona nostrum illi negemus servitium, quos pro tuendo jure suo hoc nostro tempore elegit ejus generale dominium. Assenserunt principes, & inveci pariter in Otbertum, præfixam a duce conditionem, de restaurandis ecclesiis, & reponendis abbatibus legitime violentè ejectis exigere cœperunt. Decretum est statim, ut remota omni dilatione Wolbodonem & Ingobrandum ejiceret & legitimos abbates locis suis reponeret. . . . Scripsit extemplo Otbertus Beringero se illi regratium, & rejecto Wolbodone, ejus deliberasse monasterium: placere sibi & primatibus ut sidenter redeat, & fratres qui ad eum confugerant secum reducat. Abbati vero Theoderico licet idem suffragium idemque iudicium in causa fuerit, hoc scribere dissimulavit, tenacissimus erga eum conceptæ indignationis, optime etiam conscius illum non communicaturum sibi. . . . Beringerus vero sæpius retractans non sine divino nutu provenisse hunc in rebus tam mutatum tamque insperatum eventum, assumens secum quosdam suorum properavit Leodium. Ibi occurrentibus sibi extra civitatem archidiaconi officiosissime, cum se eisdem comitatus Otberto præsentaret; Otbertus ut sibi eum affectuosius attraheret, coram duce Godefrido, itemque primoribus civitatis, obtulit ei justitiam de ea quam fecerat discedenti injuria: quam licet ægre Beringerus visus est suscipere, ea tamen ab eo illi imposta conditione, ut quidquid per Wolbodonem dispersum disperierat ecclesie suo statui reformaretur. Illo annuente, sic deosculatus eum secum sedere collocavit, &c. His auditis abbas Theodericus, qui tunc morabatur Cunis, fratres suos ad consilium vocavit, & quidquid in tali negotio sibi agendum inquisivit. Lambertus major, ut erat vir consilii, itemque Wiro, Robertus & Rainerius responderunt consulenti, gratias agendas divina dispositioni, quod præter spem omnium eorum locum eis patefecerat ad ecclesiam revertendi, redire quantocius sicut fecerat Beringerus, ne eo cunctante eveniret aliquis sinister eventus, sua etiam ecclesia referret ornamenta quæ inde sustulerat salvandi gratia. Id quidem nulla præstitit mora. Jam vero triduum transferat, & ecce Beringerus abbas cum Henrico archidiacono veniebat, ut ex præcepto Otberti quasi vacantem disponderet abbatiam. Audientes autem abbatem esse regressum & a fratribus receptum, in villam quæ dicitur Braz diverterunt. Cumque ad Otbertum reversi renuntiarent regressum abbatis, ille iratus interdixit nihil pro eo faciendum ecclesie ministris.

Pag. 361. Defuncto anno MCCI. Henrico Leodiensi episcopo, Otbertus Leodiensis S. Crucis præpositus ad Henricum regem confugit, emitque episcopatum magna numerata pecunia. Tunc Beringerum S. Laurentii piissimum abbatem non solum vexavit, sed etiam de suo expulit monasterio, ejusque in locum Wolbodonem, quem Henricus deposuerat, multo ab eo accepto auro collocavit. Quapropter consolatoriam ad eum Urbanus II. scripsit sequentem epistolam ex Hoien-
Urbanus episcopus servus servorum Dei dilecto in Christi

Ida comitissa Montis-acuti sepulta apud Stabulerum. Hist. Andag. num. 91.

Restitutio abbatum legitimum. Hist. Andag. n. 97.

ibid. n. 98.

ibid. n. 100.

Ampliff. collect. to. 1. p. 553.

sto fratri Beringero abbati S. & A. B. Gratias agimus Deo pro vobis in gratia Dei que data est vobis, qui in hoc malo tempore, cum omnis pene Gallia erroris caligine jaceat immersa, oculos mentis vestra ad cognitionem veritatis illuminavit, ut ad amorem justitiae & catholice fidei defensionem, igne sui spiritus cor vestrum accendat. Gratias illi, qui vos praclaro calice gratiae suae inebriavit, & spiritum Domini in ratione vestra ferventem ad tolerantiam multiplicis injuriae paratum reddidit, & ad perferendos labores & pericula pro defensione veritatis excitavit. Quod Dei munus speciale esse non dubitamus, qui provida dispensationis suae gratia electos suos persecutionis tempore utiliter probat & discutit; sed ne penitus aberrant, aut labefactati funditus dejiciantur, potentia virtutis suae sustentat, ut ad omnia propter se sustinenda paratiores fiant, fortiores excitat. Antehac, ut pro certo compertum habemus, aliis pro defensione veritatis & justitiae laborantibus, cum officio caritatis subvenire solebatis, & cum magna cordis laetitia & vultus hilaritate sanctorum necessitati supra vires vestras ministrare, simoniacos Wiber-tistas, novos ecclesiae hostes, validis verborum jaculis impetere, & nutantem rationis eorum murum arctae fidei pulsare, & athletas Dei qui in acie christianae religionis desecerant confortare. Nunc ergo devotionem vestram pietas divina inspexit, & tandem majestas excelsa dignatur, ut pro eo patiamini, qui pro vestra gloria crucis ignominiam ferre non erubuit. Hinc tanto caelestis gratiae beneficio prudentia vestra debet respondere aliquid, & calice salutari gratanter accepto, gloriam & honorem aeterni regis quarere, & in omni vitae vestrae statu nomen ejus qui vobis tribuit intellectum invocare, laudare, benedicere & magnificare. Nec damnarum temporalium vos debent movere, neque quod H. homo christiana pacis everfor, & ecclesiarum sacrilegus venditor, Romani imperii destructor, haereticorum auctor & defensor, vos de ecclesia vestra per satellitem suum Obertum episcopum expulit, curare. Nam si patrem familias Beelzebub invocavit, quanto magis domesticos ejus? Si Romana sancta & apostolica ecclesia funestas manus intulit, mirum vobis videtur, si usque ad vos gladius insaniae ejus pervenit? Si sacerdotem summum, cui omnipotens Dominus per Petrum singulari privilegio potestatem aperiendi & claudendi, quibus voluerit januas caelestis regni dono dedit, de cathedra pontificali tyrannice exturbavit, & pro eo statuum auream in loco sancto erexit, & ad adorandum eos quos potest cogit: turbamini, quod vos violenter expulit, & in loco vestro fictile & constabile idolum abominationis collocari fecit? Immo potius gaudete, quia Deus laborum sanctorum suorum consortes vos vult esse. Si rapinam bonorum temporalium pro Christo ferre non vultis, quomodo mortis asperitatem pro christiana veritate sustinere gauderetis? Credo quod voluntas Dei est, immo divinae propitiationis opus, ut aliqua vis humana fossana illam maledictionis & nequitiae vos compellat exire, ne justus Loth pereat cum injustis, ne sanctitatis vestrae speculum admittat quicquam contagionis ex cohabitatione malitiae circumstantis. Quis enim murus staret inconcussus? Quae mens immobilis in sua firmitate permaneret, ubi crassi sues grunnirent assidue, ubi innocentiae vestrae simplicitatem turba militantium obsideret? Oberius antichristi signifer, satanae jumentum, perfidia Simonis manifestus sectator, apostolicorum judiciorum contemtor, ecclesiae quantum in ipso est conculcator, ecclesiarum quas in suam perditionem temerarius emtor invasit, prado & destructor, & profanus venditor, nunc minis intonaret, nunc diabolicis blandimentis astutia caput vestri rigoris incurvare contenderet. Quem nos ex decreto concilii a nobis nuper acti damnatum auctoritate Dei & B. Petri & sanctae Romanae ecclesiae, cui auspice Deo deservio, jam excommunicavimus, & cum suo Wibertho bestia terribili & varia, quae ascendit de mari, & facit bellum cum sanctis, quam adorant, quorum non sunt nomina scripta in libro vitae & Agni, portionem maledictionis ei dedimus, pro eo quod simoniacus est, & episcopatum data pecunia usurpavit, & quia vos injuste de loco vestro ex precepto sui regis expulit, & eum qui propter contumaciam & inobedientiam publico judicio abjudicatus & condemnatus erat, accepta ab eo pecunia supposuit, & quia cuidam Lippo & simoniacae heresi & aliis capitalibus culpis publice & juste damnato manus imposuit. Similiter & illum ecclesiae prophanum pervasorem damnavimus & excommunicamus Wolbodonom, quia simoniacae, & tyrannicae potestate per male acquisitam pecunia abbatiam vestram, & locum unde pex insolentiam suam sicut diabolus de caelo ceciderat, invasit, & cum eo omnes malitiae ejus adjuutores & fautores. Omnes quoque quibus ipse oblationes fidelium, res ecclesiae & praedia divinis usibus tradita, vel vendidit vel dedit pariter cum illo a gremio sanctae ecclesiae apostolica auctoritate pellimus, anathematizamus, damnamus, & sacrilegos judicamus, usque dum sua ecclesiae restituant. Vos autem, frater carissime, gaudete,

quia rex Israel filium suum vult super flumina Babylonis sedere & flere, & ad reditum in terram promissionis libero cordis affectu suspirare, non in ipsis fluminibus & studiis secularibus implicitum interire. Summa nostra voluntas est, ut teneat prudentia vestra quod ratio persuadet, divina scriptura testatur, sanctae religionis ordo requirit, martyrum sanguis insinuat, mater nostra sancta scilicet ecclesia praecipit & commendat. Veritas ipsa ut ad veritatem nos converteret, mori voluit, nihilque animas nostras nisi sola veritas a potestate diaboli liberabit. Salutant vos in Christo & qui vobiscum sunt fratres vestros in praesenti nobiscum congregati episcopi, clerici, abbates & monachi, ut memoriam nostri in vestris sanctis orationibus habeatis, ut pro pace nostra, & sanctae ecclesiae, eum qui natus pacem terris attulit, quique suo sanguine eam sibi desponsavit, rogetis suppliciter exoramus. Carissimus filius noster Gerbertus harum litterarum gerulus, quando, ubi, quomodo, cum quibus ad nos sine impedimento sathana venire possitis, secreto indicabit vobis. Bene valere.

Episcopos olim abdicata dignitate vitam monasticam ambiisse haud insolitum fuisse in ordine nostro probat exemplum Pontii Glandatensis praefulis, qui recordatione divini judicii & amore caelestis patriae, pro remedio peccatorum suorum reliquit saeculum... conversus factus est monachus in monasterio S. Victoris martyris Massiliensis caenobii; sub regimine venerabilis abbatis Richardi. Et dedit praedicto monasterio atque monachis ibi degentibus, necnon etiam jam dicto abbati Richardo & successoribus ejus de honore suo, quem per alodium ex parte genitorum suorum possidebat, videlicet decenam in Castellana & mansum unum in Rocha-rafa, & decenam Alonsio, &c. Postea vero dominus Richardus dedit nepotibus jam dicti episcopi, Pontio scilicet & fratribus suis, ne omnino essent sine hereditate avunculi sui, decenam in Castellana cum manso uno de Rocha-rafa, &c. Factum est hoc in Castro-Calliano XVII. kalendas Februarii anno ab incarnatione Domini MXCV.

Pontius episcopus Glandatensis fit monachus Massiliensis. Ampliss. collect. to. 1. p. 549.

Pag. 363. Cum Claromontense concilium celebraret Urbanus II. Petrus post Fulcradum abbas Carrofenis, adiens summum pontificem rogavit, ut magnificum altare quod Carrofenes monachi construxerant super illud altare quod Leo papa III. tempore Caroli Magni eodem in loco benedixerat consecrare dignaretur. Annuit Urbanus, pergensque Carrofum magna virorum nobilium caterva comitatus, spectante & flente praegaudio infinita populi multitudine, summam illam aram ad quam per decem aut duodecim gradus ascenditur consecravit. Huic consecrationi interfuere Amatus archiepiscopus Burdigalensis apostolicae sedis legatus, Hugo Lugdunensis archiepiscopus similiter legatus, Daibertus Pifarum archiepiscopus, Rangerius Regiensis archiepiscopus, Petrus Pictavorum, Bruno Signienis episcopus, Johannes cardinalis diaconus. Facta sunt haec IV. idus Januarii feria scilicet V. quae tunc ante S. Hilarii festum fuit anno ab incarnatione Domini MXCVIII. pontificatus domni Urbani II. papa anno VIII. Perstat haec sub illa magnifica ara altare aliud quod Miraculorum appellatur, ad quod in dies confluunt infiniti infirmi sanitatem recepturi, ostensusque est mihi paralyticus nuper ibi curatus. Istud autem altare non aliud existimo quam quod tempore Caroli Magni consecraverat Leo papa III. Vide quae de altare & tota ecclesia Carrofeni diximus in nostro Itinere Literario primo, pag. 15.

Dedicatio Carrofenis altaris ab Urbano II. Anecd. to. 1. p. 272.

Pag. 373. Circa hoc tempus dum moraretur apud S. Remigium Theodericus abbas Andaginensis, vitae privatae desiderio & Otberti vexationum pertaesus, in festo S. Egidii qui fuerat olim dies ordinationis ejus, renuntiavit dignitati; ac ne fratres circa successorem electionem aliquam ab Otberto contradictionem paterentur elegit ipse sibi successorem Beringerum abbatem S. Laurentii, qui cum jam ordinatus esset abbas, nihil molestiae circa benedictionem ab Otberto timendum habebat. Obstitere fratres. *Audivit interim rerum seriem Otbertus, & evocatis de monasterio quos noverat meliores, mirari se dixit, cur Beringerum repulissent, quem in ecclesiasticis utilitatibus virum tam valentem rapuisse debuissent. Eadem sententia de Beringero apud clericos & laicos crebrescebat, & neminem rei & tempori utiliore censebant. Jam fratres tot assertionibus convicti, consenserant ejus electioni, cum ille semel concepta indignatione primae repulsionis, nullis precibus Otberti, nullis acclamationibus fratrum vel cleri valuit procuratori oblati attrahi. Tot igitur tempestatibus, tot dilationibus jam paene deficientis ecclesiae pertaesus Otbertus, indixit fratribus, ut quem vellet de suis eligerent, eique consecrandum abbatem praesentarent...* Dum

Hist. Andag. m. 106.

ibid. n. 108.

ibid. n. 111. Otbertus iterum atque iterum fratres de eligendo abbate compelleret, tunc demum illis præfixit ad eligendum diem, & communi omnium consensu electus Girardus monachus miræ virtutis, qui *ut erat vir probus, & nullius injustæ promotionis cupidus simpliciter cessit.* Interrogatus Beringerus quam digniorem ad hoc æstimaret personam; paululum cunctatus respondit pro tempore neminem utiliorem se nosse quam ibi præsentem Wireduum monachum illius ecclesiæ. Hortatus accedere Wireduus, licet ut sit aliquandiu reluctari videretur, tamen donante Otberto abbatiam suscepit.

Theodericus
Primus
Hist. Andag. n.
110.

Ead. pag. Summo laboraverat studio Theodericus ut vicinum & infestum S. Huberto castrum Mirvold destrueretur, idque tandem effecerat apud Henricum Leodiensem episcopum piissimum, qui obtentu ejusdem Theoderici sub interminatione perpetui anathematis illud dejecerat. Ipsum quoque montem qui ab antiquo fuerat ecclesiæ S. Huberti firmato privilegio reddidit, condita ibidem & consecrata ecclesia in honorem S. Michaëlis, in qua fratres Deo militaturos constituit. At Otbertus nullo habito anathematis sui prædecessoris respectu, prædictum castrum refirmare aggressus est eodem anno. Tanto ausu territi provinciales ex timore desolationis quam vererantur non solum sibi sed & posteris suis, condita die convenere ad ecclesiam S. Huberti, expostulantes corpus ejus cum lacrymis Otberto præsentari, si forte respiceret ab intentione hujus suæ incæptionis. Coacti fratres non solum necessitate communi, sed & propria quæ magis præponderabat, licet nimis inconsulte, utque sit in rerum tumultuaria perturbacione, nullis præmissis jejuniis, nullis vigiliis, nullo apparatu hujus executionis, assumto B. Viri corpore, processerunt nudis pedibus & operio corpore. Videns passim concurrentium turbas augeri, luctuque populari canentium litanias & psalmos deprimi, audiit Otbertus tanti pontificis auctoritate se insequi, & ad horam furore dissimulato, ascenso equo cum suis & ipse venientibus obviam processit. Præmissa vero paulisper reverentia orationis, post asperionem aquæ benedictæ, inter ihurificandum, fustem ad hoc ipsum paratum arripuit, & de caesis fratrum capitibus sanguine fuso, per silvam palantes huc illucque dispersit. Super tantam tamque injuriosam temeritatem demirantibus turbis justitiam Altissimi, qui cum sit patiens redditor, secundum multitudinem iræ suæ non quærit. . . . Non multo post ea ipsa die anniversaria qua B. Huberto prædictam injuriam fecit Otbertus, captus est a comite Henrico & Durboium usque deductus incitato equo & suis feroci durissime & inhoneste collisus, vix mortem evasit; sed & quamdiu ex tunc superfuit, numquam adversitatibus & dedecorosis oppressionibus caruit.

Hist. Andag. n.
113.

Pag. 393. Etsi Wireduus abbatiam S. Huberti donante Otberto suscepisset, abbas tamen benedictionem ab eo suscipere non properavit, unde ipse Otbertus ipsum redarguit quod tamdiu oblatæ benedictionis gratiam subterfugisset. Ille ad horam quasi resumto zelo veritatis attestandæ, vel ut idem apud fratres excusabilior videretur de sua consecratione, hanc prætenderet, in publica audientia subintulit libero ore, non sibi videri commodam ejus benedictionem, quippe cum obstinatione tam longa adversus sedem & auctoritatem apostolicam Henrico regi intentus singulariter faveret, tum quia ex hoc ipso si benediceretur ab eo, timebat fratrum suorum contradictionem, tum etiam quia in desolationem ecclesiæ S. Huberti castrum Mirvold refirmasset, quod ne a quoquam amplius fieret Henricus prædecessor ejus interdixerat sub perpetuo anathemate. Dissimulata Otbertus callide indignatione invectionis tam subitæ, dixit Benedictionem non esse Otberti, sed Dei. non tamen destitit urgere. Indixitque tempus ad Lamberti abbatis Florinensis consecrationem. Tunc Wireduus licet sollicitus fraternæ contraditionis, magis autem curiosus quomodocumque retinendæ prælationis, Lamberti prædicti consecrationi agendæ, ultro se consecrandus ingressit. Verum Lambertus non multo post ad se reversus, redarguente conscientia, abbatiam Florinensem sponte deseruit. Interim Theodericus qui ea conditione cesserat, ut sibi succederet Beringerus, qui Otberti non egeret benedictione, voto frustratus, cœpit abbatiam repetere. consilioque Reginaldi Remensis archiepiscopi & abbatum, qui testes fuerant conditionis, scripsit Wireduo, se satis superque mirari, illum tam impudenter fieri monstrum tam diversæ dissimilitudinis, ut a sententia cujus olim secum fuerat acerrimus assertor, tantito extiterit apostaticus desertor. Epistolæ inscriptio sic erat, Frater T. ceterique fratres ecclesiæ B. Petri & B. Huberti W. nimis ambitioso, & inconsiderate gloriam propriam querenti, & in hoc ipso contra Deum & apostolicam sedem sibi faventibus. Post epistolæ initia declarat eum probati hæreticum, & ideo in ecclesia Dei secundum canones

ibid. n. 113.

canones nullius promotionis & auctoritatis habendum, solumque sibi locum poenitentiae superesse. Si autem, inquit, gloriam Dei relinquentes, & vestram constituere volentes, facti estis apostatici. . . & effecti membra diaboli. . . quomodo defecit vestra virtus & constantia, qui nobiscum per exteras regiones, ut videbamini, pro amore Christi mendicitates & exilia, & quasi cujusdam martyrii palmas in conspectu hominum præferebatis? quomodo scandalizantur in vestram apostasiam in suis locis? Scandalizantur in vobis sedes Remensis, Laudunensis, Virdunensis, Tullensis, quæ vobis præconantibus dolebant omnino, sed adhuc dolent decolorationem quondam splendidissimæ & religiosissimæ ecclesiæ Leodiensis, sed & nostræ Andaginensis. Deinde postquam exposuit quæ ab eo pertulerit mala, subdit: Nobis autem audientiam vel Remensis vel Laudunensis ecclesiæ reclamantibus, tandem Remis convenimus, ibique cum Manasse archiepiscopo Englerannum Laudunensem episcopum pridie Roma reversum invenimus, quorum sententia nullo modo competere vobis vel nomen vel officium abbatis, nisi Romana auctoritas id specialiter religioni vestræ adjudicaverit, aut legatione veraci, delatis tamen signatis litteris vobis confirmaverit. Quapropter eum venturo festo SS. Simonis & Judæ Romam citat, auditurum Romanæ sedis judicium. Hujusmodi evocationem Wireduus relectam sprexit & neglexit, noluitque credere quod indignabatur timere. . . neque sine assensu episcopi mei, inquit, ullo modo mihi est Romam eundum, præsto sum coram eo cum Theoderico subire judicium. Hæc audiens Theodericus, videntique Wireduum abhorre ad judicio Romanæ sedis, libellum supplicem ad Urbanum papam Beneventi commorantem præsentavit, quem attente relegit & discussit, ac Wireduum, nisi respiceret excommunicavit. scripsitque duas epistolas, unam fratribus S. Huberti, alteram catholicis omnibus in clero Leodiensi, quibus ea de re certiores facit.

ibid. n. 116.

Pag. 402. Dum celeberrimum Conchense S. Fidis monasterium Bego abbas administraret, Paschalis papa II. insignem illi bullam dedit, qua in primis laudat Concheniensem consuetudinem, festum S. Fidis martyris sollempni jejunio & vigilia præveniendi, quam consuetudinem decreti sui auctoritate confirmat. Præterea indulget ut in ordine missæ inter alias virgines ejusdem S. Virginis & Martyris memoria ex nomine celebretur, hoc est ut in canone missæ nomen ejus cum sacris virginibus recenseatur; passionem quoque seu miracula, quæ de eadem sancta virgine a catholicis viris scripta creduntur in ecclesia pro ejusdem reverentia virginis approbat. Denique decernit ut ad Ruthenensis episcopi electionem Conchensis abbas semper debeat advocari.

Bulla Paschalis II. pro Conchensi monasterio. Anecd. to. I. p. 337.

Circa idem tempus prædictus Paschalis II. papa, scripta ad Laurentium S. Vironi abbatem epistola, monet eum Virdunenses clericos in tantam prorupisse vesaniam, ut ecclesiæ ejus subjectionem & obedientiam sibi vindicare contendant, sed cum ipsi extra ecclesiæ catholicæ unitatem sint, cum diu propter pertinaciæ nequitiam a sede apostolica excommunicati fuerint, præcipit tam ei quam successoribus suis, ut nullam eidem clericis subjectionem, nullam obedientiam neque communionem impendant, donec ad unitatem ecclesiæ catholicæ revertantur, &c. Data Tyberi IV. idus Junii indictione VII.

Pag. 415. Anno MXCIX. Amatus archiepiscopus Burdigalensis & apostolica sedis legatus exortam inter Fulconem S. Crucis abbatem & Petrum decanum super ecclesia S. Michaëlis controversiam infringibili judicio sedavit. Consistentibus enim in præsentia sua abbate cum suis, & decano cum suis, auditis utriusque partis rationibus, tale judicium protulit: Si abbas S. Crucis tenorem id est possessionem ecclesiæ S. Michaëlis a prædecessore suo A. & a se ipso habitam, prout multis confirmat assertionibus, ipse cum duobus suis monachis sacramento probaverit, quiete in posterum ecclesiam habeat; sin autem, ipsius causæ superfedendum judicavit. quod judicium, collaudantibus omnibus, abbas Fulco cum suis assurgens super quatuor evangelia juravit quod prædecessor suus bonæ memoriæ A. Trencardi cum suis monachis a reverendissimo prædecessore suo domno Goffelino & a S. Andrea capitulo ecclesiam S. Michaëlis extra urbem super Garumnam sitam, ex integro in jus S. Crucis acquisivit, præter illud quod dicitur tricesimum & confessiones. Quapropter, ut deinceps ecclesia S. Michaëlis inviolabiliter & quiete, tamen semper per capellanos secundum deliberationem S. Crucis tractaretur confirmavit, & inpressione sigilli sui signari præcepit.

Ecclesia S. Michaëlis super Garumnam adjudicatur abbati S. Crucis Burdigalensis. Anecd. to. I. p. 276.

Pag. 425. Exstat in dioecesi Turonensi Pruliacense S. Petri cœnobium ab Effrido

Electio Arnaldi abbatis Pruliacensis.

Pruliacensi toparcha fundatum initio sæculi XI. in quo anno MCX. triginta quatuor conversabantur monachi qui numerantur in electione abbatis Araldi, quem monasterii decanum existentem Radulfo II. archipræsuli, & Goffrido, cognomento Jordano, comiti Vindocinensi obtulerunt, virum *boni testimonii, sapientem ac modestum*, ut eis esset loco *parris atque rectoris*, faventibus omnibus ecclesiæ Turonicæ proceribus & parochis seu comprovincialibus. Elegimus eum, inquit, *ut nos paterno amore foveat, & veluti in Christo filios diligit, studeatque plus amari quam timeri, plus prodesse quam praeesse, & non conturbet quasi libera utens potestate injuste gregem sibi commissum, sed sit semper memor quod de omnibus judiciis suis redditurus est rationem judici æquissimo idest Deo*; deinde subscribunt omnes.

Anecd. to. 1. p. 284.

Donatio facta S. Vincentio Cenomann. * Commaré Ampliff. Coll. to. 1. p. 570.

Pag. 430. Exeunte hoc sæculo undecimo Avefgaudus Conedrarii * dominus, filius Fulcaudi, quidquid habebat in ecclesiâ S. Symphoriani & B. Mariæ de Conedrario, medietatem scilicet primitiarum omnium ac decimarum, totumque cimiterium & presbyterium Deo & pretiosis martyribus Vincentio atque Laurentio, relictum monachorum quod in eisdem ecclesiis habebant recognoscens, solide & perpetualiter habendum donavit. In eodem cimiterio eisdem monachis licentiam faciendi burgum permisit, unde omnes reditus absque retinaculo libere habebunt, præter teloneum tantummodo, quod in vigilia S. Symphoriani & in die craftina in foro suo reddi debebat, cujus tamen decimam monachi habeant. Furnum quoque in ipso cimiterio si voluerint facere, faciant. Insuper etiam decimam cujusdam molendini sui, &c. monachis nihilominus tribuit, &c. *Hæc vero omnia*, inquit, *uxor mea Britta, & Robertus de S. Celerino gener meus apud castrum meum Conedrarium libenter concesserunt. Filia vero mea Felicia ipsius Roberti uxor apud S. Celerinum hæc eadem annuit. Proinde in ipsa die qua hanc pactioem feci, kalendis scilicet Maii claves memoratarum ecclesiarum Ramnullo abbati tradidi, & per baculum suum de ipsis ecclesiis eundem revestivi, &c. Actum apud castrum Conedrarium kal. Maii anno MC. dominicæ incarnationis, regnante rege Francorum Philippo, comitatum Cenomannicum tenente Wilhelmo rege Anglorum, episcopatumque Cenomannicum regente Hildeberto episcopo. Circa hoc tempus Hamelinus de Baladone vir nobilis plurima dedit S. Vincentio in Anglia, probante rege & Mathilde regina.*

Donatio ecclesiæ S. Pauli de Subirads facta S. Victori Massiliensi. Ampliff. Coll. to. 1. p. 584.

Pag. 446. Ineunte sæculo duodecimo Berengarius Barchinonensis ecclesiæ episcopus, consilio & voluntate clericorum suorum dedit omnipotenti Deo & ejus genitrici beatæ Mariæ & B. Victori Massiliensi martyri & B. Sebastiano & Richardo venerabili abbati Massiliensis monasterii, & ejusdem cœnobii monachis presentibus & futuris ecclesiam S. Pauli, quæ sita est in territorio de *Subirads* cum omnibus pertinentiis, &c. ut habeant & in perpetuum possideant ipsi Massilienses monachi qui erunt in S. Sebastiano per imperium & obedientiam abbatis Massiliensis monasterii, salva in omnibus reverentia & obedientia Barchinonensis ecclesiæ, &c. *Facta est autem hæc charta in Gerunda civitate, celebrante Richardo cardinali & abbate Massiliensis cœnobii in eadem civitate conventum episcoporum, & abbatum, comitum atque multorum principum, anno ab incarnatione Domini MCI. æra MCXXXIV. VIII. idus Februarii feria IV. indictione VIII. anno XLI. Philippi regis. Berengarius Barchinonensis episcopus.*

Restitutio Prædii de Prumisfeld facta Prumie. Ampliff. collect. to. 1. p. 585.

Eodem anno Prumiensi monasterio facta est restitutio prædii de *Prumisfeld*, quod cum omnibus appenditiis olim Bruno quidam comes de *Hengebach* S. Salvatori in proprietatem tradendo firmaverat & firmando tradiderat: ea conditione ut quatuor mansos cum duobus servientibus Odilone & Stephano statim ad manum ecclesiæ in suos usus reciperet, cetera ipse cum uxore sua Mathilde, quousque viverent, ad suos usus retinerent; & si maritum supervixisset, ante mortem suam ad eandem ecclesiam Prumiensem veniret; & sicut ab omnibus laudatum est, eidem ecclesiæ idem prædium, sicut maritus ejus firmaverat, ipsa quoque firmando traderet, tradendo firmaret, quod & ipsa ita perfecit. Nam ante mortem mariti sui eidem ecclesiæ idipsum prædium adhuc vivens firmavit, & ipsa defuncta ibidem in monasterio S. Salvatoris est sepulta. Illud vero prædium a Prumiensis ecclesiæ abbatibus diu possessum, diu retentum quidam Henricus comes de *Limburg* invasit & rapuit, & quasi proprium possedit. Quæ de injustitia abbas Wolfrannus tandem conquestus Henrico imperatori, donec misericordia motus, zelo Dei accensus, judicio principum; super ipsum comitem de *Limburg* cum exercitu venit, castella ejus destruxit, eum-

que, ut huic Dei ecclesiæ, aliisque quas devastarat, justitiam faceret, compulit. Primum igitur Colonia in præsentia imperatoris & filii ejus Henrici, judicio principum convictus, præstatur prædium quod S. Salvatori rapuerat, in manu imperatoris & Wolfranni abbatis & advocati Bertolfi juste reddidit. Aderant hi principes, Engilbertus Trevirensis archiepiscopus, Burchardus Monasteriensis, Wido Osenburgensis, Henricus Paderbrunensis, Adalbero Metensis, Cuono Wormaciensis episcopi, dux Fredericus, marchio Burchardus, Gerard. de *Guliche*, Wernerus de *Groninche*, Adolfus de Monte comites, & alii multi principes. Deinde de Colonia ad insulam Werdæ cum venisset imperator, prædictus Henricus de *Limburg*, prædictum prædium quod Colonia reddiderat, se reddidisse Werdæ negavit. Ubi principes convenire fecit imperator, & eundem Henricum in præsentia sua judicio & testimonio principum, quod abbati prædium quod negaverat, reddidisse convict. Quod ut nunquam ulterius negare posset, idem prædium in manu sua, manu abbatis Wolfranni & ejus advocati reddere fecit, præsentem filio suo Henrico, adstantibus principibus Burchardo Monasteriensi, Widone Osenburgensi, Cuonone Wormaciensi, Hecelone Veronensi episcopis, magno duce Ottone de *Sutpheni*, Gerardo de *Wassemberch*, Theoderico de *Toneburch*, Adolfo de Monte, Gerardo de *Guliche*, Vuerinhero de *Gruoningue*, Henrico de *Diedisso* comitibus, & Berdolfo filio Berdolfi comitis & supradicti advocati & aliis compluribus, &c. *Signum domni Henrici tertii, Romanorum imperatoris. Data tertio nonas Augusti, anno dominicæ incarnationis MCI. indictione IX. anno autem domni Henrici III. Romanorum imperatoris Augusti, ordinationis quidem XLVIII. regni autem XLVI. imperii vero XVIII. Actum Werdæ in Dei nomine feliciter, amen.*

Pag. 464. Insignis hoc anno Massiliensi sancti Victoris monasterio facta est donatio. Nam Raymundus sancti Ægidii comes, Provinciae marchio, princeps militiae christianæ in itinere Hierosolymitano obtentu redimendorum peccatorum dedit donavitque unigenito Dei Filio, ejusque venerabili matri S. Mariæ, necnon & pretiosis martyribus Victori & sociis ejus, aliisque quorum reliquiæ apud honorabile monasterium Massiliense in Christo requiescunt, medietatem civitatis quæ vocatur Gibellet, quæ est in littore maris magni, altis muris firmisque turribus munita, inter *Tripolim & Beritum*, & omnium ad eam mari & terra pertinentium, videlicet in ecclesiis, villis, castellis, casalibus, terris cultis & incultis, in portu & naufragiis, sive in cunctis ubique pertinentiis. *Ista omnia*, inquit, *Ego R. Dei gratia comes immutabili donatione confirmo, & corrobore Domino Deo, prædictisque sanctis ac monasterio, presenti quoque ejusdem loci abbati Ricardo, vel illius monachis, etiam presentibus & futuris, ibidem Deo servientibus, sine fraude & dolo, omnique malo ingenio, ut in perpetuum honorifice possideant, potestative teneant, feliciter honesteque habeant. Hoc autem feci venerabilibus commilitonibus meis consulentibus, immo cohortantibus Wilhelmo scilicet Arvernensi comite, Biterrensi vero vicecomite B. denique Aicardo Massiliensi, Berengarioque Narbonensi, quatenus omnipotens Deus per dictorum sanctorum intercessionibus, & meis propitiatur iniquitatibus, & suæ paucissimæ christianitatis, quæ me sibi post ipsum in caput & principem elegit, se opponat adversitatibus, &c. Facta est autem charta donationis hujus anno ab incarnatione Domini MCIII. mense Januario, sub die XVI. kalendas Februarii, luna V. indictione XI. in castello quod appellatur *Monsperegrinus*, & est ante portam Tripolensem constitutum, regnante etiam in Francia rege Philippo, epacta XI. † Raymundus comes firmat. † Signum Arvernensis Wilhelmus comes firmat. † Signum Bernardus vicecomes firmat. † Signum Aicardus firmat. † Signum Berengarius Narbonensis firmat. † Signum Wilhelmus Ugonis firmat. † Signum Petrus episcopus Glandatensis firmat. † Signum Arbertus S. Evarardi abbas firmat. Signum Pontius Grillonensis firmat. Signum Wilhelmus Petri firmat. Signum Berengarius Wilhelmus firmat. Signum Aicardus firmat, videntibus Durando & Raimundo qui hanc chartam fecit monachis, & Bernardo & Stephano clericis.*

Donum Medie civitatis Gibellet factum S. Victori Massiliensi. Ampliff. collect. to. 1. p. 600.

Pag. 474. Anno incarnati Verbi MCV. Richardus ecclesiæ Romanæ cardinalis indictis conciliis, agebat per Gallias apostolicas vices; cui suffragante Roberto Virdunensi, qui illi familiariter adharebat, in eisdem conciliis declamavit Th. ordinem suæ privationis. *Cujus causa dum ventilaretur, ex sententia fidelium decrevit idem cardinalis, nec debere, nec posse illum praelationis suæ dignitate privari, quam nimis inconsulte intermisse videbatur ob defensionem veritatis, & fidelitatem apostolicæ*

Hist. Andag. monast. n. 125.

sedis : sciretque W. Andaginensem ecclesiam omnino interdictam sibi , aut pro certo excommunicatum cum omnibus fautoribus & subjectis suis. Hanc apostolica auctoritate sententiam Laurentius abbas sancti Vitoni & Robertus monachus interceperunt W. enuntiandam. Cui cum ad colloquendum diem & locum indixissent , illeque non convenisset , per Adelonem prepositum mandaverunt ei cardinalis decretum : Th. quoque litteris ad fratres destinatis ingravavit eis ejusdem excommunicationis periculum.

Boso S. Agerici abbas. *Hist. Andag. num. 79.*
Ampliff. collect. 26. 4. p. 972.

Pag. 498. Ad annum usque MCVI. Bofonem S. Agerici abbatem perducit Mabillonius , cujus obitum ait secundo idus Aprilis notatum esse in necrologio. Quis autem fuerit Boso discimus ex historia Andaginensis monasterii in qua hæc legimus : Boso abbas S. Agerici vir admodum optimæ religionis morabatur Jubilia cum episcopo suo Theoderico Virdunensi. Ibi infirmatus , cum se præsentiret moriturum , omnimodis precibus exegit a suis ad S. Hubertum se referendum , ibique sepeliendum. Prosequentibus autem quibusdam nobilioribus castri Hoiensis (fuerat enim inde benatus) nepos videlicet Bosonis archidiaconi (Leodiensis ,) sepultus est in ecclesia honorifice ad dextram altaris B. protomartyris Stephani , deserviente ejus exsequiis , qui tunc morabatur ibidem domno Henrico pontifice Leodiensi. Ex ejus parentum jure hereditario provenerunt huic ecclesie duæ mansiones xx. librarum in Hoiensi foro. Ex hoc loco patet Bofonem longe ante annum MCVI. diem ultimum obiisse. nam Theodericus episcopus Virdunensis qui ipsi supervixit anno MLXXXIX. ex hac vita migravit.

Conventus Aquisgranum adversus Otbertum. *Hist. Andag. n. 126.*

*Pag. 499. Anno MCVI. factus est conventus apud Aquisgranum feria v. primæ hebdomadæ quadragesimæ adversus Otbertum , qui fuldeque vertebat omnia jura , cum ecclesiastica , tum civilia. Unde evocatus querimonia totius cleri Leodiensis venit Aquisgranum palatium , donec Fredericus metropolitanus Colonienfis ibidem audientiam canonicæ discussionis publice habendam ipsi indixit. Advenit ille , advenit etiam cum abbatibus & archidiaconis multiplex Leodiensium clerus. Cumque de eo fieret a variis multiplex querimonia , pontifex Colonienfis , eo secum introducto , confedit. Tandem sedato tumultu , & data sententia , ut unus diceret pro omnibus , ad hoc exsequendum electus constitit in medio Henricus archidiaconus , qui dicere exortus ; *Hic* , inquit , clamor super dominum episcopum a nobis hodie agendus non ejus privata vitæ , cujus testis est Deus & judex solus ; sed de injuriis ecclesiasticis & nostris legibus & rebus publicis , videlicet quod abbas taxato pretio vendiderit , quod ecclesiastica ministeria , quæ præ sunt animarum curis , & quæ , utpote dona Spiritus sancti , donanda & accipienda sunt gratis , pacta mercede distribuerit ; quod in commune damnum ecclesiarum omnium provincialium monetas toties mutaverit & minuerit , & quod deterius est , corrumpi consenserit ; quod contra libertatem publici juris leges a majoribus nostris hactenus habitas violenter infringere contenderit ; quod nobis & quibusvis fidelibus S. Lamberti , ne hoc faceret , suggerentibus , audire contemserit ; quod tandem potentioribus episcopii exigentibus , ut se corrigeret , corrigendi se fidem dederit , & datam irritam fecerit ; quod thesauros ecclesiarum , quas exspoliavit , necdum , cum possit , restituere voluerit. Quia ergo sic se habet publica Leodiensis ecclesie relatio , præter privatas multorum querimonia quas longum est proclamare , convenit auctoritati vestre spiritum consilii & fortitudinis adesse , ut distante judicio reformetur justitia , & absolutis filiorum suorum querimoniis in pacem letetur mater ecclesia. Ad hæc archiepiscopus in concilio locutus Otberto rediit , breviterque concionatus super querimonia communi , Otbertum rubore immo indignatione confusum , de quibus culpabatur publice increpavit ; nec prius abstiit , quam de quibus criminabatur , cleri sui consilio & arbitrio corrigenda ediceret , ejusdemque conditionis propriam fidem & auctoritatem episcopalem in manu archiepiscopi deponeret. Terminum quo fidem exsolveret in concilio Colonienfi secunda dominica post pascha archiepiscopus præfixit , sicque jam vespera imminente , audientiam solvit. Sequens pascha Henricus rex Leodii celebravit , apud quem Otbertus effecit , ut concilium Colonia non celebraretur.*

Hist. Andag. n. 129.

*Pag. 499. Eodem anno Arnulfus comes Chimacensis hoc in loco monachus effectus kalendis Aprilis , obiit xvi. kalendas Maii. Ipse ante annos quadraginta cellam Pyrensem , beato Huberto in perpetuum habendam contulerat , & tunc moriturus pretium x. librarum dedit in eleemosynam. Pridie autem kalendas Maii obiit comes Cono apud castrum *Dothem* sub Leodio ; inde relatus sepultus est Dinano loco præelecto.*

Ibidem. Quidam miles Odo casatus erat de Mons , qui mediante Maio cum sciret fratrem quemdam illo advenisse pro censu accipiendo , assumto nepote suo Thiebaldus , furibundus supervenit adhuc mane quiescenti , & extracto gladio suo facinus de monacho perpetrasset , nisi Thiebaldus objecto cubito conatus ferientis sustinisset. Sic fugato fratre censum rapuit. Sed non hoc diu illi impune cessit. Nam reversus inde cum apud Rupem comiti Henrico in prandio ministraret , quasi amens pedem exurendum injecit cacabo carniū bullienti adhuc , & ex occasione ejusdem combustionis toto corpore tabefactus , reatum publice confessus est.

ibid. n. 130.

Pag. 517. Pisanam tunc ecclesiam administrabat Petrus episcopus , qui pastoralis officii esse considerans , omnium sibi commissorum saluti invigilare , & quieti atque utilitati venerabilium locorum in suo episcopatu consistentium specialiter prospicere ; & in eis viros honestate ac religione præclaros aggregare , de consensu omnium canonicorum suorum , quoddam juris ecclesie suæ monasterium antiquitus constructum in honore XII. apostolorum consecratum , Richardo abbati & monachis Massiliensibus concessit , ut illud habeant , teneant , disponant , & ordinent , in eoque fratres suæ congregationis ad Dei servitium ponant & constituent. Hoc namque libenter facere curavit , quia , inquit , per Dei gratiam , & per vestre sanctæ conversationis studium , locus in sanctitate & religione quotidie conservabitur , & de bono in melius proficiet. Unde eorum animæ qui monasterium construxerunt , nostrorumque fratrum coepiscoporum qui ex hoc sæculo transferunt : nostræ etiam animæ , qui huic negotio operam dedimus , nostrorum quoque successorum , ibidem fratribus commorantibus subvenientium , paradisi amœnitate & sanctorum consocietate sine fine fruuntur. Sunt vero quadam que pro matris ecclesie , cujus juris est , debito honore & reverentia ac ejusdem loci salvatione , nobis retinemus , ecclesie scilicet & monachorum consecrationem , expensas quoque in unoquoque anno pro refectioe , si qua erunt , xx. solidos Lucensis moneta valentes , &c. Hæc itaque acta sunt dominice incarnationis anno MCVIII. (lege MCVII.) v. idus Julii , indictione xv. apud episcopium nostrum juxta ecclesiam S. Georgii martyris. Hoc insuper volumus & firmamus , ut nullo tempore liceat vobis vel alicui vestre congregationis ex jam dicto monasterio arege vel a papa , vel aliqua potestate aliquam securitatem per privilegium vel per quamcumque scripturam querere vel habere contra nostræ ecclesie honorem , atque in obligationem a vobis fieri censemus & querimus. Ego Petrus Pisanæ ecclesie indignus episcopus hoc scriptum fieri feci & manu propria firmavi.

Monasterium XII. Apostolorum Pisanum datur S. Victorii Massiliensi. *Ampliff. Coll. 20. 1. p. 604.*

Pag. 590. Anno MCVIII. florebat in Trevirensi S. Maximini cœnobio Beringofus abbas , ad cujus frequentes preces Henricus IV. imperator ablata ab Emicone comite & Berlacho ejus filio restituit , idque per interventum Brunonis reverendi Trevirorum archiepiscopi , necnon venerabilium episcoporum Arlongi Wirziburgensis , Ruodolphi Basileensis , Cuononis Argentinensis , Brunonis Spirensis , Burchardi Monasteriensis , Odalrici Constantiensis , Ebbonis Novariensis , Geroldi Rimensis , Adalberonis Metensis ; necnon Odalrici Augiensis , & Erlolphi Morbacensis venerandorum abbatum , Frederici etiam ducis , Herimanni marchionis , Godefridi & Manegoldi palatinorum comitum , &c. ea videlicet conditione , inquit , ut parentum nostrorum & nostri congruis missarum celebrationibus assidua commemoratio sit , &c. Signum domni Henrici imperatoris auctus. Bruno cancellarius recognovit. Data VIII. idus Aprilis anno Domini MCVIII. regnante domno Henrico anno XIII. imperante vero II. Actum Wormatiæ in ipso die paschæ in Domino , amen.

Restitutio facta S. Maximino. *Ampliff. collecta 20. 1. p. 632.*

In vita Mabillonii emenda quod ibi dicitur natus in vico S. Petri de Monte , Saint Pierre-Mont , duabus circiter leucis Gallicis a Mussi-ponte ; lege a Mosomo ; nam Mussipontis civitas diocesis Metensis multo longius distat.



INDEX APPENDICIS SEQUENTIS.

- I. R. Aymundus Berengerii comes Barcinonensis abbatiam S. Petri de Galli-cantu prope Girundam Berengario abbati Crassenfi reformandam donat.
II. Litterae legati Engolismensis episcopi ad Conantum comitem pro causa Bella-insula. Plures aliae ea de re epistola.
III. Diploma Ludovici regis pro monasterio Tironensi.
IV. Bulla Innocentii II. papa pro monasterio Tironensi. Cella B. Mariae de Carneis erectio in abbatiam per Willelmum abbatem Tironensem.
V. Charta de fundatione monasterii Pruliacensis.
VI. Notitia de origine Bone-wallis monasterii prope Viennam.
VII. Charta pro Cella Condominii.
VIII. Statuta magistri Lamberti prioris Squillacensis.
IX. Guiberti abbatis Nevgenti prologus in Abdiam prophetam.
X. Societas Majoris-monasterii cum canonicis ecclesie Turo-nensis.
XI. Bulla Callistipape II. pro monasterio Vultur-nensi.
XII. Caroli Simplicis diploma pro monasterio Mauriana-wallis.
XIII. Excerpta ex Actis Annoberti episcopi Sagien-sis.
XIV. Privilegium Callisti papa II. de ecclesia S. Remigii in Provincia.
XV. Confirmatio Gaufridi Rotomagensis archiepiscopi de ec-clesia S. Martini de Nogento.
XVI. Requinus Tullen-sis episcopus confirmat compositionem factam inter Lanzanem abbatem S. Michaelis & abbatissam Laudunensem pro cella S. Theobaldi.
XVII. De electione Mabilie abbatissae Caritatis seu Roncereii.
XVIII. Honorii papa II. diploma apostolicum ad omnes epi-scopos & proceres Gallie, ut Pontium olim abbatem Clu-niacensem coerceant. Eiusdem ea de re litterae ad monachos Cluniacenses, & ad Humbaldum archiepiscopum Lugdu-nensem. Formula excommunicationis in Pontium & Pon-tianas. Honorii papa Bulla eiusdem argumenti.
XIX. Litterae Anscheri abbatis Centulensis de rebellionem opi-danorum Centulensium.
XX. Diploma Ludovici Crassi pro parthenone Calensi.
XXI. Udo abbas & conventus S. Petri Carnotensis assignant redditus ad renovandum augendumque armarium.
XXII. Joonis episcopi epistola ad Adelam comitissam Blesensem.
XXIII. Eridericus archiepiscopus Colonien-sis monachos Sta-bulenses & Malmundarienses reconciliat.
XXIV. Bulla Honorii II. pro Vindocinensi monasterio.
XXV. Statutum de sigillo abbatie S. Martini & Alba-marla.
XXVI. Bartholomaei episcopi Laudunensis notitia de excom-municatione & absolutione comitis Roceniensis.
XXVII. De Erlons & manso S. Lamberti S. Vincentio Lau-dunensi restitutis, & de induciis de S. Gabano.
XXVIII. Charta Childiberti III. Francorum regis pro mo-nasterio Argentogilensi. Charta Carlomanni pro eodem mo-nasterio.
XXIX. Admonitio in opuscula Frovini abbatis. Prologus Fro-vini abbatis in explanationem Dominica orationis.
XXX. Anserici archiepiscopi Vesuntionensis charta, qua Fa-vernianensis abbatia Casa-Dei subicitur.
XXXI. Charta Odonis abbatis S. Remigii, de fundatione Caribuse Montis-Dei, in diocesi Remensi.
XXXII. Gasleni seu Josteni Sueslonensis charta pro monaste-rio Silva-majoris de altari Teruiaci.
XXXIII. Synodus Montispeffulani, in qua ecclesia de Be-ciano S. Tiberio adjudicatur. Alia de eadem ecclesia.
XXXIV. Advocati jura in advocatia Condari pro monaste-rio S. Michaelis ad Mosam.
XXXV. Charta fundationis cenobii S. Stephani Herbipo-len-sis.
XXXVI. Lotbarii imperatoris diploma pro monasterio SS. Hilarii & Benedicti apud Venetias.
XXXVII. Jostenus Sueslonensis episcopus concedit Majori-monasterio ecclesiam SS. Rufini & Valerii. Litterae Odonis abbatis Majoris-monasterii ad Jostenum episcopum, de privilegiis episcopi Sueslonensis in prioratum S. Theobaldi. Innocentii papa II. confirmatio.
XXXVIII. Epistola consolatoria Petri diaconi Casinen-sis ad Richisam augustam super morte Lotbarii imperatoris. Alia eiusdem ad eandem.
XXXIX. Epistola Willelmi Francigenae ad Innocentium II.
XL. Stephani episcopi Parisien-sis charta de institutis monaste-rii Hederensis. Innocentii II. diploma pro eodem mona-

- sterio. Charta ejusdem de donatione Eustachia de Corbolio, facta ecclesie Hederensi. Eugenii III. diploma quo mona-sterii Hederensis omnes possessiones confirmantur.
XLI. Excerpta ex admonitione praevia ad theologiam christia-nam Petri Abaelardi, tom. V. Toesauri Anecd. p. 1142.
XLII. Acta primi capituli ordinis Carthusiensis. Alia ejus-dem ordinis Statuta ann. 1261. 1289. 1290. 1291. &c.
XLIII. Series abbatum S. Augustini Lemovicensis.
XLIV. Excerpta ex necrologio abbatia S. Petri de Calma. comite Montis-fortis. Altera donatio ecclesie S. Himerii facta Becensi monasterio ab Hugone II. comite de Montis-fortis. Bulla Lucii III. papa data an. 1182. priori & mona-phis S. Himerii. Vita S. Himerii anachoretae Basileensis.
XLVI. Eugenii III. Bulla pro Casa-Dei.
XLVII. Charta Bartholomaei episcopi Laudunensis, qua ex-stinguitur ecclesia S. Petri prope monasterium S. Jobannis.
XLVIII. Corbeiae-nova monachorum epistola ad Eugenium III.
XLIX. Fragmentum historicum de Ludovico VII. Francorum rege.
L. Eugenii papa III. Bulla de dedicatione ecclesie Montis-mar-tyrum.
LI. De felici obitu Bertranni abbatis Grandis-silvae, & de visis caelestibus post ejus mortem in ipsius monasterio factis.
LII. Stephani Metensis episcopi charta pro reformatione War-gavillensis parthenonis.
LIII. Epistola cxiv. Wibaldi abbatis Corbeiensis ad Euge-nium papam III. de Actis in electione abbatis Fulden-sis.
LIV. Eugenii papa III. epistola a paribus ad Gallicanos epi-scopos, qua jura Majoris-monasterii in parochialibus ei subiectis definit.
LV. Eugenii III. privilegium pro monasterio Ferrariensi.
LVI. Epistola S. Bernardi abbatis ad materiam imperato-ris Hispaniarum.
LVII. Statutum capituli generalis Gellonen-sis, de iis qua de-ferre debet is qui monasticum habitum induendus est.
LVIII. Conradii imperatoris praeceptum contra ministeriales Corbeiae-nova.
LIX. Epistola Wibaldi abbatis ad episcopum Hildensheimen-sis, de sua in abbatem Corbeiensem electione. Epistola Cor-beien-sium monachorum ad Bernardum episcopum Hildens-haimensem, de non admittendo apud Corbeiam Henrico quondam abbate deposito.
LX. Epistola encyclica Dolensium monachorum de obitu venerabilis Hervei monachi.
LXI. Permutatio domus regiae in silva Cotia ad condendum illic virginum monasterium. Confirmatio Ansculsi episcopi Sueslonensis. Donatio decima panis & vini facta ejus loci sanctimonialibus a Ludovico Juniore. Eiusdem Ludovici praeceptum, quo sanctimoniales ejus loci ad quadraginta rediguntur.
LXII. Epistola Wibaldi abbatis Corbeiensis ad Eugenium pa-pam III. de electione abbatis Fulden-sis.
LXIII. Josteli episcopi Saresberien-sis epistola ad Sugerium S. Dionysii abbatem.
LXIV. Privilegium Alexandri papa III. pro abbatia S. Martini de Chora.
LXV. Diploma Henrici comitis, quo S. Eugendo prioratus Campaniae confirmantur.
LXVI. Privilegium Eugenii papa III. pro abbatia Conchen-sis.
LXVII. Charta Ludovici VII. Francorum regis, qua abba-tiam S. Petri de Monte-Lerberico unit monasterio B. Ma-riae de Longo-ponte. Anastasi papa IV. confirmatio praedi-ctae donationis.
LXVIII. Decretum domni Roberti abbatis Vindocinensis. Lit-terae Goffridi Grisagonelle comitis Vindocinensis, &c.
LXIX. Litterae Samsonis Remensis archiepiscopi pro monaste-rio S. Gbileni.
LXX. Antiqua collectio Statutorum ordinis Cisterciensis.

ADDENDA IN TOMO IV.

- Epistola de electione abbatis Wicherii.
Charta Burchardi comitis pro monasterio S. Valarici.
Forma electionis Petri episcopi Anicien-sis.
Confirmatio Eusebii episcopi Andegaven-sis de donatione eccle-siae Crudenensis Vindocinensi monasterio facta.

Ibidem. Quidam miles Odo captus erat de Mons, qui mediante Maio cum sci- ret fratrem quemdam illo advenisse pro censu accipiendo, assumpto nepote suo Thie- baldo, furibundus supervenit adhuc mane quiescenti, & extracto gladio suo faci- nus de monacho perpetrasset, nisi Thiebaldus objecto cubito conatus ferientis sus- tinuisset. Sic fugato fratre censum rapuit. Sed non hoc diu illi impune cessit. Nam reverfus inde cum apud Rupem comiti Henrico in prandio ministraret, quasi amens pedem exurendum iniecit cacabo carniem bullienti adhuc, & ex occasione ejusdem combustionis toto corpore tabefactus, reatum publice confessus est.

Pag. 517. Pisanam tunc ecclesiam administrabat Petrus episcopus, qui pastora- lis officii esse considerans, omnium sibi commissorum saluti invigilare, & quieti at- que utilitati venerabilium locorum in suo episcopatu consistentium specialiter prospicere, & in eis viros honestate ac religione praclaros aggregare, de consensu omnium canonicorum suorum, quoddam juris ecclesiae suae monasterium antiqui- tus constructum in honore XII. apostolorum consecratur, Richardo abbati & mo- nachis Massiliensibus concessit, ut illud habeant, teneant, disponant, & ordinent, in eoque fratres suae congregationis ad Dei servitium ponant & constituent. Hoc namque libenter facere curavit, quia, inquit, per Dei gratiam, & per vestra sanctae conversationis studium, locus in sanctitate & religione quotidie conservabitur, & de bono in melius proficiet. Unde eorum anima qui monasterium construxerunt, nostrorum- que fratrum coepiscoporum qui ex hoc saeculo transierunt: nostrae etiam animae, qui huic negotio operam dedimus, nostrorum quoque successorum, ibidem fratribus commoranti- bus subvenientium, paradisi amenitate & sanctorum consocietate sine fine fruuntur. Sunt vero quaedam quae pro matris ecclesiae, cujus juris est, debito honore & reverentia ac ejus- dem loci salvatione, nobis retinemus, ecclesiae scilicet & monachorum consecrationem, ex- pensas quoque in unoquoque anno pro refectione, si quae erunt, xx. solidos Lucensis mo- netae valentes, &c. Haec itaque acta sunt dominica incarnationis anno MCVIII. (lege MCVII.) v. idus Julii, indictione xv. apud episcopium nostrum juxta ecclesiam S. Geor- gii martyris. Hoc insuper volumus & firmamus, ut nullo tempore liceat vobis vel ali- cui vestrae congregationis ex jam dicto monasterio a rege vel a papa, vel aliqua potestate aliquam securitatem per privilegium vel per quamcumque scripturam querere vel ha- bere contra nostra ecclesiae honorem, atque in obligationem a vobis fieri censemus & qua- rimus. Ego Petrus Pisanae ecclesiae indignus episcopus hoc scriptum fieri feci & manu pro- pria firmavi.

Pag. 590. Anno MCVIII. florebat in Trevirensi S. Maximini cenobio Beringo- sus abbas, ad cujus frequentes preces Henricus IV. imperator ablata ab Emicone comite & Berlacho ejus filio restituit, idque per interventum Brunonis reverendi Trevirorum archiepiscopi, necnon venerabilium episcoporum Arlongi Wirzburgensis, Rudolphi Basileensis, Cuononis Argentinen-sis, Brunonis Spirensis, Burchardi Monasteriensis, Odalrici Constantiensis, Ebbonis Novariensis, Geroldi Rifen-sis, Adalberonis Metensis; necnon Odalrici Augiensis, & Erlolphi Morbacensis venerandorum abbatum, Frederici etiam ducis, Herimanni marchionis, Godefridi & Manegoldi palatinorum comitum, &c. ea videlicet conditione, inquit, ut parentum nostrorum & nostri congruis missarum celebrationibus assidua commemoratio sit, &c. Signum domni Henrici imperatoris au- gusti. Bruno cancellarius recognovit. Data VIII. idus Aprilis anno Domini MCVIII. regnante domino Henrico anno XIII. imperante vero II. Actum Wormatiae in ipso die paschae in Domino, amen.

In Vita Mabillonii emenda quod ibi dicitur natus in vico S. Petri de Monte, Saint Pierre-Mont, duabus circiter leucis Gallicis a Mussipont; lege a Mosomo; nam Mussipontis civitas diocesis Metensis multo longius distat.

ibid. n. 130.

Monasterium XII. Aposto- lorum Pisanum datur S. Victo- ri Massiliensi. Ampliff. Coll. sa. t. p. 604.

Restitutio facta S. Maximino. Ampliff. collect. sa. t. p. 632.



INDEX APPENDICIS SEQUENTIS.

- I. **R**aymundus Berengerii comes Barcinonensis abbatiam S. Petri de Gallicantu prope Gerundam Berengario abbati Crassensi reformandam donat.
- II. Littere legati Engolismensis episcopi ad Conanum comitem pro causa Bella-insula. Plures aliae ea de re epistola.
- III. Diploma Ludovici regis pro monasterio Tironensi.
- IV. Bulla Innocentii II. papa pro monasterio Tironensi. Cella B. Mariae de Camcis erectio in abbatiam per Willelmum abbatem Tironensem.
- V. Charta de fundatione monasterii Prulliacensis.
- VI. Notitia de origine Bona-vallis monasterii prope Viennam.
- VII. Charta pro Cella Condominii.
- VIII. Statuta magistri Lamberti prioris Squillacensis.
- IX. Guiberti abbatis Novigenti prologus in Abdiam propebatam.
- X. Societas Majoris-monasterii cum canonicis ecclesiae Tironensis.
- XI. Bulla Callisti papa II. pro monasterio Falturvensi.
- XII. Caroli Simplicis diploma pro monasterio Maurianavallis.
- XIII. Excerpta ex Actis Annoberti episcopi Sagienfis.
- XIV. Privilegium Callisti papa II. de ecclesia S. Remigii in Provincia.
- XV. Confirmatio Gaufridi Rotomagensis archiepiscopi de ecclesia S. Martini de Nogeno.
- XVI. Requinus Tullensis episcopus confirmat compositionem factam inter Lanzonem abbatem S. Michaelis & abbatissam Laudunensem pro cella S. Theobaldi.
- XVII. De electione Mabiliae abbatissae Caritatis seu Roncereii.
- XVIII. Honorii papa II. diploma apostolicum ad omnes episcopos & proceres Galliae, ut Pontium olim abbatem Cluniacensem coerceant. Eiusdem ea de re littere ad monachos Cluniacenses, & ad Humbaldum archiepiscopum Lugdunensem. Formula excommunicationis in Pontium & Pontianos. Honorii papa Bulla eiusdem argumenti.
- XIX. Littere Anscheri abbatis Centulensis de rebellionepidanorum Centulensium.
- XX. Diploma Ludovici Crassi pro parthenone Calensi.
- XXI. Udo abbas & conventus S. Petri Carnotensis assignant redditus ad renovandum augendumque armarium.
- XXII. Ivonis episcopi epistola ad Adelam comitissam Blesensem.
- XXIII. Fredericus archiepiscopus Colonienfis monachos Stabulenses & Malmundarienses reconciliat.
- XXIV. Bulla Honorii II. pro Vinocinensis monasterio.
- XXV. Statutum de sigillo abbatia S. Martini & Alba-marla.
- XXVI. Bartholomaei episcopi Laudunensis notitia de excommunicatione & absolutione comitis Rocienfis.
- XXVII. De Erlons & manso S. Lamberti S. Vincentio Laudunensis restitutis, & de induciis de S. Gobano.
- XXVIII. Charta Childeberti III. Francorum regis pro monasterio Argentogilensi. Charta Carlomanni pro eodem monasterio.
- XXIX. Admonitio in opuscula Frovini abbatis. Prologus Frovini abbatis in explanationem Dominicæ orationis.
- XXX. Anserici archiepiscopi Vesuntionensis charta, qua Faverniacensis abbatia Casa-Dei subijcitur.
- XXXI. Charta Odonis abbatis S. Remigii, de fundatione Carthusiae Montis-Dei, in diocesi Remensi.
- XXXII. Gosleni seu Josteni Sueffonenfis charta pro monasterio Silvae-majoris de altari Terniaci.
- XXXIII. Synodus Montispessulani, in qua ecclesia de Beciano S. Tiberio adjudicatur. Alia de eadem ecclesia.
- XXXIV. Advocati jura in advocatia Condati pro monasterio S. Michaelis ad Mosam.
- XXXV. Charta fundationis cenobii S. Stephani Herbipolensis.
- XXXVI. Lotharii imperatoris diploma pro monasterio SS. Hilarii & Benedicti apud Venetias.
- XXXVII. Jostenus Sueffonenfis episcopus concedit Majori-monasterio ecclesiam SS. Rufini & Valerii. Littere Odonis abbatis Majoris-monasterii ad Jostenum episcopum, de privilegio episcopi Sueffonenfis in prioratum S. Theobaldi, Innocentii papa II. confirmatio.

- XXXVIII. Epistola consolatoria Petri diaconi Casinensis ad Richisam augustam super morte Lotharii imperatoris. Alia eiusdem ad eandem.
- XXXIX. Epistola Willelmi-Francigenae ad Innocentium II.
- XL. Stephani episcopi Parisiensis charta de institutis monasterii Hederensis. Innocentii II. diploma pro eodem monasterio. Charta eiusdem de donatione Eustachiae de Corbolio, facta ecclesiae Hederensis. Eugenii III. diploma quo monasterii Hederensis omnes possessiones confirmantur.
- XLI. Excerpta ex admonitione prævia ad theologiam christianam Petri Abaelardi, tom. V. Thef. Anecd. p. 1142.
- XLII. Acta primi capituli ordinis Carthusiensis. Alia eiusdem ordinis Statuta ann. 1261. 1289. 1290. 1291. &c.
- XLIII. Series abbatum S. Augustini Lemovicensis.
- XLIV. Excerpta ex necrologio abbatia S. Petri de Calma.
- XLV. Prima donatio facta ecclesiae S. Himerii ab Hugone I. comite Montis-fortis. Altera donatio ecclesiae S. Himerii facta Beccensis monasterio ab Hugone II. comite de Montis-fortis. Bulla Lucii II. papa data an. 1182. prioris & monachis S. Himerii. Vita S. Himerii anachoreta Basileensis.
- XLVI. Eugenii III. Bulla pro Casa-Dei.
- XLVII. Charta Bartholomaei episcopi Laudunensis, qua extinguitur ecclesia S. Petri prope monasterium S. Jobannis.
- XLVIII. Corbeiae-novae monachorum epistola ad Eugenium III.
- XLIX. Fragmentum historicum de Ludovico VII. Francorum rege.
- L. Eugenii papa III. Bulla de dedicatione ecclesiae Montis-martyrum.
- LI. De felici obitu Bertranni abbatis Grandis-silvae, & de visis caelestibus post ejus mortem in ipsius monasterio factis.
- LII. Stephani Mettensis episcopi charta pro reformatione War-gavillensis parthenonis.
- LIII. Epistola CXXIV. Wibaldi abbatis Corbeiensis ad Eugenium papam III. de Actis in electione abbatis Fuldenfis.
- LIV. Eugenii papa III. epistola a paribus ad Gallicanos episcopos, qua jura Majoris-monasterii in parochialibus ei subiectis definit.
- LV. Eugenii III. privilegium pro monasterio Ferrariensi.
- LVI. Epistola S. Bernardi abbatis ad materteram imperatoris Hispaniarum.
- LVII. Statutum capituli generalis Gellonenfis, de iis qua deferre debet is qui monasticum habitum induendus est.
- LVIII. Conradus imperatoris preceptum contra ministeriales Corbeiae-novae.
- LIX. Epistola Wibaldi abbatis ad episcopum Hildenesheimensem, de sua in abbatem Corbeiensis electione. Epistola Corbeiensium monachorum ad Bernardum episcopum Hildenesheimensem, de non admitendo apud Corbeiam Henrica quondam abbate deposito.
- LX. Epistola encyclica Dolensium monachorum de obitu venerabilis Hervoi monachi.
- LXI. Permutatio domus regiae in silva Cotia ad condendum illic virginum monasterium. Confirmatio Ansculfi episcopi Sueffonenfis. Donatio decima panis & vini facta ejus loci sanctimonialibus a Ludovico Juniore. Eiusdem Ludovici preceptum, quo sanctimoniales ejus loci ad quadraginta rediguntur.
- LXII. Epistola Wibaldi abbatis Corbeiensis ad Eugenium papam III. de electione abbatis Fuldenfis.
- LXIII. Jofeli episcopi Saresburiensis epistola ad Sugerium S. Dionysii abbatem.
- LXIV. Privilegium Alexandri papa III. pro abbatia S. Martini de Chora.
- LXV. Diploma Henrici comitis, quo S. Engendo prioratus Campaniae confirmantur.
- LXVI. Privilegium Eugenii papa III. pro abbatia Conchenfis.
- LXVII. Charta Ludovici VII. Francorum regis, qua abbatiam S. Petri de Monte-Lethericouni monasterio B. Mariae de Longo-ponte. Anastasi papa IV. confirmatio prædictæ donationis.
- LXVIII. Decretum domni Roberti abbatis Vinocinensis.
- LXIX. Littere Samsonis in concilio Remensi data pro monasterio S. Ghisleni.

APPENDIX


TOMI SEXTI ANNALIIUM BENEDICTINORUM,

Varia monumenta & diplomata complectens.

I.

Raymundus Berengerii comes Barcinonensis abbatiam S. Petri de Gallicantu prope Gerundam Berengario abbati Crassensi reformandam donat.

Ad lib. 73.
n. 19.
Ex Autogra-
pho.



IN nomine sanctæ & individuae Trinitatis. Ego Raymundus Berengerii gratia Dei comes Barcinonensis, propter remedium animæ meæ & patris mei & matris meæ & omnium parentum meorum, dono Domino Deo, & sanctæ Mariæ monasterii Crassæ, & domno Berengario abbati fratri meo & successoribus ejus, & omnibus ipsius loci tam præsentibus quam futuris, quoddam monasterium quod vocatur S. Petri de Gallicantu, quod est situm prope muros civitatis Gerundæ, cum omnibus pertinentiis, tali videlicet tenore, ut ipse abbas S. Mariæ Crassæ & successores ejus abbatem ibi & monachos mittat, qui ordinem ibi secundum regulam S. Benedicti tenere faciat, & ipse abbas supradicti loci S. Petri sit sub abbatibus S. Mariæ Crassæ; ita ut ipse abbas Crassensis . . . est, abbatem & monachos ibi mittat de congregatione S. Mariæ Crassæ. Ideo autem hæc facio, ut supradictus locus S. Petri hætenus a sæcularibus monachis valde dissipatis . . . etiam omnia bona ipsius domus interiora & exteriora tamquam negligentes, & nullam religionis regulam observantes, male tractaverunt, & ut fideliter emendetur & regulariter institatur, sicut supra dictum est, dono & laudo supradictum monasterium Domino Deo & S. Mariæ Crassæ, & abbati & monachis & successoribus eorum in perpetuum: & hoc facio cum consilio bonorum meorum hominum Geraldii Poncii vicecomitis Gerundensis & Raiambaldi de Basola, & Guillelmi Gaufridi de Cerivano, & Berengarii Bernardi senescalli de Barchinona. Facta charta vel scriptum concessionis & donationis necnon & confirmationis XII. kalendas Februarii anno ab incarnatione Domini MCVII. regnante Ludovico rege.

II.

Littere legati Engolismensis episcopi ad Conanum comitem pro causa Bella-insula.

Ad lib. 73.
n. 20.

ERARDUS Engolismi episcopus & sanctæ Romanæ ecclesiae legatus Conano comiti strenuo & illustri principi Britanniae salutem & benedictionem. Quia vos pacem ac justitiam dili-

gere audivimus, gaudemus; sic enim boni principes faciendo, summi regis gratiam adipiscuntur. De vobis vero speramus, quoniam de bonis initiis ad proventum in melius semper intendatis: sicut e contrario de malis initiis ad augmentum malorum pertingitur. Sanctorum igitur apostolorum benedictionem vobis impertimur, & ut honorem sanctæ Dei ecclesiae exhibeatis, ut ipse principatum vestrum conservare dignetur, exhortamur. Porro abbatem Kemperlegiensis ac monasterium illud quod antecessores vestri religionis intuitu in honore sanctæ Crucis fundaverunt, attentius defensionem vestram commendamus. Quod autem audivimus quia personis terræ vestræ interdictis ne ad justitiam sanctæ Romanæ ecclesiae veniant, valde miramur, quod nec reges nec ceteri principes facere præsumunt, præcipue cum antecessores vestros, sicut in scripturis reperitur, a vicario beati Petri, scilicet domino papa, principatum suum tenuisse manifestum sit. Quod si pravo alicujus consilio facere volueritis, noveritis pro certo sanctæ Romanæ ecclesiae sententiam & gladium beati Petri vobis & principatui vestro imminere.

Littere Gerardi Engolismensis episcopi ad Corisipitensem episcopum.

GERARDUS Engolismensis episcopus ac sanctæ Romanæ ecclesiae legatus Roberto Corisipitenfi venerabili episcopo salutem & benedictionem. Dilectioni vestræ mandamus quod si comes Conanus vestræ terræ in res Kemperlegiensis abbatis manus suas injicere præsumserit, eum interdicatis, & totam terram ejus quæ in episcopatu vestro est, divinis officiis privetis. Quod si tantum sacrilegium sine justitia, quod abfit, sustineretis, noveritis pro consensu vobis canonicam sententiam imminere.

Datum & definitum judicium de controversia super Bellam-insulam inter Rotonensem & Kemperlegiensis abbatem, a Gerardo Engolismensi episcopo & sanctæ Romanæ ecclesiae legato.

EGO Gerardus Engolismensis episcopus & sanctæ Romanæ ecclesiae legatus præsentibus & futuris notum fieri volo, quod fratres nostri

Herveus abbas Rotonensis cum Briccio Nannetensi episcopo & quibusdam monachis suis, & Gurhandus Kemperlegiensis abbas cum Roberto Corisopitenfensi episcopo & quibusdam monachis pro controversia quam inter se habebant super terram quæ Bella-insula vocatur, in curiam nostram venerunt. Cumque rationes suas pars utraque exposuisset, & nos super rationibus eorum iudicium sententiam dare intendere-mus, prædictus abbas Rotonensis, quia se insufficienter ad causam munitum sentiebat, a nobis inducias postulavit; cuius petitioni curiæ nostræ consilio acquiescentes, inducias ei postulanti concessimus. Termino itaque constituto, præfatus abbas Kemperlegiensis iterum pro agenda causa sua paratus in curiam nostram venit; abbas vero Rotonensis minime venit, excusationes tamen suas, alias postulans inducias per nuntium suum præterit. Cum autem prædictus abbas Kemperlegiensis ut causæ suæ finem imponeremus, obnixius instaret, habito iterum curiæ nostræ consilio abbati Rotonensi inducias annuimus. Interim verò termino causæ eorum a nobis affixo nondum transacto, supranominatus abbas Rotonensis sinistro usus consilio, ecclesiastica censura seculari tyrannidi posthabita, terram dictam Bellam-insulam, de qua controversia erat, per violentiam Conani Britannicæ comitis ingressus, homines Kemperlegiensis monasterii armata manu inde expulit atque irrationabiliter occupavit. Unde nos cum supra tanta injuria clamorem suscipere-mus, abbatem Rotonensem ut de tanta tamque enormi invasione termino dato paratus respondere veniret, litteris & internuntiis nostris præmonuimus. Quo termino tam ipse quam Kemperlegiensis abbas præsentem ante nos affuerunt. Cum vero a nobis ammoneretur ut de prædicta invasione responderet, excusationes prætertere cœpit, & se minime acturum ad præsens de invasione respondit. Nos igitur eum subterfugere nec canonicas excusationes prætertere audientes, una cum fratribus nostris Petro Santonensi electo, Hugone abbate sancti Eparchii, Iterio magistro scholarum Santonensi, Hugone Cenomannensi canonico, Gurhando Kemperlegiensis abbati investituram prædictæ insulæ plenariam adjudicavimus; eumque quantum ad nos pertinuit salvo jure Rotonensis monasterii investivimus, atque abbati Rotonensi qui præsens aderat, præcepimus ut homines suos inde revocaret, & abbati Kemperlegiensis investituram suam quiete dimitteret. Interfuerunt autem huic nostro iudicio prædicti fratres qui una nobiscum judicaverunt, Renaldus quoque prior Vertanensis, Tiso, Vitalis, Nannetensis episcopi clerici, Guillelmus, Guardardus, Guillelmus, Geraldus, Renaldus Santonenses clerici, Richardus, Jübanus, Raimundus, Aldradus, Teduinus Engolismenses canonici & plures alii clerici & laici. Et ut hoc nostrum iudicium firmiter & certius permaneat, propria manu nostra subscripsimus & auctoritatis nostræ sigillo muniri fecimus. Actum est autem Engolismæ anno incarnationis dominicæ MXXVII. indictione decima, regnante Ludovico rege Francorum regis Philippi filio.

Littera item legati ejusdem ad Morvanum Venetensem episcopum.

Gerardus Engolismensis episcopus & sanctæ Romanæ ecclesiæ legatus, Morvano Venetensi episcopo salutem & benedictionem. Cum fratres nostri Herveus abbas Rotonensis & Gurhandus abbas Kemperlegiensis pro causa Bellæ-insulæ in curia nostra præsentem adessent, judicavimus quod abbas Rotonensis Kemperlegensem abbatem de Bella-insula investiret, quoniam eum sine audientia & iudicio laica manu exspoliaverat. ad quam investituram plenarie faciendam minus mensis spatium terminum posuimus, & nisi infra terminum investiretur, proprio ore nostro abbati Rotonensi & sacerdoti & abbatis officium interdiximus, atque abbatiam totam divinis officiis privavimus. Mandamus itaque fraternitati tuæ atque apostolicæ sedis auctoritate præcipimus, ut hoc interdictum nostrum & in abbate & in abbacia firmiter & inconcusse teneri ex nostra & tua parte facias.

Item ejusdem litteræ ad omnes Britannicæ episcopos.

Gerardus Engolismensis episcopus & sanctæ Romanæ ecclesiæ legatus venerabilibus fratribus Briccio Nannetensi, Marbodo Redonensi, Morvano Venetensi, Rivallono Aletensi, ceterisque Britannicæ episcopis salutem & benedictionem. Dilectionem vestram nosse volumus quod Rotonensem abbatem pro invasione quam super Kemperlegiensis monasterium fecerat, auferendo ei suam meliorem possessionem, ante præsentiam nostram vocavimus, eumque de tanta præsumptione correximus, consilioque sapientum virorum adjudicavimus, ut Kemperlegiensis fratres cum omnibus sibi ablatis ex integro revestiret, eique competentem terminum præfecimus quo id adimplere deberet, quod nifaceret & sacerdoti & abbatis officium ei interdiximus, sibi & suis monachis introitum ecclesiæ prohibuimus. Abbas vero Rotonensis sua Kemperlegiensibus fratribus non restituit, nostrum interdictum immo sanctæ Romanæ ecclesiæ fregit, & adhuc frangere præsumit. Unde fraternitati vestræ mandamus ut in ecclesiis & conventibus vestris eum publicetis, & pro schismatico & excommunicato habeatis, & parochianis vestris enuntietis quatenus Rotonensium monasterium non visitent, nec se ad sepulturam ibi tradant. In obedientiis quoque & cellis eorum quas in vestris episcopatibus habent divinum officium fieri prohibete. Insuper ex parte nostra Conanum comitem diligenter convenite, ut infra triginta dies tantam tamque præsumtuosam invasionem absque dilatione corrigat: quod nifecerit, in eum & in totam terram suam gladium sancti-Spiritus terribiliter excremus.

Item littera ejusdem ad Herveum Rotonensem abbatem de invasione Bella-insulæ & de inobedientia.

Gerardus Engolismensis episcopus & sanctæ Romanæ ecclesiæ legatus Herveo Rotonensi abbati. In exordio epistolæ te salutarem, nisi quia interdictum nostrum contemnis, & cum monachis

monachis tuis schismaticis factis scienter participas. Apostolicæ siquidem sedis auctoritate te invitamus, ut concilio quod in secunda hebdomada imminentis quadragesimæ Engolismæ celebraturi sumus remota omni occasione interfis, de invasione Bellæ-insulæ & de inobedientia quod justitia dictaverit suscepturus.

Ad Morvanum Venetensem episcopum.

Gerardus Engolismensis episcopus & sanctæ Romanæ ecclesiæ legatus Morvano venerabili Venetensi episcopo salutem & benedictionem. Adversus pullulantia vitia & enormitates in ecclesia & populo Dei emergentes, ex præcepto domini nostri papæ concilium in secunda hebdomada imminentis quadragesimæ Engolismæ celebrare disposuimus. ad quod fraternitatem vestram invitamus, atque apostolicæ sedis auctoritate vobis præcipimus, ut Herveum Rotonensem abbatem ex nostra & vestra parte, quod remotis occasionibus eidem concilio interfit, invitetis. Quod si a tanto conventu se subtraxerit, procul dubio canonicæ districtiois sententiam suscipiet.

Littera Ermengardis comitisse ad Gerardum Engolismensem legatum.

Venerabili domino & pio patri Gerardo Engolismensi episcopo & sanctæ Romanæ ecclesiæ legato, Ermengardis comitissa humiliter vestræ humilitatis ancilla salutem. Benevolentia vestræ gratias ago, quod humilitatem meam & salute vestra & benedictione imo & oratione dignemini. Quod autem mihi impositis ut inter monachos concordiam & pacem reformare studeam, pro imperio vestro libens amplector: unum mihi molestum est, quod Rotonenses & interdictos tenetis & excommunicatis. Hoc si vestræ discretionis placeret, ad tempus oporteret relaxari: præsertim cum filius meus in hoc se maxime gravari & monachos injuriari queratur. Quidquid enim hic fecit, ex præcepto domini papæ & vestro asserit se fecisse, & si quid aberravit, iudicio episcoporum suorum præsto est emendare; sed & in conspectu vestro, si ad locum idoneum accedatis, de omnibus responsurum se dicit, & quod justitia exegerit hoc facturum. Bene igitur feceritis si inducias usque ad concilium vestrum & comiti detis & monachis Kemperlegiensibus quoque quæso interim ad nos dirigite, ut de concordia Deo annuente tractemus: sed & dominum Corisopitensem per vos rogamus, ut redeat, plenam a filio meo secundum consilium episcoporum consecutus justitiam vel assecutus concordiam. Sin autem nihil horum prudentiæ vestræ sedet, filius meus in concilio vestro quod ei ratio ostenderit, per episcopos & abbates suos vobis responderi curabit.

Ad Gislebertum Turonorum archiepiscopum littera Conani comitis.

Gisleberto Dei gratia Turonensi archiepiscopo dilecto suo dulcissimo Conanus Britannorum dux salutem & servitium. Grates de bono quod mihi mandare dignati estis vobis non

Annal. Bened. Tom. VI.

modicas refero: de hoc autem quod de episcopo Corisopitenfensi & abbate suo mihi mandastis, vobis respondeo me, si error fuit, iussu domini papæ erravisse, & libentissime vestro consilio & Britannicæ episcoporum me malefactum emendaturum, aut si ipsi malunt, rectitudinem coram vobis & Britannicæ episcopis facturum. Unde vobis mando & multum imploro, ut nostri gratia ad unum istorum illos moneatis.

Gisleberti Turonorum archiepiscopi littera ad Conanum comitem.

Gislebertus humilis Dei gratia Turonorum minister dilecto filio Conano illustri Britannicæ duci salutem & benedictionem. In primis debitas vobis gratias referimus, quod nuntium nostrum ad vos, sicut ex verbis ipsius accepimus, honorifice suscepistis: multo etiam gratius nobis fuit quod ad deprecationis & petitionis nostræ legationem benignius si perficistis respondistis. De eo tamen quod consilio domini papæ vos errasse, si error fuit, significastis, pro certo scitote, quod quædam ipsius litteras ad vos de querela Corisopitenfensi episcopi & Kemperlegiensis abbatis, quædam etiam ad dominum legatum de eodem negotio vidimus, in quibus, salva vestra gratia dico, consilium illud papæ quod dicitis nequaquam consonat. Ceterum quod illud emendare promittitis, & consilio nostro sive iudicio atque confratrum nostrorum episcoporum Britannicæ de re ista satagere, multum nobis placet, & inde vobis referimus gratias. Est itaque consilium nostrum ipsos confratres nostros, Corisopitensem scilicet & Kemperlegiensis abbatem, ad dilectionis vestræ benignitatem dirigere, & vos tamquam carissimum filium deprecari & exhortari fideliter, quatenus in hac re commonitionibus seu etiam præceptis domini papæ Paschalis, præceptionibus quoque prædecessorum ejus pontificum, quorum privilegia de hac possessione Kemperlegiensis monasterii vidimus, nequaquam obsistere studeatis. Potius juxta consilium domini papæ Paschalis & Engolismensis legati adjudicatam perceptionem Kemperlegiensis abbatem vos pleniter investire laudamus, deprecamur, monemus. & si querelam istam consilio fratrum nostrorum episcoporum Britannicæ pacificare, Deo juvante, potestis, volumus & concedimus. Verum, quod absit, si ad præsens pacatum finem non est habitura, nos per Dei gratiam opportuno tempore & loco, juxta quod petitis & nos debemus, justitiæ utriusque partis non deerimus.

Lugdunensis & Bisuntina ecclesia archiepiscopi ad Engolismensem episcopum.

Egregio fratri Gerardo reverendo Engolismensi episcopo & apostolicæ sedis vicario Jocerannus Lugdunensis ecclesiæ servus, & Anserinus Bisuntinus archiepiscopus salutem & vestri sacerdotii dignitatem. Iudicium quo discretio vestra controversiam quæ inter Gurhandum abbatem sanctæ Crucis Kemperlegiensis & Herveum Rotonensem abbatem terminavit, dominus papa audiens & auctoritate litterarum suarum, quidquid inde feceritis, corroboravit.

Nos igitur de iustitia ac reſtitutione veſtra plurimum confidentes, ſummopere veſtram deprecamur dignitatem, quatinus præſatum iudicium, a domino papa confirmatum, perpetuo teneri & obſervari facientes, abbati ſanctæ Crucis iuſtitiam competentem ac legitimam faciatis, donec ius eccleſiæ ſuæ in pace poſſideat, ſcientes nos pro certo multo his majora pro vobis facturos, ſi ope noſtra in aliquo negotio indigeretis. Optamus vos ſemper bene valere & in omnibus viriliter agere.

Exemplar litterarum domini Paſchalis papa ad Engoliſmenſem legatum.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Gerardo Engoliſmenſi epiſcopo apoſtolicæ ſedis vicario, & fratribus qui cum eo ſunt ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Fraternitati veſtræ compatitur noſtræ dilectionis affectus, pro eo quod vos anguſtiari anguſtiis plerique cognovimus. Ceterum & nos non minora tribulationum pondera ferimus, pro quibus fraternitatem veſtram rogamus, ut ad omnipotentem Deum preces & gemitus effundatis, & idipſum per univerſas parochias veſtras fieri præcipiatis, quatenus omnipotens Deus multiplici miſeratione eccleſiam ſuam reſpiciat, & perſecutionum æſtus ceſſare præcipiat. Interdicti ſententiam quam ſuper Rotonenſem abbatem protuliſtis & ejus abbatiam, nos ratam ducimus, donec veſtro iudicio ſatisfaciat. Comitum vero noſtris litteris commonemus, ne aſſenſum ſuum illius pertinaciæ præbeat, quin etiam vobis eum obedire compellat. Quod ſi aliter fecerit, ſi quid vos in eum communi conſilio auſterius decreveritis, nos favoris noſtri aſſentione firmamus. Data Trevanæ ſecundo kal. Decembris.

Item ejuſdem ad Conanum comitem.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Conano illuſtri Britannorum comiti ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Noſſe debes, fili cariſſime, quia non eſt poteſtas niſi a Deo. Per ipſum igitur poteſtate accepta, noli adverſus eum cervicem cordis erigere, nec ejus eccleſiam impugmare, ſed potius ejus omnipotentiam cogita, & humiliter eccleſiæ præcepta cuſtodi, ut qui magna ſuſcepisti, merearis majora ſuſcipere. Rotonenſem abbatem audivimus, contempta vicarii noſtri Engoliſmenſis epiſcopi reverentia, per violentiam tuæ poteſtatis Bellam-inſulam invaſiſſe, & Kemperlegienſes inde monachos expulſiſſe. quam ob cauſam cum iudicio vicarii obedire contemneret, per eum eſt ab abbatis & ſacerdotis officio interdictus, & abbatia tota officiis privata divinis. Verum enimvero interdictum ipſum pertinaci præſumptione contemnit. Tuam itaque indolem commonemus, & tamquam eccleſiæ filio præcipimus, ne te eorum arrogantia socias, ſed eos ad eccleſiæ iudicium peragendum ipſe compellas; alioquin quæcumque adverſus te pro hoc reatu ſententia proceſſerit, nos ratam domino auctore tenebimus. Data Trevanæ ii. kalend. Decembris.

Exemplar chartulae Conani comitis de redditione & confirmatione Bella-inſulae.

IN nomine ſanctæ & individuae Trinitatis, ego Conanus humilis Britanniae dux, cum ſore meae Hadeuguis, & matre mea Ermenjart, dono & concedo pro ſalute animæ meæ & parentum meorum monaſterio quod Kemperlegii in honore ſanctæ Crucis conſtructum eſt, terram quæ Bella-inſula vocatur cum omnibus redditibus ſuis, ut pater meus Alanus fecit, & avus Hoël, & atavus Alanus. Calumniam namque Rotonenſium, quæ in noſtro tempore per cupiditatem & invidiam ſuper hac terra orta eſt, & pro qua dominus Robertus Coriſopitenſis epiſcopus cum clero Cornubiæ, & Gurguandus Kemperlegienſis abbas cum monachis ſuis per annum & fere dimidium perſiterunt, falſam eſſe atque omnino ſopitam apoſtolicam auctoritate atque iudicio novimus, ad quam Herveum Rotonenſem abbatem, & Gurchandum Kemperlegienſem abbatem pro controverſia quam ſuper hac terra habebant, miſimus. Nunc igitur prædictam inſulam cum omnibus ^{* al. ſuis.} ſibi pertinentibus, quam Herveus Rotonenſis abbas per vim meæ poteſtatis invaſerat, pro qua invaſione cum tota abbatia ſua ultra ſpatium unius anni apoſtolica auctoritate juſte interdictus atque excommunicatus fuerat, Kemperlegienſi monaſterio & omnibus monachis ibidem manentibus in manibus Gurchandi ejuſdem eccleſiæ abbatis ſine aliqua per me vel per meos poſteros ulterius inquietudine in perpetuum reddo. Monachum etiam quem abbas Rotonenſis de ſæpe dicta inſula ſecum adduxerat, de Rotonenſi clauſtro ad ſuum locum reddi feci. Quicumque autem Kemperlegienſe monaſterium pro hac re amplius inquietaverit, apoſtolica auctoritate percutietur & noſtra conſulari ſeveritate quaſſabitur. Actum eſt hoc Rotoni anno MCXVIII. incarnati Verbi in præſentia domini Roberti Coriſopitenſis epiſcopi, & Marbodi Redonenſis epiſcopi, & Briccii Nannetenſis epiſcopi, & Morvani Venetenſis epiſcopi. Teſtes vero hujus rei ſunt hi. . .

Relatio ſeu notitia controverſia prædicta facta a Gurhendeno monacho Kemperlegienſi.

Notum ſit omnibus a nemine Rotonenſium abbatum calumniam ullam uſquam noſtro monaſterio illatam fuiſſe, ſed concordia fraternitate utriuſque monaſterii abbates & conventus unanimiter vixiſſe, donec illorum quidam Herveus abbas comitis ſultus auxilio, impetivit nos, cujus illatam injuriam veridicæ æquitatis ratione cooperante Spiritus-ſancti gratia ad nihilavimus. Sed primum videamus quot abbates utriuſque partis fuerunt, & quam concorditer fuerunt. Sanctus igitur Gurloëſius ſanctæ Crucis eccleſiæ primus abbas exiſtens, eam annis viginti quinque in quiete & pace bonâ gubernavit, per quem in vita Deus multa ostendit miracula, nunc quoque in morte uſu quotidiano plurima declarantur. Huic autem ſanctus Johannes in regimine eidem eccleſiæ ſuccedens, ſine vi & ſine calumnia nondecim annis vixit. Hujus multa bona opera, tam clericus quam

laicus recitantur. Poſt hunc autem Vitalis abbas a nullo inquietatus in eadem ſede per novem laudabiliter vixit annos, cujus oſſa multos ſanitati infirmos reſtituit. Quartus vero Vingo-marus * eandem adeptus eſt ſedem, quam tribus annis pacifice rexit, cujus corpus in eccleſia Dei-genitricis apud Kemper ſancti Corentini ſuaviſſimo redolens odore, aperto ſepulcro totum integrum conſpicitur. Poſt hos quoque Benedictus vir ſatis boni teſtimonii in eadem gubernatione. L. & duobus vixit annis. Hic autem ſextus abbas, cui falſo calumnia objicitur, neque per ſe neque per epiſcopum provincie interpellatus eſt, antequam injurioſe apud, ut aiunt, apoſtolicum & legatum nobis ignorantibus clamor factus ſit. Sed inſuper etiam abbas Rotonenſis erga tyrannicam & ſæcularem poteſtatem, videlicet terræ principem, de inſula ſupradicta fecit clamorem, data & promiſſa pecunia in ſupplantationem alterius eccleſiæ, nobis nuſquam veritatem fugientibus.

Hæc autem noſtra abbatia a conditoribus ſuis, Alano & filio ejus Hoëlo conſulibus & abbatibus ſupradictis ſub tutela & patrocinio ſanctæ Romanæ eccleſiæ in perpetua deſenſione poſita eſt, pactis atque datis duobus denariis aureis in redditionem ſingulis annis & ad contactum, acceptis privilegis a ſanctis apoſtolicis viris, quæ in ſecretario noſtri monaſterii ſervantur, & exemplaria in hoc libello continentur. Sciendum eſt autem ex alia parte quod Catwallonus abbas ſancti Salvatoris coadjutor fundationis eccleſiæ ſanctæ Crucis extiterit; ipſe enim priorem ſuum Gurloëſium comiti ad abbatem tranſmiſit, qui etiam fraternitatem noſtram ab abbate & fratribus in vita & in morte recepit, atque eis quoque donavit. quod pactum uſque hodie ſcriptum inter utroſque reſervatur. Hujus abbas Hugunnanus ſucceſſor eandem pacem firmiſſima ſtabilitate tenens nullatenus tranſgreſſus eſt. Poſt hunc Perrenſius cum ſumma caritate Kemperlegienſes fratres eodem tenore ſuſcepit. Deinde hujus ſucceſſor Almodus ſub vinculo fraternitatis illud idem ſervavit. Abbas quoque Bili * nomine, aliorum prædeceſſorum in pace eadem ſervavit. Poſt hos Robertus mutuam utriuſque loci devotionem jam dictæ fraternitatis abſque aliqua diſſenſione retinuit. Juſtinus etiam conſectus ſenio inviolabilem utriuſque partis ſocietatem pari modo cuſtodivit. Gualterus vero quod ſui prædeceſſores firmaverant quamdiu vixit pari vinculo amicitia ratum tenuit. Hi omnes in eadem ſupradicta fraternitate & ſocietate ſine ulla calumnia exiſtiterunt.

Ne placitum Hervei Rotonenſis abbatis & Gurhandi Kemperlegienſis monaſterii abbatis in curia Gerardi Engoliſmenſis epiſcopi & ſanctæ Romanæ eccleſiæ legati aliquantulum ventilatum oblivioni tradatur, ſcriptum fieri decrevimus. Herveus igitur Rotonenſis abbas in primis Bellam-inſulam ab Alano conſule ſuo monaſterio injuſte ablatam fuiſſe, & deinde ſuos monachos cum interfectione centum viginti hominum expulſiſſe, ſicque de hac injuria in conciliis plerumque clamorem feciſſe, ſed numquam juſtitiam inveniriſſe conqueſtus eſt. Abbas vero Gurhandus e contra hereditate Bellam-inſulam ab Alano conſule qui eam hereditario jure

poſſidebat, ſuo cœnobio ſine aliqua calumnia datam fuiſſe, ſuoſque anteceſſores ſcilicet quinque abbates eam in quiete poſſediſſe, poſtremo affirmans prædictam inſulam a ſuis prædeceſſoribus ad minus per tricennium poſſeſſam fuiſſe. Cumque ab eo quaſitum fuiſſet, quot anni erant a fundatione eccleſiæ uſque ad tempus Benedicti abbatis ſui anteceſſoris, & quo anno dominicæ incarnationis ſua eccleſia fundata fuerat; reſpondit ſuam eccleſiam fundatam fuiſſe anno M V I I I. incarnati Verbi: a fundatione vero eccleſiæ uſque ad tempus Benedicti LVI. annos. Ad oſtendendum quoque calumniam Rotonenſium eſſe falſam, primum abbatem ſui monaſterii ſcilicet ſanctum Gurloëſium de monaſterio ſancti Salvatoris cum concordia ſuorum fratrum ab Alano conſule quaſitum & electum fuiſſe. Abbas vero Rotonenſis ad hæc reſpondit, ideo ſuos anteceſſores ſanctum Gurloëſium abbatem conſeſſiſſe, quia eadem inſula vivente S. Gurloëſio ſibi non fuerat ablata. Sed cum a Rotonenſi abbate quaſitum fuiſſet, ubi & quando, & apud quem calumniam fecerat; reſpondit Hugumarium abbatem ſui monaſterii apud Leonem papam Vercellis de ſancto abbate Gurloëſio Kemperlegienſi clamorem feciſſe, ubi rationi in contrarium inventus eſt. Dixerat enim ſuperius, tempore prædicti Sancti eandem inſulam ſui juris fuiſſe. Præterea addidit ſuper hac re Santonas Redonis, Suldunis, ſuos monachos clamorem feciſſe. Iterum cum ab eo quaſitum fuiſſet, utrum inde haberet ſcriptum per manum alicujus cardinalis datum, vel teſtes quos præſentaret; dixit ſe teſtes non habere, ſed ſcriptum tamen non ſigillatum domi remanſiſſe. Iterum quaſitum fuit ab eo quis abbatum Kemperlegii præſatam inſulam ſibi ſuſtulit; reſpondit, Benedictum abbatem Hoëlumque conſulem ſuum fratrem ante dictam inſulam ſibi ſuſtulit, ubi plane mentitus eſt, quia in initio rationis ſuæ ab Alano conſule inſulam ſibi ablatam fuiſſe retulit. Quam cauſam ita inveſtigatam aliquamdiu legatus ſuique uſque ad medium quadrageſimæ induciati ſunt.

III.

Diploma Ludovici VI. regis pro monaſterio Tironenſi.

IN nomine ſanctæ & individuae Trinitatis Patris & Filii & Spiritus-ſancti, amen. Quanto regiam celiſtudinem ceteras ſui ſolii poteſtates præcellere notum efficitur, tanto decens eſt loca ſuæ fundationis cetera dignitate honoreque præcellere, ac libertatibus & prærogativis ſuſtultiora eſſe. Ea de te ego Ludovicus Dei permiſſu rex Francorum, precibus ſanctiſſimi viri Bernardi Tironenſium monachorum patris a peſtilenta illa & incurabili infirmitate liberatus, avida devotione, quam ad ipſorum monaſterium Tironenſe per me noviter fundatum habeo, ipſius augmentum & honorem præ ceteris deſiderans mei regni cœnobii, volumus & hoc regia munificentia conlargimur, quod ipſum cœnobium Tironenſe ſuper ſua membra ſicuti ſpiritali ita & temporalis emineat dititione & ſuperioritate; ita ut foriſfacto, reſſorto, & qua-

* al. Jungomarius.

* al. ſuis.

* al. Vili.

Ad lib. 73.
n. 52.
Ex archivis
Tironenſibus.

cumque alia superioritate & civilitate temporali membra ipsa coram suo capite respondeant; caputque ipsum quibuscumque omnis mediis super præmissis coram magna prædentiali nostra regia curia solummodo habeat & teneatur respondere, nec agere vel se defendere super aliquo præmissorum ipsum monasterium & ejus membra ipsorumve religiosi coram se, sed nec alibi quam ubi præmissum est, per aliquos justitarios sive regios sive alios compellantur inviti. Ad honorem autem & exaltationem ipsius monasterii ipsum regia nostra munificentia omnibus tam aliis castellanis quam baronibus insigniis, juribus & prærogativis in perpetuum dotamus & insignimus. Præmissa autem volentes eis in perpetuum firma esse, & eis ipsos religiosos in perpetuum uti, ipsa omnia tam nostra ordinaria quam absoluta potestatibus eis in sempiternum conlargimur. Has autem nostrarum perennitatum & regiarum largitionum editiones nemo infringere quomodolibet audeat in futurum: qui autem secus egerit, indignationem & forisfactum regie celsitudinis se noverit incurrisse. Unde in supradictorum omnium robur & testimonium præsentibus sigilli regii auctoritate & nominis nostri caractere communitus. Acta sunt hæc in prædicto monasterio Tyronensi tertio nonas Aprilis anno gratiæ millesimo centesimo vigesimo primo, astantibus nobiscum in ipso monasterio quorum nomina subtitulata sunt & signa. S. Anselmi dapiferi †. S. Hugonis constabularii †. S. Gilberti buticularii †. S. Vuidonis camerarii †. Data per manus Stephani cancellarii.

I. V.

Bulla Innocentii II. papa pro monasterio Tyronensi.

Ad lib. 73. n. 53. Ex archivio Tyronensibus.
Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Guillelmo Tyronensi abbati ejusque successoribus regulariter instituendis in perpetuum. Officii nostri nos hortatur auctoritas ecclesiarum omnium curam gerere, & earum quieti & utilitati, auxiliante Domino, providere. Quam ob rem, dilecte in Domino fili Guillelme abbas, carissimi fratris nostri Gaufridi Carnotensis episcopi precibus inclinatus, tuis rationabilibus postulationibus clementer annuimus, & Tyronense S. Trinitatis monasterium, cui Deo auctore præfides, apostolicæ sedis patrocinio duximus muniendum. Statuimus enim ut quæcumque possessiones aut bona in præsentiarum ad idem monasterium juste & canonicè pertinere noscuntur, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, eidem loco offerri contigerit, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis nominibus annotanda subjungimus. In regno Angliæ in episcopatu S. David, ecclesia S. Mariæ de Cathmeis cum appenditiis suis. In episcopatu S. Andree de Scotia, abbatia sanctæ Mariæ Rochaburgensis cum appenditiis suis; ecclesiam sanctorum martyrum Johannis & Pauli de Ográ cum appenditiis suis; ecclesiam S. Egidii de Castenariis; ecclesiam S. Leonardi de Ferreriis; ecclesiam S. Mariæ

de Asneriis; ecclesiam S. Mariæ de Telio; ecclesiam S. Laurentii de Brigia; ecclesiam S. Petri de Audita; ecclesiam S. Martini de Hildrevilla; ecclesiam S. Mariæ Magdalene de Jazia; ecclesiam S. Mariæ de Aguille; ecclesiam S. Johannis-Baptistæ de Murgeriis; ecclesiam S. Andree de Anglia cum appenditiis suis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat vestrum monasterium perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus molestiis fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus profutura, salva nimirum diocesanorum episcoporum reverentia. Decimas sane laborum quos propriis manibus aut sumptibus colitis seu etiam vestrorum animalium absque alicujus contradictione vobis concedimus possidendas. Si qua igitur in posterum ecclesiastica secularive persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non factum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui periculum patiat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat. Conservantes autem eidem loco quæ justa sunt, omnipotentis Dei & beatorum apostolorum Petri & Pauli gratiam consequantur. Amen, amen, amen. Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus †. Ego Lucas presbyter cardinalis sanctorum Johannis & Pauli. † Ego Gregorius diaconus cardinalis sanctorum Sergii & Bacchi. † Ego Otto diaconus cardinalis S. Georgii. † Ego Guido diaconus cardinalis sanctorum Cosmæ & Damiani. Datum Valentiniæ per manum Aimerici sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii, decimo-septimo kal. Aprilis, indictione x. incarnationis dominicæ anno MCCCXII. pontificatus autem domini Innocentii papæ II. anno tertio.

Cella B. Maria de Cameis erectio in abbatiam per Willelmum abbatem Tyronensem.

Ad lib. 73. n. 53. Ex archivio Tyronensi.
Quoniam cuncta quæ sunt temporaliter, humanæ mortalitatis necessitate cogente, quam cito oblivioni traduntur, placuit nobis notificari præsentibus atque futuris fidelibus, quod monasterium de Galis in episcopatu sancti David in partibus de Cameis prope antiquam ecclesiam sancti Dogmaeli non longe ab alveo *Theni* fluminis in honore Dei-genitricis Mariæ fundatum, quondam cella exitit monachorum sancti Salvatoris de *Tyron*, pluribus ibidem fratribus sub priore degentibus. Sed quia Robertus Martini filius, qui tunc temporis sub Henrico optimo rege Anglorum terræ illius dominium tenebat, propter honorem & exaltationem sanctæ ecclesiæ in supradicti loci prioratu abbatem constitui a domno abbate Willelmo & omni conventu Tyronensi poposcit, Deo providente concessum est. Ipse autem rex & filius ejus Willelmus atque jam dictus Robertus eandem abbatiam sanctæ Mariæ de Cameis ita liberam omnibus temporibus concesserunt, ut nihil in ea posset constitui ab aliqua potestate seculari, scilicet nec ab ipso rege vel ejus principibus, nec ab ejus vel eorum successoribus.

cessoribus. Concessit etiam ipse rex & Willelmus filius ejus & supradictus Robertus, & abba tunc primum in supradicto loco de Galis electus, & ejus monachi, ut omnis electio futura abbatum ejusdem loci de Cameis, & omnium locorum eidem loco subjectorum, si forte & ipsi abbatias insituerint, in providentia & potestate domni abbatis Tyronensis atque omnis conventus sit jure perpetuo, testantibus Willelmo de Albigneyo, & Othoero comitis filio apud sanctam Walburgam. Si vero quicumque abba fæpe dicti loci sanctæ Mariæ de Cameis vel aliorum locorum eidem subjectorum aliter quam oportet indecenter & seculariter, quod ablit, se suosque rexerit, vel etiam a nostræ humilitatis habitu, & a nostris aliis religiosi institutionibus recesserit, virga & imperio pastoralis regiminis ecclesiæ Tyronensis est removendus, atque alter qui dignus sit, constituendus. Cavendum est autem ne quolibet modo ex quacumque parte aliqui vel in petendo honoris ambitione, vel in concedendo avaritiæ cupiditate cæcati crimen simoniacæ hæresis incurrant: quod quicumque fecerit, ut justum est, a Christo anathema sit. Hoc vero provisum est propter vinculum caritatis & unitatem fraternitatis, quæ nec spatio locorum nec intervallo temporum se jungi debent, quod quando unusquisque ex abbatibus supradictæ ecclesiæ beatæ Mariæ de Cameis a domno abbate & omni conventu Tyronensi expetitus & electus fuerit, tunc matri ecclesiæ Dei Salvatoris de *Tyron* in præsentia abbatis qui tunc præerit, & omnis conventus Tyronensis, eidem ecclesiæ Tyronensi & rectoribus ejus obedientiam & debitam subjectionem ipse tunc noviter electus abba & ejus monachi qui tunc præsentibus aderunt, coram Deo promittant. Quando autem domnus abbas Tyronensis ad sæpe dictum locum sanctæ Mariæ de Cameis vel ad quemlibet locorum ei subjectorum advenerit, ut decet honorifice recipiatur, & ipse abbas ejus loci propriam sedem suæ dignitatis ei præparet, in choro scilicet, in capitulo & refectorio, & ubique ei parterna reverentia exhibeatur, sicut dicit Apostolus, *cui honorem, honorem; itemque idem, honore invicem prævenientes.* Omnis vero substantia corporalis nostrorum monasteriorum ita communis sit, ut si forte in aliquo nostro monasterio temporalium rerum egerint, ex aliis ei subveniatur, & ipsi talium beneficiorum tam pro vivis quam pro defunctis tanta sit unanimitas, ut ex utraque parte, sic pro aliis quam pro suis propriis fratribus serveat caritas, ut nulla penitus sit diversitas. Statutum autem & definitum est a domno abbate Willelmo & omni congregatione Tyronensi, ut abbates ecclesiæ Tyronensi subjecti, qui in transmarinis partibus sunt & erunt, semper in tertio anno stabilitate & confirmatione nostræ religionis & gratia visitandi fratres in sollempnitate sanctæ Pentecostes apud Tyronense cœnobium congregentur. Et si aliquis ex fratribus inobediens quocumque ex istis partibus recesserit, nequaquam parti alteri sine litteris commendatiis conjungendus erit. Hoc autem notum sit sanctæ ecclesiæ filiis, quod Tyronensis ecclesia tale privilegium habet sanctæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ, ut quicumque

Annal. Bened. Tom. VI.

que in aliqua re injuriam ei qualibuscumque causis voluerit inferre, ab ipso papa pastore totius sanctæ christianitatis, qui specialiter in sancta ecclesia ligandi atque solvendi potestatem apostolorum vice suscepit, excommunicatus sit. Servantibus autem & idem Christi patrimonium amplificandis benedictio & pax a Domino Jesu Christo, qui cum dives esset, pro nobis pauper factus est, ut nos sua paupertate ditaret, & sua infirmitate sanaret. Hæc autem facta sunt anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo vigesimo, regnante Ludovico Francorum rege, & Henrico Angliam gubernante.

V.

Charta de fundatione monasterii Pruliacensis.

Ad lib. 73. n. 59. Ex chartaria Pruliacensis.
Quoniam diuturnitate temporum acta hominum sæpe a memoria hominum subsequenter delentur, unde multoties inter carissimos malum discordiæ bacchatur, dum perditio certitudinis tramite, diversi diversa sentiunt, Idcirco hac pagina cunctis sanctæ ecclesiæ filiis notum facimus, quod Holdevinus de Gligniaco, consensu mulieris suæ Richeldis, & filiorum suorum, vendidit domno Theobaldo comiti & matri ejus Adelæ comitiſſæ, omnes terras suas, quas apud Pruliacum possederat, illas scilicet terras quas infra terminos quos Hugo *Vemet* & ceteri Brajacenses milites domno Stephano abbati Novi monasterii & fratribus qui eo tempore eum comitabantur in prædicto Pruliacensi loco determinaverant, pro quadraginta solidis & duodecim sextariis avenæ, quos comes idem & mater ejus comitiſſa atque heredes eorum eidem Holdevino & heredibus ejus omni anno concederent. Jusserunt vero comes prædictus & comitiſſa, ut præpositus de Monte hunc censum avenæ omni anno Holdevino seu heredibus ejus sine injuria traderet. Termini vero quos Hugo *Vemet* & ceteri milites Brajacenses prædicto abbati designaverunt, sunt a loco qui dicitur *Crux-Drogonis*, usque ad pomerium monachorum. Hic terminus per viam quæ ducit ad viam Montigniensem jacet, & girat justum per pomerium monachorum usque in aquam quæ de Montigniaco fluit & per eandem aquam descendit usque ad prædictum molendinum: omnem hanc terram de qua agimus, donavit domnus Theobaldus comes & domna Adela comitiſſa mater ejus domno Stephano abbati pro redemptione animarum suarum atque omnium parentum suorum ad victum monachorum, quos in eodem loco erat ordinaturus. Et hi sunt testes, Theobaldus comes, Radulphus de Balengiac, Frotmundus præpositus Montieri, & Herbertus filius ejus, Herbertus præpositus de Pruvigno, Galterus infans, Odo de Wimpalia.

VI.

Notitia de origine Bonavallis monasterii prope Viennam.

Ad lib. 73. n. 59. Ex Chartulario S. Andree Viennensis.
Præsentibus & futuris mandare curavimus, quod quidam fratres venientes a Cistercio, Johannes & Gervasius & alii, voluerunt habi-

M m m

tationem facere in parrochia sancti Symphoriani in maleo, quæ est sancti Petri foris Portæ. Quod audiens abbas Desiderius & prior sancti Juliani de Venco, Petrus videlicet rufus, & ceteri ejusdem monasterii fratres, venerunt ante domnum Guidonem Viennensem archiepiscopum & canonicos ejusdem ecclesiæ; & ne ecclesia sancti Mauriti hoc pateretur multis precibus supplicaverunt. At illi monasterium sancti Petri assentes a suis antecessoribus fundatum, & donis ac possessionibus ampliatum, nullo tertio cum volentes minuere vel lædere, prædictos fratres eremitas convenerunt, & neid fieret omnino interdixerunt. Ut autem hoc audivit Sicobodus de Bello-videre, qui eos ibi conduserat ad abbatem sancti Petri cum multis rogatis & supplicatis, & ut hoc sustineret obnixè postulavit. Tandem diu & multum fratres supra dicti sancti Petri monasterii reluctantes, ad prædictum locum ex utraque parte venerunt, & certum terminum præsentem archiepiscopo posuerunt. Insuper locum illum Bonam-vallem vocaverunt, confirmantes ut neque ibi neque in aliis sancti Petri locis & parrochiis sine consensu, eorum se supercreverent. Promiserunt etiam per manum jam dicti archiepiscopi, ut & decimas sicut parrochiani sancti Petri ex integro redderent, & sicut amici salvo Cisterciensi instituto juxta eos habitarent. Confirmatum est etiam ab omni sancti Mauriti capitulo & ab universis qui ibi adfuerunt, quod si præfatus locus ab illis desereretur, ad monasterium sancti Petri reverteretur.

S. domni Guidonis Viennensis archiepiscopi. S. Desiderii abbatis. S. Sicodi decani. S. Guigonis de *Suirieu*. S. Petri de Millery. S. Gerberti de Peraci. S. Humberti de Bella-garda. S. Willelmi de Chascia. S. Hugonis de Septimo. S. Amblardi de Verney. S. Desiderii prioris Serra. S. Paschalis sacristæ. S. Petri elemosynarii. S. Sicodi de Belleveer. S. Rostagni & Eraclii fratrum de Croffel. S. aliorum multorum qui affuerunt. Acta per manum Stephani cancellarii Viennensis, septimo kal. Octobr. anno MCCC. indict. XIII. luna III. feria vi.

VII.

Charta pro cella Condominii.

Ad lib. 73. n. 67. Ex archiepo Cluniacensi.
Guido Dei gratia Genevensis episcopus venerabili domno & amico nostro Pontio Cluniacensi abbati ejusque successoribus in perpetuum. Ecclesiam de Condominio cum omnibus appenditiis suis pro anima mea & pro animabus antecessorum meorum ecclesiæ Cluniacensi concedimus, laudamus & confirmamus, ea tamen conditione, ut Radulfus nepos meus, & illi qui habuerunt principalem dominationem in castro Fulciniaci, semper habeant advocatiam Condominii & rerum pertinentium ad eam. Et si pro qualicumque injuria controversa exorta fuerit inter homines illius qui fuerit dominus de Fulciniaco, & homines monachorum habitantium apud Condominium, clamor non ad aliam qualemcumque personam sæcularem deferatur, nisi ad dominum de Fulciniaco & ad priorem Condominii, ita ut justitia fiat aut apud Fulciniacum aut apud Condominium. Hanc donationem fa-

cio Deo & sanctis apostolis Petro & Paulo & Cluniacensi monasterio pro anima patris mei Lodoici, & avi mei Ermeriradi, & Willelmi fratris mei & filiorum ejus Radulfi, Ludoici, Raimundi, & episcoporum Geraldii Lausanensis, & Amedei Morianensis nepotum meorum, & matris eorum Utiliæ, & matris Tetbergæ, & omnium qui nati sunt vel nascituri sunt de nostra progenie & generatione. Signum Aimonis comitis Genevensis. Sig. Willelmi filii ejus. S. Willelmi Dardelini. S. Gaucerani fratris ejus. S. Fulconis fratris eorum. S. Widonis de Filingis. S. Aymonis de Peloniaco canonici. S. Richardi vicedomini militis. Conservantibus hæc pax conservetur æterna. Si quis autem, quod absit, hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, donec ad satisfactionem veniat, alienus a corpore & sanguine Domini fiat. Feci autem hoc donum ego Guido episcopus Genevensis publice in civitate Gebenna in claustrum beati Petri, assistantibus & colaudantibus canonicis meis, Alberico decano & Wiherto priore de Condominio, & Pontio capellano, nec non Willelmo ejusque filiis Rodulfo, Giraldo Lausanensi episcopo, & Amedeo Morianensi episcopo, & multis aliis tam clericis quam laicis, præsentem quoque domino Catalaunensi episcopo qui cum prædicto abbate pro pace regni & sacerdotii ad domnum imperatorem Henricum proficiscebantur. Actum anno dominicæ incarnationis MCCC. secundo nonas Septembris.

VIII.

Statuta magistri Lambertii prioris Squillacensis.

Ad lib. 73. n. 74. Ex archiepo Cluniacensi.
De anachoritis. Ut illi de cellis jejunium continuum & continuum teneant silentium, sicut melius tenebatur in diebus magistri Brunonis. Pro cœnobitis. In inferiori autem cœnobio constitutum est silentium teneri, sicut in regularibus tenetur monasteriis in quadragesima, videlicet secunda, quarta & sexta feria.

Item pro anachoritis. Si in adventu Domini dies contingat festiva, fratres non reficiantur nisi semel, exceptis diebus dominicis. Ab idibus igitur Septembris usque ad adventum Domini constituit magister Bruno in quarta & sexta feria consuetudinaliter jejunium teneri in pane & aqua, secunda autem & septima feria habent fratres unum pulmentum & vinum; tertia vero & quinta duo pulmentaria cum pittance, si fuerit unde. Ab adventu Domini prius deposito caseo & ovis usque ad natalem Domini, secunda, quarta & sexta feria in pane & aqua, sabbato vero vinum habeant & pulmentum unum, tertia vero & quinta duo pulmenta & vinum. In natale vero usque ad octavas bis reficiant in refectorio, sicut ubique habetur in consuetudine. Ab octavis Domini usque ad octavas epiphaniæ, semel reficiant fratres in cellis, excepto die epiphaniæ & festis duodecim lectionum. Ab octavis vero epiphaniæ usque ad caput jejuniorum, quarta & sexta feria in pane & aqua, in septuagesima, caseo deposito & ovis, in solemnitatibus semel reficiant, excepto festo B. Mariæ candidalabræ. . . . A capite jejuniorum tres dies in

hebdomada in pane & aqua usque ad pascha, excepto die cœnæ Domini & ceteris festis, in quibus debent refici in refectorio. A pascha usque ad octavas bis reficiant fratres in refectorio sicut in diebus festis natalis Domini. Ab octavis paschæ usque ad pentecosten vino & pulmento cum aliqua pittance, si fuerit unde, semel reficiant fratres per quatuor dies hebdomadæ, tertia vero & quinta feria bis reficiant, excepta litania majore & rogationibus, in quibus semel debent refici fratres. In festo octavarum pentecosten in refectorio reficiant fratres sicut in festo paschali, exceptis jejuniis quatuor temporum, in quibus semel in refectorio reficiant, caseum habentes & ova. Ab octavis vero pentecosten usque ad idus Septembris tertia & quinta feria bis reficiant, reliquis autem quatuor diebus sicut ab idibus Septembris usque ad adventum Domini. Notandum autem quod hoc tempore remissus agebat magister (id est prior) circa fratres pro qualitate temporis & laboris & ægritudine.

Item pro cœnobitis. Fratres vero de sancto Stephano a pascha usque ad adventum Domini reficiant, sicut præcepit beatus Benedictus, exceptis rogationibus & litania majori, in quibus semel reficiant. In adventu Domini sexta feria in pane & aqua, secunda & quarta feria vinum habeant & unum pulmentum. A natali usque ad octavas epiphaniæ bis reficiant, excepta vigilia epiphaniæ. Ab octavis epiphaniæ usque ad septuagesimam semel reficiant, exceptis festis duodecim lectionum. In septuagesima dimittant caseum & ova; similiter incipiente adventu Domini. In septuagesima bis non reficiant in aliquo festo, excepto festo sanctæ Mariæ. In quadragesima reficiant sicut in adventu Domini. Magister, cum non longe equitaverit, quinque ducat equitaturas vel minus, si potest; si autem longe, septem vel novem.

IX.

Guiberti abbatis Novigenti prologus in Abbatiam prophetam.

Ad lib. 73. n. 83. Ex ms. cod. Fontiniacensi.
Atribus & dominis totius cultu reverentiæ amplectendis Sancti-Medardensi abbati Gaufrido, & itidem ejusdem gratiæ Florinensi Alardo Guiberto, ad omnem, proh dolor! impuritatem vita degenerans & moribus, votivos utriusque salutis affectus. Quoniam & literaturæ celebritas, & dignæ conversationis integritas vos non patitur esse scientiæ moralis exortes, ad vestrum præsens opus destinamus exagium: quia vestro diuturno certamini credi nefas est aliquam inesse statuum ignorantiam interiorum. In quo enim vestra disertitudo ambigat; quæ pene momentis omnibus indimenta cogitationum promiscuitate laborat? Contemplatio plane quæ Deo videndo inhiat, hoc tempore rarior valde conceditur. Illa vero quæ super interioritatis discretionem se exercet, nulli fere, si sanum sapiat, de populo denegatur. Sic namque hæc ipsa contemplatio bifariam accipitur. Porro si super tantæ, ut sic dicam, præsumptionis ausu quempiam mustitare cognoscitis; vos vero indubie intentionis meæ originem scitis, quia a quo

ipsas ab ineunte ævo hausi litterarum notitias, hausi etiam, haud dubium quin ab auctore Deo, in ipsis litteris quantumlibet difficilibus sua gratia novas reperire sententias. Quod ex libro monodiarum mearum, cum legere libuerit, agnoscat, quod ex mei sermonis frequenti conseratione jam nostis. Animavit profecto ingenii mei tenuitatem ab adolescentia mea ceptorum fortuna prosperior, dum apud me quancumque desperabilia, tua Deus inspiratio reddet efficaciam. Nec minus visio quædam cuidam admodum simplici viro a te ostensa, me non immerito animasse dinoscitur, eo plane tempore quo animus dictaturus beati Osee librum meticolosissime jam aggredi conabatur: denique ei videbatur, quod filium haberem, & is pro sua multa specie innumeris hominibus spectabilis habebatur, qui etiam parvus & impubi ætate, quasi rediens ab Iherosolymis palmulam tenens videbatur, quæ etiam palmula in sui summitate diversis floribus ornabatur. Quæ visio spe non minima animum roboravit, quæ me de hujus pulcherrimi studii, quod speciosa proles significat, gloriosa posteritate ditavit: in palma vero ceptæ difficultatis victoria figuravit, quæ de visione quasi Jerusalem de pacatæ ex Deo contemplationis assertur: huic palmulæ inferuntur flores multimodi, videlicet interioris disciplinæ colores, cui admittitur, quod ab altero quodam visum est: quia scilicet ego & notarius meus tres imagines pretiosas & variis coloribus feceramus, quod ad tria opuscula Osee utique lamentationes, & Amos, quæ tunc explicui, necesse est referamus. Vestro igitur judicio dicta nostra addicimus, indubie æstimantes vos fidelius judicatos, quæ fideliter dixisse nos scimus. Explicit prologus. Incipit Abdias propheta.

X.

Societas Majoris-monasterii cum canonicis ecclesiæ Turonensis.

Ad lib. 73. n. 88. Ex aubentico.
IN nomine sanctæ & individue Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.
Cum B. Petrus princeps apostolorum, cui ligandi atque solvendi a Domino tradita est potestas, dicat: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*; & coapostolus ejus ammonet, Dei imitatores nos esse debere; Johannes quoque apostolus de ipso facro Dominici pectoris fonte potatus doceat, dicens: *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare*, nullusque Christianorum ab hoc recto tramite possit aut debeat deviare; nos maxime qui post baptismatis sacramentum, post susceptum sanctæ christianitatis vocabulum, monastico vel canonico habitu & nomine insigniti sumus, sine graviore transgressione a regula legis hujus deviare non possumus. Necesse est ergo ut si ad regnum, ubi pax est continua, pervenire volumus, pacem quam Deus mandavit ac tenuit, ei obediendo, & eum imitando teneamus. Idcirco enim, ipso nato, pax ab angelis nunciata hominibus bonæ voluntatis. Idcirco ipse de mundo proxime egressurus, & ad coelos reversurus mandavit discipulis suis dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Et*

apostolus: *Pacem, inquit, sequamur cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum.* Hujus ergo pacis tuendae, tam necessario tenendae tranquillitas aliquando turbata est inter nos monachos Majoris-monasterii & canonicos S. Mauriti Turonensis, una cum metropolitano suo & nostro. Et vere fatendum est propter utrorumque peccata, intercurrentibus causis, & diaboli invidia, per quam mors in orbem terrarum introivit, navim sanctorum ecclesiae propulsante: sed Salomon ille Christus noster pacificus, lapsus ille angularis, qui facit utraque unum, ecclesiam suam miseratus, non passus est eam diutius tam gravi periculo naufragari, ne domus supra domum, aut regnum divisum in seipsum lapsus, sui destructionem patreretur. Unde cum inter matrem & filiam dissidentes pax fieri a multis personis quaereretur, & res tamen non veniret ad effectum, ipse Christus ipsam per se integerrime reformavit; nimirum innuens apud ipsum esse per facile, quod apud nos est impossibile: nam cum omnes personae de quibus modo praebivimus, jam quasi forsan desperarent, silerent, & abessent, ex utraque parte in hunc modum, Deo mediantem, conventum est: Si quidem inter archiepiscopum eorum dominum Gislebertum, & abbatem nostrum Willelmum cum paucis senioribus, sed consilio sanioribus, habito prius sinceræ caritatis colloquio, & post ad capitulum hinc inde relato, laudante nostro & eorum conventu, in capitulum eorum convenimus, id est abbas noster cum fratribus quos secum duxit, & archiepiscopus cum generali capitulo suo. Habet autem convenientia sic: Quando obeunte quocumque ex abbatibus nostris per nos elegerimus successorem, electum nostrum benedicendum eorum archiepiscopo offeremus, quem ipse sincere benedicet absque scrutinio, absque scripto, absque professione. Antequam vero benedictio fiat illa, vel postquam facta erit, verbo tantum promittet abbas obedientiam ei & ecclesiae suae sicut matri, salva ex integro obedientia & auctoritate Romanae Sedis. Monachos si habuerimus ordinandos, ipse ordinabit. Nullam stationem faciet in monasterio nostro. Si ipse vel ejus ecclesia propriam causam habendam habuerit ultra Alpes, si semel in anno aut bis rogaverit abbatem nostrum aut nos, ut illic cum eo eamus, ibimus cum procuratore nostra, & sicut filii causam matris nostrae manu tenebimus. Similiter ubicumque citra Alpes causam habebimus, si rogatus fuerit à nobis archiepiscopus vel ejus ecclesia, venient nobiscum cum procuratore nostra, & sicut mater causam filiae in quantum poterunt, sustinebunt. In privatis etiam negotiis in vicinis locis competentibus nos invicem juvabimus. Si dominus papa vel aliquis legatus ejus ubicumque concilium convocaverit, & archiepiscopus ierit, non submonebit abbatem nostrum aut nos. Quod si sponte aut pro causa nostra iverimus, ex parte ejus erimus, & si forte in eum, vel in nos causae obortae fuerint, alteri pro alteris assurgentes, nos alternatim, ut opus exigerit, juvabimus. Si vero ipse per se infra provinciam concilium celebraverit, illuc ibit abbas noster, sicut omnes suffraganei ejus. Si inter ipsum & aliquem canonicorum ejus discordia commota fuerit, & inde requisiti fuerimus, quantum licuerit, salva pace archiepiscopi,

concordiam revocare curabimus. Quando obierit archiepiscopus praefens vel successor ejus, abbas si praefens fuerit & sanus, & totus conventus ibit ad sepulturam ejus, & ob faciendam anniversariam commemorationem, scribetur nomen ejus in martyrologio nostro. Ad sepulturas quoque septem priorum ecclesiae ejus ibit abbas, si rationabili causa detentus non fuerit, & conventus. Pro quolibet alio canonicorum quando obierit, & nobis nunciari fecerint, signa pulsabimus, & tantum pro eo ipso die pro eo in ecclesia & in refectioe faciemus, quantum & pro monacho nostro. Ad eorum vero sepulturam pars conventus ibit, quanta nobis convenire videbitur. Quando autem abbas noster praefens vel ejus successor obierit, archiepiscopus & totus conventus S. Mauriti ad ejus sepulturam convenient, & similiter ad sepulturam majoris prioris, & claustralis. De aliorum vero fratrum decessu, quando fecerimus eis nuntiari, pulsabunt signa, & defuncti animam commendabunt. Praeterea faciemus per annos singulos unum tricenarium pro defunctis eorum, & ipsi pro nostris anniversarium unum: quia nec tot sunt, quot nos, nec tantum possunt, quantum nos, nec sunt in ecclesia assidui, ut nos. Porro ad celebrandum cum eis solemnitate S. Mauriti, quae in Septembri est, ibit abbas noster, si praefens fuerit & sanus, & conventus cum capitis & albis nostris ad missam tantum, & habebimus medietatem chori. Si in eorum praecipuis solemnitatibus archiepiscopus non fuerit praefens, & rogaverint abbatem nostrum, ibit, si ei licuerit & voluerit, & solemnitatem vice archiepiscopi celebrabit. His omnibus in eorum capitulo a domino Alveredo eorum archidiacono ita pronuntiatis & concessis, requisierunt ut abbas noster, qui jam diu abbatiam tenuerat, obedientiam promitteret, quam necdum archiepiscopo vel ejus ecclesiae promiserat; qui verbo tantum dixit se obedientiam archiepiscopo & matri ecclesiae servaturum, salva prorsus obedientia & auctoritate Romanae ecclesiae. Ad quod archiepiscopus respondit: Et ego eam cum hoc tenore suscipio, quia Romana ecclesia est commune caput nostrum, nec volo contra ire, nec deo. Haec ergo pax & conventio tota, Deo disponente, ita composita utrimque concessa est & confirmata. His ita gestis, ipsi nobis, & nos ipsis pacis osculum porreximus, & sic data nobis benedictione ab archiepiscopo, ad monasterium regressi sumus. Nomina autem tam ipsorum, quam testium pacis & convenientiae hujus subscripta sunt, multis tamen ob vitandam prolixitatem praetermissis. Gislebertus archiepiscopus qui & ipse tunc decaniam in manu sua tenebat, Alveredus archidiaconus, Robertus thesaurarius, Avitus cantor, Jostho capicerius, Guarinus cellerarius, Guarinus praepositus Aurelianensis, Fulcredus praepositus, Radulfus Faciens-malum praepositus, Jacquelinus praepositus. Simpliciter canonici Petrus de Prulliac, Petrus Mainerii, Titio Harpinus; Odo de Castellis, Gualterius Clopascola, Paganus Theocelini, Helias de Monte Basonis, Goffredus Geronis, Goffredus Redonensis, Alexander de Ardena, Bido, Herveus de Villa Argonoftri, Nicolaus Gironis, Alexander de Rupibus, Bacterius Gano de Monte Basonis, Bracedus, Pa-

ganus

ganus Manerii, Jostho nepos capicerii, Goffredus de la Val, Philippus nepos archiepiscopi. De clericis chorum non intransitibus, sed non canonicis, Sancto, Martinus presbyter, Paganus diaconus, Hugo Buordus, Stephanus presbyter, Herbertus de Vere-novo. Dominus Willelmus abbas, Willelmus Redonensis prior, Theobadus de Columbibus, Odo de Sonziaco, Odo prior Claustris, Willelmus Pictavenensis, Radulfus de Castro Joscelini, Raynaldus prior Castris-Ledi, Hervaudus de Belismo, Petrus bajulus, Evanus sacrista, Gualterius cantor, Durandus camerarius, Radulfus catellus, Adebardus cellerarius, Hildebertus Nantenensis, Rainardus elemosynarius, Guarnerius bajulus, Johannes de Comborno, Willelmus Longobardus. De laicis tam Turonicis quam nostris, Rainaldus Framardi, Fulco filius Algisi, Aimericus Escherperius, Paganus camerarius, Petrus Burdo, Hilgotus Parvus, Johannes Marecallus, Hubertus de Loratorio, Galdinus forestarius, Girardus Acherii, Garlandonius.

X I.

Bulla Callisti papa II. pro monasterio Vultururnensi.

Ad lib. 73.
n. 21.
Ex autogra-
pho membrano
apud V.
Cl. Francisc.
Valesium Ro-
manum.

C Alixtus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Mansoni abbati venerabilis monasterii sancti Petri, quod in Monte-Vultururno apud Criptam beati Michaelis archangeli situm est, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Cum universis per orbem ecclesiarum debitores, ex commissi nobis administratione officii, existamus, illorum tamen locorum protectioni propensiori nos convenit studio imminere, quae ad jus proprium sanctae Romanae, cui, Deo auctore, deservimus, ecclesiae noscuntur specialius pertinere. Quam ob rem, dilecte in Christo fili Manso abbas, petitioni tuae clementer annuimus, & beati Petri, Vultururnense monasterium, cui, Deo auctore, praesides, ad praedecessorum nostrorum exemplar, sedis apostolica munimine conservemus. Statuimus enim, ut coenobium ipsum & abbates ejus, & monachi, nulli alii nisi Romanae & apostolicae sedi, cuius est jus & proprietates, sint subiecti. Nec alicui episcoporum liceat in eodem loco aut in cellis ejus aliquid constituere aut ordinare, quod sacris canonibus aut nostro huic statuto refragari videatur, nec eis fas sit, si praegravati Romanam sedem appellerint, aliqua sub occasione iudicii, violentiam, nisi ante Romanam pontificem, vel ejus legatum, vobis aut successoribus vestris inferre. Per praesentis etiam privilegii paginam tibi tuisque legitimis successoribus, & per vos eidem monasterio confirmamus ecclesiam sancti Andreae de Octaviano cum castello suo, castellum de Monticulo cum ecclesiis suis, villam, quae dicitur Aquatecta, cellam sanctae Mariae de Lucio, ecclesiam sancti Nicolai de Vite-alba, sanctae Christianae, sancti Laurentii in Rapulla, sancti Nicolai, sanctae Mariae de Monte, sancti Georgii, sanctae Barbarae, sancti Apollinaris in ipso Monte. In Melfa ecclesia sancti Antonini, sancti Nicolai, sancti Eustachii, san-

Annal. Bened. Tom. VI.

cti Martini, sancti Petri de Berula, sancti Felicis de Fuciano, sancti Faviani trans Aufidum, sancti Jacobi, sancti Laurentii; sancti Stephani sub Cisterna. Item sancti Marciani trans Aufidum. In Labello ecclesiam sanctae Barbarae, sancti Marci, sanctorum Johannis & Pauli, & omnium sanctorum. In territorio Spinacioli ecclesiam sanctae Trinitatis in Catuna, sanctae Mariae de Ulmeto, sanctae Mariae in Edera, & sancti Egidii. In Andro ecclesiam sancti Salvatoris, sancti Nicolai. In Gurgo ecclesiam sancti Salvatoris. In Paciano ecclesiam sancti Angeli cum oliveto & trapetis. In Baro ecclesiam sancti Matthaei & Leuci. In Arbore-longa ecclesiam sancti Angeli. In territorio Salpitano ecclesiam sancti Nicolai de Varisento, sancti Theodori, sancti Martini, ecclesiam sancti Stephani in Planaro, sanctae Mariae de Calavio cum omnibus earum pertinentiis. In Monte Melone ecclesiam sancti Andreae. Quaecumque praeterea vel in praesenti xiv. indictione saepe dictum coenobium concessione pontificum, liberalitate principum, oblatione fidelium, vel aliis iustis modis possidet, aut in futurum poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem monasterium temere perturbare, aut ei subditas possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuire, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione ac gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Obeunte te, nunc ejus loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia praeposatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam elegerint, a Romano pontifice consecrandum. Oleum sanctum & consecrationes altarium sive basilicarum, ordinationes cujuscumque professionis vel ordinis clericorum, ab episcopis, in quorum diocesis estis, accipietis, si ea impendere gratis & sine pravitate voluerint, & si gratiam atque communionem apostolicam sedis habuerint, alioquin liceat vobis a quo malueritis catholico episcopo consecrationis sacramenta percipere. Ad haec elemosynas, quae gratis monasterio pro vivis vel mortuis offeruntur, a vobis suscipiendas absque omni episcoporum molestia & contradictione censemus. Ad indicium autem supradictae proprietatis & perceptae Romanae ecclesiae libertatis, auri unciam quotannis Lateranensi palatio persolvatis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructus bonae actionis percipiant, & apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

N n n

Ego Calixtus catholice ecclesie episcopus.
Ego Petrus Portuensis episcopus.
Ego Johannes presbyter cardinalis tit. sancti Grifogoni.

Datum Beneventi per manum Grifogoni sancte Romanæ ecclesie diaconi cardinalis ac bibliothecarii vi. idus Octobris indictione xiv. incarnationis dominicæ anno mcxx. pontificatus autem domni Calixti secundi papæ anno ii.

XII.

Caroli Simplicis diploma pro monasterio Maurinianæ vallis.

Ad lib. 74.
n. 36.
Ex chartulario Maurinianæ vallis.

IN nomine sanctæ & individue Trinitatis Carolus divina propitiante clementia rex Francorum. Si petitionibus fidelium nostrorum iustis & rationabilibus divini cultus amore assensum præbimus, id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem capessendam profuturum esse credimus. Notum ergo esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesie & nostris, tam presentibus quam & futuris, quia comes venerabilis pariterque marchio & abbas monasterii sanctæ Mariæ Maurinianæ vallis Robertus nostram adiens serenitatem, expetiit quoddam renovare præceptum super res fratrum atque sanctimonialium supradicti cœnobii: contigit enim illud cœnobium igne cremari, in quo exusta sunt præcepta quæ virorum optimus avus noster Carolus, de rebus eorumdem fratrum ac sanctimonialium fecerat per deprecationem bonæ memoriæ aviæ nostræ Irmintrudis imperatricis. Deputavit itaque imperator Carolus ob suam salutem & suæ conjugis præmemoratæ fratribus & sanctimonialibus de cœnobio Maurinianæ vallis, sito in pago Vadinse, partem aliquam de rebus & villis abbatiæ Maurinianæ vallis ad diversos usus & necessitates illorum sustinendas; quæ res subter sunt notatæ. In pago Silvanectense villam eis largitus est, dictam Betton-cortem, in qua mansus est dominicatus, ad quem respiciunt viginti septem mansi & ecclesia, farinarius, camba, silva minuta. In eodem item pago in villa *Roves* mansum unum ad vacariam habendam. Item concessit omnem tertiam partem silvarum, quæ pertinet ad villam Plaitleyacum in usibus eorum. In pago denique Meldensi super Maternam flumen, in villa concessit eis Taurinica mansos sex: in pago vero Ambianensium villam assensit quam dicunt Parvo-villarem*, in qua mansus est indominicatus cum mansis viginti-duobus, cum camba, & ecclesiam cum capella, silvæ duæ. In pago etiam Virmendorum delegavit villam eis vocabulo Fonces*, sitam super flumen Engon, & est ibi mansus indominicatus cum mansis viginti quatuor & dimidio, ecclesia, camba, silva. In pago Atrebatensi præbuit super flumen Senfadam, villam, Ducentis dictam, in qua habentur mansi viginti novem & dimidius, ecclesia, farinarii duo, cambæ duæ, silva. Præterea Theoderico comite venerabili & abbate jam dicti monasterii deprecante, postea dignus memoria rex Karolomannus, qui noster fuit frater, sæpe dictæ congregationi, in pago Silvanectensi dedit

de iure suæ proprietatis fiscum, qui vocatur Frasnus*, & est situs super flumen Altona*, in quo habentur mansi septuaginta, in his locis conjacentes, in villa Femy, in villa Rodomo, in villa Wastente-vicino*, in Fabertas, in Belle-malle, in Visteriaco, in Redo; hæc villa est in pago Sueffionensi: sunt ibi silvæ tres, ecclesia cum capella, farinarii tres. De his igitur rebus superius comprehensis, ut nullus hominum præsentium seu futurorum inquietudinem, refragationem, præjudicium, violentiam, subreptionem, subtractionem, diminorationem, divisionem tentet facere præfatæ congregationi, hoc nostræ auctoritatis præceptum fieri eidemque dari iussimus, per quod res quæ imperator avus noster Karolus, seu rex Karolomannus dederant cum ecclesiis, domibus, ædificiis, vineis, terris, pacuis, silvis, pratis, aquis aquarumve decursibus, farinariis, perviis adjacentiis, mancipiis utriusque sexus & omnibus aliis exactionibus iustis confirmamus, jure firmissimo habendas prædictæ congregationi. Cum supradictis rebus, in pago Silvanectis confirmamus eis, in villa Almannorum septem mansos & dimidium cum camba, & molendino, quas res quidam homo, nomine Abba, dedit memoratæ congregationi, & postmodum rex Odo eidem confirmando consensit. Ut igitur hujus præcepti auctoritas, per futura annorum tempora firmiter observetur, manu propria subter firmantes anulo nostro eam sigillari iussimus. Datum xiiii. kal. Febr. indictione viii. anno xxviii. regnante Karolo rege glorioso, redintegrante xxiii. largiore vero hereditate indepta ix. Actum castro Sueffionis feliciter & congrue. Amen.

XIII.

Excerpta ex Actis Annoberti episcopi Sagienfis.

Eodem tempore beatus Annobertus calmittat sanctæ* religiose sub monachili ordine viveret, præfatus Chedulphus abbas ipsum famulum Christi pro causa beatæ Mariæ ad præsentiam regis Childerici direxit. Cumque vir Dei suggestisset regi negotium pro quo ibidem advenerat, ipse rex in venationem perrecturus cum suis principibus, eidem famulo Christi nec ipse nec principes ejus dederunt responsum.

Vir autem Dei ad alium locum pergens, ubi basilica in honore Domini habebatur constructa, ex intimo corde supplicavit, ut ejus petitio non esset vacua: & cum ibidem oblationem offerret Domino, præfatus rex venationi intentus, cervum quem de saltu canes insequentes fugabant, usque ad eundem locum persecutus est; quem cum apprehendere voluisset, retro altare, ubi vir Dei missam celebrabat, latitantem, & præ nimia fatigatione anhelantem invenit.

Stupefactus ergo rex, & in venerationem servi Dei conversus, quod antea occupatus audire noluit, tunc placatus recognovit, & quidquid vir Dei ab eo petiit, impetravit, cervum quoque concessit; & sanctus Dei pauperibus illum erogavit.

Inter hæc ille cum velle augeri volebat agnoscere, & qui, hæc est natura iustitiæ atque virtu-

* *Frenor.*
* *in mone.*

* *Vastier-vosin.*

Ad lib. 74.
n. 36.
* *f. cum Almaniæ.*
* *Ex legenda via B. M. Maurinianæ vallis.*

tis, ut quanto studiosius abscondi optat, tanto clarius innotescat, occultatio ipsa prodita, passim per populos conscia tantorum bonorum fama volitabat, & odorem amcenissimæ suavitatis longe lateque diffundebat, eminebat in admiratione hominum, velut civitas super verticem montis posita, nec jam lucerna poterat latere sub modio.

Beatus igitur Annobertus in ferenda gregis Domini cura taoto robustiorem semetipsum exercendo demonstravit, quanto non solum pro se, verum etiam pro creditis ovibus præfatorum cœnobiorum Deo se rationem redditurum agnovit. Ergo & ipsum cœnobium, quod præfatus antecessor suus Chedulphus ædificavit, vir Dei sub regimine accepit, omnibus modis laborans, ut talentum sibi creditum in terra non reponeret, sed duplicatum Domino suo reportaret. Accidit autem sequenti tempore dum beatus Annobertus ipsam eisdem cœnobii congregationem secundum regulam beati Benedicti doceret vivere, & in bonis operibus perseverare, sicut prius devoverat & cœperat, quorumdam nequitia præpediente, multas infidias pertulit, & injuriam magnam sustinuit. Contigit enim tempore antecessoris sui Baldrici, ut per ignaviam & simplicitatem illius, monachi recto tramite deviant, & regulariter, ut debebant, vivere contemnerent.

Sead cum ipse vir Dei zelo caritatis accensus, pro animabus eorum lucrands insudaret, & devios corrigeret, ut secundum ordinem sanctæ regulæ illos ad viam veritatis reduceret; pravi dogmatis auctores de parte sinistra consilium impietatis facientes contra virum Dei se exerebant, & ut eum interficerent, unanimiter consenserunt: sed & furore nimio usque ad hoc perducti sunt, quod etiam impiis & sanguinolentis manibus alapas ei in faciem dederunt.

Cumque patefactum fuisset hoc pontificibus, abbatibus, comitibus & viris illustribus, qui tunc temporis aderant, accedentes ad ipsum monasterium Ebriciacum, monachos tam crudelissimæ necis consentaneos ab eodem cœnobio expulerunt, & secundum meritum eorum per civitates & per alia monasteria disperferunt, quosdam etiam exilio deputaverunt.

Postea vero ipse pater & pastor bonus beatus Annobertus exemplum Christi summi pastoris sequens, qui suis crucifixoribus clementer indulgit, monachos, qui dispersi fuerant, misericorditer revocavit, & in quantum potuit remeare fecit; atque, ut illud apostolicum impleret, non reddentes malum pro malo, quidquid in eum deliquerunt, pie indulgit, & bonum pro malo rependit. Constantissime vero perseverabat in id quod cœperat, videlicet ut secundum hoc quod prius destinaverat. . . . sanctorum Patrum instituta viverent, & normam sibi traditam fervarent.

Tanta quoque districtio in illa congregatione tenebatur, ut quando aliquis, horas canonicas psallentes, in psalmis vel antiphonis falsum aliquid protulisset, juxta interdictum prædicti patris ipsa die sine potu permanere deberet. Veniebant autem senes, qui præ debilitate non poterant jejunare vel psallere, & veniam postulabant ab eo dicentes: indulget nobis, quia non possumus psallere nec jejunare. Ille vero secun-

dum mores eorum, quod sibi salubrius esse videbatur, eisdem injungebat; ut neque dissoluta remissio eos destitueret, neque nimia abilitia frangeret. quod factum usque in ævum ab omnibus imitari debet.

Cum vero basilica duorum Gemellorum adhuc canonicam vitam duceret, & apostolicus vir Gerebaldus pontifex, & beatus Annobertus Christi famulus in caritate essent connexi, & ut ita dicam, cor unum & animam unam haberent; eo quod ipse vir Dei Annobertus prædictum pontificem in primitiis suæ confessionis erudierit, præfule jubente, & beato Annoberto sub chos Ebriciaci cœnobii ad ipsam basilicam duorum Gemellorum direxit, & ambo constituerunt, ut monasticus ordo secundum regulam sanctorum Patrum in eadem teneretur, & ipsa congregatio canonicorum monachali distinctione vitam duceret, quod Deo miserante, illorum doctrina & exemplis illuminati perfecerunt; sed & alia cœnobia tam virorum quam feminarum & virginum sua prædicatione & exemplo regulariter vivere noscuntur.

Nec illud tacendum, quod quodam tempore coepit intra se volvere, quis umquam similis beato Benedicto exstitisset, qui tantas virtutes divina voluntate & gratia fecisset; & venit vox ad eum dicens: Quid est quod tantum miraris virtutes beati Benedicti? homo fuit sicut & tu; fac sicut fecit, & eris socius ejus. Sed & tantam gratiam ei Dominus contulit, ut si quis ex monachis vel subjectis ejus a præceptis Dei declinaret, statim spiritu prophetico præsciens eum arguebat; & si veraciter confiteretur delictum suum, mox vir Domini pro eo lacrymas funderet; sed & furore nimio usque ad hoc perducti sunt, quod etiam impiis & sanguinolentis manibus alapas ei in faciem dederunt. Cumque patefactum fuisset hoc pontificibus, abbatibus, comitibus & viris illustribus, qui tunc temporis aderant, accedentes ad ipsum monasterium Ebriciacum, monachos tam crudelissimæ necis consentaneos ab eodem cœnobio expulerunt, & secundum meritum eorum per civitates & per alia monasteria disperferunt, quosdam etiam exilio deputaverunt.

Postea vero ipse pater & pastor bonus beatus Annobertus exemplum Christi summi pastoris sequens, qui suis crucifixoribus clementer indulgit, monachos, qui dispersi fuerant, misericorditer revocavit, & in quantum potuit remeare fecit; atque, ut illud apostolicum impleret, non reddentes malum pro malo, quidquid in eum deliquerunt, pie indulgit, & bonum pro malo rependit. Constantissime vero perseverabat in id quod cœperat, videlicet ut secundum hoc quod prius destinaverat. . . . sanctorum Patrum instituta viverent, & normam sibi traditam fervarent.

Tanta quoque districtio in illa congregatione tenebatur, ut quando aliquis, horas canonicas psallentes, in psalmis vel antiphonis falsum aliquid protulisset, juxta interdictum prædicti patris ipsa die sine potu permanere deberet. Veniebant autem senes, qui præ debilitate non poterant jejunare vel psallere, & veniam postulabant ab eo dicentes: indulget nobis, quia non possumus psallere nec jejunare. Ille vero secun-

* *Parvillers.*

* *Fonche.*

mitate, modestia, suavitate, caritate, spe, dilectione, misericordia, sapientia, timore & perseverantia. Ecce quibus thesauris ambitiosus fuit; ecce quali pecunia sacerdotium comparavit neglector quietis, refuga voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia, locuples in donis Dei; unamquamque gratiam in se excoluit, nec sicut pauci qui vix possunt tenere singulas, sed sicut multi solus implevit universas.

Semper in operis exercitio, semper in compunctionis affectu, semper occupatus & semper vacans, nulla illi ex omnibus propensior cura, nisi ut aut de Deo in lectione atque sermone, aut cum Deo in oratione loqueretur; & illum, sicut de Moyse dicitur, facie ad faciem in corde contempleretur; illumque quasi præsens præsentem adimplenda promissa sua, voce peccatoris conveniret. Cum qua voce cogitationes puræ & pinguiſſimæ gratiam Dei medullæ atque arefcentiæ & contrita continuatis jejuniis ossa clamabant. Cœnobita vero supradicta in regimine suo habuit annis triginta & uno; postea reminiscens pristinae suæ voluntatis, qua pro Christi nomine pauperem se semper optabat fieri, relicta prædictis cœnobiis cum eorum substantiis, cum uno tantum discipulo nomine Turpino, solus habitavit, & omnes alios jugo Christi commendavit.

Accidit autem Dei nutu post sanctissimum obitum ejus, ut exigente necessitate ad lucrandas fidelium elemosinas, per provincias gloriosa corporis ejus gleba deferretur: cumque ad hoc sanctum cœnobiū in honore beatissimæ Dei-genitricis Mariæ constructum delatum sanctissimum corpus ejus fuisset, chorus virginum cum magna populi multitudine solemniter ei obviam processerant, & cum veneratione in ecclesia susceperunt. Mane autem factō cum illi qui eum attulerant recedere vellent, & sanctimonialibus atque plebi pro impenso beneficio & honore gratias egissent, accedentes ut ex more semper pontificem elevarent & scapulis imponerent, omnino tantum pondus sentierunt, quod nec modicum quidem erigere feretrum poterunt. Mira res stupentibus cunctis, iterum alii & alii acceſſerunt, & quotquot venerunt, vires suas defecisse mirati sunt. Ad extremum cognoscentes arbitrium superni numinis, quamvis inviti sanctum corpus dimiserunt, & flentes ac nimium de amissione tanti patris dolentes, a loco discesserunt; sed illorum fletus noster exstitit risus, illorum dolor noster fuit honor, tristitia illorum nostra est exultatio & gaudium. Cum ergo illi recessissent, omnis plebs Morina-vallis ad ecclesiam convenit, & innumeras grates cum sanctis virginibus & Deo dicatis feminis auctori omnium cum devotis lacrymis peregit, & in superiori loco venerabiliter & reverenter in hac sancta ecclesia sanctum Dei collocavit.

Nec mirum si sanctus Dei beatus Annobertus in sanctæ Dei-genitricis templo, ubi a sacris Deo serviebatur, remanere voluit; cum & in vita sua sexum femineum sincera caritate dilexit, & ardenti studio atque diligentia normam vitæ monstravit, & affectum pietatis majorem erga dicatas Deo feminas habuit. Scie-

bat enim quod in castis sinibus Christus Virginis filius libenter quiescit, in illis dormit, cum illis moratur, cum illis delectatur, & angelorum spiritibus vallatus castas mentes a maliguis & incestuosis defendit. Credo quod ipse vir Dei locum istum sibi prævidit, ut sancta ejus ossa ad istam vallem deportarentur, suis sacris precibus ab agno uno Virginis filio obtinuit. Cujus adventus & susceptio kalendis Septembris fuisse perhibetur, & usque ad hæc tempora per singulos annos celebri memoria die præfata recolitur.

Nos itaque de tanto patrono lætemur, tanto studiosius ei famulantes, quanto scimus eum familiarius dilexisse mentes castas & humiles, humiles inquam & castas, quia testante beato Gregorio, nec castitas magna est sine bono opere, nec opus bonum est aliquid sine castitate. & alibi: Qui sine humilitate virtutes congregat, in ventum pulverem parat. Ipsa quoque Mater virginum non gloriatur de virginitate, sed de humilitate, dicens in cantico suo: *Respexit humilitatem ancilla sua, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Humilitatem igitur virtutum custodem teneamus, & si auctorem nostrum in aliquo offendimus, faciem ejus in confessione præveniamus, & in humili poenitentia permaneamus: quia teste scriptura, melior est humilis peccator quam virgo superba. In sine nostræ orationis beatum præfulem Annobertum deprecemur, ut nos sua intercessionem commendat, locum istum defendat, plebem sanctam commissam custodiat. Per Dominum nostrum. Amen.

X I V.

Privilegium Callisti papa de ecclesia sancti Remigii in Provincia.

Callistus episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis Odoni abbati monasterii sancti Remigii & ejus fratribus salutem & apostolicam benedictionem. Quæ judicii veritate discussa sunt, incontulsa debent stabilitate servari. Super ecclesia siquidem sancti Martini de villa sancti Remigii inter vos & Montis-majoris monasterium querimonia longo jam tempore agitata est, de qua domni quidem prædecessores nostri sanctæ memoriæ, Paschalis & Gelasius, apostolicæ sedis pontifices, juxta bonæ memoriæ Arberti Avinionensis episcopi concessionem, definitionis sententiam ediderunt. Ceterum, Montis-majoris monachis renitentibus, & obedire omnino nolentibus, post multas dilationum fugas, a nobis quoque de restitutione litteræ missæ sunt. Postremo utriusque monasterii labores & dispendia paternæ pietatis oculo intuentes, post aliquantum temporis alia rursus scripta direximus, ad agendam causam utrique parti terminum præfigentes. Et vos quidem parati atque muniti statuto termino accessistis: abbas vero Montis-majoris absens fuit, neque pro se vel pro toto negotio, nisi quemdam Rodulfum clericum, delegavit. Causa igitur in nostra & fratrum nostrorum præsentia diligenter discussa, & diligentius indagata, communi consilio definitum est, præ-

Ad lib. 74.
n. 48.
Ex chartario
S. Remigii Remensis.

dictorum patrum decisionem & episcopi concessionem debere incontulsam illibatamque servari: ut videlicet matrix sancti Martini ecclesia de villa sancti Remigii, cum medietate ipsius villæ, sub beati Remigii monasterii jurisdictione ac proprietate perpetuo maneat: reliquæ vero medietatis proprietatem cum capella sanctæ Mariæ, Montis-majoris monasterium quietam illibatamque obtineat: ita tamen, ut parochialia omnia de tota omnino villa eidem matri ecclesiæ conferantur. Si vero mulieres a partu surgentes ad eandem capellam pro beatæ Dei-genitricis semper virginis Mariæ devotione convenerint, sua ibi persolvere vota concedimus. Hanc itaque definitionis sententiam nos auctoritate apostolica confirmamus, & inconcussam omnino atque inviolabilem decernimus conservari, Montis-majoris abbati & fratribus perpetuum in causa hac silentium imponentes. Si quis autem definitionis hujus tenore cognito, temere, quod absit, contraire tentaverit, nisi secundo tertiove commonitus satisfecerit, officii sui periculo & ecclesiasticæ severitatis ultioni subjaceat.

Ego Callistus catholicæ ecclesiæ episcopus laudans subf. Ego Cono Prænestinus episcopus interfui judicio & subf. Ego Lambertus Ostiensis episcopus subf. Ego Vitalis Albanus episcopus subf. Ego Clunzo Tusculanus episcopus interfui judicio & subf. Ego Gregorius Terracinenſis episcopus interfui & subf. Ego Rainerus Ariminensis episcopus interfui & subf. Ego Gregorius sancti Angeli diaconus cardinalis subf. Ego Jacintus subdiaconus prior subf. Ego Romanus S. R. E. subdiaconus subf. Ego Hugo sacrae basilicæ subdiaconus subf. Ego GG. presbyter cardinalis tit. Lucinæ judex datus interfui & subf. Ego Petrus presbyter cardinalis tit. Calixti judex datus interfui & subf. Ego Saxo tit. sancti Stephani presbyter cardinalis subf. Ego Johannes tit. sancti Grisogoni presbyter cardinalis subf. Ego Odaldus presbyter cardinalis tit. sanctæ Balbinæ interfui & subf.

Datum Lateranis per manum Grisogoni S. R. E. diaconi cardinalis ac bibliothecarii xvii. kal. Junii, indictione xv. incarnationis dominicæ anno M C X X I I I. pontificatus autem domini Callisti II. papæ anno I I I I.

Arbertus Avinionensis episcopus petente abate cum monachis per suos legatos, cum consilio canonicorum suorum ecclesiam S. Remigii cum capella, cimiterio, oblationibus, decimis, primitiis, alodiis & omnibus ad eam pertinentibus, concedit sub annuo censu V. Melgoriensium solidorum, præter medietatem omnium decimarum, dividendam inter episcopos & pauperes, sicut sacri censent canones. Adm est hoc publice Avinionis anno ab incarnatione Domini MC. anno pontificatus domini Paschalis I. episcopus vero præfatus præfatus xv. Gibuinus Arelatenſis archiepisc. firmavit. Berengarius Forojulienſis episcopus.

Charta S. Remigii, a domno Gaufrido Avinionensi episcopo data & firmata.

IN nomine Dei æterni, notum sit tam præsentibus quam futuris, quod ego Gaufridus Avinionensis ecclesiæ humilis minister, controversiam de parochiali jure cujusdam villæ in episcopatu Avinionensi, quæ inter monachos sancti Remigii Remis, & monachos Montis-majoris diutissime agitata est, mandato domini

Annal. Bened. Tom. VI.

papæ Eugenii, & consilio domni Durandi sancti Rufi abbatis, subscripta determinatione definitio. Mando igitur & apostolicæ jurisdictionis auctoritate confirmo, ut, quemadmodum a sanctis & religiosi viris, Paschali & Gelasio, Romanæ sedis pontificibus, judicatum intellexi, & ab eorum successore bonæ memoriæ viro Callisto secundo, privilegiatum inveni, & a prædecessore meo domno Arberto Avinionensi episcopo concessum audivi, id incontulsum & ut dignum est, in sua integritate permanens, firmum habeatur: ut videlicet juxta prædictorum patrum decisionem, totum jus parochiale prædictæ villæ sancti Remigii ecclesiæ sancti Martini, quæ sub jurisdictione Remensium est, in pace & quiete remaneat, & perpetuo in integrum conservetur. Si tamen mulieres a partu surgentes, ad capellam monachorum Montis-majoris pro devotione gloriosæ semperque virginis Mariæ convenerint, juxta tenorem privilegii domni Callisti papæ, sua ibi vota persolvere concedimus, ita tamen, ut obfetricum suarum oblationes tantum recipiant & habeant; campanam quoque plusquam semel, & tantum quod sufficiat ad excitandam familiam suam pulsare interdiximus. Adjicimus etiam ad sopendas utriusque partis in perpetuum controversias, ut monachi Montis-majoris in capella sua aliquem vel aliquam, nisi de familia propria, & mulieres supra memoratas in id, quod definitum est, ad aliquod divinum officium nec admittant, nec ordinent. Et hæc definitio facta est in præsentia Stephani canonici sancti Rufi, quondam Viennensis archiepiscopi, & aliorum sapientium virorum, & ab abbate Montis-majoris & priore sancti Remigii & a quibusdam, qui ibi erant, utriusque partis fratribus recepta atque laudata, anno ab incarnato Domino millesimo CLIIII. indictione I. quam, ut in perpetuum inviolata firmaque permaneat, sigilli nostri signo signamus & roboramus. Testes definitionis hujus sunt Guillelmus Barreria sacrista sancti Pauli, Guillelmus Laugerii jurisperitus, Gill. de Laurata canonicus sancti Rufi, Bernardus & Milo monachi sancti Remigii, Bertrannus de Misone, Raimundus Rothaldi, Gaufridus Rothaldi, Rainaldus, Ugo Roberti, Boamundus.

Privilegium domni Alexandri papæ III. de confirmatione ecclesiæ sancti Remigii in Provincia.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati & fratribus sancti Remigii salutem & apostolicam benedictionem. Ea quæ judicio sunt vel compositione amicabili terminata, rata debent & firma consistere, & ne recidivum contentions possit incurrere, ipsa nos convenit auctoritatis nostræ munimine roborare. Accepimus autem & ex autentico scripto venerabilis fratris nostri G. Avinionensis episcopi cognovimus, quod cum inter vos & monachos Montis-majoris in Avinionensi episcopatu morantes super jure parochiali cujusdam villæ quæstio verteretur, tandem ab eodem G. cui sanctæ recordationis pater & prædecessor noster Eugenius papa causam ipsam commiserat, hoc modo fuit de assensu partium terminata: ut videlicet totum jus parochiale

O o o o

memoratae villae sancti Remigii ecclesiae sancti Martini, quae sub jurisdictione Remensi est, in pace & quiete remaneat, & perpetuo in integrum conservetur. Si tamen mulieres a partu surgentes ad capellam monachorum Montis-majoris pro devotione gloriosae semperque virginis Mariae convenerint, juxta tenorem privilegii pie recordationis Callisti papae, sua ibi persolvere vota debeant, ita tamen, ut tantum earum & obstetricum suarum oblationes praedicti monachi percipiant; campanam quoque plusquam semel & tantum quod sufficiat ad excitandam familiam suam, interdixit pulsare. Adjecit etiam praedictus G. ad sopiendas utriusque partis in perpetuum controversias, ut monachi Montis-majoris in capella sua aliquem vel aliquam nisi de familia propria, & mulieres supra memoratas, secundum quod definitum est, ad aliquod divinum officium nec ordinent, nec admittant. Quam utique compositionem, sicut in autentico scripto saepe dicti episcopi continetur, & huc usque noscitur observata, auctoritate apostolica confirmamus, & praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum, &c. Datum Anagninae IIII. id. Aprilis.

XV.

Confirmatio Gaufridi Rotomagensis archiepiscopi de ecclesia S. Martini de Nogent.

Ad lib. 74.
n. 50.
Ex archiepis
Majoris-monasterii.

IN nomine summi Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Ego Gaufridus Rotomagensis Dei gratia humilis archiepiscopus, notum fieri volo omnibus sanctae & catholicae fidei cultoribus, quoniam adiit nostram praesentiam vir quidam secundum caducos hujus saeculi honores nobilis satis ac potentissimus, Amalricus scilicet Monfortensis comes Ebroicensis, nosterque parochianus, deprecans parvitatem nostram & multa prece deposcens, ut ecclesiam quamdam B. Martini quae dicitur de Nogent super fluvium Andelum, quam sibi jure quasi hereditario a progenitoribus, qui eam construxerant, dimissam, homo licet saecularis antiquorum more possidebat, Deo & B. Martino & monachis Majoris-monasterii, quibus eam ad emendandum & in melius reformandum devote donabat & concedebat, nostra potius auctoritate & concessione monachis eisdem confirmarem. Cujus ego iustis in hac parte petitionibus, tum propter ecclesiae ipsorum ubique religionem, tum quia ecclesiam illam, quam prius monachi alii, minus, ut videtur, regulares inhabitaverant, per eos in ampliore credidi proficere religionem; assensum benigne tribuens, praetaxatam S. Martini ecclesiam cum omnibus ad eam pertinentibus jam dictae Majoris-monasterii ecclesiae & ejus monachis in perpetuum possidendam libere concessi. Et ut concessio haec nostra apud omnes successores nostros firma & illibata permaneat, proprii sigilli impressione cartulam hanc iussu nostro inde conscriptam muniri praecipui. Facta est autem haec nostra concessio prius apud Rotomagum anno ab incarnatione Domini MCXXXIII. praesentibus atque laudantibus Tetbaldo vene-

rabili Blefensium comite, Amalrico eodem, Evano Majoris-monasterii sacrista, & Radulfo Mordente. Dehinc anno ipso necdum transacto apud Carnotum IIII. idus Martii in ecclesia B. Mariae tempore concilii ibidem a Romanae ecclesiae cardinalibus & legatis Petro prebitero & Gregorio diacono sollempniter celebrati, ubi interfuere de monachis eorum dominus Willelmus abbas, Laurentius prior, Evanus sacrista, Radulfus Mordens, Rainaldus de Castro-Gunterii notarius. De clericis quoque nostris concesserunt hoc qui nobiscum tunc erant Gaufridus decanus nepos meus, & dominus Guido de Stampis archidiaconus.

XVI.

Riquinus Tullensis episcopus confirmat compositionem factam inter Lanzonem abbatem S. Michaelis & abbatissam Laudunensem pro cella S. Theobaldi.

IN nomine sanctae & individuae Trinitatis Patris & Filii & Spiritus-sancti, amen, Riquinus Dei misericordia Tullensis episcopus, Lanzoni venerabili abbati, ejusque in perpetuum successoribus. Quoniam Deus noster Deus pacis est, & non dissensionis; nos qui vicarii ejus sumus, pacem omnibus, quantum in nobis est, procurare & facere exigimur. Unde illa quae inter tuam & Laudunensem sanctimonialium ecclesiam diu protracta est controversia, cum nostro quoque tempore moveretur, cura fuit & studium, ut nostris quoque diebus sopiretur. Sane castrum de *Bolmunt*, & terra castrum subjacens, fundus est sanctae Mariae Laudunensis sanctimonialium, sed ab antiquissimo tempore Campaniae comitibus ita in beneficium traditum, ut nullum in aliquo responsum praefatis sanctimonialibus inveniatur redditum. Cum itaque praedictum castrum nobilis quidam Hugo ab Hugone comite Campaniae hereditaria successione in beneficium possideret, sub castrum, in villa quae dicitur sancti Theobaldi, partem ejus fundi ecclesiae tuae contradidit, ut monachi sancti Michaelis oratorium ibi & officinas inibi construere, ad divinum peragendum obsequium cellam ibi futuris temporibus obtinerent. Quia vero his qui pie vivere nunquam deest oppressio; sanctimoniales Laudunenses, quae dum illud saeculares homines tenuerant, numquam aliquid exegerant, sed nec de pluribus aliis, quae similiter tenent, quicquam aliquid exigunt; in te tuosque titulum intentionis arripuerunt, & quasi invasores fundi sui sub nostra audientia, quippe isdem fundus in nostra consistit parochia, pulsaverunt. Nos itaque, saepius ventilata, ac discussa controversia, diligentius etiam intuentes, quia si oblatum vobis fundum jure Dei redderetis, jure tamen mundi & praefati beneficii non sanctimonialibus cederet, sed ad dominum castrum remearet; ambarum consensu partium media caritate disposuimus, ut aestimatione boni & aequi duos solidos Tullensis monetae nomine census praedictis monialibus, earumque monasterio in natale sancti Johannis-Baptistae annuatim solveretis, talique responso, quod de fundo illo oratorium, quod denique vestrae occupant officii-

Ad lib. 74.
n. 61.
Ex authentico.

nae, libere & quiete in perpetuum sine ulla alia exactione possideretis. Placuit etiam, ut si forte aliquis aliquando de eadem terra futuris temporibus tuae ecclesiae obtulerit, non novus exinde praetaxatos duos solidos similis quiete a vobis teneatur, aestimantes utilius fore sanctimonialibus vel multum a monachis per censum possideri, quam a saecularibus omnia sine ullo responso detineri, quoniam quidem in altero est fundi alienatio: at in altero ecclesiae Laudunensi fundi sui per censum assignatur possessio. In hunc sane modum in nostra praesentia abbatissa, consensu earum quae vice capituli directae fuerant sororum, tibi tuisque fundum, quem oratorium, quem vestrae apud sanctum Theobaldum sub *Bolmunt* occupant officinae, seu id quod adhuc forte aliquis exinde tuae obtulerit ecclesiae, perpetuo possidendum contradidit. Porro ambo postulas, ut hanc ante nos & per nos factam juxta quod praelibatum est, compositionem scripto firmaremus, & banno ecclesiastico muniremus. Si qua ergo ecclesiastica saecularive persona temere, quod absit, inter vos factam compositionem dissolvere praesumpserit, auctoritate Dei omnipotentis & nostra anathematis maledicto innodetur, donec, ad emendationem veniat, & partem quam laeserit satisfaciatur. S. domni Riquini episcopi. S. Stephani primicerii. S. Berengarii decani. S. Haimonis archid. S. Hugonis archid. S. Goberti archid. & cantor. S. Hugonis magistri. S. Hunaudi archid. & magistri. S. Hugonis archid. S. Ulrichi cancellarii. S. Wylani Lingonensis archidiaconi. S. Arardi archid. Lingonensis. S. Tyemari abbatis sancti Mansueti. S. Petri abbatis sancti Apri. S. Wiberti abbatis sancti Salvatoris. Anno ab incarnatione Domini MCXXXIII. epacta XXI. concurrente VI. indictione I. XVII. kal. Julii, feria VI. in ecclesia beati Stephani protomartyris Tullensis, actum in plenaria synodo.

Idem Riquinus eandem compositionem confirmat.

IN nomine sanctae & individuae Trinitatis, Ego Riquinus Dei misericordia Tullensis episcopus. Quia, Domino annuente, regiminis locum sortiti, in domo Dei dispensatoris vice fungimur, oportet ut & quae circa ecclesias utiliter provisae & congrue ordinatae sunt, inconcussa tueamur, & si qua extra normae lineam exorbitaverint, zelo justitiae atque injuncti nobis officii necessitudine pro nostra facultatis modulo & scientiae captu ad statum rectitudinis Domino largiente reducere satagamus. Notum igitur esse volumus tam praesentibus quam futuris, quia cum castrum de *Bolmunt* & terra castrum subjacens, sanctae Mariae Laudunensis sanctimonialium abbatissae fundus sit, sed multo jam tempore per absentiam sanctimonialium & imbecillitatem atque inertiam earum a comitibus Campaniae injusta pervasione ab ipsa abbatia alienatus, atque indigenis terrae in beneficium traditus; sicque per multa tempora, tam justitiae penuria, quam oppressorum violentia & sororum loci debilitate seu negligentia permanserit; novissime a quodam Hugone nobili viro, qui praedictum castrum ab Hugone Campaniae comite in beneficium hereditaria succes-

sione tenebat, in villa castrum subjacente, quae sancti Theobaldi dicitur, pars ejus fundi monasterio sancti Michaelis data est, ut monachi oratorium inibi & officinas usibus monachorum aptas construerent, cellamque ibi S. Michaelis abbatissae subjacentem obtinerent. Cumque hoc comperto sanctimoniales in fundo suae possessionis injussu suo non posse vel debere ecclesiam construi reclamarent, nec diu multumque ventilata controversia congruo fine terminari potuisset; novissime sub audientia nostra, praesente Adelide abbatissa, & aliquantis sororum vice capituli ad id destinatis, praesente etiam Lanzone abbate cum plerisque loci sui fratribus, utriusque partis assensu, caritativa dispensatione litem hoc modo terminavimus, ut pro oratorii sui loco, & pro quibusdam fratrum usibus necessariis mansionibus, monachi duos solidos Tullensis monetae abbatissae sanctae Mariae Laudunensis census nomine annuatim persolvant; quos etiam ad villam ipsius abbatissae, cui *Mandalas* nomen est, sanctimoniali terrae procuratrici vel majori villae in natale S. Johannis-Baptistae deportari faciant; sicque tam oratorium quam officinas suas absque ulla alia exactione seu retractatione in perpetuum libere ac quiete possideant. Quod si forte in futurum vel gratuito fidelium dono, vel pretio de ipso fundo terram unius carrucae usui sufficientem monachi acquirere poterint, nullum alium pro ea censum quam ipsos, quos praediximus duos solidos persolvere compellentur. Hanc itaque conventionem per nos, in quorum parochia fundus ipse est, factam, scripto corroboratam utriusque partis postulatione banno ecclesiastico munivimus, sancientes, ut si qua ecclesiastica saecularive persona temere, quod absit, hoc infirmare temptaverit, anathematis sententiae subjaceat, donec ad emendationem veniens, partem quam laeserit satisfaciatur. S. Riquini episcopi. subscripsit etiam dominus Bartholomaeus Laudunensis episcopus. S. Adelidis abbatissae. S. Goberti archid. &c. Actum IV. nonas Augusti anno dominicae incarnationis MCXXXIII. indictione I. epacta XXII. conc. VI.

XVII.

De electione Mabillae abbatissae Caritatis seu Roncereii.

INter gloriosos sanctae ecclesiae patres qui nobis viam sanctitatis & innocentiae ostenderunt, praecipuis meritis resurgit beatus Benedictus, qui vitam sanctae religionis in coenobiis degentibus ita instituit, ut multitudo hominum sub ejus monasterio congregata una lege regeretur, unum saperet, ad unum tenderet. quod profecto fieri nequit nisi, quemadmodum multa membra cujuslibet hominis una mente reguntur, ita quaevis congregatio religionis intuitu adunata juxta illius sanctissimi Patris Benedicti instituta, unius personae consilio & industria disponatur. Quapropter nos sanctimoniales monasterii beatae Mariae quod dicitur Caritatis, discessione abbatissae desolatae, quae non vitio, sed morbo & senectute praepediente nos deseruit, in Dei nomine concorditer mente & una voluntate elegimus, & pontifici conventui nostro humiliter

Ad lib. 74.
n. 88.
Ex rotulis monasterii.

deposcimus quamdam de fororibus, nomine Mabiliam, virginem Deo ab infantia consecratam, clara stirpe progenitam, bonis moribus ornatam, humilem, sobriam, cæterisque virtutibus a Deo insignitam, ut eam ad hoc perfectendum omni dubitatione remota credamus idoneam. In cuius electione ita omnis nostra congregatio assensum præbuit, ut nulla prorsus inter nos esset, quæ non in ejus electione acclamaret. Ad hanc electionem affuerunt venerabiles & religiosæ personæ, videlicet Hamelinus B. Albini abbas, & Petrus S. Sergii, necnon Johannes abbas S. Nicolai, & Goffridus sanctæ matris ecclesiæ thesaurarius, qui vices tunc domini Ulgerii Transmeduani agebat, & aliæ multæ venerabiles personæ supradictæ matris ecclesiæ, cum favore principis nostri Fulconis egregii comitis, collaudantibus hanc electionem multis clericorum ac laicorum insignibus personis. Obedientiam ergo ei promittimus in domino eo tenore, ut regulam S. Benedicti, & ipsam indeclinabiliter pro posse suo per adjutorium Dei teneat, & nos ammonitione materna invitet ad sequendum, qualiter ipsa procedendo & nos sequendo, illa pro fidei dispensatione & nos pro devota obedientia remuneratæ illam Domini dulcem pariter mereamur invitationem, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine.* Ut autem in hac electione nos legitime in posterum pateat consensisse, hanc chartam contrectavimus, & assensum præbentes nomina nostra inferius scripta indidimus. *Cetera desunt.*

XVIII.

Honorii papa II. Breve apostolicum ad omnes episcopos & proceres Gallia, ut Pontium olim abbatem Cluniacensem coerceant.

Ad lib 74.
n. 148.
Ex archivo
Cluniacensi.

Honorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus patribus archiepiscopis, episcopis, baronibus & aliis fidelibus per Franciam, Aquitaniam & Burgundiam constitutis salutem & apostolicam benedictionem. Universæ bonitatis inimicus diabolus, ut religionem fratrum Cluniacensium cribraret sicut triticum expetivit. Pontium namque ad perturbandos fratres divino famulatu mancipatos arrogantia spiritu tumidum de ultra marinis partibus unco ambitionis adduxit, & ut ab eo monasterium Cluniacense occuparetur effecit. Quam ob rem dilectum filium nostrum Petrum diaconum cardinalem ad vos ex gremio sanctæ Romanæ ecclesiæ dirigentes, caritati vestræ mandando præcipimus, ut ipsius consilio in vasorem Pontium a Cluniacensi monasterio & obedientiis, atque omnibus pertinentiis ejus eliminare summo opere procuretis. idem enim filius noster Petrus vice nostra in Pontium & in omnes fautores ejus anathematis confirmabit sententiam. Dilectum vero filium nostrum Petrum Cluniacensem abbatem manu tenere & honorare curetis. *Data Lateranis VIIII. kalend. Maii.*

Ejusdem littera ad monachos Cluniacenses, ut Pontium abbatem rejiciant.

Honorius episcopus servus servorum Dei universis monachis & conversis ad Cluniacense monasterium pertinentibus salutem & apostolicam benedictionem. Gravamur admodum, quoniam, sicut accepimus, sacri collegii unitatem & statum religionis Pontius diabolico agitato spiritu visus est ausu temerario perturbare. Quamvis ergo vae sit homini illi per quem scandalum venit, ad probationem tamen & purgationem bonorum necesse est scandala provenire. vir enim & audacia militis in bello cognoscitur & fidei religiosæ constantia in adversis comprobatur. Quocirca dilectum filium nostrum Petrum cardinalem ad vos e gremio sanctæ Romanæ ecclesiæ dirigentes mandando præcipimus, ut in caritatis unitate firmiter persistentes, eidem Pontio nullum omnino consilium vel auxilium præbeatis, sed potius ab ipso tamquam a schismatico & in vasore vos omnimodis abstinete. Idem namque filius noster Petrus vice nostra in Pontium, & in omnes fautores ejus anathematis confirmabit sententiam. Præcipimus autem ut dilecto filio nostro Cluniacensi abbati, tamquam pastori vestro & animarum vestrarum rectori, humiliter obedientiam & reverentiam exhibeatis. *Datum Laterani VIIII. kalend. Maii.*

Ejusdem alia littera ad Humbaldum archiepiscopum Lugdunensem ejusdem argumenti.

Honorius episcopus servus servorum Dei venerabili Hu. . . Lugdunensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Dolemus quoniam, sicut accepimus, religionem Cluniacensem Pontius temere perturbavit. Gratias ergo tuæ referimus fraternitati, quod tamquam religionis amator ei viriliter restitisti. Instanti igitur vigilantia tam per ecclesiæ ministros quam per exterarum potestates illum de monasterio trahere & in carcerem ponere omnibus modis elaboras. Nos autem de latere nostro legatum e vestigio transmittimus, qui tibi ad hoc explendum consilium & auxilium præbeat. *Data Lateranis VIIII. kalend. Maii.*

Formula excommunicationis in Pontium & Pontianos.

Hæc est excommunicatio quam fecit Petrus cardinalis sanctæ Romanæ ecclesiæ legatus in virtute Spiritus sancti & in auctoritate domni papæ Honorii, cujus vice fungitur, in Pontium in vasorem & schismaticum, & in burgenfes Cluniacenses, & in omnes eorum fautores in Lugdunensi synodo VII. kal. Junii in præsentia episcoporum consentientium, & abbatum & presbyterorum multorum & clericorum. Quoniam contra voluntatem Dei & domni papæ Honorii, totiusque Romanæ ecclesiæ, Pontius Cluniacense monasterium irrationabili laicorum violentia invasit, Romanæ ecclesiæ misericordiam magis quam justitiæ severitatem sequentes, tertio tam litteris quam nuntiis eum ad

ad nos vocavimus, ut voluntatem domni papæ Honorii ex ore nostro super hoc audiret, eique veluti totius orbis universali patri in omnibus obediret. Verum quia domno papæ Honorio cujus vice fungimur obedire, & de perpetrato invasionis ecclesiæ scelere noluit poenitere, hanc injuriam Deo & apostolicæ sedi illatam ulterius inultam non ferentes, auctoritate apostolorum Petri & Pauli, & domni papæ Honorii, qui nobis plenam in hoc negotio sua vice tradidit potestatem, excommunicationis sententiam domni Humberti archiepiscopi Lugdunensis S. R. E. & domni papæ Honorii legati & ejus suffraganeorum in eundem Pontium, & in omnes fautores ejus juste iterum prolatam, in præsentem confirmamus synodo, quam iterum renovantes, prædictum Pontium ac monachos ei coherentes necnon & burgenfes Cluniacenses anathematis vinculo innodamus quousque respiciant, & ad condignam redeant satisfactionem. Præcipimus etiam sub anathemate, ut nullus in ecclesiis vel in officinis infra ambitum muri Cluniaci, aut desoris infra claustra, vel pertinentiam totius burgi constitutis, campanas pulsare, vel officia celebrare divina vel capitulum facere præsumat, quousque Pontius inde exeat, & ab hac infestatione quiescat. Ejusdem anathematis vinculo insuper eos innectimus, qui de thesauro ecclesiæ Cluniacensis quidquid causa donationis vel venditionis seu pignorationis acceperunt, ac deinceps acceperint vel dederint. Præterea obedientias in quibus Pontium suos priores intrufit, scilicet Silviniacum cum Eustorgio priore, & suis fautoribus, Masfiliam cum priore, Laziacum, & ejus priorem, Parrona cum priore ne divina officia ibi celebrentur interdiximus. Denique omne christianitatis officium supradictis locis interdiximus, excepto baptismate puerorum & poenitentia morientium, volentium ab hac nequitia converti, data securitate in manibus Letaldi Vincentii, & aliorum qui obedientiam Romanæ ecclesiæ, & Petri abbatis fidelitatem servant. Eodem vinculo ligamus eos qui victualia vel arma burgenfes Cluniaci pretio vel dono vel in defensionem hujus sceleris portant.

Honorii papa Bulla ejusdem argumenti.

Ex Bullario
Cluniacensi.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Petro Cluniacensi abbati salutem & apostolicam benedictionem. Universalis ecclesiæ sollicitudo nobis a dispensatore omnium bonorum Deo commissa, mentis intentionem incessanter urgere non desinit, religionis statum incon vulsum servare, & religiosi loci libertatem debitam custodire. Sancta tamen mater ecclesia, quæ ad tempus ex parte peregrinatur in terris, multarum oppressionum purgatur turbine, & validæ persecutionis examinatur fornace, cælumque inspicens gemebunda suspirat, donec illi cælesti præsentia uniatur, quæ de immarcescibili coronæ remunerata præmio, sui creatoris contemplatione lætatur. Ceterum navis B. Petri cælorum clavigeri, cui Christus præsidet gubernator, quamvis multis collidatur procellis, & horrendis ventorum flatibus agitur, numquam tamen naufragii damnum incurret; sed ad por-

Annal. Bened. Tom. VI.

tum tranquillitatis cum eis qui ei adhærent, securam perveniet. Pontius siquidem beati Benedicti inimicus præceptionibus, & monastici ordinis malleus, qui Cluniacensem abbatiam in manu prædecessoris nostri felicitatis memoriæ papæ Callisti sine spe recuperationis refutaverat, & se perpetuo Jerosolymis victurum voto adstrinxerat, contra voluntatem Dei & nostram, Cluniacense monasterium superba obstinatione & præsumptione sacrilega occupavit: nitorem vero religionis Cluniacensium fratrum, quæ per totam Galliam claruerat, perturbans, corda simplicium veneno suæ pravitatis infecit. Præterea sacrilegium & rapacitatis flagitium præteritis superaddens peccatis, vasa sacra & thesaurum monasterii, qui ex voto fidelium ad pauperum usum, cum foret opportunum, fuerat destinatus, diripuit; & ejus maximam portionem pro retinendis militibus, sagittariis & balistaribus dissipavit. Quia igitur in tanta pertinacia induratus, nequaquam respicere voluit, venerabilis frater noster Humbaldus Lugdunensis archiepiscopus apostolicæ sedis legatus in eum excommunicationis sententiam promulgavit. Ceterum postquam tantum periculum tantamque religionis stragem Cluniacensi monasterio imminere veridica relatione cognovimus, dilectum filium nostrum Petrum diaconum cardinalem de gremio sanctæ Romanæ ecclesiæ ad partes illas mittendum duximus, qui præcepto & auctoritate nostra Pontium in vasorem & fautores ejus vinculo anathematis innodavit. Post hæc autem tu dilecte fili Petre Cluniacensis abbas & idem Pontius proximis B. Michaëlis octavis, ad nostram venire præsentiam, & de prædicta controversia & excessu nostro & Romanæ ecclesiæ obedire judicio statuisti, & ne super hoc vestrum aliquis falleretur, utrimque obfides in præsentia prænominati dilecti filii Petri cardinalis diaconi præbuitis. Statuto itaque termino, nostro te conspectui præsentasti, Pontius vero cum monachis & burgenfibus, nondum tamen cum suis ab excommunicationis vinculo absolutus, ad urbem venit. Ut autem secundum usum ecclesiasticum de excessu pro quo excommunicatus fuerat satisfaceret, & postmodum, juxta rationis ordinem, ad causam suam permetteretur agendam, a nostris fratribus est sæpenumero requisitus: ipse vero spiritu elationis tumidus in inficiationes & verborum involucria assueto more linguam extendens, satisfacere nobis & ecclesiæ Romanæ contempsit: nos siquidem quosdam monachos qui cum eo venerant, post acceptam satisfactionem recepimus, & ad causam suam agendam admisimus. Tunc ergo te in Cluniacensem abbatem canonice & secundum beati Benedicti regulam electum, ac per prædecessorem nostrum felicitatis memoriæ papam Callistum, & per nos ipsos confirmatum, modo vero per Pontium in vasorem & complices suos infideles burgenfes fuisse expulsum, bona etiam monasterii & thesaurum fuisse distractum, per carissimum filium nostrum Mathæum priorem S. Martini de Campis, quem advocatum & causæ tuæ patronum statueras supplicem, allegasti, & ut tibi de ablatis restituito, & de irrogata injuria justitia fieret, postulasti. Ceterum monachi, qui cum Pontio venerant, ex adverso pastorem suum Pontium sibi

PPP

fraudulenter ablatum, nec umquam eum Cluniacensis monasterii regimen dimisisse acclamabant. Qui statim productis apostolici viri regestorum papæ Callisti voluminibus, & assertionem testium, qui tunc præsentibus fuerunt, convicti sunt. Ut igitur verba ipsius ad Pontium directa ponamus, hæc sunt. Tibi præcipimus ut ab hujusmodi levitate desistas, & quam in manu nostra sine recuperationis spe refutasti, Cluniacensem abbatiam nullatenus molestare præsumas. Si vero nostri præcepti transgressor existeris, gratiam beati Petri & nostram amittes; & si quando ad nos clamaveris, non exaudieris. Idem ad conventum Cluniacensem inter cetera, Zelum inter vos & contentiones agitari multorum relatione comperimus, & vehementius aggravamur. Pontius enim qui olim vestro monasterio præfuit, concordem unitatem vestram dividere, & simplicitatem mentium vestrarum sollicitare non desinit: unde universitati vestræ præcipimus, ut sicut per obedientiam beati Petri salvare animas vestras cupitis, protinus abjectis omnino schismatibus, carissimo filio nostro Petro Cluniacensi abbati unanimiter & devote humilitatis subjectionem & obedientiam deferatis, & in Pontio illo, qui in nostris manibus sine spe recuperationis abbatiam Cluniacensem penitus refutavit, nullam de cetero spem habeatis; cum quod de eo in causa hac constitutum, nulla prorsus ratione mutabimus. Si quis autem vestrum hujus præcepti nostri temerario existerit, si abbatia vel alicujus prælationis nomine insignitus fuerit, vel ordinis promotionem habuerit, dignitatis & ordinis sui detrimentum sustinebit, & anathematis sententiæ subiacebit. Idem de eodem ad te, Petre fili carissime. Quod autem de Pontio illo qui olim abbatia Cluniacensi præfuit, quam omnino sine recuperationis spe in manibus nostris refutavit, constitutum, nulla volumus ratione mutare. Quocirca quemadmodum iudicis postulabat officium, diligentius indagato negotio, habito consilio, & communi assensu fratrum nostrorum episcoporum & cardinalium, Petro præfecto urbis & aliis nobilibus Romanis & legisperitis collaudantibus, ex sententia de Cluniacensi abbacia, de monachorum obedientia, de omnibus tam exterius quam interius ad eandem abbatiam pertinentibus, plenarie te per abundantem justitiam investivimus: obfides vero quos pro executione justitiæ dederas, absolventes, illos quos Pontius & burgenfes pro parte sua obligaverant, alligavimus. Burgenfes etiam de thesauro Cluniacensi monasterio restituendo, & alio damno restaurando in manu tua, ad quem cura spectare cognoscitur, damnavimus, poenæ legali adhibita: verum ipsius poenæ relaxatio est tuæ discretioni commissa. Præterea Pontium excommunicatum, inavorem, deprædatorem, sacrilegum & schismaticum condemnantes, sententiam beatæ recordationis prædecessoris nostri domni papæ Callisti in ipsum Pontium datam, ut videlicet nullo tempore Cluniacensem abbatiam recuperet, apostolica auctoritate firmavimus. Si quis autem in posterum hanc nostræ diffinitionis sententiam violare tentaverit, laicus anathematis gladio feriatur, clericus honoris & officii privatione mulsetur.

Ego Honorius catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Petrus Portuensis interfui. Datum Laterani per manum Aymerici sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis cancellarii XIII. kalend. Novembris indictione III. anno dominicæ incarnationis MCCCXVI. pontificatus autem domni Honorii II. papæ secundo.

XIX.

Litteræ Anscheri abbatis Cenulensis de rebellionem opidanorum Cenulensium.

Ego Anscherus S. Richarii abbas & conventus, Notum fieri volumus quod venerabilis Francorum rex Ludovicus apud S. Richarium venit, & causa utilitatis nostræ inter homines nostros communiam ibi statuit, & statuta illa discessit. Postea burgenfes in sua multitudine confidentes, & jura nostra, scilicet talionem de exercitu regis, & pactum ejusdem, & mensuras & relegia nobis auferre conati sunt. Rursus homines curiæ nostræ ante communiam a fossis, ab excubiis, a talione liberos omnibus consuetudinibus suis injuste subdiderunt: unde nos graviter commoti dominum nostrum regem Franciæ precibus sollicitavimus, ut iterum ad nos rediret, & in pristinam libertatem res nostras revocaret, & ecclesiam exactione & consuetudine injusta liberaret. Rex igitur nostræ depressioni compatiens ad nos venit, omnemque seditionem quæ inter nos orta fuerat, ut debuit, sedavit; eo tamen tenore, quod talionem de exercitu regis sive minimam sive magnam cum eveniret reddendam, & pactum sive minimum sive magnum communiter a burgenfibus & rusticis reddendum, & mensuras & relegia sicut ante communiam tenueramus, & consuetudines alias ipsi burgenfes amodo libere nobis tenere in perpetuum concesserunt. Præter hæc vassallos nostros, qui cum armis secundum suum deserviant, a prædictis consuetudinibus, a talione videlicet, a fossis & excubiis assensu burgenfium privavimus, famulos siquidem nostros de pane S. Richarii viventes, & rusticos omnes extra corpus villæ commorantes, & communiam exire fecimus. Si quis liber rusticus in communiam intrare voluerit, domino suo jus proprium reddet, & terram suam dimittet, & sic in communiam intrabit. Homines autem S. Richarii capite sensivi sine abbatis assensu numquam in communiam intrabunt. Item in præsentia domini regis constitutum est, quod comes Pontivi Guillelmus extra communiam in perpetuum habeatur, & quod nullus principum habens castrum sine assensu regis & nostro in communiam introeat, nec major inter burgenfes sine assensu regis & nostro amodo statuatur; & si fuerit statutus numquam morabitur in majoratu suo, nisi quantum nobis placuerit. Præterea Robertus de Milo Burgo, & fratres sui præfectura & vicecomitatu & omni potestate perpetuo privabuntur: postremo sancitum est, ne quis burgenfium amodo in ecclesiam nostram pro aliqua offensione, nisi tantum orationis causa introeat, neque campanas nostras pulsare sine assensu nostro ulterius præsumant. Hæc omnia ita determinata burgenfes fide & sacramento fe

Ad lib. 74. n. 160.

exsequi promiserunt, & inde nobis obfides donaverunt, sicut comes Flandriæ Carolus, & Stephanus regis dapifer qui aderant viva voce disposuerunt. Ego igitur Ludovicus Dei misericordia rex Francorum hæc omnia præscripta statui & confirmavi. Actum apud S. Richarium anno Domini MCCCXVI.

XX.

Diploma Ludovici Crassi pro parthenone. Calensi.

Ad lib. 75. n. 14.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Ego Ludovicus Dei gratia rex Francorum. Si secundum magnitudinis & celsitudinis nostræ sublimitatem ecclesiarum Dei proventus magnifice procuramus, earumque tuitionem omnimoda ordinatione providere satagimus, profuturum nobis id quoque ad æternam beatitudinem facilius obtinendam procul dubio confidimus. Quapropter notum esse volumus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus præsentibus pariter & futuris, quod venerabilis abbatissa Kalensis monasterii nomine Avelina, necnon etiam totius congregationis sibi commissæ tam clericorum quam etiam sanctimonialium inibi Domino devote servientium uniformitas, per deprecationem Domini ac dilectissimi & in Christi visceribus honorandi Radulfi comitis amici nostri, petierunt devotis precibus nostram serenitatem, quatenus ipsum monasterium cum omnibus ad se in præsentiarum jure pertinentibus rebus sub nostræ tuitionis ac defensionis cura suscipere, ac firmiter tenere dignaremur. Quorum humilem & justam petitionem libenter suscipimus, quoniam in præceptis prædecessorum nostrorum Caroli, Ludovici aliorumque regum hoc confirmatum comperimus: Ita videlicet quod prædictum monasterium, & quidquid intra claustra vel extra per villas scilicet sui juris diffusum esse dignoscitur, omnesque insuper res ad se jure legitimo pertinentes, quæ a prædecessoribus nostris regibus videlicet vel aliorum nobilium virorum ibidem collatæ sunt vel conferebantur erunt, tam in mobilibus quam in immobilibus rebus, sub emunitatis nostræ regia tuitione suscipimus ac retinemus, ac retinenda perpetuo decrevimus, & æternaliter confirmamus, ita ut nullius potestatis sive judicariæ sive fiscalis, aut etiam rei publicæ... Quocirca administratio infra vel extra in mansionibus illarum, vel in agris, aut in villis, aliqua ibidem placita tenenda, aut homines illarum distringendos vel freda exigenda sunt, sive fidejussores tollendos eosque rapiendos vel telonea requirenda, vel mansionarios, sive paratas recipiendas, aut illicitas occasiones objiciendas & expetiendas seu exquirendas ingredi audeat nec licentiæ habeat facultatem. Sed hac regia nostra tuitione eadem ecclesia sicut prædictum est a nobis defensa ac in perpetuum munita sit. Mortua vero ejusdem loci abbatissa, in eligenda altera libero suæ electionis fructu arbitrio, secundum quod & canonica & regulari censetur auctoritate. Notum etiam fieri volumus, quod universis servis ipsius ecclesiæ leges illas & consuetudines eadem quas nostri servientes habent, in omnibus & per omnia habendas & possidendas concedimus, &

ubicumque terrarum in regno nostro dispergantur, lege consimili & consuetudine coæquantur. Quisquis vero contra hoc nostræ magnificentæ præceptum ire tentaverit, & eo de testimonio reprobaverit, nostræ violatæ majestatis reus existat, & c. libras inde persolvat. Placuit sane nominatim quæ ibidem monasterio collatæ fuerunt hoc præceptum scribi. Sunt autem Kalæ monasterium cum omni integritate sua, ecclesiæ videlicet, decimis & vicaria, integraque totius villæ justitia cum multis villis aliis, videlicet Myntoracum cum ecclesia & vicaria, terris cultis & incultis, silvis, pratis, pascuis, exitibus & regressibus. Et villam quæ vocatur Antoniam, & villam quæ vocatur Barron in Gastinense pago, villam quæ vocatur Royse in Belvacense pago, villam quæ vocatur Remy. Has itaque villas cum earum summa integritate, terris scilicet cultis & incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, exitibus, regressibus, & municipiis utriusque sexus usibus, ut diximus CXX. sanctimonialium perpetuo jure deputamus & concedimus. Ut autem hæc largitatis & institutionis stabilita auctoritas jugiter in Christi nomine maneat inconcussa, sigilli nostri auctoritate muniti, nostrique nominis subter scripto caractere corroborari præcepimus. Actum Parisius publice anno incarnati Verbi millesimo centesimo vigesimo-septimo, regni nostri anno decimo, assantibus in palatio nostro quorum nomina subtritulata sunt & signa.

S. Radulphi comitis.
S. Ludovici buticularii.
S. Hugonis constabularii.
S. Alberti camerarii.
Data per manum Symonis cancellarii.

XXI.

Udo abbas & conventus S. Petri Carnotensis assignant redditus ad renovandum augendumque armarium.

Iustum & honestum est ut omnes sanctæ ecclesiæ filii semper invigilent honori & utilitati: hac de causa ego frater Udo Dei gratia cenobii S. Petri Carnoti abbas, ecclesiæ nostræ armarium usque ad meum tempus pauperrimum absque diminutione, ut arbitror, alicujus rei augmentare curavi. Hoc autem fieri per necessarium erat, paupertatis enim extremæ quæ armarium deprimebat testes erant manifestissimi corrosi tineis & pæne delicti vetustate libelli, sparsim per armarium huc illucque projecti, qui a fratre qui armario præerat præ paupertate nimia non poterant renovari, nec etiam quod minus est religari; & satis erat inhonestum & indecorum, ut nostrum monasterium quod magna est nobilitatis haberet armarium tantæ paupertatis. Ut igitur inhonestas honestare & dedecus decore pelleretur, totius capituli nostri benevolentia & assensu communi redditum determinatum assignavi armario, redditum videlicet talem, quem frater qui armarium tenuerit singulis annis habeat, & unde libros renovare vetustos, vel vetustis superaddere novos valeat. Hunc autem redditum reddent ei annuatim in festivitate omnium sanctorum ministratores obedientiarum nostrarum. Et ne aliquis

Ad lib. 75. n. 37. Ex ms. cod. S. Petri.

nimis hoc factō gravetur, parvissimum quid unicuique impositum est, ut præsenti scripto monstratur.

Abbas enim reddet semper per singulos annos tantum x. solidos. Camerarius, II. solidos. Eleemosynarius, II. solidos. Præpositus de Burgo, II. solidos. Ille qui monachos vestit, II. solidos. Cellerarius coquinæ, II. solidos. Prior Leonis curiæ, II. solidos. Præpositus de Giffaco, v. solidos. Sacrista de Giffaco, II. solidos. Præpositus de Bruerolis, v. solidos. Præpositus de Braiolo, v. solidos. Monachus de Turi, XII. denarios. Monachus de Nantilliaco, II. solidos. Monachus de Sotello, XII. denarios. Monachus de S. Georgio, II. solidos. Monachus de Treonio II. solidos. Monachus de S. Germano, II. solidos. Monachus de Mitten-villari, XII. denarios. Monachus de Calgeio, II. solidos. Monachus de Constantino, II. solidos. Monachus de Planchis, III. solidos. Monachus de Armentariis, II. solidos. Monachus de Rivillonio, XII. denarios. Monachus de Senonchis, II. solidos. Monachus de S. Leobino Carnotensi, II. solidos. Monachus de S. Leobino de Castro-duni, XII. denarios. Monachus de Pédanco, II. solidos. Monachus de Reconis-villari, XII. denarios. Monachus de Spelterolis, XII. denarios. Monachus de Puteosa, XII. denarios. Monachus de Grosflu, XII. denarios. Monachus de Canzeiaco, XII. denarios. Monachus de Niglebolt, XII. denarios. Monachus de Abbonis villa, XII. denarios. Monachus de Yvonis villa, XII. denarios. Monachus de Epen villa XII. denarios. Monachus de Germenonis villa, XII. denarios. Monachus de Boes villa, II. solidos. Monachus de Tornesiaco, XII. denarios. Monachus de S. Paterno, III. solidos. Monachus de capella Ofanæ, XII. denarios. Monachus de Verno, XII. denarios.

Hos omnes tam obedientiarum quam claustrales unanimiter concesserunt & tenendum in perpetuum decreverunt. Hoc quoque auctoritate omnipotentis Dei & sanctorum apostolorum Petri & Pauli, & nostra tam ego quam totus conventus confirmavimus. Si quis hanc institutionem reprehendere vel violare ausus fuerit, quod parvum decorem domus Dei diligit evidenter monstrabit, & quod gravius est, Deo & sanctis eius & nobis omnibus inobediens erit, & sciat in tremendi iudicii die se esse damnandum, nisi inobedientiam suam per poenitentiam & congruam satisfactionem correxerit. Factum & confirmatum est hoc in capitulo nostro anno ab incarnatione Domini MCXLV.

XXII.

Ivonis episcopi epistola ad Adelam comitissam Blesensem.

Ad lib. 75. n. 42. Ex autographo. Humilis ecclesie Carnotensis minister, A. nobili comitissæ salutem. Semota omni mundana cupiditate piam vestram intentionem laudo, quod ecclesiam S. Martini de Valle, quæ olim monasterium fuit, in antiquum statum reformare desideratis; simulque consulo, ut quod

pie desideratis, ad celere effectum caute perducere studeatis: ne antiquus hostis intentionem vestram præpediat, & ad desideratum finem pervenire non sinat. Ego enim ad hoc implendum, prout ratio & facultas permiserit, & consilium promitto & auxilium. Valet.

XXIII.

Fridericus archiepiscopus Coloniensis monachos Stabulenses & Malmundarienses reconciliat.

Ad lib. 75. n. 48. Ex archiepis Stabulensi. IN nomine sanctæ & individue Trinitatis Fridericus Dei gratia sanctæ Coloniensis ecclesie archiepiscopus fratribus in Stabulensi cœnobio commanentibus æternam in Domino salutem. Memores scripturæ dicentis, Beati pedes pacem portantes, sicut nos in ecclesiis nostris bonum pacis & concordie conservare studeamus, ita in eis & ab eis scandalorum & discordiæ occasionem præcidere curamus; & sicut nostra in suo statu permanere cupimus, sic aliorum iuste habita convellere formidamus. Ea propter materiam dissensionis & diffensionis, quæ hætenus Stabulensem & Malmundariensem ecclesiam longa simultate vexavit refecare volentes, subministrante nobis fratre Wiboldo Stabulensis ecclesie magistro atque portario, supradictorum locorum fundationem, & Stabulensis ecclesie privilegia diligenter relegimus. In quibus inventum est beatum Remaclum utriusque loci ædificatorem, post constructum primo a se Malmundarium, suæ & successorum suorum habitationis & sepulture principalem locum apud Stabulaus elegisse, & pro eo quod idem locus in Leodiensi parochia est, omnes per successionem utriusque loci abbates ab episcopo Leodiensi consecrari debere: ad hoc etiam accedit quod omnia privilegia tam bannilegæ, quam electionis abbatum, & quæ de jure advocati agunt, quæ ab imperatoribus & regibus eisdem locis multa collata sunt, & eadem ab apostolicis Gregorio quinto, & Leone nono apostolica auctoritate roborata, quibus jus suum utraque ecclesia tuetur, apud Stabulaus recondita sunt, in quibus illa Stabulensis ecclesie præeminet dignitas, ut pace Malmundariensium primam vicem in eligendo abbate Stabulenses obtineant, & de seipsis idoneam personam sine Malmundariensium calumnia assumant. His ita se habentibus, perspicuum est, quod ecclesia Stabulensis, principatum obtineat, Malmundarium vero subjectionem ei & obedientiam debeat, quod Malmundarienses eo usque hætenus infirmare conati sunt, ut tempore divæ memoriæ Ottonis secundi dissidio facto, abbatem per se habere vellent, quod in Engelheim iudicio viginti episcoporum, ut in privilegio supradicti imperatoris, quod super eadem re habetur, legi potest, cassatum est. Tempore quoque domini Henrici imperatoris hujus nominis quarti per dominum archiepiscopum Annonem rursus facto divortio, abbas quidam Malmundarii ordinatus est, sed per beatum Remaclum in curia regis miraculis inæstimabilibus coruscantem, convictis omnibus qui adversæ partis aderant, receptum est a Stabulensibus Malmundarium. Nos vero, ut jam dictum

dictum est, omnem materiam dissensionis & scandalii, secundum tenorem veritatis & rationis, a præfatis locis auferre cupientes, constituimus & præfati privilegio in perpetuum firmamus, ut utriusque loco unus semper præficiatur abbas, ut in supradictis privilegiis habetur, & ut Malmundarium eo subjectionis jure Stabulensi ecclesie obediat, quo jure omnes cellæ vel præposituræ suis cœnobiis subesse videntur; benedictionem monachicam, & professionum suarum chirographa non ut præfati anno fecerunt, sed potius in Stabulensi ecclesia, excepta mortis necessitate faciant, & reddant. Nec eis ad exemplum opitulari debet hoc, aut potest, quod jam moto præfato dissidio, abbas Theodericus quosdam ex Malmundariensibus Malmundarii benedixit, & profiteri fecit, ut scilicet per hoc fideles & subiectiores sibi faceret, quod eum non effecisse finis rerum indicavit. Neque vero ullus successorum nostrorum, Coloniensium videlicet archiepiscoporum, abbatem Stabulensem de subjectione sibi faciendam, & cura Malmundariensis loci suscipiendam, ut nostris temporibus temptatum est, umquam fatiget, sed in consecratione sua curam utriusque ecclesie suscipiat. Porro quia de ordinibus & consecrationibus Malmundariensis loci ad nostram parochiam pertinet, si abbati placuerit ordinatos fratres Malmundarium mittere, hoc ei, quia ubique inter hujusmodi loca apud monachos sit, non negamus; aut si sub titulo ejusdem loci voluerit nobis ordinandos præsentare, eis quoque manum imponemus. Atque ut omnem scandalorum pravitatem præcidamus, hoc quoque statuimus, ut si aliqua gravis causa vel culpa Malmundarii contigerit, nullomodo absque Stabulensium deliberatione & consensu terminari liceat vel emendari, sitque abbati libera potestas commutandorum, nutriendorum, recipiendorum, prout sibi videbitur, fratrum suorum. Quæ omnia ut stabili & inconcussa firmitate permaneant, sub anathematis interpositione decernimus, & testes qui in donatione hujus privilegii affuerunt subter notari fecimus. Arnoldus præpositus sancti Petri, Hugo decanus, Bruno præpositus sancti Gereonis, Arnoldus præpositus sanctæ Mariæ ad Gradus, Rubertus abbas Tutii, Gerardus abbas sancti Pantaleonis. Comes Adolphus de Sassenbergh. Item Adolphus de Berge. Theodericus de Gladebach, & alii multi utriusque ordinis probatissimi. Actum est hoc Coloniæ anno ab incarnatione Domini MCXXVIII. indictione sexta, regnante domino rege Lothario tercio.

XXIV.

Bulla Honorii II. pro Vindocinensi monasterio.

Ad lib. 75. n. 76. Ex authentico. Honorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Gaufrido Vindocinensis monasterii abbati ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Sacro-sancta Romana ecclesia, quæ a Deo sibi concessum omnium ecclesiarum retinet principatum, tamquam diligens mater singulis debet ecclesiis instanti vigilantia providere. Justum est igitur & ratio-

nabile, ut ecclesie & venerabilia loca, maxime quæ ad speciale jus & proprietatem sanctæ Romanæ, cui Deo auctore servimus, spectant ecclesie, specialioris prærogativæ sortiantur honorem, & apostolicæ auctoritatis munimine roborentur. Quocirca, dilecte in domino fili Gaufrido abbas, tuis rationabilibus postulationibus non immerito annuendum censuimus, ut Vindocinense monasterium cui Deo auctore præfides, quod videlicet ab ipsis fundatoribus Gaufrido Andegavensium comite, & Agnete Pitavensium comitissæ sedi apostolicæ oblatum est, ad prædecessorum nostrorum sanctæ memoriæ Alexandri, Urbani, Paschalis & Callisti Romanorum pontificum exemplar, apostolicæ sedis privilegio muniremus. Possessiones itaque & bona quæ idem monasterium in præsentiarum iuste & canonicè possidet, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis nominibus duximus annotanda, ecclesiam videlicet sanctæ Mariæ de Surgeriis, ecclesiam sanctæ Mariæ de Castro-Oleronis, & ecclesiam sancti Nicolai, ecclesiam sanctæ Mariæ de Castellis, ecclesiam sancti Clementis de Credone, ecclesiam sancti Salvatoris juxta muros Andegavis, & capellam sancti Eutropii. Quæcumque præterea in futurum largiente domino concessione pontificum, liberalitate regum, largitione principum, oblatione fidelium seu aliis modis iuste & legitime poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & integra conserventur. Ad hæc sicut idem fundatores denuntiarunt & in eorum charta continetur, sub apostolicæ sedis defensione ac Romana libertate ab omni conditione aliarum personarum absolutum semper & liberum idem monasterium permanere sancimus; ita videlicet ut inter Romanum pontificem & te utroque successores nulla cujuscumque dignitatis vel ordinis persona sit media habeatur, nec ipse Vindocinensis abbas ad concilium ire ubi papæ persona non aderit, ullatenus cogatur. Porro ecclesiam beatæ Priscæ in Monte-Aventino sitam, cum universis pertinentiis suis, sicut tempore prædecessorum nostrorum antecessores tui possedisse noscuntur, tibi tuisque successoribus cum omni dignitate quæ ad eandem ecclesiam pertinet, confirmamus, sancti-Spiritus iudicio decernentes, ut nulla deinceps ecclesiastica secularisve persona prædictam beatæ Priscæ ecclesiam seu ecclesie dignitatem tibi tuisve successoribus qualibet astutiâ vel occasione auferre præsumat. Quod si forte contigerit Romanæ legatum ecclesie prædictam Vindocinense monasterium visitare, caritative ibi suscipiatur, & ei juxta loci possibilitatem diligenter quæ corpori fuerint necessaria ministrentur. Sane legatus ipse in eodem loco per se nihil disponere vel corrigere audeat, neque occasione legationis rectorem loci vel fratres molestare præsumat; sed si quid forte corrigendum cognoverit, papæ notificare licebit. Si quis autem adversus locum illum pro aliquibus rebus causari voluerit, nullatenus abbas vel fratres ei respondeant antequam Romanum pontificem consulant: quia quod sine nostro vel successorum nostrorum iudicio distractum vel diffinitum fuerit, irritum erit. Ad indicium vero perceptum hujus a Romana ecclesia libertatis, duodecim

solidos monetæ vestræ quotannis Lateranensi palatio persolvatis. Si quis igitur in posterum ecclesiastica seculariſve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Honorius catholicæ ecclesiæ episcopus subscripsi. Ego GG. card. tit. sanctorum apostolorum subf. Ego Petrus presbyter card. tit. Callisti subf. Ego Petrus presbyter card. tit. S. Marcelli f. Ego Girardus card. presbyter tit. Fasciolæ subf. Ego Gregorius presbyter card. tit. S. Balbinæ subf. Ego Rusticus presbyter card. S. Cyriaci subf. Ego Guilielmus Prænestinus episc. subf. Ego Egidius Tusculanus episc. subf. Ego Johannes Ostiensis episc. subf. Ego Conradus Sabinensis episc. subf. Ego Johannes presbyter card. tit. S. Grisogoni subf. Ego Gregorius S. Angeli diaconus card. subf. Ego Saro card. presbyter tit. S. Stephani subf. Ego Petrus presbyter card. tit. S. Equitii subf. Ego Petrus presbyter card. tit. S. Anastasiæ subf. Ego Gofelinus presbyter card. tit. S. Cecilie subf. Ego Sigizo presbyter card. tit. sancti Sixti subf. Ego Eibertus presbyter card. tit. S. Clementis subf. Ego Deusdedit presb. card. tit. S. Laurentii in Damaso subf. Ego Jonathas diaconus card. SS. Cosmæ & Damiani subf. Ego Gregorius diaconus card. SS. Sergii & Bacchi subf.

Datum Laterani per manum Aimerici sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii ix. kal. Aprilis indict. vii. incarnationis dominicæ anno MCXXIX. pontificatus autem domini Honorii II. papæ anno v.

XXV.

Statutum de sigillo abbatis S. Martini Alba-marla.

Ad lib. 75.
n. 103.
Ex charta
monasterii.

IN nomine Domini, amen. Hoc est transcriptum sive transumptum cujusdam procuratorii sigillorum religiosorum virorum abbatis & conventus monasterii sancti Martini de Alba-marla, sigillis oblongis in cera viridi impressis. In medio primi sigilli sculpatur quædam imago ad similitudinem cujusdam abbatis quasi pontificalibus induti, tenentis baculum pastorem manu dextera, & quemdam librum ad pectus suum in manu sinistra; & in dorso dicti sigilli impressio cujusdam rotundi sigilli, in cuius medio sculpatur quædam manus baculum pastorale tenens, & ex anteriori parte ejusdem baculi sculpatur similitudo rosæ, & ex alia parte sigilli sculpatur imago cujusdam abbatis quasi pontificalibus induti, habentis baculum pastora-

le in manu sinistra, & manum suam dextram sursum erigentis quasi ad benedicendum: & in dorso dicti impressio cujusdam sigilli rotundi, in cuius medio imago sancti Martini equitantis sculpatur, gladium evaginatum in manu sua tenentis, dividendo mantellum suum, eum pauperi adstanti erogando; & in circumferentia ejusdem sigilli rotundi, *Ora pro nobis beate Martine*. Tenor vero dicti procuratorii talis est. Universis sanctæ matris ecclesiæ filiis præsentibus litteras visuris vel etiam auditoris, nos Simon dictus Longus, abbas monasterii sancti Martini de Alba-marla & ejusdem loci conventus salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra unanimiter nos omnes & singuli in omnibus causis & negotiis, querelis omnibus, & singulis quibuscumque motis seu movendis, nos & monasterium nostrum tangentibus, ubicumque in Anglia pro nobis & monasterio nostro, seu contra nos & monasterium nostrum contra quascumque personas tam ecclesiasticas quam sæculares, seu contra collegium coram quibuscumque iudicibus ordinariis, delegatis vel subdelegatis seu commissariis qualemcumque notitiam habentibus, & coram arbitris arbitratorum seu amicabilibus compositoribus, dilectum nostrum Heliam de Monchiaco commonachum nostrum, &c. *constituimus eum procuratorem*. In cuius rei testimonium sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Datum apud Albam mallam, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono, die Martis post dominicam qua cantatur *Jubilate*.

Ego Laurentius de *Maners* clericus Norwicensis diocesis, publicus apostolica auctoritate notarius, &c. *qui transumptum fecit & recognovit* an. MCCCXXX.

XXVI.

Bartholomæi episcopi Laudunensis notitia de excommunicatione & absolutione comitis Roceniensis.

Bartholomæus Dei gratia Laudunensis ecclesiæ humilis minister, tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Quoniam sic ordinante Dei sapientia, quotquot sumus veritatis filii debemus testimonium perhibere veritati; audiant & intelligant futuri, quod præsentibus recognoscimus, videlicet qualiter Hugo comes Roceniensis, & Levoldus pro damnis quæ ecclesiæ sancti Theoderici intulerunt, sententiam excommunicationis ambo pariter incurrerunt, & qualiter postea comes absolvi promeruit, Levoldo sub anathematis vinculo remanente. Cum in Triniaco villa sancti Theoderici prædicti comitis vicecomes Levoldus novas exactiones agere vellet, sub occasione vicecomitatus sui, annua scilicet placita, & tallias de nummis, de frumento & vino, contradicente abbate Guillelmo, & rusticis ejusdem villæ, sicut rem novam & inauditam; ipsum comitem cum violentia super eos adduxit, & tribus ex ipsis occisis, & multis vulneratis, & triginta & octo captis, villam damno pæne ducentarum librarum multaverunt, & pæne ad nihilum redegerunt. Super quo cum Rainaldus Remorum venerabilis archiepiscopus, & abbas S. Theo-

Ad lib. 75.
n. 127.
Ex authentico.

* Pont. à V.
re.

derici justitiam a me, cujus parochiani erant, exigerent, apud Pontem-Variæ* convenerunt; sed & comes & Levoldus submoniti affuerunt: sed illa die cum nullo sine res terminari potuisset, in alteram diem dilatum est. Ad diem nominatam comes nec venit, nec contramandavit: Levoldus affuit, placitum intravit, clamorem abbatis audivit, & respondit. Cum ad iudicium ventum esset, discessit, & audire noluit: sicque iudicatum est utrumque a causa decidisse. Cumque comes & Levoldus conquererentur se præjudicatos; rursus conventum est: sed cum de pace nichil terminari potuisset, rursus in alterum diem dilatum est, cum pacatione pacis interim servandæ. Interim ad miseram illam villam redierunt, & quod solum residuum erat, prædam scilicet universam tam monachorum, quam domesticorum diripuerunt. Quapropter cum Remis conventus episcoporum ageretur; iudicio eorum uterque excommunicatus est. Cœpit iterum comes audientiam petere: qua semel & iterum & tertio impetrata, tandem ad hoc ventum est, ut diceret comes & Levoldus de re feodi sui iudicium ecclesiæ se nolle subire, nisi iudicatum esset. Iudicatum est: subierunt. Ad iudicatum est illis quidquid de villa illa nova exactione exigebant. Iudicatum est abbati sua damna debere restitui, quippe qui nec placitum ulterius cum eis intrare debuisset, nisi reinvestitus prius esset rebus suis, quibus intra inducias pacis erat decessit. Cumque comes angeretur, dixit se garandum habiturum, & Levoldum protulit, quod quasi eum duxisset ad villæ illius vastationem, & promississet se ei in hoc garandiam laturum in omni curia & audientia. Levoldus abnuvit; sicque & garandus & garandia ejus defecit. Rursus iudicatum est utrumque a causa decidisse. Comes suscepit iudicium, discedente Levoldo, & misericordiam petiit. Cumque dominus papa Innocentius Lauduni esset; præsentia ejus se obrulit, & me præsentibus etiam aliis episcopis & cardinalibus & abbate sancti Theoderici, novas exactiones in villa illa, de annuis scilicet placitis & talliis quiritavit, & neque de suo jure, neque de suo feodo esse recognovit: & promissit se super hoc Levoldo nullam ulterius laturum garandiam, nec se passurum ulterius vel ab illo, vel ab aliquo suæ ditionis homine super hoc ecclesiam inquietari: abbati vero de suis damnis ibidem satisfecit. Dominus papa penitentem suscepit, sub conditione tamen, ut si aliquando sponsonis huius prævaricator appareret, statim sine omni reclamatione eidem sententiæ excommunicationis subjaceret; quod & michi qui præfens eram præcepit.

Et ne quis hoc ulterius inturbare præsumat sub anathemate interdiximus. Testes Jorannus abbas sancti Nichasii. Ingubrannus abbas Altovillarensis, Drogo abbas sancti Johannis Laudunensis, Lucas abbas Cusciacensis, Clerici etiam Remenses, Henricus, Drogo, magister Albricus, Guido, magister Fulco. Clerici Laudunenses, Wido præpositus sancti Johannis, Robertus decanus, & Paganus. Rogerus decanus de Novo-castello, & Himbertus presbyter. Milites, Ertandus qui in loco Hugonis comitis Roceniensis affuit, Guiardus filius Bli-

hardi, filii Haimonis de Ulmimonte, Rainerus & Guiterus, Gualcherus, Theodericus & Machanius, Balduinus Remensis. Thomas vicedominus, Girardus, Haimo. Anno incarnationis Verbi MCXXXIX. indictione viii. regnante gloriosissimo rege Francorum Ludovico anno XXII. Philippi autem filii ejus anno i. archiepiscopus vero nostri anno v. Bartholomei Laudunensis episcopi sigillum ceciderat. Rainoldi vero adhuc appendet.

XXVII.

De Erlons & manso S. Lamberti S. Vincentio Laudunensi restitutis, & de induciis de S. Gobano.

IN nomine sanctæ & individuae Trinitatis, Ego Bartholomæus, Dei gratia sanctæ Laudunensis ecclesiæ minister indignus, notum esse volumus tam præsentibus quam futuris, quia cum anno ab incarnatione Domini MCXXXI. dominus papa Innocentius ad Gallias partes accessisset, frater Ansellus abbas sancti Vincentii apud eum clamorem fecit super Milesinde vidua Thomæ de Marla, & Ingelranno filio ejus, qui terras sancti Vincentii, a Thoma violenter & injuste pervasas, post mortem ejus eadem violentia & injustitia retinuisse. Cumque, aliis intervenientibus negotiis, causa illa sub præsentia domni papæ terminari minime potuisset, post discessum ejus prædictus abbas ipse papæ nobis litteras præsentavit, ex quarum sententia nobis præceptum est, ut præfatam Milesindem cum filio suo commoneremus, quatenus beato Martyri ad integrum terras suas restituerent. quod nisi infra quadragesimum diem fecissent, ipsis excommunicatis, in tota terra eorum, præter baptismum parvulorum & penitentiam morientium, omnia divina prostris interdiceremus. Itaque e vestigio villam, quæ dicitur Erlons, & mansum S. Lamberti beato Vincentio reddiderunt; sed de sancto Gobano ab instante pentecoste usque ad quatuor annos inducias postulaverunt, ut, interim re inquisita & consilio accepto, si jus beati Vincentii recognovissent, absque ulla retractatione terram illam ei relinquerent; sin autem, tunc ad discussiorem causæ veniretur, & res illa ecclesiastico iudicio terminaretur. Quod si eo termino neque terram illam penitus liberam reddere, neque justitiam inde exsequi noluisse, eandem justitiam e vestigio super eos, matrem scilicet & filium, episcopus exsequeretur, quam apostolicis litteris in eos facere iussus fuerat, si infra quadragesimum admonitionis diem beato Vincentio possessionem suam ad integrum non reformassent. Nos autem jus S. Vincentii scientes patenter denuntiavimus, quia ipse Thomas aliquanto tempore ante mortem suam, cum Clastris ægrotaret, se terram illam injuste occupavisse, nobis coram positus, recognovit, atque in manu nostra atque in manu Adalberonis tunc temporis abbatis donum terræ illius S. Vincentio reddidit, seque de culpa, quam inde incurrerat, absolvi oravit; cui rei affuerunt illi, quorum nomina infra scripta sunt: dominus Wido decanus, Radulfus archidiaconus, Godefridus capellanus, comitissa S. Quintini,

Ad lib. 75.
n. 127.
Ex chartaria
Romano.

Baldwinus medicus, & Wanus Scotus de Vendolio, Radulfus de Francorum-curte, Lefmo de Vendolio, Hugo Perchia, Odo Porcus, Johannes Rufus, Geraldus de Erlons, Barduinus famulus, Rogerus cocus. Laudavimus tamen abbati Anfello & fratribus loci, ut salvo jure suo inducias illas darent, atque efficientiam hanc scripto mandari, & testium, qui affuere, subscriptione & sigilli nostri impressione roborari præcepimus. Signum Bartholomæi episcopi, qui hoc scriptum fieri iussit. Actum Lauduni xvi. kal. Maii anno dominicæ incarnationis MCXXXI. indictione nona, epacta xx. concurrente iv.

De Erlons & manso S. Lamberti & duorum medietate molendinorum apud Anguli-curtem.

IN nomine sanctæ & individue Trinitatis, ego Bartholomæus Dei gratia sanctæ Laudunenſis ecclesiæ minister indignus. Quia, Domino annuente pontificali cathedræ licet indigni præsidemus, omnibus, qui intra dioceseos nostræ terminos clausi tenentur, pastoralis providentiæ curam debemus, præcipue tamen erga illos benigniorem ac devotiorem, ratione exigente, exhibere compellimur affectum, qui & Laudunenſis matris ecclesiæ peculiare filii sunt, quique, ut Deo soli expeditus vacare possent, terrenæ sarcinæ pondus & sæculi blandientis illecebras divinæ miserationis respectu calcaverunt, atque ad placidum sanctæ contemplationis portum de mundi hujus fluctuante pelago felici naufragio enataverunt. Notum igitur esse volumus tam posteris quam modernis, quia, cum monasterium beati Vincentii de suburbio Laudunenſi, alodium de Erlons, ex elemosyna Hugonis comitis de Regiteſte & Ingelranni de Fara, longo tempore quiete & sine ulla contradictione tenuisset, necnon & mansum S. Lamberti, ex ipsius Ingelranni dono, longa & firma possessione habuisset; Thomas de Marla ipsius Ingelranni filius utramque terram, post mortem patris sui, sacrilegio ausu pervasit, & usque ad exitum vitæ suæ in sacrilegii illius malitia permansit; uxor quoque ejus Milesindis & filius Ingelrannus, cum, post mortem Thomæ usque ad adventum domini Innocentii papæ in Gallias, ipsas terras eadem violentia obtinuisſent, partim admonitione papæ compuncti, partim timore Dei correpti, ad monasterium beati Vincentii venerunt, & alodium de Erlons, præter quædam beneficia quæ satellites quidam inibi ab antiquo tenuerant, cum terris, pratis, silvis, & aquis, cum iustitia & districto, absque omni exactione vel advocaria sancto Vincentio, sicut umquam melius illud retinuerat, quietum clamaverunt. Similiter & mansum sancti Lamberti cum silvis & pratis, cum iustitia & districto & omnibus eodem pertinentibus sancto Vincentio reddiderunt, atque utriusque terræ donum mater cum filio super altare obtulerunt, hanc ab abbate Anfello & fratribus ipsius loci beneficii vicem requirentes, ut & Thomæ transgressionis suæ indulgentiam a Domino postularent, & ipsi, quantum ad ipsos pertinebat, remitterent; seseque beneficiorum atque orationum loci participes esse concederent. Quo gratanter concessio, nos in po-

sterum præcaventes, coram altari in audientia matris & filii & omnium satellitum, qui cum ipsis advenerant, in omnes illos, qui in posterum donationem istam cassare, pervertere, vel aliquatenus infirmare præsumerent, anathematis sententiam dedimus, eamque præſenti privilegio firmari præcepimus. Firmamus etiam ipsi abbatiæ in terra S. Quintini apud Anguli-curtem duorum molendinorum medietatem, quæ cum abbatiæ S. Nicolai de Vosagi-silva communia habet, de quibus cum longa & grandis altercatio inter utrumque monasterium exstitisset, tandem consilio & decreto domni Rainaldi Remensis archiepiscopi & ceterorum provincialium episcoporum ita inter eos convenit, ut illa duo molendina in omnibus communia habeant; & tam molendina quam etiam exclusas, si defecerint, communi impensa reficiant. Hanc ergo efficientiam præſenti privilegio assignatam, testium qui affuerunt subscriptione roborari, & sigillo nostri nominis imprimi curavimus. Signum Bartholomæi episcopi. Actum Lauduni anno dominicæ incarnationis MCXXXI. indictione x. epacta xx. concurrente iii.

XXVIII.

Charta a Childeberti III. Francorum regis pro monasterio Argentogilens.

CHildebertus rex Francorum, vir inluster. Si oportuna beneficia ad loca sanctorum, quod pro juvamen servorum vel ancillarum Dei pertinet, libenti animo præſtamus, ac hoc nobis ad eterna retributione pertinere confidemus. Idoque cognoscat magnetudo seu utilitas vestra, quod nus silva nostra, qui vogatur Cormoletus super fluvium Sequana in pago Parisiaco, quicquid ibidem a longo tempore fiscus fuit, aut in giro tenuit, vel forestarii nostri usque nunc defenſarunt, ad monasterio sanctæ Mariæ, sancti Petri & Pauli, vel ceterorum sanctorum, qui est constructus in villa Argentoiolo, ubi præest in Christo Domino sacra Leudesinda abbas, pro mercedem, nostri augmentum, vel pro consolatione ancillarum Dei inibi referenti*, plena & integra gratia visi fuisse concessisse. Adeo per præſente preceptione

* Charta hæc, ut & sequens, inter rejectaneas chartas in angulo turris cujusdam domus prioralis Argentogilens monasterii temere conjecta, nuper inventa est a clarissimo & eruditissimo abbate domino Claudio Fleury, ejusdem loci priore, qui utramque statim, pro sua humanitate, domino Renato Maſſuet communicavit. Prior hæc scripta est literis Merovingicis seu Franco-Gallicis, sequens Carolinis. Utrique affixum erat sigillum, priori quidem minus, posteriori paulo majus; sed avulsi remanent tantum vestigia. Adeo verum est, omnes chartas, quæ ad sancti Dionysii monasterium spectant, neque in anonymi San-Dionysiani, neque in Dubleti, neque in ipsius Mabillonii notitiis & manus devenisse, aut devenire potuisse, novasque subinde tenebris subduci posse, quæ sagacissimorum viro-rum diligentiam fugerint. Quas proinde qui ea ratione suspectas habeat; suspecta etiam habeat necesse est quæcumque antiquitatis monumenta e tenebris, in quibus diu delituerant, eruuntur a recentioribus. Sed bene habet quod ambæ chartæ, quas in lucem profertur, neque a Benedictinis, neque in archivis Benedictinis, sed a domino Fleury in domo sua inventæ sunt, penes quem etiam, dum hæc scribimus, remanent.

Ad lib. 75. n. 62. Ex authentico.

* Sic quidem, sed legendum videtur residentium.

ne decernimus ordinandum, quod in perpetuum volumus esse mansurum, ut neque vos, neque juniores seu soccessores vestri, nec quilibet, de ipsa silva nostra Cormoletum memorate Leudesindæ, aut soccessoris suas, vel ipsius monasterii sui Argentoiolo contradicere, nec nihil inde minuere, nec nulla calomnia generare non presumatis, nisi quicquid superius continetur. Ipsa silva ad integrum, sicut fiscus noster fuit, aut forestarii nostri defenſarunt, jam dicta Leudesinda, vel pars ipsius monasterii sui Argentoioli, & congregatio ibidem consistentium, omne tempore ex nostra indulgentia sub immunitatis nomine valet habere concessum atque indultum; ita ut ad ipsos cum loco perenniter proficiat in augmentum. Et ut hæc preceptio firmior habeatur & per tempora conservetur, manus nostris subscriptionibus subter eam decernimus roborare.

Childebertus rex. Wlfolaccus jussus optolit. Datum quod ficit mensis Aprilis dies tertia, anno tertio regni nostri, Compendio, in Dei nomine feliciter.

Charta Carolomanni de emunitate ecclesiæ Argentoioli, & rerum ecclesiæ pertinentium

Ad lib. 75. n. 62. Ex authentico.

CARLOMANNUS gratia Dei rex Francorum, vir inluster. Decet enim regalis clementie suis fidelibus oportuna beneficia libenti præſtare, ut quod recti postulavit effectum mancipare ut fidem. Optenta beneficia quod ab antecessoribus nostris noscuntur habere indulta, pro nostris oracula in eodem volumus firmare, ut eis melius delectet erga regimine nostro fideliter famulare. Igitur in Christo Domino sacra Ailina, abbatissa de monasterio Argentoiolo, clementiæ regni nostri direxit suggerendo, eo quod antecessoris nostri quondam regis per eorum auctoritatem, eorum manus roboratas, omni æmunitate in integri de villas ecclesiæ suæ absque introitu judicium concessissent vel firmassent, ita ut neque iudex publicus nec ad agendum, nec ad frida exigendum, nec ad mansiones faciendum, nec nulla retributione requirendum de villas jam dicto monasteriæ quicquid fiscus noster exinde potuerat recipere, ingerere non debeat. Unde & ipsa preceptione antecessorum nostrorum per manus habere adfirmat, dum & ipsa in præſente obtulit relegenda, & ipsi beneficius ab ipsos reges ei fuit indultum tempore præſente ab eisdem aserere vel conservare, sed pro integra firmitate petiit celsitudinem nostri, ut circa ipsa nostra hoc plenius deberit auctoritas confirmari. Sed cognoscat utilitas seo magnitudo vestra, quod nos hunc beneficium pro Dei amore plenissima voluntati dinuo confirmasset vel concessisse. Proinde ergo jubemus, ut dum sicut ab ipsos regis antecessores nostros per eorum preceptiones, manus suas roboratas, memorate monasteriæ vel jam dicte Ailiane abbatissæ de omnes villas suas absque introitu judicium integra æmunitas, ut hoc præſente tempore & futurum hoc beneficium ab eadem conservare videntur, neque vos, neque juniores seo successores vestri, vel quilibet judiciana potestas in curtis ipsius monasteriæ, vel jam dicte Ailiane abbatissæ, nec ad agendum, nec ad frida exigendum, nec mansiones

Annal. Bened. Tom. VI.

faciendum, nec nulla retributione requirendum, quicquid fiscus noster exinde potuerat sperare, ingerere nec exigere non presumatur, nisi ex nostra indulgentia perpetualiter maneat incon-vulsum. Et ut hæc auctoritas firma permaneat, manu nostra signaculum subter decrevimus roborare.

Signum † domno Carolomanno gloriosissimo regi. Maginarius recognovi & sign.

Datum in mense Novembri anno secundo regni nostri. Actum Pontione palatio publico in Dei nomen feliciter.

XXIX.

ADMONITIO

in Opuscula Frowini abbatis.

IN percelebri monasterio Einsidlenſi inter alia duos Ad lib. 75: n. 148. codices invenimus, opera continentes Frowini monachi primum Einsidlenſis, dein abbatis in Monte-Angelorum apud Helvetos Subſilvanos post sanctum Alahelmu, qui primus loco præfuit a condicione canobii per beatum Conradum facta sub annum MCXXV. Primus codex in quarto, ut vocant, expositionem in Orationem Dominicam complectitur: Secundus in folio, libros septem de Laude libri arbitrii, uti opus suum inscribit auctor ipse, seu potius de præcipuis theologia questionibus, quas Frowinus erudite, solide, & pro tempore eleganter pertractat adversus quorundam errores novitatum, fori asse adversus Petrum Abaelardum. Eodem quippe tempore Gerhobus, Reicherspergensis in Bajoaria præpositus, opusculum contra discipulos Petri Abaiolardi scripsisse memoratur. Quo minus mirandum, si ad Helvetos hujus secta fama penetraverit, & Frowinum ad scribendum impulerit. Optandum esset, ut nostri Einsidlenſes, quorum maxime interest, & qui postremum hoc opus jam descriptum, ac prelo paratum habent, suis typis illud emitterent in lucem. Interim prologum Frowini in expositionem Orationis Dominice, itemque præſationem in libros septem de Libero arbitrio cum capitulationibus hic edimus in quamdam præſationem futura editionis. Initio sequentes ver-sus præmittit auctor.

Vive precor Bertholth, tibi sit Dominus rogo * filholt.

A te quod liber sim, docet iste liber. Hunc librum vovi, nunc promissum tibi solvi. Jus est, si sapias, gratus ut accipias.

* id est multum amicus Germanicus.

INCIPIT PROLOGUS FROWINI abbatis in Monte-Angelorum in explanationem Dominice Orationis.

QUAMVIS sim labilis memoriæ, tenaciter tamen memini tuam dulcissimam dilectionem, o venerabilis presbyter Bertholde, a mea parvitate exegisse, quatinus ingenioli mei capacitatem in explanatione Dominice Orationis ostenderem, qua de re diu & multum apud me hæsitatum est. Deliberavi enim utrum factius esset caritati petentis obedire, & ob hoc moribus invidorum patere; an quod iusserit caritas denegare, & ob hoc Deum caritatem forsitan offendere. Verum in ea constitit tandem animus meus sententia, qua tutius esse judicavi Deum placatum habere, quam oblo-

R r r

quentium patere livori. Itaque hoc statui illicit sciens, manus in flammam mittere, id negotii quod mihi imponeres, aggredere, non nova, sed quæ a Patribus de Dominica Oratione, licet sparsim dicta sint, aliqua colligerem. Quapropter tua refert orare, quatinus propitia divinitas adjuvet perficere, quod inspiravit velle. Igitur quam sufficiens, quam conveniens sit ea quæ dicitur Dominica Oratio, licet tenuerit, tamen elucidare pro captu meo operam dabo.

Nemo nescit homo, Deum hominem cum libero arbitrio condidisse, &c. In fine, *Explicit liber explanationis Frowini abbatis.*

*Hoc precor, hoc hortor, dic devota prece lector,
Felix Frowinus quod sit, agat Dominus.
Ut verum lumen caeleste daret sibi numen,
Hujus scripta libri nam studium fieri.*

EJUSDEM FROWINI

Libri VII. de Libero arbitrio.
Ad Adelbertum monachum.

*Has Frowin chartas electo dogmate factas
Fecit conscribi: fac bene Christe sibi.*

Incipit præfatiancula sequentis operis.

Desiderio tuo, frater Adelberte, morem gerere curavi, ob eam vel maxime causam quod te & ingenii agilis acumine validum, & gratiæ adjuvantis lumine fretum, indagandæ veritatis studiis invigilare perpendi. Hoc itaque opusculum congesti, excerptum de scriptis eorum, qui vel nostra, vel priori claruerunt ætate doctorum. In quo eas inferere sententias de libero arbitrio, atque de aliis quaestionibus satagi, quas tuo arbitrio acceptissimas, quasque adversus errores quorundam de novitatum suarum adinventionibus gloriantium validissimas credidi. Codicis vero hujus titulum prænotare volui, de *Laude liberi arbitrii*, propterea quoniam totus ad eum refertur finem, ut commendet quanta gloria præ ceteris viribus, quas ab artifice suo Deo rationalis natura sortita est, præditum divinitus sit liberum arbitrium. quæ tamen communis intentio laudis, quia divinas materias habet, placuit per partes dividere ipsum libellum, tum ut legenti fastidium minueretur, tum ut facilius eluceret intellectus, cum per singulas distinctiones & animus respiret, & respirando renovatus redintegratur ad ea quæ restant. Prima ergo pars continet quid sit liberum arbitrium: & sicubi loquitur de corruptione ejus, non ideo obliviscitur sui propositi. Nam ubi vitium vituperatur, integritas atque virtus e contrario extollitur. Secunda demonstrat, quod libero arbitrio, & in præsentem, vel tenuiter perspicitur Deus, & in futuro etiam non nisi libero arbitrio feliciter agnoscat. Tertia in eo extollit liberum arbitrium, quod ostendit ipsum posse de omnibus aliis judicare, & a nullo judicari: & quod in ipso versetur omnium scientia disciplinarum. Quarta comparat duas vires liberi arbitrii duas uxoris Jacob, filiosque ejus virtutibus rationis & voluntatis, aliaque multa de eadem re. Quinta attribuit ei imaginem Dei,

& speculum per quod investigandus est Creator ejus. Sexta erudit ipsum ad speculandam substantiam Dei. Septima dirigit ipsum in viam fidei, qua redeat ad patriam speciei. Quoniam igitur codex iste demonstrat omnem tam scientiam quam sapientiam, justitiam & beatitudinem consistere, atque fundari in libero arbitrio; idcirco eum intulavi *De Laude liberi arbitrii*. Multa quippe unde laudabile apparet ei attribuit. Sed quia in minimis quoque rebus divinum invocandum est præsidium, quo prætermisso nullum rite fundatur exordium, ante omnia precor, quatenus adfit mihi scribenti ejus veritas, cujus ut scribere vellem fecit Dei caritas.

INDEX CAPITULORUM

LIBRI I.

- C**APITULUM I. Quid sit liberum arbitrium, & quod tribus modis accipiatur voluntas.
CAP. II. Quod voluntas instrumentum simplex, voluntas affectio duplex, voluntas usus sit multiplex.
CAP. III. Unde discerni queant tres illæ voluntates.
CAP. IV. Quod quamvis dicatur facere voluntas instrumentum omnia opera hominis, Deus tamen verius dicatur, qui omnia operatur tribus modis.
CAP. V. Quomodo differant duæ voluntates; quæ sunt affectiones.
CAP. VI. Quod ex duabus voluntatibus, quæ sunt affectiones, procedant omnia merita bona vel mala.
CAP. VII. Unde voluntas tam prona sit ad malum, cum non fuerit sic creata, & quid in homine sit honor Dei.
CAP. VIII. Quod voluntas deserta justitiâ per se nequeat redire ad justitiam.
CAP. IX. Quæ voluntas sit liberum arbitrium.
CAP. X. Definitiones liberi arbitrii diversæ, & earum rationes subjunctæ.
CAP. XI. Quod nulla substantia, vel actio, vel aliqua essentia sit justa nisi justitiâ; neque injusta, nisi injustitiâ; & quod nihil puniatur vel delectetur nisi voluntas.
CAP. XII. Quid Deus vel homo habeat in bonis vel malis operibus.
CAP. XIII. Quare laudetur rationalis natura de sua justitiâ.
CAP. XIV. Quod injustitia nihil sit, neque faciat aliquid, licet causa sit quod mala opera fiant.
CAP. XV. Quid sit malum, & quod sint duo mala.
CAP. XVI. Quod Deus non puniat hominem pro nihilo.
CAP. XVII. Quod non sint exorta nisi a bonis, nec esse possint nisi in bonis, mala.
CAP. XVIII. Definitiones affectionum & auctoritates de eadem re; ad probandum, quod voluntas per se non sit mala; & quod idem motus, non tamen cum eadem forma, sit virtus & vitium; & quædam de causis & perturbationibus animi; & quid valeat confessio, & quod virtus non lædatur, nisi vitio suo contrario.

LIBRI I.

- CAP. XIX. Quod misericordiâ vel irâ Dei inclinatur voluntas hominis ad mala vel bona.
CAP. XX. Quod bonum sit, non sola bona esse, sed etiam mala, & quod non sit contrarium Dei voluntati, etiam quod sine voluntate Dei agitur.
CAP. XXI. Dinumeratio bonorum, quæ sunt a Deo.
CAP. XXII. Quomodo Deus per opera sua cognoscatur, & quam utilis sit hæc cognitio.
CAP. XXIII. Quod originale peccatum sit absolute peccatum.
CAP. XXIV. Qua ratione infantes subiaceant peccato, & malo Adæ, & qua justitia Christus inde excusetur.
CAP. XXV. Quare dicatur originale peccatum, & quid sit.
CAP. XXVI. Quomodo infantes concepti mox habere peccatum dicantur, cum tamen peccatum in nulla parte hominis sit, nisi in rationali voluntate, quam nondam habent.
CAP. XXVII. Quomodo intelligatur homo perdidisse liberum arbitrium, cum sit naturale homini.
CAP. XXVIII. Quomodo amiserit primus homo libertatem a peccato, & a miseria, cum nequeant amitti postquam habitæ fuerint, & unde sit ille defectus, ut non faciamus, quæ volumus. Et quod perfectio voluntatis sufficiat ad omne bonum.
CAP. XXIX. Quod in tribus libertatibus contineatur imago & similitudo Dei; & quod libertas arbitrii semper sit æqualis, ceteræ duæ alibi & alibi inæqualiter habeantur.
CAP. XXX. Quod voluntas a nullo penitus cogatur, nisi forte a se ipsa, & ad quid dicatur liberum, id quod dicitur liberum arbitrium.
CAP. XXXI. Quod gratia statuat, non evacuet liberum arbitrium, & quod Deus tripliciter operetur salutem humanam, & ubi sit meritum hominis.
CAP. XXXII. Quod nonnulli accipiant veram dilectionem Dei, sed non accipiant perseverantiam in ea.
CAP. XXXIII. Quæstio, si primus homo non habuerit perseverantiam, quomodo sine vitio fuerit.
CAP. XXXIV. Qualem gratiam primus homo acceperit: & quia sunt diversa adjutoria, & diversæ libertates voluntatis, & diversæ potestates perseverantiæ.
CAP. XXXV. Quare nonnulli, qui vere sunt justii, non accipiant donum perseverantiæ.
CAP. XXXVI. Argumentum necessarium, quod bona voluntas sit a gratia Dei; & quod sine bona voluntate nihil salubre a Deo accipimus, vel habemus; & qua ratione bona opera sint nostra merita, cum non sint nisi de munere Dei.
CAP. XXXVII. De concordia liberi arbitrii, & præscientiæ Dei.
CAP. XXXVIII. De concordia liberi arbitrii, & prædestinationis Dei.
CAP. XXXIX. Quæstio, si fides sit in nostra potestate: quid sit in nostra potestate esse.
CAP. XL. Quæstio, an possit homo in hac vita sine peccato esse, licet, nullum exstet ejus rei exemplum.
- CAP. I. Quæritur, quomodo noverimus justitiam & beatitudinem, cum nemo ex sola fide possit amare quod ignorat.
CAP. II. Multæ auctoritates sanctorum Patrum, quod Deus etiam in hac vita videatur.
CAP. III. Differentia inter credere, & videre.
CAP. IV. Definuntur quid sit scire; & diligens inquisitio, utrum Deus modo tantum credatur, an etiam sciatur.
CAP. V. Quid in sanctis, quos non videmus, diligamus.
CAP. VI. Quod qui diligit fratrem, necesse est diligat ipsam dilectionem, & ob hoc Deum, quia Deus est dilectio; & ideo novit & videt Deum, quoniam novit & videt dilectionem.
CAP. VII. Quod ex dilectione, quæ Deus est, diligatur Deus & proximus, & quod fides non faciat diligere Deum, tamquam omnino non cognitum & non dilectum, sed quem cognovimus & dileximus, faciat amplius cognoscere & diligere.
CAP. VIII. Quod in eo bono quod Deus est, videamus nihil esse potuisse, nisi esse debuerit.
CAP. IX. Quod etiam impii videant æternitatem; & regulis veritatis, quæ Deus est, multa judicent recte.
CAP. X. Quare non simus beati, cum videamus Deum, quod est beatitudo.
CAP. XI. Quod omnes sciant beatitudinem, sed ubi sit, non omnes sciant, & quis sit beatus.
CAP. XII. Quæ sit imago Dei in homine, & quod perfectio ejus sit vita æterna.
CAP. XIII. Quid sit bonum hominis, & quod illud sit triplex, & quomodo perdat verus hominis honor.
CAP. XIV. De ingenio hominis.
CAP. XV. Quod quidam stulte sibi pollicentur majorem beatitudinem, quam ipse Deus.
CAP. XVI. De verbis sancti Augustini, quibus nonnulli inconsiderate affirmant, justos in futuro Dei regno Deum visuros corporeis oculis.
CAP. XVII. Inducitur S. Augustinus ponens & exponens dicta S. Ambrosii de eadem quaestione.
CAP. XVIII. Argumenta S. Augustini contra illos, qui putant Deum videndum corporeis oculis.
CAP. XIX. Contra eos qui dicunt sententias sancti Hieronymi & S. Augustini, quæ ponuntur de futura Dei visione probanda, accipientes de præsentis vitæ Dei visione.
CAP. XX. Sententiæ Cassiodori & Hieronymi de visione Dei futura.
CAP. XXI. De quaestione, & quæ per se prædicata conjunctim etiam ponuntur, & e converso.
CAP. XXII. Divisio interrogationis.
CAP. XXIII. Divisio responsionis.
CAP. XXIV. Quid sit determinatio, & ubi apponenda.
CAP. XXV. Quid sit confirmatio, & controversa, & quid proprie sit argumentum.
CAP. XXVI. Divisio argumenti, & quæ oratio sit argumentatio.
CAP. XXVII. Divisio argumentationis.

- CAP. XXVIII. Divisio quædam logicæ, & quæ affirmatio, & negatio proprie sint oppositæ.
 CAP. XXIX. Divisio locorum, & eorum quædam expositio.
 CAP. XXX. Sententia eorum, qui dicunt, genera & species, esse non solas voces, sed etiam res.
 CAP. XXXI. Oppositorum definitio, & quorundam locorum explicatio.
 CAP. XXXII. De sophismatibus.
 CAP. XXXIII. De propositione, & veritate, & falsitate.
 CAP. XXXIV. Divisio propositionis, & expositio.
 CAP. XXXV. De modalibus propositionibus, & etiam de alijs.
 CAP. XXXVI. De regulis inferentiarum.
 CAP. XXXVII. De syllogismorum dispositione & resolutione.
 CAP. XXXVIII. De syllogismorum confirmatione, confutatione, & de multiplici veritate & iustitia, ac libertate arbitrii.
 CAP. XXXIX. Quædam descriptio rerum, cum quibusdam naturis propositionum.

LIBRI III.

- CAP. I. Sententia doctissimi Boëtii de quatuor viribus comprehendendi, quæ sunt in homine.
 CAP. II. Sententia S. Augustini de tribus generibus visionum, quæ significantur tribus cælis.
 CAP. III. Distinctio earundem visionum per convenientia vocabula.
 CAP. IV. Quod Deus moveat omnem creaturam occulta potentia.
 CAP. V. De animali motu, atque naturali, ac sensu.
 CAP. VI. Quod quinque sensus corporis secundum quatuor elementa distinguuntur.
 CAP. VII. Quod corporalis visio referatur ad spirituales ad intellectualem.
 CAP. VIII. De discernenda corporali, & spiritali visione.
 CAP. IX. Quod imagines corporum in spiritu aliquando significant, aliquando non; & quod spiritus hominis ac dæmonis quandoque ita misceantur, tamquam sint unus spiritus; & interdum difficile discernatur, utrum bonus an malus spiritus assumat spiritum hominis.
 CAP. X. Quod corporali ac spiritali visione, non intellectuall fallant immundi spiritus.
 CAP. XI. De consensione somniantium.
 CAP. XII. Quod rerum, quæ sentiuntur, mox imago fiat in spiritu, præstantior omni corpore, non corpore tamen, sed spiritu in se eas formante.
 CAP. XIII. Quod memoria servet imagines corporum, generatim, ac distincte, quolibet sensu ingestas.
 CAP. XIV. Unde accidat animæ causa videndi ea, quæ non ei per sensus ingeruntur, ac nunciuntur.
 CAP. XV. Quod visio corporalis non fiat sine spiritali, sed spiritalis sine corporali fieri possit; intellectualis vero utramque iudicet.
 CAP. XVI. Quod anima proprio vitio illudatur rerum similitudine, & divini muneris esse,

- quando discernuntur ab ipsis corporibus.
 CAP. XVII. Quod intellectuall visione cernatur perspicua veritas, & beata vita in fonte suobibatur, & quod ibi ore ad os cum Deo loquamur; & quod Deus ipse sit lumen animæ, & quod ibi sit paradus paradisorum.
 CAP. XVIII. Quod ista tria genera visorum manent etiam in futuro sæculo; & quod beatæ creaturæ non nisi intrinsecus adjuventur ut sint sapientes ac beatæ.
 CAP. XIX. De gloria liberi arbitrii, & sapientiæ quædam descriptiones.
 CAP. XX. Alia definitio sapientiæ.
 CAP. XXI. Divisio philosophiæ, & quædam annotationes partium ejus.
 CAP. XXII. Ad quid sit necessaria logica, & quam subtiliter res perpendat, & quædam de rhetorica.
 CAP. XXIII. Quod oculus liberi arbitrii illuminandus sit sapientiæ disciplinis, & nonnulla etiam de computo ibi apponuntur.
 CAP. XXIV. Assertio S. Augustini, quod disciplinæ disputandi ac numerandi, atque eloquentiæ valde sint necessariæ; & quod non ab hominibus institutæ, sed tantum animadvertæ sint atque notatæ; & quod eas, non imagines earum, sed res ipsas gerat memoria, aliæque multa, atque ipsius incommutabilis veritatis notitiam.
 CAP. XXV. De octo vitijs, & de scopo, ac telo, & de examine cogitationum.
 CAP. XXVI. De bis septem partibus beatitudinis.
 CAP. XXVII. De perturbationibus animi.

LIBRI IV.

- CAP. I. De ratione & voluntate, ac de officijs earum.
 CAP. II. Quid significant duæ uxores, duæque concubinæ Jacob, & liberi earum.
 CAP. III. Quod Joseph significet cognitionem nostri, & Benjamin cognitionem Dei.
 CAP. IV. Quod nemo, si neque ætas, neque possibilitas utendi libero arbitrio desit ei, salvari possit, & nullus prælatus esse debeat sine prudentia & benevolentia: quod sine his duabus virtutibus inefficax sit oratio.
 CAP. V. De officio humilitatis, & fructu veritatis.
 CAP. VI. De ædificatione Salomonis, & triplici materia modoque domus ædificandæ.
 CAP. VII. De tribus animæ visionibus, & quatuor scientiis omnes scientias continentibus, & quod omnis humana philosophia longe dispar est sacræ scripturæ.
 CAP. VIII. De convenientia Verbi Dei, & rationalis animæ.
 CAP. IX. De studijs amantium, quod ignorant, discere; quod non expeterent, si penitus ignorarent.
 CAP. X. Quare se mens non cognoscere dicatur, cum se numquam nescierit.
 CAP. XI. Quid sit, quod ei præcipitur, ut se cognoscat.
 CAP. XII. De quibus certa sit mens, & quæ vita ejus culpabilis.
 CAP. XIII. Per quid recedat mens a Deo, & quæ sit vis amoris.

CAP. XIV.

- CAP. XIV. Tria esse in anima, quæ sunt unum, mentem, & notitiam, & amorem sui.
 CAP. XV. Quod mens, & notitia, & amor & singula in se manent, & omnia in omnibus.
 CAP. XVI. De amante, & amato, & amore.
 CAP. XVII. Quomodo nascatur verbum mentis.
 CAP. XVIII. Differentia quædam spiritalis & carnalis amoris.
 CAP. XIX. Quid sit verbum mentis.
 CAP. XX. Quæ fuerit causa beatitudinis bonis angelis, & miseræ malis; & quomodo videantur privationes; & quod non sit efficiens causa malæ voluntatis; & quod ipsa sit initium omnis mali; & de casu diaboli: quod sit liberum arbitrium, & etiam gratia Dei.
 CAP. XXI. Quod notitia secundum speciem sit similis rei & æqualis, cum res cognita neque superior, neque inferior sit cognoscente.
 CAP. XXII. Cur amor mentis non sit proles ejus, sicut notitia sua.
 CAP. XXIII. Quid ad se dicantur, & quid ad aliud referantur, memoria, intelligentia, voluntas; & quod æqualia sint tota singula totis, & tota singula simul omnibus totis.

LIBRI V.

- CAP. I. De quærenda imagine Trinitatis, etiam in his quæ anima ex sensibus corporis cognoscit.
 CAP. II. De visibili, & vidente, atque visione.
 CAP. III. Quanta violentia ferat, & referat a ciem mentis formandam, conjugatque formatam voluntas, & similitudo exterioris interiorisque visionis.
 CAP. IV. Quæ sint innoxie cogitationes, & quod trinitas exterioris hominis non sit imago Dei, licet aliquatenus similis ei sit, & quod voluntas nec parens, nec proles sit visionis.
 CAP. V. De fine voluntatis.
 CAP. VI. De trinitate, quæ sit, cum ex memoria formatur acies animi.
 CAP. VII. De multiplicatione trinitatis, quæ ex recordatione gignitur.
 CAP. VIII. Quod voluntas quasi parentem cum prole ter copulet, & quod sint duæ visiones, & duæ trinitates, a specie corporis usque ad cogitationem.
 CAP. IX. Unde fiat quod falsa cogitemus, licet non cogitemus, nisi quod meminimus; neque meminerimus nisi quod sentimus, neque sentiamus nisi vera, & quæ sunt.
 CAP. X. Quod ad memoriam mensura, ad visionem numerus, & ad voluntatem pondus pertinere videatur.
 CAP. XI. Quid nobis sit & pecoribus, quid etiam proprium.
 CAP. XII. Quod in eo solo, quod ad contemplationem pertinet, sit trinitas & imago Dei; in eo quod temporalia respicit, sola trinitas, & quod in corporalibus masculi & feminae figuretur communis naturæ mentis distinctio.
 CAP. XIII. Quod ab immoderato progressu in exteriora, mens prolatur ab æternorum contemplatione.
 CAP. XIV. Quam perniciose relicto communi bono privata quærantur.
 CAP. XV. Quod animus se, ac corpus suum semper diligat, & quis ordo dilectionis, & quod

Annal. Bened. Tom. VI.

- boni sunt amandi, mali miserandi, & quomodo Deus diligat nos.
 CAP. XVI. Quam sit comparabilis primorum hominum prævaricationi mens, quæ ad amorem temporalium sensu trahitur corporeo.
 CAP. XVII. Quare noluerit S. Augustinus sequi sententiam eorum, qui mentem pro viro, sensum corporis pro femina acceperunt.
 CAP. XVIII. Quod sapientia non finat scientiam inflari, & quomodo peccet homo ante sapientiam, & quomodo post; & alia quædam de sapientia.
 CAP. XIX. Ostensio sapientiæ & scientiæ per scripturæ testimonium.
 CAP. XX. Quis vivat secundum trinitatem interioris hominis.
 CAP. XXI. Quod anima, etiam deformis & misera, Dei imaginem non amittit.
 CAP. XXII. An etiam parvulorum mentes nosse se possint.
 CAP. XXIII. Quod mens, nisi cogitando, nequeat se conspiciere.
 CAP. XXIV. Quod aliud sit nosse, aliud cogitare.
 CAP. XXV. De principali mentis, ubi intuenda est imago summæ Trinitatis.
 CAP. XXVI. Quod memoria temporalium prior sit visione eorum, & utriusque conjunctio voluntate, quod non est in mente.
 CAP. XXVII. Quare trinitas mentis sit imago Dei: & quod omnes homines Deum noscant naturaliter.
 CAP. XXVIII. Quod mens, quæ se odisse dicitur, semper sui meminit, semper se intelligit, ac diligit.
 CAP. XXIX. Quod trinitas hominis, id est mens, & notitia, & dilectio sui, differant a Trinitate, quæ est Deus.
 CAP. XXX. Quod cogitatio sit locutio ac visio cordis; & quod hoc verbum nascatur ex illa scientia, quam in memoria tenemus.
 CAP. XXXI. Comparatio nostri verbi, cum Verbo Dei.
 CAP. XXXII. Quod nostrum verbum distet a perfecta similitudine Dei Verbi, licet tamen ei simile sit.
 CAP. XXXIII. De æqualitate Patris & Filii.
 CAP. XXXIV. Quædam dissimilitudo inter nostrum verbum, & Dei.
 CAP. XXXV. Quare non dicatur cogitatio Dei, licet dicatur Verbum Dei.
 CAP. XXXVI. Quod Spiritus-sanctus proprie dicatur caritas Dei, licet universaliter sit caritas Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus.
 CAP. XXXVII. Quod tota Trinitas operetur etiam quod singulis personis attribuitur.
 CAP. XXXVIII. Quod magnum sit illud, quo participari potest summa natura.
 CAP. XXXIX. Quod sicut Verbum Dei comparatur verbo nostro; sic Spiritus-sanctus voluntati nostræ.
 CAP. XL. Quod tria illa quæ sunt imago Dei, id est memoria, intellectus, & amor, unius personæ sint, nec ipsa sit illa tria: Pater autem & Filius & Spiritus-sanctus, licet unus Deus, tres tamen personæ sint.
 CAP. XLI. Quod Trinitas Dei non sit in uno Deo, sed unus Deus: & quod non sicut unus homo habens illa tria est una persona; ita sit

S III

- illa Trinitas, sed sint tres personæ.
 CAP. XLII. Quod qui vident mentem suam, nec eam vident esse imaginem Dei, videant quidem speculum, sed non per speculum videant Deum.
 CAP. XLIII. Quare Spiritus-sanctus non dicatur natus, sed procedens.
 CAP. XLIV. Quod Spiritu-sancto non sit unctus Christus, quando baptizatus est.
 CAP. XLV. Comparatio nostri verbi & voluntatis ad Filium & Spiritum-sanctum.
 CAP. XLVI. De excellentia liberi arbitrii, & de simplici bono.
 CAP. XLVII. Notantur ii, qui Deum quærent in exterioribus, cum sit ipse omnibus interior.

LIBRI VI.

- CAP. I. Quod quæcumque prædicantur de Deo substantialiter, de singulis personis & de omnibus dicantur singulariter.
 CAP. II. Quod Deus sit Trinitas, non triplex.
 CAP. III. Quod omnes tres personæ non sit aliquid maius, quam una sola.
 CAP. IV. Quod Deus ideo sit unus, quia est indifferens, & quot modis idem dicatur, vel diversum.
 CAP. V. Quod Deus nulli sit subiectum, quia est sine materia & forma; & quod nulla forma subiecta sit accidentibus, sed materia ejus.
 CAP. VI. Quod decem prædicamenta non ita in Deo sicut in ceteris intelligenda sint; & quod substantia, & qualitas, ac quantitas idem sint in Deo.
 CAP. VII. Quod præter hæc tria nullum prædicamentum dicatur de aliqua re secundum ipsam.
 CAP. VIII. Quod prædicationes aliæ significant rem ipsam, aliæ circumstantias rei.
 CAP. IX. Quod relativa præ omnibus non prædicentur substantialiter.
 CAP. X. Collectio per quam soluta est quæstio; & unde sit unitas, & unde Trinitas, & quod relatio non semper fiat ad differens.
 CAP. XI. Assertio unitatis & pluralitatis testimonio scripturæ.
 CAP. XII. Quæ nomina singulis personis sint propria.
 CAP. XIII. Quod Spiritus-sanctus semper fuerit, & sit Dei donum: sicut Dei Verbum semper fuit, & est Filius Dei.
 CAP. XIV. Quod omnia quæ sunt propria nomina relative, dicantur vel ad se invicem, vel ad creaturam.
 CAP. XV. Quod quamvis aliquid dicatur Deus ex tempore, & non secundum substantiam, nihil tamen dicatur secundum accidens.
 CAP. XVI. Solutio objectionis Arrianorum, & quod præpositiones non semper idem significant, cum præponuntur; & quod omne quod participat nomine, debeat quoque re participare.
 CAP. XVII. Quod omnis res relativa sit aliud aliquid, unde subsistit, excepta relatione.
 CAP. XVIII. Quod sit Pater per se sapientia, sicut Filius, quamvis Christus sit sapientia Patris.
 CAP. XIX. De simplicitate Dei, & multiplicitate creaturæ, & de nomine Dei & laude ejus.
 CAP. XX. Quare Christus dicatur sapientia Patris, & Spiritus-sanctus caritas amborum.
 CAP. XXI. Auctoritates Patrum, de unitate & diversitate personarum & inenarrabili generatione Verbi Dei.
 CAP. XXII. De origine personæ.
 CAP. XXIII. De diversitate essentiae, substantiæ, substantiæ, personæ.
 CAP. XXIV. Quid sit persona: & quod aliter in Deo, aliter in ceteris rebus accipiatur persona.
 CAP. XXV. Quod Deo idem sit esse, & personam esse; & quod non dicatur de eo relative; & quod ideo repertum sit hoc nomen, ut respondeatur, quando quæritur, quid tres sint, cum Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus vere tres dicantur.
 CAP. XXVI. Quod Deus non proprie dicatur substantia, & quod commodius dicitur tres personæ, quam tres substantiæ.
 CAP. XXVII. Quod persona in Deo non significet genus, vel speciem, vel individuum.
 CAP. XXVIII. Quod persona non proprie dicatur de Deo, sed per similitudinem, & quod nullum nomen proprie dicatur de Deo.
 CAP. XXIX. Responsio ad oppositionem quorundam, & quid significet in Deo persona.
 CAP. XXX. Quomodo intelligat S. Augustinus verba S. Hilarii.
 CAP. XXXI. Quod non debeat dici, Deus genuit se; & multa de unitate & trinitate Dei.
 CAP. XXXII. Quod Deus ubique sit.
 CAP. XXXIII. Quod Deus ubique sit totus.
 CAP. XXXIV. Quod Deus ubique totus in se ipso sit.
 CAP. XXXV. Quod Deum quidam cognoscant, & non habeant; quidam vero habeant, nec cognoscant.
 CAP. XXXVI. Quare Deus dicatur incircumscribitus; & quod Deus ubique sit præsens duobus modis.
 CAP. XXXVII. Quod Deus nec tempore, nec loco motus moveat spiritum per tempus, corpus vero per tempus & locum.
 CAP. XXXVIII. Quod Deus in sanctis Angelis, tamquam in sede sua præsidens inde se diffundat per cuncta ordinatissimo motu creaturæ; & comparatio, quomodo Dei voluntas sit prima causa omnium quæ sunt.
 CAP. XXXIX. Quod voluntas Dei quinque modis accipiatur, & omnia posita sint in voluntate Dei.
 CAP. XL. Quod Deus operatur naturalia & mirabilia.
 CAP. XLI. Quomodo magi qui fecerunt ranas & serpentes, non fuerant tamen creatores eorum.
 CAP. XLII. Unde possent tam celeriter facere ranas & serpentes, & de apparitione Dei per assumptam creaturam.
 CAP. XLIII. Quod Deus omnia penetret, & operetur ubique, & præsens sit ubique, & nemo possit obesse, vel prodesse cuiquam, nisi ipso dante potestatem: & ideo non fugiendum sit a Deo, nisi ad Deum, nec timendus sit, nisi Deus.
 CAP. XLIV. De patientia & spe in Deum, & de laude Dei.

LIBRI VII.

XXX.

- CAP. I. Quod fide temporalium purgandi simus ad contemplationem æternorum.
 CAP. II. Quod Christus ex duabus & in duabus naturis existat, & quomodo beatissima Virgo Maria vere dicatur conjux Joseph, & ipse maritus ejus; & quid sit conjugium, & quare sit institutum.
 CAP. III. Quod Filius Dei toti homini sit conjunctus per spiritum animam, & per animam corpus suscipiens, & contra multas hæreses de Christo.
 CAP. IV. Quod stulte quærant nonnulli rationem, quomodo Deus commixtus sit homini.
 CAP. V. Quod Verbum Dei incarnatum non dereliquerit rerum gubernationem.
 CAP. VI. Quare Christus unus idemque sit Deus & homo; & quare sit de Adam genere, & de femina & virgine natus.
 CAP. VII. Quare potius Filius, quam Pater vel Spiritus-sanctus deberet homini personaliter uniri.
 CAP. VIII. Quomodo Filius Virginis assumi potuit sine peccato de humani generis massa peccato fermentata.
 CAP. IX. Quomodo adstringantur infantes peccato Adæ, cum unusquisque onus suum portet.
 CAP. X. Quod nullius patris peccatum præter Adam descendat ad infantes.
 CAP. XI. In quo noceant peccata parentum animabus filiorum.
 CAP. XII. Quod juste damnentur infantes pro originali peccato.
 CAP. XIII. Quomodo impotentia habendi justitiam excuset infantes post baptismum.
 CAP. XIV. Quod Christus non intendebat fallere diabolum, sed hominem salvare eo ordine, quo salvari potuit, ac debuit.
 CAP. XV. Rationes, quare homo non potuit satisfacere pro peccato.
 CAP. XVI. Quare non debeat Deus dimittere peccatum sine satisfactione.
 CAP. XVII. Quod vita Christi superet omne quod non est Deus, & omne debitum.
 CAP. XVIII. Qua ratione & illi salventur per Christum qui eum occiderunt.
 CAP. XIX. Quod humana natura in Christo non passa sit contra voluntatem; & quod nemo salvetur, nisi per fidem Christi.
 CAP. XX. Quam necessaria sit scientia & humilitas.
 CAP. XXI. De Oratione.
 CAP. XXII. Exhortatio ad orandum per exemplum & institutionem Christi.
 CAP. XXIII. A quanto malo liberati sumus per Christum, & quantum illi debeamus.
 CAP. XXIV. Commendatio totius operis; & de ratione dandi, & accipiendi.

Incipit opusculum Frowini abbatis in Monte-Angelorum, de Laude liberi arbitrii.

I. CAPITULUM.

Liberum igitur arbitrium est rationalis voluntas, &c.

Anserici archiepiscopi Vesuntionensis charta, qua Faverniacensis abbatia Casæ-Dei subjiçitur.

Ansericus Dei gratia Bisuntinus archiepiscopus venerabili Stephano Casæ-Dei abbati fratribusque ibidem Deo famulantibus suisque successoribus in perpetuum. Ex commissa nobis pastoralis sollicitudine oportet nos ad ecclesiarum pacem & ad religionis incrementum pervigili cura providere: quapropter illam nobilem Faverniacensem ecclesiam, quæ antiquis temporibus religione sanctimonialium floruerat, visitavimus, ut ejus desolationi aliquod suffragium præberemus. Convocatis itaque ibidem ejusdem loci advocatis, videlicet Raynaldo consule, Widone de Junci-villa, & Henrico fratre ejus, Tebaldo de Rubro-monte, Humberto de Fuffiaco, & Ludovico fratre ejus, ab omni religionis cultu alienam, & ab incolis suis præ multimoda perturbatione desertam reperimus. Nostra igitur sollicitudine & illustrium virorum ammonitione dissensio, quæ præfatum locum exterminaverat, Deo auctore pacificata est; pro religione vero præfati loci reformanda, prædicti advocati consuetudines, quas in villa Faverniacensi, & infra terminos parochiæ ejus five justas five injustas habebant, in manu Raynaldi comitis omnino deposuerunt & gurgiverunt, & se numquam ulterius repetituros abjuraverunt: illas vero consuetudines, quas in villis Faverniaco appendentibus habere videbantur, similiter in manu ejusdem consulis gurgiverunt, & præter debitas abjuraverunt; illas vero eandem Richardus de Monte-Falconis præter debitas in villis Faverniacensi ecclesiæ appendentibus in manu nostra deposuit & gurgivit. Comes autem Raynaldus consuetudines a prædictis advocatis in sua manu depositas in nostra manu donavit; & nos Deo & beata Mariæ super altare obtulimus. Hoc itaque per Dei misericordiam expleto, sanctimoniales clerus & populus, casati, advocati pari voce & consensu acclamaverunt, ut ecclesiæ Casæ-Dei Faverniacensis ita uniretur ecclesia, ut de capitulo Casæ-Dei perpetuis temporibus abbas assumatur, a quo secundum ordinem & consuetudinem ecclesiæ Casæ-Dei Faverniacensis regatur ecclesia. Nos igitur præfate plebis voluntatibus inclinati, ecclesiæ Casæ-Dei Faverniacensem ecclesiam cum suis appendiciis, salvo pontificali jure & ministrorum ejus, regendam concedimus, & abbatis correctionem abbati Casæ-Dei suisque successoribus, si in ordine suo peccaverit, fore stabilimus. Si vero culpa tam gravis extiterit, ut abbas dignus sit depositione, nobis prius ostensa culpa vel archiepiscopis nobis succedentibus, si rebellis extiterit & emendare noluerit, potestatem deponendi cum prædicto abbati concedimus. Ut autem præfens pagina immobilis perseveret, sigilli nostri impressione insignivimus; & ne quis eam ulterius infringere attentet, sub anathematis vinculo interdicimus. Hujus rei testes sunt Willelmus de Arguel, Wi-

Ad lib. 75.
n. 164.

do de Merliniaco archidiaconus, Petrus de Treva decanus S. Stephani, Hugo Faverniacensis archidiaconus, Wolbertus archidiaconus, Hugo de Dola, Hugo Luxoviensis abbas, Wido abbas de Caro-Ioco, Lambertus abbas de Clara-fontana, abbas de Morimonte, Warinus capellanus, Raynaldus comes, Fridericus comes de Fontiniaco, Wido de Junci-villa, & Henricus frater ejus, Tibaldus de Rubro-monte, Humbertus de Jussiaco, & Ludovicus frater ejus. Data Bisuntii laude capituli S. Johannis aⁿno ab incarnat. Domini nostri Jesu Christi MCCCXII. indictione XII. xv. kalendas Octobris.

XXXI.

Charta Odonis abbatis S. Remigii, de fundatione Carthusia Montis-Dei, in diocesi Remensi.

Ad lib. 76.
n. 47.
Ex autogra-
pho.

Universorum Domino, qui est summa sanctitas, famulantibus & in sacro religionis proposito perseverantibus, maxime his qui abjectis secularium negotiorum sarcinis, jam prægustant in tranquillitate vitæ quam suavis est Dominus, nos benignos esse convenit; & non solum eorum necessitatibus aliquod levamen impendere, verum etiam si quid eis devotio fidelium contulerit, ut illæsum ad ipsorum usum permaneat, sollicite curare. Idcirco memorie cunctorum, tam præsentium, quam futurorum, fixum esse volumus, quod ego Odo humilis minister ecclesie beati Remigii, totumque capitulum ejusdem monasterii, communicato mecum labore, prompta voluntate & pia devotione benignum præbentes assensum, cœnobium in quo usus & sacras consuetudines Carthusiani honesti moribus fratres teneant & custodiant, in fundo ecclesie nostræ, videlicet in loco qui nunc Mons-Dei nuncupatur, nam antiquitus vocabatur Mons-Bosonis, in honore beatæ virginis Mariæ & S. Johannis-Baptistæ construximus. Hoc totum factum est consilio domini Hugonis Gratianopolitani episcopi, necnon & assensu reverendi Guigonis, Carthusiensium pauperum prioris, qui & primos sacre hujus institutionis magistris ad nos misit, & locus ille ut Mons-Dei vocaretur, præcepit & statuit. Venerabilis etiam Raynaldus, secundus Remorum archiepiscopus, in hoc opere strenuus cooperator existit, & ejus voluntate & consilio evocatio Carthusiensium fratrum facta est, & constitutio loci.

In hoc siquidem monte fratribus ibidem in ordine Carthusiensis Deo militantibus, & secundum sacras ipsius ordinis institutiones, a sanctis eorum prædecessoribus datas, degentibus, prædictum cœnobium, & quicquid ecclesia nostra in prociectu ejusdem cœnobii infra subscriptos terminos possidebat, communi totius capituli nostri assensu grantanter, & ab omni censu & exactione liberum dedimus. Concessimus etiam ut terras, quas rustici infra eosdem terminos possidebant, si dono vel pretio prædicti fratres acquirere poterint, libere & absque ullo censu in perpetuum habeant. Similiter de omnibus, quæ ibi Richardus Mosomensis abbas cum suis fratribus, & domnus Ursio S. Dionysii abbas & ejus congregatio habebant, liberam donatio-

nem, & ab omni querela absolutam prompta devotione obtulerunt & dederunt. Willelmus etiam Sethona, & Nicolaus de Burgo, & Guido de Altreio quicquid ibi tenebant, & quod usibus pauperum Christi utile ac necessarium visum est, pro remedio animarum suarum pari libertate dederunt.

Hi sunt termini, quibus prædicta loca limitantur: ab orientali plaga versus meridiem, ab Asia usque ad rivulum qui defluit in Amosias, ab Amosias usque ad viam regiam, a via regia sicut tendit usque in Forest, de Forest per verticem Montis-Rouël sicut vergit usque in Chermel, de Chermel usque Buten rivulum, a Buten sicut defluit usque in Barum fluvium. Item ab Asia versus septentrionalem plagam usque ad rivulum qui dicitur Altrepā, sicut idem rivulus defluit in Barum. Ut autem hæc munificentia nostra in perpetuum vires obtineat, & inconvulsa illibataque in omne conservetur tempus, & permaneat, auctoritate privilegii domni Innocentii papæ II. muniri fecimus. Sed & nos sigilli beati Remigii impressione, & honorabilium annotatione personarum ac testium roboramus & confirmamus; & quicumque hanc infringere tentaverit, anathematis sententia percutimus. Signum Gaufridi Catalaunensis episcopi. Sign. Alvisi Atrebatensis episcopi. Sign. Odonis abbatis S. Remigii. Sign. Ingulranni Altvillarensis abbatis. Sign. Richardi Mosomensis abbatis. Sign. Hellini abbatis S. Theodorici. Sign. Joranni abbatis S. Nicassii. Sign. Albrici S. Basoli abbatis. Sign. Ursonis abbatis S. Dionysii. Sign. Fulgonis abbatis Sparnacensis. Sign. Willelmi abbatis de Mauri-monte. Sign. Albrici & Hugonis archidiaconorum. Sign. Leonis decani. Sign. Gervasii cantoris. Sign. Henrici, Gregorii, Rogeri presbyterorum. Sign. Bosonis, Raineri, Bernardi diaconorum. Testes etiam hujus rei sunt Joscelinus tunc prior, Hugo subprior, Rainaldus præpositus, Sigibertus, Macharius, Hugo capellanus, Gauterus Altreiensis, Arnulfus præpositus, Christianus cantor, Haydericus cellerarius, Otho, Gervasius, Benedictus, Lambertus, item Lambertus, Balduinus, sed & omnis conventus. Testes etiam hujus decreti & institutionis sunt de clericis, Drogo decanus S. Timothei, Lethardus, Thomas, Constantius, Nicholaus. De militibus, Petrus & frater ejus Tomas. De laicis, Tomas villicus, Simon decanus, Walterus, Lambertus, Guido Scabini, & multi alii. Actum Remis anno incarnati Verbi MCCCXVII. indictione XIII. regnante Ludovico Francorum rege anno xxx. archiepiscopatus autem domni Rainaldi anno XII. ordinationis vero nostræ anno octavo-decimo.

XXXII.

Gosleni seu Josteni Sueffionensis charta pro monasterio Silva-majoris de altari Terniaci.

IN nomine Patris & Filii, & Spiritus-sancti. G. Dei patientia Suefforum vocatus episcopus, P. ejusdem gratia venerabili abbati monasterii de Silva-majori, omnibusque successoribus ejus canonice substituendis in perpetuum. Cathedra,

Ad lib. 76.
n. 54.
Ex archivo
Silva-majoris.

dra, cui Deo auctore præsidemus, plus sollicitudinis gerit quam quietis, plus laboris secum trahit quam tranquillitatis. quod enim bonus pastor sibi commissarum ovium vexationibus opponere se debeat, earumque injurias sui ipsius interpositione refellere, divinum est oraculum; bonus enim pastor Christus & animam suam posuit pro ovibus suis. Ea propter, frater in Christo carissime, injuriosæ vexationi, qua Raynaldus comes Sueffionensis monasterio S. Pauli, quod juris est abbatiæ, super altare de Terni faciebat, qualiter resistimus, atque denam quomodo ad pacem revocaverimus, præsentibus notum fieri volumus & futuris. Sicut enim ex charta bullata prædecessoris nostri bonæ memoriæ Lisardi episcopi comperimus, altare de Terni cum sibi pertinentibus a domno Hugone IV. prædecessore nostro monasterio S. Pauli collatum est, cujus rei actio in eadem charta his verbis continetur. Novit itam futurorum quam præsentium prudentia, ecclesie B. Pauli, quæ pertinet ad ecclesiam S. Mariæ Silvæ-majoris, datum esse altare de Terni a domno Hugone episcopo prædecessore meo, interveniente Raynaudo Tescionis filio, qui idem altare ab Ingelranno Cosciacensi in beneficio possederat, adnente quoque & concedente eodem Ingelranno, ut illius altaris concessio per manum episcopi præfati Hugonis, de cujus beneficio descenderat, prædicto loco fieret, & facta est, & sicut illud altare cum capella Noæ-villæ & appenditiis suis, ab illa B. Pauli ecclesia multo tempore possessum est. Postea vero cum prædictus Raynaldus Jerosolymam adiens illa in terra inter Domini bellatores occubisset, essetque ejus morte ecclesia S. Pauli benefactore & defensore suo destituta, Johannes Sueffionensis comes altare illud de Terni monachis S. Pauli violenter abstulit, suisque usibus mancipavit. Sed ejus violentam ablationem Guido castellanus prædicti Raynaldi nepos & heres moleste tulit, & patris sui viri clarissimi elemosinam & donum mutari vel minui ferre non potuit. Frequenter igitur comitem illum per amicos & necessarios convenit, & hoc modo concordiam hujus rei obtinuit, ut comes prædictus Johannes in vita sua tantum, altare illud haberet, post mortem vero ejus absque mora & contradictione aliqua ad monachos S. Pauli, quibus se illud injuste abstulisse recognoscebat, liberum & quietum rediret.

Contigit non multo post eundem comitem morte deficere, post cujus mortem, antequam corpus ejus sepulturæ daretur, uxor illius comitis & filius ejus Raynaldus in manus meas flentes reddiderunt, & S. Paulo per me restitui petierunt, & peccatum, quod pater auferendo contraxerat, indulgeri cum multis supplicis deprecari sunt. cui redditioni & restitutioni multi ex clericali & laicali ordine interfuerunt. Hæc de charta domni Lisardi prædecessoris nostri ob rei gestæ notitiam transtulimus.

Postquam vero Raynaldus comes Johannes comitis filius in militem aptatus est, malorum instinctu idem altare assivit, atque in proprios usus redegit, quamvis monachi S. Pauli idem altare post mortem Johannis comitis multis annis quiete tenuissent. quem cum ad ratio-

Annal. Bened. Tom. VI.

nem misissemus, & ipse justitiam subterfugeret, per duos annos fere cum extra ecclesiam fecimus. Denique cum nullam a nobis inde relaxationem habere potuisset, nisi justitiam nostram subiens, altare cum universis redditibus monasterio S. Pauli per manum nostram reddidit, eo scilicet pacto, ut nec ipse, nec aliquis successorum, aliquo ingenio vel quamvis monachorum laesisset injuria, in supradictum altare vel redditus ejus manum mitteret.

Algerius vero S. Pauli prior promisit se daturum singulis annis comiti Raynaudo, quoad viveret, illi inquam tantum, & nulli omnimodis heredum suorum, tres modios avenæ ad cumulatam mensuram, & septem annonæ mediatae, id est quæ non esset minus quam media de frumento, undecumque vellet prior, non de redditibus altaris de Terni, ne fortasse ipsum altare comiti aliquando censuale videretur.

Denique ut monasterium S. Pauli adversus molestias & vexationes comitis five heredes ejus firmius in posterum munitur, sollempni die natalis Domini, cum verbum facturi ad populum, post evangelium in pulpitu ascendissemus, rei actionem præsentem comite, clero & populo, qui ibi multus convenerat, exposuimus. Comes vero omnia recognovit & concessit, & in præsentia totius ecclesie, altare de Terni monasterio S. Pauli quietum clamavit, adeo ut nec ipse nec heredes ejus in universis redditibus ad ipsum altare pertinentibus amplius manum mittant, vel sibi aliquid inde usurpent. Balthildis quoque comitissa ejusdem Raynaldi comitis uxor, quantum ad ipsam pertinebat, altare ipsum cum pertinentiis suis refutavit, & refutationem sui mariti concessit & laudavit. Nos vero sicut induti eramus ad missæ celebrationem, in oculis totius ecclesie excommunicavimus & anathematis sententiam promulgavimus tam in comitem quam in comitissam five in quamlibet ecclesiasticam secularem personam, quæ prædictum altare five redditus ejus sibi usurparet, aut ab ecclesia S. Pauli alienaret, nisi secundo, tertiove commonita infra xv. dies abbata restitueret & emendaret. Et ut hujus actionis memorialis charta inviolatum robur obtineat, sigillo nostro muniri eam præcepimus.

Datum est hoc anno incarnationis dominicæ MCCCXIV. episcopatus autem nostri IX. regnante in Francia Ludovico patre, & Ludovico filio inuncto in regem anno IV. sicut denotavimus. Factum est hoc in oculis ecclesie, placuit tamen paucos de multis testes apponere.

Actioni comitis hi interfuerunt. Arnulfus præpositus, Roardus decanus, Nivelus archidiaconus, Adalardus archidiaconus, Terbaldu archidiaconus, Ebalus archidiaconus, Johannes sacerdos, Galterus sacerdos, Theobaldus sacerdos, Gaufridus diaconus, Ingelbertus diaconus, Yvo diaconus, Ingenulfus subdiaconus, Rorigo subdiaconus, Arduinus cancellarius, Guillebertus de Firmitate miles, Giraldus de Castello miles, Germundus de Castello miles, Robertus de Foro M. Hugo de Veteri foro M. Wido de S. Medardo M. Petrus filius Walterii M. Ingelrannus Matifart, Dietus de Valle-Balmerio, Theodericus de Novo-vico, Arnaudus de Cathena.

Concessioni comitissæ hi interfuerunt, Ebal-

T t t

du archidiaconus, Petrus filius Guerinii miles, Robertus de Foro.

XXXIII.

Synodus Montispeffulani, in qua ecclesia de Beciano S. Tyberio adjudicatur.

Ad lib. 76.
n. 63.
Ex archivio
S. Tyberii.

Hugo Deigratia Rotomagensis archiepiscopus, sedis apostolicæ legatus, dilecto filio Ademaro abbati S. Tyberii tuisque successoribus in perpetuum. Religiosis & Deo servientibus providere, eorumque possessiones & jura ecclesiastica conservare omnibus qui in regimine positi sunt, sanctorum patrum mandat auctoritas; ea propter causam illam super ecclesia de Beciano multo tempore ventilatam, auctoritate apostolica suscepimus terminandam.

Confidentibus itaque nobiscum apud Montem-peffulanum venerabilibus archiepiscopis B. * Arelatenf, & A. * Narbonens sedis apostolicæ legatis, & episcopis R. * Agathens, & G. * Arausicens & P. . . abbate S. Ægidii & aliis quampluribus religiosis personis, tu ad diem in supradicto loco tibi auctoritate apostolica præstitutam paratus ad justitiam ante nos venisti; abbas vero Casæ-Dei qui ad eandem diem & eundem locum auctoritate apostolica a nobis vocatus fuerat, nec ipse venit, nec pro se responsales misit, nec aliquam excusationem canonicam inibi præterit. Eo itaque sic deficiente, nos præcepto domini nostri papæ Innocentii justitiam exsequentes, quæsimus ab ecclesia Agathensi, in cujus parochia sita est ecclesia de Beciano; ut coram Deo & nobis omnibus ibidem consistentibus veraciter protestarentur, ad quod jure canonico vel tuum vel Casæ-Dei monasterium pertineret, præfata ista ecclesia de Beciano. Illi siquidem quia vere, prout ab antecessoribus acceperant, ad jus & possessionem S. Tyberii, cui monasterio Deo auctore præfides, pertinere responderunt. Ad hæc tu, Ademare abbas, protulisti instrumentum donationis factæ de ecclesia de Beciano ecclesiæ S. Tyberii & prædecessori tuo Deodato, quod instrumentum a Berengario bonæ memoriæ Agathensi episcopo factum, & annis dominicæ incarnationis & testibus idoneis roboratum existit. Consequenter & tu produxisti quatuor testes viros antiquos, asserentes se vidisse, quia ecclesia S. Tyberii possedit quiete per multos annos ecclesiam de Beciano, antequam monachi de Casæ-Dei intrassent in eam. Tunc illi canonicè examinati, juraverunt super evangelia Dei hoc se vidisse & hoc verum esse. Prodierrunt & alii quatuor testes, qui dixerunt se interfuisse placito illi quod habitum est apud Corbiam inter monachos S. Tyberii & monachos Casæ-Dei in præsentia Aldeberti Agathensis episcopi, præsentibus A. Narbonensi archiepiscopo & L. Nemaufensi episcopo, dicentes se vidisse & audisse quosdam testes idoneos ibidem jurasse, quod Bernardus Agathensis episcopus, qui induxerat monachos Casæ-Dei in ecclesiam de Beciano, cum accepisset testimonia personarum authenticarum ecclesiæ suæ super donatione facta a Berengario antecessore suo Deodato abbati & monasterio S. Tyberii de

ecclesia de Beciano, ipse idem Bernardus coram Bertranno Narbonensi archiepiscopo in placito de eadem causa habito apud Cabrils, præsentibus monachis Casæ-Dei & S. Tyberii factum correxit, & adjudicavit reddi ecclesiam de Beciano monachis S. Tyberii. quod prædicti Aldebertus Agathensis, & A. Narbonensis, & L. Nemaufensis audientes, sententiam restitutionis ipsius ratam esse & tenendam judicaverunt: & sicut præfati quatuor testes hoc se vidisse & audisse protestati sunt, ita nobis præsentibus examinati, super evangelium Dei juraverant, hoc ipsum A. Narbonensis archiepiscopus, & Ermengaldus Agathensis archidiaconus, & R. sacrista, & magister Dulcianus qui interfuit præfato placito de Corbiam, coram nobis se vidisse & audisse viva voce protestati sunt, hi omnes qui hoc testimonium nobis perhibuerunt, eandem de præfata restitutione sententiam attestati sunt fuisse confirmatam apud Lupianum a supra nominato A. Agathensi, & A. Narbonensi, & P. Lutevensi, & R. Magalonenf episcopis, & R. tunc archidiacono nunc episcopo Agathensi, præsentibus abbatibus de Casæ-Dei, & S. Tyberii. His omnibus de causis & insuper admonitione & præcepto Guidonis diaconi cardinalis & apostolicæ sedis legati, præfatus R. Agathensis te & ecclesiam S. Tyberii de ecclesia de Beciano reveffivit. Hanc reveffitionem eodem R. Agathensi episcopo attestante sic factam, nos & nobiscum sic assidentes supra-nominati archiepiscopi & apostolicæ sedis legati & episcopi & quamplures authentici & religiosi viri approbamus, & approbatam vice apostolica, quam super hoc negotio gerimus, confirmamus, & pro canonica donatione a Berengario Agathensi episcopo facta, & legitima possessione subsecuta tibi tuisque successoribus & monasterio S. Tyberii cui præfides, præfata ecclesiam de Beciano cum decimis & omnibus jure ad eam pertinentibus, omni deinceps quæstione sopita, perpetuo possidendam adjudicamus. Actum est hoc anno Verbi incarnati MCXXXIV. apud Montem-peffulanum universali papa Innocentio, rege Francorum Ludovico. † Ego Hugo Rotomagensis archiepiscopus & apostolicæ sedis legatus.

Hugonis archiepiscopi Rotomagensis & apostolicæ sedis legati epistola ad Innocentium papam de gestis a se super ecclesia de Beciano.

Universali papæ Innocentio domino & patri suo Hugo Rotomagensis sacerdos devotam & debitam reverentiam. Præcepto vestro diem dedimus, & locum statuimus abbati Casæ-Dei & abbati S. Tyberii pro controversia inter eos dirimenda super ecclesia de Beciano, videlicet III. nonas Novembris apud Montem-peffulanum: abbas vero Casæ-Dei misit nobis nuntios & litteram suam apud Taraschönam significans se non posse venire ad diem datam, quia habebat celebrare quædam consuetâ cum fratribus suis capitula, nec ad locum sibi præstitutum secure poterat venire pro Petro de Ribalta, quem inimicari sibi dicebat. Quibus nos respondimus, quia nos pro obedientia vestra habebamus transire per hostes & insidias manifestas, quæ nobis Adefonsus aperte per

multa loca parari fecerat. Post aliquot denique dies vestra protecti benedictione ad Montem-peffulanum pervenimus, multis utique mirantibus. Ibi nobiscum habuimus venerabiles archiepiscopos B. Arelatenfem, A. Narbonensfem sedis apostolicæ legatos, & plures episcopos & religiosos viros. Præsentavit se ante nos ad justitiam abbas S. Tyberii, sed abbas Casæ-Dei nec ipse venit, nec pro se responsalem misit, nec excusationem vel aliquam . . . præterit. Eo itaque sic deficiente, quæsimus ab episcopo Agathensi, in cujus parochia sita est ecclesia de Beciano, ut coram Deo & patribus ibidem consistentibus nobis ostenderet, ad quod vel Casæ-Dei vel S. Tyberii monasterium præfata ecclesia jure canonico pertineret. Inquisiti episcopus & clerici ejus responderunt, quia vere, prout acceperant ab antecessoribus suis, ad jus & possessionem pertinebat S. Tyberii. Tunc instrumenta Berengarii bonæ memoriæ Agathensis episcopi super hæc facta prolata sunt, & testes prodierunt viri bonæ famæ & antiqui, qui examinati probaverunt se vidisse, quod monasterium S. Tyberii possedit ecclesiam de Beciano quiete & multis annis antequam monachi de Casæ-Dei in eam venissent. Invenimus etiam per attestationem domini A. Narbonensis episcopi & authenticorum testium, quia Bernardus successor Berengarii Agathensis episcopi, qui monachos Casæ-Dei in ecclesiam de Beciano induxit, cognita veritate factum correxit, & ecclesiam de Beciano reddi S. Tyberio adjudicavit. Hoc A. Narbonensis & ante se die data inter abbates S. Tyberii & Casæ-Dei probatum fuisse per legitimos testes asseruit, ibique reveffiri monachos S. Tyberii de ecclesia de Beciano adjudicavit; quam reveffitionem dominus Guido diaconus cardinalis & legatus apostolicæ sedis fieri præcepit. Hanc reveffitionem canonicè sæpius adjudicatam, nos & qui nobiscum erant patres, ratam habuimus, & teneri mandavimus pro donatione canonica olim a Berengario Agathensi episcopo facta, & legitima possessione subsecuta fere XXXIII. annorum, ut asserunt post instrumentum Berengarii episcopi, quod anno dominicæ incarnationis & testibus idoneis roboratum existit.

Guidonis cardinalis & apostolicæ sedis legati epistola ad Ademaram abbatem S. Tyberii de eadem ecclesia.

Guido diaconus apostolicæ sedis legatus & cardinalis carissimo in Domino fratri Ademaro abbati S. Tyberii salutem. Inter monasterium S. Tyberii, cui Deo auctore præesse dignosceris, & monasterium Casæ-Dei super ecclesia de Beciano controversa est a longis retro temporibus ventilata, unde nimirum utrumque coenobium multas & difficiles fatigationes sustinuit, & plurimum occasione tuendæ justitiæ quasi in vacuum laboravit. Ceterum sicut a domino nostro papa Innocentio in mandatis accepimus, termino ad Uticensfem ecclesiam constituto, vestras & alterius partis allegationes diligenter audivimus, perspeximus instrumenta, & testibus qui ab utraque parte producebantur examinatis, secundum quod dicitur justitia, consilio sapientum & discretorum virorum qui convenerant, ferre sententiam parati eramus.

Cum autem placuit ei, qui multorum & diversorum hominum gentes unius efficit voluntatis, ut super hac causa finem laboribus vestris imponeret, & monachos S. Tyberii atque fratres Casæ-Dei ad concordiam revocaret, favorem supernæ clementiæ imitantes pro pace inter vos & illos, præstante Domino, componenda, cum domino Guillelmo Arelatenf archiepiscopo sedis apostolicæ legato, cum venerabilibus viris P. Nicensf, R. Agathensf, G. Nemaufensf, Johanne Vivariensf, & G. Uticensf episcopis, P. S. Ægidii, & Johanne S. Elidii Claromontensf abbatibus, diligenti efficacia laboravimus, & assensu nostro & abbatis ac fratrum Casæ-Dei, concordiam sic per Dei gratiam composuimus, ut videlicet tu dilecte in domino frater A. abbas atque successores tui, & per vos præfatum beati Tyberii monasterium ecclesiam beati Petri de Beciano cum decimis & omnibus aliis quæ ad eam pertinere noscuntur, libere & quiete de cetero jure habeatis; & abbas & monachi Casæ-Dei tam præfentes quam futuri ecclesiam beati Martini de Valentianicis cum omnibus quæ ad eam pertinent, quæ utique juris erat monasterii S. Tyberii, concessione venerabilis viri R. episcopi, & canonicorum Agathensium, & tua ac monachorum tuorum, deinceps libere & quiete omnino possideant, per singulos autem annos in sollempnitate pentecostes xv. solidos Melgoriensis monetæ de bonis ecclesiæ beati Petri de Beciano vos & successores vestri abbati & monachis Casæ-Dei & eorum successoribus persolvatis: ita tamen quod in eadem ecclesia de Beciano monasterium Casæ-Dei neque jus proprietatis, neque jus possessionis deinceps habeat, nec vos ipsam ecclesiam vel quæ ad illam pertinent, ejusdem monasterii nomine possideatis. Si qua vero vel donatione aliquorum qui habitum religionis vel in vita vel in morte, ut in monasterio Casæ-Dei sub eodem habitu vivere proponerent, susceperunt, ad ecclesiam de Beciano non pertinentia monachis Casæ-Dei collata sunt, vel emtionis titulo aliqua quæ non sunt de jure Becianensf ecclesiæ adepti fuerint in posterum, absque contradictione possideant: in ferragine quoque quæ viridarium dicitur, illam habeant tascham quam emerunt a laicis, & vos terræ culturam. Portio illa quam laici morientes quorum corpora in ecclesia de Beciano vel in monasterio vestro sepulta sunt, ibidem pro animarum suarum salute reliquerunt, nihilominus habeatis. Hanc igitur concordiam inter vos & prædictum abbatem & monachos Casæ-Dei, favente divina clementia stabilitam, ex auctoritate S. R. E. & domini nostri papæ Innocentii confirmamus, & ratam perpetuis temporibus permanere decernimus. Acta sunt hæc apud sedem Uticensf anno incarnationis Domini MCXXXIX. indict. II. pontificatus domini Innocentii papæ II. anno X.

Ego Guido diaconus cardinalis apostolicæ sedis legatus.

Ego Guillelmus Arelatenf ecclesiæ archiepiscopus apostolicæ sedis legatus.

Alia ejusdem cardinalis epistola ejusdem argumenti.

Venerabilibus & prudentibus viris A. Narbonensf archiepiscopo ecclesiæ Romanæ

legato & R. Agathensi episcopo Guido sanctæ apostolicæ sedis cardinalis diaconus & legatus salutem. Veniens ad nostram præsentiam vir boni testimonii Ademarum S. Tyberii abbas, tam viva voce quam per instrumenta quæ attulit nobis, liquido intumavit, quia tuæ sollicitudinis studium atque discretio, domne archiepiscope, religiosorum virorum A. bonæ memoriæ Agathensis, Johannis Nemaufensis, P. Lutevensis, & R. Magalonenfis episcoporum consilio restitutionem ecclesiæ de Beciano beati Tyberii monasterio adjudicaverit; quod utique dominus papa Innocentius tam per querimoniam bonæ recordationis A. abbatis contra eundem ecclesiæ monachos sibi expositam, quam per tuam ei postmodum nuntiatam, sicut ex litteris ejus apparet, ratum habuisse cognoscitur. Et nihilominus venerabilis frater R. episcopus, antequam consecrationem susciperes, per apostolica tibi scripta mandavit, ut datam super hac causa sententiam faceres observari, & monachi ad eum accederent de contemptu satisfacturi; hæc autem in nullo fuisse servata & præfatus abbas cum fratribus suis valde conqueritur, & nos miramur nimium ac dolemus. Ut ergo & domini papæ mandata, & factum a nobis iudicium firmitatis vigorem & robur obtineat, prudentiam vestram rogamus, quatenus pro beati Petri reverentia, sub cujus utique tutela præfatum monasterium & protectione consistit, ipsum caritatis intuitu diligatis, manteneatis, & a pravorum hominum deffendatis incurfibus, & iuste prolatam de negotio isto sententiam absque dilatione faciat mancipari effectui, & firmiter observari.

Testimonia episcoporum Magalonenfis, Agathensis & Lutevensis de eadem ecclesia.

Notum sit omnibus præsentibus & futuris, quod ego R. Agathensis episcopus fui in quodam placito tunc temporis archidiaconus Biterrensis, quod fuit agitatum apud Lupianum inter Ademarum abbatem S. Tyberii, & Stephanum abbatem Casa-Dei: & in ipso placito utroque abbate præfente, patronisque causarum bene munitis, utrobique allegationibus diligenter examinatis, adhibitis P. Lutevensi & R. Magalonenfi episcopis, & Augerio abbate Lutevensi, & multis aliis religiosis personis, ecclesiam de Beciano Aldebertus Agathensis episcopus cum Arn. archiepiscopo Narbonensi apostolicæ sedis legato, nobis omnibus consentientibus, ecclesiæ S. Tyberii & A. abbati reddi adjudicavit. Vidi etiam & audiavi in placito; quod fuit apud Nemaufum ante venerabilem Bernardum Arelatensem archiepiscopum Romanæ sedis legatum, & Petrum tunc temporis Vivariensem episcopum, quibus controversiam prædictæ ecclesiæ dominus papa Innocentius mandaverat terminandam; quodque A. sancti Tyberii abbate justitiam accipere parato, abbas de Casa-Dei sententiam audire & recipere noluit. Hoc totum testificor ego R. Agathensis episcopus sic verum esse coram te Hugone Rotomagensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato, & coram B. Arelatenfi & Ar. Narbonensi archiepiscopis, & G. Arausicensi episcopo, & P. abbate S. Egidii, & aliis assistentibus.

Ego R. Magalonenfis episcopus sic verum esse testificor coram dictis Hugone Rotomagensi archiepiscopo & aliis.

Ego P. Lutevensis episcopus dum eram clericus Agathensis ecclesiæ audiavi recognoscere a clericis ejusdem ecclesiæ, quod Berengarius Agathensis episcopus ecclesiam S. Petri de Beciano S. Tyberio & Deodato abbati dederat; postea vero interfui placito, quod fuit agitatum apud Lupianum, & ea sicut superius sunt scripta, vera esse recognosco & testificor.

XXXIV.

Advocati jura in advocatia Condati pro monasterio S. Michaëlis ad Mosam.

In nomine sanctæ Trinitatis roboretur auctoritas nostræ conscriptionis. Rerum varietas & temporum decursus mortalium memoriam semper obducit, & ideo necesse est, ut causæ quæ ad posteros transmittendæ censentur, litterarum apicibus annotentur. Nostris ergo posteris per præsentem paginam insinuamus, quia cum comes Raynaudus Guidoni advocato Condatenfi feudum advocatiæ reddidit, ne in injuriis monachorum Lietardum patrem imitaretur, totum jus advocatiæ in plena curia determinari, & duplici charta conscribi fecit, ut alteram ipse advocatus, alteram monachi conservarent. Sed postmodum idem Guido sensum ejusdem conscriptionis in quibusdam locis non recte intellegens, cum plus quam conscriptio decernebat exigere cœpisset, comes Raynaudus iterum super hoc a monachis interpellatus, habito multo nobilium conventu, utriusque partis chartas in medium afferri & recitari iussit, & loca unde dissensio orta erat, consilio illustrium virorum, & assensu utriusque partis elucidans, & verbis aptioribus designans, cetera ut erant rescribi fecit hoc modo. In cunctis locis quorum advocatiæ advocatus tenet, quidquid abbas & præpositus suus per se, & per familiam suam, atque ministeriales suos emendare potuerit, nichil ad advocatum attinebit. Si vero causa fortitudine egerit, abbas nullam externam vim nisi advocatum, si ire velit, ad id discutiendum conducet. Si autem clamor exoritur qui necesse sit ut duello diffiniatur, abbas vel præpositus suus cum ministerialibus ecclesiæ totum placitum sine advocato deducet, fidei iussores pro summa duelli persolvenda suscipiet; ad extremum si ad concordiam rusticos revocare non potuerit, advocato nuntiabit ut veniat, & eos ad duellum deducat, & sic tertiam partem summæ & districtum suum accipiat, id est duos nummos; qui si infra illum diem vel noctem persoluti non fuerint, jam deinceps si voluerit non sine justitia accipiet. quod si aliqua occasione præpediente ire non potuerit, & legatum suum transmiserit, fideles ecclesiæ cum legato ipsius duellum deducet. Et tamen ipsi suam tertiam cum districto persolvent. Quod si ire vel legatum mittere distulerit, fideles ecclesiæ duellum deducet, suam tamen tertiam sine districto persolvent. Si autem in advocatia clamor quicquam ad advocatum pervenerit, non sine ipso deinceps diffiniri poterit, & sic tertiam partem

Ad lib. 76.
n. 86.
Ex archiepis
S. Michaëlis.

ANNALIUM BENEDICTIN. TOM. VI. 669

habebit, & districtus totus ejus erit. Si ab externo super hominem advocatiæ proclamatur ad advocatum, per decanum monstrabitur proclamatio facta, & monebitur proclamatus, ut ad domum advocati veniens satisfaciat. Si autem ad duellum lites transcenderint, in potestatem redire oportebit, & proclamatus advocatum conducet: si vero par de parte proclamaverit, infra potestatem diffiniatur, & proclamans conducet advocatum: si vadimonia data fuerint, villicus & scabini cum fidelitate abbatis & advocati disponent. Item per omnem advocatiam summam super interfecto solvendam, abbas si per se placitare potuerit, totam sibi retinebit; si vero advocato egerit, sic tertiam suæ justitiæ habebit. Si verro ingreiente advocatus ad tuendas villas venerit, villicus & scabini de potestate illi servient. Si comes advocatum secum ire monuerit, vel ad castrum firmandum, vel ad castrum obsidendum, vel ad obsidionem depellendam, vel ad aliud aliquod tale negotium, in quo sui pares stipendia debeant, tunc ipse advocatus duos saumarios stipendiis oneratos, & duos equos cum duobus hominibus eos deducantibus, cum ferris & clavis ipsis equis in via necessariis in Condato accipiet. Si tamen tot in eadem villa inveniri potuerint, quod si equi in hoc servitio moriantur, a villico & scabinis disponatur quatenus a communi potestate persolvantur. Si autem profectio intermissa fuerit, & equi & cetera omnia ad potestatem reducentur. Item si forte in servitium comitis iens vel rediens apud Condatum necesse habuerit pernoctare, ter in anno ex debito ei servietur. Præterea si in villam cum sex scutatis venerit, zhelonearii ter in anno servient, & si tamen requisierit. Nil quidem juris amplius apud Condatum habebit. In Girmari autem curte & Baldeimonte & Vileta & Marzona, & Robaldicurte & Sarenvilla hoc juris habet, semel in anno, scilicet in festivitæ sancti Remigii accipiet de singulis domibus panem unum & nummum, & gallinam & avenæ sextarium. Quod si aliquis rusticorum hoc jus ei tempore constituto non persolverit, ipse postea, si voluerit, justitiam sibi iudicio scabinorum faciet, & villicus in ea bannum abbatis suscipiet. Quod si ad villam propter hanc justitiam faciendam venerit, ipsi ei sumptus persolvant, pro quorum culpa perrexit. Præterea si in servitium comitis iens vel rediens per eos transibit, bis vel ter in anno apud eos pernoctabit, & nil amplius juris in his potestatis retinebit. Quod si aliquid ex his quæ hic scripta continentur, ipse advocatus transgressus fuerit, in curia comitis iudicio suorum parium corrigere debet. Actum in curia sancti Michaëlis anno dominicæ incarnationis millesimo cxxxv. concurrente vii. epacta iv. feria iii. vi. idus Januarii, coram testibus hic subtitulatis, domno abbate Lanzone, monachis Mannone, Angelranno, Hugone, Haymone. Clericis, Waltero decano Barrensi, Rodulfo & Lamberto presbyteris, Girardo de Acecio, Hugone de Coria militibus, Gualtero de Gundricurte & fratre ejus, Odone de Mediolano, Theoderico de Sorcio, Theoderico de Floriaco, Falcone & Helia de Belraim, Richero de sancto Medardo, Girardo Castellano Barrensi, Richero de Bulrao, Joffredo & Wiardo fratribus. Horum & alio-

Annal. Bened. Tom. VI.

rum quamplurimum testimonio dispositione & consilio, hæc juris advocatiæ determinatio innovata & dupliciter rescripta est, ut duabus chartis per cyrographum interfectis, altera a monachis, altera ab advocato conservetur, ut si forte aliquando eos dissentire contigerit, ad chartas velut ad normam justitiæ recurratur, & per eas qui deviare voluerit corrigatur. Fiat, fiat.

XXXV.

Charta fundationis cenobii S. Stephani Herbipolensis.

In nomine sanctæ & individuae Trinitatis. Ad lib. 76.
n. 85.
Ex autogra-
pho.
Adelbero sacrosanctæ ecclesiæ Wirceburgensis episcopus, universalis ecclesiæ gratia vobis & pax a Deo multiplicetur, amen. Quoniam gratuita Dei pietate, non nostris meritis, sed sola sua dignatione in opus ministerii sui nos elegit, & licet minus idoneos, super familiam suam dispensatores constituit, omni sollicitudine curare nos convenit, ne pro infossa Domini pecunia ab ipso iudicemur, sed pro ipsa discrete & fideliter erogata, Euge dominicum post finem laboris audire mereamur. Proinde notum esse volumus universæ ecclesiæ nostræ fidelibus, qualiter nos præcedentium patrum & pontificum facta sequi cupientes, Deum in sanctis suis honorare, loca sancta instaurare, adjuvare, & divinum servitium in ipsis ordinare decrevimus. Igitur quod mente concepimus, Domino cooperante, perficendi oportunitatem invenimus. Nam locum & cenobium in vicino civitatis nostræ suburbio positum, a venerabili prædecessore nostro Heinricho antistite fundatum, divinæ religioni & monasticæ professioni cernentes aptissimum, qualiter ipsum sublimare, & divinum inibi servitium amplificare possemus, nobiscum cogitavimus, & super hoc divinæ clementiæ suffragium, & carissimorum fratrum nostrorum cœpimus flagitare consilium, quorum provido & prudenti admodum usi consilio, fratres canonicæ professionis, qui tunc in præfato monasterio erant, Deo famulantes, in ipsam civitatem transtulimus, & canonicos cum canonicis, utpote ejusdem professionis & ordinis homines, collocare non incongruum duximus. Ut autem præfatum locum & cenobium in honore B. Dei genitricis Mariæ & beatorum apostolorum Petri & Pauli, sanctique Stephani protomartyris dedicatum condigno honore sublimaremus, & ecclesiam hæcenus celebrem divinam celebriorem servitiis redderemus, triginta fratres monasticæ professionis ibidem institutus, statuentes, ut ulterius ibi monachica conversatio & monastica professio sub abbatis regimine semper in divino permanerent famulatu. Ad supplementum vero ejusdem monasterii eorundem fratrum, & post futurorum, possessiones & prædia, cum parochiis, redditibus, & exitibus aliisque pertinentiis, vel quæ ipse episcopus Heinrichus primitus donaverat, vel ipse locus ab aliis donata possederat, eidem ex integro assignavimus. Communicato insuper cum fratribus nostris canonicis & nostris fidelibus viris religiosi consilio & assensu, novem mansos in villa *Herdingesfelt*, quos hereditario jure possedimus, cum mancipiis utriusque sexus, arvis, ædificiis, terris

VVVV

cultis & incoltis, agris, vineis, pratis, campis, silvis, pascuis, aquarum decursibus, piscationibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, & hortum ante prædictum atrium cœnobii situm, ex nostra parte cum omni iustitia, quam nos & ecclesia nostra habuimus, pro nostra & prædecessorum nostrorum ac successorum nostrorum memoria dedimus atque delegavimus, tali videlicet respectu, ut divini servitii quod ibidem postmodum ageretur, participes efficeremur. Ut autem hæc firma in perpetuum permaneant, duas inde cartulas fieri, & banni nostri auctoritate, sigilli quoque nostri munimine signari ac roborari fecimus, & unam apud eisdem cœnobii fratres; alteram vero in nostra ecclesia in notitiam futurorum servari decrevimus. Horum insuper nomina affigentes, qui hæc ut acta sunt audierunt & viderunt.

Winther cancellarius, Bernolf præpositus, Afelo decanus, Hazecho, Macelin, Eccelin præpositi, Volrath, Betelin, Hiltiger, Ebbo, Siccolf, Landolf presbyteri, Hatto archidiaconus, &c.

Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis MLVII. indictione xv. nonis Martii, regnante domino Heinrico quarto, anno ordinationis Adalberonis episcopi XII.

XXXVI.

Lotharii imperatoris diploma pro monasterio SS. Hilarii & Benedicti apud Venetias.

Ad lib. 76. n. 92.

IN nomine sanctæ & individue Trinitatis. Lotharius, divina favente clementia, tertius Romanorum imperator Augustus. Scientes in hoc maxime consistere salutem animæ nostræ, & stabiliri honorem imperialem, si ecclesiarum, & pauperum Christi solertem curam habuerimus, omnium fidelium nostrorum tam futurorum, quam presentium industriam nosse volumus, qualiter venerabilem abbatem, Ugerium nomine, ecclesiarum sanctorum Hilarii & Benedicti de partibus Venetiæ in sinibus Rivealtensum juxta flumen Unæ, pro petitione sua satis benigne exaudivimus, ad exemplum prædecessorum nostrorum imperatorum omnium a tempore Caroli, confirmantes ei, & ecclesiis suis omnia, quæ vel per donationes, seu oblationes, aut quoquomodo legaliter ipsis collata sunt, colonos videlicet in Ceresacia & in Pladano, & in sinibus illis, simul cum capella in ipso Pladano in honore Petri apostoli fundata; & decima de Ceresacia, & Pladano, & aliorum colonorum pertinentium ad ipsam capellam, cum vineis, terris, silvis, campis, pratis, pascuis, paludibus, portubus in prædicto Pladano constitutis, cum ripatibus, teloneis, quarantemimis, & cum omnibus ad prædicta loca pertinentibus. Testificatur quoque præcepta Caroli, cum ipse eadem loca per commutationem accepisset a Tervisiano episcopo Landolo nomine, & eisdem ecclesiis obtulisset; ipseque, & omnes successores sui fere per præcepta hæc confirmaverunt. Hæc quoque omnia ob devotionem præfati abbatis rata esse volentes, confirmamus ipsis ecclesiis prænominata loca cum omnibus olim pertinentibus ad jura ipsarum, & xenodo-

chio beati Petri, & Viti martyris, quod est in Tervisiana civitate, & ex omnibus, quæ ad prædicta loca pertinent Ceresacia, & Pladano, & prænominata capella cum prædicta decima, cum designatis, atque descriptis lateribus; eorum uno latere firmante in flumine corrente juxta prænominatam villam; alio latere in Aurelia; tertio latere in Cornio; quarto vero in aquis falsis. Hæc omnia ipsis ecclesiis confirmamus cum terris, vineis, pratis, pascuis, campis, silvis, venationibus, aquis, aquarumque decursibus, paludibus, molendinis, ripatibus, portubus, ripis, teloneis, quarantemimis, & cum omnibus prædictorum locorum pertinentiis. Ab eadem quoque confirmatione non minus comprehendimus & concedimus ipsis ecclesiis curtem Terseculi, & aliam, quæ dicitur Aureliaco, & curtem sanctæ Mariæ, quæ jacet juxta Pedragum in comitatu Tervisiano cum omnibus appendentiis suis, & cum universis ad eandem jure aspicientibus, cunctasque alias terras a quibuscumque viris præscriptis sanctis ecclesiis legaliter attributas. Præcipiendo itaque mandamus, & jubemus legali & imperiali auctoritate, ut nullus dehinc patriarcha, archiepiscopus, aut Tervisianus episcopus, nullusque dux, marchio, comes, vicecomes, vel aliqua magna, vel parva persona, de cunctis per ordinem supranominatis, vel in familia, vel in possessionibus, seu in aliis rebus prædictas ecclesias inquietare, molestare, divestire audeat sine regali iudicio. Contradicimus homines earundem ecclesiarum terras inhabitantes, universis judicialibus personis, ita ut de ipsis hominibus placitum nullum faciant, seu aliquid publici ab eis exigant, aut soleum tollant, nullamque eis violentiam inferant, sed in potestate ipsius abbatis libere permaneant. Si quis autem, quod non credimus hujus præcepti violator extiterit, sciat se compositurum auri puri libras mille, medietatem cameræ nostræ, & medietatem prædictis ecclesiis: quod ut verius credatur diligentiusque ab omnibus custodiatur, hoc præceptum per scriptam chartam sigillo nostro insigniri iussimus.

Signum domini Lotharii tertii Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Erphurdus vice Brunonis archicancellarii recognovi.

Datum anno incarnationis dominicæ millesimo centesimo trigesimo-sexto, indictione tertia decima, anno vero regni regis Lotharii undecimo, imperii quarto.

Actum apud Castrum sancti Bosiani in Christi nomine feliciter. Amen.

XXXVII.

Jostenus Sueffionensis episcopus concedit Majori-monasterio ecclesiam SS. Rufini & Valerii.

DEI patientia Suefforum vocatus episcopus, E. decano ceterisque Basularum ecclesiarum canonicis, Ebalo, Hugoni, Constantio, Wallerio, Rogero, Hodoni, Girolmo & Vitali salutem. Ecclesia Basulensis quondam magnis possessionibus ditata, peccatis exigentibus de septuaginta duobus fratribus ad numerum

Ad lib. 76. n. 128. Ex archivo Majoris-monasterii.

duodecim cum pauperibus reditibus redacta est: unde communicato consilio cum bonis & religiosis viris, capituli nostri assensu, & domini papæ Innocentii confirmatione, Ludovici Francorum regis approbatione, Rainaldo Remensi archiepiscopo confirmante, religiosos monachos de Majori-monasterio, qui ibi ad modum ecclesiarum suarum conventum tenerent ponere decrevimus, quod & fecimus. Sed ne canonici dignitate redditibusque suis diminuerentur; statui-mus quod quamdiu canonici plures præbendas quam monachi obtinuerint; primum in choro habeant: monachi vero in parte ecclesiarum officium suum celebrent, & canonici præpositum ponant, cum quo aliqui de monachis provideat. Quando vero monachi plures præbendas quam canonici obtinuerint, & chorum obtinebunt, & præpositum ponent, cum quo minister canonicorum providebit. Statutum est etiam quod quando parochianus ecclesiarum Basulicenses in lectum mortalem incidit, quicquid postea pro anima sua ecclesiarum Basulicenses vel ecclesiarum S. Theobaldi dimiserit, communiter per præbendas dividatur. Quod si aliquis de canonicis decani sui vel episcopi licentia ad scholas vel ad negotium aliud perrexerit; præbendam suam ex integro habeat. Ad augmentum vero præbendarum de beneficio nostro altare de Colongis cum oblationibus & re minuta, & decimam de Thaisneris ecclesiarum Basulicenses dedimus; & ut instituta canonicorum & monachorum firmiter teneantur, sigilli nostri impressione corroboravimus. Rogavimus etiam domnum archiepiscopum Rainaldum, ut hoc idem sigillo suo confirmaret.

Donis abbatis Majoris-monasterii litteræ ad Jostenum episcopum, de privilegiis episcopi Sueffionensis in prioratum S. Theobaldi.

O DEI gratia Majoris-monasterii abbas indignus universisque ejusdem cœnobii conventus G. eadem gratia venerabili Suefforum episcopo, omnibusque successoribus ejus canonice substituendis in perpetuum. Religiosi constat esse propositi, eas ampliori caritate affectare personas, quarum munificentia fundata sive possessionibus ampliata religiosa noscuntur esse monasteria. Ea propter, Gollene præsul in Christo carissime, antecessoribus tuis Suefforum episcopis penes nos & monasterium nostrum abundans existat gratia, quorum liberalitate Petrefontis & S. Theobaldi ad nos accessere cœnobio; tibi vero diligentiori affectu non indebite obligamur; cujus benignitate ecclesia Basulicæ in honore beatorum martyrum Rufini & Valerii consecrata, quæ episcopalis domini propria esse dignoscitur, collata est. Nos itaque beneficium tuum honorare cupientes, ad subsidium animarum tuarum & antecessorum sive successorum tuorum statuimus, & inconcussum in sempiternum teneri volumus, quatinus in ecclesia Basulicensi tantum monachorum habeatur conventus, qui ordinem ad modum Majoris-monasterii regulariter teneant. Siquidem quoniam illius ecclesiarum possessiones tot monachorum usibus sufficere posse non videntur: ecclesiam S. Theobaldi cum omnibus sibi appendentibus Basulicensi monasterio perpetuo jure sub-

ijcimus, adeo ut ad Majus-monasterium nisi per Basulicensem non respiciat; necessitatibus fratrum apud Basulicæ Deo servientium omnimodis libere mancipatam. Sed & ecclesiam canonicalement de Castellione super Marnan cum omnibus appenditiis suis, & ecclesiam Canle quas a munificentia tua ecclesia Majoris-monasterii suscepit, quicquid in posterum Deo volente per te Basulicensis ecclesia adipisci poterit, perpetuo jure eidem Basulicensi subijcimus. Porro ne ecclesia Basulicensis ad n. . . . jure episcopali aliquando demigrasse videatur, jure fundi & dignitate episcopi episcopo semper subiecta sit. Prior quoque Basulicensis hoc speciali debito Sueffionensibus episcopis præ ceteris prioribus jure perpetuo obligabitur. Abbas quidem & capitulum Majoris-monasterii Basulicensi ecclesiarum, cum non erit, de fratribus suis priorem commodum providebunt: qui Sueffionensi episcopo præsentatus Basulicensi monasterio assignabitur. Locatus autem in Basulicensi monasterio prior ab abbate & capitulo Majoris-monasterii, absque beneplacito Sueffionensis episcopi numquam dimovebitur. Qui tamen si irreligiosus aut ecclesiarum Basulicenses incommodus, abbati Majoris-monasterii & fratribus aliquando videbitur; postquam in presentia episcopi talis esse demonstrabitur; non habebit episcopus contradicere; quin abbas revocato monacho suo, in Basulicensi ecclesia priorem juxta modum præscriptum constituat. Similiter si episcopo irreligiosus aut incommodus videbitur, significabit abbati, qui infra quadraginta dies veniet vel personas mittere ante episcopum, ibique prior talis ostensus dimovebitur, alterque substituetur. Prior quoque Basulicensis ecclesiam suam cum omnibus sibi pertinentibus ita quietam obtinebit, ut non liceat abbati Majoris-monasterii monachum loci contra voluntatem prioris dimovere, nec alium ibidem nisi petitione prioris imponere. Denique præter annualem censum, centum scilicet solidorum currentis apud Basulicæ monetæ, quæ inter Basulicæ & S. Theobaldum episcopalis benignitas Majori-monasterio designavit, prior Basulicensis cum sua ecclesia a ceteris exactionibus omnino liber erit. Tamen Majus-monasterium in festo hiemali B. Martini ex consuetudine visitabit. Insuper thesaurariam ecclesiarum, quæ ad proprietatem episcopi pertinebat, adeo ut per quem vellet canonicum vel non canonicum eam administraret, ne per alienæ personæ administrationem, fratrum quies turbaretur, monachis eam benignitas tua concessit. Sed ne successores tui episcopi redditus episcopii a se diminutos conquerantur, viginti solidos currentis apud Basulicæ monetæ in festo B. martyrum Gervasii & Prothasii Basulicæ prior episcopo persolvat. Et ut hæc nostræ institutionis formula robur inviolabile in sempiternum obtineat, cum attestatione capituli sigilli nostri impressione munivimus.

Idem confirmavit Ansculfus Sueffionensis episcopus anno MCLIII. indictione prima, episcopatus sui anno secundo.

Innocentii papæ II. confirmatio.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio Odoni abbati Majoris-monasterii ejusque successoribus regulariter substituens

dis in perpetuum. Quotiens illud a nobis petitur quod rationi & honestati convenire cognoscitur; animo nos docet libenti concedere & petentium desiderii congruum impertiri suffragium. Et quemadmodum ea quæ a nobis statuuntur firma volumus & illibata persistere: ita nihilo minus ea quæ a fratribus nostris rationabili studio invenerimus constituta, debemus auctoritate apostolica roborare. Ideoque, dilecte in domino fili Odo abbas, commoditatibus Majoris-monasterii providentes, & petitionibus venerabilis fratris nostri Gosleni Sueffionensis episcopi annuentes, Basilicensem ecclesiam in honore B. martyrum Rufini & Valerii consecratam ab eodem episcopo, consensu capituli sui, tibi & per te B. Martino, concessam cum omnibus ad eandem ecclesiam pertinentibus in perpetuum possidendam habendamque concedimus, salvis nimirum institutionibus quæ de Basilicensi priore & ecclesia S. Theobaldi inter te & eundem episcopum rationabiliter sunt statuta, & per mutua scripta vestra firmata. Nulli ergo hominum fas sit B. Martini Majus-monasterium super hac confirmatione nostra de cetero infestare, & de præfata Basilicensi ecclesia & omnibus ad eam pertinentibus aliquam tibi vel tuis successoribus molestiam vel contrarietatem inferre. Si quis autem ausu temerario contra hanc nostram constitutionem venire temptaverit, secundo tertiove commonitus, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate periculum patiatur, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi alienus fiat. Conservantes autem omnipotentis Dei & beatorum apostolorum Petri & Pauli, & nostram gratiam consequantur. Amen, amen, amen.

Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus S. Ego Willelmus Prænestinensis episcopus S. Ego Wido Tiburtinus episcopus S. Ego Lucas presbyter Johannis & Pauli S. Ego Guido indignus sacerdos S. Ego Azo presbyter cardinalis tit. S. Anastasie S.

Data Pisis per manum Aimerici S. R. E. diaconi cardinalis cancellarii. xvi. kalendas Julii, indictione xlv. incarnationis dominicæ anno mcccxxvi. pontificatus domni Innocentii papæ II. anno vi.

XXXVIII.

Epistola consolatoria Petri diaconi Casinensis ad Richisam augustam super morte Lotharii imperatoris.

Dominæ suæ Richisæ a Deo protectæ Romanorum imperatrici Petrus diaconus post præsentis vitæ metas æterni regni calculum. Multotiens, imperatrix invicta, impetum coepi consolandi vestram emigrentiam, multotiens continui: ut id protinus facerem, plurima incitabant, præcipue autem domini nostri imperatoris Lotharii defuncti fidelitas, tum vestræ augustalis clementiæ in nos indignos dilectio, ut lacrymas vestras & si ex toto sopire non potuissem, interim certe vel absterissem. Ut retardarem autem, sciebam dolori tuo, dum recens scæviret, præpropere occurrendum non esse, ne illum ipsa eadem solatia potius irritarent,

exagerarent, accenderent; nam sepe videmus in ipsis quoque morbis immaturam medicinam esse perniciosissimam. Expectabam itaque dum ipsemet dolor vires suas deponeret, & mora mitigatus tangi se quodam modo, atrectarique ad remedia sustinenda permetteret. Ante tamen quam cum eo congrediar, adero illi, & aliqua quibus excitetur in memoriam reducam, & quæ jam quasi obducta videntur, rescindam & proferam, optimo videlicet ac sollempni genere consolandi. Hi itaque fleant gemantque diutius, quorum delicatissimas mentes enervavit longa felicitas, effeminavit luxuria, qui spem suam omnino fixerunt in sæculo, qui quæ sint bona illa perennia vel ignorant ex toto, vel si sciunt, oblectamentis sopiti mundialibus neglunt. At quorum fere omnes anni per diversas curas transferunt, quorum, juxta apostolum, conversatio in cælis est, qui & vanitates sæculi & cæli gaudia prudenti ac discreto corde perpendunt, gravissima quoque quælibet immobili constantia perferunt. Quid pergam referre numero quot calamitatibus, quot infortuniis ab infantia ipsa jactata sis, cum in eisdem fere, ut sic dicam, innata fueris. Felicis memoriæ dominus noster imperator Lotharius, qui te sibi in conjugem elegerat, ad imperiale fastigium promoverat, in quam solam cuncta negotia Romani imperii commiserat, post multas, quas cum ipso pertulisti angustias, post orbem Romanum, ut ita dixerim, cum eo peragratum, cum in dies ad imperiale domicilium cum eo accelerares, regressum, heu, pro dolor, multorum sociorum dolore gravissimo extulisti. Transeo tot pericula, tot metus, quos sine interstitio incurstantes in te cum tanto Cæsare pertulisti: modo cum nondum priores luctus integre composueris, lugenti adhuc tibi luctus adjunctus est, & cum quasi solatium tot ærumnarum, quod videlicet solum residuum erat, in vivente genero vestro Henrico duce Bajuariæ te habere putares, subito nec opinanti vobis mors ejus immatura relata est. Gravissimum plane est ex omnibus quæ vobis post decessum domini nostri imperatoris Lotharii obtigerunt, recens vulnus, nec cutem summam rupit, sed pectus, fateor, & viscera ipsa divisit: nec ex intacto corpore tuo hic sanguis effluxit per ipsas cicatrices percussus, sed quemadmodum tirones leviter fauciat, tamen vociferantur; at veterani quamvis confossi, patienter ac sine gemitu curari se patiuntur. Non enim, clementissima domina, ita lugendi sunt quique fideles, ait apostolus, sicut & ceteri qui spem non habent. Si enim credimus, quod Jesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. Ergo, clementissima domina, ut consolationem accipiatis, hortamur: ista enim mors quid est aliud nisi relictio corporis, depositio sarcinæ gravis. Nata es, o imperatrix, moritura es. quo ibis, ut non moriaris? quid facis ut non moriaris? ut Dominus Deus tuus consolaretur te, propria voluntate mori dignatus est. Quando vides Christum pro te mortuum, tu mori dedignaris? ergo moritura es velis nolis. quo evades? quo effugies? ut non moriaris? Hodie sit, cras sit, futurum est, dubium non est, credendum est. Quid ergo agis? times, fugis, futurum est. Ergo, mi piissima domina,

domina, lamentationes & ululatus, ac si muliebres tumultus, a te viriliter amove. quanto enim dolor iste vester durior est, tanto major vobis virtus advocanda est, & veluti cum noto hoste & sæpe jam victo acris congregiendum. Fortem ac sapientem nec secunda evehunt nec adversa dimitunt. Facile illa fert, qui semper expectat. illis sunt gravia quibus & repentina. Qui lætis rebus non se inflavit, nec mutatis contraxit, adversus utrumque statum invictum animum tenet jam exploratæ firmitatis. In ipsa namque felicitate quid contra infelicitatem posset, expertus est. Infinito quidem dolore, cum aliquem ex carissimis amiseris, affici, inepta indulgentia est; nullo autem, inhumana duritia. Nam & non sentire dolore non est hominis; & non ferre non est virtutis. Optimum inter utrumque temperamentum est; & sentire desiderium & reprimere; præsertim cum nec excellentiæ vestræ conveniat immensum tristari. Maximum solatium est cogitare, id vobis accidisse quod omnes ante passi sunt, omnesque passuri. Gaudes itaque habuisse te virum Romanum imperatorem? cogita jucundissimum esse quod habuisti, humanum quod amisti. quod talem habuisti, in summis bonis pone; non est cogitandum vobis quam diutius habere illum potueris, sed quamdiu habueris. non in eo mors vestram satietatem, sed suam sequi voluit legem. Stet tantum animus in prociectu, mors alium alio tempore comprehendet, neminem præteribit, nullum certe excipiet. Quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur. sed animus sapientis quod necesse est, numquam timeat, quod incertum, semper expectet.

Alia ejusdem ad eandem.

Dominæ suæ excellentissimæ atque piissimæ Richisæ a Deo protectæ, magnæ ac pacificæ Romanorum imperatrici augustæ Petrus vestri imperii servus, post præsentis regni potentiam æternam felicitatem. Licet nervus incisus doleat, & spiritus tristis ossa conterat, non tamen adeo lugendus est dominus noster imperator Lotharius sicut & hi, sicut dicit apostolus, qui spem non habent. Ad suum perrexit, in quo summum bonum est, in quo omnis bonitas, omnis justitia, omnis pietas, omnisque sanctitas est. Ad illum perrexit qui sua præcepta servantibus clamare non cessat, venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere faciam. Elias festinans rogabat ut acciperetur a se anima sua.

Et post multa. Dolendumne est igitur in decessu? minime. quid enim absurdus, quam ut id quod scias omnibus esse præscriptum, quasi speciale deplores? Hoc est animum supra conditionem extollere, legem non recipere communem, confortium recusare, mente carnis inflari, & carnis ipsius nescire mensuram. Quid absurdus quam nescire qui sis, affectare quod non sis? aut quid imprudentius, quod futurum scias, id cum acciderit ferre non posse? Natura ipsa nos revocat, & hujuscemodi moeroribus quadam sui collatione subducit. Quis enim tam gravis luctus, aut tam acer inest dolor, in quo non interdum relaxetur animus? Habet hoc natura,

Annal. Bened. Tom. VI.

ut quamvis homines in tristibus rebus sint, tamen si modo homines sunt, a moerore mentem paullisper abducant. Fuisse etiam feruntur quidam populi, qui ortus hominum lugerent, obitusque celebrarent, nec imprudenter: eos enim qui in hoc vitæ sæculum venissent, moerendos putabant; eos vero qui ex istius mundi procellis & fluctibus emerissent, non injusto gaudio prosequendos arbitrabantur. Mors æqualis est omnibus hominibus, indiscreta pauperibus, indiscreta divitibus. Hanc quotidie præ oculis tantus Cæsar habebat, qui, sicut vidimus & experti sumus, dum in ejus versaremur obsequiis, sub imperiali chlamyde alterius militiæ tirocinium ostendebat. Prius enim in lucis crepusculo missam pro defunctis audiebat, dehinc pro exercitu, postremo missam dei, demum cibum potumque viduis, pupillis ac ceteris pauperibus large distribuens, quæstiones & oppressiones ecclesiarum relevabat, & in ultimo in cura imperii insudabat. Quamdiu enim Casini remoratus est, omnibus noctibus ita claustrum & omnes officinas monasterii, ac si abbas vel quilibet decanus circuibat, ac si abbas vel quilibet decanus circuibat, scire cupiens, qualiter unusquisque sub B. Benedicti magisterio viverent. factoque mane, per omnes monasterii ecclesias causa orationis discalceatis pedibus incedebat. Licet autem hoc ageret, numquam a consortio archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, clericorum, vel monachorum sequestrabatur, ut impletur in eo quod legitur: Et cum sapientibus ac religiosus sermocinatio ejus. Quis autem ejus gravitatem non miretur, cum ad sedandas dissensiones fratrum, quæ pro electione abbatis ortæ fuerant, ad capitulum veniens, ab hora prima diei usque in vesperum, non cibo non potui indulgens, exinde non egrediebatur. Quo autem affectu, quove amore Casinensem dilexit ecclesiam, ostendit, cum dixit prius se finere omnia privilegia & concessionem ecclesiarum convelli, quam aliquid de dignitatibus & privilegiis Casinensis ecclesie minui: & prius fineret electionem omnium episcoporum, archiepiscoporum & abbatum qui sunt in toto orbe Romano tollere, quam solummodo Casinensis abbatis. Dicebat enim, abbas si ex consensu monachorum electus non fuerit, abbas non est. & quicumque electionem monachis tollit, omnia monasterii jura convellit. Et cum hæc omnia ageret, erat tamen cæcorum baculus, esurientium cibus, spes miserorum, solamen lugentium; & ita singulis virtutibus eminebat, quasi ceteras non haberet. Sacerdotes honorabat ut dominos, clericos ut patres, pauperes ut filios, viduas ut matres, creber monitionibus, pervigil in vigiliis, lacrymas Deo non hominibus offerebat. voluntur per ora lacrymæ, & obfirmato animo non queo dolorem dissimulare quem patior. Postquam enim nostram parvitatem discipulum Bertulfi cancellarii effecerat, postquam Logothetæ, exceptoris & auditoris officio remuneraverat, postquam sessionem ad pedes suos indulerat, postquam a secretis effecerat, postquam de his quæ ad vitam æternam attinent, satis instruxerat, te præsentem & cunctis imperii aulicis adstantibus, manum meam apprehendens & Guibaldo commendans abbatem, dixit ad eum: si qua meæ dilectionis, si qua

XXX

mei amoris in vestro corde vestigia sunt, in isto ostende, eumque pro nostro amore loco carissimi & unici filii habe. Hæc cum dixisset imperator augustus Cæsarque Romanus, & pater patriæ nominatus, ut clericos discordantes in pace reconciliaret una cum vestra excellentia dum studeat, corpus & animam cælo reddidit. Confortare igitur strenuissima, & juxta illud Salomonis præceptum, accipe consolationem propter tristitiam. Sed fortasse dicis: Quomodo possum accipere consolationem, cum eum quem diligebam amisi? nonne hæc nobis cum ipso mundo elementisque communia sunt, quia ad tempus creata in perpetuum tenere non possumus? Non amisit virum quæ exhibet castitatem: non est viduata conjugio, quæ non mutavit nomen mariti. Recole quid David fecerit; is enim cum amisisset filium, surrexit, comedit, bibit, & dixit: Ego vado ad eum, ille vero amplius non revertetur ad me. Hæc igitur excellentissima domina, advertens, ita vos ab imminente tristitia temperate, ita studete, quatenus Deum ut decet felici cernere possis intuitu. Salvationis etiam & consolationis & orationis obsequium vobis congregatio Casinensis dirigit, puerumque Mionem filium domini Ptolomei, qui penes vos est, vobis commendantes, rogant ut illum loco filii habeatis.

XXXIX.

Epistola Willelmi Francigena ad Innocentium II.

*Ad lib. 76.
n. 149.
Ex ms. cod.
Vaticellano.*

Domino religiofissimo ac reverentissimo summo & universali papæ Innocentio secundo, Francigena Willelmus, humilis & indignus monachus de cœnobio sancti Bertini, quod in Flandria situm est, salutis & gaudii plenitudinem perenniter possidere. Cum ex præcepto omni sæculo reverendæ & Deo amabilis vestræ paternitatis in cœnobio sanctæ Sophiæ, quod Beneventi situm est, habitarem, stimulante me jam diu cogitatione, quidam divinus, ut arbitror, amplius ardor accendit, quatinus ad honorem vestrum & matris utilitatem Ecclesiæ, & parvitas meæ præ ceteris commendationem quidpiam scripturarem. Cumque mecum frequenter, quid id esse posset, totis animæ meæ visibus agitarem; accidit ut inter plura alia, quæ sæpe fratribus in capitulo exhortationis causa dicere solebam, de hydropico evangelico quadam die facerem sermonem: qui cum quibusdam fratribus, abbati vero Franconi quammaxime, plurimum placuisset, instanti, & velut exactoria pro fraternæ caritatis fiducia, coeperunt a me prece postulare, quatinus eundem sermonem, valde posteris, ut aiebant, utilem futurum, non pigritar litteris commendare. Extimui, fateor, domine mi, pater amantissime: quia nec in his aliquando exercitatus, nec tantæ eram scientiæ. Sed quid esset, quod non vel cum mei pudoris detrimento blanda fraternæ caritatis extorquere posset exactio? Feci ergo ut potui, non tamen ita breviter, ut in capitulo prius dixeram; sed tripliciter expositum fratribus ostendi. Quem cum viderem pluribus placere, mihi quoque, fateor, coepit non displicere. Sumpta majori quapropter auda-

cia, & considerans hominis non esse viam ejus, jactavi in domino cogitatum meum, & sacro suffragante spiritu, alios facere quamplures aggressus sum, non de litterarum seu facultiæ, quæ mihi nulla est, abundantia, sed de conferenda mihi sanctorum meritis & fratrum precibus præsumens gratia.

Sermones itaque de diversorum temporum lectionibus LX. complevi, vestroque potissimum nomini sacratissimo dedicavi. Non autem eos secundum quod in hoc ordinati sunt volumine descripsi, sed secundum quod mihi tempus arrisit, & quietem meæ mentis inveni. Unde etiam nonnullos, sicut scribebantur, diversorum preces abstulere: domino quoque Guidoni Florentino, Beneventano quondam rectori, nunc autem de sancto Grifogono cardinali presbytero, quosdam ex his recolo me dedisse, de cujus intellectus puritate non ambigo, quem sibi quietam mentis mansuetudo divina cum gratia contulit, & rectæ simplicitas vitæ. In quibus certè nequaquam volui ludere floribus aliorum: sed ea dixi maxime, quæ labor proprius & meditationis instantia contulit per gratiam sancti Spiritus dantis auxilium. Ineptum namque judicavi majorum bene dicta debiliore stilo depravare, cum ea nostri temporis nemo valeat emendare: sed tamen inde ego accepi, unde illi, quid dicerent, acceperem. Sane ubi nova videntur esse quæ dico, aut auctoritates, si quas invenire valeo, aut rationes, quibus fulciri valeant, adjungo. Sunt autem quædam maxime in sermone duodecimo, qui de Genesi factus, & in illo qui de Ecclesiaste quadragesimus est, quæ minus intelligentibus dura forsitan videantur: sed si subtiliore eliquata fuerint discussione, nullum inferre fidei periculum comprobantur. Nam de rebus creatis nullum peccatum est varie disputare: quia, sicut ait Salomon, *cuncta res difficilis, nec potest homo eas explicare sermone. Mandum vero tradidit disputationi hominum, ut non inveniat homo quod operatus est Dominus ab initio usque ad finem.* Quod ergo ab homine, sicut est, non invenitur, necesse est ut de eo quilibet opinetur, nec opinantes varie peccamus, si de Deo male non sentiamus. Ille autem de Deo male sentit, quisquis eum cuncta de nihilo fecisse non credit: aut animam ejus partim, aut de se, hoc est de sua substantia, aliud eum quidquam fecisse credit.

Hos itaque LX. sermones omnes in unum corpus collegi, & secundum temporum rationem disposui, vestræque prudentissimæ & Deo amabilis excellentiæ judicio examinandos, & reverentissima commendandos auctoritate transmisi. Ubi sane si quid dictum secus, ac debuit, inventum fuerit, non pudebit emendare: quia quod melius est sequi magis desidero, quam inepta defendere. Quamvis ego me non arbitror quidquam temere definisse, quod lectoris animi prudentis offendat: nisi forte tardioris cunjulibet, qui exteriora tantum cogitans, ab intimis oculos mentis avertat. Hoc autem opus in plerisque lectorem intimum habere desiderat: quia cum in cortice minus hæreat disputatio, ad interiora magis animum legentis invitat. Si qua sane, quod benedictum est invidorum rodat insania, non valde curo: quia quod sanctissimæ nominis vestri memoriæ dedicatum est, etiam si minus fortiter dictum fuerit, in universo mundo

fama bonitatis notissimæ vestræ auctoritatis patrocinio defendendum minime diffido. Quapropter tam me, quam hunc ipsum libellum, vestræ fiducialiter tuitioni commendo: quamvis quod bene dictum est apud justam vestræ discretionis libram commendatione non egeat, cum per semetipsum naturali & ingenta morum bonitate, quod bonum est & honestum promptissime defendat. Precor autem Dominum, hæc ipsa quæ scripta sunt vestræ gravitati placere: quia, ut fratribus utilitatem conferant, mihi quoque præmium salutis acquirant. Invidorum namque parum moveor laudibus, aut vituperatione: sed in hoc mihi singularis erit lætitia, si hæc esse fratribus utilia, vobisque noverim placere.

XL.

Stephani episcopi Parisiensis charta de institutis monasterii Hederensis.

*Ad lib. 77.
n. 21.
Ex veteri
membrana.*

Stephanus, Deo ordinante, Parisiorum dictus episcopus, universis Christi fidelibus tam posteris quam presentibus salutem. Ad hoc nobis episcopalis officii cura ab omnipotente Deo commissa est, ut religiosas diligamus personas, & beneplacentem Deo religionem studeamus modis omnibus propagare. Noverint igitur universi, quia ecclesiam sanctæ Mariæ Hederensis nostro labore, nostro studio, Dei gratia nos in omnibus præcedente, a fundamentis extruximus, & sanctimoniales feminas in ea ponentes, religionis ordinem in eadem ecclesia perpetuo conservari decernimus. Sed quia femineum sexum fragilem atque ideo labilem esse cognovimus, idcirco prædictas sanctimoniales arctioris propositi disciplina, tam per nos, quam per religiosos viros ligare curavimus. Habent enim institutiones optimas ex maxima parte de ordine monachorum Cisterciensium sumtas, partim etiam de observantiis aliarum religionum collectas. Quod quia consilio venerabilis viri domni scilicet Hugonis Pontiacensis abbatis, nec non & industria fratris nostri Willelmi, & consilio etiam & voluntate carissimæ filiae nostræ Hildiardis ejusdem ecclesiæ sanctæ Mariæ venerabilis abbatissæ, totiusque conventus factum est, volumus, & episcopali auctoritate præcipimus, ut prædictæ sanctimoniales prædictas institutiones, sicut determinatæ vel scriptæ sunt in libris quos consuetudines vocamus, in perpetuum teneant, nec umquam in aliquo eas vel minuere vel mutare præsumant. Obeunte abbatissa, aliam, quæ substituenda est, hoc modo eligendam censemus: in primis Parisiensi episcopo voluntatem & necessitatem suam insinuabunt, deinde religiosos viros abbatem S. Victoris scilicet, & abbatem sanctæ Mariæ de Valle in suo capitulo præsentem episcopo convocabunt. His autem in unum convocatis, de electione abbatissæ tractabunt, & sine contradictione, quamcumque voluerint, dignamque judicaverint, eligant. Si vero abbates habere nequiverint, prior cum tribus religiosissimis sanctimonialibus in præsentia episcopi loco eorum substituatur. Hoc etiam notum fieri volumus, quod eandem beatæ Mariæ ecclesiam ab omni exactione temporali, quantum ad

nos & successores nostros spectat, liberam omnino & quietam fore concedimus; obedientiam tamen episcopo Parisiensi debitam salvam per omnia esse decernimus. Quicumque autem prædictum institutum hoc violare præsumserit, si secundo tertiove admonitus, se emendare noluerit, excommunicationi subiaceat. Ne autem supra dicta possint oblivione deleri, scripto commendata, & sigilli nostri auctoritate sunt firmata. Actum anno incarnationis dominicæ MCXXXVIII.

Data per manum Algrini cancellarii.

Innocentii II. diploma pro eodem monasterio.

Innoentius episcopus servus servorum Dei dilectæ filiae Hildiardi abbatissæ monasterii sanctæ Mariæ de Hedera, ejusque sororibus tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum. Ad hoc universalis ecclesiæ cura nobis a provitore omnium bonorum Deo commissa est, ut religiosas diligamus personas, & beneplacentem Deo religionem studeamus modis omnibus propagare. Nec enim Deo gratus aliquando famulatus impenditur, nisi ex caritatis radice procedens, a puritate religionis fuerit conservatus. Oportet igitur omnes christianæ fidei amatores religionem diligere, & loca venerabilia cum ipsis personis divino servitio mancipatis attentius confovere, ut nullis pravorum hominum inquietentur molestiis, vel importunis angaribus fatigentur. Ea propter dilectæ in domino filiae, venerabilis fratris nostri Stephani Parisiensis episcopi precibus inclinati, præfatam monasterium sub beati Petri & nostræ protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque succedentibus & illibata permaneant. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus omnino clericus vel laicus decimas a vobis exigere præsumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum vestrum cœnobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur pro vestra & eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia

aeternae pacis inveniant. Amen, amen, amen.
In rotundo circulo legitur hoc dictum, Adjuva nos
Deus salutaris noster.

Ego Innocentius catholicae ecclesiae episcopus. Ego Stephanus Praenestinus episcopus subscripsi. Ego Martinus presbyter card. tit. S. Stephani in Celio-monte subscripsi. Ego Ivo presbyter card. S. Laurentii tit. Damasi subscripsi. Ego Grizo presbyter card. tit. sanctae Ceciliae subscripsi. Ego Gregorius diac. card. sanctorum Sergii & Bacchi subscripsi. Ego Otto diaconus cardinalis S. Georgii ad velum aureum subscripsi. Ego Guido diac. card. SS. Cosmae & Damiani juxta templum Romuli subscripsi. Ego Imbaldus diac. card. sanctae Mariae in via lata subscripsi. Ego Hubaldus diac. card. S. Adriani subscripsi. Ego Guido sanctae Romanae ecclesiae diaconus card. subscripsi. Datum Laterani per manum Aimerici sanctae Romanae ecclesiae diac. card. & cancellarii II. kal. Maii indictione III. incarnationis dominicae anno MCXLI. pontificatus vero domini Innocentii anno XII.

Charta Stephani Parisiensis episcopi de donatione Eustachiae de Corbolio, facta ecclesiae Hederensis.

Ad lib. 77. n. 21. **E**go Stephanus Dei gratia Parisiensis episcopus licet indignus, pro certo sciens ea quae temporaliter fiunt, transitoria temporum volubilitate ad memoriam * hominum deleri & quasi facta non fuerint, penitus adnullari, donum quoddam, adstante clericorum & laicorum multitudine, manu mea factum ad posteriorum notitiam transmittere volui, & litteris mei nominis sigillo impressis, legalium quoque testium, sub quorum praesentia factum est, subscriptis nominibus corroboravi. Notum sit ergo tam futuris quam praesentibus, quod Eustachia de Corbolio, assensu mariti sui Johannis de Stampis, & Federici filii sui, & Balduini de Corbolio generi sui, & Avelinae filiae suae, quatuor arpennos terrae dedit sanctimonialibus ecclesiae beatae Mariae Hederensis, ubi abbatia constructa est. Praeterea dedit eidem ecclesiae apud Locum-sanctum, duas partes decimae, & apud Braiam, tertiam partem decimarum. Donavit quoque supradictae ecclesiae terram de Raviano, quae est a nemore Ardano, sicut via Muneria dirigitur. Dedit etiam Pleffiacum quod emit de proprio; & super domum suam de Edera quinque solidos censuales assignavit, quos heredes sui tenentur reddere annuatim eidem ecclesiae ad festum sancti Remigii. Donavit quoque apud Villam-abbatis medietatem decimae cum patronatu ecclesiae; & ad opus infirmariae, eidem ecclesiae donavit quidquid habebat apud Cantum-lupi. Hujus rei testes fuerunt Bernardus archidiaconus, & Alardus canonicus sancti Victoris. Omnes ergo qui contra hanc donationem maliciose egerint, sciant se excommunicationis sententia denodari.

Eugenii III. diploma, quo monasterii Hederensis omnes possessiones confirmantur.

Ex veteri membrana. **E**ugenius episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Hildiardi abbatis monasterii sanctae Mariae de Hedera, ejusque fororibus tam praesentibus quam futuris

regularem vitam professis in perpetuum. Locorum venerabilium cura nos admonet de quiete atque utilitate sollicite cogitare; nec dubium quod si fidelium Dei petitionibus benignae concurrimus, nostris opportunitatibus clementem Dominum reperimus. Quam ob rem dilectae in domino filiae praedecessoris nostri felicitis memoriae Innocentii papae vestigiis inhaerentes, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & praefatae sanctae Mariae monasterium, in quo divino mancipatae estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, praesentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quaecumque possessiones, quaecumque bona idem monasterium in praesentiarum iuste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis eiusque post vos successerint illibata permanent. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis.

Ex dono illustri memoriae Ludovici regis Francorum terram de Amaro-bosco, & totam terram de Uno-villari cum omnibus suis pertinentiis liberas & ab omni exactione quietas, & decem & octo sextaria avenae in molendino suo singulis annis de Calliaco. Ex dono Ludovici regis filii praedicti regis terram de Mansionillo-Ricui. Item in eodem loco aliam terram ex dono Theoderici de Bouilla, & quidquid ibi habebat vinaticum apud villam quae Cons vocatur, quidquid pro eodem vinatico redditur. Item ex dono praedicti regis Ludovici Junioris quotienscumque rex Parisius fuerit, decimam totius panis, qui ad curiam ejus deferretur, vobis in perpetuum concessam. Molendinum quoque quod prope monasterium est, liberum & quietum. Ex dono Hugonis filii Guarneri in molendino suo apud Brennacum modicum frumenti vel alterius annonae quaecumque melior ibi fuerit, & quantum duo asini poterunt portare de lignis nemoris sui quod ibidem est, singulis diebus ad faciendum ignem. Ex dono Eremburgis decem arpennos terrae apud Succici, & sex solidos & dimidium census de pratis de Bretimaco. Ex dono bonae memoriae Stephani Parisiensis episcopi ecclesiam de Villam-abbatis cum decima, decimam de Gennaliaco, decimam de Silviniaco, & ecclesiam de Everiaco & decimam, decimam de Craumelle, decimam de Athiis, decimam de Calendie, decimam de Concisso, decimam vini de Cons, decimam vini de Centeniaco, ecclesiam de Hedera & tertiam partem decimae, ecclesiam de Altaribus & decimam, decimam de Braio, ecclesiam de Loco-sancto cum decima, duas partes decimae de Darancio, partem nemoris apud Monffiacum monasterium de Gif cum omnibus suis appendentiis. Idem quoque episcopus praefatum monasterium de Hedera ab omni exactione liberum esse concessit. Ex dono Henrici Senonensis archiepiscopi decimas de Merboys & de Monseumaco, & omnem decimam de Bouilla, & ecclesiam de Villari. In episcopatu Carnotensi. Ex dono Simonis de Gaserant & filiorum ejus locum qui Pomerium dicitur, in quo G. Carnotensis episcopus capellam fieri concessit. Item ex dono praefati Senonensis archiepiscopi decimam

XLI.

Excerpta ex admonitione praevia ad theologiam christianam Petri Abaelardi, tom. V. Thesauri Anecd. p. 1142.

cimam quam minutam vocant, de Cavannes, & decimam vini, decimam totius terrae quam Hugo Guirety habet in suo dominio, decimam duorum arpennorum terrae, quos idem Hugo vobis donavit, & decimam de Chofel, ex dono ipsius Hugonis dimidium modium frumenti, & dimidium hordei de horreo suo singulis annis, & censum sex nummorum. Praeterea quatuor arpennos terrae in qua monasterium vestrum fundatum est, terram de Raveto, quidquid Eustachia habebat apud Cantalupum, septem sextaria annonae, quae Fredericus comes habebat in molendinis apud villam quae dicitur Valles, medietatem molendini de Pampiluna apud Corbolium, quartam partem molendini de Pontello sancti Exuperii, apud Isonam medietatem molendini, sextam partem portus de Villa-nova, apud aliam Villam-novam decimam de Couter, decimam quoque ut de laboribus vestris seu de nutrimentis vestrorum animalium nullus decimas exigere praesumat. Nulli ergo omnino hominum liceat praefatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare, sed omnia integra conserventur earum, pro quarum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicae auctoritate, dioecesanorum episcoporum canonica iustitia. Si qua igitur in posterum ecclesiastica secularive persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen, amen, amen. Et erat scriptum in duobus parvis circulis seu rotunditatibus, in quibus erat quaedam parva crux, sanctus Petrus, sanctus Paulus, Eugenius papa III. Fac mecum domine signum in bonum. Sic subscriptum. Ego Eugenius Hostiensis episcopus subscripsi. Ego Albericus Hostiensis episcopus subscripsi. Ego Odo diac. cardinalis sancti Georgii ad Velum-aureum subscripsi. Ego Imarus Tufulanus episcopus subscripsi. Ego Octavianus diac. cardinalis sancti Nicolai in carcere Tulliano subscripsi. Ego Gregorius diaconus cardinalis sancti Angeli subscripsi. Ego Jacintus diaconus cardinalis sanctae Mariae in Cosmedin subscripsi. Ibalvus presbyter cardinalis tituli sanctorum Johannis & Pauli subscripsi. Ego Hugo presbyter cardinalis tituli in Lucina subscripsi. Ego Jordanus presbyter cardinalis tituli sanctae Susanae subscripsi. Datum Catalauni per manum Guidonis sanctae Romanae ecclesiae diaconi cardinalis cancellarii VIII. kal. Novembris indict. XI. incarnationis dominicae anno MCXLVII. pontificatus vero domini Eugenii III. papae anno III.

Annal. Bened. Tom. VI.

Hactenus a calamo temperaverat Abaelardus, aut si quid forte scripserat, ab erroribus, qui Sueffionensi in concilio damnati fuerant, abstinuerat. At ubi eos, quos tunc passus fuerat adversarios, è saeculo migrasse animadvertit, amplius se cohibere non potuit. Emortuis quippe omnibus pene doctrinae ecclesiasticae magistris, inquit Guillelmus abbas sancti Theoderici, quasi in vacuum reipublicam ecclesiae domesticus irruens inimicus, singulare sibi in ea magisterium arripuit: agens in scriptura divina, quod agere solebat in dialectica, proprias adinventiones, annuas novitates, censor fidei, non discipulus; emendator, non imitator. Casu autem contigit, ut idem Guillelmus in lectionem libelli cujusdam hominis illius, incideret, cui titulus erat *Theologia Petri Abaelardi*, quem cum titulus curiosam fecisset ad legendum, aliqua invenit, quae ipsum non parum moverent; ea notavit, & cur moverent subnotavit. Duo autem tunc libelli idem pene continentes, inquit Guillelmus, nisi quod in altero plus, in altero minus aliquando inveniretur. Hos suis cum observationibus, hoc est cum refutatione errorum quos repererat, ad venerabilem Gaufridum episcopum Carnotensem, & Bernardum abbatem Clarae-vallis misit, ut ex eorum lectione, an recte ipsum movissent, facilius dijudicare possent.

LECTIS errorum capitulis exhorruit Bernardus, rescripsitque ad Guillelmum in haec verba: *Mortuum vestrum & iustum iudicio & necessarium, sed & otiosum non esse monstrat libellus tundens & obstruens os loquentium iniqua. Ne tamen auctorem ipsum temere iudicare videretur; diem Guillelmo indixit post pascha, quo simul convenirent, legerentque, atque attentius examinarent Abaelardi theologiam. Cumque ex sedula librorum ejus lectione virus ejus in eis contentum deprehendissent, Bernardus solita bonitate, & benignitate desiderans errorem corrigi, hominem non confundi, secreta illum admonitione convenit, cum quo etiam tam modeste, tamque rationabiliter egit, ut ille quoque compunctus, ad ipsius arbitrium correcturum se promitteret universa. Haec observare operae pretium fuit, ut appareat quam im merito, immo quam injuste Otto Frisingensis scripserit sanctissimum abbatem tam ex christianae religionis fervore zelotypum, quam ex habituali mansuetudine quodammodo credulum fuisse in causa Abaelardi; sed vir arrogans, suoque tantum ingenio confidens, ut vix ad audiendos magistros ab altitudine mentis suae humiliatus descenderet, ut fatetur ipse ejus defensor Otto Frisingensis, cum ab eo recessisset vir Dei, consiliis stimulatus iniquis, resiliit a proposito saniori. Immo expetens Senonensem metropolitanum, quod in ejus ecclesia celebrandum foret in proximo grande concilium, Clarae-vallensem causatur abbatem, suis in oculo detrudere libris, additque paratum se esse*

Ad lib. 77. n. 70.

Gauf. lib. 3. de vita S. Bern. c. 5.

Y y y

in publico sua defendere scripta, rogans, ut prædictus abbas dicturus si quid haberet, ad concilium vocaretur. Hæc ex Gaufrido vitæ S. Bernardi scriptore accurato perinde ac pio. Econtra Otto Frisingensis scribit Abaëlardum ab episcopis abbateque Bernardo ad audientiam apud Senonas vocatum fuisse. Verum præterquam quod auctoritas Gaufridi auctoris domestici, & ab omni falsi suspitione liberi, prævalere debet Ottoni auctori extraneo, patres concilii Senonensis, non a S. Bernardo provocatum fuisse ad concilium Abaëlardum, sed Bernardum ab Abaëlaro, disertis verbis affirmant. Sic enim illi in epistola ad Innocentium, quæ inter Bernardinas in nova editione est 337. postquam dixerunt minus patienter, & nimium ægretulisse, quod a Bernardo primum privatim, deinde publice coram testibus errores corrigere communitus fuisset: Magister Petrus inquit, crebro nos pulsare cœpit, nec ante voluit desistere quoad ad dominum Claræ-vallensem abbatem super hoc scribentes, assignat die, scilicet octavo pentecostes, Senonas ante nostram submonimus venire præsentiam, quo se vocabat & offerebat paratum magister Petrus, ad probandas & defendendas, de quibus illum dominus abbas Claræ-vallensis, quomodo prætaxatum est, reprehenderat sententias. Ceterum dominus abbas, nec ad assignatum diem se venturum, nec contra Petrum sese discerpturum nobis remandavit.

Ex Bernardi modestia factus arrogantior Abaëlardus, suos cœpit undequaque convocare discipulos, & obsecrare, ut ad futuram inter se abbatemque Claræ-vallensem disputationem, una cum illo suam sententiam simul & scientiam defensori venirent. Hinc Bernardus magnorum virorum monitis flexus, ne videlicet ex ejus absentia scandalum populo, & cornua crescerent adversario, ad concilium venire tandem adquevit, & quidem tristis nec sine lacrymarum effusione. Adfuerunt concilio Francorum rex Ludovicus VII. Willelmus comes Nivernensis religiosus, Remensis archiepiscopus cum quibusdam suis suffraganeis episcopis, abbatibus multis, valdeque literatis clericis. Librum theologiæ Abaëlarum in medium protulit S. Bernardus, quæ in eo annotaverat absurdum, immo plane hæretica capitula proposuit, ut ea vel a se scripta negaret, vel si sua fateatur aut probaret, aut corrigeret. Neutrum præstare voluit Abaëlardus, sed ut tempus redimeret, ab æquissimis iudicibus, quos ipse delegerat, contra canones, ad sedem apostolicam appellavit. Si credimus Ottoni Frisingensi, Abaëlardus *seditionem populi timens*, respondere recusavit. Verum præsentibus rege Ludovico, comite Willelmo, aliisque nobilibus, quid a populo metuendum esse poterat? Hinc apparet Ottonem ea quæ de Abaëlaro concilioque Senonensi scribit, non tam a veridicis testibus, quem ab incertis rumoribus popularibus didicisse. Æquius est, ut Gaufrido vitæ S. Bernardi scriptori, Abaëlarum, cum hæc agebantur, discipulo, fidem adhibeamus hæc scribenti: Sed ab egregio illo catholice fidei advocatione, nempe Bernardo, monitus, ut vel jam sciens in personam suam nihil agendum, responderet tam libere, quam secure, audiendus tantum, & ferendus

in omni patientia, non sententia aliqua ferendus: hoc quoque omnimodis recusavit. Nam & confessus est postea suis, ut aiunt, quod ea hora maxime quadam ex parte, memoria ejus turbata fuerit, ratio caligaverit, & interior fugerit sensus. Non itaque libertas defuit Abaëlaro semetipsum defendendi, nec timore popularis seditionis id recusavit, sed injustam causam tueri minime potuit. Pro reverentia tamen sedis apostolicæ ad quam appellaverat, damnatis perverfis ejus dogmatibus, personæ ipsius pepercit concilium.

Egressus a concilio Abaëlarum errorum suorum scripsit apologiam, in qua acriori stilo invehitur in sanctum Bernardum. Id certe discimus ex disputatione abbatis anonymi contra Abaëlardum, in cujus libro II. hæc leguntur: In apologetico suo responsione sua super hoc capitulum furis exagitatus Petrus insanit, & sic nimis intemperanter invehitur in hominem Dei, ut non eum loqui quæ loquitur, sed per eum satanam, qui transformat se in angelum lucis assereret. Et in libro III. In apologia sua multo vehementius spiritu vertiginis abducitur, & infelicius ægrotat: diligentiore siquidem tractatu, & quasi viribus in unum collectis, hoc capitulum, scilicet de potestate Dei, ceteris diffusius exsequitur. Postea Romam, ut causam pontifice defenderet, fretus amicorum discipulorumque, quos ibi non paucos habebat, auxilio, proficisci statuit. Sed cum Cluniacum pervenisset, audivit errorum suorum capitula debita damnatione ab Innocentio II. esse affecta. Hic itaque gradum sistere coactus fuit, monitusque a Petro Venerabili abbate, ut Bernardum sibi reconciliaret, & si qua catholicas aures offendentia aut scripsisset aut dixisset, ea a verbis suis amoveret, & a libris abraderet; Claram-vallem cum abbate Cisterciensi profectus, prava dogmata retractavit, & sopitis prioribus querelis, in gratiam cum sanctissimo abbate rediit. Hanc retractationem editis Abaëlarum operibus præmissam habemus, quam apologiæ nomine donare placuit editori; cum tamen ab ejus apologia sit omnino distinguenda, rectius retractatio appellanda. Reverfus Cluniacum biennio religiose ibidem vixit, ac tandem in Cabilonensi S. Marcelli prioratu in sinu ecclesiæ requievit.

Adversus Abaëlardum scripsere Guillelmus abbas S. Theoderici, S. Bernardus, & abbas anonymus, quem eundem esse credimus cum Gaufrido, qui ex Abaëlarum discipulo, anno MCXL. factus est monachus Claræ-vallensis, Bernardi notarius, ac post Robertum & Fastredum successor evasit. Prioris & posterioris lucubrationes habemus in bibliotheca Cisterciensi, in quibus ipsissima Abaëlarum verba, quæ impugnant, referuntur; nonnullos tamen ille patronos habuit, imprimis Ottonem Frisingensem, in sanctum Bernardum parum æquum, hominem exterum, & uti æstimamus, parum instructum: cujus certe auctoritas, nec Guillelmo abbati, nec S. Bernardo, nec Gaufrido, qui hominem noverant, ejus scripta attente legerant, ab omni prava suspitione immunes, prævalere debet. Multo minus Pétri Berengarii Pictavensis, Abaëlarum discipuli, qui ex professo ejus defensionem suscepit, scripsitque apologeticum, suam

secum condemnationem præferentem; quem rectius libellum in S. Bernardum contumeliosum appellare licet, opus in tenebris natum, & æterna oblivione dignum. Et certe ne quidem unum in eo verbum protulit in defensionem sui magistris, aut fidem ejus catholicam demonstrandam, ejusque adversarios impugnandos, licet id se præstiturum audacter promississet. Immo ipse sanior factus, contumeliosa scripta retractavit in epistola ad episcopum Mimatensem, & pro non scriptis haberi voluit: Quia, inquit, processu temporis meum sapere crevit, & in sententiam abbatis pedibus, ut dicitur, ivi. Nolui esse patronus capitulorum objectorum Abaëlarum, quia, etsi sanum saperent, non sane sonabant.

Hæc forte sufficere deberent his qui nostro ævo Abaëlarum partes tuendas susceperunt, ac sanctum Bernardum præcipitis in eum iudicii accusare non verentur, quibus sane fieri satis haud dubium posset, si Abaëlarum introductionem ad theologiam integram haberemus. Nam mutila est in editis, nec perfectam invenimus in manuscriptis. Ejus defectu lucem aliquam proferre poterit tractatus de Trinitate, quem ex manu exarato codice Majoris-monasterii vetustissimo damus, quemque eundem esse cum tractatu de Trinitate, Sueffionensi in concilio igni addicto, aut cum uno ex duobus illis libellis, qui in manus Guillelmi abbatis inciderunt, quique idem pæne continebant, nisi quod in altero plus, in altero minus inveniretur, mihi constare videtur. Duo præsertim ex suo libro reprehensa fuisse in concilio Sueffionensi asserit Abaëlardus in historia calamitatis suæ, unum scilicet pag. 21. quod cum Deus Deum genuerit, nec nisi unus Deus sit, negaret tamen Deum seipsum genuisse. Id quod probasse se dicit auctoritate S. Augustini, libro I. de Trinitate, ubi hæc leguntur: Qui putas ejus potentiam Deum, ut seipsum ipse genuerit, eo plus erat, quod non solum Deus ita non est, sed nec spiritalis creatura, nec corporalis: nulla enim omnino res est, quæ seipsam gignat. Quæ quidem in nostro tractatu, cum eadem S. Augustini auctoritate reperitur. Alterum pag. 24. quod asseruisset *solum Deum Patrem omnipotentem*. Quæ propositio ex his quæ hoc in tractatu leguntur, facile cernitur, ut ex infra referendis patebit. Quod autem Guillelmus abbas S. Theoderici ad Gaufridum episcopum Carnotensem, & S. Bernardum scribens, ait, Abaëlarum sub theologiæ titulo duos in manus suas incidisse libellos, idem pæne continentes, nisi quod in altero plus, in altero minus aliquando inveniretur, perfecte huic nostro tractatu congruit, si cum ejusdem Abaëlarum introductione ad theologiam conferantur. Et certe primus & quintus tractatus nostri libri pæne de verbo ad verbum integri reperuntur in introductione ad theologiam, in qua etiam nonnulla leguntur, quæ in aliis tractatibus nostri libris existunt, adeo ut nullus sit dubitandi locus, quin unus ex duobus illis sit libellis, qui in manus Guillelmi abbatis inciderunt; & forte idem qui in concilio Sueffionensi ante annos circiter viginti damnatus fuerat, in quo nonnulla addere potuit Abaëlardus. An vero jure a patribus Sueffionensis concilii igni addictus sit, & a Guillelmo abbate & S.

Bernardo, alioque abbate anonymo, tamquam perversa continens dogmata exagitatus, æqui doctique lectores non ægre judicabunt ex sequentibus propositionibus, quæ in sequenti tractatu leguntur.

Et primo quidem in capitulis librorum suæ theologiæ dicit, quod *fidem Trinitatis omnes naturaliter homines habeant*. Ab hoc beneficio nequidem Judæos ac Gentiles excludit; sic enim sub finem libri IV. Cum enim Deum esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum tale sit, ut diximus, Deum esse potentiam, ut dictum est, generantem, & sapientiam gentiam, & benignitatem procedentem, cum istud nemo discretus ambigat, sive Judæus, sive Gentilis, nemini hæc fides deesse videtur, quod & nos quidem concedimus, sequentes Apostolum, qui ait: *Quod notum est Deo, manifestum est illis*, ac si diceret, quod ad divinitatem pertinet, ratione percipiunt, quia hæc de Deo naturaliter ratio unumquemque edocet.

2. In capitulis librorum sic commendat philosophos gentiles, *ut digni illi videantur, quibus etiam Deus sua fidei arcana revelare dignaretur*. Et in libro I. hanc revelationem non divinæ gratiæ, sed eorum continentia tribuit his verbis: *Tum ipsa continentissima vita sobrietas quodam eis merito acquisivit*, scilicet Dei cognitionem.

3. Præ ceteris tamen hoc privilegium tribuit Platonicis: *Revolvatur, inquit, & ille maximus Philosophorum Plato, ejusque sequaces, qui testimonio sanctorum Patrum, præ ceteris Gentilium philosophis, fidei christianæ attendentes, totius Trinitatis summam, post prophetas patenter ediderunt, ubi videlicet mentem, quam Noyn vocant, ex Deo natam & coæternam esse perhibent, id est Filium, quem sapientiam Dei dicimus, ex Deo Patre æternaliter genitum. Qui nec Spiritus sancti personam prætermisisse videntur, cum animam mundi esse astruxerunt tertiam a Deo & Noyn personam. Neque id in Abaëlaro ferre potuerunt ejus adversarii, quod Spiritum sanctum assereret animam mundi. Non tamen ibi insicias Abaëlarum Platonicorum verba in sensum catholicum inflectere tentasse. Verum omnino contra Platonem ejusque sequacium mentem, qui Noyn sive mentem summo Deo, animam mundi Deo & Noyn seu menti inferiorem faciebant. Et certe plures deos a Platone admissos fuisse docet sanctus Augustinus in libro de civitate Dei, undè & S. Bernardus jure redarguit Abaëlardum, quod dum multum sudat, quomodo Platonem faciat christianum, se probat ethnicum.*

Non solum Platonem, sed omnes ejus discipulos christianos facere tentavit Abaëlardus. Nam non multo post citata jam libri ejus primi verba, hæc addit: *Pluribus quoque Sanctorum testimonis didicimus Platonicam sectam catholicæ fidei concordare. Et post pauca: Ex quo, inquit, liquidum est, Platonicam sectam fidei sanctæ Trinitatis plurimum semper assentire, & eam diligentius ceteris philosophis a Platone & sequacibus ejus distingui ac describi. Tum referens id quod a Valerio Maximo scribitur, Platonis parvuli dormientis ori examen apum inodisse, prodigium illud non suavitati ejus eloquii cum vatibus attribuit, sed excellentius, inquit, & convenientius id interpretandum esse*

non dubito, si ad divinæ dignitatis gloriam hoc miraculum referatur, ut hoc ei insigne præfagii conferret, qui divinitatis suæ per eum diligentius *arcana* revelaturus esset. Oportebat quippe, ut summæ Sophiæ, quæ Christus est, verbum videlicet & sapientiam Dei summus philosophus ejuque sequaces plurimum attestarentur.

4. Fidei donum non Platonicis tantum, sed omnibus tribuit philosophis. Sic enim in lib. 2. Gentiles fortasse natione, non fide omnes fuerunt philosophi.

5. Eis non modo SS. Trinitatis, sed Incarnationis Verbi quoque mysterium disertis verbis asserit: Quis enim asserat nullis eorum (philosophorum) fidem Incarnationis revelatam esse, sicut & sybillæ, licet in eorum scriptis non videatur expressa?

6. Ex hujusmodi principiis cælestem beatitudinem philosophis minime denegandam infert. Nulla, inquit, ratione cogendi videmur, ut de salute talium diffidamus gentilium, qui ante adventum Redemptoris, nullo legis scripto instrueti, naturaliter juxta apostolum, ea quæ legis sunt facientes, ipsi sibi lex erant. Et non multo post: Hæc idcirco induximus, ne quis post legem etiam datam, usque ad adventum Christi, de salute fidelium gentilium desperet, si sine perceptione sacramentorum sobrie ac juste vixerint, inter quos quidam philosophi, tam vitam quam doctrina claruisse noscuntur. Et iterum: Quid de philosophis ante adventum Christi, tam fide, quam vita clarissimis diffidere cogamur, ne indulgentiam sint affecti?

7. Longe certior fuit Abaëlardus de salute philosophorum, quam de salute catechumenorum sine baptismo decedentium, unde paulo ante finem libri 2. improbat Ambrosium scribentem de salute Valentini imperatoris catechumeni defuncti minime desperandum, cum hoc, inquit, non solum evangelio, verum & sanctis doctoribus adversari penitus videatur.

8. Philosophos suos, non solum Judæis ipsis, quos in proprium Deus elegerat populum, non obscure præfert. Sic enim in lib. 2. Nam & hunc finem eis (philosophis) propositum constat, de perceptione scilicet æternæ vitæ, quam & ipse Dominus nobis assignavit, & quem Israël minus attendebat, spe & ambitione terrenæ felicitatis magis subiectus, quam desiderio æternorum. Unde & eis litteræ veneratoribus nulla retributio in lege de observatione legis juxta litteram promissa, aut expectanda est, nisi prosperitas terrena, ad quam toto inhiant desiderio.

9. Inter philosophos Socratem sanctis martyribus comparare non veretur; nam secundum ipsum, quasi martyrem, & certum de remuneratione occubuisse, tam divini, quam sæculares commemorant codices.

10. Ut sanctum efficeret Socratem, quod iste philosophus de communitate uxorum suis præscriperat, excusare non erubuit, ad sensum figurativos ejus verba detorqueus, contra manifestam Socratis mentem, qui, ipso fatente Abaëlarde, uxores quoque communes fore instituit, ut nullos proprios requirat liberos, cum scilicet ignorarentur veri eorum patres.

11. Ferenda certe non videntur hæc Abaëlarde verba libro 11. Dixit & Moytes omnia a Deo valde bona esse facta, sed plus aliquantulum

laudis divinæ bonitati Plato assignare videtur. 12. Ipsi etiam Vespasiano imperatori ethnico miracula attribuere non hæsit, ut videre est paulo ante finem libri 2.

13. In libro 4. Patri tantum tribuit omnipotentiam, Filio quamdam potentiam, Spiritui sancto nullam potentiam: sic enim habet: Ponus itaque Deum Patrem, ut supra monuimus, divinam potentiam, ac Deum Filium, divinam sapientiam, & consideremus, quod ipsa sapientia sit quædam potentia, cum sit ipsa potentia discernendi, ac providendi, seu deliberandi veraciter omnia, ne quid Deum decipere possit aut latere. Et paulo post: Est autem Filium gigni a Patre divinam sapientiam, ita ut determinatum est, ex divina potentia esse, cum ipsa, ut dictum est, sapientia sit quædam potentia, atque ipsius potentia, quæ est omnipotentia, quasi portio quædam, ipsa sit sapientia, quo modo & quilibet filius portio quædam parentum quodam modo dicitur, &c. Et aliquanto post: Spiritus a spirando dictus est, unde Veritas, Spiritus, inquit, ubi vult spirat, ideoque ipso nomine suo procedere ex Patre & Filio, potius quam gigni perhibetur. Benignitas quippe ipsa, quæ hoc nomine demonstratur, non est aliqua potentia sive sapientia, cum videlicet benignum esse, non sit esse sapientem aut potentem. Adversus hanc de Trinitatis personis doctrinam vehementer insurrexerunt S. Bernardus, Guillelmus abbas S. Theoderici, & abbas anonymus. Et merito quidem. Non desunt tamen, qui partes Abaëlarde tuentes, Bernardum, alioque, qui adversus eum scripserunt, illius mentem minime affectos fuisse jactitent, propterea quod ille disertis verbis asserat Filium & Spiritum, perinde ac Patrem esse omnipotentem. Id quod non uno in loco docet. Verum neque id latuit Bernardum, neque Guillelmum abbatem, aliumque abbatem anonymum, qui Abaëlarde libros non oscitanter sed attente legerant. Sed quod ille uno in loco recte astruit, ab eo alio in loco destrui etiam animadverterunt, non verbis tantum, sed similitudinibus, quæ verba ejus confirmant, nec ullum dubitandi locum relinquunt ex comparatione aeris & ærei sigilli, ceræ & ceræ imaginis, materiæ & materiati, generis & speciei, animalis & hominis, quorum unum longe latius patet altero. Ita enim in libro 14. Est igitur divina sapientia ex divina potentia, quo modo cerea imago ex cera, aut quo modo juxta philosophos, species ipsa ex genere esse dicitur, cum tamen idem sit species, quod genus, ut homo idem quod animal, & imago cerea idem quod cera. Ipsa quippe imago cerea ita est ex cera, & homo ex animali, quod ex eo, quod cerea imago exigit, ut cera sit, & ex eo quod homo est, ut sit animal, sed non e converso. Potentia quippe tam ad discernendum, quam ad alia agenda se habet, sicut cera tam ad ceream imaginem, quam ad id quod non sit cerea imago, & animal, tam ad hominem, quam ad non hominem. Certe ipse Abaëlardus, tam in privatis, quam in publicis cum Bernardo colloquiis, numquam causatus est ipsum sinistra interpretatione verba sua accipere. Immo cum urgeret eum Bernardus in concilio Senonensi, ut aut errorem corrigeret, aut si quid objectis respondendum haberet, ediceret, utrumque tacite recufavit,

favit, & sub finem libri tertii hujus tractatus, facta sibi objectione, cur Patrem & Filium per potentiam & sapientiam potius distinguat, quam per æternitatem, aut aliud attributum, nullam reddit rationem, sed sic respondet: Ad quod respondendum est, non hoc nos suscepisse negotium, cur hoc potius modo, quam alio per sonæ divinæ distinctæ sint, sed eas eo modo, quo distinctæ sunt, convenienter accipi posse, & fidem nostram tueri, &c. Denique in retractatione, seu fidei confessione, nullam interpretationem benignam his verbis tribuit, sed ea audacter a se umquam dicta negat, & pernegat. Quod enim mihi, vel per malitiam impositum est, quod scripserim, quia Pater plena potentia est, Filius quædam potentia, Spiritus sanctus nulla potentia, hæc ego verba non tam hæretica, quam diabolica, sicut justissimum est, abhorreo, detestor, & cum suo auctore pariter damno. Quia si quis in meis reperiat scriptis, non solum me hæreticum, verum etiam hæresiarcham profiteor. Hic impudentiam Abaëlarde, qui ea se dixisse negat, quæ disertissimis asseruit verbis, merito redarguit abbas anonymus, qui ejus quondam fuerat discipulus, & qui consequenter ejus doctrinam apprime nosse poterat. Nam si ejus verba benignam pati possunt interpretationem, cur eam hic non proferebat? Certe qui omnes naturaliter homines habere fidem S. Trinitatis asserit, recte de Trinitate sentire non est dicendus.

14. Abaëlardus redarguit etiam adversarii, quod Verbum carnem factum esse assereret, non ut homines a peccato redimeret, sed tantum ut verbis instrueret, & exemplis ad amorem Dei inflammaret. In hoc autem tractatu etsi non omnino neget Filium Dei hominem a peccatis redemisse, præcipuum tamen incarnationis ejus finem fuisse instructionem asserit. Ita enim libro 4. Ad hoc omnia gessit in carne, ut nos vera erudiret sapientia, quæ ad salutem sufficeret. Et paulo post: Ad hoc solum & maxime Deus incarnatus est, ut suos prædestinatos veræ in ipso habitu carnis visibili illustraret. Et non multo antea dixerat: Lumen divinæ sapientia per hanc incarnationem carnalibus effulsit, atque hoc solum vel hoc specialiter beneficium Deum intendisse in ipso habitu carnis nobis impertire, pro quo angelus consilii sive consiliarius dictus est, &c. Gaufridus Autissiodorensis qui fuerat olim ejus discipulus de eo sic ait: Ego mihi magistrum aliquando fuisse recordor, qui pretium nostræ redemptionis evacuens, nihil aliud nobis in sacrificio passionis commendabat, nisi virtutis exemplum & amoris incrementum, & quod scripturæ perhibent humanum genus pretioso sanguine de potestate diaboli esse redemptum, in eo solo constare dicebat, quod exemplum nobis exhibitum est usque ad mortem pro veritate & justitia certandi, & adhibitum esse velut quoddam amoris incensivum, cum ex impresso amore occasio data est reamandi. Sed B. Bernardus sic imitandum prædicat Dominum patientem, & reamandum amantem, ut principalem hujus sacrificii velut agni caput, redemptionem in eo profiteretur & adoret humanam. Tria namque specialia nobis in sua passione Christus exhibuit, exemplum virtutis, incensivum amoris, redemptionis sacramentum. quod tertium si evacuat secundum ma-

gistrum Petrum, non poterunt prodesse cetera: Et cum dicitur, Caput agni cum pedibus ejus & interstitiis vorabit, magister Petrus caput omittens, pedes & intestina vorabit tantummodo.

15. Tantam Deo necessitatem imponit, ut secundum ipsum aliter agere non possit quam agat. Quidquid itaque facit, inquit libro v. sicut necessario vult, ita & necessario facit, &c. Et paulo post: Necessario itaque Deus mundum esse voluit ac fecit, nec otiosus extitit, qui cum priusquam fecit, facere non potuit, quia priusquam fecit, fieri non oportuit. quam doctrinam merito impugnabat abbas anonymus in libro tertio adversus Abaëlardum. Taceo quod ille sanctorum patrum, immo & scripturæ dicta, quæ citat, sæpe detrunctat. Ex quibus omnibus, ni mea me fallit opinio, fatis apparet, quam merito ipsius de Trinitate liber igni addictus sit in concilio Sueffionensi, ac postmodum ejus doctrina ecclesiæ censuris affecta in Senonensi & ab Innocentio II. nam quæcumque his interpretatio donetur, nemo certe negare potest, quin hæc omnia male sonent, & incautis errandi viam facile præbeant; nec sufficit in his intelligentia doctorum virorum, requiruntur etiam verba catholica, ut ait ipse Abaëlardus. Si quid ipsum excusare potest, illud præsertim esse existimamus, quod scripta sua peritorum, ac proinde ipsius ecclesiæ judicio subjecisse videtur. Nam in libro tertio ita dixerit: Quidquid itaque de hac altissima philosophia differemus, umbram, non veritatem esse profiteamur, & quasi similitudinem quamdam, non rem. Quid verum sit, noverit Deus; quid vero verisimile, ac maxime philosophicis consentaneum rationibus, quibus impetitur, dicturum me arbitror. In quibus, si culpis meis exigentibus, a catholica, quod absit, exorbitavero intelligentia vel locutione, ignoscat illud mihi, qui ex intentione opera judicat, parato semper ad omnem satisfactionem de male dictis, vel corrigendis, vel delendis, cum quis fidelium vel virtute rationis, vel auctoritate scripturæ correxerit. Utinam id sponte præstitisset Abaëlardus. Certe debitam erroribus suis censuram non adscivisset.

Ex Præfatione ejusdem Tomi v.

Petri Abaëlarde Theologiam christianam hætenus desideraverant viri eruditi, ad elucidandas nonnullas difficultates, & componendas quæ de ejusdem doctrina quæstiones agitantur in scholis. Hanc ex m. codice Majoris-monasterii editam habes, lector erudite, in hoc volumine, cum admonitione prævia, in qua plurima quæ nobis animadversione digna visa sunt annotavimus. Neque tamen ignoravimus Petrum Abaëlardum hac nostra ætate patronos habuisse, qui ipsum purgare nitentes, Bernardum Claræ-vallensem abbatem, virum sanctissimum & mansuetissimum præcipitis judicii accusare non formidarunt. Utrum autem jure purgetur Abaëlardus, & Bernardus damnetur, paucis inquirendum est. Atque ut res clarus elucescat, adeo laborare non debent Abaëlarde defensores, ut demonstrent ipsum catholicam ecclesiæ doctrinam de distinctione trium in Deo personarum, & unitate substantiæ in suis scriptis

Chron. Abaëlarde ad an. 1142. p. 296.

tradidisse, sed utrum aliquid huic doctrinae contrarium scribendo non docuerit. Fieri enim potest, nec raro contingit, ut auctores vere catholici & in fide ecclesiae stabiliti, sive constantia, sive acris ingenii praecipitatione, dubias & erroneas propositiones veris immisceant, quae debita quotidie censura afficiuntur. Primum in Abaelardo non negavit, secundum asseruit Bernardus. Et certe huiusmodi sunt inter alias istae propositiones. *In Deo Pater est omnipotentia, Filius aliqua potentia, Spiritus sanctus nulla potentia. Omnis homo habet naturaliter fidem sanctae Trinitatis.* Quae cuius catholico sensum erroneum & haereticum exhibent. At, inquit, hodie viri eruditi has propositiones ad catholicum sensum deflectunt. Ita plane: sed si res ita habeat, vix ulla est apud haereticos scriptores propositio, cui sensus catholicus affingi ab homine subtili non possit. Sicut e converso nullus catholicus scriptor, vel piissimus, in quo viri inquieti aliquas propositiones per se rectas & piissimas in pravum sensum non detorqueant. Haereticæ verbi gratia sunt istae propositiones, *Christus pro omnibus non est mortuus: Deus non vult omnes salvos facere.* Et tamen istas propositiones in sensu catholico possunt aliqui interpretari. Sed esto Abaelardi memoratas propositiones posse ad sensum catholicum deflecti, an ideo purgandus ille & damnandus Bernardus, qui extractas ex ipsius scriptis propositiones ad sedem apostolicam detulit, aut sedes ipsa apostolica, quae eas censura affecit, minorem meretur venerationem? minime gentium: quod quidem his argumentis demonstrat.

Quotiescumque aliquis auctor scribendo propositiones aliquas dubias profert, quae sinistram aliquem sensum fortiri possunt, & ille canonicè citatus coram legitimis iudicibus, eas explicare recusat, is certe a suspecto errore purgari non debet, nec illi damnandi, qui auctorem erroris insimulant. At Petrus Abaelardus postquam Bernardum ad concilium Senonense etiam reluctantem provocavit, & coram legitimis iudicibus, quos ipse doctrinae suae arbitros elegerat, rogatus ab eodem Bernardo, ut extractas ex suis scriptis propositiones aut negaret aut fateretur, aut saltem explicaret, & catholicum eis sensum, si posset, assignaret, neutrum praestare voluit. Quis ergo æquus rerum arbiter eum excusare poterit, aut sine temeritate Bernardum condemnare?

Deinde quotiescumque alicui auctori scribendo aliqua excidunt propositiones, quae in sensu obvio pias aures offendunt, & ille de errore obvio in suis propositionibus insimulatus, negat eas propositiones a se umquam prolatas fuisse, easque damnat, ut haereticas, ubicumque reperiantur; si illæ propositiones revera in ejus occurrant scriptis, nonne eas in sensu erroneo & ab omnibus damnato exaratas ab eo fuisse fatendum est, nec absque temeritate culpari posse eos, qui auctorem damnant? Verum id contigit Abaelardo. Audi quid ipse in sua retractatione dicat: Quod autem mihi vel per malitiam impositum est, quod scripserim, quod Pater plena potentia est, Filius quaedam potentia, Spiritus sanctus nulla potentia: Hæc ego verba non tam haeretica quam diabolica, sicut justissimum est, abhorreo, detestor, & ea cum

suo auctore pariter damno, quæ si quis in meis reperiat scriptis, non solum me haereticum, verum haeresiarcham profiteor. Quibus verbis quasi proprio se gladio jugulat Abaelardus, ac Bernardo scriptorum suorum censori applaudit: cum ea verba in ipsius Theologiae libro IV. reperiri certissimum sit.

Et sane qui Petri Abaelardi genium semel agnoverit, is facili negotio advertet hominem ita a natura comparatum fuisse, ut oppositas sibi invicem propositiones haud ægre docere potuerit. Est penes nos ejusdem Abaelardi liber, in quo genio suo indulgens, omnia christianæ religionis mysteria in utramque partem versat, negans quod asseruerat, & asserens quod negaverat: quod opus aliquando publici juris facere cogitaverat noster Acherius. Verum serio examinatum æternis tenebris potius quam luce dignum de virorum eruditorum consilio existimavit. Hæc qui attente perpenderit, Petrum Abaelardum uno in loco eandem tribus in Trinitate personis potentiam tribuisse, in alio vero Patri omnipotentiam, Filio aliquam potentiam, Spiritui sancto nullam potentiam adscribere potuisse, haud difficile judicabit, nec proinde culpandum esse Bernardum, qui has propositiones in Abaelardo reprehendit.

Certe cum Trinitatis mysterium hæcenus vel eruditissimis theologiis incomprehensibile apparuerit, Petro Abaelardo tanta lux affulserat, ut illud vel ipsa ratione cognosci posse affirmaret: quin & ipsi discipuli ejus tantam in eo subtilitatem prædicabant, quod rimatis sanctæ Trinitatis profundis mysteriis, *Perfekte & ad plenum cognosceret, qualiter tres persona sint in una divina essentia, & in personarum pluralitate unitas divina essentia.* qua de re suggillat illum Galterius, qui post Bartholomæum Laudunensis antistes effectus est, in epistola ad eum scripta Spicil. tom. 2. pag. 473. In qua etiam omnipotentia Dei explicandæ rationem ejus refutat: arguitque eum vehementer, quod divinæ scripturæ introductionem conscripserat, *non tam veritatem docere promitteret, quam opinionis suæ sensum exponere.* Quis enim, inquit, orthodoxus de fide catholica tractaturus, non *veritatem, sed sensum opinionis suæ* promittat exponere? Quis etiam audiens non *veritatem, sed opinionem* promitti, fidem audeat sequentibus adhibere? Sub finem vero epistolæ suæ sic eum alloquitur: Per litteras vestras scire desidero, si in notitia Dei vos imperfectum esse creditis, aut si jam in hac vita ad summum ejus argumentum vos pervenisse confidatis. Hoc enim vestri jactitant discipuli, quibus scripta videntur attestari. Præterea notificare mihi si creditis, quod Deus essentialiter non sit in mundo vel alibi, & quod angeli & animæ nusquam sint: quod si bene meminimus, auctori vos fateri, quando novissime invicem contulimus de quibusdam sententiis. Præterea apud nos ventilatum est, vestram affirmare sapientiam, quod Christus prædicando, laborando, ad extremum moriendo, nihil meruerit; quod nemo propter opera sua bona vel mala, nisi pro sola voluntate remunerari debeat vel puniri. Ceterum etsi Abaelardi scribendi licentiam haud probemus, Gerardi de Alvernia tamen de eo censuram multo minus ferendam esse censemus. Sic enim ille in ms. chronico Cluniacensi, quod

exstat in bibliotheca regia, sub Petro Mauricio scribit: Eo tempore fuit Petrus Abaelardi celeberrimus in opinione scientiæ, sed de fide dogmatizans perfide. Fuit enim nigromanticus & dæmoni familiaris. Longe æquius de eo fert judicium chronicon Cluniacense editum, cujus hæc verba: Abaelardus Petrus nomine ab erroribus fidei per Petrum Venerabilem abbatem nostrum & S. Bernardum abbatem Claræ-valensem revocatus, quæ antea de fide dogmatizaverat perfide [retractans] monachus Cluniacensis factus est, & deinde mens ejus, lingua ejus, opus ejus, semper divina fuere, semper philosophica, semper eruditiora meditabatur, docebat, fateretur, & sicut de Magno Gregorio legitur, momentum aliquod præterire solebat minime, quin semper aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dicitaret. Lectio ei continua erat, oratio frequens, silentium jure, nisi cum aut fratrum familiaris collatio, aut ad ipsos in conventu de divinis publicis sermo eum urgebat. Quare ipsum Petrum Venerabilis sollicitè commendans, tale conscripsit de eo epitaphium, Gallorum Socrates, &c.

XLII.

Acta primi capituli Ordinis Carthusiensis.

Ad lib. 77.
n. 72.
Ex ms. cod.
Montis-Dei.

Omibus sanctæ & catholice ecclesie fidelibus presentibus & futuris notum sit, quod Carthusiensis propositi priores, Portarum videlicet Bernardus, & Soffordus Excubiarius prior, Durbonis quoque prior Stephanus, atque Alveria prior Johannes, diu pro tenore stabili & firmitate præfati propositi a prioribus & fratribus Carthusiæ petierunt, quatenus in eadem domo Carthusiæ commune capitulum eis liceret habere, obtentu correctionis & emendationis totius propositi. Hac igitur precum instantia, & quasi importunitate assidua, prior Carthusiæ Anthelmus cum fratribus suis consilio domni Hugonis II. venerabilis Gratianopolitanae ecclesie episcopi tandem consenserunt, hac tamen conditione, ut singuli priorum acceptis ab archiepiscopis, & episcopis suis, & a communi capitulo fratrum suorum litteris, in quibus generali capitulo omnium quæ corrigenda & emendanda essent in ipso proposito potestas daretur per omnes domos, annotando diem quo convenirent. Accepto igitur cum gratiarum actione tam desiderabili consensu, & litteris impetratis, die qui prænotatus fuerat, convenerunt: & quoniam ab archiepiscopis & episcopis & ab ipsis capitulis confirmatae sunt litteræ, placuit unas episcoporum & unas capitulorum inscribere litteras in hunc modum.

Falco Lugdunensis ecclesie minister dilecto fratri Anthelmo Carthusiæ priori, cunctisque prioribus sub Carthusiensi ordine Deo militantibus, & qui cum eo sunt fratribus paupertatis præmium a domino obtinere. Domum Portarum & domum Majorevi vestrae religionis æmulas pro voto & petitione sua ad tenorem & confirmationem ordinis vestri, sicut communi consilio capituli decretum fuerit, episcopali auctoritate concedimus & tradimus in perpetuum corrigendas.

Patribus & dominis reverendissimis & Dei gratia Carthusiæ priori & qui sub ejus regimine Christo militant fratribus, Portarum fratres universi pacem & salutem æternam a Domino. Quod tandem assensum præbuitis, ut ad domum vestram, quæ nostri propositi mater est, nostræ & ceterarum domorum priores opportuno, sicut statutum fuerit, tempore conveniant, ut de his quæ unitatem ac stabilitatem sive firmitatem ordinis nostri valeant diligentissime tractare, non solum concedimus & laudamus, sed etiam cum gratiarum actione suscepimus. In omnibus igitur quæ ad tenorem ordinis nostri & confirmationem pertinent, sicut universalis capituli communi consilio decretum fuerit, concedimus & tradimus vobis & successoribus vestris domum nostram in perpetuum conservandam atque corrigendam.

Hujus itaque universalis capituli decreta per singulas capitulorum distinctiones placuit annotari.

Primum itaque capitulorum hanc habet continentiam, ut divinum ecclesie officium prorsus per omnes domos uno ritu celebretur, & omnes consuetudines Carthusiensis domus, quæ ad ipsam religionem pertinent, unimode habeantur.

Secundum autem capitulum de prioribus decretum est, ut si quis priorum quod absit, contra religionem & propositum egerit, semel, bis & ter a fratribus privatim & in capitulo suo admonitus, si incorrectus permanerit, prior Carthusiæ ex communi consilio generalis capituli, aut eum, si fieri potest, corrigere, aut pro incorrigibili alium substituere habeat potestatem. Hoc idem de priore Carthusiæ & emendatione ipsius domus statutum est. Ipse vero supradictus incorrigibilis depositus, postea vel in eadem domo, si tamen cum pace domus ipsius fieri possit, permaneat, vel ad aliam ipsius propositi domum, in qua iustus fuerit, transire non defferat. Prior autem qui substituendus in illa domo fuerit, secundum præscriptas institutiones de fratribus ejusdem domus, si tamen rationabiliter fieri possit, assumetur. Sin autem, juxta considerationem communis capituli de aliqua aliarum domorum, excepta Carthusiensi domo, prior desolatis fratribus detur. Id quoque de electione prioris post obitum sui antecessoris fieri decretum est.

Tertium quoque capitulum continet, ut si prior vel fratres cujuslibet domus hujus propositi, propria voluntate sua domum ipsam ad alterius propositi religionem, quod absit, transferre voluerint, eis sicut jure perpetuo huic proposito confederatis nullatenus liceat.

Quartum proinde capitulum est statutum, ut nulla domus nova hujus propositi, sine assensu communis capituli extruatur, & institutiones dari a nullo priorum præsumatur.

In quinto autem capitulo continetur, quod si domus Carthusiæ, quæ aliarum mater est & nutrix, hæc necessitas ingruerit, ut de alia aliqua, quam de sua domo sibi priorem adsciscat, quamlibet personam, exceptis domorum prioribus, de domo qualibet hujus propositi sibi assumat.

Sextum deinde capitulum hujusce continentiam habet, ut si alicui domorum jam sæpe dicti

propositi causa intercesserit de qua ad præsens tractare necessarium sit, prior Carthusiæ statim ad præfatam causam tractandam, tot ad se convocet priores, si per se facere non poterit, quot ad eam definiendam sibi sufficientes esse videantur. Horum autem definitio haud secus quam universalis capituli rata habeatur.

Septimum demum capitulum de his habetur, ut neque priori Carthusiæ, neque ceteris quibuslibet prioribus his omnibus, quæ vel ad divinum officium, vel ad ceteras quaslibet hujus religionis institutiones pertinent, sine communi consilio generalis capituli demere aliquid, vel addere licitum sit. Commune autem, sive universale capitulum vocamus eos, qui convocati conveniunt. Ut igitur hæc omnia instituta, quæ ad sanctæ hujus religionis firmitatem, atque indeficientem stabilitatem pertinent, a sanctis viris utiliter inventa, & saluberrime considerata, perpetuam habeant perseverantiam, cuncti priores humilitatis vestigia sectantes, sese huic sanctæ disciplinæ, & perseveranti correctioni cum omni devotione subdiderunt, & hujus sanctæ obedientiæ jugum suave, & onus leve infatigabiliter atque indeficienter se ferre professi sunt his verbis: *Ego frater Stephanus prior Majorevi promitto obedientiam communi capitulo.*

Aderat autem præsens, quod prætermittendum non arbitramur, venerabilis jam prædictus episcopus, ejusdem Carthusiensis domus pater & monachus, cujus manum, in qua omnes has præscriptiones tenebat, flexis genibus osculantes hanc professionem fecerunt.

ITEM CAPITULA ALTERIUS CONVENTUS.

1. Capitulum primum continet, quod passionem Domini, sicut cetera evangelia cantentur.

2. Secundum capitulum habet quod, quando Nativitas Domini quarta feria evenerit, sequenti dominica responsum sicut in die Nativitatis Domini cantetur. In missa, *Puer natus est nobis. Oratio, Concede, quæsumus omnipotens Deus, ut nos Unigeniti. Epistola, Apparuit benignitas. Evangelium, In principio, &c.* sicut in dominicali Nativitatis.

3. Tertium capitulum est, quod in ea dominica, in qua est evangelium, *Erat Joseph*, cantatur antiphona, *Erat Joseph* in sabbato ad vesperras, eademque repetitur, ad *Benedictus*. Idemque contigit in dominica post ascensionem, ut videlicet antiphona de evangelio, & ad vesperras in sabbato, & ad *Benedictus*, cantetur.

4. Quartum capitulum est, quod VI. dominica post epiphaniam, quæ præcedit septuagesimam, cantetur evangelium, *Confiteor tibi, Domine pater cali & terra*, & antiphonæ ex eodem evangelio, *Tollite jugum meum super vos ad Benedictus, Jugum enim meum ad Magnificat.*

5. Quintum capitulum est, quod repetitio responsum; *Ego dixi, Domine, sic, Sana animam meam, quia peccavi tibi*, eademque repetatur post *Gloria*.

6. Sextum capitulum est, ut illa quæ emendata sunt in psalterio, emendentur in responsum, verbi gratia, *Si mei non fuerint dominati, Ipse liberavit me, & Exaltabo mane misericordiam, & in generatione & generationem.*

7. Septimum capitulum est, ut post *Venite, cantetur, Æternæ rerum Conditor.* Ad laudes,

Splendor paterna gloria. Ad vesperras, Deus Creator, &c. Ad Completorium, Christe, qui lux es.

8. Octavum capitulum est, ut ab octavis pentecostes, usque ad adventum Domini omnibus ferialibus diebus, exceptis festis, dominicales orationes dicantur ad vesperras, & ad laudes.

9. Nonum capitulum est, ut in responsum unius martyris in tertio nocturno dicatur versiculus, *Latabitur iustus in Domino.*

10. Decimum capitulum est, ut in festo sancti Andreae, si in adventu contingat, semel tantum comedatur, sed nihilominus ad collationem veniatur.

11. Statutum est etiam, ut pro charis in conventu aliquid facere, in ordinatione prioris & sui capituli arbitrio consistat.

ALIA STATUTA.

1. Statutum in Carthusiensi capitulo, ut in claustrum post nonam secundum arbitrium prioris pro sermone solito lectio habeatur.

2. Deinde decretum est, ut quomodo de equitatione fratrum ceterarum domorum statutum fuerat, sic & in Carthusiensi servetur, ita dumtaxat ut cum ad capitulum venerint, vel per capitulum aliqui pro aliquo negotio missi fuerint, liceat eisdem domibus, unde fratres mittentur, prout necessitas postulaverit, solito more fratrem equitando foras mittere.

3. Item communi assensu decrevimus, quatenus pro domno P. Cluniacensi abbate, quando eum obire contigerit, in cunctis nostri ordinis domibus, excepto anniversario, & quod in martyrologio non scribatur, idem ac par officium fiat, quod pro priore vel professo fieri consuevit. Præ ceteris vero totius ordinis Cluniacensis defunctis, præter privatas orationes, semel in anno generale officium, tam de missa, quam de agenda in conventu, celebrabitur. A singulis quoque sacerdotibus unum psalterium, a laicis CCC. dominicæ orationes persolvuntur. Hoc vero obsequium singulis annis ab ipso capitulo usque ad nativitatem Domini expleri injunximus. Pro domno vero Ainrico Wintoniensi episcopo, nec non pro præfati abbatis successoribus, post obitum ipsorum, generale officium in conventu similiter celebrabitur.

4. Rursum sancitum est, ut si domus, aut quælibet persona nostri ordinis a Romana curia per se, vel per alium litteras contra instituta communis capituli postulaverit, a societate universi ordinis separetur, nisi per idem commune capitulum reconcilietur.

5. Præterea stabilitum est, ut, quia certus est numerus habitatorum locorum nostrorum, certusetiam in animalibus & mercenariis haberetur & modus. Propter modestam igitur unitatem ubique servandam, statutum est, ut nulla ordinis nostri domus ultra xxv. mercenarios nec ultra MCC. tam oves, quam capras, exceptis hircis, nec ultra XII. canes, nec ultra XXXI. boves, ac XX. vitulos, nec ultra sex sagmarios ulterius habeat.

6. De submovendis quoque, ac substituendis prioribus, hoc etiam judicavimus esse servandum, ut nulli ordinis nostri congregationi viventem priorem liceat ab officio suo amovere, nisi ex consensu communis capituli, neque ipsi communi capitulo liceat ejusdem aggregationis fratribus,

fratribus, inconsultis ac nolentibus, absque culpa condigna, priorem dare vel auferre. Si vero a fratribus cujuslibet domus erga priorem suum pro suis excessibus, quæstio suborta fuerit, idemque prior ab eisdem sæpius admonitus, se ipsum emendare noluerit, causa ipsa ad consilium communis capituli deferatur, ejusque iudicio terminetur.

7. Dicitur etiam, ut nulla omnino domus pro suo, aut alieno negotio, ad personam domini papæ scribere præsumat, sine consilio communis capituli.

8. Item statutum est, ut si quilibet prior, vel per se, vel per subiectum suum instituta capituli violare præsumserit, postquam transgressio manifesta fuerit, in conspectu totius capituli culpam professus, extra capitulum egrediatur, nudatus pedes, vestibus pro consuetudine detrahitis, manu virgas portans, ante conventum profuscienda disciplina humiliter revertatur. Ipse quoque in domo sua, suis subiectis, pro simili culpa similem imponat disciplinam.

9. Decretum est etiam, ut si quis præscriptum animalium numerum exceperit, ex decreto capituli, quod super fuerit, pauperibus erogetur.

10. Præterea institutum est, ut monachorum vestimenta a semipede terram non tangerent, laicorum quoque fratrum vestes ultra ora calciamentorum non descendant.

11. Etiam hoc statuimus, ut de Cisterciensium, sive Præmonstrati congregationibus, propter ipsorum reverentiam & pacem, nulla ulterius persona in nostrum ordinem suscipiatur. Quod institutum si quis nostrorum transgressus fuerit, etiam professum expellere cogatur, & a toto ordine separetur.

Antiqua statuta Ordinis Carthusiensis de sacris ritibus.

Ex ms. Colbert. 3808.

1. IN omni missa de vivis quæ voluit celebranda, per singulos dicitur, *Omnipotens semper Deus qui vivorum.*

2. Declaramus quod missa benefactorum numquam debet reddi in festis XII. lectionum, etiam tricenarium corrente, si tamen alia vacaverit in qua possit reddi.

3. Quacumque die contingat octavæ Apparitionis, si aliter dici non possit responsum *Ne in ira*, ipsæ octavæ sicut in sabbato.

4. Declaramus quod missa dominicalis non impediatur propter missam anniversarii; sed tunc dicatur missa anniversarii privatim, & missa dominicalis in conventu, nisi alia dies vacet in ipsa hebdomada, in qua dici possit missa dominicalis.

Cum dominus noster summus pontifex ordinaverit, & districte præceperit in virtute sanctæ obedientiæ solemniter celebrari ab omnibus festum Corporis Christi, nos ob Dei & sancti præcepti reverentiam ordinamus, & eodem modo quo in decretali præcipitur, præcipimus, ut festum fiat in nostro ordine, & tam in officiis, quam in missis aliis cum candelis solemniter celebretur, scilicet feria v. post octavam pentecostes. Et fiant octavæ de prædicto festo, eorum & ea solemnitate, quibus octavæ Assumptionis B. Mariæ celebrantur.

6. Præcipimus & monemus omnes priores & conventus nostri ordinis, ut quolibet anno non

omittant facere tricenarium olim concessum domino Amblardo episcopo Mauriennensi.

7. Declaramus quod quando vigilia natalis Domini accidit in die dominico, responsum mutua, scilicet *Ecce dies veniunt, & Ave Maria* debent dici.

8. Declaratur quod in die exaltationis S. Crucis possit fieri dormitio secundum antiqua statuta.

9. Ordinamus quod de cetero pax sumatur in ecclesia in tabula, in qua sit depicta imago Christi crucifixi.

10. Omni tempore in elevatione corporis Christi in missis conventualibus cereus accendatur, excepto tempore interdicti & cessationis a divinis.

11. Declaramus quod secundum privilegia nostra & statuta, & secundum decretalem positam in titulo de privilegiis in secundo libro in fine dictæ decretalis, possumus ministrare ecclesiastica sacramenta servitoribus nostris domesticis.

12. Declaramus quod priores & vicarii monialium, si contingeret eos mori in domibus quibus præsent, non amittant associationes domorum propriarum, nisi in domibus in quibus sunt priores vel vicarii fecerint professionem.

13. Quando festum annunciationis celebratur infra octavas paschæ, in primis vespers dicantur illi psalmi, qui dicuntur infra dictas octavas, scilicet *Dixit Dominus.*

14. Declaramus quod secunda missa nativitatis Domini celebretur; & si non apparuerit aurora, redeant monachi ad cellas antequam missa celebretur.

15. Inhibemus quod cum cucullis de tela factis amplius non serviatur in conventu, nec etiam in privato.

16. Priores vel monachi nostri ordinis, vel conversi de cetero non eant ad sepulturas, nisi forte principum & magnorum prælatorum, vel patris & matris eorum de ordine, si sepelirentur infra terminos domorum suarum.

17. Statutum factum de præsentia episcoporum, quod priores dimittant sedes suas in ecclesia ipsis episcopis præsentibus, intelligitur quando sunt præsentibus in ecclesia.

18. Ordinamus ut jejunia quarti temporis in Septembri in qualibet domo nostri ordinis secundum consuetudinem suæ diocesis celebrentur.

19. Ordinamus quod si contingat evenire festum trium lectionum habens officium missæ proprium, feria IV. capituli generalis dicatur missa festi, missa vero *Salus populi* privatim ab aliquo persolvatur.

20. Secundum consuetudinem domus Carthusiæ antiphonæ resumantur, scilicet in voce in qua psalmodia est finita.

21. Criminosi reconciliati ordini spirituale beneficium habeant, juxta gradum ad quem fuerunt restituti.

22. Ordinamus quod quando plura tricenaria eruat inchoanda, incepto primo tricenario a priore vel ab antiquiori, cetera incipiantur ab eis, quibus missa tricenarii jam incepti contigerit celebranda.

23. Præcipitur ut districtius & efficacius potest fieri, omnibus personis ordinis ut nullo modo, quovis colore, per se vel alium, directe

vel indirecte factis, verbis, vel litteris aliquam personam, cujuscumque conditionis existat, inducat ad petendum ab ordine aliquod beneficium spirituale præter recommendationem generalem, quæ precibus ordinis fieri consuevit, nec leviter concedant anniversarium in domibus suis, nec ullo modo pro temporalibus ad spiritualia se obligent, nisi prout licite fieri poterit, juxta consilium peritorum.

24. Ordinamus quod de cetero, propter præceptum ecclesiæ, quod per omnes domos ordinis in festis XII. apostolorum semel in anno, evangelistarum & quatuor doctorum olim non fecimus festum capituli, fiat festum capituli quantum ad monachos, & conversi in prædictis festis in operibus occupati, non cessent ab eis, nec propter capitulum ad domum superiorem ascendant. Nomina apostolorum sunt Petrus, Paulus, Andreas, Jacobus, & Johannes Zebedæi, Philippus, Thomas, Bartholomæus, Matthæus, Jacobus Alphæi, Simon, Judas & Mathias.

25. Ut uniformitas, sicut in statutis continetur, in divino servitio fervetur in ordine, procurent omnes priores & vicarii habere legendam quæ legitur in Carthusia in octabis & per octabas eucharistiæ, cujus legendæ copia in Carthusia poterit reperiri.

26. Priori & conventui Liminati, & aliis quibus placuerit conceditur, ut festum Conceptionis B. Virginis Mariæ possint solemniter celebrare, & fiat officium sicut in nativitate, in nomen Conceptionis nomine Nativitatis commutato.

27. Conceditur domui Carthusiæ, ut possit facere festum capituli de domno Ugone Lincolnensi episcopo, qui fuit monachus Carthusiæ.

28. Tempore paschali dicatur evangelium *Ego sum vitis vera* in festo B. Ambrosii & B. Ugonis, si in dicto tempore dicta festa contigerit celebrari.

29. Monemus ut in omnibus domibus conversorum a domibus superioribus separatis, quibus est capella, cessante justo impedimento, celebretur missa a priore vel procuratore, bis vel ter ad minus. Si vero prior in præmissis defecerit explendis, clamet culpam suam in capitulo proximo.

30. Tricenarium, quod concessum est domino Amblardo annis singulis persolvendum, circa festum S. Marci evangelistæ debite persolvatur, sicut fit Carthusiæ, videlicet ut pro ipso & suis parentibus dicatur prima oratio *Inclina... famularum & famularum*, deinde consuetæ.

31. Licet statutum sit quod super annum dicantur sub certo numero centum breves, & non debeat omitti, nec de cetero omittatur antiqua consuetudo in statutis contenta de mittendo & nuntiando per domos ordinis breves obventium personarum, ut pro eis dicatur oratio specialis, & consequenter pro aliis dicatur generalis, videlicet pro uno singularis, & pro pluribus singularis, sicut habetur in statutis.

32. Ordinationem olim factam admonendo quatenus omni die dicatur missa B. Mariæ post missam conventualem, alio impedimento cessante, sicut fit Carthusiæ, approbamus, & ut præmissum est, fiat. Item ordinamus & volumus quod dicatur.

33. Declaramus quod in domibus monialium & monachorum, quibus non sunt tot sacerdotes quot missas debitas, etiam si ultra illam qua debentur hebdomadam differantur, reddere non sufficiunt; pro qualibet missa debita, quæ solvi non potuerit, psalmi quinquaginta dicantur, juxta ordinationem & dispositionem prioris vel vicarii.

34. Consuetudinem domorum ordinis, in quibus singulis diebus missa de B. Maria Virgine dicitur, tamquam sanctam & laudabilem approbamus & confirmamus, & ammonentes in Domino nonnullos priores & monachos ordinis præfate consuetudini contrarios, quod ad honorem Dei & B. Virginis dictam consuetudinem devotionis specialis intuitu imitemur.

35. Quia per Dei gratiam numerus personarum augmentatur & domorum, consequenter breviter ordinamus, quod a capitulo generali usque ad instantem nativitatem Domini omni anno breves L. & a nativitate usque ad capitulum sequens totidem dici possint, brevibus aliis qui super annum mittuntur in hoc numero computatis: ita tamen quod duo breves in hebdomada persolvantur.

36. Novam constitutionem de monachis semel in mense communicandis per sedem apostolicam specialiter editam, causa devotionis extendi volumus ad nostros, cum præ ceteris religiosis devotioni debeamus intendere: flauentes ut quilibet monachus non sacerdos, clericus, redditus apud nos in prima dominica mensis cujuslibet, ad minus juxta tenorem prædictæ constitutionis cum debita præparatione eucharistiæ recipiat sacramentum.

37. Monemus autem sacerdotes raro celebrantes, quod de cetero se præparent & disponant.

38. Propter officium benefactorum S. Stephani, Cluniacensis & capituli generalis, ne nimis differatur, concedit quod possit transferri anniversarium: alia non anniversaria quæ transferuntur, solvantur & reddantur quando & sicut in nostris Constitutionibus continetur.

39. Quæstioni factæ de festo B. Antonii & ejus officio respondetur, & sicut fit in Carthusia, sermo in matutinis *Omne quod agimus, &c.* evangelium tam ad matutinas quam ad missam, *Si quis venit ad me, &c.* homilia B. Gregorii papæ, *Si consideremus*. Introitus missæ *Os justi*, & epistola *Iustum deduxit*.

40. Cum secundum statutum ordinis monachi non sacerdotes & moniales loco missæ tricenarii L. psalmos dicere teneantur: similiter declaramus, quod in domibus monialium, & monachorum, ubi non sunt tot sacerdotes quot missas debitas, etiam si ultra illam qua debentur hebdomadam differantur, reddere non sufficiunt, pro qualibet missa, quæ solvi non potuit, psalmi L. dicantur juxta ordinationem & dispositionem vicarii & rationis. non tamen propter hoc moniales omittant reddere pro brevi unum psalterium, sicut in novis statutis continetur.

41. Dominica infra octabas eucharistiæ dicitur titulus primæ lectionis *Ex dictis sanctorum*.

42. Ordinamus quod festum B. Hugonis episcopi Lincolnensis, quondam monachi Carthusiæ & prioris de *Vitam* cum candelis & capitulo

per totum ordinem celebretur. Conversi ab operibus non cessent, nec habeant capitulum. In primis vesperis super psalmos debet dici antiphona prima de laudibus *Ecce sacerdos magnus*, & secundum responsum, & missa sine symbolo.

43. Declaratur quod missa festi trium lectionum eveniens in die Cinerum & deinceps, propter missam jejunii non impeditur, sed ab hebdomadario est dicenda.

44. Item declaratur quod quando plures breves eveniunt in hebdomada, & missas reddi secundum antiqua statuta cum suis propriis orationibus, non obstante quod de duobus brevibus dicendis in hebdomada est statutum. Si tamen plures quam duo breves in hebdomada contigerint venire, quot plus evenient, tot minus dicentur in hebdomada subsequenti.

45. In festo de Conceptione B. Mariæ dicatur loco *Conceptionis, sanctificationis*.

46. Declaramus quod quando occurrit anniversarium præfate defuncto, duæ agendæ eodem die debent dici, una videlicet anniversarii post vesperas in ecclesia, & alia more solito prope funus.

Statuta capituli generalis Ordinis Carthusiensis edita anno MCLXXI.

Ex ms. Colberti. 3807.

I. Anno Domini MCLXXI. statutum est quod prior & procurator possunt dicere *Placebo & Dirige* post nonam, quando sunt extra conventum, & infirmi similiter.

2. Item, quod domus Vallis-viridis possit scribere domino papæ pro sibi necessariis.

3. Item, conventus non comedant extra domos.

4. Receptis & recipiendi de ordine Minorum & Prædicatorum non possunt habere obedientias cum cura, sine dispensatione summi pontificis. Ipsi etiam qui professi fuerint in prædictis ordinibus vel in Cisterciensi, non possunt aliquas obedientias etiam sine cura habere in ordine nostro sine dispensatione capituli generalis.

5. Priores non dent vicariis generalem potestatem, nisi in casu evidentis necessitatis vel utilitatis.

6. Beneficia anniversariorum privatorum non fiant diebus secundum antiquam consuetudinem abstinentiæ deputatis. possunt tamen fieri in quibuslibet festis capituli, cujuslibet domus consuetudine non obstante. Illud etiam quod dabitur feria III. vel sabbato possit pro beneficio anniversarii computari, quidquid sit illud.

7. Statutum de faciendâ coquina per monachos semel in mense revocatur.

8. Nullus appellet nisi ad capitulum generale vel ad priorem Carthusiæ, aliter appellans ordinem amittat. Si autem iudicio capituli pronuntiatum fuerit ipsam appellationem injustam fuisse, is qui sic appellavit juxta modum culpæ graviter puniatur.

9. Nullus appellet, & correctionem nisi gravem & manifestam contineret iniquitatem. Appellationem autem quacumque ex causa emissam non prosequatur in propria persona, sed per nuncium & litteras, & priores teneantur in hoc casu ministrare subditis suis nuncium & expensas.

10. Conversi & redditus teneantur ostendere

& exponere voluntati prioris, vel etiam procuratoris quicquid habent in cellis vel alibi, quotienscumque ab ipsis super hoc fuerint requisiti, ne sententiam excommunicationis contra proprietarios latam incurrant.

11. Quando aliquis monachus de ordine Cisterciensi vel Nigrorum apud nos facit professionem, non benedicitur, si in suo ordine fuerit benedictus. Cetera tamen facit, videlicet versum *Suscipe me, Domine*, orari pro se postulat, professionem legit, & communicat.

12. Si aliquis infirmetur infra terminos nostros tam graviter, quod non posset intrare terminos pedes vel eques, non potest recipi vel indui ordinate.

13. Novitii non faciant professionem nisi proprio priore præfente, vel alio de ordine nostro per voluntatem ejus, si præfens non possit esse.

14. Cuilibet statuum nostri ordinis, scilicet monachorum, conversorum & redditorum, loco trium inutilium possunt addi tres utiles.

15. Nullus præsumat proponere aliquid ad statuendum, per quod antiquus rigor ordinis minuatur. quicumque vero hoc fecerit, & monitus a priore Carthusiæ vel a definitioribus cessare noluerit, ipso facto ordine sit privatus.

16. Visitationes domorum Catalonia, Angliæ & Sclavoniae & S. Bartholomæi & ceterarum domorum multum remotarum a Carthusia non fiant nisi anno bissextili, nisi capitulo vel priori Carthusiæ videretur quandoque aliter faciendum.

17. Quicumque de incontinentia indicibili convicti fuerint vel confessi, perpetuo carceri mancipentur sine spe deliberationis.

18. Singulæ domus nostri ordinis carcerem sufficientem habeant, in quo ad agendam poenitentiam, recludantur criminosi, & omnis qui minatur mortem vel ignem, donec de ipsis per capitulum aliter ordinetur. Ad incarcerandos vero prædictos criminosos teneantur subditi suis prioribus vel vicariis, aut visitatoribus obedire.

19. Prior Carthusiæ possit reconciliare ordini quoscumque criminosos, servata ordinis disciplina, propter cavendum scandalum & periculum animarum, & etiam prior proprius ipsorum criminosorum in articulo mortis.

20. Fugitivi reperti absque litteris prioris Carthusiæ vel priorum suorum, per quoscumque priores ordinis licite possunt capi.

21. Diffinitores fugitivorum non se debent intromittere de reconciliatione vel disciplina fugitivorum, qui causa reconciliationis veniunt ad capitulum, sed diffinitores capituli generalis.

22. Capitulum generale potest ex plenitudine potestatis quacumque ordinis personam collocare ex causa rationabili in quacumque domo ordinis ad professionem etiam faciendam.

23. Si quis semel professus fuerit in aliqua domo ordinis, & iterum profiteatur in alia, sufficiat ei ad professionem, ut promittat priori obedientiam in conventu.

24. In octava nativitatis Domini dicitur præfatio de nativitate, & *Communicantes*, & *Hanc igitur*.

25. Quando Apparitio Domini in dominica contingit, fit commemoratio de dominica, & sunt antiphonæ *Cum factus esset, &c.*

26. Post lectiones de prophetis, cum terminantur cum *Explicit*, dicitur: *Tu autem, Domine.*

27. In festo inventionis S. Stephani dicuntur antiphonæ & responsoria, sicut in octava natalis eiusdem.

28. Feria iv. & v. jejuniorum xl. post alias orationes dicitur oratio, *Omnipotens, qui vivorum.*

29. In missis defunctorum, in quibus ex ordine debet dici tractus *De profundis*, dicatur introitus, *Requiem aeternam.*

30. Qualibet hebdomada totius anni dicuntur duo breves, & non plures usque ad capitulum generale, nisi in una hebdomada plures personæ in aliqua domo decederent, vel alia subesset aliqua iusta causa. Nam post capitulum generale dicuntur plures, si non fuissent antedicti.

31. Priores non teneantur sequi consilium conversorum in receptione aliorum, nisi viderint expedire.

32. Conversi & redditii communicare debent in die professionis suæ.

33. Hospitantes in domo de Plantatis nihil ibidem, præter ea quæ per allos de S. Roberto promissa sunt, requirant.

34. In stando in ecclesia superiori conversi & redditii debent monachos imitari.

35. Laicorum numerus, quos conversos vocamus, tresdecim est statutus, & redditorum duo possunt esse clerici, & intrare chorum monachorum, etiam sine cappa, & officium monachorum præter missas facere, capitulo interesse, & in refectorio monachorum comedere, cum a prioribus eorum, ut in prædictis, gratia eis fiat.

36. Redditi laici comedant in refectorio cum conversis, tempore quo comedent ipsi redditii in domo superiori.

37. Nulla monialis possit eligi de cetero in priorissimam, nisi triginta annos ætatis habeat. In qualibet domo monialium priorissa promittat obedientiam vicario, & moniales tantummodo priorissæ. Monachi vero qui sunt in aliqua domo monialium, capellani atque conversi & redditii promittant obedientiam vicario tantum.

38. Capellani & clerici & redditii cum monachis vel monialibus conversantes, teneant ordinem in jejuniis sicut moniales & monachi supra dicti.

39. Declaramus quod ordinem tenere est feria ii. & iv. esse contentum pane & vino & coquina, feria iii. & sabbato pane, vino & coquina sine pittantia, feria vi. pane & aqua, festis capituli & feria v. sicut & alii ex debito.

40. Quam cito *Santus* incipitur, capitulum induitur.

41. In pluribus triceniis simul inchoandis, quilibet suam habet missam & propriam orationem, & postea addentur simul in oratione plurali.

42. Tapetia univèrsa & quarrelli picturati vel curiosi de cellis amoveantur.

43. Picturæ curiose de ecclesiis & hospitibus deleantur.

44. Statutum est ne aliquis de ordine nostro possit præfici in priorem de cetero, quoad usque a tempore professionis per duos annos laudabiliter in ordine nostro fuerit conversatus.

45. Novitii qui veniunt ad ordinem nostrum sibi provideant de vestibus, si habeant unde.

46. Sacerdos qui non potest celebrare missam, in conventu inutilis reputatur.

47. Clericum redditum priores recipiant, consultis monachis.

48. Statutum quod termini deinceps per duos priores limitati more solito & scripti ad sequens capitulum apportentur, & ibi rationabiliter examinati per omnes diffinitores confirmantur, & sigillentur, & ex tunc habeant roboris firmitatem, approbatur & confirmatur.

49. Si contigerit mori equitaturam visitando, emendationes quindecim librarum non excedant; si minus valet, emendatio minuetur.

50. Nulla domus habeat colloquium præter festum xii. lectionum.

51. Hortamur & volumus quod priores quorum conventus propter paupertatem dividuntur, nullos novitios interim recipiant absque licentia prioris Cartusie vel capituli generalis.

52. Monitio sit effectiva & districta, ut nullus prior vel alia persona ordinis libros vel quæcumque alia obstinate sibi appropriet per usum fructum sibi concessum.

53. Qui reconciliatus fuerit ordini, licet alibi obierit, & sepultus fuerit, non caret beneficio ordinis.

54. Procuratores ordinis in domo superiori sine licentia speciali nihil debent dare, vel possunt, nisi manifeste eis conceditur in statutis.

55. Illi qui volunt ostium chori aperire, in elevatione habeant fracticum ostium, quod aperiant tantum in elevatione, & postea claudatur.

56. Cum communitas præferenda sit proprietati, nemo de cetero suadeat, consulat, vel procuret elemosynas assignari ad pittantiam, infirmariam vel sacramentum, vel aliquid tale.

57. Monemus ne portetur potus a monachis foris, nec super hoc credatur prioribus vel hospitibus adventitiis, & patres domorum, quantum possunt, distulcant.

58. Ordinamus præcise, & irrevocabiliter volumus observari, quod conversi & redditii, qui de cetero ad dominos sæculares recurrent, conquerendo & denunciando per se vel per alium de ordinationibus seu correctionibus, domum suam perpetuo amittant, monachi vero voce careant in æternum.

59. Si quis voluerit exire ordinem, vel alium exire sollicitaverit, per visitatores perpetuo voce privetur.

60. Præcipimus ut, cum duo in cella fuerint, primo ostio penitus aperto, secundum ostium nullatenus obseretur.

61. Ordinamus & volumus quod redditii clerici in illis casibus, in quibus conversi amittunt barbam & cellam, ex nunc puniantur sic, quod nunquam portent cappam nisi grisam, & caputia habeant ad modum novitorum, dimidiam tortam panis monachorum cum pane familiarum tantummodo. Et idem dicimus de redditis laicis suo modo.

62. Ordinamus & volumus modis omnibus, quod quælibet domus custodiat deposita sub duabus vel tribus clavibus, quarum unam custodiat prior, aliam vel alias custodiant illi quibus prior duxerit committendum.

63. Associationem triceniarii faciendam statuimus primo anniversario post inceptioem triceniarii.

64. Non credimus clericos redditos teneri ad psalteria.

65. Sacerdos ad altare, quando se vertit ad populum, jungat manus, nec retorqueat ad petus ad *Dominus vobiscum.*

66. Novitii conversi & redditii possunt mitti extra terminos pro utilitate domus suæ.

67. Conversi se vocent ad invicem fratres: qui contra fecerit, veniam accipiat.

68. Nec monachi, nec conversi præsumant de cetero sigilla servare, vel sculpere: sed qui habent, statim reddere teneantur.

69. Quoties aliquis constituit novitium, novitiorum propter disciplinam ultimus intelligitur eorum quos invenerit, nisi aliud exprimatur.

70. Quando in festo Trinitatis commemorationem fieri contigerit, fiat de officio paschali.

71. Volumus & monemus ut visitatores vigilent & intendant, nec mittant hospites, ubi hospites tres sciverint esse.

72. Stola non cancellata, sed uniformiter deportetur.

73. Caveant visitatores, quantum poterunt, ne conversi & servientes sui culpas & modum visitationum domorum quas visitabunt, sciant, vel inquirent & revelent.

74. Qui voluerint de cetero aliqua proponere capitulo generali, proponant in scriptis sub brevibus verbis, & tradant lectori.

75. Capellani & clerici cum monachis & monialibus conversantes teneant ordinem sicut moniales & monachi in jejuniis. Beneficia temporalia habent sicut conversi, & spiritualia sicut monachi, & ad reddenda ea pro aliis sicut & ipsi teneantur.

76. Non detur pittantia monachis in coena carnisprivii in refectorio, nec conversis in cellis.

77. Fiat commemoratio in festo S. Crucis, si sit in dominica, primo de dominica, post de octava B. Mariæ, & post de martyribus.

78. Qui professionem fecerit in ordine nostro, & exierit, & postea redierit, non faciat iterum professionem, sed statim promittat obedientiam.

79. Monachi qui non sunt sacerdotes, dicant unum psalterium pro tricenario concessio illis qui non sunt de domo.

80. Sabbato jejuniorum, legat prior quintam lectionem, licet in mane celebraverit.

81. Ad preces priorum supervenientium, nisi ipsis presentibus, non detur monachis pittantia diebus ab ordine concessis, nec exeant domum, causa spatiandi.

82. Ordinatum est ut novitii, recitata lectione in capitulo, & propositis quæ proponenda sunt a priore, confessim a capitulo, & omnino de capitulo generali excludantur.

83. Oratio de vigilia S. Andreae & festi S. Sylvee bis continuatim dicantur.

84. Inobedientes scienter visitatoribus, a suis prioribus absolvi non possunt.

85. Visitatores, ubi invenerint quod monachi extra clausuras domorum comedere consueverunt, consuetudinem reprehendant, & castigent.

86. Non revelentur secreta ordinis.

87. Credit ordo, quod statutum Lugdunensis concilii non arceat nos ad inclinandum, quoties hoc nomen *Jesu* auditur; sed fiat sicut ante.

88. Aliqua monialis non mittatur de domo sua

per visitatores, nisi pro nova plantula construenda, & tunc de licentia prioris Cartusie vel capituli generalis.

89. Monachi qui missi sunt, & qui mittentur de cetero ad domos ordinis ad professionem faciendam, illam faciant infra mensem.

90. Priores qui exonerantur de hospitibus, illis tenentur expensas necessarias ministrare.

91. Missa beneficiorum debet reddi in festo xii. lectionum, etiam tricenario durante.

92. Quacumque die contingit octava Apparitionis, si aliter dici non possit responsum *Domine, ne in ira*, &c. ipse octavæ fiant sabbato præcedenti.

93. Ordinamus & volumus, ut præbendarii sæculares de cetero non recipiantur in ordine sine licentia capituli generalis vel prioris Cartusie super annum.

94. Omnes ludi manuales a personis ordinis evitentur.

95. Garciones non permittantur exire potestatem Cartusie sedente capitulo generali, nec priores eorum dent eis pecuniam ad bibendum.

96. Ordinamus & volumus, quod si aliquæ personæ de ordine Mendicantium receptæ sunt, vel recipiantur (quod vix fiat) non possint habere obedientiam sine licentia capituli generalis.

97. Priori Vallis-viridis conceditur tertius clericus.

98. Inhibemus ne de cetero conversi vel redditii equitent in campis* nigris.

99. Injungitur prioribus in virtute sanctæ obedientiæ, & præcipitur ne præsumant dare parentibus vel cognatis sine consensu aliquid vel aliqua de bonis domus, unde domus gravetur.

100. Declaramus & volumus, quod de cetero nullus prior recipiat aliquam personam ad ordinem sine consensu & voluntate conventus sui vel majoris partis.

101. Ordinamus, quod redditii, tam clerici, quam laici teneantur ad silentium, aliquando ratione loci sicut in ecclesia & in refectorio, vel in mensa, vel in claustris; aliquando ratione personæ, sicut cum personis quæ tenentur ad silentium.

102. De festis SS. Benedicti, Hugonis, Ambrosii, quando paschali tempore evenerint, nihil immutatur, quin fiat sicut ante pascha, quantum ad homelias & evangelia & epistolas, tam in missa, quam in matutinis.

103. Visitatores non possint emittere hospites extra provinciam quam visitant, nisi mitterent in domum unde ultimo fuerint professi.

104. Statutum de relatione monialium, quæ officia habuerint & dimiserint, approbatur & confirmatur.

105. Injungimus visitatoribus ordinis, quod non vereantur injungere prioribus, quod peccant misericordiam, quotiescumque rationabilem causam viderint apparere, & maxime illis quos in hoc viderint obstinatos.

106. Deliberatione provida statuendum, quod quicumque subditus monachus vel conversus seu redditus, commiserit crimen furti, seu alienationis, vel proprietatis ultra valorem trium solidorum, nec ipse priori suo saltem constitutis temporibus in statutis confessus fuerit, ipso facto sententiam excommunicationis

B b b b

incurrat, & hanc sententiam denuncient annis singulis priores, vel ipsis absentibus vicarii in domibus suis in dominica Ramis palmarum latam per capitulum generale; hoc addito quod priores possint absolvere sicut prius, & vicarii usque ad adventum prioris.

107. Statutum est ut quicumque conversus de cetero peccatum incontinenti commiserit, domum suam perpetuo amittat, & ad statum redditu, quoad victum & barbam reducantur, & cellam amittant sine spe dispensationis.

108. Similiter cellam amittit quicumque priorem suum diffamaverit, aut damnum domus procuraverit, sollicitando creditores ad recuperanda debita, vel exhortando aliquos ad capienda bona domus, vel alia damna inferendo.

109. Illud idem observetur in de furto & proprietate convictis.

110. Statutum factum circa victualia conversorum stetit, de duobus... panum & pane avenaceo, & de vino dando solummodo temporibus statutis, secundum formam in statutis contentam firmiter observetur: ita quod, non obstantibus aliquibus consuetudinibus contrariis aliquarum domorum, prædictum statutum a modo teneatur; nisi priores, qualitate regionis & personarum & domorum considerata, duxerint cum eis misericorditer dispensandum. Si vero propter hoc vel aliud a laboribus se subtraxerint, aut minus fideliter laboraverint, aut... laborem fecerint, & hoc constiterit priori vel procuratori, & moniti se non correxerint, prior de conventu sui vel majoris partis consilio mittat eos ad priorem Cartusie alibi sustentandos.

111. Cum conversi & redditu recipiantur post salutem animarum præcipue pro labore, & nonnulli propria manu laborare recusent, statumimus, ut quicumque super hoc a priore vel procuratore reprehensi fuerint, & moniti non se emendaverint, vino & pittantia priventur, quamdiu priori videbitur, nisi eos evidens necessitas excusaret.

112. Conversi infra terminos domorum suarum non equitent, nisi ita essent debiles & infirmi, quod pedes ire non possent, nec extra, nisi secundum quod scriptum est in statutis.

113. Prior & procurator quotienscumque eis placuerit, vel saltem semel in mense cellas & officinas conversorum diligenter visitent, & inquirent, & ipsi conversi eis omnia exponere teneantur. Et si aliquis cibaria præter licita & debita in cella assuetus fuerit reponere & tenere, & monitus non se correxerit, cella perpetuo privetur. Et a modo seras clandestinas non habeant sub poena contenta in statutis. in ostio vero anteriori seras possint habere, si priori videtur expedire, cujus clavem quotiescumque extra domum exierint tradant coquinario. quod qui non fecerint, sequenti die quo dabitur vinum & pittantia, careant ipsi.

114. Exhortamur priores, ut in correctione conversorum sint pervigiles & intenti, & in receptione eorum non teneantur sequi consilium conversorum.

115. Ad statutum quod conversi se vocent ad invicem fratres, additur quod qui contra fecerit, in sequenti capitulo clamet culpam suam, & sine misericordia accipiat disciplinam.

116. Statuta de novo facta conversis immediate post sermonem legantur ab illo cui prior duxerit injungendum, quater in anno vel amplius, si priori videbitur.

117. Terræ inutiles, remotæ & steriles ad tempus possint dari in emphitheosim de consensu conventuum, secundum quod sibi videbitur faciendum. Si vero aliqui conversi prædicta impedire palam vel occulte tentaverint, ita quod possit probari, redditu efficiantur.

118. Ordinamus etiam quod prædicta statuta statim probentur & confirmantur.

119. De tribus vero personis, in quibus prior Carthusie poterat dispensare supra annum ultra numerum tresdecim conversorum, ulterius cum domibus quæ multum indigebant, ordinamus quod illæ tres personæ in redditu recipiantur, hoc adjecto quod si aliqua persona valde domibus necessaria & utilis apparet, quod prædictus prior inspecta qualitate personæ possit dispensare cum uno vel duobus de illis tribus, ut conversi efficiantur.

120. Volumus omnimodo quod prædicta statuta observentur & in sequenti capitulo confirmantur.

121. Quater in anno legantur hæc statuta conversis & redditu omnibus congregatis in capitulo ipsorum, videlicet in festo Purificationis, S. Johannis, & Assumptionis B. Mariæ.

N O T A.

Et si hæc statuta annum MCLXXI. præfixum habeant, non omnia tamen eo anno, sed aliqua subsequenter annis edita esse oportet. Id patet ex statuto LXXXVII. in quo fit mentio decreti editi in concilio Lugdunensi.

Statuta edita in capitulo generali Ordinis Carthusiensis anno MCCLXXXIX.

1. Anno Domini MCCLXXXIX. de novo statumimus quod quælibet domus ordinis possit habere duos clericos redditos, qui sint de numero VII. redditorum.

2. Item pro personis in domibus associatis persolvant priores, sicut pro personis propriis, nisi mutua pactio aliud contineat.

3. Item de novo statumimus, ut deinceps termini per duos priores more solito limitati & scripti ad sequens capitulum apportentur, & ibi rationabiliter examinati per omnes diffinitores approbentur & sigillantur, & ex tunc habeant roboris firmitatem.

4. Item de novo statumimus quod priores & procuratores, qui reperti fuerint culpabiles negligentia vel alio modo de evasione incarcerationum, sequenti capitulo clament culpam suam, & si iudicio capituli dignum fuerit, obedientiam priventur; alii vero qui evasione causam dederint, obedientias de cetero non habeant & locum subeant evadentis.

5. Item, de novo statumimus quod monachi conversi & redditu de incontinentia convicti & confessi, si contigerit aliquo tempore reconciliari eos ordini, nullo modo fiat in domibus in quibus convicti fuerint, nisi ad perpetuum carcerem, de quo si educerentur, nullo modo ibi remaneant, sed alibi collocentur sub debita disciplina.

6. Item, cum scandalum non modicum &

Statuta nova capituli generalis.

1. Professio non fit a novitiis, nisi priore præfente.

2. Recepti ad statutum terminum venientes, si prior absens fuerit & multum remotus, nihilominus a conventu induantur & incellentur.

3. Visitatio Scalæ-Dei fiat anno bissextili.

4. Concessum est domibus Scalæ-Dei, Angliæ, S. Bartholomæi, Hiberniæ, Sclavoniæ, quod vicarius cum antiquiore possit confirmare electionem prioris a conventu, si prior non fuerit in illis partibus, qui pro confirmanda electione possit vocari.

5. Injungitur prioribus, ut se defendant per privilegium indultum a præfatione decimarum.

6. Post Completorium dicatur antiphona *Sancta Maria*, & oratio *Concede nos*.

7. A quarto nonas Novembris usque ad septuagesimam, Agendam (a) præter laudes in cella dicimus, post nonam vel post vespas in festis XII. lectionum; ferialibus vero diebus post vespas dicimus propriam sive specialem cum tribus antiphonis, & IX. lectionibus, cotidianam vero cum prima antiphona & tribus lectionibus. Et sciendum quod in prædicto tempore dicuntur tres primæ lectiones diebus dominicis, &c. per ordinem.

8. Prior Carthusie potest mutare visitatores ex causa.

9. Corpus Domini fervetur in capella inferiori cum sera a quibuscumque placuerit, ita tamen quod renovetur in qualibet hebdomada, si commode fieri potest. Missa B. Mariæ in sabbatis, in festis capituli & candelarum dicatur privatim, exceptis diebus natalis Domini, sabbato sancto, & quatuor festis B. Mariæ.

10. Vicarius dicat *Benedicite* etiam prioribus extraneis supervenientibus, absente priore.

11. Pro tricenario inchoando possit transferri anniversarium.

12. Agricultura non exercentur in agirelariis.

13. Loco trium personarum inutilium possunt recipi tres utiles, ita quod quilibet numerus non excedatur.

14. Novitii possunt celebrare missas privatas, & ad eas servire ad arbitrium prioris.

15. Nullus præsumat contendere vel ludere palam vel privatim cum priore secundum regulam S. Benedicti.

16. Capitulum privatim compellat eum propter quem vocabitur ad solvendas expensas quæ fient in eo.

17. Pro sepultura redditorum laicorum non comeditur in refectorio, nec vigilatur a monachis, nisi eos obire contigerit in domo superiori.

18. Prior non cesset ab officio in festo Reliquiarum ecclesiæ inferioris propter fragilitatem (b), sicut nec in festo dedicationis ejusdem.

19. In festis Purificationis & Annunciationis dicatur *Gloria in excelsis*, quandocumque contingat.

20. Sine consilio procuratoris, vicarii & sa-

(a) Agenda est officium defunctorum.

(b) Id est illusionem nocturnam, pro qua veteres monachi solebant a celebratione abstinere.

inter magnos in terra ista ortum fuerit propter cyphos argenteos a quibusdam prioribus deportatos, inhibemus districte ne de cetero extra domos per aliquem de ordine deportentur.

7. Item, de novo statumimus quod visitatores quos obire contigerit intra domum aliquam ordinis, ibi habeant monachatum; & si prope, tricenarium habeant in domo in qua sepelientur.

8. Item, inhibemus ne quis per se impetret vel impetrari faciat a principibus vel aliis quibuscumque litteras rogatorias pro seipsis.

9. Item, associationem tricenarii faciendam statumimus primo anniversario post inchoationem tricenarii.

10. Item, ad quædam verba prioris Vallis S. Petri responderetur, quod per modum statuti non fuit concessum quod prior Carthusie posset compellere per censuram ecclesiasticam domos quæ ei debeant, & ideo non oportet quod statutum revocetur, quia nullum.

11. Item, domus Belli-larici vocetur de cetero Bellus-locus.

Statuta edita anno MCCXC.

1. Anno Domini MCCXC. statutum de duobus clericis habendis approbatur, & de comedendo in refectorio cum monachis.

2. Item, si Cathedra S. Petri accidit in quadragesima, missa ejus dicitur in mane, nisi acciderit in sabbato vel dominica.

3. Item, quicumque causam evasione dederint incarcerationis, obedientias amittant, & locum subeant evadentis quamdiu placuerit capitulo generali.

4. Item, statutum quod monachi vel conversi aut redditu de incontinentia convicti, si contingat eos aliquo tempore reconciliari ordini, nullo modo hoc fiat in domibus principalibus, vel in quibus convicti fuerint, nisi ad perpetuum carcerem, &c. ut supra approbatur & confirmatur.

5. Item, statutum de brevi dando illis qui habent participationem confirmatur.

Statuta anni MCCXCI.

1. Anno Domini MCCXCI. concessa sunt auctoritate capituli generalis per diffinitores datos ab eodem super litem quæ erat in ordine, pro littera a domino Gregorio papa X. impetrata, domno priori Carthusie qui nunc est, & illis omnibus qui pro tempore fuerint, hæc quæ sequuntur, videlicet omnimoda potestas in foro poenitentiali audiendi confessiones priorum, & absolvendi eosdem qui ei voluerint confiteri. Item, quod possit facere misericordiam prioribus super annum eam petentibus, si ex justa causa vel utili eam viderit faciendam. Item, quod ubicumque in tractatibus ordinis duplicem vocem habeat ad rigorem ordinis observandum. Item, quod quilibet prior Carthusie semel in toto tempore priorum possit mittere duos ex monachis suis ad alias domos ipsius ordinis, cum pace tamen ipsorum & conventus dictæ domus, si contingeret quod aliqua bona persona veniret ad dictam domum Carthusie, nec posset ibi recipi propter multitudinem monachorum.

critæ prior non possit mutuo dare ultra decem libras simul vel per partes.

21. Orationes in missis septenarium numerum non excedant, nisi necessitas orationum incumbat.

22. Dedicatio non muretur nisi propter festum candelarum, & tunc cum tota solemnitate sua celebretur, & comeditur in refectorio: tamen possunt conversi & familia laborare.

23. Quando vigilia contingit die dominico, fiat jejunium & commemoratio die sabbati.

24. Infirmus in ecclesia sedeat in loco suo, vel stet si placuerit, nec transeat ad locum inferiorem.

25. Comedatur in refectorio in sepultura prælatorum.

26. Pro tricenario sive psalterii dicant clerici vel monachi non sacerdotes L. psalmos & laici L. *Pater noster*.

27. Clericus redditus quando fit monachus, in suo habitu cum cappa probetur.

28. Infra octavam Apparitionis, Ascensionis, & Assumptionis ac Nativitatis B. Mariæ dicatur feriale *Kyrie eleyson sine Gloria in excelsis*, nisi in sabbato aut festo XII. lectionum.

29. Prior debet dicere primam missam tricenarii cujuslibet, si sit paratus, etiam si sit hebdomarius.

30. In festo reliquiarum & dedicationis inferius non frangatur jejunium. Item, propter hospites jejunium non frangatur.

31. Pro archiepiscopo vel episcopo dicatur oratio *Da nobis Domine ut animam famuli tui sacerdotis & pontificis*.

32. Omnes monachi sepeliantur cum cilicio, tunica & cuculla & caligiæ & pedulibus.

33. Conversus aliquis non serviat ad missas.

34. Quando contigerit duo festa transferri, officium majoris festi fiat prima die, & aliud sequenti; & si contingat anniversarium die illa, non impediatur translatione.

35. Omnes qui minitantur mortem vel ignem, vel aliquid simile, cuicumque personæ ordinis, possint incarcerari juxta arbitrium suorum.

36. Missa de Cathedra S. Petri in die Cinerum & post dicatur ab hebdomadario, nisi acciderit in sabbato, vel dominica, nec dicatur tractus in ea.

37. Si aliquis prior prioratui cedens non invenerit locum vacantem in domo sua, prior possit eum ponere in hospitio vel in cella, & alium de monachis remove de cella & in hospitio ponere, cum pace & cum bona voluntate monachi.

38. Quando Annuntiatio dominica celebratur post pascha, dicatur responsum *Prope est Dominus, alleluia. Surrexit Dominus*.

39. Novitii excludantur a capitulo, si priori videbitur.

40. Conversi se vocent fratres, qui contra fecerit, veniam accipiat.

41. Quotiescumque dicitur *In unitate Spiritus Sancti Deus* in aliqua oratione, quando postea dicendum est *Deus in adjutorium*, ad *miserere Dominus* erigatur, cum *In unitate*, &c.

42. Statutum est quod nullus appellet nisi ad capitulum generale, & appellans juste non possit excommunicari, & lata excommunicationis sententia contra juste appellantem non teneat;

aliter appellans incarcerari possit.

43. Noviter celebrantes non descendant a gradu altaris pro oblationibus recipiendis.

44. Convictus vel confessus de incontinentia qualicumque, si contingat illum reconciliari, nullo tempore possit eligi in priorem.

45. Clerici redditus gaudeant eodem privilegio quo conversi in victualibus, & comedendo in refectorio, & veniendo ad mandatum.

46. Festum B. Dionysii in domibus ordinis nostri in regno Franciæ possit cum capitulo celebrari.

47. Hæc dictio *Litium*, in plurali uniformiter pronuntietur per t.

48. Quando duo festa candelarum immediate succedunt, vesperæ subsequentis festi a capitulo incipiant, exceptis illis de quibus expresse contrarium statutum est.

49. Declaratio quod a die paschæ in officio B. Mariæ duplex *Alleluia* dicatur, approbatur, nisi in festo Annuntiationis quando fit post pascha, in quo dicitur responsum *Prope est Dominus*.

50. Statutum de faciendis carceribus approbatur, quibus includantur falsarii, incendiarii, homicidæ, vel minantes mortem, vel ignem, & vagantes per mundum, & ceteri de quibus scriptum est & statutum.

51. Post quinquagesimam usque ad pascha pro nullo festo frangitur jejunium.

52. Statutum est quod priores non permittant monachos vel conversos seu redditos professos aliqua ex causa servare denarios, suis vel extraneis usibus appropriatos vel propriandos.

53. Statutum est quod qui leviter protulerint *Prius dimitterem ordinem*, sive æquipollentia verba, *quam facerem vel obmitterem hoc vel illud*; si prior fuerit, sit extra sedem suam in ecclesia per unum diem; si subjectus, recipiat in capitulo disciplinam pro qualibet vice.

54. Ex præcepto & decreto ordinis teneantur priores recipere & afferre tempore competentis capitulo generali vel priori Carthusiæ denunciations conventuum secundum ordinis instituta, alioquin se noverint puniendos.

55. Sententia excommunicationis quæ fertur in Ramis palmarum a priore, præsentibus monachis, conversis & redditis, in scriptis profertur.

56. In missis ad *Gloria in excelsis* & ad *Credo* ad nomen *JESU* modice inclinetur.

57. Pelliciosos vulpinos & de bestiolis filvestribus, & calceamenta curiosa & plicata reprobamus, & de cetero non habeantur.

58. In omni missa quæ de vivis volvitur celebranda, per singulos dicitur *Omnipotens qui vivorum*.

59. Priores possunt dare potestatem vicariis absolvendi in absentia sua de quolibet peccato: ita tamen quod de mortali certo, quod absit, priori teneatur iterum confiteri.

60. Festum B. Magdalene cum candelis solemniter celebretur, non tamen dicatur *Credo*, nec communicet diaconus. In ipso festo propria oratio *Largire*, ad sextam vero *Deus qui nos annua*, ad nonam *Exaudi*.

61. Simples monachi vel clerici vel redditus nostri venientes ad capitulum, exeant de capitulo

capitulo oblatis petitionibus; nec redeant, nisi vocati quamdiu habetur ibi tractatus. Conceditur omni priori Carthusiæ qui pro tempore fuerit, ut quilibet tempore suo tres monachos ordinis possit accipere de domibus ordinis cum pace personæ vocatæ, & ad professionem admittere in domo Carthusiæ. Cum tricenarium occurrit alteri tricenario sacerdotis, pro incipiendo dicatur *Da nobis*, & pro præcedenti *Deus cui proprium est . . . famuli & sacerdotis tui*. Deinde adduntur in plurali numero, scilicet *Da nobis Domine, ut animas*, &c.

62. Conversi qui contra formam ordinis inventi fuerint se cum novacula rasisse grenones (a), secunda, quarta & sexta feria a vino abstineant usque ad aliam rasuram: priores vero & procuratores, qui hæc observari non fecerint, postquam sciverint, abstineant a vino semel in septimana, quousque ad sequentem rasuram, præter abstinentias ab ordine constitutas.

63. Instituta facta de numero converforum redacta ad XII. confirmatur, hoc addito quod in magna necessitate prior Carthusiæ super annum vel capitulum generale cum domo indigente usque ad XVI. poterit dispensare.

64. Quicumque celererint visitatoribus ea quæ debent revelari eis, non possint a prioribus suis absolvi, nisi injuncta eis poenitentia septem abstinentiarum continuarum, diebus abstinentiæ deputatis, ultra abstinentias debitas, quam poenam caute & diligenter faciant observari.

65. Statutum quod priores qui reperti fuerint culpabiles negligentia vel alio modo de evasione incarceratorum, in quibusdam confirmatur chartis. Post hoc verbum *incarceratorum* sequitur: obedientias amittant, & eidem poenæ subiaceant subditi, locumque subeant evadentis, quamdiu videbitur capitulo generali. Sequenti capitulo clament culpam suam, & si iudicio capituli dignum fuerit, gravissime puniantur. Alii vero qui evasione causam dederint, obedientias de cetero non habeant, & locum subeant evadentis, quamdiu placuerit capitulo. Idem faciant & recipiant procuratores coram visitatoribus vel per eos. Approbatur & confirmatur.

66. Statutum quod priores omnem subditum suum convictum vel confessum de quocumque crimine, quod secundum ordinis instituta consueverunt de ordine penitus expelli, teneant in carcere angusto usque ad capitulum generale, vel visitatores generales, vel speciales, ut materia evagandi de cetero amputetur, approbatur & confirmatur, & ad hoc agendum subditi tenentur obedire.

67. Statutum quod monachi & conversi & redditus convicti de incontinentia, si contingat aliquo tempore eos reconciliari, nullo modo hoc fiat in domibus principalibus, vel in quibus convicti fuerint, nisi ad perpetuum carcerem, de quo si educerentur, nullo modo ibi remaneant, sed alibi collocentur sub debita disciplina, approbatur & confirmatur.

68. Ordinatio quod clerici redditus non legant evangelium sine licentia priorum suorum, nec comedant in refectorio, nec intersint capitulo

(a) Grenones seu graniõnes sunt ea barbæ pars quæ infra nares est.

Annal. Bened. Tom. VI.

tulo sine mandato prædicto, approbatur & confirmatur.

69. Statutum quod moniales teneantur reddere breves ordinis atque missas, scilicet pro missa una psalterium unum, & nos faciamus pro eis secundum ordinis instituta, sicut pro aliis personis nostri ordinis, approbatur & confirmatur. Pro triceniis solvant quælibet quinquaginta psalmos sicut monachi non sacerdotes.

70. Statutum quod conversæ monialium, quæ de cetero recipiuntur non portent velum nigrum, & si aliqua monialis de cetero de incontinentia convicta fuerit, inter ceteras poenas velo careat nigro in perpetuum, sine spe aliqua rehabendi, approbatur & confirmatur.

71. Statutum quod moniales habeant vittas in scapularis more monachorum, conversæ vero non, approbatur & confirmatur.

Statuta anni MCCCXXXII.

I. Anno MCCCXXXII. Qui non fecerint carcerem in domibus suis infra primorum visitatorum adventum, in futuro capitulo generali clament culpas suas.

2. Festa apostolorum Petri & Pauli, Johannis, Jacobi utriusque, Andreæ, Philippi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, & Mathiæ, quatuor evangelistarum, quatuorque doctorum, semel in anno cum capitulo celebrentur, nec ob hoc amplius soliti cessent a negotiis, vel ascendant superius in operibus occupati.

3. Priores ordinis portent ubique fiffos sotulares, cappas totaliter nigras; inter duo linteamina non jaceant, neque duo ministrent hospitibus, nec umquam dent ad mensam nisi duo fercula ad plus post coquinam.

4. Monachus a confirmatoribus eligatur, qui vadat ad requirendum priorem electum exterius.

5. Quicumque indisciplinati vel contentiosa verba in colloquiis proferre fuerint assueti, ad priorum suorum arbitrium a colloquiis excludantur.

6. Numquam vadat monachus deinceps ad generale capitulum cum priore.

7. Priores & vicarii dominarum legendam sibi procurent, quæ legitur in Carthusia in Octobri & per octavam Eucharistiæ.

8. Monachi vocati ad domos novas, ibidem statim profiteantur.

9. Priores sibi ad invicem scribentes, dicant *Patri venerabili vel dilecto*.

10. Litteræ de vocandis monachis aliisve personis ordinis, ultra triennium nihil valent.

XLIII.

Series abbatum S. Augustini Lemovicensis.

I. Si fuerunt abbates istius loci. I. pastor istius cenobi Martinus abbas in diebus Turpionis episcopi: requiescit vero Pictavis in ecclesia S. Cypriani Pictavensis. Ad lib. 77. n. 147. Ex ms. cod. S. Augustini.

II. exstitit Ricardus abbas, & requiescit in isto loco.

III. Succesit ejus loco Adarzius abbas: corpus ejus jacet Tutellæ.

Ccccc

IV. Præfuit Rogerius abbas & episcopus : requiescit in hoc loco.

V. Huic successit Gauzbertus abbas & episcopus, positus huic loco juxta eum : iste fuit pastor primus cœnobii S. Petri Uzercensis.

VI. fuit Adalbaldu abbas, postea vero factus abbas S. Martialis, ibidem requiescit. Iste fuit abbas de Charrof & de Solemiaco, & fuit de monasterio S. Maioli & beati Martini Tutellæ abbas, & Martini monasterio.

VII. exstitit donnus Stephanus abbas, qui optime rexit : humatus in isto loco.

VIII. vero Asterius abbas, sepultus est juxta eum.

IX. Ejus loco successit Guido abbas, qui ibidem juxta eum quiescit.

X. Ejus loco ordinatus est donnus Geraldus abbas, qui & ipse conditus est & jacet cum aliis.

XI. Successit ejus loco Adalbertus abbas, & sepultus est juxta eum.

XII. est donnus Geraldus abbas grammaticus, qui est conditus in monasterio ad caput Widonis episcopi : hic omnium liberalium artium peritissimus, hunc augmentavit loculum in ornamentis plurimis ex auro & argento conditis, in cappis, in libris valde honorandis. Ambaciacum etiam monasterium & capellam de Chaslucio sua acquisivit industria. Multa quoque alia bona fecit, quæ difficile est breviter comprehendere.

Post hunc suscepit curam regiminis piissimæ memoriæ donnus Guido abbas nutritus monasterii hujus, anno ab incarnatione Domini MCIV. VII. idus Julii. Hic acquisivit ecclesiam S. Johannis de *Rialoc*, ecclesiam etiam S. Præjecti; officina vero monasterii præ nimia vetustate diruta atque consumpta denuo renovavit; claustra scilicet, fontem, & multa alia prætermittimus, quæ breviter nequaquam possumus dicere. Postquam autem gregem sibi commissum pie ac feliciter rexit, adpositus est ad patres suos, & sepultus est in capitulo juxta S. abbatem MCX. ab incarnatione Domini anno, kal. Septembris.

XIV. pastor hujus ecclesiæ fuit donnus abbas Stephanus qui etiam simplici voluntate, securus tamen in actu, huic monasterio multa bona sua industria acquirendo operatus est. Patet etiam quod monasterium beatæ Mariæ Carviensis*, a lapide fundamenti usque ad consummationem totius ecclesiæ magno labore & longa vigilia pauper Dei honorifice construxerit. Thesauros vero auri & argenti ecclesiæ, necnon & majestatem matris Domini, textum evangeliorum ex lapidibus pretiosis ornatum, calices & cappas & thuribulum fecit. non est penitus ornamentum in ecclesia quod ipse non construeret. Sanctæ Mariæ humillimus peccator ecclesiam, & villam quæ *Fayot* nuncupatur ædificavit; vineas S. Raphaëlis plantavit: hic bona monasterii S. Augustini, quamdiu vixit, ædificare non cessavit. Senex vero & plenus dierum bono sine quievit in pace, sepultus in capitulo juxta antecessorem suum Guidonem. Exitus ejus ex hoc sæculo celebratur. III. nonas Septembris: feria VI. circa horam IX. ex hac vita migravit ad Dominum, amen. Anno MCXXXVII. ab incarnatione Domini.

Cheruis.

XV. fuit Philippus abbas.

XVI. Successit huic loco Petrus *Dubarry*

abbas, qui multa bona huic monasterio contulit: ipse enim claustrum marmoreum & fontem ædificavit, atque portam majorem & minorem, & domum hospitem, & domum infirmorum, & claustrum minor. ipse ædificavit, & etiam vineas plantavit, nec non duas cappas & casulam & textum minimum fecit, & multa bona huic loco acquisivit. Postea factus abbas S. Martialis ibidem requiescit. Amen.

XVII. fuit venerabilis abbas Raymundus, qui quanta bona huic monasterio fecit, præsentia opera testantur. domum enim istam ex toto animo, ex tota mente & voluntate amplificans, valde eam in ædificiis & aliis acquisitionibus insignivit. monasterium etenim, quod in præfenti stat, bonitate quidem divina cooperante, cum multo labore & expensis plurimis ipse in tam brevi tempore fecit, ut non manibus hominum factum, sed ex improvviso natum diceret: multa etiam ornamenta monasterii ipse fecit, id est, majorem crucem argenteam & duos calices deauratos magnæ pulchritudinis, tumbam domini G. episcopi, chorum & pavementum similiter & quinque cappas ex serico valde bonas, & dalmaticam unam & quinque casulas peroptimas, necnon & quinque libros honorabiles, scilicet epistolas Pauli & epistolas Hieronymi in uno volumine, Isidorum etymologiarum, Josephum, historiam Anglorum, Gesta Clementis. Præterea fecit duas capellas id est S. Salvatoris & beatæ Mariæ, & domum quæ eisdem capellis vicina est. Acquisivit insuper ecclesiam de *Glenie*, cum omnibus pertinentiis suis, & capellam de *Monteagal*, & ecclesias sancti Germani & S. Petri de *Samsac*, & multa alia bona fecit, quæ vix per quempiam poterunt explicari. Rex itaque ecclesiam S. Augustini Lemovicensis per ter denos annos, & postea vir pulchræ adhuc & elegantis ætatis VIII. idus Septembris in festivitate beatæ Imperiæ virginis feliciter vitam claudens, sepultus est ibidem ad ostium monasterii per quod ingressus & egressus sit monachorum a claustrum in monasterium, a monasterio in claustrum. Requiescat in pace. Amen.

XVIII. fuit donnus Ugo abbas senior: similiter & multa bona contulit ecclesiæ; jacet vero in capitulo.

XIX. fuit W. abbas: iste resignavit & requiescit apud Charuix.

XX. fuit Ugo abbas junior.

XXI. fuit donnus Aymericus abbas, qui multa bona contulit huic ecclesiæ; jacet vero in capitulo. Nota vero quod Aymericus de *Bonac* abbas S. Augustini Lemovicensis legavit ad suum anniversarium faciendum xxx. solidos & XII. denarios renduales.

XXII. abbas hujus monasterii fuit venerabilis vir donnus G. *Fabri* justus ac timens Deum, qui simplici voluntate sua multa bona huic monasterio, & plures redditus acquisivit, & sua spontanea voluntate acquisivit huic ecclesiæ xxx. sextarios frumenti & Trolium de *la Plancha au Ferziers*, & multa alia acquisivit. Multa etiam ornamenta hujus monasterii ipse fecit. Inter omnes libros hujus monasterii, fecit ipse

quoddam psalterium glossatum, & epistolas Pauli glossatas, & Jeremiam glossatum, Johannem & Marcum & Matthæum glossatos. ipse fecit breviarum & bibliam manuaalem, summam de casibus & summam Gaufredi, librum officiorum & responforiorum pro conventu in duobus voluminibus. Præterea emit prædictus abbas in ornamentum hujus ecclesiæ quamdam cappam, casulam, dalmaticam, cortibaudum, doufanna rubeum, & alias cappas & alia vestimenta. Item condidit ille sanctus abbas dormitorium excepto capitulo; fecit cellarium cum porticibus; ipse condidit cameras privatas contiguas dormitorio; fecit etiam refectorium; fecit quoque coquinam. Multa vero alia bona fecit, & quamdiu vixit, monasterio S. Augustini in honore & laude gloriosæ beatæ Mariæ & omnium Sanctorum & gloriosissimi confessoris beati Augustini acquirere non cessavit: qui debitum naturæ persolvit XIV. kal. Maii anno Domini MCCLXIV. & sepultus est in introitu monasterii beati Augustini a dextera parte.

Item alia manu.

XXIII. fuit S. Augustini Lemovicensis abbas donnus Amelius de Monte-cuculli; erat quidem senex & simplex, tamen abbatiam rexit xxxv. annis, ac sepultus est in introitu capituli.

Ad lib. 78. n. 6.

XLIV.

Excerpta ex Necrologio abbatis S. Petri de Calma.

JANUARIUS.

Die I. Circumcisio Domini, depositio domni Mauri.

2. Depositio domni Monfredi abbatis.

25. Conversio S. Pauli, depositio domni Johannis de Hannonia.

FEBRUARIUS.

Die 4. Depositio domni Simonis abbatis de Malla.

MARTIUS.

Die 29. Depositio domni Henrici abbatis de Courpalayo.

APRILIS.

Die 9. Depositio domni Hugonis fundatoris abbatis de Calmis.

23. Depositio domni Theobaldi abbatis.

MAIUS.

Die 18. Depositio domni Stephani abbatis.

JUNIUS.

Die 25. Eligii episcopi, depositio domni Simonis abbatis de Eviaco.

AUGUSTUS.

Die 23. Depositio domni Rodulphi abbatis.

SEPTEMBER.

Die 25. Depositio gloriosæ vitæ probabilis & in fine piæ recordationis domni Roberti primi abbatis de Calmis.

28. Depositio domni Guillelmi.

NOVEMBER.

Die 13. Depositio domni Roberti abbatis.

22. Depositio domni Hugonis abbatis.

29. Depositio domni Odonis abbatis.

DECEMBER.

Die 4. Depositio domni Henrici abbatis.

31. S. Silvestri papæ, depositio domni Arnulphi abbatis.

Abbatum ejus loci series a domno Antonio Lemaigne ejusdem abbatis religioſa & theſaurario digeſta.

1. Robertus.

2. Maurus.

3. Simon.

4. Odo 1192. in charta prioratus de *Tournan*.

5. Manfredus.

6. Stephanus.

7. Henricus.

8. Gaufridus 1235.

9. Robertus 1201. 2. 5.

10. Simon 1230.

11. Willermus de Liminiaco, de *Limini* 1218.

19. 20.

12. Hugo de *Neumcourt* obiit anno 1233.

13. Simon de Eviaco.

14. Johannes 1278.

15. Ludovicus 1283.

16. Johannes de Pinulo de *Vaux-le-Penil* 1285.

17. Hugo 1296. 1301.

18. Henricus de Prauciaco 1303.

19. Arnulphus de *Montaugland* obiit an. 1328.

20. Theobaldus 1334.

21. Johannes de Hannonia obiit 1363. die Januarii.

22. Odoinetus 1371.

23. Johannes *Depou* 1376.

24. Johannes de *Hainault* obiit 1380.

25. Johannes *Brodin* 1391.

26. Milo Mariæ 1408. & 19.

27. Johannes *Grandin* obiit 1439.

28. Simon *Chevalier* obiit anno 1441.

29. Johannes *Seyer* 1475.

30. Petrus *Damoiseau* possessionem adiit 1475. & obtinuit ad annum 1482.

31. Tristandus de Sancto-Lazaro, de *Salasard* occupavit abbatiam Calmensem anno 1482. dirutam ab Anglis reparavit, eamque obtinuit ad annum usque 1517. Is fuit archiepiscopus Senonensis.

32. Tristando successit Johannes de *Fai*, vivebat anno 1519.

33. Johanni successit Antonius a S. Martiali, vulgo de *Saint Marcel*, vivebat anno 1523.

34. Antonio successit Carolus a S. Martino circa annum 1528. dictus alias *Bechet*: obiit anno 1532.

35. Cui successit Johannes *Prudhomme* Fiscanensis monasterii hospitalarius, eodem anno die 29. Octobris.

36. Johanni successit Jacobus *Leprevier*: notatur ad annum 1561.

37. Jacobo Claudius de *Lair*: notatur ad annum 1583. obiit anno 1593.

38. Claudio de *Lair*, Petrus de *Gondy* episcopus Lingonensis: notatur ad annum 1566.

39. Petro de *Gondy* Nicolaus *Auroux*.

40. Dicto Nicolao Guillelmus de *Marandés*, notatur ad annum 1593.

41. Post Guillelmum vacavit 15. annos abbatia, a Calvinistis diruta ante natum eminentissimum cardinalem de *la Valette*, cujus pater dominus de Fontaneto administrationem abbatie suscepit.

42. Eminentissimo cardinali de *la Valette* successit Johannes de *Binos*, qui obiit anno 1680.

43. Johanni *de Binos*, felicitis memoriae Ludovicus-Henricus *de Condrin* archiepiscopus Senonensis, cujus cor in ecclesia nostra conditum est sub cippo marmoreo: obiit anno 1674. die 20. Septembris.

44. Eodem anno successit domino Senonensi archiepiscopo Antonius Arnaldus, Arnaldi celeberrimi doctoris nepos: obiit anno 1698.

45. Antonio denique Arnaldo successit 1699. Carolus *de Calonne de Courbeourne*.

XLV.

Prima donatio facta ecclesiae S. Himerii ab Hugone I. Comite Montis-fortis.

Ad lib. 78. n. 81.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Summa cautela observatum est ab antiquis, ea omnia litteris mandare, quae ignorata aliquo quandoque possent aliquam generare controversiam. Igitur Hugo de Monte-forti, notum esse volo cunctis sanctae matris ecclesiae fidelibus, tam praesentibus, quam futuris, quod idem beneficium quod Gillebertus tenuit de me, quando erat eques sanctae Mariae, & sancto Ymerio contuli, & Radulpho abbati concedo, & totam decimam omnium reddituum terrae meae, ac de cunctis silvis meis decimam, hoc est de feris, de volatilibus, de venditione nemorum, de essartibus, de melle, de pasnagio, atque de cunctis consuetudinibus silvarum, & de omnibus molendinis meis decimam, & de piscariis, & de vivariis, & de cunctis pecuniis, & de caseis, nec non etiam quodcumque in eadem villa habuit Gillebertus, excepta medietate cujusdam molendini, & praeterea medietatem vineae meae, atque tres rusticos, quamdam partem de silva sancti Ymerii. Et in Anglica terra adhuc do ecclesiam de Bradeborna, & de Tiltetona, & de Brige cum terris, & decimis ad eas.... meis, & de caseis.... & de piscibus Haeca.... pro abolitione delic.... & ne merito ex paradisi.... & matris meae, & uxore.... fratrum meorum Radulphi.... cum autoritate Domini nostri.... manorum principis.... & si quis in posterum infurxerit meo.... calumniando, & beatae Mariae.... sancto furripere voluerit, cum Dathan.... & Simone mago atque impiis.... a traditore procul dubio aeternae ma.... subjaceat, amen. Fiat, fiat. Ego.... Imus Dei gratia Rothomagensium archiepiscopus.... meis hoc anathema confirmo. Signum Willelmi principis Northmannorum. Signum Hugonis episcopi Lexoviensis. Signum Hugonis de Monte-forti. Signum Rogerii de Bello-monte. Signum Hugonis de Grente-Maisnil. Signum Roberti Bertramni.

Alter donatio ecclesiae S. Himerii facta Beccensi monasterio ab Hugone II. comite de Monte-forti.

NOtum sit omnibus sanctae ecclesiae fidelibus, tam praesentibus, quam futuris: quod ego Hugo de Monte-forti filius Gilleberti de Gant; concessione Gaufridi Northmannorum ducis; & filii ejus Henrici, consilioque Hugonis Rothomagensis archiepiscopi; & episcoporum Northmanniae, Arnulfi Lexoviensis, & Rotroci Ebroicensis, & Philippi Bajocensis; Haelina

uxore mea, & filiis meis Roberto & Valerano concedentibus, Baronibusque meis praesentibus; do ecclesiae beatae Mariae Becci, monachisque ibi Deo servientibus ecclesiam sancti Ymerii cum praebendis, & omnibus ad eam pertinentibus, ut monachi in ea loco canonicorum constituantur. Et insuper Deo, & sancto Ymerio do quamdam partem silvae meae, quae nomen Heroldi, & vallis Corvi dicitur, usque ad majorem viam vallis, per quam a domo Ricardi *Hache* ad sanctum Ymerium descenditur, & medietatem meam de quodam virgulto vineae; & quamdam aliam partem, quam Haelina uxor mea habebat circa eum, similiter sancto Ymerio dat; atque aliud virgultum de quo Thomas medietatem tenebat, quam ipse sancto Ymerio praebuit. Et cum istis de omnibus salinis meis de foro vallis *Henchre* decimam do. Et praeter haec Haelina uxor mea apud Pontem-episcopi quamdam domum, quam Godefridus *Espibart* tenuit cum consuetudinibus suis, & quoddam virgultum quod Ricardus *Porée* in Perrefita tenuit, sancto Ymerio concessione mea dedit. Et praeter ista terram, quam Robertus filius *Esfrelde* tenuit, & terram, quam Turgottus presbyter circa eam de me habuit, sancto Ymerio do similiter, & concedo, ut omnia quae ista ecclesia tempore Hugonis avi mei habuit, in perpetuum teneat. Habuit enim de omnibus silvis, quas praedictus Hugo in Northmannia tenebat, decimas, [a] & de omnibus molendinis, atque caseis, cunctisque pecuniis de foris; & in Anglica terra similiter de caseis, & universis pecuniis, & de piscibus Haeca, & unam domum in eadem villa habuit, & de Bratheburna, & Tiltetona, & Esbruge decimas do de annoniis similiter.

Signum Hugonis de Monte-forti. Sign. Roberti de Monte-forti. Sign. Valerani de Monte-forti. Sign. Heliae de Baillolio. Sign. Roberti de Mannavilla. Sign. Willelmi sancti Leodegarii. Sign. Galterii *Pipart*. Sign. Roberti *Pipart*. Sign. Rogerii de Burgevilla. Sign. Jordanis de Suilleio. Sign. Philippi de *Bevredan*. Sign. Hugonis de *Bevredan*.

Bulla Lucii III. Papa data anno 1182. priori & monachis S. Himerii.

Lucius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, priori ecclesiae sancti Ymerii, ejusdem fratribus, tam praesentibus, quam futuris regularem vitam professis, salutem & apostolicam benedictionem. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse praesidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursum, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod ab sit, sacrae religionis aliquatenus infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus; & praefatam eccle-

[a] Exstat in tabulario Beccensi hujus cartae exemplum, in quo post haec verba, *tenebat decimas*, additum est, hoc est de feris, de volatilibus, de venditione nemorum, de essartibus, de melle, de pasnagio, atque de cunctis consuetudinibus silvarum, & de omnibus molendinis, atque caseis, cunctisque pecuniis, & foris, & de omnibus redditibus terrae meae. Et in Anglica terra similiter de caseis, & universis pecuniis: & de piscibus Haeca, & unam domum in eadem villa, & de Bratheburna, & Tiltetona, & Esbruge decimas do de annoniis similiter.

fiam,

siam, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & praesentis scripti privilegio communimus: imprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in ecclesia vestra institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona eadem ecclesia in praesentiarum iuste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo monasterium vestrum situm est, ex dono Hugonis de Monte-forti cum omnibus pertinentiis suis, scilicet cum capella sanctae Mariae in villa sancti Ymerii, & cum capella sancti Michaelis apud Pontem-episcopi, & cum decimationibus molindinorum de Cornevilla, & aliorum nemorum, & forestarum, & pisciarum, & vivariorum, & caseorum, & virgultorum, & omnium quae decimari debent de honore de Monte-forti in Northmannia, & Anglia. Et in Anglia ecclesias de Bradeburna, & Tiltetona, & de Esbrugge cum omnibus pertinentiis suis, & nominatim decimis piscium de Heca, & unam domum apud Iream, sicut donatorum cartae testantur. Ex dono Hugonis filii Gilleberti de *Gant* partem illam silvae, quae vocatur nomen Heroldi, & vallis corvi, & virgultum quod fuit Ricardo *Porée* in Perrefita, & decimas de salinis, & nundinis de Ponte-episcopi, & de valle *Ancre*, sicut ejus carta testatur. Ex dono illustris Henrici Anglorum regis capellam de Bello-loco cum decimis & omnibus pertinentiis suis. Ex dono Willelmi de Perrefita, assensu uxoris suae, & filiorum suorum, & Hugonis de Monte-forti domini sui, decimam de mortua aqua, & de omnibus molendinis suis, sicut in ejus carta continetur. Ex dono Roberti *Mauviel*, assensu uxoris, & filiorum suorum, virgultum, & terram, & boscum quae tenebat de eo Hebertus clericus, & boscum de Quarrerria, & hortum unum juxta fontem sancti Ymerii. Et in Ferravilla unum hortum & unam acram terrae. Ex dono Hugonis praepositi de Torta quercu tres acras terrae in eadem villa. Ex dono Willelmi *Furtel* apud Magnam-villam unum vavassorem reddentem decem solidos cum pertinentiis suis. Ex dono Roberti de Monte-forti pasturam, & terram de monte supra domum Hugonis *Peissun*, & aquam & piscariam de Ivea, & gardinum quod fuit Willelmi presbyteri, & decimam novi molendini, & molendini fulleritii. Ex dono Heliae de Baillolio terram apud Tortam quercum in essartibus forestae, & unam salinam ad Tolcam, concessu domini sui Roberti de Monte-forti. Ex dono Walteri *Pipard* terram de Guvifosse, quam Hugo de Monte-forti ei dederat pro servitio ejus. Ex dono Oliverii de Albino unum vavassorem reddentem quinque solidos cum re-guardis, & omnibus pertinentiis suis. Ex dono Albredae de Tilio, & Roberti filii ejus tertiam partem decimae molendini de Perrefita cum omnibus pertinentiis suis. Ex dono Willelmi de Betevilla decimam molendini sui in eadem villa,

Annal. Bened. Tom. VI.

& terram quam eis dedit apud sanctum Ymerium juxta forestam, sicut in authenticis scriptis singulorum donatorum continetur. Sane novallium vestrorum quos, propriis manibus, vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum ullus a vobis decimas exigere, vel extorquere praesumat. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos a saeculo fugientes liberos, & absolutos ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque prioris sui licentia de eodem loco, nisi arctioris religionis obtentu discedere, discedentem vero sine communi litterarum cautione ullus audeat retinere. In parochialibus autem ecclesiis, quas habetis, liceat vobis clericos vel sacerdotes eligere, & diocesano episcopo praesentare, quibus si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Cum autem generale interdictum fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Antiquas quoque &..... in ecclesia vestra hactenus..... habemus, easque futuris illibata..... Praeterea statuimus ut..... episcopo, decano, archidiacono, vel eorum officiali..... ecclesias vestras, seu clericos familiae vestrae..... manifesta, & rationabili causa, interdicti, excommunicationis aut suspensionis sententiam liceat pervulgare. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremae voluntati, qui se illic sepeliri desideraverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obstet, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat praefatam ecclesiam tenere, perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut quibuslibet vexationibus vetigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicae autoritate, & diocesani episcopi canonica justitia. Si qua ergo in futurum ecclesiastica saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nec reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetua iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore, ac sanguine Dei, & Domini redemptoris nostri *Jesu Christi* aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini *Jesu Christi*, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Ego Lucius catholicae ecclesiae episcopus. Ego Theodinus Portuensis, & S. Rufinae sedis episcopus. Ego Henricus Albanensis episcopus. Ego Paulus Praenestinus episcopus. Ego Petrus presbyter cardinalis titulo sanctae Suzannae. Ego Vivianus titulo sancti Stephani in Celio monte presbyter cardinalis. Ego Laborans presbyter cardinalis sanctae Mariae trans-Tiberim titulo

Dddd

Calixti. Ego Pandolphus cardinalis titulo duodecim apostolorum diaconus cardinalis. sancti Theodori. Ego Gra diaconus cardinalis titulo sancti Angeli. Ego Oriani diaconus cardinalis. Ego Galfredus titulo sanctae Mariae in via lata diaconus cardinalis. Ego Albinus titulo sanctae Mariae novae diaconus cardinalis. Per manum Hugonis sanctae Romanae notarii xiv. kalendas Julii indictione incarnationis dominicae anno MCLXXXI. pontificatus vero domini Lucii tertii anno secundo.

V I T A S. H I M E R I I
Anachoretæ Basileensis.

L E C T I O I.

Himerius medio inter Sequanos & Rauracos loco in vico Lugduniano, non longe a Ponte-Ragentrudis nobilibus parentibus natus est: quo tempore maxima parte territorii Aventicensis ab Alamannis incendio concremata, episcopalis sedes ab ea urbe Laufannam translata erat. Ab ineunte ætate sacris litteris & pietati operam dedit: ut autem vitaret multitudinis contagia, & liberius caelestium rerum contemplationi vacaret, paterna domo relicta, in viam se dedit cum Alberto famulo consilii ejusdem socio, & in deserta Susingæ vallis primum secessit. Ibi vili casa constructa, incultam terram ambo colere incipiunt: sed cum in irritum eorum labor cederet, nihilque proferret satum agellus, ratus aliam sibi sedem a Deo destinari, Laufannam se contulit, ibique impetrata a clero senioris ecclesiae agri prope episcopium colendi copia, de duplici fructuum parte cum illis pactus est, tertia sibi, pauperibusque reservata; sed nec ibi requiem nactus, in Palaestinam proficisci cogitavit, tum ut loca sacris Christi vestigiis nobilitata inviseret, tum ut martyrii palmam ab infidelibus, qui recens eam regionem occupaverant, consequi mereretur.

L E C T I O II.

In locis illis obeundis triennium impendisse creditur, ibique ut incolis evangelii lumen proferret, in ediscenda lingua Syra Arabicaque defudasse fertur, unde cum rediisset, primam Susingæ solitudinem repetiit, & expurgata sentibus veteri sede, sacellum ibi in honorem sancti Martini exstruxit in eo loco, qui postea ab ipso Vallis sancti Himerii appellatus est. Novem annos duræ rupis usus domicilio asperrimam vitam duxit: orationi semper intentus, vix brevem corpusculo somnum indulgebat. Tribus dumtaxat per hebdomadam diebus modico panis hordeacei crustulo victum sustentabat. Tandem virtutibus & miraculis clarus Davidis psalmos pie recitans obdormivit in Domino, pridie idus Novembris, quo die ab omni ævo celebratur in ecclesia Basileensi, ex cujus monumentis excerpta est sancti Himerii vita.

L E C T I O III.

Sancti Himerii memoriam in iis locis ubi ipse floruerat viguisse apud posteros, argumento est, quod in pago vallis sancti Himerii cella steterit ejusdem Sancti nomine dicata, quam Carolus Crassus imperator anno octingentesimo octogesimo-quarto monasterio Grandis-vallis cum omnibus quæ ad eam cellam pertinerent, consecratis rite tabulis consignavit. Anno vero non-

gentesimo decimo-septimo cum audisset Bertha Rudolphi secundi Burgundiae regis conjugem, quæ ad sancti Himerii invocationem prodigia patrentur, ejusdem sancti tumulum invivens, collegiatam duodecim canonicorum ecclesiam præpositi dignitate illustrem fundasse scribitur, in ea valle quæ sancti Himerii appellatur. Meminit item hujus Sancti debita cum veneratione Bifuntina, & Laufannensis ecclesia, in qua vallis sancti Himerii in regione Argaugia prope Bie-lam sita est. Est etiam milliare ad sextum Gratianopolis ecclesia parochialis patronum habens sanctum Himerium, ipsiusque festo die inter sacra commemoratio fieri solebat in universa dioecesi. Exstat etiamnum in dioecesi Lexoviensi in Neustria vetus ecclesia quæ toti viciniae nomen dedit, quam pluribus auctam in Anglia & Normannia redditibus comites de Monteforti, concedentibus Normannorum ducibus, & annuentibus provinciae episcopis, circa initium sæculi duodecimi monachis Beccensibus donaverunt, ut in ea canonicorum loco monachi constituerentur; fundata fuit etiam antiquitus una & præcipuis in cathedrali Lexoviensi præbenda sub nomine sancti Himerii.

X L V I.

Eugenii III. Bulla pro Casa-Dei

Eugenius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Stephano abbati monasterii sancti Roberti de Casa-Dei, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Desiderium quod ad religionis propositum & animarum salutem pertinere cognoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus libenter annuimus, & præfatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona in præsentiarum iuste & canonicè possidetis, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum, largitione principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci; firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Prioratus de Cornilione & de sancto Salvatore cum ecclesiis, decimis & suis pertinentiis: prioratus Canteogeolensis ecclesiae & Montis-Ferrandi cum ecclesiis, decimis & pertinentiis eorum: prioratus sanctae Mariae Montis-pilosi & de Bullione cum ecclesiis, decimis & pertinentiis eorum: prioratus sanctae Liberatae & de Bargiaco & de Leuciaco cum omnibus appendiciis suis: prioratus de Andria, de Sepeio, de Jaliniano & de Teclada cum omnibus appendiciis suis: prioratus de Saviniaco, de Bello-monte, de Vecellis, & de sancto Treverio cum ecclesiis, decimis & pertinentiis suis: prioratus de Audancia & de Vera-villa & de Veracco cum ecclesiis sancti Verani cum pertinentiis earum: monasterium de Cruce cum ecclesiis de Flavino,

Ad lib. 78.
n. 82.
Ex archivo
Casa-Dei.

de Aidofchia, de Longacanal, de Bifonas, de S. Desiderio, de sancta Maria de Strata, de Lefchas, de S. Hilario, de S. Urfo, de Fratta, cum parochia de Monte, sicut rivus dividit, cum capella de Boscosello cum decimis, & omnibus pertinentiis earum: prioratum de Portu-Dei cum ecclesiis, decimis & omnibus pertinentiis suis: cellam de Belli-cadro cum appendiciis suis: ecclesias de Fischeo, de Monte-Ayrardo, de Balgro & de Subran: ecclesiam quoque de sancto Liberio cum appendiciis suis: abbatias etiam, in quibus abbates instituire consuevistis, vobis in perpetuum confirmamus. Decernimus ergo, &c.

Ego Conradus Sabinensis episcopus. Ego Albericus Ostiensis episcopus. Ego Imarus Tusculanus episcopus. Ego Odo diaconus cardinalis S. Georgii ad Velum-aureum. Ego Guido diaconus cardinalis SS. Cosmae & Damiani. Ego Gregorius presbyter card. tit. S. Laurentii in Damaso. Ego Jordanus presbyter card. tit. S. Sufannae. Ego Artaldus diac. card. S. Eustachii juxta templum Agrippinae. Ego Hyacinthus diac. card. S. Mariae in Cosmedin.

Datum Trans-Tiberim per manum Roberti S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii kalendis Februarii, indictione ix. incarnationis dominicae anno MCXLVI. pontificatus vero domini Eugenii III. papæ anno i.

X L V I I.

Charta Bartholomaei episcopi Laudunensis, qua exstinguitur ecclesia S. Petri prope monasterium S. Johannis.

Ad lib. 78.
n. 94.
Ex nostro apographo.

IN nomine sanctae & individuae Trinitatis, Amen. Quoniam ea quæ geruntur, tam ex transitu temporum, quam ex defectu hominum adullata evanescent; necesse est scripto mandari quod convenit posteris commendari. Ea propter ego Bartholomæus, Dei gratia Laudunensis episcopus notum fieri volumus tam præsentibus quam futuris, quod in ecclesia sancti Petri, quæ ecclesiae S. Johannis Laudunensis est contigua, canonici ad serviendum monialibus in ecclesiasticis officiis statuti fuerunt; tandem consilio religiosorum personarum, assensu etiam Ludovici regis Francorum, monialibus inde ejectis, & monachis Deo devote servientibus ibidem substitutis, canonici ad serviendum monachis necessarii non fuerunt. Unde nos monialium ejectionem, ecclesiamque S. Petri de propriis impensis & redditibus S. Johannis instauratam, divini insuper servitii & ordinis inquietationem propter nimiam ecclesiarum affinitatem considerantes; precibus Balduini abbatis ecclesiae S. Johannis, consilio etiam & exhortatione Bernardi venerabilis abbatis Claræ-valensis, & consensu & unanimi voluntate capituli canonicorum majoris ecclesiae Laudunensis, assensum præbuimus & concessimus eidem abbati, & successoribus suis. memorataeque ecclesiae S. Johannis, ut canonicis in ecclesia sancti Petri decedentibus, alii ibidem non sufficiantur canonici; sed præbendæ ipsorum in usus monachorum de cetero redigantur; atque in dispositione ac potestate & providentia abbatis

omnium præbendarum proventus, & totius status ecclesiae S. Petri & ordinatio liber & pacifice in perpetuum remaneat. Ad majorem etiam ordinis quietem & silentii tranquillitatem & pacem, dictae ecclesiae concessimus & licentiam dedimus removendi & transferendi ecclesiam S. Petri post decessum canonicorum, ubi & quando voluerint: ne propter vicinitatem ecclesiarum & saecularium personarum frequentationem, status religionis & silentium monachorum aliquo modo valeat perturbari. Quod ut ratum & illibatum permaneat, sub excommunicationis anathemate & sigilli nostri impressione scriptum hoc confirmari, & testium subscriptione annotari præcepimus. Sign. Bernardi venerabilis abbatis Clarævalensis. Sign. Richardi archidiaconi. S. Bartholomaei archidiaconi & thesaurarii. S. Balduini abbatis sancti Vincentii. S. Galteri abbatis sancti Martini. Sig. Gozuini abbatis Fusciniacensis. S. Gisleberti abbatis sancti Nicolai de Silva. S. Guillelmi abbatis sancti Nicolai in Pratis. S. Johannis abbatis sancti Michaelis. S. Hugonis abbatis Humolarisensis. S. Milonis cantor. S. Roberti clerici de Tugniaco. Actum anno Domini MCXLVI. indict. ix. epacta vi. concurrente primo. Angotus cancellarius relegit, scripsit & subscripsit.

X L V I I I.

Corbeia-nova monachorum epistola ad Eugenium III.

Reverendissimo in Christo patri, suo domino Eugenio, divina gratia summo & universali pontifici W. licet indignus Corbeiensis ecclesiae prior & ceteri fratres universi, qui in Corbeienfi monasterio Deo militant, devotam obedientiam & exiguas orationes in Domino. Sanctitati vestrae suggerimus, quod post depositionem Henrici quondam abbatis nostri, qui a venerabili legato vestro scilicet magistro Thoma pro manifestis culpis suis & confessis, canonice ad totius monasterii salutem, quod ipse multis modis vastabat, destitutus est; convenimus in personam cujusdam fratris nostri, qui officium præposituræ administrabat, & elegimus eum, quibusdam ex fratribus nostris non assentientibus, & multis ex laico ordine reclamantibus, qui partibus depositi illius pertinacius favorerant; qui post suam promotionem paucis mensibus vivens vita discessit, & nos plenus mœrore & sollicitudine non sine aliqua discordia reliquit. Et quoniam per abbatum nostrorum negligentiam per annos fere quinquaginta, res monasterii nostri & dignitas tam intus quam foris, ultra quam credi possit, imminuta sunt; & nos penitus concordēs non eramus; nulla tum in ecclesia nostra persona inveniri potuit, quæ sufficere posset ad alligandas attritiones nostras, & ut filii Dei & ecclesiae nostrae, qui dispersi erant, aggregarentur in unum. His necessitatibus coacti, invocata Spiritus-sancti gratia, & adhibito religiosorum & sapientium virorum consilio, communi omnium desiderio sine ullius personae magnae vel parvae contradictione, immo favorabili omnium assensu, præsentē & consulentē nobis in id ipsum venerabili filio vestro

Ad lib. 78.
n. 107.
Ex annal.
Paderborn.

B. Patherbrunnensi episcopo, elegimus nobis in capitulo nostro Corbeienſi in patrem & pastorem animarum noſtrarum, in abbatem ſcilicet & dominum noſtrum Stabulenſem abbatem dominum Wicholdum, cujus religione & prudentia Corbeienſe monaſterium ad priſtinum ſuæ dignitatis ſtatum reformari poſſit. Quod cum facere & electioni noſtræ multis diebus aſſentire renuiſſet, & per noſtros legatos abſtrahi, ad conſulendum nobis, a monaſterio ſuo nequam valeret, tandem auctoritate regia ad curiam eſt evocatus, & cogente ipſum domino noſtro Conrado Romanorum rege, fratres noſtros & laicos noſtros, qui illuc frequentes conſueverant, ſequi & ad nos venire compulſus eſt. Et gratias Deo omnipotenti referimus, quia non ſumus fraudati a deſiderio noſtro, & a ſpe quam de ipſo patre noſtro conceperamus: quoniam mirabili induſtria omnes diſſenſiones noſtras ad pacem & concordiam renovavit, & poſſeſſiones non parvas, quas depositus ille alienaverat, magna cum prudentia & efficacia ad uſum monaſterii recollegit. Præterea ſunt in vicinia noſtra duo monaſteria feminarum, quæ ſuæ enormitatis pertinacia, noſtros & omnium religioſorum oculos & aures ſæpiſſime offenderunt; ad quod malum eliminandum, cum quidam ex noſtris abbatibus laborare cœpiſſent, quatenus & poſſeſſio eccleſiæ conferretur, & divina inibi religio reformaretur, obtinere non potuerunt: ſed dominus abbas noſter Wicholdus, multis ſuis obſequiis inclinatum habens animum principis, a domino noſtro rege Conrado impetravit eadem loca cum omnibus ſuis appendiciis monaſterio noſtro conferri, & per auctoritatis regis privilegium legitimam traditionem confirmari. Dilectam itaque nobis miſericordiam, flexis ad vos genibus cordis, humiliter imploramus, ut quoniam jam ſæpe dictus pater noſter quinque talenta, quæ acceperat, ſollicite duplicavit, Chriſtum imitantes verum & bonum patremfamilias, ſuper x. civitatem eum conſtituatis juxta illud, Omni habenti dabitur; & eum veſtra benedictione apoſtolica munitum, ut nobis & præſeſſe & prodeſſe valeat, ad nos cum gaudio remittatis, & donationem, quam dominus noſter rex de prædictis duabus cellis fecit monaſterio, veſtri privilegii pagina confirmare dignemini.

X L I X.

Fragmentum historicum de Ludovico VII. Francorum Rege. Ex Stephani Parisiensis Commentario ms. in Regulam S. Benedicti, cap. 35.

Ad lib. 78.
n. 121.

Anno incarnationis dominicæ, ut mihi videtur, milleſimo centeſimo quadreſimoſeptimo venit in Franciam felicis memoriæ papa Eugenius natione Piſanus; dignitate & vita vere apoſtolicus totus. Exivit ei obviam Ludovicus rex glorioſiſſimus, alterius Ludovici regis Franciæ filius, ita pius, ita clemens, ita catholicus ac benignus, quod ſi ejus geſtum videres & habitus ejus ſimplicitatem, crederes utique quod rex non eſſet, niſi forte eum cognoſceres, ſed homo aliquis religioſus. Amator fuit juſtitiae & deſenſor egregius, eccleſiaſticus totus fuit conſervatione & moribus: ſi quis ſanctæ eccleſiæ

reſiſtere voluit, ipſe fuit ejus propugnator & adjutor fortiffimus, & contra eam impugnantem inexpugnabilis clipeus. Certe vellem & mihi eſſet deſiderii ut omnes reges mundi ejus exemplo ad ſanctæ Dei eccleſiæ honorem & libertatem ſervandam invitarentur. Vidi enim quam ſæpius quod in proceſſione ſolemni in eccleſia videlicet beatiffimæ Virginis & Dei-genitricis Mariæ Pariſienſis poſt episcopum veniens, reſpiciebat ſi aliquis clericus, vel ſuæ privatæ familiæ, vel aliquis ſcholaris, quia civitas illa dulcis & glorioſa multis abundat ſcholaribus, eum fortuito ſequeretur; quod ſi nullum videret, episcopum humiliter ſequebatur: ſi vero etiam pauperem aliquem, etiam perſonam contemptibilem forte ſe ſequentem conſpiceret, obſtupeſcebat utique quaſi angelico exhortatus hortatu, ſtatim ſiebat retrogradus, ſibi ipſi, quaſi Deo intuliſſet multam injuriam, graviffime indignabatur. Dicebat ergo: vos clerici procedite, per ſanctos de Bethleem ego non procedam, veſtrum eſt procedere. Ite, ite, meum eſt & omnium laicorum vos ſubſequi, & vos nobis debetis oſtendere viam. Vidi etiam quod volens quadam die venire Pariſius, detentus eſt in via, recepit ſe propter noctis inſtantiam, quæ eum prævenerat, in quadam canonicorum villa Pariſienſium, locus ille Chriſtolium vocabatur, ibi jacuit, ibi ab hominibus loci data ſibi fuit expenſa. Summo mane nunciatum eſt canonicis: contriſtati ſunt valde, dixerunt ad invicem, deſtructa eſt eccleſia, fracta ſunt privilegia; aut rex iſte expenſas reſtituat, aut ceſſet univerſa ad nos reſpiciens eccleſia Pariſienſis. Venit rex eadem die Pariſius ſicut de conſuetudine, qualemque tempus eſſet, ſemper habebat ad majorem eccleſiam: foris ſtetit & alter concivis, quia clauſam contra ſe invenit januam eccleſiæ. Admiratus eſt, cœpit quærere quid eſſet in cauſa, & ſi forte, quia emendare vellet, aliquis offendiſſet eccleſiam. Reſponſum eſt ei tandem: vere rex tu es ille homo qui contra hujus ſanctæ eccleſiæ ſacratam conſuetudinem & libertatem apud Chriſtolium ſero non de tuo, ſed de hominum hujus eccleſiæ maſcupio præſumſiſti cœnare: igitur ceſſat hæc eccleſia, igitur hæc ipſa tibi clauſa eſt janua, & prius omnes canonici exeunt de veſtra potentia, quam ſuſtineant ſuis temporibus libertatem eccleſiæ deperire, & ob hoc ſi neceſſe eſt, parati ſunt antequam conſentiant omnia ſuſtinere tormenta. Expavit ille rex chriſtianiffimus ad hæc verba, ſuſpiravit, ingemuit, lacrymatus eſt, pro nimia triſtitia cœpit ſe excuſare fortiter, non feci hoc inquit ſtudioſe, nox iter meum impedivit, non potui ſero Pariſius, ut propoſueram pervenire, me non cogente terra illa in expenſis me honoravit, pro certo non contradixi; pœnitent me illorum hominum ſervitia gratuita, quia converſa ſunt mihi ad verecundiam, ſuſcepiffiſſe. Veniat Theobaldus episcopus, veniat & Clemens decanus, veniant omnes canonici, veniat & ipſe canonicus ejusdem villæ præpoſitus: ſi culpabilis ſum ſatisfacere volo; ſi inculpabilis, eorum volo ſtare conſilio. Rex ille quaſi agnus manuſuetiffimus ante januas eccleſiæ clauſas in oratione remanſit. Nuntius ad episcopum audita regis præſentia cucurrit: gaviſus eſt episcopus, gaviſi ſunt canonici, aperiuntur

riuntur januæ, intrat rex eccleſiam cum maxima pietate, orat ut conſueverat humiliter & devote: dat ipſum episcopum fidejuſſorem canonicis pro ſatisfactione. Episcopus vero duo ſua candelabra donat eis argentea, donec rex quicquid ibi expendit deberet reſtituere: per virgam autem, quæ uſque in hodiernum diem, ut credo, inter privilegia eccleſiæ cum magna cautela reſpoſita eſt, canonicis ſatisfecit, eam propria manu ponens ſuper altare, in qua quia ſatisfactio ſcripta erat in memoriam libertatis eccleſiæ, in hoc quod ſervaretur ſub ſideli cuſtodia, & rex & episcopus & omnes canonici unanimiter convenere. Hic ſanctæ memoriæ papæ Eugenio obviavit. Videns a longe apoſtolicam majeſtatem, ſtatim de paleſtrido deſcendit, pedes ei ſeſſinanter tamquam ipſi Petro apoſtolo vel etiam Jeſu Chriſto ipſi occurrit, amplexatus eſt pedem apoſtolicum, totum deoſculabatur cum lacrymis. Apoſtolicus equitabat, clamant videntes: Domine, Domine, rex eſt ipſe, recipite eum, quod ſuper paleſtridum aſcendat ei ſi placet dignemini apoſtolica majeſtate præcipere. Papa tamquam ſapentiſſimus diſſimulabat, ſere tamquam videns regis humilitatem movebatur ad lacrymas; tandem ſtetit, eum prout tam apoſtolicam quam regalem decuit dignitatem benigna & paterna receptione recepit. Ait ergo, audi ſili mi, audi benigne rex, conſiderare debes cum magna cautela & devotione diligentiffima quæ ſunt in hoc mundo mira opera Dei: frater tuus carnalis Henricus ex regali proſapia a progenie in progeniem ortus, ſcutellas lavat factus monachus in monaſterio Claraevalleniſi: Ego factus ſum per Dei occultiffimam gratiam & diſpenſationem omnium Pater chriſtianorum, qui ſcutellas lavi quamſæpius in ordine Ciftercienciſi; ideo ad majorem ſummi rerum ordinis gloriam te aliquantulum recipere diſtuli, ut omnipotentis Dei vicario ad tuam perpetuam gloriam & coronam humilem te exhiberes, ut quem ab omnibus vere te cognoſcentibus, & de te mihi loquentibus, benignum & chriſtianiffimum regem eſſe intellexeram, ipſo effectu cognoſcerem te lumen eſſe aliorum in hoc mundo regnantium, gratia & virtute tibi, qui tam ſublimis & præcellus rex es, a Deo conceſſæ & deditæ veraciſſimæ humilitatis. Si ergo Henricus frater regis Francorum in coquina monachorum monachus & hebdomadarius fuit, qui poſtea Belvacenſis episcopus & poſtmodum archiepiscopus fuit Remenſis, ſi etiam ipſe papa Eugenius non dedignatus eſt etiam ſe ſcutellas coquinæ laſſe humiliter profiteri, jam nullus eſt, niſi quos ipſa excuſat regula, qui a coquinæ officio debeat excuſari.

L.

Eugenii III. Bulla de dedicatione eccleſiæ Montis-martyrum.

Ad lib. 78.
n. 126.
Ex autographo.

Eugenius episcopus ſervus ſervorum Dei, univerſis Dei fidelibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Officii noſtri nos hortatur auctoritas venerabilia loca cum ipſis perſonis divino ſamulatuſi mancipatis diligere & fovere, & *Annal. Bened. Tom. VI.*

eorum oportunitatibus paterna ſollicitudine providere. Inde eſt quod nos ſanctimonialium de Monte-martyrum neceſſitatem attendentes, juxta petitionem earum anno ab incarnatione Domini MCXLVII. kalendas Junii locum ipſum per præſentiam noſtram adivimus, ibique Spiritus-ſancti gratia invocata, majus altare in honore beatorum martyrum videlicet Dionyſii, Ruſſici & Eleutherii, auctore Domino conſecravimus. Illis autem qui tunc locum ipſum devotionis & pietatis intuitu viſitare, vel de cetero in anniverſaria die ipſius conſecrationis viſitaverint; & de facultatibus ſibi a Deo præſtitis eisdem ſanctimonialibus ſuas elemoſynas largiti fuerint ſeptingentos dies injunctæ pœnitentiæ conſiſſi de beatorum apoſtolorum Petri & Pauli meritis indulgentius, & eandem indulgentiam ſcripti noſtri pagina confirmavimus. Data Melidis idibus Junii. Pendet in bulla ex una parte Eugenius papa III.

L I.

De felici obitu Bertrami abbatis Grandis-silvæ, & de viſis caeleſtibus poſt ejus mortem in ipſius monaſterio factis.

AD Dei omnipotentis honorem tradatur memoria id quod de reverentiſſimo & devenerabili patre noſtro Bertrando tempore mortis ejus paucis eſt ab ipſo referatum. Erit enim, ut conſidimus, per gratiam Chriſti dignum præſentibus, poſteris profuturum, utile multis, mendacio vacuum, veritatis plenum, cunctis ſine dubitatione credendum. Qui prædictus & venerabilis pater cum per xx. & eo amplius annos Grandis-silvæ rexiffet eccleſiam, glorioſum perficiens curſum, multis filiorum ſuorum Domino jam præmiſſis, feliciter pervenit ad palmam, & bravium ſupernæ vocationis, diu multumque deſideratum, Chriſto largiente, percepit. Quique etiam, qualis conſervationis & ſanctitatis fuerit intimatur.

2. Fuit enim animi ſimplicitate incomparabilis, cordis munditia præclarus, abſtinentia præditus, manuſuetudine & lenitate cunctis amabilis, patientia fortis, caritate præcipuus, humilitati deditus, & ut ſic concludam, in his omnibus aliisque virtutibus Dei amicus inventus eſt. Igitur ante unum diem mortis ſuæ quibuſdam inquirentibus ſe fratribus quatinus ſi aliquando aliquam familiaritatis gratiam coram Deo meruiſſet, pie ipſis referaret. Humiliter interrogantibus tale dedit reſponſum: non ſum illius meriti, ut ſinem meum aliquando reſcire potuiſſem. Sed cum prædicti fratres petitioni ſuæ humiliter perſiſterent, tandem inſtantia eorum compulſus, hoc modo reſpondit, dicens fuiſſe ſibi non minimum ſtadium in initio converſionis ſuæ, quatenus evangelia per ſingulos dies ſanctæ meditatione percurreret, omnique puritate vitam ſuam cuſtodiret, in tantum ut nullus coram ipſo verba ſæcularium, ſalutationes parentum, narrationes ſomniorum referre præſumeret. Qua ſanctæ obſervatione ad hoc uſque profecit, ut ad invocationem nominis Domini Jeſu facile imbres profluereſſent lacrymarum. Quo in tempore apparuit ei beata & glorioſa Virgo Maria, ſed quo ordine & quo modo ignotum

Ad lib. 78.
n. 138.
Ex ms. Aut.
ven. vallis.

Bertrandi
præclaræ
virtutes.

Eeeee

habemus. Ipsoque in tempore tantam gratiam in conspectu Domini meruit invenire, ut adhuc in hoc mortali corpore degens, Dominum Jesum videre mereretur. Referebat enim quia cum in loco moraretur, vocabulo Tuscio (a), ubi prædictæ visionis meruit gratiam, essetque in conventu fratrum, & vespertina solemnia agerent, vidisse se Dominum astantem sibi ante faciem suam. Cumque nimium miraretur, vidit ipsum Dominum Jesum coram unumquemque transire. Estimabat autem vir sanctus quod transeuntem Dominum unusquisque videret. Psalmus autem quem cantabant erat *In exitu*.

Factus abbas ut persecutiones vitet in Siciliam se recipit.

3. Postquam pastoralis curæ onus suscepit, & ecclesiam Grandis-silvæ suscepit regendam, prioris studii amicam sibi quietem omnino ex toto retinere nequivit. Multis itaque necessitatibus, angustiis, tribulationibus in eodem loco insurgentibus, locum mutare loco optimum duxit, suspicatus in eodem loco fieri & esse semper religionis detrimentum propter impietatem & stultitiam hominum circa se habitantium. Quapropter de eodem loco discedens, Siciliam usque maximo cum labore devenit; ubi divinam clementiam implorans, quatenus eum in omne beneplacitum voluntati suæ dirigeret, ostendit ei Dominus locum & loci qualitatem in quo venturus erat. Quo cum pervenisset, eo modo locum esse invenit, sicut sibi ostensum fuerat. Convertere ad Dominum, ut ei ostendere dignaretur beneplacitum voluntatis suæ, ostendit ei Dominus eum in illo loco minime posse permanere; sed ad alium locum eum inesse migraturum, locumque & loci qualitatem, sicut prius, ostendit illi. Ubi cum pervenisset, sicut sibi ostensum fuerat invenit. Evolutis autem duobus annis ex quo abbatiam egressus fuerat, astitit ei per somnium duo monachi sui, quos in abbatia cum aliis reliquerat, & librum Job tenebant coram eo dicentes, eum multas tentationes & tribulationes esse passurum. Cumque hæc vir sanctus fratribus retulisset, ait: Ago gratias Deo quod sicut prædixit mihi ita passus sum. Post hæc ad propriam ecclesiam regressus, cum tribulationibus, angustiis, ac necessitatibus undique angustaretur, & ob hoc auxilium Dei imploraret, ostendebat ei Dominus, a se semper illi auxilium adfuturum, & quod de omni tribulatione eum liberaret.

Et ad propriam redit ecclesiam.

Celebranti Christus appareret.

4. Præterea dicebat se multoties corde arenati & frigido ad sanctum altare accessisse ad sacra mysteria peragenda, & inter ipsa sacro-sancta mysteria sibi Dominum Jesum apparuisse aliquando ubi dicitur in canone: *Hoc est Corpus meum*, aliquando vero in fractione corporis Christi, videbatur illi Dominum proximum sibi fieri, ut ipsi videretur ab illo osculum sibi dari. Interrogatus vero quomodo & in quali corpore Dominus Jesus ab ipso videretur, respondit, *in corpore glorificato*.

5. Asserebat quoque se frequenter dum per viam ambularet, & Christi misericordiam deprecaretur, dum oculos ad cælum attolleret, vidisse cælestia, & quod maxima claritas de cælestibus ad se usque veniebat.

(a) Tuscio seu Turcio erat femininarum monasterium a Gerardo de Salis fundatum, ut supra vidimus in ejus vita, ad quod divertere facile potuit Bertrandus ejusdem instituti sociator.

6. Ista omnia quæ dicta sunt sanctus pater noster non ante sciscitantibus referavit, quo usque fidem dederunt se super hoc nulli hominum quamdiu ipse viveret locuturos. Appropinquante autem hora mortis ejus, congregati fratres circa eum, (erat autem nox, puto, plusquam media) jamque ut nobis pro certo videbatur certis indiciis eo exanime factis, psallentibus fratribus oculos suos aperuit: ô quam gratis oculis, vultu lætissimo & serenissimo astantes respexit.

7. Ante duos menses dormitionis suæ cum gravi molestia febrium urgeretur, retulit quod nocte per somnium apparuit ei gloriosa & perpetua Virgo Maria cum glorioso sanctissimoque conventu ad mensam residens. Cumque ingressus fuisset coram ea, B. Dei genitrix & piissima Virgo Maria invitare cœpit eum ad mensam, ille vero se indignum tali invitatione testabatur.

Ante obitum ei apparuit Virgo Maria.

8. Sequenti nocte, cum nec plene dormiret, nec penitus vigilaret, retulit hujusmodi se vidisse visionem, dicens: Vidi, inquit, tali in loco Dominum Jesum talem, sicut ipse est, pius, dulcis, atque misericors, erantque quamplurimæ mansuiculæ ibi, sed vacuæ: admirans itaque, sicut ipse postmodum retulit, audivit Dominum dicentem, atque præcipientem sibi: Loquere; at ille, Domine, ait, quid loquar, aut unde, cum sim nescius, & ignorans, quid dicam? Cui Dominus: Tantummodo loquere, ego te instruam quid dicas. Hinc autem loqueris, absintium nomen ejus. Post hæc, sicut ipse referebat, mansuiculæ illæ multimode hominibus replebantur, quæ mansuiculæ circa claustrum & ecclesiam videbantur.

9. Anno igitur Dominicæ Incarnationis MCLXIX. corporali molestia prægravatus, ad diem vocationis pervenit extremum; & quia venerat scriptum est, dicente Domino: *Glorificantes me glorificabo*; ideo vir sanctus tempore mortis suæ meruit honorari a Domino. Nam abbatem longinquum & alterius provincie, sed ejusdem religionis, tunc ei Dominus misit ad ejus obsequium sepulturæ, cum propinqui & vicini abbates omnes decissent. Ingressum itaque ad se prædictum & venerabilem virum sic affatus est: Ideo te misit Dominus, ut obsequium mihi exhibeas sepulturæ. Quam verum in hoc dixeris, venerabilis pater, rei exitus adprobavit: nam in morte tua & obsequium ministrasti, & officium tibi exhibuit sacerdotis. Te enim defunctum exspoliavit, lavit, exterxit, & induit, & Domino animam, & terræ corpus ore proprio commendavit. Obiit autem sanctus pater v. idus Julii feria II.

Obit & ejus exequias celebrat abbas alterius provincie.

10. Prædictus itaque & venerabilis abbas post obitum sanctissimi viri cum se sopori dedisset, vidit hujusmodi visionem. Quinto idus enim, ut ipse postmodum referebat, greges ovium venientes ingrediebantur per viridarii loca, & ammirans hæsitabat, quid sibi vellent ovium greges, & audivit vocem dicentem sibi: Oves istæ quas vides, homines sunt, & abbas ipsorum duxit eas. Vere quorum curam vivus gesserat, non minus post mortem suam eorum se curam gerere, homo Christo amabilis multis modis evidenter ostendit. Denique postquam sanctissimus pater & pastor migravit ad Dominum, antiquus hostis quorundam fratrum corda

Suos post mortem protegit.

corruptis & subvertit; sed ad hoc quod volebat, & sicut volebat, perducere statim omnino nequivit. Et alios quidem ordinem deferere, & alios ad ordinem remissorem declinare suavit; sed calliditas hujusmodi latere non potuit, tamen præventa posse suum omnino non perdidit: nam unus ex his quos in cordis pravitate seduxerat, habitu monachum, inter manus & de manu seniorum causam conquirentium, callida seductione subtraxit, & fugere persuasit; sed angustia circumclusus, longius abire nequivit: nam post biduum veniam petivit, ad monasterium rediit. Interea misericors Deus calliditatibus obviavit inimici, ei pietatem suam opposuit, & vas gloriæ nominis sui de vasis captivitatis misericorditer præparavit.

Novitio ad sæculum revertere meditantem in excessu apparuit, & per eum suos hortatur ordinem servare.

11. Die itaque XI. post excessum sanctissimi patris, unus ex his quos calliditas inimici circumvenerat, adhuc in cella probationis degens, cum post horam nonam labori se, sicut est consuetudinis, cum aliis præparasset, ante lectum suum resedit, & cunctis exeuntibus, ipse solus manens & remanens, omnibus stuporem incussit; sed neque se vocantibus ullum responsum reddere valuit. Perturbati & contriti propius accedentes, & nomine proprio sæpius inclamantes, cum nullum ab eo responsum acciperent, nec in eo aliquem motum nisi vix aspicere possent, priori & fratribus indicaverunt, & cum morti propinquum nunciaverunt. Quo cum pervenissent, mirabiliter nimis in quodam inestimabili mentis excessu corporalia cuncta transcendens, paulatim excessit, in tantum ut cunctis aperte claresceret, tactum & visum corporalem eum omnino procul dubio amisisse. Nam quamdiu in excessu fuit, manus inflexibiles & ad cælum erectas tenuit, faciem & oculos ad Deum sæpe elevans. Cumque præsentibus cunctis, sic cum gemitu loqueretur, Domine, inquit, Domine, & diutius hæc diceret, interrogatus ab eis utrum domnum abbatem videret? Audio, inquit, vel sicut quibusdam visum fuit, sic respondit: Audio illum. Post hæc per spatia & moras vix aliquid loquebatur. Hæc tamen post primam interrogationem sic loquutus est: Domine, inquit, Bertranne, domine Bertranne, & post paululum, domine, inquit, sancte Bertranne. Quæ postquam diutius dixit, tacuit. Post hæc nunc Dominum Jesum, nunc ejus gloriosam genitricem cum fletu & lacrymis sæpius invocabat, & sic loquebatur. Domine Jesu, non sum dignus ego peccator, non sum dignus. Deinde post aliquantulum spatium sic loquutus est: Non dixi, Domine Jesu, non dixi. Ad ultimum vero, cunctis audientibus atque videntibus, dulci & clara voce respondit: Deo gratias. Et quasi de gravi somno evigilans, apertis oculis supplicans, circumstantes respexit. Interrogantibus itaque ubi fuisset, respondit: In gloria. Vidisti, inquit, domnum abbatem? Vidi, inquit, & cohortatur vos multum. Iterum interrogant: Vidisti, inquit, Dominum Jesum? Vidi, inquit. Iterum sicut prius interrogantes eum, si domnum abbatem vidisset? hujusmodi responsum accipiunt: Vidi, inquit, & cohortatur vos multum, & roncinatur vos ante Deum multum. Mandavit itaque vobis de ordine & religione, ut cu-

stodiatis & teneatis, & ipse erit ductor vester ante Deum. Quod si feceritis, mandat vobis & hoc, quia ubi ipse est, & vos pervenietis. Dicunt ei iterum: Vidisti Dei genitricem? Vidi, inquit, & roncinatur vos multum coram Domino. Quomodo, inquit, aut qualiter vidisti domnum abbatem? Splendidum, inquit, ipsum indutum sicut ad missam, & multitudo, quæ cum ipso erat, albis erat induta, & dulciter psallentes pergebant. Cognovisti, inquit, aliquem in ipsis? Nullum, inquit, cognovi præter ipsum. Dicunt ei: Nihil aliud mandat nobis domnus abbas? Nihil, inquit, nisi tantum de ordine. Ad quid, inquit, respondisti, Deo gratias? Qui respondit, præcepto. Dicunt ei: Quali præcepto? Sed jam plenissime ad se reversus qui hæc viderat, nihil amplius de his quæ viderat, ulli hominum voluit indicare. Cumque prior præcepto obedientiæ putaret se posse eum constringere, quatenus cuncta quæ viderat, refereret, ille timorem Domini opposuit. Timeo, inquit, offensam Domini mei, si amplius dixerero. Iterum, iterumque interrogantes, si aliquid amplius ipsis domnus abbas mandaret? respondit, tantum, inquit, de ordine, tantum de ordine, ut custodiatis. Post hæc is qui viderat, viribus corporis destitutus satis admodum ægrotavit. Dehinc vero die octavo cum in ecclesia advenisset, cum ceteris laudes Domino redditurus, & jam psalmus ille caneretur, *Attendite, popule meus, legem*, post inestimabilem odoris fragrantiam, nimium admirans, subito & immobilis vidit domnum abbatem transeuntem per medium chorum, & hoc in prima visione dixit, quia multi de ordine & monasterio recessissent, nisi domnus abbas retinisset. Nam ipse domnus abbas retinet vos, & hunc qui fugerat, ipse reduxit: Nam & ego discedere volui, sed domnus abbas retinuit me. Hæc miranda quidem sunt, sed mirandis amplius miranda succedunt, mendacio quidem vacua, sed tamen veritate plena.

12. Beatæ memoriæ Bertrandus abbas Grandis-silvæ, quorum vivus, ut supra dictum est, curam gesserat, eorum post mortem suam cuidam novitio apparuit. Eodem quoque anno similiter alii novitio non minus gloriosus se manifestavit. Cum idem novitius matutinis in infirmatorio cantatis cum duobus sociis suis fratribus in eodem vigiliis celebrantibus, ad stratum proprium redisset, subito audivit ostium domus necessariæ vehementer concuti, ac si ingredientium turba premeretur. Latrones esse credidit, loqui voluit, sed tamen distulit, & silere apud se omnino statuit. Qui vero ingrediebantur, domum interiorem replentes, ad exteriorem, ubi idem jacebat, exire cœperunt; sed antequam in exteriori domo exirent, idem novitius ut eorum præsumsit adventum, & quos latrones esse credidit, malignos spiritus esse cognovit. cœpit anxiani, tremere, pallefcere, nimio frigore astringi. Socios sonitu vocavit, & candelam porrexit, lumen petiit, & quantum potuit, in lecto surrexit. Quare focii sui ita conturbati, pallefcere, anxiani videntes, ecclesiam accurrerunt, & abbati, & fratribus quibusdam qui cum eo ecclesiam tunc ingressi sunt, quod socius eorum moreretur, nunciaverunt. Currunt festini, & eum non mortuum, sed pene mor-

De mentis excessu cuiusdam fratris.

tuum invenerunt, nimioque frigore & pallore confictum. Vocant nomen ejus ingeminando, non tamen ab ipso ullum potuerunt habere responsum. Si dominicum corpus suscipere vellet, requirunt, eisque annuit se suscipere velle. Quod cum fuisset allatum, voce tunc recepta, locutus est. Interrogatus, Redemptorem & Salvatorem ipsum confessus est, crucem adoravit, Christi corpus suscepit, & a timore suo recreatus est. Tamen adhuc domum esse plenam daemonibus clamabat, & a praesentia ipsorum formidabat. Interrogatus quid sibi vellent daemones, Unum, inquit, hominem hinc abstrahere volunt. Et dicebat, o miser! o miser! qui ad Deum venerat, nunc a Deo vult separari. Haec & hujusmodi dicens, coepit magis magisque pavere, praesentiam daemonum ferre non sustinens. O quanti daemones, aiebat, o quanti daemones! Sed ad asperionem aquae benedictae eos fugisse testatus est, & per domum necessariam, per quam intraverant, egressi sunt domum. Circumstantes autem ostium domus, magnum strepitum concitaverunt, quem etiam alius novitius audiens, satis exterritus est. Sed qui haec videbat, magis timebat; ut ostium clauderetur clamare coepit. Asperione vero aquae benedictae & divina virtute fugatis daemonibus, siluit & quievit. Post paululum vero locutus est, admirans quoque quomodo, ait, nunc ascendunt duo angeli in caelum. Inter haec coeperunt oculi ejus deficere; vultus quoque coepit in pallore mutari. Pallore enim vultus, & tactu venae, aspectuque oculorum se mori signabat. Abbas cum monachis aderat; omnes novitium circumstantes, eumque mori existimabant. Nec mora oculi ejus venustiores sunt redditi, faciesque hilarior, & omnium circumstantium oculis facta est gratiosa, corporalem visum atque auditum omnino amittens. Sublimiter namque & mirabiliter in extasi raptus, oculisque sursum intentis, dulcisonum carmen audire se dixit. Laeta quidem atque jucunda, nec minus miranda sunt quae sequuntur. Et satis admirans, quam praeclearam Dominam video; inquit, o quam ornate cantat! Paululum siluit; deinde dixit: *Ave, gratia plena.* Quo dicto, siluit. Et post cum admiratione dixit: Nunc video Dominam nostram, deinde Mariam, & ubi? illam video in caelis, & o quam ornate cantat quemdam hymnum, B. Dei genitrix! Ista videlicet hoc modo narrabat, non tamen continue, sed aliquantulum silentii moram interponebat; tamen uno modo, quia nunc parum, nunc amplius silendo tacebat. Modicum siluit, & quem hymnum cantaret B. Dei genitrix, aperuit, dicens: *Ave, maris stella.* Siluit parumper, postque admirans, ait: Bene ornate cantat, & o quam dulcis est hymnus iste. Aliquamdiu quievit; deinde dixit: Modo est in tertio versu. Quievit paululum, & ait: Monstrate eam mihi, & o quam ornate cantat! Quo dicto, tacuit. Postea dixit, modo consummavit hymnum B. Virgo Maria. Quando ista dicebat, quis dicat gaudium quod faciebat, & vultus ipsius gratitudinem, oculorum venustatem? Nam & praegaudium flebat, & circumstantes praegaudium flere cogebat. Quando autem loquebatur, infcius hoc faciebat, nec praesentes attendens, nec ad interrogata respondens: nam omnino erat in extasi raptus. Ut autem praesentes ex parte

agnoscere possent ea quae in spiritu ipse videbat, nonnulla more suo ipse infcius dicebat. Sunt autem talia quae ipse dixit, qualia quae subsequens sermo narrabit. Video, inquit, cruciulam parvulam valde perpulcram, & quidam bonus homo tenet ipsam. Modicum siluit, deinde dixit: Sanctus abbas Bertrandus o quantum gaudet, atque laetatur! Quanta jocunditas & exultatio tunc praesentibus fuit! Abbas quoque in praedecefforis sui laudem versus dixit: Eia, novitii, eia precamini, & exorate S. Bertrandum. Et, o cum quanta devotione coepit exhortari omnes qui aderant in gloriam praedecefforis sui! Qui autem ista videbat, ait: O quam pulcrum collegium! o quam pulchra societas! Paulisper tacens, hoc quoque dixit: Sui fratres de Grandi-silva sunt cum illo. Modicum siluit; deinde ait: Sui fratres, inquit, de Grandi-silva sunt cum nostro abbate, & collegium Claravallis. Ammirans quoque, quam magnum gaudium, inquit, potest habere Claravallis! Ad modicum tacuit, postque ait: Modo induitur, & o quam pulcra sunt vestimenta ista. Quo dicto, siluit. Deinde, quam ordinate, ait, incipit iste bonus homo, *Gloria in excelsis Deo.* Quievit tacens, subsecutusque adjunxit, *Et in terra,* ingeminans, *Pax,* inquit, *hominibus.* Quo dicto, siluit. Sed utinam, sicut verba, sic & gaudium posset referre, grataque suspiria. Nam vere gaudebat, vere gaudebat, & praegaudium flebat. Diu tacuit totus in extasi raptus, beatorum spirituum laudibus intentus, per moras & spatia laudum quas audiebat, quaedam & parva nonnulla in ore suo dicebat, & ait: *Cum sancto Spiritu;* quod cum astantes audissent, angelici hymni, ultima esse dixerunt. Modico spatio quievit, & postea dixit: Quam ornate, inquit, puer quidam incipit epistolam. Ad haec circumstantes nimium ammirati, missam esse dixerunt; sed, ut verum fatear, Christo teste, tantae dignitatis sunt ista, ut numquam aut vix humano sermone digne eloqui possint. Verumtamen, ne forte nebula oblivionis utilitati multorum ista abscondantur, Deo donante, pauperculus sermo exhortationis percurrat cetera. Itaque cum dixisset, quam ornate incipit quidam puer epistolam, subjunxit, *Ab initio.* Quo dicto, tacuit, usque circa epistolae finem. Et ait: *Et in plenitudine,* & cum admiratione haec repetens: *Et in plenitudine,* inquit, *Sanctorum.* Temperato usus silentio, dixit: *Adorate Dominum.* Quod cum astantes audissent, & ultima responsi istud esse dixissent: in voce exultationis & admirationis iterum dixit, Quam ornate incipiunt duo boni homines, *Alleluia.* Modicum siluit, deinde ait: Nunc dicunt versus. Et ait: Vidimus Dominum, & cum ingenti exultatione istud repetens, Vidimus, inquit, Dominum mo... cujus finem tacuit. Hoc modo retulit, *adorate Dominum.* Deinde dixit: *Alleluia.* Admiransque, Quam ornate, inquit, incipit quidam bonus homo evangelium. Quo dicto, tacuit, & cum laetitia iterum dixit: *Liber.* Quod praegaudium repetens: *Liber,* inquit, *generationis.* Temperate siluit; deinde dixit: *Qui fuit Deus.* Quo dicto, tacuit, & post evangelii finem sic locutus, ait: Modo osculatur bonus homo librum. Paulisper tacuit; deinde dixit: O quam speciosum thuribulum! Post modicum iterum dixit: O quam ornatum thuribulum. Ista cum diceret,

ceret, quis referat gaudium quo ipse gaudebat? Et vere ultra humanum modum facies ejus erat jocunda, grati oculi sursum erecti, & lacrymis faciem rigans, grata suspiria emittebat. Qui vero astabant, gaudenti congaudentes simul praegaudium flebant. Facta sunt non ficta, vera, non falsa, credi possunt, ratione comprehendi non possunt. Et, Christo teste, mendacio carent veritate plena. Et, o Christi ineffabilis bonitas & immensa pietas, quae cum unum ad ineffabilia contemplanda suscitavit, ipso mediante, ut ita dicam, mentes eorum qui ad aedes caelestes sublevantur. Nam mediante eo, qui haec videret, ipsius ineffabilis missae beatorum spirituum participes se esse factos, ac si superis animabus sanctis interessent, gavisi sunt. Sed ad narrationem suam sermo recurrat. Postquam enim dixit, qui ista videbat, Quam ornatum thuribulum! temperato usus silentio, secutus adjunxit: *Per omnia.* Et moderate tacens, dixit, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Quievit, & tacuit; deinde cum gaudio ait: *Benedictus qui venit,* & in voce exultationis idiplum ingeminans, dixit: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Quo dicto, quievit, & tacuit usque ad *Pater noster.* Temperatoque usus silentio, ait: *Agnus Dei.* Quod iterum tertio repetens, secutus adjunxit: *Dona nobis pacem.* Quod cum dixisset, modico facto silentio, admirans ait: Nunc serviunt duo angeli duas tenentes ampullas. Post haec cum dixisset, *Domine vobiscum,* spatio unius orationis tacuit, & sic iterum dixit: *Domine vobiscum,* & in voce exultationis adjunxit, *Ite missa est.* Magnifice gavisi qui astabant, beatis spiritibus vocem jungentes laetati sunt, & laetantes respondendo dixerunt, *Deo gratias.* Post quae omnia, qui haec videbat, dixit: *Benedictus Dei Filius,* temperatoque usus silentio, ait modo exutus est, &c.

LII.

Stephani Mettensis episcopi charta per reformationem Wargavillensis parthenonis.

Ad lib. 78. n. 154. Ex schedis nostris.

Stephanus Dei gratia Mettensis episcopus omnibus tam praesentibus quam futuris ecclesiae Dei cultoribus & venerabilis sancti Georgii Friderico abbati in perpetuum. Pii pastoris & benigni officium est, ovibus dominicis vigilanter curam exhibere, eisque consilium & auxilium Deo opitulante corditer impendere, praesertim illorum, qui religionem sancte ac devote videntur amplecti, & sub ea congaudent Domino servire, atque militare. Ea propter destructioni & diminutioni tam in spiritualibus quam in temporalibus Wargavillensis ecclesiae condolentes, communicato ecclesiae nostrae & religiosorum virorum, ac praecipue venerabilis abbatis S. Georgii, atque ejusdem loci fratrum consilio, eandem ecclesiam Domino adjuvante cum sanctimonialibus manere & in perpetuum consistere, salvo per omnia nostro, quod ad dignitatem nostram specialiter spectat, jure, decernimus atque praecipimus; electionem quoque & substitutionem [abbatis] liberam & canonicam praefatae ecclesiae sanctimonialibus devote fieri concedimus. Omnia insuper beneficia & possessiones, quas hodie possidet, vel in futurum, Deo largiente, possit adipisci;

Annal. Bened. Tom. VI.

auctoritate nostra confirmamus, & impressione sigilli nostri in posterum corroboramus, videlicet in comitatu *Saraburg*, ubi venerabilis Odacher cognoscitur praefuisse*, quicquid Figericus comes fundator praenominatae ecclesiae cum conjugue sua Berta nomine dedit in villa *Wirstorf*, octo mansos cum appendiciis suis, ecclesiam in honore S. Petri in eadem villa constitutam; molendinum unum cum pratis, pasuis, silvis, agris cultis & incultis, aquis aquarumve decuribus, exitibus & redivisibus; feni scilicet XII. carradas, silvam ad centum porcos saginandos, etiam partem vineae indomnicatae. In villa *Roburg* mansum unum cum toto servitio, pratam ad quinquaginta carradas, forestam ad quinquaginta porcos pastinandos. In villa *Linsdorf* III. mansos cum suis appendiciis, fenum ad VI. carradas, silvam ad CCC. porcos alendos. Ad *Gundesdorf* & *Wirstorf* & *Gebersdorf* VIII. mansos cum commanentibus, & totis appendiciis, silvam ad CC. porcos saginandos, fenum ad XX. carradas. In comitatu *Dextroac*, ubi Theodobertus praesidebat, praedia quae eidem uxori suae jure dotis ab Hignaro provenerunt. In villa *Quozlinga* mansos XXI. cum omnibus appendiciis suis, cultis & incultis, vineis & pasuis, pratis, silvis, aquis vel earum decuribus, cum medietate ecclesiae. In villa Castello dicto, S. Martino consecrata, capellam sancti Dionysii cum propriis decimis ac vineis ad CC. modia, fenum ad XX. carradas, silvam ad CCC. porcos pastinandos, cumma ad L. modia feminanda, & ad avenam similiter, molendinum unum. Item in eodem comitatu ad dominum Jurinum novem mansos cum omnibus appendiciis, & ecclesiam & molendinum & fenum ad XXX. carradas, silvam ad L. porcos: in Tullensi parochia in comitatu Mortelna ubi Regimboldus praefuit, ecclesiam Roserolis. In comitatu eodem praedium *Northrancurt* cum adjacentibus, molendinum unum, silvam ad CCC. porcos. Haec omnia supra citata praedicto cenobio ut sanctimonialibus ibidem domino servientibus, praenominatus vir cum uxore suae legitime ac canonice tradidit, atque in perpetuum habendum ad usus earum concessit. Habebat praeterea in territorio Wargavillensi & alios VIII. in beneficio mansos ad ecclesiam pertinere sancti Petri Mettensis, ubi sanctimonialibus morantur. Pro quibus singulis annis ejusdem ecclesiae sanctimonialibus in festo sanctorum apostolorum Petri & Pauli XII. denarii pro censu persolvuntur. Sunt enim alia ab aliis fidelibus pro remedio animae in locis praedia antiquitus, ut noviter collata, quae firmabuntur & stabiliuntur, huic paginae nostrae breviter scilicet subscripta, in *Altorf*, in *Butelingen*, in *Dolingen*, in *Aubeldingen* etiam villam de *Albericheloven*, quam totam integram cum omnibus appendiciis noviter acquisierunt. Et quoniam dominus bonae memoriae Maltidus de *Walhin* pro remedio animae suae eidem ecclesiae contulit in perpetuum possidenda. Quam possessionem scilicet in villa *Thirpere* eis confirmamus. Insuper quicquid habent in *Rekringen*, in *Cutigen*, in *Marsale*, in *Liden*, in *Kirpe*, in *Dalhein*, in *Lindresingen*, in *Sarbelingen*, in *Morchingen*, in *Herstros*, in *Ratermingen*, in *Incungen*, in *Regeginhen*, in *Richigen*, in *Lullingen*, in *Gislingen*, in *Raldingen*,

in *Hinunge*, in *Navelvitre*, in *Dalewitre*. Nos vero quieti earum in posterum salubriter providentes, hæc omnia supra memorata, cum his quæ in futurum legitime & canonice potuerint adipisci, nostra auctoritate & præsentis scripti paginam confirmamus. Sane si quæ ecclesiastica secularive persona hanc nostram confirmationem sciens contra eam temere venire præsumpserit, aut ea violare tentaverit, secundo aut tertio admonita, si non satisfactione congrua emendaverit, ream se de perpetrata iniquitate cognoscat, & non solum excommunicationem incurrat, verum etiam a sacratissimo corpore Domini nostri Jesu Christi alienus fiat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri, quatenus & in præsentem fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inveniant. Signum domini Theoderici premicerii. S. domini Philippi decani. S. domini Roscelini archidiaconi. S. Walteri arch. S. Simonis cantoris. S. magistri Hugonis. S. domini Alberonis. S. Warnerii capellani. Signum Hugonis comitis. S. comitis Reinaldi. S. Henrici comitis. S. Folmarii comitis. S. Alberti iudicis. S. Alberti scabionis. Hos etiam testes probati fundatoris, qui dono interfuerit, huic chartæ subscripsimus. Signum Odachri comitis. S. Hartwici scabini. S. Theoderici. S. Wipli. S. Adelonis. S. Regenharii. S. Hetonis. S. Theoberti comitis. S. Sigiberti comitis. S. Zampizonis. S. Legimonis. S. Reginboldi comitis. S. Rocelini scabini. S. Raghelmi. [Actum Mettis] anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo-septimo, indictione x. regnante Conrado rege feliciter anno x. & Eugenio papante anno v. *

* L. IV.

LIII.

Epistola CXIV. Wihaldi abbatis Corbeiensis ad Eugenium papam III. de actis in electione abbatis Fuldenfis.

Ad lib. 79. n. 23.

Relaturi rationem villicationis nostræ, quam vestra celsitudo nostræ parvitati commisit, opus habemus brevitate, ne mentem vestram, quam omnium mundi ecclesiarum cura sollicitat, proluxa relatio diutius detineat. Postquam discretio vestra, iusto Spiritus-sancti iudicio, Roggerium Fuldenfis monasterii electum, ab eisdem ecclesiæ regimine ob canonicam notam removet, fratribus præfati monasterii per dignationis vestræ apices præcipiendo mandastis, ne personam de sua congregatione eligerent, sed ad visitandam ecclesiam suam reverendos fratres Eberacensem, Everbacensem, Heresfeldensem abbates & nos ipsos omnium minimis ad sese convocarent, quorum mediante consilio, talem Deo auctore personam de alieno claustrum studerent eligere, per quam ruina Fuldenfis monasterii tam in religione, quam in possessionibus posset, Domino adjuvante, fulciri. Misistis etiam prædictis quatuor personis iussionis vestræ litteras, quatenus auctoritate vestra ad Fuldense monasterium accederent, & juxta præcepti vestri formam in electione faciendâ consilium præstarent. Quas litteras nos tertia die post festum nativitatis B. Mariæ primo accepimus. Siqui-

dem Fuldenfes pro obtinendo electo suo, quem duobus decretis canonica ratione subnixi notaveratis, ad vestram clementiam remiserunt, sed cum Petro petram invenerunt. Redeunt igitur legati eorum absque mandatis & epistolis vestris, nostram parvitatem adierunt, rogantes ut electioni eorum, quam xii. kalendas Novembris facere disponebant, interessemus. Nos vero considerantes immutatum fuisse statum causæ, & nullum de novo a vestræ sanctitatis celsitudine nobis manasse imperium, venire quidem dubitavimus, quoniam frequens rumor insonuerat, venturum fore legatum vestrum, qui Fuldense monasterium per semetipsum ordinaret. Direximus tamen eis per duos fratres litteras nostras, quarum exemplum vestræ censuræ cum præsentibus mittere curavimus.

Verum parvo tempore interjecto, venit ad nos camerarius Fuldenfis cum altero quodam fratre, & cum litteris conventus sui tam ad nos, quam nostrum conventum, quatenus ob reverentiam nominis vestri, Fuldam absque dilationis impedimento veniremus, futuris ibi tribus prænominatis abbatibus, & electione ad mandatum vestrum celebranda, si per absentiam nostram non impediretur. Allegabant præterea defectum monasterii sui in rebus vitæ necessariis, quoniam quidem omnia diripiebant, qui prætergrediuntur viam. Diu multumque dubitantes timuimus, ne vel agendo vel cessando vestram paternitatem offenderemus. Sed tandem de consilio religiosorum, quos venturos audieramus, sperantes, Fuldam cum Heresfeldensi abbate ix. Novembris pervenimus. Sed cum Eberacensis & Everbacensis abbates non venissent, alter quia mandatum vestrum super hoc, ut ipse per nuntium fatebatur, non acceperat; Eberacensis vero, qui sese apud vestram clementiam, ut postmodum per epistolam ejus cognovimus, de non veniendo excusaverat, turbati corde & inopes consilii fuimus, plurimum verentes ne imprudentia nostra vestram offensam mereamur. In hoc itaque nostri cum Heresfeldensi consilii summa proposita est, firmata fuit, ut quoniam hi duo aberant, qui nobis doctiores & meliores longe exstabant, nullum in electionis actione assensum præberemus, sed suspensis atque incertis omnibus, vestra iterum iussio & legati vestri auctoritas expectaretur.

Demum vocati a fratribus capitulum ipsorum uterque intravimus, iussique verbum exhortationis ad ipsos facere, prout Spiritus-sanctus in articulo temporis dedit, de caritate, de obedientia, de humilitate sermonem habuimus. Quo terminato, majoris monasterii præpositus surgens egredi volebat ad Lothewicum comitem regionarium, & ad alios quosdam laicos, sed retentus est a nobis multum suadentibus & petentibus, ut cum fratribus suis, qui in tempore discordiæ de monasterio egressi vel egesti fuerant, in concordiam redirent, ut si de electione agendum esset, is ab omnibus communiter eligeretur, qui omnibus præesse deberet. Dissimulabamus, quod causam differere vellemus, donec in ipsorum verbis vel re aliquid aptum & commodum invenire possemus, quo absque invidia & odio, infecto negotio, discederemus. Itaque nobis duobus & fratribus, qui nobiscum venerant remotis, proluxa consultatione

rem in tempus traxerunt, revocatisque nobis in armarium librorum, & adhibitis suorum fratrum paucis, responderunt, se cum eisdem fratribus, pro quibus intercedere volebam, reconciliari non posse, nisi ordinato prius abbate, qui eos monere & cogere auctoritatis jure posset. Et quid, inquam, laici vobiscum de instanti negotio contulerunt? Nullam, inquit, personam obligatam & in alio monasterio ordinatam, ut assumamus hortantur. Recte, inquam, & canonice ac de sacræ regulæ sententia vos admonent. Cum enim hujus monasterii possessio pariter & sacra domino nostro pontifici Romano pertineat, is vobis eligendus erit, cui secundum vetustam cœnobii vestri dignitatem, manum imponere possit. Si enim ordinatum abbatem eligitis, optandum potius quam impetrandum vobis erit, quoniam canonico & directo electionis jure cum ipso agere non poteritis, sed multo labore ac precibus insinuandum erit, quæ vos necessitas a sanctarum tramite regularum deviare compulerit. Præterea domino papæ, quem jamdiu laborare fecistis, de vobis persuasum est a multis, quod postposito Dei timore, omnes quæ vestra sunt quaeratis, non quæ Jesu Christi: neque vobis tutum est, ut eum de cetero inconsiderate agentes ad iracundiam provocare non timeatis. Hæc verba nostra dominus Heresfeldensis cum maximo favore prosequatur, materna lingua sententiam amplificans & ornans.

Dum hæc aguntur, intronissus est ad nos comes Godefridus & advocatus ejus ecclesiæ, orans tam sua quam laicorum unanimi voce, ne adversus libertatem electionis canonice, pro qua parentes ipsorum sanguinem suum multis præliis fudissent, aliquid statuere vellemus: nihil actum esse quod regibus per vim electionis potestas esset ademta, quod ecclesiis in arcu & gladio laicorum libertas electionis esset asserta: si papa pro suo arbitratu ecclesias vellet ordinare, & personas in ipsis provehere, satis fuisse regiam vim quam pontificalem sustinere, modis omnibus velle & consulere, ut de ipsa Fuldenfi congregatione frater aliquis ad regimen omnium assumeretur, nisi forte quod fieri non posset, nullus in ea dignus ad præsidendum inveniretur. Nos vero cuncta hæc suavi & blando mitigare volentes alloquio, & opportunitatis locum reperire cupientes, quo ab eorum actione sub aliquo rei honestæ titulo possemus discedere, postulavimus ut a nobis tantisper egredierentur, donec collatis omnium sententiis pari atque confono verbo respondere possemus. At illi regressi quidem mox plures numero redierunt, transacto brevissimi temporis spatio, petentes instantius, ut privilegia Fuldenfis ecclesiæ super electione abbatum panderentur, nefas esse protestantes illa violari, sese pro dignitate monasterii stare usque ad mortem esse paratos: quæ si hoc continerent, ut de monasterio nullus eligeretur, sequendum esse ac tenendum; sin autem contra, ruinam esse & omnium interitum, si ab his aliquatenus recedatur.

Hortabamur impense fratres, ne contra mandatum vestrum novum, quod urgente necessitate & poscente utilitate factum fuerat, privilegii alicujus auctoritatem prætenderent, ne inter eos, quorum minime interest, dissensionis

materiam seminarent, sed juxta præcepti vestri formam ad ecclesiæ suæ salutarem provisionem sese unanimiter coaptarent, scituri quod si aliter præsumtum foret, quoniam manus Moyssi graves sunt. Præterea jam non cum ratione honestatis amplius dissimulandum esse judicantes, respondimus illis assertoribus libertatis, nihil a vestra sublimitate factum esse in hac causa violentum, nihil insolitum, nihil contra justitiam & libertatem universalis ecclesiæ, nihil contra privilegia & dignitatem Fuldenfis monasterii. Quia, inquam, quod a domino papa prohibitum est, ne de Fuldenfi congregatione in præsentem articulo ad regimen aliquis assumeretur, de sacro fonte regulæ sancti Benedicti manavit, quæ præcipit, ut si concors in malis congregatio personam vitis suis consentientem eligere voluerit, episcopus ad cujus diocesim locus pertineret videtur, non sinat pravorum prævalere consensum. Electio vero vestra quæ proxime auctoritate apostolica fuit cassata, qualis fuerit, dominum nostrum papam, qui vester specialis dominus est & episcopus, tota regione clamante, & ipso electo annuntiante, non latuit. Ipse vero electus vester qualis foret in longum futurus, in principis suis, quæ valde nociva fuere patenter edocuit, qui consilio advocati & laicorum ad dispergendum, non ad recolligendum utebatur: & sacri canones loquuntur, quod privilegium meretur amittere, qui privilegii abutitur libertate. Non igitur vestra libertas subversa est, sed correctâ; quia nec potest esse honor legitimus, qui fuerit de prævaricatione collatus. Prohibitio hæc tamquam medicina contra vehementem morbum ad tempus indulta est, non valitura diutius, nisi quamdiu necessitas duraverit. Licuit semperque licebit Romano pontifici, pro rerum qualitate & temporum varietate, rigorem canonum intendere vel remittere, & nova remedia novis morbis adhibere. Porro quod ad electionis vestræ sinceritatem procurandam visitatores a sede apostolica transmissi sunt, veneranda sacrorum canonum auctoritas canonice esse plurimis scripturæ paginis demonstrat: nec abhorreret vel aspernari debuisset duos illos abbates, viros utique religiosos & sapientes, quibus visitandi cura, & præcipua consulendi facultas est attributa, sine quorum præsentia & nutu nos duo nec consilium nec consensum præbere possumus. Quod vero sacrosanctum & dulcem libertatis titulum tanto pondere opponitis, pace omnium dictum sit, velamen potius est malitiæ, quam assertio justitiæ: quoniam alius castellum in faucibus monasterii ædificat, alius pensiones, quæ monasterio inferri solent, usurpat, alius incendiis vastat, alius prædis & rapinis infestat. Fratres in claustrum incediam, sitim, nuditatem patiuntur, ut ne nobis quidem fratribus suis, domini papæ famulis officia hospitalitatis & humanitatis possint impendere. Ordinate pacem ecclesiæ, solvantur fratribus necessaria & debita stipendia, revocentur ad diem aliam non solum Eberacensis & Everbacensis, sed etiam plures alii viri prudentes ac Deum timentes, quorum consilio & operatale, Spiritu-sancto præstante, eligi possit in abbatem, cujus conversatione & studio tam spiritualia quam temporalia correctionis effectum valeant recipere.

Minime indignabantur laici ad verba hæc, veritate seipsam tuente, quæ ipsos recognoscere & fateri cogebat, quod ea quæ dicta fuerant, virtute rationis non carebant. Coeperunt itaque consultare inter se atque conferre bini simul vel terni aut quaterni: & cum sermonem nobiscum nemo haberet, diesque jam usque ad octavam horam processisset, egressi inde dormitorium intravimus, atque mox parvulo temporis interveniente spatio revertentes, quosdam priores cum aliquibus fratribus obviam habuimus, qui pedibus nostris advoluti, obnixæ & cum lacrymis petebant, quatenus eis adjutorium in necessitate impenderemus, ut dominus Heresfeldensis abbas prælationis illius facinoram susciperet; & adjunxit unus ex eis, quoniam, inquit, noster monachus & frater fuit, antequam in abbatem promoveretur.

Ad hæc a nobis sic responsum est: nos fratres carissimi, quod de alicujus abbatis electione domino nostro papæ credidimus beneplacitum, quod ecclesiæ vestræ salutare, quod personis vestris tutum, palam ac simpliciter protestati sumus, nec sententiæ nostræ prævaricatores esse valeamus. Præterea non credimus abbatem, qui sit compos discretionis canonicæ, hoc onus regiminis absque domini papæ jussione recipere, quod longi temporis & grandis expensæ & infiniti laboris, & eventus incerti opus est. Si dominus Heresfeldensis de propriis viribus confidit, si de gratia & de consensu domini papæ sperat, sua potius deliberatione, quam nostro consilio nitatur. Quibus auditis, fratres rogabant tamen, quod abbatem, quem cum ipsis patululum reliqueramus, detinentes, a cognitione hujus verbi subduceremus, donec capitoli ædem communiter ingressi super persona illius eligenda cunctorum assensum requirerent. Introierunt illi, nos remansimus, & assumpto abbate seorsum, quid fratres Fuldenfes nobiscum egissent ei adnuntiavimus. Dubitantem & quærentem super hoc consilium nostrum, ad cor suum & conscientiam remisimus, & cum se consentire nullatenus assereret, suggestimus ei, ut sicut nos, ita & ipse ab eis recederet, ne opus, quod illi nobis absentibus & dissuadentibus faciebant, ad nostrum consensum spectare videretur. Ille abiit, nos in mensa refecturi corpora nostra confedimus. Post cenam salutavimus abbatem, salutavimus & fratres Fuldenfes, significantes eis, quod facto mane vellemus discedere. Precabantur fratres, ut manere vellemus, quando quidem ipsi abbatem elegerant, sed dilatio a laicis usque in crastinum esset interposita, ut eorum electioni consentirent. Nos vero petitioni eorum nequaquam acquiescentes, summo diluculo recessimus.

Hæc sunt, carissime pater, quæ Fuldæ præsentibus cognovimus, quæ vero post exitum nostrum acta sunt ex litteris, quas quidam frater Fuldenfis nobis non in membrana scriptas, sed in tabella transmisit, cognoscere poteritis, quas ad vestræ sanctitatis pedes transcriptas direximus. Enimvero apud vos est manna, apud vos virga, apud vos canonum dispensatio, apud vos decretorum interpretatio, apud vos regulæ moderatio, apud vos vinum, apud vos oleum, novit dextra vestra parcere subjectis & debellare superbos. Cuncta discretionis vestræ

per ordinem intimare studuimus, ut pia & perspicax anima vestra, cui discretio spirituum a Deo collata est, plura legendo intelligat, quam nos videndo & agendo. Sicubi armante pietatis zelo decreta vestra & jussiones insipienter defendimus, & quasi cælum sustinere humeris tentavimus, etsi effectus laudem non meretur, devotio tamen veniam a vestra clementia impetrabit.

LIV.

Eugenii papa III. epistola a paribus ad Gallicanos episcopos, qua jura Majoris-monasterii in parochialibus ei subjectis definit.

Eugenius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus P. Bituricensi, S. Remensi, En. Turonensi, G. Burdegalensi & Hu. Rotomagensi archiepiscopis, G. Carnotensi, M. Aurelianensi, G. Pictavensi, G. Cenomanensi, V. Andegavensi, A. Redonensi, J. Aleteni, B. Namnetensi, T. Parisiensi, M. Meldensi, G. Suesionensi, H. Trecenti, G. Sagienti, A. Constantiensi, R. Abrincensi, R. Ebroicensi, M. Morinensi, B. Laudunensi, T. Ambianensi, & O. Belvacensi episcopis salutem & apostolicam benedictionem. In generalibus conciliis statutum esse cognoscitur, ut sacerdotes qui in ecclesiis ad monasteria pertinentibus commorantur, de animarum quidem cura dioecesano episcopo respondeant, abbati vero & fratribus suis pro rebus temporalibus debitam subjectionem exhibeant. Quo contra dilecti filii nostri G. abbatis Majoris-monasterii & fratrum suorum querelam accepimus, quod presbyteri ecclesiarum ad eos pertinentium quæ in parochiis vestris sitæ sunt, debitam eis subjectionem subtrahant, & malignitatis studio archidiaconis adhærentes nihil eis se debere respondeant. Quia igitur neminem sua volumus privari justitia, per apostolica vobis scripta mandamus, quatinus prædictos sacerdotes de quibus idem abbas vel fratres sui vobis conquesti fuerint, districte commoneatis, ut debitam eis reverentiam & subjectionem exhibeant, & nulla occasione quod eorum juris esse cognoscitur eis imminuere vel subtrahere præsumant. Alioquin præfato filio nostro abbati & ejus fratribus super his quæ ad eos pertinent de prædictis sacerdotibus debitam ultionem sumendi liberam concedimus facultatem. Datum Remis xviii. kal. Madii.

LV.

Eugenii III. privilegium pro monasterio Ferrariensi.

Eugenius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Johanni abbati Ferrariensis monasterii ejusque successoribus regularem vitam professis in perpetuum. Desiderium quod ad religionis propositum & salutem animarum pertinere monstratur, auctore Deo sine aliqua dilatione est complendum, ea propter dilecte in Domino filii Johannes abbas, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium, cui Deo auctore præesse dignosceris, sub

Ad lib. 79.
n. 15.
Ex archivo
Majoris-monasterii.

sub beati Petri protectione & nostra nostrorumque successorum suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque prædicia, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum canonice possidet, aut in futuro concessionem pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus eidem monasterio illibata maneat, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Ecclesiam S. Eligii quæ sita est in prospectu prædicti monasterii, ecclesiam sancti Andreæ Castri-Nantonis cum beneficiis & pertinentiis suis, ecclesiam sancti Petri de Arrevilla, ecclesiam S. Johannis de Prodais-fontana, ecclesiam S. Germani de Nergiato, ecclesiam sancti Victurii de Fontaneto, ecclesiam sancti Salvatoris de Cella, ecclesiam S. Martini de Curtemando, ecclesiam sanctæ Crucis Longiacensis, ecclesiam sancti Dionysii de Mulmento, ecclesiam sancti Lupi de Branlis, ecclesiam de Parchis, ecclesiam de Vallibus, ecclesiam de Poliniaco, ecclesiam sancti Genulfi de Brusciaco, junioratum ecclesiæ Bugliniacensis, ecclesiam de Mundrevilla, & ecclesiam de Bursiaco. In parochialibus vero ecclesiis quas tenetis & in quibus beneficia accipitis, sacerdotes eligatis, & dioecesano episcopo præsentetis, quibus si idonei fuerint episcopus animarum curam committat, ut de plebis quidem cura episcopo rationem reddant, vobis autem pro temporalibus ad vestrum monasterium pertinentibus debitam subjectionem exhibeant: sepulturam quoque ipsius loci & sancti Andreæ de Castro-Nantonis liberam esse sancimus, ut eorum qui se illic sepeliri desideraverint, devotioni & piæ voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obstet. Prohibemus etiam ut nulli episcoporum liceat ordinationes aliquas in eodem monasterio facere, & nisi ab abbate ipsius loci fuerint invitatus, missas publicas celebrare. Adhuc autem prohibemus, ut nemo ecclesiam vel cimiterium in proprio fundo ejusdem loci, nisi assensu & voluntate abbatis & capituli facere præsumat. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, aut fratrum pars consilii sanioris secundum Deum & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Electus autem benedictionem a quocumque episcopo, prout sibi placuerit, accipiat, & cetera omnia secundum privilegia prædecessorum nostrorum obtineat. Denique si contigerit ut abbas accusetur de aliquo crimine, non unius episcopi judicio determinetur sententia, sed provincialis concilii expectetur censura, aut forte si appellare maluerit sedem apostolicam, res ad Romani pontificis audientiam differatur. Adjicimus etiam ne prædicta ecclesia pro communi provinciæ interdictio a divinis cesset officiis, nec ecclesia beatæ Mariæ quæ in vestra munitione est, & ecclesia beati Andreæ Castri-Nantonis, sed potius apertis januis & exclusis excommunicatis & interdictis divina vobis liceat alta voce officia celebrare. Præterea confirmamus vobis omnes ecclesias quæ de jure & manu firma ac feo-

Annal. Bened. Tom. VI.

do ecclesiæ Ferrariensis sunt: decernimus autem ut nulli hominum, &c. Datum Parisiis per manum Hugonis presbyteri cardinalis, vice domini Guidonis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii, quarto kalendas Maii, indictione decima, incarnationis Domini anno millesimo centesimo quadagesimo-septimo, pontificatus anno quarto.

LVI.

Epistola S. Bernardi abbatis ad materteram imperatoris Hispaniarum.

Illustri dominæ G. reginæ & materteræ imperatoris Hispaniarum Bernardus Clarævalis abbas salutem & orationes.

Devotionem vestram ex relatione fratris nostri Nivardi audientes, gratias agimus Deo, & oramus ut secundum fidem & fiduciam quam habetis in nobis, vobis retribuere pro sua pietate dignetur. Fratritatem domus nostræ, & orationum nostrarum, sicut desiderastis, gratanter vobis annuimus, & ut tantumdem pro vobis fiat, quantum pro uno quolibet nostrum, tam in vita quam in morte. De cetero necesse habuimus suggerere præstantiæ vestræ de fratribus de Carreda, quia per neptem vestram & per seipsum calumniam nobis struunt de monasterio. . . . Oportet nos quoque providere bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, omnimodisque cupimus sic procedere in hoc negotio, ut non vituperetur bonum nostrum, nec homines illi occasione habeant detrahendi. Proinde remisimus ad vos negotium, ut scandalum illud compefcere studeatis. Et si aliter noluerint illi desistere, judicio, ut dignum est, domini Zamorensis episcopi, & domini Asturicensis, velitis & faciatis hanc controversiam terminari. Ubi enim vel eorum confessione, vel episcoporum judicio innouerit, non habere eos unde adversum nos saper nos possint vel debeant reclamare, parati sumus, juvante Deo, sic ordinare locum, ut & vestra devotio gratuletur, & Deus glorificetur in opere vestro.

LVII.

Statutum capituli generalis Gellonenfis, de iis qua deferre debet is qui monasticum habitum induendus est.

Staturum fuit in nostro capitulo generali, & hoc volumus perpetuo & inviolabiliter observari; quod quodcumque aliquis receptus in monachum voluerit intrare monasterium & assumere monachalem habitum, parentes ejus debent venire ante altare beati Guillelmi cum illo qui fuerit induendus, & ipsum offerre humiliter & devote Deo & beato Guillelmo Christi gloriosissimo confessori. Similiter debent offerre cum eodem unam cappam deauratam processionalem bonam & honorabilem, & hoc antequam ille qui monachandus fuerit, assumat habitum monachalem. Debet etiam habere, & secum ad monasterium deferre ille qui fuerit

G g g g g

Ad lib. 79.
n. 52.

Ad lib. 79.
n. 111.
Ex msf. Gellonenfi.

monachandus, pro suis vestibus & arnesio duas cucullas & floccum unum, duo scriptionalia cum pennis, duas tunicas, duo paria staminiorum, & duo paria femoralium, & duo paria tribucum, & duo paria calsonum, & totidem caligarum. Debet etiam deferre & habere pro lecto suo palassam novam & duas flefiatas & duo linteamina, unam culciram novam de transilis cum pluvi... & unum pulvinare & r. aureale; item tria paria sotularium, quæ omnia supradicta sibi sufficiant ad duos annos.

LVIII.

Conradi imperatoris præceptum contra ministeriales Corbeia-nova.

Ad lib. 79.
n. 123.
Ex libris
nostris &
Sebatens.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Counradus divina favente clementia rex. Si paci & tranquillitati ecclesiarum Dei pia & benigna sollicitudine prospicimus, hanc vicissitudinem nos a pio creatore nostro acceptare speramus, ut & regni nostri, nobis a Deo commissi, gubernacula in hoc tempore cum pace, & tranquillitate possidere valeamus, & post regnum huius temporis in regno æternæ beatitudinis requiem apud iustum iudicem inveniamus. Notum igitur esse volumus universis regni nostri fidelibus tam præsentis quam futuræ ætatis hominibus, qualiter dilectus & fidelis noster Wichboldus Corbeiensis monasterii abbas, multimoda necessitate ipsius monasterii compulsus, exposuit in auribus clementiæ nostræ incommoditates & injurias quas a dapiferis & pincernis suis quidam prædecessores ejus sustinuerunt, & ipse a die prælationis suæ in eodem monasterio passus fuit. Siquidem dapiferi & pincernæ & reliqui qui ministerii locum in domo Corbeiensis abbatis tenent, quam dignitatem vulgari nomine officia appellant, quasdam abusiones in eisdem officiis suis usurpaverunt, ut videlicet omnia victualia, & universam substantiam domus domini sui sub custodia sua teneant, & cui placuerit, his, inconsulto domino suo, eadem bona servanda, & passim distribuenda conferant, tantamque potestatem in istis officiis asserere conentur, ut dominis suis palam & quasi de jure suo prohibeant, ne claves & custodiam rerum suarum alicui committant. Solent enim de rebus dominorum suorum proprias familias alere, ac milites suos pascere, in tantum, ut in propriis domibus plerumque aut tanta aut etiam plura quam domini sui de facultatibus eorum, quas debuerant servare expendant, & in dissipandis bonis eorum modum omnino nullum teneant. Hujusmodi ergo superfluas & damnosas rerum suarum dissipaciones cum prænominatus fidelis & dilectus noster Wichboldus Corbeiensis abbas de eadem domo eliminare, ac domum suam secundum honorem Dei, & propriam utilitatem ordinare tentasset, quidam de ministerialibus ejus Rabono, qui tunc officium dapiferi administrabat, cum fratre suo Luidolpho & paucis consanguineis suis multum ordinationi ejus refragatus est, atque cum multa comminatione assererebat, quod potestatem officii sui, quam hæcenus in domo illa exercuerat, numquam,

dum viveret, relicurus esset, ita ut sub imperio suo essent universa victualia domini sui, ac potestatem de iis haberet tribuendi cui vellet, nec dati aut accepti aliquam rationem domino suo reddere, nec claves rerum suarum alicui servare liceret, nisi quem ipse ordinasset. Hæc itaque contradictio inter ministeriales Corbeiensis ecclesiæ a præfato abbate, domino suo ventilata est, & per iudicium eorum tam eidem Raboni quam omnibus qui hujusmodi dominationem sibi de bonis domini sui usurparent, omnis potestas de committendis clavibus, & de custodia rerum domini sui abjudicata est, hancque potestatem abbati Corbeiensis præscripti ex ea sententia iudicii unanimiter adjudicaverunt, ut claves & custodiam rerum suarum liceret ei committere absque consilio dapiferi & pincernæ cuicumque voluisset. Dapifero autem & pincernæ tale iudicium adjudicaverunt, ut in victualibus domini nullam potestatem dandi absque voluntate ipsius, prorsus habeant, sed cum domino suo, secundum debitum officii sui, ad mensam servierint, hanc dignitatem de officio suo consequantur, ut refecto domino suo, ad mensam ejus cum ceteris ministris domini sui resciantur; & ut præter hanc nullam aliam potestatem de rebus ipsius exercent. Huic comparium suorum iudicio idem Rabono cum acquiescere noluisse, prædictus fidelis noster Corbeiensis abbas apud clementiam nostram impetravit, quod in plena curia nostra quam Spiræ celebravimus, iudicium super eodem verbo a ministerialibus regni sciscitatum sumus, qui etiam in conspectu nostro, & principum regni idem iudicium quod Corbeiensis invenerant, pari consensu asseruerunt. Aliam præterea molestiam idem Rabono fratribus, qui Deo servant in Corbeiensis monasterio irrogare præsumsit, quod videlicet infra muros, & ambitum cimiterii ejusdem ecclesiæ hereditariam mansionem sibi vendicavit; super qua mansione cum satis fuisset commonitus tum a domino suo, tum a fratribus monachis, tum a comparibus suis, quatenus ab ea desisteret, noluit eorum salutaribus monitis obtemperare. Unde ministeriales Corbeiensis ecclesiæ, iudicii sententiam interrogati, abjudicaverunt tam ei quam omnibus sæcularibus beneficium in atrio ecclesiæ, & quod aliquis abbatum tale beneficium potuerit præstare. Cum adhuc reluctaretur, nos item rogati a fideli nostro prædicto Corbeiensis abbate, cum interrogassemus ministeriales nostros super eodem iudicio, abjudicaverunt ei in conspectu nostro & principum infra atrium ecclesiæ omnem hereditariam mansionem, & omnibus abbatibus & monachis talis beneficii concessionem. Orta est nihilominus & alia temeritas ab eodem Rabone, quod infra muros Corbeiensis monasterii quamdam similitudinem dignitatis sibi hereditario jure vendicabat, quam præfecturam appellabat, & se Burgrafium appellari faciebat, cum omnes abbates ejusdem monasterii hanc potestatem semper sub se habuerint, ut quicquid a suis intra muros delinqueretur, aut ipsi corrigerent, aut camerario vel dapifero suo seu alicui de familia sua, corrigendum absque ulla potestate in perpetuum mansura, committerent. Hac autem potestate præfatus Rabono in tantum usus fuit, ut cum

vulgari nomine appellavit *Burgrabin*, & secundum morem alicujus magnæ potestatis sæpe infra muros placitaret; & hujusmodi placita *Burcsing* appellabat. Ad hæc placita famuli fratrum monachorum de coquina aut de pistino, seu de quolibet eorum servitio cogebantur venire. Qui alias, si propter impedimenta servitii fratrum occurrere non poterant, violenter & contumeliose a famulis ipsius pertraherentur & panem aut escam fratrum imperfectam relinquere cogebantur. Hujusmodi ergo temeritatem de hac præfectura circa Corbeiensis monasterium, ex iudicio principum regni, prorsus interdicimus, & hanc potestatem in manu abbatis, sicut antiquitus fuit, decernimus. Nam in veteribus regum & imperatorum præceptis continetur, ut nullus dux, nullus comes, nullus alia secularis potestas, aliquam potestatem infra muros ejusdem ecclesiæ exercendi iudicium habeat, sed per abbatem & personas temporaliter a se ordinandas quicquid a famulis monasterii contra juris & æqui rationem admissum fuerit, iudicari oporteat. Et si quid principibus contra privilegium imperiale non licet, multo minus ministerialibus licere constat. Hanc igitur præfecturam, & supradictam infra muros laicorum habitationem, atque dapiferi & pincernæ de committendis clavibus potestatem ab aliquo usurpari, & hereditario jure vendicari in supra dicto monasterio nullatenus permittimus, sed has tres prædictas usurpaciones secundum iudicia ministerialium nostrorum atque sententiam principum regni, omnibus laicis decreto in perpetuum valituro interdiximus, & horum omnium potestatem abbati tribuimus. Iudicium de clavibus invenit Conradus ministerialis noster de Haga: de habitatione intra muros & de præfectura iudicium dedit ministerialis noster Conradus de *Walshufen*, camerarius noster a thesauris. Principes autem cum ministerialibus suis hi interfuerunt, Ortlevus Basileensis episcopus, & sui ministeriales. Heremannus Constantiensis episcopus, & sui ministeriales. Guntherus Spirensis episcopus, & sui ministeriales. Eilulfus Murbacensis abbas, & sui ministeriales. Walterus Selsensis abbas, & sui ministeriales. Fridericus Campidonensis abbas, & sui ministeriales. N. Wiltzemburgenis abbas, & sui ministeriales. Glerus & populus Wurmacensis ecclesiæ quæ tunc vacabat. Clerus & populus Fuldensis monasterii quod tunc vacabat. Clerus & populus Laurishamensis monasterii quod tunc vacabat. Fridericus dux Sueviæ & Alsatia, & sui ministeriales. Otto palatinus de *Wichelshach*, & sui ministeriales. Herimannus de *Baden*, & sui ministeriales. Wernerus comes de *Havekesprech*. Otelricus comes de *Wintzenborch*. Wilhelmus comes de *Seitzberg*. Wilhelmus comes de *Juvaco*. Comes *Imiko* de *Linsingen*. Comes Wilframus de *Werten*. Marquardus de *Grimbach*. Arnoldus dapifer de *Rottenburg*. Henricus marscallus. Reingerus pincerna. Tiepertus camerarius vice Henrici Maguntini archiepiscopi, & archicancellarii recognovi. Data anno dominicæ incarnationis MCL. indictio XIII. anno vero Domini Counradi regis secundi invictissimi .XII. anno, domni Wichboldi Corbeiensis

abbatis III. Actum Spiræ in Christo feliciter. Amen.

LIX.

Epistola Wibaldi abbatis ad episcopum Hildenesheimensem de sua in abbatem Corbeiensis electione.

Reverendo patri suo & domino Bernardo sanctæ Hildenesheimensis ecclesiæ venerabili episcopo, frater Wibaldus Dei gratia id quod est in ecclesia catholica exiguas orationes & fidele servitium.

Litteris prudentiæ vestræ, quas nobis dignatio vestra per venerabilem confratrem nostrum abbatem ecclesiæ S. Godehardi transmisit, respondere distulimus, non ex oblivione, vel ex negligentia, sed tantis postea curis & laboribus agendo & itinerando fuimus occupati, ut rescribendi opportunitas nulla nobis posset accedere. Reddentes nunc vestræ sublimitati devotum salutationis obsequium, breviter, si fieri posset, ad vestram petitionem, quæ apud nos iussionis pondus obtinet, respondere vellemus, nisi quod tanta est rerum series, ut per breviterem narrationis cognitio veritatis excludatur. Ac primo discretionem vestram scire volumus, quod in causa fratris illius Henrici, quem reconciliare Corbeiensis ecclesiæ vestra celsitudo conatur, nos depositis ipsius neque consilium, neque auxilium impendimus; quin potius in curia quæ Corbeia anno MCXLIV. in festo S. Bartholomæi apostoli a domno rege Conrado celebrata est, pro prædicto fratre, regimen tunc ejusdem monasterii tenente, stetit non solum constanter, sed etiam efficaciter, quoniam a clementia domini regis multa precum instantia obtinimus, ne adversus eum lite contestata accusatorum actio & ordo iudicii procederet. Quando vero in præsentia & iurisdictione felicis memoriæ domini Thomæ cardinalis presbyteri apostolicæ sedis legati de simonia & venditione ecclesiæ de *Linvart* perpetrata convictus Corbeia in capitulo & confessus fuit, nos eorum rerum prorsus ignari, eramus in Stabulensi monasterio, quod a Corbeiensis distat itinere sex dierum. Quando etiam XII. kalendas Aprilis a prænominato iudice suo apud civitatem Patherburnam, ubi venire se absentaverat, in solemnem religiosum conventum depositus fuit, nos eramus Stabulaus præparati & succincti causa regis legationis Romam proficisci, quod & fecimus, mox inde moventes IX. kalendas Aprilis. Depositus itaque ibidem tam ab officio sacerdotali, quam a dignitate abbatia, atque in super excommunicatus, si personas vel res monasterii ullo modo vexaret vel disturbaret, non recognovit manum domini super se, nec acquievit sententiæ iudicantis, sed in rebellionem & apertam violentiam conversus, res abbatia ubicumque locorum potuit, nimis immoderate diripuit, & in proximo pascha in monasterio *Halsunge* infulis abbatia ornatus incescit, & publice divinum officium celebravit. Quasdam inter gratias abbatia infeodavit, & multos mansos tam impignorando, quam præstando alienavit. quibus peractis, regis præsentia in curia, quæ apud *Kuind* XVIII. kal. Maii habita est, sese obtulit, opinatus regiam æquitatem posse inslecti, ut per violentiam obtineret abbatiam, quam or-

Ad lib. 79.
n. 300.

dine judiciario perdidit. Sed quia honor regis iudicium diligit, non potuit, etiam oblata pecunia, distorquere virgam directionis inclyti regnatoris, quin a caesare firmaretur, quod a Petro processerat. Interea dum sic minis, muneribus, pollicitatione monasterium vexat, & invadit, reverendus pater noster Bernardus Patherburnensis episcopus ad ecclesiam Corbeiensem vocatus; eundem Henricum in pulpito sub generali conventu pronuntiavit auctoritate apostolica excommunicatum, & omnes fautores atque adjuutores illius; unde etiam plurima hominum pars metu divino territa, ab ejus factione dilapsa est. Urgebat interim multis decretis iussio apostolica Corbeiensem ecclesiam, quatenus, mediante Spiritu-sancto, talem personam in abbatem eligerent, quae ruinas Corbeienfis ecclesiae, tam in spiritualibus, quam in temporalibus resarcire idonea esset; sed partibus in sua studia nimium adhuc ferventibus, canonica & concors electio fieri non potuit usque ad nonas Maii, quo die nos eramus apud Sutrium, civitatem Tusciae in curia domini papae Eugenii III. Tum denique vix tandem unum sapientes elegerunt virum integre famae, & laudatae conversationis, Henricum praepositum ejusdem monasterii, qui a domino rege institutus est vr. nonas Augusti. Quo tempore eramus in Stabulensi monasterio, vix recepta non ad plenum valetudine, quoniam febre Romana quinque hebdomadibus apud Viterbium decubueramus, & vi non naturalis caloris cute & omnibus pilis amissis, fauces mortis vix evaseramus. Sedit itaque praedeceffor noster usque vii. idus Octobris, & viam universae carnis ingressus est. Orbata ergo item Corbeienfis ecclesia suo pastore, nos absentes & procul positos, unanimi prorsus conniventia in patrem & pastorem animarum suarum voluntate adoptavit & elegit in capitolio Corbeiae xi. kal. Novembris. Stabulaus pervenerunt, nostram imbecillitatem ad regimen tantae rei, tam per litteras suas, quam etiam per epistolam domini regis ac domini Patherburnensis episcopi, & aliorum quorumdam principum, necnon praesenti nuntiorum alloquio officiose & suppliciter invitarunt. Nos tunc eramus in synodo Leodiensis ecclesiae, quam venerabilis pater noster Henricus hujus nominis secundus Leodiensis episcopus ex more celebrabat. Unde cum reverteremur, ad monasterium Malmundariense festum omnium Sanctorum celebraturi divertimus, atque cum ad vesperam synaxim jam ingredi essemus parati, venit Stabulensis nuntius, significans nobis, quod legati regiae curiae nostrum apud Stabulaus praestolarentur adventum, nullo modo inde recessuri, vel alias suae legationis verba exposituri, nisi in ecclesia Stabulensi coram positus ejusdem monasterii fratribus. Nos vero pro reverentia domini nostri regis continuo ascensus equis ad Stabulense monasterium transire festinavimus, ubi jam sero facto, mandata domini nostri regis & principum, necnon ecclesiae Corbeienfis petitionem, tum per scripta, tum per missorum verba suscepimus. Inspectis omnibus & auditis, rem omnem usque in crastinum ad responsa praemedianda distulimus. Jam venerande pater, ad eum locum narrando pervenimus, ubi nec tacere au-

deamus, propter sanandas ac muniendas conscientias fratrum nostrorum Christi sanguine redemptorum, nec tute loqui valeamus propter irrisiones eorum, qui superbia inflantur, & ambitione inflammantur, & propter secreti nostri bonum, quod evacuari formidamus. Sed accipiant homines ut volunt, & judicent; nos, quoniam in innocentia ingressi sumus, verum, teste Deo, referemus. Cum ad matutinam synaxim sono canonico excitati fuimus, talis cogitatio nobis suborta est, ut peracto matutinali officio, fideles nostros, tam de fratribus, quam etiam de laicis convocare deberemus, ut de verbo quod acceperamus morosa & diligenti deliberatione tractantes ex consilio respondere possemus. Quod autem in alterutram partem dubitavimus, nec oblatum nobis honoris locum debita humilitatis fortitudinis respicimus, quaedam praeteritarum rerum recordatio suadebat. Siquidem & ante ea nonnullae ecclesiae nos ad locum regiminis vocaverant, quodam popularis iudicii deceptae praecoio; sed nos propriae fragilitatis & ignorantiae conscii, plena & veraci libertate, illud eis propheticum respondebamus: non sum medicus, non est in domo mea vestimentum, nolite me constituere principem populi. Atque ita formatis absque avaritia moribus, contentique praesentibus, ei monasterio cui ascripti eramus, etsi non bene vendi exemplo, vel fideliter administrandi studio deserviebamus. Orta est interim, instigante omnium honorum aemulo, inter nos & quosdam villicos Stabulensis monasterii, viros utique genere, clientela, & opibus potentes, gravis & in longum agitata dissensio, pro eo quod ipsi villici volebant hereditarie possidere sanctuarium Dei, & ipsa villicationis officia ex successione paterna & avita capientes, dominabantur in rebus, nostraque & praepositorum nostrorum statuta contumaciter rescindentes, & colonos indebitis & assiduis exactionibus opprimebant, & iustas pensiones monasterio nequaquam inferebant. Ita miserabili & importuno clamore populi, cujus terra jam fere vastata & desolata, necnon inedia monachorum ac ruina ordinis, propter alimentorum defectum saepe & nimis exacerbati, coepimus iniquo tempore tyrannis resistere, certi quantum de futuris fieri poterat, quod aut circa salutem nostram periclitaremur, vel ad salutarem effectum causam tam necessariam perducere non possemus. Etenim, quod cum dolore & gemitu dicimus, jura omnia interierunt, leges occubuerunt, morum disciplina extincta est, consuetudo vetustatis abolita est, regis & principum virtus & potestas obsolevit, licet unicuique quod libet, & quod statuit vim legis obtinet. Cum igitur in ea perturbatione labores infinitos & expensas toleraremus, cum apud Romanam ecclesiam in urbe, cujus clementia & defensione plurimum praemuniti fuimus, tum in curia serenissimi & inclyti triumphatoris domini regis Romanorum Conradi II. cujus potissimum favore & munificentia illos mirabiles elationes maris per mirabilem in altis Dominum mirabiliter enavigavimus, inter peregrinationis, & quasi cujusdam exilii molestias, inter itinerandi & agendi fatigationes, inter periculorum aculeos, quaedam infirmitatis nostrae cogitationes adver-

sus

sus nos murmurabant, & vellicabant amarius aurem cordis nostri, dicentes: Merito haec patimur, quoniam Deus tuus, refugium & virtus & adiutor in tribulationibus quae invenerunt te nimis, in semetipso & per semetipsum jam aliquoties tibi refugium obtulit, qui has miseras vel prorsus evitare vel securius tolerare potuisses. Et licet, venerande pater, jam de praefatis tempestatibus in aliquem quietis portum introissemus, tamen de futuris incerti, & similia & acerbiora metuentes, in ambiguo, ut dictum est, fuimus, utrum oblatam gratiam recipere vel recusare deberemus, cum antea in animum induxissemus, nec duabus abbatibus simul praesesse, nec ad aliam sive majorem sive ditiolem ullo modo transferri sustinere. In hac itaque ancipiti meditatione, in qua jam exarserat ignis desiderii volentis quae potiora sunt eligere, processimus ad ecclesiam, aliquid psalmodum lingua proferentes, cum tamen animus ab eorum intellectu salutari longius esset evagatus. Venientes ante altare illud, ubi benedictionem episcopalem in nomen & officium abbatibus suscepimus, commovit nos repente quidam familiaris & intimus amor, quem ad patronum ejusdem loci, sanctissimum videlicet confessorem atque pontificem Christi Remaculum, ejusdem coenobii fundatorem, habemus, & concussit animae nostrae interiora quodam affectuoso timore, ex eo videlicet quod in mente nostraolvebamus, utrum ipsius monasterium relinquere pergeremus. Clamavit itaque anima nostra ad Deum, & ad ipsum clamore vehementi, in verbo interiori, in verbo non diffidentis spei absque sono oris corporei: Fiat, Domine, voluntas tua, jam de cetero neque deliberationem nostram neque amicorum sequi consilium statuimus, sed tuam voluntatem & te, quies via veritas & vita, in hoc praesenti negotio sectari desideramus. Sed qualiter tuam voluntatem cognoscemus, qui praesens es majestate, sed nos in regione longinqua dissimilitudinis porcos pascentes a te recessimus? Temerarium est, ut certam voluntatem tuam super hoc verbo, quam nobis indicare digneris sive per angelum, sive per aliquam subjectam tibi creaturam tuam, sive per visionem, sive per oraculum expetere praesumamus. Per eos itaque in quibus habitas scrutari tuae voluntatis arcanum, impium & praesumptuosum non est; atque adeo fratrum & filiorum nostrorum sententiam sequendam voto tali tibi obligati arbitramur, ut quidquid ipsi dixerint tenendum sit, quorum animas nobis servandas tradidisti, cum simus ipsi animae nostrae mali custodes. Sic omni dubietate remota, ac ratiocinandi & iudicandi cura deposita, mente placida, sedatisque ac compositis cogitationibus, matutinas laudes cum fratribus peregrimus. Hora regulari, quando fratres capitulum ingressi sunt, nos pariter introivimus, atque post exhortationis verbum, post disciplinam claustralem, iussimus afferri litteras cum sigillis domini regis & principum atque Corbeienfis ecclesiae. Quibus perlectis, fratres attentius rerum novitate, nostrae voluntatis & responsionis modum intenti praestolabantur. Ad haec, inquam, fratres mei, ex quo divinae providentiae, quae disponit omnia suaviter, placuit nos omnium vitae merito & sapientiae doctrina

extremos, per unanimis consensus vestri monasterium, ad hujus ecclesiae regimen provehere, mei & animi & corporis potestas desit esset; & totum quod nobis a Deo in utriusque hominis substantia collatum est, vestrae ditioni ac potestati quasi quodam jure proprietario cessit & vindicatum est. Nos vestri sumus, nec vos aut monasterium vestrum deserere volumus, unde, & vestrum consilium tamquam divinum responsum interrogantes expectamus. Nulla vero vos formido, nulla vos suspicio terreat, quin inspirante Deo, quod opportunum videbitur loquamini, quoniam cum Deo nostro tale voti & sponsonis foedus inivimus, ut a vestri consilii verbo recedere nequaquam valeamus. Neque enim si grata nobis esset hujus dignitatis oblatio, si Corbeienfi ecclesiae praesesse iuxta suam electionem appetere, hoc sub incerto multitudinis consensu tractaremus, sequentes videlicet nostri desiderii propositum. Nunc vero, Deo adjutore, nostri cordis intentionem ita firmavimus, ut ea nobis consilii portio pergrata sit, quae donante Spiritu-sancto, nobis a vestra fraternitate intimata fuerit. Hoc tantum vestram prudentiam admonere nequaquam dubitamus, ut quantum per Dei providentiam corda hominum moventis, & in eorum cordibus operantis, ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit, vestrae discretionis licitum est, hoc provideatis, hoc consulatis, hoc suadeatis, quod animabus & corporibus nostris atque monasterio vestro utile & tutum maxime iudicabit. Tanto pondere sibi imposito, fratres primum exterriti fuerunt, sedulo petentes, ut fratrum suorum, qui aberant, & ministerialium ecclesiae praesentiam exspectare valerent, cum quibus communicato consilio, quid optimum factu videretur, pariter ordinarent. Nos econtra instantiam legatorum, jam regredi desiderantium opponere, & praecipue voti nostri ac sponsonis vinculum, quo sic obligati eramus, ut sub eadem hora ab his, qui praesentes erant, solvi in alterutram partem oporteret. Itaque emissis nobis a capitolio, fratres plurimum anxii ac mœrentes causae hujus utrumque latus sollicite pertractantes, diuque ac multum inter utrumque cunctati, legatos tandem admiserunt, totius rei gestae ordinem plenius addiscere cupientes. Bruno praepositus novae ecclesiae, qui inter missos erat honoratior, loquebatur quaedam grandia, videlicet Corbeiensem ecclesiam jus liberum electionis habere, quo nunc esset usa & concorditer & absque ulla vel minimi verbi dissensione, fututum ut prius tria millia marcharum argenti expenderet, quam ab obtinendo electo suo desisteret. Corbeiae maximas & pacatas divitias esse, fratres religionem tenere, & ut augetur desiderare ac petere: ministeriales valde locupletes esse, nullum inter eos verbum seu litigium de villicationibus jure obtinendis existisse. Omne feodum vel beneficium liberum vel absolutum fore, ubi mares non succederent patribus: servitium regis tam in expeditione, quam in curia adeunda & in hospitibus procurandis exuberare, fratrem illum Henricum, de quo nunc agitur, iudicium Dei & suae depositionis sententiam patienter sustinere; ipsum quoque desideranter electi adventum expectare, gaudentem, quod nullus eorum, qui ei adver-

fati fuerant, succederet, Stabulensis monasterii defectum de plenitudine Corbeiensis posse submoveri. Locus quidem invidiæ videbatur, patrem ac provisorum tantis ac tam insperatis bonis velle fraudari, cum in facultate Stabulensis ecclesiæ nihil aliud nisi labor & dolor haberetur. Incredibilia tamen hæc videbantur, atque ideo nobis ad suum colloquium revocatis, consilium subeundi sarcinam prælationis, sub tali moderatione dederunt, si videlicet, quemadmodum acceperant, rerum status apud Corbeïenses inveniretur. Multum itaque renitentibus legatis, unum de Stabulensibus monachis, fratrem Henricum, virum utique excellentis ingenii & prudentiæ, ac singulari constantia præditum cum litterarum nostrarum attestazione Corbeïam direximus, qui subtili inquisitione diligenter investigaret de toto electionis ordine, & universa rerum Corbeïensis cœnobii qualitate. Veniens igitur Corbeïam susceptus est ab omnibus officiose, & cum gaudio, ex eo tamen dolentibus, quod adventus noster aliquo modo tardabatur: atque cum in communi fratrum cœtu admittitur, nullam invenit in tota electionis actione dissonantiam, sed excluso præcipitis ac temerarii verbi vel actionis vitio, omnium pariter vota concordabant. Observatum est summa cautela, ne intelligeret illum dominum Henricum jam fuisse Romam profectum, ad reparandam causam suam, & ad repetendam abbatiam, quia jam ex legatis pro certo compererat, quod ad res etiam tutas non libenti animo migrarem, nec certamen pro aliqua prælatione obtinenda subire vellemus. Remissus est ad nos frater noster prædictus cum litteris ecclesiæ, quæ de omnium desiderio & convenientia circa nostram personam plenius continebant, quæ nos ad regimen ipsorum favorabili affectu invitabant. At vero dominus noster rex frequenti jussione nos ad curiam suam vocabat, graviter succensens, quod ecclesia Corbeïensis, non modicum videlicet regni sui membrum, nostra vel negligentia vel tarditate collaberetur. Venimus itaque ad oppidum *Frankenort* v. idus Decembris, credentes dominum regem ibidem esse, sicut ipse nobis per nuntios & litteras significaverat, & invenimus ibi Corbeïenses monachos, clericos & laicos non paucos, qui pro sua electione obtinenda, omnium reliquorum mandato & testimonio advenerant. Didicimus tunc quodam casu, cum hoc nolent Corbeïenses, dominum illum Henricum adesse domini papæ pro sua restitutione præsentiam. Quanto metu ac dolore affecti fuerimus, nequaquam explicare verbis possumus. Tenebamur obligatione divini præcepti, quod per os fratrum Stabulensium acceperamus, quatenus ad vocationem Corbeïensium cœpto itinere procederemus, resistebat nobis ratio nostra, & deterrebat nos non improbabili conjectura, quod impingere possemus in Romanam ecclesiam, & graviter sub potenti manu collidi, si causam Corbeïensium retractare dominus papa insisteret. Doluimus & flevimus, & male nobis erat. Ad primum igitur pullorum cantum, cum dormirent Corbeïenses, nos clam recessimus, sperantes, quod in monasterio Laurisamensi dominum nostrum regem, sicut ab ipso per nuntium acceperamus, invenire possemus, & aliquo

modo apud ipsum satagere, si forte voluntas Dei esset, ut Corbeïam non perveniremus. Sequebantur nos Corbeïenses mane facti indignati, ac disponente Deo, dominum regem ante quam ad nos perveniret, in via obvium habuerunt; & totis ingenii viribus apud ipsius mansuetudinem egerunt, ne ipsos spe sua & electione vacuos & sub ancipiti periculo constitutos in se confidentes dimitteret. Consolatus est eos benigne, & plenos bonæ promissionis fecit hospitari secum in villa *Winheim* nominata. Die insecuta nos non solum vocati, sed etiam per fidem & sacramentum adjurati, venimus, plus cogente Dei ordinationis vinculo, quæ in ore fervorum suorum sonuerat, quam impellente regiæ majestatis & offensæ formidine. Consumpta est dies illa in utriusque partis allegationibus, & quærebamus in domo regia intercessores, qui antea pro multis etiam damnatis sæpe interveneramus, & sollicitabamus amicos nostros, quasi de eorum fide dubitantes, Anselmum videlicet Havelbergensem venerabilem episcopum, & Arnoldum majoris ecclesiæ in Colonia præpositum, regiæ curiæ cancellarium, quos a juventute nostra summa dilectione sumus amplexi, & diligenti studio cum quotidiano caritatis incremento venerati, atque ut nobis assisterent, & animum principis ab hac intentione revocarent, magna precum instantia rogabamus. Siquidem disputandi & refragandi ausum ultra voti nostri & responsi accepti stabilitatem nobis illud exhibebat, quod fratres nostri sub quodam interpositæ conditionis pendulo consilium dederant, ut tunc sequeremur rationem, si nullum vitium sive dolus in actione & narratione subesset. Quid multis moramur? cum universa quæ dicta sunt, nec temporis, nec epistolæ brevitatis possit comprehendere. Turbati ergo & inopes facti totius consilii, cum maxima lacrymarum & singultuum interruptione defensionem causæ nostræ reliquimus, domini regis arbitrio rei summam & terminum committentes, ea tamen prudentiæ ratione considerata, ut tunc regia mansuetudo cogeretur a proposito declinare, cum nos & honorem nostrum ac famam suæ fidei tradidissimus. Verum ipse in sui promissi stabilitate perseverans, & tamquam de suæ voluntatis processu adepto triumphans, vocatis Corbeïensibus, nobisque tantibus, nos more solemniter de abbatia Corbeïensi investivit. Induximus ibidem quamdam animi firmitatis constantiam, personam prius & rem omnem jacturæ subicere statuentes, quam Corbeïensem ecclesiam nostro consilio & auxilio contra prædicti Henrici impetus nudare. Dimissi ergo a regia curia pervenimus Corbeïam xv. kal. Januarii, ubi mirabili omnium favore suscepti fuimus. Nuntiatum est nobis Goslaræ nonas Januarii, quod idem Henricus ab Urbe esset reversus, confecto negotio. Nos tamen Spiritu-sancto roborante, processimus ad res ecclesiæ obtinendas, & contra spem humani iudicii, tam personas, quæ illi fidelius adhererant, quam possessiones, quas ipse alienaverat, absque majoris difficultatis obstaculo recepimus. Hæc vero sunt possessiones, quas liberali manu post depositionem suam donaverat. In *Cropestedem* viginti mansus, in *Nortlandia* curtem integram *Loningem*, curtem integram *Bio-*

choru, in curte *Vsbich* duos mansus, in curte *Loten* unum mansum, in curte *Werletem* unum mansum, in curte *Mettesdorp* unum mansum & alia quædam, quæ universa, Deo propitio, recuperavimus. Sed rumor quem acceperamus de illius restitutione, vanus fuit, quoniam usque adeo nihil egit, ut a sede apostolica absque formata epistola redierit, nec litteras commendatitias, nec recepti sacerdotalis officii, & absolutionis suæ ab excommunicationis vinculo testimonium referret. Quid vero de epistolis a domino papa accipiendis, præcipue ab his, qui ad ipsum venientes negotium habent, sacra canonum auctoritas decernat, vestra melius eruditio novit. Cunctis itaque dissensionibus Corbeïensis ecclesiæ tam intus quam foris per Dei misericordiam sopitis, omnibusque difficultatibus complanatis, missi fuimus a domino rege cum Wormatiensi & Havelbergensi episcopis obviam domino papæ Eugenio ingredienti Galliam comatam, cui occurrimus in oppido *Divionis* tertio kalendas Aprilis anno Domini *MCXLVII*. cui cum suggestum esset, quod nos ecclesia Corbeïensis in abbatem elegeret, discretione apostolica & providentiæ singularis causa edoctus, nullas Corbeïensi ecclesiæ sive in privilegiis, sive in epistolis sub nomine nostro litteras dirigere voluit, nisi prius de tota electionis serie & sinceritate prius cognovisset: arbitratus etiam personarum translationem de ecclesia ad ecclesiam, vel quod una persona in altera ecclesia pastorem, in altera visitatoris officium obtineat ad suæ moderationis gubernacula pertinere. Fuimus tamen ab ipso liberaliter & honorifice habitus, non solum pro reverentia regiæ majestatis, cujus legationeungebamur, sed etiam pro privata dilectionis gratia, qua nos jam pridem cognitos pie amplexari dignatus fuerat. Tunc etiam injunxit nobis in virtute obedientiæ, & in remissionem peccatorum nostrorum, ut ad debellandos christiani nominis hostes, ac Dei ecclesiæ vastatores trans Albim super paganos militarem, cum tamen sciret hoc nequaquam a nobis posse fieri, nisi ex Corbeïensis ecclesiæ expensa & militia. Misit ergo Corbeïensis ecclesia communi consilio & nostro assensu duos ex fratribus suis, Walterum scilicet monasterii priorem & Reinherum præpositum de *Cresburch*, viros sane probati testimonii & honestæ conversationis, sed neque profundi sermonis, neque discretionis, armatos quidem non arte, sed veritate; non facundia, sed innocentia. Hi numquam curiam Romanam prius intraverant, & pervenerunt ad dominum papam apud *S. Dionysium* in territorio Parisiensi. Decima postmodum die absoluti sunt in civitate *Meldis*, confirmata prius in celebri conventu nostra in Corbeïensi ecclesia electione & ordinatione sub die x. kalendas Junii. Siquidem reverendus ac pius pater nostram parvitatem publica laudatione profequi dignatus est, nosque amplissimis verbis apud ignotos commendavit, mandans legatis, & per ipsos omnibus, ut nos tamquam patrem & dominum diligenter & honorarent, atque cum ipsis tanto studio & labore expetiti tantopere placuissimus, ne tunc displicere inciperemus, cum de religione reformanda & possessionibus recolligendis agere tentarem, sed tam ad ordinis reparationem, quam

ad fundorum restaurationem communi consilio & auxilio fulciremur. Intellexerat namque vir subtilis ingenii, nos neque in obtinenda, neque in conservanda hujus prælationis dignitate, cum aliquo ambitionis nævo laborare, sed stetit pro innocentia & fama nostra, & pro quibusdam rebus nostris, quod ad incrementum cœnobii Corbeïensis non modico sumtu inchoaveramus. Nondum reversis legatis, intraveramus cum armata militia & exercitu Christianorum principum terram Leuticiorum, transmissio Albi flumine, & eramus in obsidione castris *Dimin* sub vexillo Crucifixi, cum ecce jam sæpe dictus Henricus parvo quidem armorum numero, sed multum armato animo Corbeïam accessit, missisque legatis suis, ecclesiam de fide & juramento admonuit, & ut ipsum tamquam proprium dominum reciperent postulavit. Verum illi veræ fidei & jurisjurandi non immemores, monasterium armis & propugnaculis, quæ usque hodie exstant, muniunt, & vim vi repellere jure gentium moliantur. Fecerat & antea simile quid in monasterio *Aldeleve*, ubi ab Hillino ejusdem monasterii abbate, qui de Corbeïensi congregatione illic assumptus fuerat, qui a multis vir discretus & litteratus putabatur, hospitio post reditum ab Urbe receptus, ipso annuente, in stationibus festis cum virga pastoralis insignitus processit. Cujus prævaricationis præmium præsumptori consiliario transgressor ipse reddidit, in eo videlicet, quod eodem abbate absente, sedem suam & abbatiam in capitulo invasit; sed a Frithrico ejusdem loci advocato paulo post circumseptus, fuga & pedibus pœnam evasit. Prædictus abbas contemtor sane canonum & apostolicæ sedis, relicta monasterii & fratrum suorum cura, *Jerosolymam* profectus est, armatam militiam sequens, ubi & in mari submersus est: cujus obitu nuntiato, præfatus Henricus abbatiam sibi canonice electione obtinere voluit, atque ut per nos a marchione Adelberto induceretur, efficere laboravit. Existat epistola, in qua persuasioni ejus & quorundam virorum non obsecuri nominis respondimus. Reversus ab expeditione Slavica in nativitate beatæ Mariæ, quam etiam peccatis exigentibus, non efficaciter, sed tamen obedienter complevimus, ad quam nos traxerat & christianæ salutis intuitus, & specialis monasterii nostri causa, pro recipienda videlicet regione quadam quæ a Teutonicis Ruiana, a Sclavis autem Rana dicitur, quæ Corbeïensi monasterio imperiali dono collata est a Lothario cæsare, invenimus ecclesiam assultu prædicti hominis turbatam, plus dolentes ac metuentes de fraude ac pertinacia eorum, qui consilium & adjutorium illi impenderant, quam de ipsius temeritate. Anno præterito fuimus Treviri in curia domini papæ, unde cum gratia & apostolicæ benedictionis roboratione revertentes, accepimus litteras ad Corbeïensem ecclesiam, plenas favoris & bonæ spei, in quibus continetur, ut Corbeïenses nos tamquam boni & humiles filii diligenter & honorarent, atque ut pastori suo condignam nobis reverentiam & obedientiam impenderent, ad recuperandas & retinendas possessiones & bona Corbeïensis ecclesiæ viriliter assisterent. Non profuit tam frequens sua depositio, tam crebra nostra confirmatio, tam perseverans

apostolicæ auctoritatis jussio; seminatur terra mendacis, seminatur scandalis, & ut mos est gentis, prius hominem falsa delatione suffocant, quam ipse sese appeti intelligat. Venimus ad synodum Remensem, quæ celebrata est median- te quadragesima, ubi dominus papa paci & tranquillitati Corbeiensis ecclesiæ providere volens, sententiam, quam venerabilis pater noster bonæ memoriæ Thomas presbyter cardinalis & apo- stolicæ sedis legatus in Henricum quondam monasterii ejusdem abbatem verbo dederat, verbo & scripto confirmavit. Sententia vero prædicti cardinalis & legati, quam apud nos scriptam & imagine ipsius obfirmatam habemus, hæc fuit.

Nos, inquit, communicato consilio episcopi Patherburnensis & aliorum, qui præsentis ad- rant, pro inutilitate personæ & confessione si- moniæ, & inobedientia & ceteris, eum de ab- batia & sacerdotio deposuimus, monachos ab obedientia, & omnes qui juraverant sibi fidelitatem, a debito juramenti absolventes. Quod si visis & auditis his litteris in abbacia consistere pertinaciter voluerit, & ecclesiam in personis vel bonis suis per se vel per aliquam submissam personam lædere molitus fuerit, a proxima do- minica palmarum eum excommunicamus. Viderit de absolutione sua, viderit de restitutione sacerdotalis officii. Hæc in eum prolata in ju- dicio, & scripta sub sigillo fuerunt. Sed videte qualiter totiens tam acerbe admonitus respicerit. Venit in mense Junio Giseke, in domum sororis suæ abbatissæ, quæ nec sacrum virginis velamen per consecrationem episcopi suscepit, nec benedictionem ad abbatissæ regimen a pontifice accepit, cum tamen jam antea duas abbatias, videlicet *Eskenwege* & *Kaminata* per violentiam occupa- verit, præter illam, quam modo tenet, & ha- buit consilium cum ministerialibus nostris, numero quatuor, qui soli de omnibus laicis ad depositionem ipsius maxime sunt admissi. Reconciliatus est eis in osculo pacis, utinam pro- pter eam qui est Caritas. Sed inventus est dolus in ore ipsorum, quoniam eorum quidam spe cujusdam temporalis commercii & ipsum vocavit, & ipse illuc venit: cujus rei relatione nec aures vestras sanctissimas decet gravari, nec nostram professionem nec stilum contaminari. Radicem conveniendi & arborem consilii nos de fructibus plane cognovimus. Recedentes enim ab eodem colloquio, cœperunt paulatim & occulte per extremæ conditionis & fortunæ personas in vulgus spargere, quod nequaquam essemus ultra redituri, dominum illum cui recon- ciliati fuerant, abbatiam sive jure sive injuria recepturum; atque interim maledicta & incredibili- lia probra de persona & conversatione nostra in populum spargebant. Procedebant eorum audacia, & incipiebant grassari in suos compares, ac projecta nominis nostri ac potestatis reverentia, prædis eos & rapinis incessabant. Reduxerunt præterea intra muros atrii monasterii nostri genus hominum desperatorum, prædones videret & latrones, & quosdam proscriptos, de quibus publica querimonia clamabat, quod vias & itinera obsiderent, & latrocinii omnia permiscerent. Commovebant clandestinis consiliis corda quorundam fratrum in ordine suo dissolutorum, quod malum usque adeo inva- luit, ut post reditum nostrum, quem hæc ne-

cessitate ante præfinitum & opportunum tempus acceleravimus, tres de junioribus fratribus in an- niversario die obitus prædecessoris nostri abbatis Henrici pro eo nobiscum orare multotiens ad- moniti detractarent, eo quod dominum suum deposuisset, & in sede ejus sedisset contra canones. Pro qua rebellione & contemptu tamquam inobedientes & temerarii de monasterio com- muni omnium judicio sunt ejeeti. Quæ actio aliis singularibus litteris tota conscripta est. Hoc venenum de conflatorio prædicti conventiculi fluxisse non dubitatur. Crevit quotidie similtas, & nocivis argumentis in tantum proventa est, ut illi ipsi, de quibus dictum est, nos per sum- missos latrones trucidare tentaverint iv. kalend. Januarii. quo nequitia conatu frustrati, effra- cto stabulo nostro, quatuor equos abduxerunt, tres gladiis confoderunt. Hoc factum in ore omnium cum maledictione versatur, & nos anxietate ac sollicitudine implevit. Perpendat nunc, reverende pater, ac judicet vestra pru- dentia de vestra petitione super illius fratris in claustrum nostrum receptione, qui tam mobi- lis & convertibilis animi est, qui consuevit pra- vorum magis quam prudentium acquiescere consiliis, hoc est ignem in sinu recondere. Au- distis nunc quæ mala nobis fecerit, intelligite nunc quæ nos ei bona contulimus. Fuerat in ob- sequio suo juvenis quidam filius fratris sui nomi- ne Conradus, qui ad nos reversus est, nondum detergo sudore itineris Romani. Eum nos non solum clementer, verum etiam familiariter, atque in cibo & potu & somno tamquam custodem corporis habuimus, quem etiam honore, possessione & honesto matrimonio sublimavimus. Puerum quemdam reliquerat Corbeix filium sororis suæ, illo nativitatis ordine genitum, de quo leges & patrum instituta decernunt, ut in ergastulis monasteriorum sic concepti retrudantur, quem ipse in monasterio collocare nequiverat: sed nos eum intuitu divinæ retributionis tonsuratum & vestimentis regulæ indutum, collegio fratrum aggregavimus. Quidam ex eis, quibus nuper reconciliatus est, cui frequenter legatos diri- git, gravi eum ignominia cauterio adusserat, quasdam ædes prope monasterium destruendo, & inhabitantes in eis ingressu monasterii arcen- do, quam notam nos, humanitatis verecun- dia suadente, abolere festinavimus. Hunc lo- cum erubescens atque cunctantes attigimus, propter illud apostolicum: *Considerans te ipsum ne & tu teneris, & Qui stat videat ne cadat.* Illud verum, quod licet munus fuerit, non tamen a nobis beneficium reputatur, prætereundum pu- tamus, videlicet quod a nobis vestitus fuerit cunctis duplicibus eadem die, qua a submissis la- tronibus vitam fere cum caballis amisimus. Pro- pterea detestanda est ambitio, quæ mentis oculo cæcat, quæ religionis intuitum tenebrat, quæ Dei timorem & hominum reverentiam annullat. O altitudo divini consilii! ô profundum justissimum providentiæ! ô investigabiles viæ Dei! Dum honorem consilii fragilitatis rejici- mus, consilio divino capimur, cum ad quie- tem diu desideratam & corpore & animo tendimus, æternæ providentiæ judicio labores in- extricabiles & anxios incidimus, & in hac via Domini cum amamus, odium recipimus, cum miseremur, affligimur. Accusatores quidam & testes

restes atque cooperatores depositionis homi- nis illius elisum recolligunt, odia incendunt, armant iras, præsumptionem roborant, non quia eum diligunt, sed quia ipsi inquieti sunt. Quod autem vestra eruditio scripsit, ut jam sæpe nominatum fratrem in claustrum profes- sionis suæ benigne recipiamus, & paterna con- solatione contritionem ejus sublevando foveamus, quamdam juris rationem prætereundam vi- detur; sed imbecillitati nostræ nequaquam jus- tum sive legitimum, aut regulare creditur, ut ad tutelam redeat, de qua fuit semel emanci- patus. Emancipationem vero intelligimus ab- batis promotionem, quia capite diminutus non potest fieri legitime tutor. Sicut ergo a præ- latione alicujus dignitatis depositus, jure cogi non potest, ut ibi nolens habitet, ubi præfuit, sic nobis videtur ecclesiæ cogi non posse, ut depositum suum, non dicimus alat, sed in suæ habitationis penetralia cum formidine futuri scandali recipiat, nisi forte quis suæ depositio- nis sententiam patienter ferat, & reversus cum adversariis in concordiam, in electionis assensu illum arroget, quem postea patrem & tutorem absque contradictionis obstaculo habere valeat. Ille vir duabus electionibus, quæ post depo- sitionem suam canonicæ institutionis ordine ce- lebratæ sunt, nec interfuit, nec acquievit; sed potius contradixit, & usque hodie clamare non cessat se fuisse circumventum & vi oppressum, cum tamen & confessio ejus, & accusatorum attestatio, & operis ipsius irrefragabilis eviden- tia juste damnatum manifeste ostendant. Non est ei tutum, non est ei honestum, non est ei pa- cificum in domo una inter personas esse, quæ agente Dei judicio, sua accusatione & testifica- tione eum deposuerunt, nisi forte in animo ip- sius soliditate humilitatis fundato, mundanæ altitudinis desiderium penitus excoctum sit. Præterea excellentiam vestram latere nolumus, quod in litteris quas dominus papa Eugenius depositionem illius confirmans scripsit, itatuif- se dignoscitur, ut si idem Henricus pacem mo- nasterii Corbeiensis perturbare præsumerit, & bis tertioque commonitus non respicerit, non solum ibi ulterius non habeat prælacionis offi- cium, sed ne postmodum ibi inter subditos ma- neat, prohibuisse. Cum a conventu illo mali- gnantium, qui apud Giseke, ut supra dictum est, fuit habitus, reverteretur, habuit hospitium præ- foribus monasterii, in domo cujusdam laici, si- bi antea familiaris, ubi a quibusdam juvenibus nova cupientibus visitatus fuit, & antelucanis horis in ecclesiam vocatus & salutatus fuit. Un- de egrediens mane invenit operarios in muro no- varum ædium, quas erigere inchoavimus, horta- tusque eos ad studium operis, promisit a seipso condignam retributionem accepturos, ipsum quoque camerarium nostrum, cui hanc sollici- tudinem injunxeramus. Verba hæc inepti homi- nis; sed ut scitis, populus coepit ea exaggerare, & suspicione ac metu omnia implere, ita ut etiam viri quos majoris oportuit esse consilii, in offensionem sint adducti. Pro qua re admo- nuimus eum per venerabiles patres & coabbates nostros, per abbatem videlicet de *Reinehusen*, per abbatem de *Northem*, per abbatem de S. Godehardo, per abbatem de *Gravenkirch*, per ab- batem de *Flietorp*, per præpositum de *Riechen-*

Annal. Bened. Tom. VI.

berch. Sic firmatam credimus sententiam domi- ni papæ, ne idem dominus de cetero sit habi- tator vel dominus Corbeiensis monasterii. Hæc, pater amantissime, vobis scribere dignum judi- cavimus, prolixiora fortasse, quam vestris oc- cupationibus seu valetudini conveniat, sed eo animo factum est, ut totus rerum ordo vobis plenius innotescat, & nostra parvitas apud vestram discretionem, in eo quod petitionem vestram tanta necessitas exaudiri non patitur, placidam excusationem inveniat. Quod vero plurali nu- mero scribimus, non venit ex elatione cordis & pompa verborum, neque ut ex tumida dictione oratio fiat crassior, aut ex producta positione numerosior, sed ex nostra, id est monachorum consuetudine hoc facimus, qui nihil singulare aut proprium, nisi *mea culpa peccavi*, habemus. Superfluam fortasse, sed tamen officiosam ope- ram assumimus, videlicet *Minervam* docere ar- tes, in silvam ferre ligna, mittere aquas in flu- mina, juvare lumen solis facibus accensis. Non doleatis, carissime pater, quod hoc non habe- tis, quod habent cymices & vermiculi, quo- niam habetis quod multi homines non habent: non, inquam, tristementi, quod non habetis il- lud, ex quo nemo Deum vidit unquam, quo- niam illud habetis, ex quo beati sunt, qui Deum videbant. *Judicia Dei abyssus multa! & O altitudo divitiarum sapientia & scientia Dei, quam incompre- hensibilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus!* Tyrannis & ecclesiarum subversoribus dat in- columitatem & rerum omnium affluentiam, re- ligiosis & eruditis episcopis subtrahit visionem oculorum, ne gregem suum oculis carnis vi- deant, & officium altaris implere valeant. Pa- titur & Apostolus aliquid, quod non vult, pro- pter quod ter Dominum deprecatur. Sed di- citur ei: *Sufficit tibi gratia mea.* Et ad revelatio- num humiliandam superbiam monitor quidam humanæ imbecillitatis apponitur, in similitudi- nem triumphantium, quibus in curru comes re- tro adhærebat, per singulas acclamationes ci- vium dicens: *Hominem te memento. Valet.*

Epistola Corbeiensium monachorum ad Bernardum epi- scopum Hildenesheimensem, de non admittendo apud Corbeiam Henrico quondam abbate deposito.

Domino & patri sanctissimo Bernardo ve- nerabili episcopo sanctæ Hildenesheimen- sis ecclesiæ, conventus ecclesiæ Corbeiensis devotæ orationis instantiam, & debitam cari- tatis perseverantiam. Venit ad nos venerabilis abbas S. Godehardi, homo in nostro monaste- rio ex longo jam tempore dilectus & familia- ris, afferens parvitati nostræ litteras vestræ san- ctitatis, quæ hoc deprecabantur, ut domnum Henricum, quondam ecclesiæ nostræ abbatem, ad nos reconciliarem, & volentem conver- sari inter nos non repelleremus. Quod vero tunc in præsentiarum vestræ paternitati respon- dere distulimus, causa erat, quod in hoc ver- bo magna anxietate tenebamur, nec in re tam difficili, quæ scandalum ecclesiæ nostræ gigne- re poterat, inconsultis univertis, qui tunc ple- rique aberant, quidquam statuere incongruum arbitrabamur. Quid autem nunc in consilio inve- nerimus vestræ celsitudini per unanimitatis no- stræ litteras aperimus, hoc in principio postu-

iiii

lantes, ne indignetur nobis dominus noster, quod petitioni vestrae satisfacere non possumus.

Homo enim iste pro quo interpellatis, magnam ecclesiae nostrae afflictionem intulit. Primo quidem cum a fratre suo comite Siffrido ad dignitatem abbatiae violenter est intrusus: deinde cum in praelatione positus ecclesiae inutilis fuit & damnosus; postmodum etiam cum ex Dei iudicio depositus, ecclesiam nostram multis & magnis injuriis, in quantum potuit, est persecutus. Siquidem ut apud excellentiam vestram excusabiles esse valeamus, violentam intrusionem ejus in abbatiam paucis verbis exponemus, in quibus tam vera loquimur, quam visa & experta dolemus. Cum dominus noster pia memoria Adelbero abbas viam universae carnis ingressus esset, idem dominus Henricus erat apud nos adhuc in annis adolescentiae, & nuper absolutus de sub jugo claustralis custodiae. Hic aspiravit ad dignitatem abbatiae, quam etiam adeptus est, fratre suo Siffrido cooperante. Misit namque idem comes ipso articulo temporis, quo abbas senior decesserat, secretos nuntios ad Moguntinum archiepiscopum, & cum hoc ignoraremus, callide egit, ut electionem, quam de consuetudine monasterii eadem die celebrare debueramus, per triduum differremus. Peracto triduo, venerunt legati domini Moguntini cum litteris ipsius missis ad nos. Litterae autem continebant petitionem, & suasionem archiepiscopi de eligendo in abbatem fratre comitis, postremo etiam comminationem quamdam, si petitioni ejus in eandem personam non praeremus assensum. Si, inquit, eum non elegeritis, & sinistri aliquid provenerit, neque iniquitas mea, neque peccatum meum. Legati praeterea ipsius quaedam immania loquebantur, comminantes, si alius electus foret, dominum suum archiepiscopum ne consecraretur prohiberetur, denique in conspectu domini papae eum nobis adversaturum. Venit ergo dies, cum facta secundum consuetudinem ecclesiae solempni invocatione Spiritus sancti, ad eligendum patrem & pastorem animarum nostrarum in capitulo confedimus. Comes vero supra nominatus de promovendo fratre suo sollicitus erat. Unde & ambiendo singulim omnes, qui desiderium suum promovere poterant, per se & per secretos nuntios conveniebat, & alium quidem suasionibus, alium blandimentis, alium terroribus ad electionem sollicitabat. Nam & praeposito nostro per familiares nuntios sub diligenti interminatione ita pollicitus est, quod si electionem fratris sui in aliquo impediret, omni honore eum in ecclesia nostra prorsus nudaret.

Cum igitur de voluntate comitis in publicum dictum fuisset, & quidam de fratribus repleti spiritu Dei resisterent, & causas contradictionis suae multas & convenientes redderent, sive quod praedictus Henricus, quem eligere cogebantur, infra annos esset, sive quod pene illiteratus hujus dignitatis officium verbo & doctrina minime administrare sufficeret, sive quod inops consilii & totius prudentiae, neque seipsum, neque rem tam grandem gubernare vel regere praevaleret, sive quia libertas & ordo regularis electionis per eum cassata videretur, qui propter timorem fratris magis quam respectu

Dei & communis utilitatis assumeretur: cum tales, inquam, excusationis causae exponerentur, comes qui cum armata manu nobiscum in capitulo sedebat, adversus eos, qui hujusmodi loquebantur, multo furore, & ira magna efferebatur, quibus & postmodum satis innotuit, quid tunc in eos moliebatur.

Novissime cum in electione consensus fieri nullatenus potuisset, gravis sententia nobis proposita est, quod si hanc denominatam personam non eligeremus, corpus venerandi patris nostri Adelberonis abbatis, beati utique senis, & cuius memoria in pace est apud nos, ejici ex ecclesia ad contumeliam nostram cito aspiceremus. Pollicebatur nihilo minus idem comes, si frater eligeretur, multo adjutorio se ecclesiae affuturum, & tam in persona sua, quam in rebus se fideliter & devote servitutum. Sed qualiter expleverit, rerum exitus comprobavit, cum facta abbate eodem fratre suo, assidue cum uxore sua & maxima multitudine super eum & ecclesiam incumbere, nec prius eum deserebat, quam annonam de qua toto anno victurus erat, sic prorsus consumserat, quod nec mensae panem residuum ei dimittebat. Non itaque tam inducti his promissionibus, quippe quas vanas ac falsas suspicabamur, quam superati terroribus ac minis, quem solum principem & dominum super nos aspicebamus, maxime ne contumelia ecclesiae fieret in defuncto patre nostro, ita coacti fratrem ejus elegimus, non ausi dimittere, quod voluntatis ejus esse perpeximus, non tamen communiter, quia praedicti fratres in contradictione sua perfluerunt; & cum a domino rege multum etiam invito ac fratris precibus constricto, investitus de Fulda rediret, illi susceptioni ejus se subdixerunt, quod electioni ejus, quae secundum Deum facta non erat, consentire noluerunt. Unde & eodem, qui erant numero quatuor, nobis inconsultis, comes & novus abbas exsiliaverunt, cum quidam ex eis satis eruditi & honeste apud nos conversati, multum a nobis fuerint dilecti, nec sine magno dolore sint a conventu nostro subtrahiti. Quemdam vero ex eis, qui praesentiam domini papae interpellaverat, postmodum idem dominus Henricus cepit, & in vincula coniecit, & fame ac siti, frigore ac nuditate intolerabiliter afflixit, & per tres menses carceri mancipavit. Talem introitum habuit in abbatiam.

Quam inutilis autem fuerit in ecclesia tempore praelationis suae, & quam stulte omnia egerit, uno exemplo demonstrare sufficit. Quod cum fratris sui beneficium liberum ad ecclesiam redisset, de quo multum res nostrae augmentari poterant, absque omni & sua & nostra utilitate de manu ejus excidit, & hanc honestam opportunitatem beneficiendi, quam quasi dormienti Deus obtulerat, prorsus neglexit; & ne aliquis successorum suorum utilitatem inde consequatur, variarum rerum intricacione effecit. Qualiter denique per dominum Thomam cardinalem presbyterum apostolicae sedis legatum depositus sit, accusatus & convictus de simonia, de violenta intrusione, de inutilitate personae, de inobedientia, quia vestrae discretionis incognitum esse non credimus, ob fastidium prolixitatis hic inserere superse demus.

Quoniam igitur per misericordiam Dei de

persona ejus ecclesia nostra liberata est, gratias agimus Deo, & quod de cetero neque dominus, neque habitator loci nostri sit, sponcione in perpetuum valitura firmavimus. Neque enim propterea depositioni ejus consentientes fuimus, quod eum denuo nobis praeponeere voluerimus. Scimus autem quod nisi affectaret restitutionem dignitatis suae, nequaquam tantopere quaereret ibi subesse, ubi aliquando praefuit, praecipue cum in principio sedi apostolicae rebellaverit, & tot conatum suorum amputatis capitibus, quotidie trigeminis assultibus resurgere attentaverit. Non ergo inter nos eum esse volumus, qui si opportunitas acciderit, iterum nobis dominari concupiscat. Litteras etiam domini papae confirmantes depositionem ejus praesenti anno habuimus, in quibus hoc demandavit, quod si Corbeiensem ecclesiam fatigare praesumerit, & semel ac bis tertiove motus non respuerit, non solum praelationis dignitatem, de qua depositus est, in Corbeienfi monasterio non habebit, sed nec inter subditos postmodum habitabit. Fatigantem igitur ecclesiam nostram per venerabiles & religiosas personas dominus noster abbas ex communi consilio capituli nostri, jam plusquam tertio commouit, nec tamen de fatigatione nostra post commotionem cessavit. Ex mandato igitur domini papae astricti, eum in consortio nostro recipere non praesumimus, quoniam incidere in manus domini papae, & similes inobedientiae existere per nostram inobedientiam formidamus. Obscuramus itaque paternitatem vestram, ne dure accipiatis, quod in receptione ejus vestrae petitioni annuere non valeamus, quia causas impossibilitatis nostrae quanto potuimus brevius vestrae discretionis ostendimus, quas secundum instam vobis prudentiam considerando, in gratia vestra nos excusatos habeatis, quoniam excepta hac petitione, quam nulli mortalium concedimus, nos ad vestram omnem voluntatem pro posse nostro promptos & devotos famulos invenietis. Valete in Domino.

Hae litterae in communi fratrum conventu recitatae sunt, & omnium testimonio approbatae. Hi autem fratres praesentes aderant, Walterus prior, Erminoldus, Ingrammus, Engelgerus, Thidericus, Heremannus, Adelbertus praepositus, Adolfus, Cunradus, Elvingus, Metfridus, Yfico, Thegenhardus, Henricus, Bruno, Abraham, Marquardus, Bruningus, Eico, Luidolfus, Lampertus, Erkebardus, Henricus, Adelbertus, Werneherus, Othelricus, Arnoldus, Reimarus, Fridericus, Unarchus, Wernherus, Ruopertus, Hartmannus, Saxo, Adelbertus, Reinherus.

L X.

Epistola encyclica Dolensum monachorum de obitu venerabilis Hervei monachi.

Ad lib. 79. n. 106.

Cum Propheta dicat: Dominus virtutem operum suorum annuntiabit populo suo: si ipse non pro sua, sed pro auditorum salute proprias enarrat laudes, quomodo nos, quorum tota salus in laudibus ejus est, tacere audebimus magnalia ipsius, quae nostris temporibus ostendere no-

bis dignatus est? Noverit itaque quisquis haec auditurus est, vel lecturus, nos nequaquam vanis vel falsis laudibus velle mortuos extollere; sed ad laudem & gloriam Christi, salutemque audientium, pro amore veritatis, de veritatis ipsius amatore veraci stilo pauca describere. Fuit igitur vir tam vita, quam doctrina venerabilis, Herveus nomine, Dolenfis coenobii monachus, degens ibi circiter quinquaginta annis in praedicanda morum probitate; patriae autem Cenomannensis indigena, multa apud nos suae fidei & sapientiae, necnon & innocentiae monumenta relinquens. Jam namque juvenis, & a puero scholarum dogmatibus multipliciter imbutus, cum praedictum monasterium ingressus fuisset, totum se studio sanctarum scripturarum dedit, atque catholicos tractatores, Augustinum videlicet, Hieronymum, Ambrosium, Gregorium, ac reliquos frequentare coepit, jugiterque diebus ac noctibus eorum lectioni incumbere, meditationi inservire non desistit; nec quolibet impedimento ab inquisitione veritatis avelli potuit. Cumque singularis ingenii, atque inestimabilis memoriae esset, coepit in vasculo cordis sui multa profutura recondere, & columbae more meliora grana eligere, sibi que memoriter retinere, scriptoque commendare.

Fecit itaque ergo primum expositionem mirabilem super librum B. Dionysii de hierarchiis angelorum. Deinde exposuit totum librum Isaiae prophetae, & Lamentationes Jeremiae, extremamque partem Ezechielis, ibi incipiens ubi sanctus Gregorius papa dimiserat, & ad finem usque perducens: simul etiam Deuteronomium Moysei, & Ecclesiasten Salomonis; necnon quoque librum Judicum, & libellum Ruth; librumque Tobiae, omnia quae in illis minus intelligentibus solam litteram sonare videntur, inconvincibili ratione ostendens Christi & ecclesiae contestari, & praedicare mysteria. Praeterea apostoli Pauli epistolas cum tanta sapientiae affluentia exposuit, ut qui eas legerunt, asserant numquam se illis comparabiles cognovisse, & vix aut numquam tanta exposita diligentia posse alicubi reperire. Ad ultimum cum fama doctrinae ejus circumquaque spargeretur, & jam nullus ei, sicut attestantur qui eum veraciter cognoverunt, canonicarum scripturarum scientia primus haberetur; librum duodecim Prophetarum, & librum Genesis ex integro tam mirabili sensu exposuit, ut expositionem super illos necdum potuerimus invenire, quae suae aequiparari possit. Inter haec quippe fecit plurimas expositiones de lectionibus sanctorum evangeliorum; canticorum etiam quae in ecclesia leguntur: libellum quoque de connexionem quarundam lectionum, ostendens aliter in quibusdam ecclesiis legi, quam in sacra historia continentur: de quibus unum quod subditur exemplum sufficiat. Legitur in quadragesima lectio quaedam de libro Esther; & ita in quibusdam lectionariis incipit lectio libri Esther: *Oravit Esther ad Dominum dicens: Domine Deus Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita.* Quam orationem ipse illic ex auctore sacrae historiae probat non fecisse Esther, sed fecisse Mardocheum, & ideo non esse legendum: *Oravit Esther*, sed legendum esse: *Oravit Mardocheus*, & multa similia ibidem asserit. Librum etiam non minimum fecit de miraculis sanctae Mariae Dei

genitricis, quæ eadem in violata virgo temporibus ejus gessit in Dolensi templo, quæ ipse mox postquam gesta erant, sicut audiebat ab ipsis in quibus fiebant, & a monacho custode monasterii, sine aliqua dilatione scribebat.

Demum quamvis propinquum finis sui terminum, paulatim vigore deficiente, sensisset; tamen sine consueto scribendi opere esse non poterat, & rogatus a nonnullis, ut qui omnes scripturas super cunctos memoriter retinebat, de cœna sancti Cypriani Cæcili, Carthaginensis episcopi, fere de omnibus libris canonicis aggregata, quæ quid intimaret eatenus apud nos incognitum erat, edoceret ipse quid de ea sentiret: acquievit rogantibus, dicens, dum scriberet, se fortassis cum ista præsentem vitam finire; & quia prior liber expositionum suarum de dictis sanctorum patrum, Dionysii videlicet Areopagitæ, existerat, de eorundem sanctorum patrum dictis iste posterior esset. Sicque contigit. Namque cum eandem cœnam usque ad illum locum exposuisset, quo dicitur: *Consumebatur Elizabeth, stupebat Maria, videbat de factis Sara*, quo loco videlicet apud nos terminabatur: arbitraretur autem de ea non nimiam abesse partem; tam ipse, quam dominus abbas Girbertus, qui hoc ei tamquam monacho & filio suo mandaverat, eamque quæ deerat partem ab abbate sancti Savini, qui se eam habere dicebat, & mittendam eis promiserat, expectabant; multa siquidem in ea vel dempturus fortasse, vel additurus, illam sicut erat in abolitione reliquit.

Et cum tempus quadragesimæ in maxima mentis & majore corporis quam nuper fuerat virtute, in multa abstinentia, multisque quotidianis virgarum verberibus, devotis atque assiduis orationibus; & in quotidiana sacrosancti sacramenti corporis & sanguinis Domini reverenda celebratione, cum alacritate & gaudio sancti Spiritus consummasset; & in die sancto cœnæ Domini nos dulcissimo verbi Dei pane in capitulo refecisset, in die sancto Paschæ missæ hebdomadarius fuit, & sermonem in capitulo fecit. Secunda feria missam in conventu cantavit, & postmodum debilitate correptus, quarta feria inunctus est, sed tunc communicari non potuit. Quod ipse postea aliquantulum convalescens, divina providentia accidisse asseruit, dicens non Dominum ad se, sed se ad Dominum venire debere; & sic sequenti quam præcedenti die non audierat, ipsiusque diei missam audivit, & confessus prius sacrosancta mysteria corporis & sanguinis Domini in tutelam exituræ in proximum animæ devotissime accepit; sicque per totam hebdomadam, cum missam quotidie audisset, quam nullo modo amittere volebat; & domnum abbatem, qui tunc forte deerat, antequam recederet, multum videre vellet; postquam venit, ab eo visitatus atque absolutus, inter manus ipsius cui se accusabat, cœpit acri quidem, sed brevissimo dolore fatigari usque ad mortem, dominica in octavis paschæ transiens ex hac vita, & scandens, ut credimus, ad siderea regna. Ne vero longius protrahatur epistola, de omni tempore vitæ ejus breviter dixerimus: In diebus nostris majoris abstinentiæ, pudicitæ mundioris, sanioris consilii, humilitatis altioris, taciturnitatis magis assiduæ, locutionis plus circumspiciendæ; prorsusque a vanitate alienæ, pu-

rioris, vel amplius catholicæ doctrinæ, in quæ universa morum honestate præclariorem nullum nos cognovisse. Hæc scribimus vobis, quoniam frater erat, ut de tanto fratre gaudeatis, & quod ei promiseratis, devote persolvatis in regno Dei, ad quod eum evolasse confidimus, ei confociari sperantes. Valet.

L X I.

Permutatio domus regie in silva Coita ad condendum illic virginum monasterium.

CUM in omnibus bene a nobis gerendis principium finemque debeamus ponere in eo qui est principium sine principio, & finis sine fine, in ipsius nomine notum volumus esse præsentibus notum fore & posteris quod ecclesia sancti Adriani Bestiisacensis domum sancti Johannis, quæ est in nemore Cuisiæ, quæ cognominatur domus regis, ex dono & elemosyna magnifici regis Ludovici multis & continuis annis liberam & quietam tenuit. Instantibus autem precibus quarundam sanctimonialium quæ juxta manebant, pro eis etiam Adelâide regina prædicti regis conjuge nimium instante, & quosdam redditus in cambium præfatæ domus sancto Adriano donante, scilicet quinque modios vini & quinque solidos Catalaunensium, & unum sextarium frumenti, & minam & dimidiam avenæ, & tres mensuras apud Bestiisacum ex quibus ecclesia nostra antea censum habebat; & ex parte sanctimonialium quicquid habebant ex dono Galteri de sancto Martino: Ego Gaufridus ecclesiæ sancti Quintini minister, assensu capituli nostri & fratrum nostrorum donavi sanctimonialibus illis domum nostram de nemore in perpetuum possidendam, sicut eam libere possederamus. Huic dono testes affuerunt Petrus prior, Ruricius, Erardus, Girardus, Radulfus capellanus earum; milites Richardus castellanus, Petrus major, Richardus Burdinus. Actum ab incarnatione Domini anno MCLII. regnante & sigillo suo donum istud confirmante Hludovico filio Ludovici regis. *Pendebat sigillum quod avulsum est, restat vitta sericea coloris viridis.*

Confirmatio Ansculsi episcopi Sueffionensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Sicut caritatis est officium ecclesiis elemosynas erogare, ita nihilominus eadem caritas nos ammonet quæ eis collata sunt inviolata conservare. Ego itaque Ansculfus Dei gratia Sueffionensis episcopus perpetuæ litterarum memoriæ commendo, quod illustris rex Franciæ Ludovicus, sicut ex litteris ejus sigillatis agnovimus, domum quæ in nemore Cuisiæ est, & domus regie appellatur, sanctimonialibus inibi Deo servientibus concessit libere possidendam. Ecclesia quoque sancti Quintini quæ prius eam possederat sui impressione sigilli attestatur, intercedente quodam cambii commercio, eandem domum se prædictis sanctimonialibus concessisse: ipsæ in nostra habitant diocesi, & ob hoc a Deo & nobis habeant hoc munimentum, ut quicumque super elemosyna prædicta eis injuriosus extiterit, anathematis sententia feriatur. Data Sueffione anno ab incarnatione Domini

Ad lib. 79. n. 198.

Ex authentico Regalis-loci.

L X I I.

mini millesimo centesimo quinquagesimo-quinto, episcopatus vero nostri tertio. *Pendebat sigillum cum vitta ex corio.*

Ludovici Junioris præceptum, quo sanctimonialia ejus loci ad quadragesimam rediguntur.

Ex authentico Regalis-loci.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Regiam decet providentiam ecclesiarum utilitates vigilantius procurare, atque ipsarum expensas adeo salubriter moderari, ne sumptuum immoderato gravamine periclitetur earum substantia, & ad ultimam inanitionem in posterum deponantur. Quia ergo perspeximus monasterium sanctimonialium, quod in honore beatissimæ Virginis Dei genitricis Mariæ & sancti Johannis-Baptistæ in foresta nostra, quæ dicitur Quesia, constructum est, tenues ac permoticias habere facultates, quæ multitudini monialium sufficere non possent: habito prudentum consilio, provida deliberatione stabilivimus, ne in prædicto monasterio deinceps aliqua sanctimonialia admittatur, donec ad numerum quadragesimarum universitas reducat. Postmodum vero in locum decedentium aliæ poterunt subrogari atque substitui, ita tamen quod prætextatum numerum, id est quadragenarium non excedant. Sciant autem tam abbatissa quam conventus, quod si numerum jam sæpe dictum exceperint, offensam nostram & regiam indignationem pro tam necessariæ constitutionis transgressione incurrent: quod tam utiliter stabilitum, ut firmum & stabile permaneat in perpetuum, sigilli nostri auctoritate, ac regii nominis subtus inscripto caractere præsentem paginam fecimus communiri. Actum publice Senonis anno incarnationi Verbi MCLXXV. instantibus in palatio nostro quorum supposita sunt nomina & signa. S. comitis Theobaldi dapiferi nostri. S. Guidonis buticularii. S. Reginaldi camerarii. S. Radulphi constabularii; vacante cancellaria. *Pendebat sigillum cum vitta ex corio.*

Donatio decima panis & vini facta ejus loci sanctimonialibus a Philippo Augusto.

Ex authentico Regalis-loci.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverrint universi præsentis pariter & futuri quoniam nos intuitu Dei & ob remedium animæ patris nostri & prædecessorum nostrorum, monialibus sancti Johannis de Cuisia dedimus & in perpetuum concessimus decimam totius panis & vini nostri quod expendemus quotiens erimus apud Chausiacum, & præcipimus quod quicumque prædictam villam habeat, eandem similiter decimam præstare teneatur prædictis monialibus. Quod ut ratum permaneat in posterum, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate ac regii nominis caractere inferius annotato præcipimus confirmari. Actum apud Chausiacum anno ab incarnatione Domini MCLXXX. septimo, regni nostri anno octavo, instantibus in palatio nostro, quorum nomina supposita sunt & signa. S. comitis Theobaldi dapiferi nostri. S. Guidonis buticularii. S. Matthei camerarii. S. Radulphi constabularii. Data vacante cancellaria. *Pendebat sigillum.*

Annal. Bened. Tom. VI.

Epistola Wbalidi abbatis Corbeiensis ad Eugenium papam III. de electione abbatis Fuldensis.

REverendo in Christo patri suo, & domino Eugenio, uni & universali pontifici, frater Wibaldus Dei gratia & vestra id quod est in ecclesia catholica, honorem, ut patri; timorem, ut domino. Postquam gloriosus filius vester, noster serenissimus dominus Romanorum rex, a Jerosolymitana expeditione reversus fuit, dilectus frater noster H. Herfeldensis abbas ad administrationem Fuldensis abbatie, quam susceperat, cessit. Itaque dominus noster rex tum pro innumeris vexationibus, quibus Fuldensis ecclesia, tam intus, quam foris, quotidie fatigabatur, tum pro partium studiis, quæ de facili componi non poterant, ordinare ipsum monasterium distulit, & sicut in recolligendis possessionibus, quæ inordinate fuerant dispersæ, potens & efficax esse poterat, sic in curandis animabus, quæ ecclesiarum pretiosissima est substantia, invigilare & attendere non poterat: super qua re a nostra parvitate sæpe communitus, & ab Ebracensi abbate & aliis religiosis viris, tandem suggestioni acquiescens, venit Fuldam III. nonas aprilis. Cui curiæ interfuerunt venerabiles filii vestri, Bremensis archiepiscopus, Wirzeburgensis, & Halberstadtensis episcopi, & alii de laicorum ordine principes & nobiles multi, a quibus inter cetera regni negotia quæsit, qualiter Fuldense monasterium, sic, Deo auctore, ordinaret, quatenus ibidem quæ sunt Dei Deo, & quæ Cæsaris sunt, Cæsari redderentur. Dubitatum est diu, ut in talibus negotiis solet, maxime propter multas in brevi tempore abbatum mutationes, & propter partium studia & dissensiones, quæ in eodem monasterio adhuc fervere noscebantur. Suspensis ergo omnibus, dixit dominus rex, quamdam sibi personam a viris religiosis esse ostensam boni testimonii & integræ famæ, quæ rem modicam religione, possessionibus, & ædificiis auxisset, de cujus pietate, fide & constantia nequaquam dubitarent, quin Fuldensi ecclesiæ & præesse, & prodesse posset; in cujus electione personæ si omnium vota concordarent, fore in brevi, ut cum suo clementiori & propensiori patrocinio, Fuldensis ecclesia pristinum suæ dignitatis honorem reciperet. Placuit omnibus qui aderant tam pia regis devotio, tam religiosa sententia, & perlatum est verbum ipsius ad electores a prænominatis episcopis, & ab Ebracensi & Hatesburnensi abbatibus, a nobis etiam & ab aliis principibus; quem sermonem tamquam divinitus missum pari consensu & unanimi voto omnes susceperunt, nomenque viri, qui tanto laudis & principis suffragio juvaretur, sibi exponi flagitabant. Ita celebri cunctorum convivia elegerunt in abbatem, & rectorem animarum suarum, & dominum Fuldensis ecclesiæ, dominum Marcwardum abbatem monasterii de *Telekeinge*, qui fuerat nutritus & educatus a puero in monasterio S. Michaelis in monte, in civitate *Bamberg*, & sine querela conversatus. Præfatus autem monasterio suo præfuerat annis octo, & c.

K k k k k

stimonium habens etiam ab his qui foris sunt, & provexerat tam in divinis, quam in humanis rebus. Qui quoniam ab his, qui eum intime noverant, plurimum laudatur, non solum absens, sed etiam ignorans electus est, & valde invitus, & plurimum renitens hoc onus subire compulsus est, adhortante satis domino nostro rege, & bona sibi promittente, & quodammodo cogente. Nostra quoque parvitas vestram celsitudinem intime rogare ausu sanctæ caritatis præsumit, ut sanare dignemini contritos Fuldenfes, & alligare contritiones eorum, & per vestræ benedictionis manum, quæ sola medelam potest præstare languoribus, opus quod circa prædictam personam inchoatum est, confirmetis. Hoc quoque sublimitati vestræ indicare studuimus, quod ea die apud Fuldam eramus, quando omnes Fuldenfes fratres regulariter & humiliter eidem dilecto suo subjectionem & obedientiam promiserunt. Salvum vos & incolumem ad regimen catholicæ ecclesiæ Deus omnipotens custodiat.

LXIII.

Joseeli episcopi Saresberienfis epistola ad Sugerium S. Dionysii abbatem.

Ad lib. 79.
n. 137.
Ex nova hist.
S. Dion. Fe-
lib.

Dilecto & merito diligendo patri & domino Sugerio, Dei gratia abbati sancti Dionysii, regni Francorum rectori Joseelus eadem gratia Sarab. episcopus, sub pennis cherubim manus hominis. Opinionis vestræ odor, qui circumquaque diffunditur, nos de transmarinis partibus in amorem vestri currere fecit. Venimus ergo de sinibus terrarum, vestram scilicet nostri temporis Salomonis audire sapientiam. Sapientiam audivimus; templum, quod ædificastis, aspeximus; ornamenta, quæ a vobis oblata sunt & offeruntur, vidimus; ordinem ministrorum & ministeriorum attendimus; & merito in illius australis reginæ voces erumpimus: quia media pars non fuerit nobis nuntiata, & quoniam major est sapientia & opera, quam rumor fuerit in terra nostra. Quis enim non miretur hominem unum tot & tanta sustinere negotia, ut & ecclesiarum pacem conservet, statum reformet, & regnum Francorum armis tueatur, moribus ornent, legibus emendet? Merito itaque mare intrare debuimus, & vitam nostram velo & ventis committere, & longi itineris innumeras experiri difficultates, ut ad vestram posseme venire notitiam. Sed parcât nobis vestra serenitas, quod in discessu nostro a Gallia faciem vestram, sicut volumus, videre non valuimus: traxit nos inevitabilis necessitas, inuncta obedientia. Cum enim in Nortmanniam transissemus pro negotiis ecclesiæ nostræ, quæ vobis ex parte aperueramus, vocavit nos dominus Cantuariensis metropolitanus noster ad matris nostræ Cantuariensis ecclesiæ negotia, & nec indulto nobis respirandi spatio, in Angliam direxit. Excuset nos ergo apud se vestra benignitas, quos tam manifesta excusat necessitas. De cetero mittimus vobis archidiaconum nostrum, qui nos plenius excuset, & qui nobis amoris, quem erga vos habemus, fructum ex parte reportet, reliquias scilicet egregii martyris Dionysii, per quas non solum in nobis, sed in ecclesia Saresberienfi perpetua nominis vestri memoria vivat.

Cetera quæ a vobis postulamur, vivæ voci præsentium latori commisimus. Valeat Excellentia vestra, carissime pater.

LXIV.

Privilegium Alexandri III. pro abbacia S. Martini de Chora.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis, Basilio abbati monasterii ecclesiæ sanctæ Mariæ, & sancti Martini Chorenfis, ejusque fratribus tam præsentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incurfus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod ab sit, sacre religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuantes ut quascunque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, & ipsam villam, quæ dicitur Chora, & furnos, & molendina, & totam justitiam villæ cum hominibus suis, & nemora, scilicet Fraite-chaloer, & partem suam de Rogeo, & aquam de rivo... Cholistri usque ad rivum de Prificiaco: ecclesiam de Domeziaco cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de Bazochiis cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de Montezabo cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de Novemfontibus, ecclesiam de Montevigneo cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de sancta Christiana cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de Petrapertusa cum omnibus pertinentiis suis, capellam de Curte ad celebrandum divinum officium, ecclesiam de Vassiac cum appendiciis suis, & unum... censualem in qualibet domo totius parochiæ, capellæ de Chora, & ecclesiæ sancti Andree, ecclesiæ de Castellud, ecclesiæ de Epure, ecclesiæ de Montezabo, ecclesiæ de Saffiaco, ecclesiæ de Venus, ecclesiæ sanctæ Mariæ de Maer, ecclesiæ de Dornachiaco, ecclesiæ de Briva, ecclesiæ de Cerfi, ecclesiæ de Petrapertusa, ecclesiæ de Domitiaco, ecclesiæ de Basochiis, ecclesiæ de Montevineo, & usum quem habet ecclesia de Chora in memoribus domini de Petrapertusa, in Faiis, in Herbert, in Batert, in Brolio, in Chaneio de Veles, & in suis Battitiis, in Sauvezea, & partem suam in bosco de Cumbis, & sedem grangie in eodem bosco liberam ab omni servitio castri quod dicitur Petrapertusa, & custodem grangie similiter, & liberam donationem, venditionem, invadationem cujuslibet possessionis in toto casamento prædicti castri, quicumque eam faciat

Ad lib. 79.
n. 138.
Ex authentica

de jure suo ecclesiæ prædictæ, & mediam cosdumam uniuscujusque domus de Uziaco, & de villa urbana, si fuerit in casamento Pontii de Petrapertusa, & terram, & tertias, & census, & cosdumas, & homines, & decimam culturæ monachorum de Minoda, secundum quod pertinet ad prædictam abbatiam, & terram, & tertias, & census, & cosdumas, & decimas, & homines, & nemora de Oziaco, & de Ciriaco, & de Ochis, & de Urbiniaco, & de Ateis, & de Mullet, & de Empuriaco cum omnibus justitiis, & cosdumis quas prædicta abbatia habet in eis, & terram, & tertias, & cosdumas, & decimas, & census, & prata, & vineas, & homines de Domitiaco, & de Basochiis, & de Flaiaico, & de Cistriaco, & de Dormitiaco, & de Monteadverfiaco, & de Carentiaco, & de Chaulauro, & de Seobreo, & de Petrapertusa cum omnibus justitiis & cosdumis, quas prædicta abbatia habet in eis. Prioratum quoque de Curte cum tota justitia villæ, cum decimis culturæ monachorum, & terras, & tertias, & census, & cosdumas, & homines, & partem memoris de Arvial. Terram, & tertias, & census, & cosdumas, & prata de sancta Columba, & de Massiaco, & de Boisum, & de Antiaco, & de Montoliblo cum omnibus justitiis & cosdumis quæ pertinent ad prædictum prioratum. Prioratum etiam de Vassiac cum omnibus terris, pratis, & cum tertis, censibus, decimis culturæ monachorum, & cum placito generali, cum nemore de Sarreia, & cum omnibus justitiis & cosdumis quas prædictus prioratus habet in jam dicta villa, terras, & tertias, & census, & omnia jura quæ prædictus prioratus habet in villa de Berriaco. Cum autem commune interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuscumque vexationibus fatigare; sed illibata omnia & integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, & diocesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniunt. Amen, amen, amen.

Ego Alexander catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Hubaldus Hostiensis episcopus. Ego Bernardus Portuensis & sanctæ Rufinæ episcopus. Ego Gualterius Albanensis episcopus. Ego Joh. presbyter cardinalis SS. Joannis & Pauli tit. Pammachii. Ego Albertus presbyter cardinalis tit. sancti Laurentii in Lucina. Ego Guillelmus presbyter cardinalis tit. sancti Petri ad vincula. Ego Boso presbyter cardinalis sanctæ Pudentianæ tit. pastoris. Ego Petrus presbyter cardinalis tit. sancti Laurentii in Damaso. Ego Johannes presbyter cardinalis tit. sancti Marci. Ego Petrus presbyter cardinalis tit. sanctæ Sufannæ. Ego Ardicio sancti Theodori diaconus cardinalis. Ego Cynthius diaconus cardinalis sancti Adriani. Ego Hug. Bononiensis diaconus cardinalis sancti Eustachii juxta templum Agrippæ. Datum Anagninæ per manum Gratiani sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconi & notarii XVI. kal. Aug. indictione VII. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXIII. pontificatus vero domini Alexandri papæ III. anno quintodecimo.

LXV.

Diploma Henrici comitis, quo S. Eugendo prioratus Campania confirmantur.

Ludovicus regis Francorum primogenitus nominatus Dei gratia rex Navarræ, Campaniæ, Briæque comes Palatinus. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, nos infra scriptas vidisse litteras formam quæ sequitur continentes.

Ad lib. 79.
n. 137.
Ex archivo
S. Eugendi.

Quoniam oblivione deletur memoria, propterea quod decernitur litterarum apicibus commendamus. Ego igitur Henricus comitis Theobaldi filius, notum fieri omnibus volo, quod precibus venerabilis Bernardi Clarevallensis abbatis, necnon & jussu patris mei, laudavi & perpetuo habere concessi ecclesiæ sancti Eugendi Jurenfis, dona & elemosynas, quas antecessores mei olim pro salute animarum suarum illis fecerunt. Scilicet prioratum Sarmasiæ in nemore Chuir vocato, cum villa & nemoribus & terris & aquis, & justitiis suis, & quidquid habent Vitriaco, & Nuceriæ, & Colli. Prioratum Montis-Barri, cum villa ibi ædificata, & bannum ejusdem & veteris castri, & quod habent in villa & justitia Barri, in aquis & molendinis, in domibus & logiis, in hominibus, & aliis justitiis, & furnum qui dicitur Vallonis. Et quidquid habent in Barrensi villa, & in sinagio de Fontaines, & in villa de Courcelles, & in sinagio ejus: & censum quem habent ad Collembert, vicum de Rouvroie liberum omnino illis cum omni justitia, & grangiam illorum cum hominibus & possessionibus suis, & quidquid habent apud Bayer, & grangiam sanctæ Libariæ cum possessionibus suis, & medietatem decimæ Villarii sicci. Prioratum sancti Petri de Barro, cum universis possessionibus & pertinentiis suis infra Barro & extra. Prioratum consilii cum justitia, & omnibus possessionibus suis. Prioratum sancti Eugendi in castro Firmitatis fundatum cum atrio & infractura ejus. Capellam de Castello cum omnibus decimis, absque medietate decimæ quæ est ultra Albam, forum prædicti ca-

ftri, & ventas ad idem forum respicientes, fur- nos, molendina, batatoria, folones, torcularia; & quod nullus in prædicti castri banno usivas aliquas construat sine laude prioris, & assensu monachorum, præter ea quæ constructa sunt ibi usuarium in aquis & nemoribus & planis. Omnia insuper in foresta de Sylvaroura, montem qui dicitur sancti Eugendi, & corvatam, & terram quæ dicitur Waura. Grangiam sancti Eusebii cum hominibus suis, & colongiis, & aliis possessionibus, & iustitia ejusdem villæ cum atrio: & quod habent apud *Villers* in aseto & villa subtus Firmitatem, & terragia terrarum quæ per ministros eorum ruptæ fuerunt. In sinagio trans Albam grangiam Mathonvallis & partem illorum de *Feins*, & quod habent in villa quæ vocatur *Pons*. Molendinum Malen- villæ quod dicitur comitis. Homines suos Cy- refontis cum terris & aliis possessionibus suis, & cum omni iustitia ad me pertinente, potestatem Ayfanvillæ cum hominibus suis & terris & aquis & nemoribus & undecim grangiis ad eam- dem spectantibus, cum legibus & omnimodis iustitiis. Et elemosynam comitissæ Elizabethæ apud *Brams* & ubicumque sit. Terram de Bre- civis, grangiam d'*Orges* cum terris & possessionibus suis & hominibus, homines prioris Fir- mitatis in præscriptis locis manentes omnino ab omnibus legibus & forestis illi liberos capitali reddente. Prioratum de Sylvaroura cum atrio & hominibus suis & iustitia eorumdem, & fur- num ejusdem villæ bannalem, & usuarium omnia in planis & nemoribus & aquis, & in foresta jam dicta usuarium ad proprium opus sui, & furni. Et quidquid habent in villa sancti Leode- garii, & in villa de Ulmeio. Laudo etiam pri- ori de Sylvaroura medietatem molendini quam dominus Joibertus ei dedit, & dominium mit- tendi molendinarium. Præterea concedo priori Firmitatis, priorique de Sylvaroura remanentiam hominum adventitiorum, qui super illos rema- nere voluerint, communitatem matrimoniorum inter illorum homines, & eos qui ad me per- tinent. Hæc omnia præscripta & si quæ alia possident, vel antehac secundum consuetudi- nes terrarum acquirere potuerint, præfatæ san- cti Eugendi ecclesiæ, & monachis ejusdem in perpetuum habere concedo. Excepto quod homines illorum in meo proprio exercitu ibunt, & hoc tali pacto mihi concesserunt, quod nec ego nec successores mei de custodia obedi- entiarum suarum manum nostram umquam de- vestiemus. Data Vitriaco per manum Guil- lelmi cancellarii anno millesimo centesimo qua- dragesimo-nono, teste Hugone vicecomite, Odone de Monte-Homero, Bertrando Vine- terra, Johanne Urupello, Fulcone de Marolis, Lamberto Lingonensi.

Nos autem omnia & singula præmissa prout supra scripta sunt, rata & grata habentes, ea volumus, laudamus, approbamus, & iidem prout rite ac iuste usi sunt, tenore præsentium confirmamus, salvo in aliis jure nostro, & in omnibus alieno. Quod ut firmum & stabile sit, & perseveret, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Datum Trevisi mense Sep- tembris anno Domini millesimo trecentesimo- decimo.

LXVI.

Privilegium Eugenii papa III. pro abbacia Conchenfi.

Eugenius episcopus servus servorum Dei: dilecto filio Odoni abbati monasterii sanctæ Fidis Conchenfis, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Religiosis desideris dignum est faciem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem fortiatu effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili Odo Conchenfis abbas, tuis iustis postulationibus clementer annuimus, & monasterium B. Fidis virginis, quæ ibi requiescere dicitur, cui Deo auctore præfides, ad exemplar prædecessorum nostrorum felicitis memoriæ Urbani & Calixti Romanorum pontificum sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus.

Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentia- rum iuste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vo- cabulis, ecclesias videlicet de Grandinabro, de Montiniaco, de Saunas, de S. Cypriano, de Nova-villa, de Marciliaco, de sancto Marcel- lo, de Bella-calma, de Manso-Bosonis; & in ecclesia de Prunfologio quinque solidos cen- suales, ecclesiam de Campaniaco cum tota villa, ecclesiam de Cauniaco, de Pricio, de Pratis, ecclesias de Trebes & de Monteroserio, eccle- sias de Persia & de Speleu, de Anadiaco, de Curedis, de sancto Felice, de Orgagneto, de Albiniaco, de Bromme, de Brommato, de Barro, de Camporerio, de Goliniaco, de Spay- raco, de Balsiaco, de Riniaco, & quod habe- tis in ecclesia de Firminio, ecclesias de Vi- vario, de Flaniaco, de Lemniaco, de Claniaco, de Malavilla, de Pervenqueriis, de Crofo, de Gafanguas, de Bellomonte, de Monte- Aldone, de Rodolayguas, de Seyraco, de Bor- no, de Monte-Acuto, de Sepedo, de Pino, de Castello-Mauron; ecclesias S. Fidis de Vau- ro & de Perairorio, & Salvitate Armandi, eccle- sias de Molendino Pizino & de Tavanella, de Avarolago, de Uffello, de Alavastria, de Montebruno, de sancto Mamete, de sancto Ro- mano, de Auriaco, de Castelletto supra Li- gerim & de sancto Victore, de Chavannico, de Columbario juxta Visternum, ecclesiam sanctæ Fidis, ecclesias de Palatio, de Vayraco, de Celliano, de Lecaraco, de Manabello, de Lareriis, de Cailla, de Planças. In episcopatu Albienfi ecclesias de S. Felice & de Ponte- lupino, ecclesiam de Cullas, ecclesias de Vi- nairollo, & de Exculto, de Podio-palenofo, & de Carzag, ecclesias de Castaneo, de Em- baiisso, de Cambone, de sancto Christophoro de Murello, de Caparosso de Gallitone, de Baracc, de Barbastia, ecclesias sancti Sepulcri & sancti Johannis de *Esseclat*, ecclesias de Horson & de Hosforda,

Obeunte

Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præ- ponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem & B. Benedicti regulam elegerint. Ele- ctus autem a dioecesano episcopo benedictio- nem consequetur, siquidem catholicus fuerit, & gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, & si eandem ordinationem gratis & sine pravitate voluerit exhibere: alioquin liceat ei vel ad apostolicam recurrere, vel catholicum, quem maluerit, adire antistitem, qui nostra auctoritate, quod postulaverit, indulgeat. Idipsum etiam de altarum sive ba- silicarum consecratione, & monachorum, qui ad sacros fuerint ordines promovendi, ordinatione concedimus. Adjicimus etiam ut nulli episco- porum facultas sit absque Romani pontificis li- centia locum vestrum vel monachos interdi- ctioni vel excommunicationi subijcere; nec pro communi dioecesis interdictione præfatum mona- sterium a divino vacet officio, sed potius clau- sis januis & exclusis excommunicatis & inter- dictis, divina vobis liceat suppressa voce officia celebrare. Laicos præterea liberos vel clericos e seculo fugientes, nisi excommunicati sint, ad conversionem suscipere nullius episcopi vel præ- positi contradictio vos inhibeat. Sepulturam quoque ejusdem loci omnino liberam esse de- cernimus, ut eorum qui se illic sepeliri deli- beraverint, devotioni & extremæ voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obstitat, salva tamen iustitia matris ec- clesiæ. Sane illam irregularem consuetudinem, ne ultra fieri debeat interdicimus; id est ne san- ctorum ejusdem monasterii reliquæ ad publi- cos conventus extra voluntatem fratrum inibi Deo servientium deferantur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum mona- sterium temere perturbare, aut ejus possessio- nes auferre vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia in- tegra conserventur eorum, pro quorum guber- natione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva dioecesanorum epi- scoporum canonica iustitia in supradictis capel- lis. Si qua igitur ecclesiastica secularive per- sona hanc nostræ, &c.

Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus subscr. Ego Conradus Sabiniensis episcopus. Ego Ymarus Tusculanensis episcopus. Ego Hugo Ostiensis episcopus. Ego W. tit. Calixti præ- sbyter cardinalis. Ego Guido presbyter cardina- lis tit. sancti Chrysogoni. Ego Jordanus S. R. E. presbyter cardinalis tit. S. Sufannæ. Ego Odo diaconus cardinalis S. Georgii ad velum aureum. Ego Guido diaconus cardina- lis S. Mariæ in Porticu. Ego Jacinthus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedin.

Datum Romæ apud sanctum Petrum per manum Rolandi sanctæ Romanæ ecclesiæ præ- sbyteri cardinalis & cancellarii VII. idus Junii, indictione prima incarnationis dominicæ anno MCLIII. pontificatus vero domni Eugenii pape III. anno IX.

Annal. Bened. Tom. VI.

LXVII.

Charta Ludovici VII. Francorum regis, qua abbatiam S. Petri de Monte-Letherico unit monasterio B. Mariæ de Longo-ponte.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Ego Ludovicus Dei gratia Franco- rum rex. Cultoris Dei & christiani hominis opus excellentissimum esse dinoscitur ecclesias ampliari, & religiosorum fratrum paci providere, in quo geminæ caritatis, ad Deum videlicet & proximum communitum adimpletur præceptum. Et nos sane cui divinitus tradita est administratio regni, ecclesias amare & servos Dei protegere sollicitè volumus & debemus. Sciant autem universi & præsentis & futuri, quod ec- clesia S. Petri de Monte-Letherico sæcularis conversationis clericos habuit usque tempora nostra, & nos honori Dei & ecclesiæ correctio- ni attendentes, mutavimus canoniam, & præ- dictam ecclesiam cum ecclesia S. Mariæ de eod- em castello & omnibus aliis pertinentiis & pos- sessionibus fratribus S. Mariæ de Longo-ponte pro honestate eorum, & interventu venerandi prioris Theobaldi amici nostri, assensu Johan- nis de Cathena, qui S. Petri abbas erat, & cun- ctis assentientibus canonicis libere & in perpetuum habendam donavimus. Proinde ecclesiæ Longi-pontis quascumque consuetudines & possessiones habuit temporibus dominorum Montis-Letherici, & patris nostri bonæ memorie Ludovici regis tempore, & antiquam libertatem suam per omnia habere de cetero, & semper retinere regia auctoritate concessimus. Ut ita ratum sit in posterum & penitus inconvulsam, omnique tollatur calumnia, præ- sentem paginam sigillo nostro muniri, & nomi- nis nostri caractere consignari præcepimus. Actum publice Parisius anno dominicæ incar- nationis MCLIII. astantibus in palatio nostro, quorum subtitulata sunt nomina & signa.

Sign. Theobaldi comitis Blesensis dapiferi nostri, S. Guidonis buticularii, S. constabularii, S. Matthæi camerarii.

Data per manum Hugonis cancellarii.

Anastasi papa IV. confirmatio prædictæ donationis.

Anastasius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Theobaldo priori de Longo- ponte, salutem & apostolicam benedictionem.

Ea quæ nobiles viri & principes sæculi piis locis, religiosi personis, pietatis intuitu & caritate debita largiuntur, in sua volumus stabili- tate consistere; & ne in posterum debeant quo- rumlibet hominum refragatione turbari, con- venit nos auctoritate sedis apostolicæ roborare. Ea propter dilecte in Domino fili Theobalde, tuis iustis postulationibus facilem impertimus assensum, abbatiam S. Petri de Monte-Lethe- rico cum omnibus ad eam pertinentibus; quam carissimus filius noster Lodoicus rex Franco- rum consensu Johannis abbatis, qui tunc tem- poris eidem ecclesiæ præerat, & canonicorum inibi existentium, sicut in ejusdem regis privi- legio continetur, ecclesiæ cui auctore Deo præesse dinoscitur, ad ponendum in ea mona- chos, qui divina ibi officia, & statum ecclesiæ

LIII

Ad lib. 80; n. 50.
Ex chartar. Longi-pontis apud Carita- tem.

Ex eodem chartaria.

in melius debeant promovere, rationabiliter contulit, & scripto firmavit, quam etiam donationem venerabilis frater noster Theobaldus Parisiensis episcopus, in cujus dioecesi ecclesia ipsa est constituta, in praesentia nostra concessit, nos tibi & per te ecclesiae tuae auctoritatis nostrae pagina confirmamus, atque donationem ipsam perpetuis ratam temporibus decernimus permanere. Nulli ergo hominum fas sit hanc nostrae confirmationis paginam ausu temeritatis infringere, vel ei ulla tenus contraire. Si quis autem attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius noverit incursum. Datum Lateranis VIII. kalendas Decembris.

LXVIII.

Decretum domni Roberti abbatis Vindocinensis.

Ad lib. 80.
n. 94.
Ex archivo
Vindocinensi.

Quoniam humanus animus in diversa distractitur, praeteritorum obliviscens, praesentium etiam plerumque non recordatur: ideo necessarium atque opportunum duximus successorum nostrorum memoriae litteris commendare, quod a domno Roberto abbate statutum est atque decretum, pari consensu cunctorum fratrum tunc in capitulo Vindocinensi consistentium. In hoc Vindocinensi coenobio hactenus fuit consuetudo, quod quando aliquem librorum ligari oportebat, cellerarius & camerarius expensas tribuebant; sed quoniam inter eos contentio oriebatur, quantum quisque praebere deberet, librorum ordo negligebatur; nec novi fiebant, nec, ut decebat, veteres corrigebantur. Unde auctoritate Dei & sua domnus abbas Robertus praecipit atque constituit, ut omnes priores obedientiarum ad jus Vindocinensis ecclesiae pertinentium (excepta cella Andegavensi & Cretonensi) annum censum armario praebant. Quid vero de unaquaque domo habere debeat, ne de hoc quod volumus iterum contentio fiat, praesentibus & futuris litteris breviter intimare aggredimur: de S. Georgio quinque solidos, de S. . . . v. solidos, de S. Nicolao IV. solidos, de Podio-rebelli III. solidos, de Fugeretis III. solidos, de Avultra XII. denarios, de Olona II. solidos, de Lateio XII. denarios, de S. Saturnino II. solidos, de Meduavillo II. solidos, de Chivriaco II. solidos, de Broc XII. denarios, de Castell. . . III. solidos, de Porcellis XII. denarios, de Villeriis XII. denarios, de S. Hypolito XII. denarios, de Gastinello XII. denarios, de Villa-Dei V. solidos, de Cormano XII. denarios, de Savineio II. solidos, de Villa-Odonis XII. denarios, de Belgenciaco III. solidos, de Audreio II. solidos, de Carcere* II. solidos, de Columbaris I. sextarium frumenti, de capella Ancherii I. sextarium frumenti, de Pifoto I. sextarium frumenti, de Hulfeto I. sextarium frumenti, de Pruneto I. sextarium frumenti, de villa Gumbergia I. sextarium frumenti, de Longa-hulmo I. sextarium frumenti, de villa Marzini, I. sextarium frumenti, de Monte-Odonis I. sextarium frumenti, de Bulco I. sextarium siliginis. Actum est hoc atque sancitum in capitulo Vindocinensi feria II. VI. kal. Junii post

festivitatem SS. Trinitatis. . . . Scriptum per manum Guillelmi Sanctonenis tunc temporis armarii anno ab incarnatione Domini MCLVI. * MCLV.

LXIX.

Littera Samsonis in concilio Remensi data pro monasterio sancti Ghislani.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti Amen. Ego Samson divina miseratione Remorum archiepiscopus, apostolicae sedis legatus, omnibus fidelibus in perpetuum. Divina institutio nos admonet, hortatur ut tamquam filii pacis ecclesiasticae paci ad vigilemus. Quocirca notum fieri volumus omnibus sanctae matris Ecclesiae filiis, tam futuris, quam praesentibus, controversiam inter abbatem sancti Ghislani, & dominum Goscewinum de Montibus graviter exortam, & usque ad nos ventilatam: quare utroque reformandae pacis gratia ad concilium nostrum Remense, quod fuit VII. kalendas Novembris, evocavimus. Statuto autem die, abbas mediam partem Haynae ad usum molendinorum suorum in cella, quam longe absque ulla inquietudine sive calumnia tenuit ac possedit, praesente Goscewino, & parum contradicente, vehementer reclamavit. Goscewinus enim per decursum alterius partis mediae, quae sui juris erat, partem abbatis auferebat, quia molendinum suum de Fluviis, * & praecipue scusam per nimiam & crebram inundationem adnihilari permisit, nec eam reficere voluit, quae scusa ab antiquo mediam partem Haynae, quae ad ecclesiam respiciebat, conservavit, & semper conservare debet. Super hoc igitur per privilegia bonae memoriae Urbani papae II. Gelasii item II. Balduini etiam comitis Haynonensis, qui Hanonii sepultus est, de antiqua & usque modo continua possessione, veritate audita, habito consilio cum * juris sapientibus & amatoribus veritatis, videlicet episcopis, abbatibus & clericis, id providimus, & composuimus, quod etiam utraque pars laudavit, & omnimodis ratum esse voluit, ut Goscewinus sive abbas praedictam scusam de gleba & silva adjacente reficeret, & jure perpetuo sic conservaret, quod ecclesia media parte sua Haynae amodo non privaretur. Ne autem ecclesiastica secularisve persona aliquando nostram hanc confirmationis paginam, & quod in ea continetur, infirmare, labefactare, pervertere, aut destruere molitur, interdici-mus, idque machinanti tremendi Judicis iram proponimus, eandemque paginam sigilli nostri impressione, probabilitateque personarum subnotatione roboramus. Signum Anculsi Sueffionensis, Walteri Laudunensis, Nicolai Camera-censis, Godescalci Atrebatensis, Gerardi Tornacensis, Theodorici Ambianensis, Milonis Morinensis, Henrici Belvacensis episcoporum: Bartholomei, Bosonis, archidiaconorum, Drogonis praepositi, Leonis decani, Hugonis sancti Amandi, Franconis Lobienensis, Clarembaldi Altimontensis, Algoti Crispiniensis, Radulphi Maricolensis, Arnulphi S. Dionysii abbatum. Actum Remis anno incarnati Verbi MCLVII. indictione V. regnante Ludovico rege Francorum an. XVI. archiepiscopatus autem nostri an. XVII. Robertus cancellarius scripsit & subscripsit.

Ad lib. 80.
n. 125.
Ex archivo
S. Ghislani.

* Fluy.

* sic.

INDEX GENERALIS

EORUM QUAE CONTINENTUR

IN TOMO SEXTO

ANNALIUM BENEDICTINORUM.

Littera a pagina initium, b medium, c finem designat.

A

A Bethleemitanus episcopus obedientiam Innocentio promittit, pag. 210. c.
Abaelardus, Petrus, dictus Petrus Bajolardus, 209. c. Excellentissimus rector scholarum, 147. b. Personas Trinitatis nimis attenuat, & in concilio Sueffionensi Sabellianus haereticus judicatus, 326. a. In solitas SS. Trinitatis figuras fabricari curat, 85. a. Ob novam de sancto Dionysio sententiam fugere cogitur, 64. a. In scio abbate a S. Dionysio fugit, & ad cellam Pruvinsensem se recipit, 84. a. Dimissionem seu absolutionem per Theobaldum comitem petens, repulsam ab abbate passus, *ibid.* Eam tandem a Sugerio abbate Adami successore sub certis conditionibus impetrat, *ibid.* Ad solitudinem Trecentem fecerit, ubi & discipulos collegit & Paraclitum condidit, 84. c. Ejus adversarii Albericus & Lorulfus, 84. b. S. Norbertus & S. Bernardus, *ibid.* Contra eum scribit Galerius de Mauritia episcopus Laudunensis, 231. b. Adversarios patitur Carthusianus, 82. c. Ejus epistola ad S. Bernardum de Cisterciensium novitatibus in divinis officiis, 303. c. Eligitur abbas Ruyensis, 84. b. 142. b. Mores suorum monachorum, & quantum ab eis passus sit, 142. c. Mortuus qui damnaverat eum in concilio Sueffionensi, suos renovat errores, 677. a. Amice monitus a S. Bernardo ut eos corrigeret, promittit emendare, sed promissis non stat, 677. b. Verum provocat sanctum abbatem ad concilium Senonense, 678. a. Immo & coegerunt Patres concilii, 678. b. Invitat & suos discipulos, futuros testes futurae confusionis sancti abbatis, 678. b. Coactus abbas modestissimus vix aperuit os, Abaelardus obmutuit, turbata omnino ejus memoria, 678. c. In concilio Senonensi damnatus, 324. a. Appellat ad papam, 324. a. Pacem cum S. Bernardo facit mediante abbate Cisterciensi, 326. b. & Cluniaci demoratur, 626. 672. c. Petrus Venerabilis abbas Cluniaci scribit Innocentio de pace Abaelardi cum S. Bernardo, & de ejus Cluniacum secessu, 326. b. Abaelardus vitae monasticae addictus contra canonicos regulares scribit, 357. b. Varia ejus scripta nunc edita, 356. c. 357. a. Arnaldus Brixienensis ejus discipulus, 313. c. Apologiae scriptae pro Abaelardo, 325. b. *Seq.* Abaelardus scribit apologiam suam in qua arguitur mendacii, 325. b. 678. Abaelardi fautor Otto Frisingensis, 325. c. Ejus errores de Trinitate, 679. b. *Seq.* Dissertatio de varia ejus fortuna & doctrina, 677. a. Abaelardi elogium a Petro Venerabili, 355. c. 356. a. Vivens perierat in cimiterio Paraclitensi humari, 356. b. Ejus corpus ad Paraclitense monasterium deferri curat Petrus Venerabilis, 356. b. Abaelardo defuncto absolutionem dedit Petrus Venerabilis, 356. c.
Abbas, si ex consensu monachorum electus non fuerit, abbas non est, 673. b. Abbas post suam consecrationem nudis pedibus accedit ad suum monaste-

rium, receptus a fratribus in cassis, 112. b. Abba-tes primi Stabulenses episcopi, 587. b. Abbates episcopi plures in monasterio Morbacensi, 575. b. Abbas emancipet monachum suum cui alicujus parochiae curam commisit, 568. c. Nec revocare ad claustrum possit, *ibid.* c. Abbates Fontanellae & Gemmetici obedientiam recusant archiepiscopo Rotomagensi, 233. c. Absente archiepiscopo. Turon. in festis praecipuis invitatus abbas Majoris-monasterii celebrabit, 640. b. Abbatum luxum & equitaturas damnat Bernardus, 81. c. Abbatum conventus apud Corbeiam, 468. c. Abbates variorum monasteriorum ex Laudunensi sancti Vincentii assumti, 341. c. Abbatum legitimum depositorum restitutio, 621. a.
Abbatia & moniales ne vagentur per urbes, 323. a. Abbatia Cisterciensis brevi multiplicatur, 242. b. Abbatia ducenta in ordine Cisterciensi, 274. c. Abbatia septuaginta in ordine Praemonstratensi intra viginti annos erecta, 274. c.
Abbo vel Adalardus abbas Melundensis, 237. c. Abdingoffensis abbas Conradus, 399. c. Abrincenses episcopi Turgisus 52. c. Herbertus, 544. a. Absalon Roschildae in Dania episcopus, 467. b. Absalon abbas S. Amandi, 278. a. 310. a. Electus episcopus Tornacensis non consecratur, 120. b. sed paulo post moritur, 403. b.
Absalon abbas S. Bartholomaei Noviomensis, 448. c. Absolutio Petro Abaelardo data a Petro Venerabili, 356. c.
Abstinendum a peregrinis potionibus, ut a pigmento, 216. a. A carnibus praeter infirmos, 216. a. Ab ovis, lacte & caseo in quadragesima, 216. b. ab adipe toto adventu, 216. a. & feria VI. praeter natalem Domini, 216. a.
Acelinus abbas Metensis S. Clementis excipit in suo monasterio Theogerum episcopum, 41. b.
Adalax comitissa inclita, 597. a.
Adalardus abbas Andaginenis, 601. b. Quam bene gesserit in temporalibus, *ibid.*
Adalardus abbas Egmundenis, 121. c.
Adalardus abbas Lugdunensis, 802. c.
Adalardus abbas S. Martini majoris Colonienis, 531. b.
Adalardus abbas Trevirensis S. Maximini, 593. a.
Adalardus abbas S. Victoris Massiliensis, 594. b.
Adalbaldu abbas S. Martialis fuit etiam abbas S. Augustini Carrofenis & Solemniacensis, 694. a.
Adalbero Bremensis archiepiscopus, 225. c.
Adalbero archiepiscopus Trevirensis, 267. a. 336. c. 435. a.
Adalbero episcopus Laudunensis, 598. a.
Adalbero Leodiensis episcopus piissimus, 135. a.
Adalbero episcopus Metrensis, 604. t.
Adalbero Viridunensis episcopus, 265. b.
Adalbero episcopus Virceburgensis transfert in urbem canonicos, & monachos inducit in ecclesiam S. Stephaniani, 669. a.

Adalbero episcopus Heripolenſis, 265. c.
 Adalbero abbas S. Vincentii Laudunenſis, 201. c. 655. c.
 Adalbero primicerius Mettenſis, 601. c. frater Godefridi ducis Lovanienſis eligitur episcopus Leodiensis, 71. b.
 S. Adalberti parochium, 122. a.
 Adalbertus archiepiscopus Magdeburgenſis ex monacho S. Maximini, 591. c.
 Adalbertus archiepiscopus Moguntinus, 46. a. 122. a. 126. c. 136. c. 195. a. b.
 Adalbertus abbas S. Emmerami, 531. b.
 Adalgodus archiepiscopus Magdeburgenſis adfuit Theotgero episcopo consecrando, 18. b. Ejus obitus, 42. c.
 Adalmoſis virgo Deo sacrata, 604. c.
 Adam abbas S. Andreae de Novo-castello, 188. b. 341. c. 461. b. 536. c.
 Adam abbas Buzaii, 256. b.
 Adam abbas S. Dionysii contrarius Abaelardo moritur, 64. b. 76. c.
 Adam abbas S. Judoci, 339. c.
 Adamus Majoris-monasterii monachus deinde Cisterciensis, 129. a. S. Bernardi ad eum epistolae, *ibid.*
 Adhæret Arnolde abbati illicite vaganti, 129. b.
 Adam abbas Eberbacenſis in Franconia, 141. a. 354. a. 438. a. 513. c. 555. c.
 Adam de Parvo-ponte scholæ magister, 435. c.
 Adami monachi Caziacenſis fecerunt ad Claram-vallem, 473. c.
 Adefonſus Salmanticensis præful obit Cluniaci, 46. a.
 Adela, seu Adelais regina, uxor Ludovici Groſſi, 8. a. 30. a. 83. b. 123. c. 172. a. 180. b. Calixto gratulatur de ſua promotione, 36. b. Fundatrix parthenonis Monis-martyrum, 248. c. 417. c. Ei pro xenis gratias agit Innocentius papa, 210. c. Confirmat donationem factam S. Martino Pontifarenſi, 453. c. Condit monasterium virginum in ſilva Cotia, 519. c. Moritur & ad Montem-martyrum ſepelitur, *ibid.*
 Adela Bleſenſis comitiſſa, 29. b. 166. a. Ejus epistola in gratiam monachorum Majoris-monasterii ad-versus canonicos S. Careſi, 193. c. Ei ſignificat obitum Henrici regis Angliæ Petrus Venerabilis, 260. b.
 Adela filia Godefridi ducis Lovaniæ fit regina Angliæ, 30. b. 68. a.
 Adela comitiſſa foror Guillelmi regis Anglorum, 195. a.
 Adela, uxor Walterii comitis Ambianenſis, 8. a.
 Adela, germana Manaffis II. archiepiscopi Remenſis, 462. b.
 Adelais imperatrix, 592. c.
 Adelais Lotharii imperatoris foror, Simonis Lotharingiæ ducis conjux, Matthæi ducis mater fit monialis in Tartenſi parthenone, 131. c. 362. b. 526. c.
 Adelais auguſta conditrix monasterii Paterniacenſis, 151. c.
 Adelais uxor Guillelmi comitis Nivernenſis, 29. a. Filii ejus Raynaldus & Robertus, 243. c.
 Adelais uxor Radulphi comitis Claromontenſis, 208. b.
 Adelais comitiſſa uxor Otonis vicecomitis de Lomania, 614. a.
 Adelais prima Montis-martyrum abbatiffa, educa ex parthenone S. Petri Remenſis, 249. a. b.
 Adélida S. Johannis Laudunenſis abbatiffa, 100. c. 162. b. 647. a. Ejus effigies, 101. a.
 Adeliſa filia Ricardi de Colungis, monialis in parthenone Cadomenſi, 143. b.
 Adelbero episcopus Metenſis, 627. a.
 Adelbero episcopus Virdunenſis, 430. a.
 Adelbertus archiepiscopus Moguntinus, 75. c. Quingentis militibus ſtipatus venit ad concilium Remenſe, 33. b. 353. b.
 Adelbertus episcopus Agathenſis, 668. c.
 Adelbertus ſanctæ recordationis monachus, 323. a.
 Adelelmus primus prior abbatiffa Montis-Angelorum, 55. c.
 Adelhelmus S. Diſibodi abbas, 122. a.
 Adelo abbas S. Clementis Metenſis, 94. a.
 Ademar episcopus Ruthenenſis eccleſiam Loci-Dei consecrat, 116. c. 281. b.
 Ademar abbas ſancti Benigni Jaſentonis ſucceſſor, 86. a.
 Ademar abbas Floriacenſis depoſitus, 378. c. Ei indulget Elias Aurelianenſis ur in Soliacenſi eccleſia S. Iſteri conſtituantur monachi, 271. a.

Ademar abbas Salvanienſis, 281. c.
 Ademar abbas S. Tyberii, 253. a.
 Ademar comes filius Emenonis & Sancia ejus uxor Aulamvillam cellam S. Eparchio conferunt, 11. b.
 Adenulfus abbas Farfenſis, 197. b. 386. a. Vult conſtruire monasterium Clarevalenſibus monachis, 334. c. Ejus liberalitas erga S. Bernardum, 335. a. Coloniam monachorum a S. Bernardo petit, quam pro monasterio S. Anaſtaſii ad Aquas-falvias retinet Innocentius, 202. c. Adhæret Innocentio, *ibid.*
 Ideo vexatus a Rogerio rege, *ibid.* Epistola S. Bernardi ad imperatorem in gratiam Adenulfi abbatiffa Farfenſis cardinalis, 335. b.
 Adenulfus ex monacho Catinenſi episcopus in Dalmatia, 98. b.
 Adenulfus comes Aquinenſis letali odio in Oderſium abbatem Catinenſem percit, 138. b.
 Aderaldus seu Eyrardus abbas Molimnenſis, 178. c.
 S. Adjutoris monachi Tironenſis vitæ compendium, 232. c.
 Admontenſe Stiria monasterium duplex, 74. c.
 Ado seu Odo comes Marchia, conſentiente Aldeberto fratre ſuo dat Tutelenſibus monachis ſylvam Monſalmi dictam, 39. c.
 Ado nurcius Hedeni comitis, 573. b.
 Adolſus comes de Montibus, 508. a. 627. a.
 Adrianus papa IV. 444. c. 522. b. Ejus pater & fortuna, 504. a. Johannem Salisberienſem familiariter interrogat quid ipſe aut alii de Romana curia ſentiant, 556. a. Ejus ſententia de ſummo pontificatu, 539. b. Fridericum imperatorem coronat, qui ei ſtratoris officium exhibuit, 546. b. Increpat episcopus Tolonienſem quod moleſtus fit fratribus ſuis Maſſilienſibus monachis, 551. c. Eum Urbe fugere cogit Arnaldus ſchiſmaticus, 546. b. Conradum abbatem Biburgenſem commendat Eberardo Salzburgenſi archiepiscopo, 429. b. Ejus epistola ad S. Hildegardem, 539. c. Damnat Henricum II. regem Angliæ quod turbaret electionem episcopi Andegavenſis, 547. b. Confirmat ſtatutum Petri Venerabilis de Balma, 501. b. Ejus inſigne diploma pro Guillelmo abbate S. Cornelii Compendienſis, 495. a. Ejus epistola commonitoria ad Vedastinos, 551. c. Uſum pontificalium ornamentorum Roberto abbati S. Albani indulget, 547. a.
 Adventus jejunium, 560. b.
 Advia comitiſſa Pericenſis, 148. b.
 Adulfus comes, 289. a.
 Adulfus comes de *Scovemborch*, 470. a.
 Advocati, non ſunt pauperum defensores, ſed crudeliſſimi vaſtatores, & libertatis inimiciſſimi inſidiatores, 509. c.
 Advocati de *Suegerbach* compeſcuntur, 592. b.
 Eduenſes episcopi, Humbertus, 270. a. Henricus, 270. b. Robertus, 270. a. Stephanus, 234. a. 269. c. 270. a. Stephanus II. 270. b. Henricus, 438. c.
 S. Egidii digitus in Bambergensi hospitali depoſitus, 4. a.
 S. Egidii abbates Hugo, 16. c. Petrus, 322. c.
 S. Egidii abbatiam Cluniaco reformandam reſtituit Honorius, 140. a.
 Egidius seu Gilo abbas Nucarienſis, 234. a.
 Egidius episcopus Præneſtinus, 654. b.
 Egidius abbas Venuſinus, 150. c.
 Egidius abbas S. Agerici, 320. a.
 Egidius vir illuſtris factus monachus Prumiensis, inſignem eidem monasterio facit donationem, 575. c. Ejusdem Egidii pater, mater & filii, 575. c.
 Egidius Aureæ vallis, 19. a.
 Elredus ſcripſit vitam S. Eduardi, 413. b.
 Elredus fit monachus & abbas Rievallis; ejus converſio, 260. c. Ejus ſcripta, 261. a.
 Affligemienſis abbas Fulgentius, 320. c. Cella Fliderbeca prope Lovanium, 136. a. Affligemium unire ſuo ordini fruſtra tentat S. Bernardus, 409. c. Affligemii monachi Radulfus vir ſanctiſſimus, & Balduinus de Aloſto princeps, 105. c.
 Agapitus papa reſtauratur Catinenſis monasterii, 149. a.
 Agathenſes episcopi, Reimundus, deinde archiepiscopus, 463. b. Guntherius, 601. c. 667. a. Adelbertus, 668. a. Berengarius, *ibid.*
 S. Agerici abbatem Bolo quis fuerit, 628. a. Richardus, 74. a.

S. Agili

S. Agili reliquæ datæ Henrico Trecenti comiti, 189. b.
 Aginnenſis episcopus Ildebertus, 462. c.
 Agletina abbatiffa Putei-orbis, 234. a.
 S. Agnetis caput in Farenſe monasterium, 342. a.
 Agnes abbatiffa S. Glodeſindis, 480. c.
 Agnes prioriffa Paracliti neptis Abaelardi, 176. c.
 Agnes filia Anſelmi Ribodimonis ſanctæ vivit in eccleſia Leſciensis, 119. b.
 Agnetem Guillelmi Pictavorum & Aquitanorum ducis fororem ducit Ranimirus rex Aragonum, 252. c.
 Agnes de Berbeſillo amita Alienordis nuptæ Ludovici Junioris, 293. c.
 Agnes uxor Alardi principis, 9. c.
 Agnetis reginæ erga Farfenſe monasterium beneficia, 44. a.
 Agnes Alani ducis filia, uxor Balduini comitis Flandriae, 40. b.
 Agrippina templum, 699. a.
 Agfredus abbas Vabrenſis, 591. a.
 Ailina seu Ailina abbatiffa Argentolienſis, 174. b.
 Ailmarus cancellarius Lotharii imperatoris, 579. b.
 Aimericus diaconus cardinalis & cancellarius ſeu bibliothecarius, 184. a. c. 656. c. 650. a. 676. a. Petit ſibi mitti aliqua opera S. Bernardi, 172. c.
 Aimericus episcopus Claromontanus Romam ab Innocentio papa evocatus non comparuit, 369. b.
 Aimericus abbas Burgulienſis gravem patitur perſecutionem a falſis fratribus, 558. c. Redditur ſuſpectus Ludovico Juniori, *ibid.* Ejus innocencia agnoſcitur, *ibid.* Ejus elogium, *ibid.* & 559. a. Laudatus ab Alexandro III. 441. a.
 Aimericus abbas Caſtellariae, 54. a.
 Aimericus Archembaldi militis filius monachus Glanſolii, 334. c.
 Aimericus vicecomes Thoarcenſis, 321. c.
 Aimericus hæreticus flammam vadit, 385. c.
 Aimo abbas Divenſis ſcribit libellum de conſtructione baſilicæ ſui monasterii, 393. b.
 Aimo comes Gehevenſis, 638. a.
 Aimo auctor librorum de amore caeleſtis patriæ, an fuerit monachus, an dicaverit eos Guillelmo abbati Divionenſi, an Hirſaugienſi, 595. c.
 Ailina abbatiffa Arelatenſis S. Caſarii, 322. a.
 Alanus episcopus Autiſiodorenſis, 390. a. 438. a. Ex abbate Ripatorii, 269. c. Ordines celebrat apud Vizeliacum, 548. b. Ejus ſimulas cum Petro Celenſi, 518. b. Revertitur ad Claramvallem, *ibid.*
 Alanus episcopus Redonenſis, 256. b. 427. c.
 Alanus abbas Cadomenſis ex Fontanella aſſumtus, 351. b. Electus negat archiepiscopo Rotomagenſi obedientiæ profeſſionem, 160. b.
 Alanus princeps reconciliatur Urfanis monialibus, 9. c.
 Alanus comes Britannia, 394. c.
 Alanus pater Conani comitis Britannia, 634. a.
 Alanus aravus Conani comitis Britannia, 634. a.
 Alanus comes Cornugallia Bellam-Infulam dat Kemperlegienſi monasterio, 10. c.
 Alanus Fergentius obit ſub veſte monaſtica, 40. a.
 Alardus abbas cellæ S. Ghilſeni intereſt concilio Claromontano, 382. c. & ab Urbano II. privilegium obtinet, *ibid.*
 Alardus comes, 580. c.
 Alardus abbas Florinenſis, 50. c. 639. c.
 Albanenſes episcopi, Matthæus, 2. c. 197. b. Ricardus, 28. a. Gualterius, 723. a. Henricus, 697. c. Humbertus, 350. c.
 Albanus abbas S. Martini Colonienſis, 123. b. 157. a. 436. c.
 S. Albani abbas Radulfus, 412. c.
 Albericus Aquitanorum primas id eſt Bituricenſis archiepiscopus, 280. c. 271. b. ex canonico Remenſi, 104. c.
 Alberici Remenſis ſcholæſtici electio in episcopatum Catalaunenſem non tenet, 141. b.
 Albericus cardinalis, 379. c. 111. a.
 Albericus episcopus Oſtienſis, 345. b. 398. b. 423. a. c. 430. a. c. 431. c. 433. c. 677. c. 699. a. A Lucio papa legatus in Galliam, 378. c. Bernardum contra hæreticos pergentem comitar, 420. b. Cum Hugone archiepiscopo pergit in Britanniam adverſus hæreticos, 421. b. Mittitur legatus in Angliam, 304. a. Acta ejus in Anglia, 305. a. A Davide rege Scotia honorifice receptus, 305. a. Adulfum episcopum Carleolenſem reconciliat regi Scotiae, Johannem

Annal. Bened. Tom. VI.

episcopum Glaucenſem, qui dimiſſo episcopatu ſe receperat Tironium, revocat, 305. a. In Angliam abbatem Crulandenſi Godefridum priorem S. Albani ejus loco, & Adamum monasterii de Bello electum abbatem benedicit, 305. a. Ei dicat libros de hæreſibus Hugo Rotomagenſis episcopus, 421. c. Dedicat eccleſiam Farenſis monasterii, 342. c. Virduni moritur, 379. b. 432. c. 421. a. ubi S. Bernardus ad ejus tumulum pro eo miſſam celebrat, 379. b. 421. b.
 Albericus abbas Vizeliacenſis, 215. a. 240. c. 244. b. 300. b. 355. b. Ipſi creato episcopo Oſtienſi ſuccedit Pontius frater Petri Venerabilis, 304. b. c.
 Albericus poſtulat ad episcopatum Catalaunenſem, 153. a.
 Albericus abbas Cistercii, 242. a.
 Albericus abbas Domorum, 414. a.
 Albericus & Loulfus æmuli Abaelardi in concilio Sueſtionenſi, 63. b.
 Albericus ſiſci imperialis actor, 577. c.
 Albericus decanus Gebennenſis, 638. a.
 Alberius seu Albero archiepiscopus congregatis in deſerto loco clericis Metenſibus, referat Cunonis legati literas, quibus episcopi electio præcipiebatur, 3. b.
 Alberius seu Albero primicerius, electi ſui Theotgeri cauſam propugnat in concilio Colonienſi, 17. a.
 Alberius comes coram legato propugnat electionem Theotgeri in episcopum Metenſem, 4. a.
 Albero ad Paſchalem papam fugit, & ei exponit Metenſis eccleſiæ miſerabilem ſtatum, 13. b.
